

SASBOUT

OPERA OMNIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

FR. ADAMI SASBOVT DELPHII THEOLOGI DOCTISSIMI, ET DIVINARVM SCRIPTVRARVM APVD LOVANIENSES DVM VIVERET PROFESSORIS.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

OPERA OMNIA.

NVNC DEMVM IN GRATIAM STVDIOSORVM IN VNVM CORPVS REDACTA.

CVM INDICE NOVO, VERBORVM RERVMQVE memorabilium locupletissimo.

Catalogum operum sanè quam eruditorum pagina post Indicem indicabit.

Ad usum fr. Clementis Moreno Cisterciensis Monasterii Cogullæ.

Ex libris Conventus S. Crucis Segobiensis Cisterciensis

Ex libris Conventus S. Petri de Cardeña Ordinis Cisterciensis



BIBLIOTHECA COLLEGII SOCIETATIS JESU

COLONIAE AGRIPPINAE
APVD IOANNEM BIRCKMANNVM.
ANNO SALVTIS M. D. LXVIII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæsa. Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC PRINCIPI ILLVSTRISSIMO, D. SALENTINO COMITI AB ISENburg, Dei Gratia Sanctæ Colonienſis Eccleſię Electo Archiepiſcopo, ſacri Romani Imperij Principi Electori, Legatoque nato, & per Italiam Archicancellario, VVeſtphaliæ & Angariæ Duci. &c. D. ſuo clementiſsimo.

S.P.D.

CELEBRIS AC ILLVSTRIS FAMA VOLAT, Reuerendiſsime ac Illuſtriſsime princeps, de celſitudine animi tui, rara in te reſidente virtute, pietate, fide & continentia, de maiorum tuorum, auorum, atauorum, generoſa & eximia nobilitate, de diuitiarum ac opum inexhauſta opulentia, de heroica corporis tui forma quo DEVS animi inuicti robur ac virtutē circūueſtiuit. Hæc magna atq; præclara DEI dona ſunt, præſertim in Principe, vt cū cæteros dignitate, & auctoritate vincat, animi ac corporis dotibus eoſdem præcellat ac ſuperet. Ob eius generis dona, viri fortes, Reuerendiſsime Præſul à ſcriptoribus commendantur: at his maiora de T. C. circumferuntur. Animi enim tui celſitudinem, maiorum eximiam nobilitatem: vincit modeſtia ac Principe viro digna lenitas & manſuetudo: Corporis tui heroicam formam, diuitiarum ac theſaurorum amplitudinem: ſuperat eruditio & doctrina, ac amor quo ſtudium, omneſque rei literariæ ſtudioſos amplecteris. Magnam de T. C. ſpem concipiunt docti, admirantes tuas illuſtres atque magnificas virtutes, quibus effeciſti, vt quanto quis doctior atque amantior virtutum ſit, eo magis in tuam beneuolentiam ſe inſinuare cupiat. Verum dum Principes rerum gerendarum varietate occupatos intempeſtiuè, aut ſine graui cauſa interpellare, hominis aut dementis aut impudentis ſit, exiſtimaui T. C. non temere eſſe occurrendum. Grauis enim cauſa eſt, quæ me eo perpulit. Fra. Adami Sasbout Delphij ſcripta hinc inde collecta, ea forma ac venuſtate nunquam antea promulgata ſumptibus ac expenſis Ioannis Birckmanni, viri de ſtudijs optime meriti, ac in bonis ſcriptoribus conquirendis ſtudioſiſsimi, in lucem emiſimus. Hunc Catholicum ſcriptorem (cuius laudes perſequi ſuperfluum iudico, cum nulla in eo ipſo periodus ſit, quæ non ſingularem ſapientiam redoleat) T. C. dedicamus, quo ab huius tempeſtatis iniuria, qua diris ac horrendis modis interturbatur fidei integritas, cana ac veneranda religio ſeuiſsimis procellis contenditur, tutus eſſe poſsit. Quo enim vrbes magis munitæ ac potentiores fuerint, eo plus proditores

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac hostes formidare debent. Sic cum noster hic scriptor solus vana ac dolosa pseudoapostolorum figmenta protelare possit haud dubie multis calumnijs ac hæreticorũ blasphemijs subiectus erit. Huius patrocinium si T. C. susceperit profecto omnibus Catholicis, qui hũc scriptorẽ auidè atque summis precibus exoptarunt rẽ gratissimam faciet. Quod & ego quo meus labor ijs gratior sit, quem Catholicæ Ecclesiæ destino summis precibus à T. C. optinere contendo, recipiens me perpetuo tuis obsequis fore deuotum. Vale, felicissime princeps, Colonia, ex officina nostra Typographica. vj. Calenda. Aprilis.

Cel. T.

Deditissimus
cliens

Theodorus Gramineus
Typographus.

INDEX OMNIVM
QVAE IN HISCE F. ADAMI SASBOVT EXPOSITIONIBVS ET CONCIONIBVS PASSIM

insperſa ſunt annotatione digna, & in ordinem Alphabeti digerenda. Prior numerus paginam. Secundus paginæ primam vel ſecundam columnam oſtendit.

A.

Aaronis ſacerdotium cum Chriſti ſacerdotio confert Paulus. 570.1.
Abel piorum omnium autor & caput. 5.1.
Abrahæ filij ſunt qui ex fide quærunt iuſtificari. 378.2.
Abrahæ ſimiles in quo eſſe debeamus. 582.3.
Abraham adorans dominum pronus in terram ſe dejecit. 594.1.
Abraham & Iudæorum & Gentium pater dicitur. 293.2.
Abraham ex ſancti ſpiritus conſilio pro typo nobis datus eſt. 295.2.
Abraham forma omnium credentium & iuſtificandorum. 379.1.
Abraham in tabernaculis, non in domibus cur habitaſſe legatur. 582.2.
Abraham, Iſaac, Iacob, Moſes, & Helias in ſcripturis montes appellari. 689.1.
Abraham perſecutionem paſſus eſt propter iuſtitiam. 623.2.
Abraham vidit Chriſtum. 659.2.
ablactati dicũtur ſoli qui dei verbum capere poſſunt. 122.2.
abſtinentia ad res vendendas refertur apud Paulum. 480.1.
abſtinentia infructuoſa quæ ſit. 47.8.
Achom tutatus eſt Deus. 668.2.
Adami delictum cauſa mortis & damnationis totius eſt. 599.1.
Adami in ſuperbiam elatio. 602.1.
Adam à corpore nomenclaturam habet non ab animo. 602.1.
Adam & Chriſtus cõtrariarum rerum fontes fuere. 298.1.
Adam fuit typus Chriſti. 299.2.
Adam habuiſſe cognitionem de promiſſione Meſſiæ. 236.1.
Adam non per eſum ligni, ſed per transgreſſionem mandati peccauit. 599.1.
Adami primi parentis pulchra deſcriptio. folio. 597.1.
Adam quomodo ſeductus fuerit, & quomodo non fuerit. 511.1.
Adinuentionum duplex acceptio. 23.1.
adinuentiones quæ dictæ ſint. 63.1.
adoleſcentia Gentilitatis quæ fuerit. 21.2.
admirabilis cur Chriſtus ſit dictus. 49.1.
adoleſcentes turpitudinis ſuſpitione cavere debent. 548.2.
ad omne opus bonum egere nos gratia Dei. folio. 447.2.
Adonai nomen ineffabile eſſe. 108.2.
adoptari in filios dei quid ſit. 389.1.
aduentus Chriſti vt duplex, ita duplex eſt regeneratio. 109.1.
aduentus Chriſti prænunciatio. 256.1.
aduentus domini ad iudicium horribilis futurus eſt. 255.1.
Aemulatio pro indiuidentia & imitatione capitur. 323.2.
Aerius hæreticus ordines ſacros confundebat. folio. 545.1.
æternitates multas ante mundum conditum chorus angelorum ſeruiſſe deo. 343.1.
Affectus dei erga nos quam vehemens ſit. folio. 176.1.
Agapas, hoc eſt conuiuia pauperibus olim à ditioribus fuiſſe exhibita. 501.2.
Agni qui dicantur. 140.2.
In agriculturæ negotio oſtendit deus bonitatem ſuam. 128.1.
Alarum nomine quid intelligatur. 80.2.
alienus pro adulterio & noxio. 74.1.
alieni in ſcriptura qui dicantur. 105.1.
allegoria duplex eſt. fol.1.1. & 393.1.
allegoricè interpretanti quid obſeruandum ſit. folio. 3.1.
alleuiare & aggrauare quid ſit. 47.2.
Amaritudo radix eſt vnde altera vitia pullulant. 455.& 523.2.
ambitionem fugiendam eſſe. 534.2.
ambulantes in iuſtitia & veritate dei regnum hæreditate poſſidebunt: 151.1.
ambulare eo pacto vt dignum eſt quomodo contingat homini. 450.1.
ambulare in veritate quid ſit. 111.1.
amen duplicitur accipitur. 105.1.
amoris Chriſti cum eccleſia quæ ſit cauſa. 460.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amos vocabulum duobus attributum. 7.1.
Anabaptistarum dogma de politicis ordinationibus ex depravata Pauli sententia. 479.2.
anathema esse quid sit. 316.1.
angeli boni, malis, vt insignibus dei creatoris blasphemare metunt. 492.1.
angeli homines à mittantur ad homines. 559.2.
angeli Simonis liturgia Platonicorum & philosophorum explodunturr. 472.2.
angelorum ordines ab Apostolo recensentur. 440.1.
angulus in scriptura pro quo vsurpetur. 125.1.
anima carnalis quæ sit. 399.1.
anima duplicem habet vim appellatiuam. 398.2.
anima pro vita Hebraismus est. 421.1.
anima per spiritum bene operans, non habet opus lege admonitrice. 400.2.
animalia quadam immunda sunt, non natura, sed significatione. 546.2.
animalis ab anima non ab animali dicitur. 502.2.
animalis spirituali opponitur. 503.1.
animas iustorum discedentes à corporibus statim admitti in cœlum. 410.2.
animi moderatio & agnitus modestia vocatur. folio. 429.2.
animi morbo qui laborare dicantur. 522. 2.
annum placabilẽ quẽ appellet scriptura. 234.2.
annus seu dies mercenarius dupliciter accipitur. 77.1.
ante tibesi quintuplici pulchrè explicantur quædam. 118.2.
ante aduentum Christi nulli erat data potestas remittendi peccata. 596.2.
Apostolis & verbum dei prædicantibus nihil impedimenti accidere potest. 62.1.
apostolorum imitatores nos esse decet quorum conuersatio in cœlis est. 583.1.
apostoli sacerdotes vocantur in scripturis sacris. 236.2.
apostolus gloriatur tribulationum & tentationum nomine. 647.1.
apostolus in sacris literis quid significet. 261.1.
apostoli inter ministros ecclesiæ dignissimum locum tenent. 261.1. & 263.2.
apostolus non officij solum sed & dignitatis est vocabulum. 261.1.
ab Apostolis sancitum est vt defunctorum memoria in celebratione mysteriorum habeatur. 411.1.
apostoli magna charitas declaratur. 531.2.
apostolorum temporibus non apud vulgus sed Episcopos deposita ecclesiæ misteria fuisse. 528.2.
Apostolorum præcepta domini Saluatoris præcepta esse. 493.1.
apostolus sibi conscius fuit, se exactè suum ministerium exercuisse. 431.1.
apostoli quomodo illuminare dicantur. 448.1.
apostolatum Paulus gratiam vocat. 331.2.
apostolorum temporibus receptiora erant prophetarum oracula quàm ipsorum dicta. 489.1.
Appollonius philosophus totum perambulauit orbem virtutes inquirendæ gratia. 677.2.
apprehendendi vocabulum quid propriè significet. 564.2.
Aquæ marinæ Rempub. Aegyptij significant. 32.2.
aqua rubri maris baptismi typus est. 633.1.
aquæ nomine chaos intelligi. 494.1.
aquarum nomine quid significetur. 62.2.
Arabum culpa factum erat, vt ibi nihil diguũ Apostolatu gesserit Paulus. 359.2.
Araratus Armeniæ regio. 163.2.
arbitrari pro rectum habere poni. 288.1.
arbores antiduo florentes perituras esse inditium est. 502.2.
Arca virtus & pulchritudo Israelis dicta est. 500.1.
Archontitis hæretici resurrectionem factam asserũt in liberorum procreatione. 532.2.
argentũ in sacris literis quomodo accipiatur. 13.2.
ariel quid sit declaratur. 128.1.
ariel subnectitur à Chaldæis, eodem. 120.2.
Arioli qui dicti sint. 21.1. & 28.2.
armati debemus esse aduersus diaboli callidissimi hostis nostri fraudes. 672.2.
per arrogantiam perdimus omnem virtutẽ. 402.0.
Ar Moabitarum metropolis. 72.2.
Arnon fluuius est. 75.1.
Ἄσοφοι qui vere dicantur. 275.2.
astra anima carent. 189.1.
Auaritia apud Paulum quid significet. 275.1.
auaritia pro excessu modicis & rationis. 454.1.
auaritia Iudæorum & superbia retunditur. 18.1.
auaros æterna manet damnatio. 29.2.
auarus spinarum aculeis & curis vndique pungitur. 523.2.
Augustini authoritas soluitur dicentis defunctos ignorare quid faciant viui. 24.2.
Augustini Stuchonis error. 598.1.
Aureum vel fictile & hominem non est naturæ, sed voluntatis vel prædestinationis. 534.1.
authoritatem suam apud Hebræos Paulus cur dissimulet. 560.1.
auxilium dei expectandum etiam in persecutionibus. 527.2.
Azotus Palestinæ ciuitas potentissima. 85.1.

B.

Baal appellatiuum Idolũ significat. 324.2.
Babylonia desertum maris dicta. 86.2.
Babylonia regnum diaboli typum habuit. 196.1.
Babylonia typus mundi est. 5.1.
Babylonij nullius potentiæ cum Iudeis conferantur. 129.1.
Babilonij spolijs Iudæorum non sunt facti ditiores. 129.2.
Babylonicæ turris exstructores dispergendi sunt. Baby-

babylonis præclara descriptio. 63.1.675.1.
babylonis turrim qui ædificare spiritualiter dicantur. 582.2.
babylon redigendam ad extremam miseriam prædicitur. 193.1.
babylonis excidium. 675.2.
bacchanalia taxantur. 642.1.
balaam cum sacerdotibus suis arioli erant. 21.1.
baptismata varia esse. 574.1.
baptismi munus proprium quod sit. 302.1.
in Baptismo abrenuntiamus Satanæ, & omnibus vitijs valedicimus. 585.1.
baptismo mundatam esse Ecclesiam contra hæreticos. 474.1.
per Baptismum deriuatur donum baptizatis ad iustitiam. 300.2.
post Baptismũ redire ad vitia, est Deo grauem facere contumeliam. 585.2.
baptismum non requirere pœnitentiam. 329.1.
per Baptismũ noua creatura efficimur in Christo. 551.2.
baptismum non esse signum tantum. 302.1.
baptismi mysterium per omnem vitam meditandum esse. 585.2.
baptismus organum est diuinitus institutum quo Deus operatur remissionem peccatorum. 302.1.
baptismus vnus est, qui iterari non potest à quocunque administratus. 450.2.
baptista Christi & Ioannes Euangelista duo sunt castitatis specula. 666.1.
baptista Christi & Ioannes Euangelista sunt impecato concepti. 666.1.
baptizandos esse paruulos docet. 300.2.
baptizati in Christo omnes accipiũt spiritum sanctum. 686.1.
baptizatis manus imponuntur ad robur, quæ impositio confirmatio est. 574.1.
basan quid sit docet. 16.2.
basilidis hæresis quæ fuerit. 445.1.
basilides negat Christum verè hominem fuisse passum aut mortuum, sed Simonem Cyrenensem eius loco hæc subisse. 470.1.531.
D. Basilij apophtegma. 511.2.
Beatitudo Dei verbum seminantibus promittitur. folio. 148.1.
bel quis dictus sit. 191.1.
bellorum prænunciatio quæ gentes inter se commissura est. 154.2.
benedicendi vocabulum variè exponitur. 435.1.
benedicentur quicunque imitantur fidem Abrahæ & qui fide nituntur. 379.1.
benedicere inimicis an sit præcepti. 333.2.
benedicere pro donis prosequi. 576.2.
benedici quid sit. 379.2.
benedictio omnis in Christo Iesu sit. 250.1.
benedictio spiritualis quæ sit. 435.1.
benedicere ad exemplum vitæ refertur. 348.1.
beneficijs obruendum inimicum. 334.1.
beneficiorum Dei per Christum nobis collatorum frequenter recordari debemus. 458.2.
beneficiorum Dei gratos ac memores nos semper esse decet. 351.2.
beneficiorum nomine Deum patrem & Christum Dei filium esse colendos.
beneficium nati Saluatoris ad omnes omnino homines pertinet. 154.1.
bene pasti ruptis frenis pro arbitrio viuunt. 520.1.
benignitas Stoicis qualis sit virtus. 551.2.
beneficiorum Dei duplex genus. 455.2.
Bernardo familiare est per accommodationem tãtum vti scripturis. 323.1.
beseldel faber ærarius absolutissimus. 21.2.
beth Hebraicum quam vim habeat. 486.1.
beth adhesiones quomodo sumatur. 486.2.
Bibentes ex aqua quam Christus dat non sitient iterum. 196.1.
bibere posse calicem domini occultum Dei donum est Blasphemari quid sit. 284.1.
Bona terra quænam sit describitur. 12.2.
boni non solum perfectio sed initium quoque à Deo est. 407.1.
bonitatis & gratiæ Dei est quod nobis fiat applicatio meritorum Christi. 291.1.
boues triturantes doctores sunt & episcopi. 520.2.
Brabeum proprie stadiorum est. 425.2.
brachiũ domini in scripturis quid significet. 204.1.
bruchus quid sit explicatur. 149.1.
Bucerus & Calumus errant credentes hominem non posse excedere à gratia. 328.1.
butyrũ & mel variè doctioribus explicatur. 49.1.

C.

Caecitas Iudæorum futura prædicitur tempore Christi. 29.2.
cadar & Nabaioth filij fuerunt Ismaelis. 233.1.
cadar quid significet. 180.1.
cælestis patriæ felicitas & delitiæ quantæ. 692.1.
cæli nomine nebulosum hunc aërem significari. 494.2. & 495.1.
cæli dæmonũ peccatũ sustinere non poterant. 630.1.
cæli immutatione non oblitione peribunt. 559.1.
cælos & terram arsuros sub iudicium. 494.1.
cælum & terra post iudicium multo præstantiora erunt. 250.2.
cælum quomodo dicatur obtenebrari. 65.1.
in Cælorum regno neque senex neque infans futurus est. 251.1.
Caim impiorum omnium author & caput 5.1.
calamitas Iudæorum ingens futura prædicitur. 18. & 19.1.22.1.
calamitas Deum nobis ad memoriã reuocat. 112.1.
calix dupliciter accipitur. 613.1.
calix nunc lætanunc tristitiæ signum est. 106.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

calix in literis sacris quid significet. 205.2.
Calumi argumentum eluditur. 261.1.
caluinus scripturas cogit seruire suis affectibus. folio. 416.2.
calumniator insignis diabolus. 514.1.
capillitium præcipuum est mulierum ornamentum. 24.1.
per carbonem ignitum quid intelligatur. 27.2.
carmelus mons optimus dicitur. 24.1.
caro omnis cur dicatur fœnum. 76.2.
caro pro imbecillitate apostolo valde familiare. folio. 515.1.
caro variè accipitur in scripturis. 463.1.
caro officina animæ cur dicatur. 398.2.
carnalem quomodo se fatetur Paulus. 307.2.
castitas duplex est. 637.1.
castitatis Mariæ encomium. 665.1.2.
casus Babylonis describitur. 102.2.
cataphrygæ erroris causam vnde sumpserint. 514.1.
cataractæ in sacris literis quid significent. 103.1.
catholicus non est qui Christum et iamnum vt roget patrem inuocat. 314.1.
cauda cur plebei primores autem dicantur. 83.2.
Censuræ Ecclesiasticæ non sunt contemnendæ. folio. 564.1.
centurio quis propriè dicatur. 21.1.
cerinthus & eius complices Asiæ Ecclesiam sua prædicatione conturbant. 434.1.
cerinthus Christum resurrecturum dicebat tantũ in extremo iudicio. 531.1.
certum genus hominum semper in epistolis respiciunt apostoli. 489.1.
Chirographus ad nulla se extendit. 107.1.
chirographum seu legem mandatorũ deleuit Christus. 444.2.
christianos veros suam carnem crucifixisse. folio. 400.2.
christiani quibus rebus debeant exerceri. 398.1.
christiani pauci fatentur esse peccatores. 65.2.
christianismus quid requirat. 591.1.
christianis horribile scelus esse posit preces ad pocula redire. 130.2.
christianis peculiari ratione benefaciendum esse. folio. 403.2.
christianos volunt opprimere gentes. 212.2.
christianus alios suæ probitate ad credendum inuitare debet. 16.2.
christianus Emanuele fretus nihil moueri debet. folio. 65.2.
christianos, populum acceptabilem esse. 551.2.
ad Christianos semen Abrahæ spectat & promissio facta illo. 587.1.
christianus quanta vitæ puritate pollere debeat. folio. 62.1.
christianus omnes vitæ suæ actiones mortem denique ad Dei gloriam referre debet. 339.2.
christi concionum vis & energia quanta fuerit. 196.2. & 617.1.
christi exemplo de nobis humiliter sentire debemus. 414.2.
christi fidem qui non receperint damnabuntur. folio. 234.1.
christi magnitudo angelorum reparatione effertur. 358.2.
christi maiestas describitur. 387.2.
christi modestia & mansuetudo depingitur. folio. 179.1.
christi passio sufficiens non fuit ad conuersionem gentium. 470.1.
christi potentia qua in re maximè eluceat 244.1.
christi encomium. 686.2.
christi virtute omnia mala nos posse superare. folio. 663.1.
christi Sacerdotium æternum esse. 572.1.577.2. & 580.2.
christum cum Aarone confert Paulus. 570.2.
christum cum Mose in multis componit Paulus. folio. 566.2.
christum confitentes munificos esse decet erga Ecclesiastas. 552.2.
christum verum Deum esse testabitur omnis creatura. 190.2.
christum esse Deum conuincit Paulus. 265.1.
christum induere quid sit. 337.2.
per Christum duo nobis præstita esse docetur. 351.2.
christum multi quidem quarant in initio, sed non perseuerant. 25.1.
christum in propria venientem cur tam pauci recipiant. 218.1.
christum qui non recipiunt verè cæci sunt & miseri. 202.1.
christum aduenientem qui exceperint, verè beati ac felices. 281.2. 614.1.
christum desiderauerunt prophetæ, quem contemnunt Iudæi impij. 209.1.
ad Christum vt quis venire possit gratia opus habet. 215.1.
per Christũ solum reconciliari nos posse. 471.2.
christum totius Ecclesiæ principem & caput esse docetur. 440.2.
christo omnia subiecta esse quomodo intelligatur. 561.2.
christo qui adhæserit nullas vnquam metuet aduersitates. 249.1.
christus abscissus de terra viuentium quomodo intelligatur. 210.2.
christus ad homines non ad angelos liberandos venit. 564.2.
christus adoptauit nos in Dei filios. 613.2.
christus aduocatus noster & mediator. 14.2.
christus agnus ex Moab processurus. 74.1.
christus inter homines homo obambulans Iudæos reprehendit. 16.2.
christus angulus cur dictus sit. 125.1.
christus dispersionem Israelis in vnam Ecclesiam congregauit. 61.1.
christus cur offensionis lapis sit factus. 320.1.45.2.
christus cur voluerit circuncidi. 620.2.
christus cur nos sua voluerit passione & non alio modo redimere. 562.2.
christus fuit Angelis & nomine & adoratione præstantior. 558.1.
christus Dei filius, non adoptione sed naturæ est. folio. 554.1.
christus nobis seipsum tradidit. 63.1.
christus despectus fuit in cruce. 28.2.
christus Deus est indutus se naturæ cũ patre. 695.1.
christus diabolum spolijs suis exuet. 200.2.
christus fortitudo nostra & aduersus omnes nostros inimicos. 105.2.
christus nomenclaturam à rebus ipsis fortitus est. folio. 613.2.
christus optimi concionatoris dona habuisse probatur. 202.1.
christus & apostolus & pontifex confertur, cũ Mose & Aarone. 567.2.
christus in terris cum versaretur, voluntati patris per omnia obtemperauit. 197.2.
christus in extremo iudicio, grauis & intolerabilis
christus Bethleem quod sit quærendus. 695.1.
christus iustus & oriens cur sit dictus. 174.1.2.
christus à captiuitate nos, nullo nostro merito absoluit. 189.1.2.169.1.2.
christus lux mũdi & Dei gloria cur dicatur. 232.1.
christus moriturus erat sed non perituras. 60.2.
christus natus est toti mundo. 198.1.
christus nõ sic nos tractauit vt ipse à vinea sua tractatus est. 117.2.
christus non respicit personam. 693.1.
christus omnia peccata nostra in cruce pertulit. folio. 630.1.
christus omni genere malorũ exercitatus est. 570.2.
christus omnibus obtemperantibus sibi meruit immortalitatem. 528.1.
christus per omnia similis nobis fuit excepto peccato. 563.2. 564.2.570.2.
christus postponit curam corporis, quo possit expeditius Dei verbum annunciare. 637.1.
christus ostium prophetarum quorum sensus ab ijs petendus est qui à Christo sunt edocti. 489.1.
christus non nobis solum sed sibi etiam meruit. folio. 417.1.
christus nobis author est pacis tranquillitatis & reconciliationis. 296.1.
christus pro omnibus mortuus est & satisfecit licet non omnes saluentur. 562.2.
christus quomodo declaratus sit filius Dei. 262.2.
christus quomodo finis legis dicatur. 321.1.
christus qui legis author est, quam terribili modo tulit, etiam abrogare potest. 385.1.
christus sanctarum cogitationum omnium author est. 637.2.
christus seminator verbi Dei à patre exijt. 637.1.
christus quo sensu pro nobis interpellat. 314.1.
christus seruus qua ratione sit dictus. 197.1.
christus seruus non est. 415.1.
christus suo imperio dæmones spoliauit ac eos velut in triumphum duxit. 475.2.
christus fituit nostram salutem. 211.1.
christus per omnia similis Deo patri fuit. 621.1.
christus solus superauit diabolum cum suis asseclis. folio. 241.1.
christus tempore pascæ cur maluerit in deserto quã Hierosolymis. 657.1.
christus velut iniecta manu quosdam ad se trahit sicut Paulum. 425.1.
christus tentatus quomodo intelligatur. 565.1.
christus vere habuit corpus mortale doloribus obnoxium & quare. 362.1.
christus vocatus fuit Dei & Mariæ filius. 662.2.
christus vt altissime descendit, sic ascendit quo altius non potuit. 431.2.
christus vtriusque naturæ est particeps factus. folio. 178.2.
Cibi aliqui an mali sint aut immundi. 341.1.
ciborum delectus & abstinentia secundariò spectat ad regnum Dei. 342.1.
cibus communis quis dicatur. 34 1.2.
cilicium quid significet. 85.1.
cinguli duplex acceptio. 94.1.
circuncidendum esse totum corpus, non vnicum membrum. 614.2.
circuncisionis Christi elogia. 474.2.
circuncisio cuius admoneat Iudæos. eodem.
circuncisio in quem finem sit instituta. 345.2.
circuncisio obsignauit iustitiam fidei & clausit. folio. 292.1.
circuncisio signum tantum fuit non habẽs uim iustificandi. 292.1.
circuncisio vera cordis est. 282.2.
circuncisionis vocabulo quomodo vtatur Paulus. folio. 282.1.
Clamare magis affectus quam vocis est. 389.1.
cladis Aegyptiorum ingens. 143.2.
per claues Ecclesiæ munera designantur in arcanis libris. 941.1.
claudus in scripturis quomodo accipiatur. 685.2.
clemens Alexandrinus Paulum in coniugatorum catalogum reiecit. 429.1.
clerus Hierosolymæ Dei voluntatem ignorat. 122.1.
Cœnobia cur instituta sint. 53.1.
cœtus Christi vtrumque populum complectitur. folio. 212.1.
communicare pro commutare. 432.2.1.
concio idiotæ cui respondet vita, pluris est quam doctissimi viri dissidentis vita. 641.1.
concionator debet esse inculpatæ vitæ. 657.1.
concio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

concionatori eruditione potißimũ opus est. 675.2.
concionatoris officium pingitur. 675.1. & 550.1.
conciones omnes Pauli crucem & resurrectionẽ habebant. 377.2.
conciliatio locorũ qui dißidere videbantur. 284.2.
concisionis & circũcisionis quod sit discrimẽ. 421.2.
concupiscentiæ motus an sint inuoluntarij & peccata propriè dicta. 314.1.
concupiscentia in renatis quomodo dicatur peccatum. 309.2.
confessio generalis taxatur. 629.
confidentes in dominum ab eo proteguntur. 185.1.
considere non semper certitudinem includit. 315.2.
confirmationis sacramenti pixiphrasis. 574.2.
cognitio sui, quam sit vtilis. 601.2.
cognoscere quos dicatur Deus. 324.1.
congregatio gentium ad Christi ecclesiam. 200.1.2.
conscientia pro vita familiare Paulo. 526.2.
consolari nos debet quod Christus nos pro fratribus agnoscat. 563.1.
consolatio electorum. 114.2.252.1.
contemptus post peccata ex desperatione Deo maximè displicet. 93.1.
contra conscientiam palam agens exponit se graui periculo. 345.1.
contritum spiritum quem appellet scriptura. 252.1.
conuersio gentium ad fidem prædicitur. 47.2. & 160. 1. de conuersione cordis ad Deum non possumus certi esse. 147.2.
conuiuium lautißimum est vitæ æterna. 106.1.
cordis ad Deum conuersio non constare debet fide, de misericordia Dei. 321.2.
coronandi vocabulum Hebræis copiam significat. folio. 561.2.
corpora nostra non esse mactanda sed viua offerenda. 331.1.
corpus carnis Paulo est corpus carneum. 474.1.
corpus Ecclesiæ augetur & perficitur, si singuli suum officium præstant. 477.2.
corpus est animi officina & domicilium. 601.1.
cornu in sacris literis quid sit. 27.2.
Creatura dupliciter accipitur. 272.1.
credentium quanta paucitas. 27.2.
credere in Christum quid sit. 614.2.
credere quid sit apud Paulum. 267.2.
crimine vacare quomodo situm sit in nostra potestate. 544.2.
crucis inimici qui sint. 679.2.& 689.
crux Christi Iudæis est scandalum. 252.1.
crux Christi quo nos vocet. 427.2.
Cultum iustitiæ silentium esse. 147.2.
cupiditates facilè contemnet qui vitæ æternæ semper recordatur. 595.1.
Cyrus Rex Persarum optimè de Iudæis meritus est. folio. 173.2.
Cyrus Persarum rex vniuersum orbem sibi subiugauit. 189.2.
Cyrus Rex Persarum Christi typum gessit. 173.1. 183.1.

D.

Damascus, Metropolis Syriæ. 77.2.
damasci prænuntiatio. 77.2.
Dauid, ad festi celebritatem inuitat populum, 94. Psalmo. 567.1.
dauidi, Deus promissa præstitit. 216.1.218.2.219.1.
dauid in omnibus Domini præceptis, se promptum & paratum exhibuit. 625.2.
dauidi, prædictum esse Christi regnum, ac vulgo etiam creditum. 558.2.
dauidi de Christo, promissionem esse factam. 557.2.
Decanus, à decem viris, quibus præsit, denominatur. 21.1.
decreta conciliorum & pontificum non sunt præter Euangelium. 354.2.
decreta pontificum reijciunt Lutherani. 480.1.
delectum ciborum, apostoli & Ecclesia instituit, non quod immũdi sint cibi, sed quod vtile sit. 547.1.
delibare & delibatio, quid sit. 327.2.
delictum & peccatum, quomodo differant. 441.1.
Dæmonum astutia, notatur. 267.1.
dæmonum descriptio, quæ est Apulei reprehenditur. 679.2.
dæmones incorporeæ naturæ esse. 671.2.
dæmones, magna rerum cognitione præditi sunt. 675.2. à desperatione, summopere cauendum, ac ad Dei misericordiam confugiendum. folio. 176.2. 716.1.
Dei aduersus Iudæos, ingens affectus. 243.1.
dei auxilium non imploramus, nisi aduersis coacti. 605.1.
dei filius natus in hac est, vt, nos à peccati captiuitate liberet. 184.1.
dei filio nemo credit, nisi patris benignitate huc productus. 184.2.
dei gratiam, pijs precibus in nobis excitandam esse. 570.1.
dei magnificentia, multis laudibus in cælum effertur. 113.2.
dei magnitudo & potentia, quanta sit. 170.2.
dei mandata, cur tam facilè transgredimur. 583.2.
dei misericordia, & ingens bonitas describitur. folio. 605.2.606.1.
dei promissa vera, & firma esse. 203.2.
dei vtile, pro desyderare & cupere. 509.1
deo nihil impossibile, aut difficile esse. 170.1. & 604.2.662.2.
deo nihil esse absconditum. 684.1.191.2.
deo reddendam nobis esse omnium rationem. 570.1.
depositum apud Deum ponit, qui hic boni aliquid facit. 528.1.
deum glorificare vt Deum, quid sit. 272.2.
deum ignorantes, mortaliter peccare. 277.1.
deum non esse mali authorem. 273.3.

Deum non pœnitet electionis aut vocationis. folio. 329.2.
Ad Deum comparati homines, nihil pœnitus sunt. 170.2.
deum non omnes inueniunt, qui eum quærũt. 626.1.
deus ad tempus vult sanctos suos in monumentis quiescere. 112.2.
deus amantes se non deseret. 656.2.
deus author est, stabilis & perpetuæ generationis. 175.2.
deus carnem nostram induit, vt ipsum imitari possemus, 584.2.
deus cur nos præ cæteris gentibus elegerit, ac ab alijs separauerit. 584.2.
deus etiam illos reprehendit aliquando qui sibi nullius mali conscij sunt. 224.1.
deus quod sit fidelis, & verax docetur. 139.1.
deus fidem promissi, gemino obstrixit vinculo. 577.1.
deus in omnibus temporis rationem obseruat. 127.1.
deus, quomodo hominem tentare dicitur. 655.1.
deus suos inuitus punit. 126.1.
deus liberabit populum suum, à potestate diaboli. 208.1.241.1.
deus impios supplicio afficiens, non egredietur limitestationis. 118.1.
deus non est timendus ab his, qui benè operantur.
deus nobis auxilium suum subtrahit aliquando, vsque ad extremam necessitatem. 382.2.
deus nos cum adhuc inimici essemus, sua misericordia liberauit. 224.2.
deus nos non iustificat, nisi voluntatis nostræ consensu accedente. 207.2.
deus occultum esse voluit qui pertineant ad partem diaboli, qui non. 535.1.
deus omnibus saluandis venit. 289.1.
deus pater, omnia voluit vocare ad vnum caput Christum. 437.1.
deus orantibus, dare postulata paratus est. 642.2.
deus potestatem aut magistratum, non singulos principes instituit. 335.1.
deus punit peccatores inuitus. 13.2.
deus quanta in carne, pro nobis sit passus docetur. 584.1.
deus quomodo homini similis, quomodo nõ sit. 600.2.
deus quietisse dicitur metaphoricè & typice, ad nos relatum. 569.1.& 2.
deus quod vniuersa inspiciat, debet versari perpetuo in mente nostra. 703.1.
deus quomodo dicatur irasci. 32.1.
deus reconciliatus est nobis, per filium suum. 117.2.
deus reddendi debitis, seruat proportionem. 279.2.
deus regẽ Achaz iam desperantẽ consolatur. 38.2
deus sit similis est agricolæ, in opere suo. 126.1.
deus vendidit nos diabolo, permissiuè. 207.2.
deus verbo suo, contrarius est peccatores. 175.1.
deus vineam suam sedulò seruat. 117.2.
deus vltrò Iudæis offert suã gratiã. 40.117.3.
Dextra & sinistra, quomodo deo tribuantur. 556.1
dextra data, phrasi Hebraica quid sit. 367.2.
Διατηρήσεις, traditiones Thalmudicæ, & cerimonialia Mosis fabulas appellat Paulus. 146.2.
Diaboli insidiæ, deleguntur. 673.1.
diaboli potestatem, sua incarnatione Christus fregit. 207.2.
diaboli potestas, in infima est orbis parte. 671.2. 670.1.
diabolo oppresso, gaudium erit perpetuum. 115.1.
diaboli suggestionibus. aures occludere debemus. 604.1.
cum diabolo, pugna grauior, quam cum cæteris inimicis. 463.1.
diabolum Christiani metuere non debent. 214.2.
diabolus calumniator est insignis. 455.1.
diabolus callidißimus est noster aduersarius. 463.1.
diabolus cur dictus sit serpens. 214.2.115.1.
diabolum dici vectem, quomodo intelligatur. 114.2.
diabolus hæreticos ad pugnam armat. 463.1.
diabolus tam imperij potestatem habuit, vt ad duplicem mortem pertraheret homines. 563.2.
diabolus insidias struit fidelibus hæreticorum ministerium. 462.2.
Dies pro pura Christianissimi cognitione ponitur. 489.1.
Differre sapientiã à prudentia. 321.
difficillimi fuisse, Iudæis persuadere Messiam promissum, ad Gentes pertinere. 344.2.
Dilectio, electio & prædestinatio, quem inter se ordinem habeant. 463.2.
dilectus esse potest, qui non sit dignus diligi. 480.1.
diligentia nostra ad dei dona accedere debet. folio. 486.1.
Dionisij Carthusiani lapsus ostenditur. 6.2.
Discipuli gaudium & corona erant Paulo, & quomodo. 428.1.
discrimen ciborum sublatum esse per Christum. 339.1.
discrimen holocausti & hostiæ proponitur. 11.2.
diues epulo, cur in lingua potissimum cruciatus sit. 616.1.
diuinationem quandam esse licitam. 17.2.
diuinæ naturæ consortium vnde nobis eueniat. folio. 466.1.
diuitiarum & cupiditatum contemptus. folio. 595.1.
diuitiarum vocabulum quid significet. folio. 377.2.
diuitiæ damnandæ non sunt, sed cupiditas illarum. 513.2.
diuitias esse incertas & prorsus instabiles. folio. 525.1.
Docentis partes, ex natura & politia sunt, metiendæ, non ex spiritu. 516.1.
doctorem nostrum Christum & spiritum sanctum nobiscũ permansurum, vsq; ad finẽ sæculi. 139.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Docti à Deo qui dicantur in sacris literis. 214.1.
doctorum multitudo sine delectu hæreseos & partium est occasio. 539.2.
doctrinæ puritatem iuueni difficile est seruare. 528.1.
doctrina vera & Christiana quæ sit. 506.2.
doctrinas varias sequentes temulentos esse. 535.1.
Dolor variè accipitur in scripturis Hebræorum. folio. 527.1.
Domini vocabulum in literis arcanis soli Deo attribuitur. 180.1.636.2.
dominis seruire duobus fieri non potse. 126.1.
dominus omnium certo non rerum scribitur loco. folio. 252.1.
dominus cur Deus dicatur. 252.2.
dominus propter immensam suam misericordiam vix adduci potest ad sumendam vindictam de impijs. 116.1.
domus pars Moses fuit, cuius architectus Christus deus est. 556.1.
Dona fidelibus largitur Deus, vt lapsos per peccatũ erigat. 451.2.
donum cœleste remissio est peccatorum. 574.2.
Dosithæi & Iudaizantium patientia insana. 547.2.
dosithæorum hæresis qualis fuerit. 477.1.
Dromedarij in arcanis literis quid significent. folio. 233.1.
Duplex populus quis sit explicatur. 284.2.
duri homines seuerè & ad vsum sunt castigandi. fol. 546.2.

E.

EBrietas animo pariter & corpori nocet. folio. 513.1.
Ecclesia Christi apud quos sit vetus est controuersia. 705.2.
ecclesia Christi ex Iudæorum semine orta est. 708.1.
ecclesia Christi æterna est. 153.1.
ecclesia Christi latissimè dilatanda prædicitur. 212.1.
ecclesia Christi bonos pariter & malos complectitur sub vnius præsulis authoritate. 533.2.7.10.
ecclesia cibos nullos damnat, sed eorum vsum præscribit, vt concupiscentiæ refrenari possit. 516.2.
ecclesia Dei & Christus huius caput vnum tantum corpus efficit. 198.1.2.
ecclesiæ caput Petrus, cur dicatur fundamentum, quod Christo competit. 712.1.
ecclesia amœnissimis fluuiorum locus dicitur. 153.1.
ecclesiæ doctores & custodes assiduè orare debere. folio. 36.1.
Ab ecclesia lege lata de ciborum delectu & ieiunijs iam non licet quibuslibet vesci. 339.2.
ecclesia loco neq; ætati aut nationi est alligata. folio. 706.3.
ecclesiam Christus Petro commisit. 711.2.
ecclesiam suam nunquam deseret Christus. folio 117.2.199.2.
ecclesia nostra vna est cum ea, quæ cœpit ab origine mundi. 708.1.
ecclesia nõ damnat cibos aut nuptias, tanquam per se noxias. 516.1.
In ecclesia permanendum est, si salutem consequi volumus. 714.1.
ecclesia primitiua quatenus ex gentibus constabat, primum quidem sterilis erat, deinde fœcunda. folio. 394.2.
ecclesia non temere requirit in sacerdotibus cœlibatum, & alia quædam. 519.2.
ecclesia secatur in duas partes. 706.1.
de ecclesia sententia Ioannis Huß recensetur. 709.2.
ecclesiastæ indocti animam esurientem reddunt inanem. 14.3.
ecclesiastica officia non sunt temere suscipienda. folio. 36.1.
Pro ecclesiastica fide & repub. catholica, prælatus ecclesiæ quomodo se gerere debeat. 220.1.
Edom, cuius sit regionis vocabulum. 240.1.
Ego dominus, cur ad singula ferè præcepta replicetur. 583.2.
Effœminati nominentur. 21.2.
Eleale ciuitatis nomen, in terra Moab, 13.1.
electio Dei gratuita & non nostri meriti est: 585.2.
electio et prædestinatio præter meritum etiam Christi contingit. 435.3.
electio misericordiæ est non debiti. 317.2.
eleemosyna fructus cur dicatur. 247.1.
eleemosyna larga est faciendа. 656.1.
eleemosynæ sine acceptione personarum est distribuendæ. 403.1.
elementa mundi sunt philosophorum dogmata. folio. 473.2.
elementa mundi Paulo sunt principia. 388.1.
elementa quæ & quomodo sint infirma. 190.2.
elementis mundi mori quid sit. 477.2.
Emanuel diu quum esset promissus, tandem venit. folio. 663.1.
emanuel venturus promittitur. 661.1.
emanuelis vocabulum quid significet declarat. folio. 49.1.2.
Encomium canit in aduentum Messiæ 694.1.
enallage in scripturis frequens. 235.1.
energia & vis Græcarum vocum quanta sit. 333.1.
ἐνεργεία & ἐνέργεια quid sit Paulo. 447.2.367.1.
Epicuræi dicunt Deum non curare mortalia. 133.1.
Epicurus suo dogmate mortalitatem animæ asseruit. 92.2.
Epimenides Cretensis poeta citatur à Paulo in lib. de oraculis. 546.2.
ep hesiorum epistolam Romæ scriptã. 464.1.
Epiphanius aduersus Simonem, Menandrum Basilidemq; hæreticos scripsit. 489.1.
episcopi dignitate presbyteris sunt præstantiores. folio. 345.1.
episcopi & doctores qui suo munere non funguntur, boues

boues sunt non triturantes, quibus iure diuino non competit salarium. 521.1.
episcopi etiam curati, dicti sunt. 511.2.
episcopi nomen sanctum, vt taciam quæ extra illos sunt, ipsis imputentur. 544.1.
episcopi vocabulum speciale, docetur ad quos suis sacerdotes non spectare. 511.2.
in Episcopo maximè requiritur, cognitio scripturarum, quæ vt olim ita hodie etiam vehementer desideratur. 545.2.
episcopos luculento salario alendos esse comprobat. folio. 520.2.
episcopum, rectè fungentem suo munere Saluatorem esse. 518.1.
episcopus an vxorem habere debeat, aut etiam possit. 544.1.
episcopus dignitatis nomen, quod tamen non habet ex etymologia. 261.2.406.1.
episcopus diuitiarum contemptor esse debet. 545.1.
episcopus non ordinatur qui mortua vxore secundam duxerit. 544.1.
episcopus quibus debeat esse virtutibus ornatus. folio. 514.1.
episcopus in ecclesia hoc est aliquo modo quod maritus in familia. 512.1.
episcopus suo munere indignus est qui suæ vxori defunctæ non seruauit fidem. 512.2.
epistola ad Romanos partim Didactica est, partim Ethica. 258.2. ex Epistola ad Titum, concionum themata esse sumenda. 550.1.
epistolam canonicam secundam, Petrus iam senex scripsit. 487.2.
epistolæ ad Hebræos, quis sit scopus. 553.1.
epistolæ secundæ Petri, & Iudæ. Canonicæ Epistolæ idem est argumentum. 485.
Erasmus Rot. in versione sua, noui testamenti probatur. 566.1.
Esaiæ concio tam ad nos spectat, quam ad sui temporis populum. 218.2.
esaias cur vaticinatus sit, causa aperitur. 6.2.
esaias in bonorum recensendo catalogo, à particularibus ad vniuersalia progreditur. 154.1.2.
esaiæ cadis causa ostenditur. 10.2.
esaiæ vaticinij tempus declaratur. 7.2.
esaias cum Cherubim, dominum laudare non audet, reputans suorum pollutionem labiorũ. 25.1.
esaiæ duo secreta, arcanaq; mysteria reuelata esse. folio. 102.2.
esca, natura sua res est indifferens, si cum offendiculo sumatur mala. 342.1.2.
esurire sciunt multi, saturari autem pauci. 432.1.
Ethnici philosophi, si quid redarguunt, id non à lumine manifestari. 457.2.
etymologia nominis Melchisedech, explicatur. 578.1.
etymologia nominis Pauli, varia est. 260.2.
Euanescere in cogitationibus, quid sit. 272.2
euangelij lucem non consequuntur, qui Christum reijciunt. 224.1.
euangelij nomen quando, exortum. 43.1.
ab Euangelio se subtrahunt, qui huius mundi delitijs deliniuntur. 181.1.
euangelij fides, in luctam est. 412.2.
euangelij tempus, nouissimum tempus esse. 502.2.
euangelij magna fiducia, vsus est Paulus. 361.1.
euangelium prædicandum, per vniuersum mundum. 180.1.
euangelium prædicare debere, reliquias Iudæorum folio. 256.2.
euangelium quid sit, eiusq; laus explicatur. 263.2.
euil meredoch, à patre detentus fuit in carcere. folio. 69.1.
euil meredach regnauit post mortem patris. 69.1.
Excecare, aut in errorem inducere, quomodo Deus dicatur. 130.1.362.
exemplo docet Apostolus, non profuturum Euangelium, nisi in fide perstiterimus. 568.1.
exemplo militum & agricolæ, ab ocio Episcopum deterret Paulus. 530.2.
ex fide in fidem, quid significet. 268.2.
exhortatio Pauli, ad virtutis studium. 303.2.
exemplo vita docere, docendi genus est efficacissimum. 431.1.
extendere se ad priora, quis dicatur in sacris. folio.
exterminandi bello, Aegyptij. 81.2.
Ezechiam Regulũ, facit propheta & morbus. 163.2.
ezechiæ. 71.1.
ezechiam deseruit Deus, propter superbiam. 167.1.
ezechias cur fleuerit. 164.1.
ezechias moriturus, vitæ suæ innocentiam Deo aperit. 163.2.
ezechias Rex Iudæ, administrabat iudicium secundum veritatem. 75.1.

F.

FAcere leuius, quam consentire. 276.1.
facies quid denotet in scriptura. 197.1.
fames, quid in scripturis significet. 206.1.
fascia quid. 25.1.
fascia, vinculum, & tela in sacris quem habeant vsum. 107.1.
fascinum pueris potissimùm nocere creditur. folio. 377.2.
Festorum obseruatio, & delectus ciborum ecclesiæ, non sunt à Paulo reprehensa. 479.2.
Fide & longanimitate, consequimur promissiones. 576.1.
fidei, ab hæreticis omnia tribuuntur, operibus verò nihil. 12.2.
fidei vnitas, sepsest ecclesia. 223.1.
fideles per spiritum, mira possunt, ad quæ antè erãt imbecilles. 567.1.
fideles pertinere ad Christum, non ad Legem. folio. 387.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in fide stabiles esse oportet, alioquin frustra Christo insiti sumus. 567.2.
fide liberamur à mœtu mentis corporis, spe autem à metu mortis animæ. 564.1.
fidem irritam facere, pro vota violare, aduersus Lutheranos. 520.1.
fidem iustificare, quomodo intelligatur. 288.2.
fides Abrahæ, qualis fuerit. 290.2.
fides Dei, pro veritate ponitur. 283.2.
fides efficaciam operandi, habet ex charitate. 396.1.
fidem esse initium substantiæ, quid sit. 567.2.
fide sola iustificari hominem quomodo verum sit. folio. 373.2.
fides in Scripturis, perpetuo respicit Christũ. 466.2.
fides facit, vt contempto fomite, auscultemus spiritui. 376.2.
fides in sanguine Christi, qualis sit. 287.1.
fides mulieris Chananeæ, plurimum laudatur. folio. 653.1.
fides multis modis accipitur. 269.1.
fides apud Paulum, qualis sit, quæ iustificat. 286.2.
fides non meretur remissionem peccatorum, nisi gratia interueniente. 184.2.
fides pro dispositione, vt ei applicentur merita Christi. 288.2.
fides pro donis, quæ credentibus dantur. 331.2.
fides pro virtute ponitur, Christo tributa. 149.2.
fides à Paulo, quomodo accipiatur. 268.2.
fides quomodo & nostra, & non nostra dicatur. folio. 442.2.
fides quæ laudem meretur, qualis esse debeat. 653.1.
fides Euangelica, longe alia est ab illa, quam hadie quidam iactitant. 653.1.
fides, semper Christum Iesum respicit, in Scripturis. 618.1.
fides sola, non sufficit homini ad iustitiam. 596.1.
fiducialiter petit, qui intelligit Christum regem, & Sacerdotem agere. 572.1.
fiduciam de possidenda æterna requie, ne obijciamus, monet Paulus, exemplo Israëlitarum. folio. 569.2.
fiducia spei ad Deum, nascitur ex operibus boni. folio. 575.2.
fiducia seu παῤῥησία. quid sit exponitur. 448.2. 556.
filia Syon, periphasis Hierusalem, frequens apud prophetas. 239.2.
filiæ Syon, quæ sint dictæ figuratè. 24.1.
filij Dei, non ex naturæ propagatione, sed gratia & electione æstimandi. 317.1.
filij Dei humilitatem, & gloriam eximiam, sæpè animo reuoluere expediet. 556.1.
filij Dei nomen, longe excellentiùs est quam angelorum. 556.1.
filij Dei æternitas, ac diuinitas conuincitur. 557.1.
filij desertores, qui dicantur. 135.2.
filios Dei esse, qui per Spirum excitantur, ad appellandum patrem. 389.2.
filium ad dextram Dei patris sedere, quid sit. folio. 559.1.
filium Dei, Paulus radio, à sole, velut à patre procedentem, comparat. 555.1.
filium eiusdem naturæ esse cum patre. 572.2.
per filium accessum habemus, ad patrem, idque duce spiritu. 445.2.
finis, multiplex significatio. 505.1.
Fomes viget in nobis. 376.2.
fomes, peccatum dicitur, cuius causa est. 303.1. 306.2.
fomes quomodo lex peccati, dicitur. 308.2. & Lex mortis. 309.1.
fomes sopita latet, interdum mox pululat. 306.2.
fontes aquarum, Sacræ scripturæ sunt. 19.1.
fornicatio spiritualis, quæ sit. 13.2.
D. Francisci dictum, memorandum. 506.2.
Fragilitas omnium hominum subita. 169.2. & 171.2.
fraterno amore, quilibet Christianus, quemlibet fidelem, prosequi debet. 333.1.
fraudes & dolos hæreticorum taxat, quibus hodie multi capiuntur, à nouis hæreticis. 536.2.
frenum erroris, diaboli potestas vocatur. 141.2.
frustra impendimus operam, in rebus inutilibus. 216.1.
fructus labiorum dicuntur, quod orando obtinemus. 224.1.
Fumus in scriptura, quid significet. 27.1.
fundamentum, ratio & consilium Dei immotum. folio. 533.2.
furor, & ira quid sint. 455.2.
furta adulteria, falsa dogmata, &c. abnegare, non est difficile, sed his valedicere. 549.2.

G.

GAlatæ, pecudum ritu à falsis apostolis fallebantur. 378.1.
Galatis epistolam, Paulus propriis articulis scriptam misit. 403.2.
Gallim, ciuitatis nomen quæsita est in finibus Moab. 73.2.
gaudere in domino quid, sit. 421.1.
gaudium de Christi aduentu prænunciatur. 184.2.
gaudium magnum futurum, prædicit Esaias, post liberationem generis humani à captiuitate. 204.1.
gaudium mundi omne cessabit in die Iudicij. 101.1.
gaudiũ Pauli, vincula & afflictiones erant. 407.2.
gaudium saluandorum, in extremo iudicio. 141.2.
geneseos intellectum, bona pars ex Paulo pendet. folio. 381.2.
gentes credentes in Christum, gaudisuras, se talem sortem nactas. 236.2.
gentes feras & barbaras, relictis legibus patrijs, Euangelio subiecisse colla, miraculo dignum est. 315.1.
gentium conuersione, vsus est Deus ad salutem Iudæorum. 326.2.
gentes generalis nationis vocabulum. 379.2.
gentium inter se, bellorum concursum, prænunciat propheta. 100.2.
gentium arrogantiam reprimit apostolus. 327.2.
non Gentibus, sed Iudæis misericordiam promissam. 344.2.
gentes eruendæ esse à potestate diaboli. 154.2.
gentes Iudæorum locum obtinent. 581.1.
gentes promissiones Israëli factas, accipient. 185.2. 159.2.
gentes, quæ fidem amplexuræ sunt, arrabonem spiritus accipiunt. 177.1.
gentes taxantur, propter suam Idololatriã. 170.2.
gentes, pares in promissione cum Iudais, quomodo non sit reuelatum antiquis patribus, & prophetis. 447.2.
gentes verã Dei fidem amplexuras prænunciatur. 146.2. 154.1. 147.1. 174.1. 176.2. 232.1. 233.2.
gentium ad fidem vocatio prophetatur. 216.1. 219.2. 23.2. 238.1.
gentium & Iudæorum mutuum odium, quantum fuerit. 444.1.
germanus filius, quis dicatur. 504.1.
Gith, genus frumenti quale. 127.1.
Gladio verbi Dei, vsus est Christus contra diabolum. 404.2.
gladij nomine, in scripturis quid accipiatur. 255.2.
gloria Dei, cur pro iustitia ponatur. 287.1.
gloria hominum, in corpore vana est. 677.1.
non Gloriandum, in rebus turpibus. 420.1.
gloriandum, in sola cruce domini nostri Iesu. 679.1.
gloriantes in corporis donis, castigantur. 6 76.1.
gloriantur quidam impiè, in flagitijs & sceleribus suis. 679.2.
gloria pro gratia, & misericordia positum. 489.2.
gloriæ siue δόξαι, variè sumi. 500.1.
Gnostici hæretici, à scientia nomen habent, quam iactitabant. 525.2.
gnostici ἐπιστημονικοὶ dicti. 493.1.
gnostici, Christum verè natum, passum, resurreisse, imò verè Christum fuisse negabant. 496.1. 499.2. 498.2.
gnostici conspurcant se libidine. 486.1.
gnostici Christianam religionem constituunt, in astrologia & alijs. 472.2.
gnostici hæretici, vnde dicti. 427.1.
gnostici, Iudicium non futurum, cur persuadere conabantur. 502.1. 493.2.
gnostici prædones sunt. 473.1.
gnostici studio cognoscendi, solum diditi. 487.1.
gnosticorum hæresis, quàm diu duranerit. 493.2.
gnosticorũ impuritatẽ, palàm facit Paulus. 501.2.
gnosticos, in veteri testamento, fuisse præfiguratos. 501.1.
Grando, tonitru, & similia in scripturis, iram Dei significant. 147.2.
gratia Christi, & electionis quæ sit. 314.2. &c. 352.2.
gratiæ Christi est, quod non dominetur nobis peccatum. 170.1.
gratiæ Dei, iustificationem nostrã debemus. 184.2.
gratiæ, Deo semper agendæ, misericordiæ suæ potissimum nomine. 241.2.
gratiæ diffidunt, qui aliunde quærunt iustificari. folio. 396.1.
gratiæ præconium, in Paulo singulare. 358.1.
gratiam oblatam, Iudæi repellunt & reprobi fiunt. 246.1.
gratiam omnibus datam esse, non nostro merito, sed Dei voluntate, qui quantum vult cuique dat. 451.1.
gratiæ, varia acceptio. 264.2. 263.2.
gratias agere Deo, quid sit. 272.2.
per Gratiam, relicta esse septem millia virorum in Israel. 325.1.
gratias agere domino debemus, immensorum suorum beneficiorum nomine. 702.
gratia vnde dicatur, explicatur. 375.1.
gratia, quomodo operibus repugnet. eodem.
grex domini, vberrima pascua depascet. 248.2.
Gygantes in sacris literis, qui appellati sint. 111.2.

H.

HAbitus, multipliciter accipitur. 416.1.
Hæretici, ab angeli Michaelis modestia, quã longissimè absunt. 500.2.
hæretici aptè, pseudoprophetæ sunt dicti. 489.2.
hæreseos occasionem, præbet impia vita catholicorum. 487.1.
hæretici, authoritatem detrahunt, omnibus scriptoribus, præterquam Biblijs. 35.1.
hæretici, de prophetis male sentiunt volentes eos limphaticorum more prophetasse. 6.1.
hæretici, docendi munus assumunt, non Dei voluntate, sed proprio arbitrio. 466.1.
hæretici docent, securos esse, etiam perditè viuentes, modò fidem habeant. 492.1.
hæretici fontes sine aqua, dicti & inconstantes in dogmatibus. 492.1.
hæretici, habent spiritum compunctionis. 325.1.
hæreticos longissimè abesse, ab Ecclesia. 627.2.
hæretici malos negant esse, in Ecclesia. 459.1.
hæretici neque intrant in regnum Dei, neque alios intrare permittunt. 145.1.
hæretici notantur quòd omnia quæstus gratia, & faciant instituant. 433.2.
hæretici ordinationibus Ecclesiæ sunt infesti. 472.2.
hæretici pro arbitrio recipiunt, & reijciunt, scripturas, quas pro suo genio, iterum interpretantur. 489.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreticis, proprium quid sit. 489.2.
hæretici, quidnis sibi licere putant. 498.2.
hæretici, qui sint dicendi. 555.2. & 552.2.
hæreticis qui confidunt, procul à Christo aberrant. folio. 627.1.
hæresis, vnde nomen habeat. 399.2.
hæreticorum fraudes, palam sient, vt post hac decipere non valeant. 536.2.
hæretici solam fidem, ad salutem sufficere volunt. folio. 486.2.
hæreticorum oratione, semper alijs cancri more affricatur error. 532.2.
hæreticos esse arguit, segregatio ab Ecclesiæ doctoribus. 502.2.
hæreticos nulla ratione, magis posse conuinci, quàm diligenti studio, sacrarum literarum. 538.2.
hanes quid sit Hebraïs. 128.1.
Hebraismo, sæpe vtitur Paulus. 274.2.
hebræis, ad fidem conuersis & assuetis sacerdotio, persuadet Paulus nõ deesse sacerdotiũ, in Christo. 580.1.
hebræi, vocabula geminant, vehementiæ causa, ac præteritum pro futuro ponunt. 576.2.
hebræorum Epistolam, Pauli non esse, Leui argumẽto quidam probant. 560.2.
Heliam, Deus corui ministerio pauit. 656.2.
helias, Iudæos, ad veram Christi fidem conuertet, in fine mundi.. 328.1.
helim, vrbis vocabulum in finibus Moabitarum. folio. 73.2.
hesebon & Sabama, propria vrbiũ vocabula. 76.1.
hieremias, deplorat vices Moabitarum. 76.2.
D. Hieronymus notatur. 4.1.
D. Hieronymi, cum Augustino concertatio. folio. 268.2.
D. Hieronymus purgatur. 104.1.
Hierusalem, in tria ciuitatis membra diuiditur. 22.1. 121.2.
hierusalem à potestate diaboli per Christum est liberata. 168.2.
hierusalem, Leo Dei vocata. 128.1.
hierusalem cur filia Syon sit denominata. 10.2.
hierusalem pro primitiua Ecclesia sumitur. 232.1.
hierusalem ob sua scelera reprehenditur. 223.2.
hierusalem relinquetur deserta. 119.2.
hierusalem sedes iustitiæ fuit. 13.1.
hierusalem si pœnitentiam egerit salutem consequetur. 206.1.
hierusalem spiritualem consolatur Deus. 168.2.
hierusalem typus Ecclesiæ fuit. 149.2. 626.2.
historia antiquitatis recenset hæreticos multa de angelis confinxisse. 500.1.
Homines immundi fictilia vasa esse. 534.1.
hominibus bifariam placere possumus. 356.1.
hominis definitionẽ nõ recte proposuit Plato 593.1.
hominis pij montes vocantur in sacris literis. 16.1.
hominis vtilitas quanta. 598.1.
hominũ varia genera ad Deũ cõuertuntur. 606.2.
homo carnalis quis dicatur. 399.1.
homo & vir quomodo accipiantur. 18.2 50.2.
homo in superbiam efferri non posset, si suam originem semper animo reuolueret. 602.1.
homo inter animantia solus expendit quæ videt. folio. 603.2.
homo iuxta animum morti non est obnoxius. folio. 722.1.2.
homo mortalis factus est per esum ligni vetiti. folio. 598.1.
homo opus habet mediatore & reconciliatore. 365.2.
homo non potest sibi polliceri crastinum. 594.2.
homo vitæ suæ diem vnum non potest adijcere. folio. 594.2.
homo vetus & nouus quis sit. 454.1.
honor pro subsidio positum. 520.2.
honoru appetentes sumus omnes. 664.2.
hostiam cruentam Christus cum obtulerit, Melchisedech incruentam, tamen eius ordinis Sacerdos dicitur. 572.1.
hostiensis Episcopus Romano pontifici benedicit, quatenus Paulus aut pius est, non quatenus episcopus est. 579.2.
Humani generis dignitas in Christo liquet, quod cum co nostra natura ad dexteram patris euecta est. 561.2.
Humaniora studia hominem famelicum relinquere. 216.1.
humiles, pauperes rudes esse. 333.2.
humiliare seu se affligere quid sit. 225.2.
humilitas Adami & Baptistæ Christi quanta fuerit. 594.1.
humilis verè nemo nisi sui cognitionem habeat. 66.
humilitas quam sit Deo grata. 223.2.
humilitas mulieru Chananæa describitur. 653.2.
humilitas sanctitatis initium. 593.1.
humilitatis initium sui cognitionem esse. 593.2.
humilitatis luculentum præconium B. Mariæ exemplo. 664.1.
Hymenæus ante Heresim, vas fuit in contumeliam sicut & Paulus vas in honorem in ipsa persecutione. 534.1.
hyperbato fraquenter vtitur Paulus. 260.1.
hypocriseos formalis causa, in quo sit. 371.2.
hypocrysin Paulus D. Petro tribuit. 371.2.

I.

Iacob & Israel nomina vnius viri. 50.2.
Iacobus frater Domini dictus alius est à Iacobo Alphæi & Zebedæi. 360.1.
Iasa nomen ciuitatu. 73.1.
Iaspis quid significet. 213.1.
per Idiotas discipulos destruxit Scribas & Phariseos omnemque mundi sapientiam. 501.1.
Idola non poterant prædicere suam ruinam. 177.1.
idola Iudæorum populus abijciunt. 140.1.

idola non potuerunt prædicere futura. 178.2.
idola onera duntaxat sacerdotum. 191.1.
idola quæ dicuntur. 119.1.
idololatræ fornicari scripturæ dicuntur consuetudine. 221.2.
idololatria abijcienda. 119.1.
Ieiunij errores soluuntur. 132.2.
ieiunium absque oratione, & oratio sine ieiunio friget. 646.1.
ieiunium carnis frenum. 517.1.
ad Ieiunij & purgatorij mentionem hodie multi auertunt aurem. 539.2.
ieiunium Ecclesiasticum quale sit. 342.1.
ieiunium sit ad Deum placandum. 131.2.
ieiunium fletus & planctus sunt pœnitentiæ opera. 667.1.
ieiunium non repugnat mandatis diuinis contra Lutheranos. 131.2.
ieiunium quale Deus reprobat. 225.1. 132.1.
ieiumium res adiaphora ait Melanthon. 131.1 132.1.
Ignis ante iudicium tantùm attolletur quantum in diluuio aquæ sublatæ sunt. 495.2.
ignis inferni perpetuus & æternus. 104.2.
ignorantia Dei exprobratur. 119.2.120.
Imago Dei in quibus consistat eodem.
imaginum vsus quis sit apud Christianos. 186.1.
imperitus dialecticus malus coquus. 532.1.
imperitus aut blesus ad Episcopi munus ineptus est. 513.1.
imperium Christi in quo situm est. 49.2.
per Imperium quid significetur. 58.2.
impietas & iniustitia quid sit. 284.1.
immunditia pro ordinaria turpitudine. 399.2.
immotum persistere oportere in fide duas potissimum ob causas. 538.1.
impossibile pro admodum difficile. 575.1.
impudicitia in quibus consistat. 400.1.
Infantes quid in sacris literis significent. 5.
indulgentiarum confirmatio ex Paulo. 472.2.
infidelis hominis eleemosyna an sit peccatum. 547.1.
infidelis & coinquinatus quis sit. eodem.
infidelium actionem omnem peccatum non esse. folio. 343.1.
in iudicio extremo omnes æquales dignitate erimus. 99.2.
iniustitia omne virium complectitur. 275.1.
inobedientia & ingratitudo non cibus hominem polluit. 516.1.
insinuatione captat benenolentiam Romanorum. folio. 207.1.
Ioannes cur quærat à Christo num ipse sit verus Messias. 680.2.
iannes & Mambres magi Aegyptiorum restiterunt Mosi in editione signorum. 536.2.
ioannes existimatus est Christus. 685.2.
ioannes præparat viam in aduentum domini. eodẽ.
ioannes victus ob iustitiam. 180.1.
ionici philosophi Ephesi sedem habuere. 435.2.
Iouinianus male sentit de ieiunio. 132.1.
Ira Dei quomodo reuelatur in scripturis. 271.1.
ira Dei pro vindicta. 284.1.
iram Dei nemo potest effugere. 18.2.
irriguum quid dicatur in scriptura. 83.1.
Ismahelitæ vastissima hæremi incolunt. 89.2.
israël Dei & Israel.
israël hæreditas domini vocabitur. 84.2.
israëliticus populus & Syriacus in captiuitatem ducendi. 77.2.
Iudæ nomine quid intelligatur. 70.2.
iudæi altissimè seriem suæ genealogiæ repetebant & quare. 505.1.
iudæi ab omnibus timebantur. 81.1.
iudæi an præponendi sunt Euangelij negotio. 267.2.
iudæi arrogabant sibi nomen magistri & doctoris. 268.1.
iudæi auxilium petendo ab Aegyptijs peccant. folio. 136.1.
iudæi confidunt in potentiam Aegyptiorum. 142. 138.2.
iudæi credentes in Christum Deum, non debent moueri aliorum non credentium conuitijs. 204.1.
iudæi Christum blasphemant. 22.2.
iudæi credeutes spoliati sunt facultatibus suis. folio. 368.1.
iudæi cur sint reiecti. 172.2.
iudæi dicunt Deum non curaveres mortaliũ. eodem.
iudæi dediti Luxuriæ & Idololatriæ. 255.2.
iudæi nolunt audire prophetas quia non loquuntur quæ ipsis placent quod & in Christianos competit. 137.2.
iudæi & gentes omnes iniusti. 178.2.
iudæi ex Abraham & Sara. 203.1.
iudæi ex optimis viris electi. 28.2.
iudæi falsò colunt Deum. 659.2.
iudæi gentes expectantes vocantur. 81.1.
iudæi gloriantur de circuncisione. 679.1.
in Lege gloriantur. 281.1.
iudæi mercedem peccatorum recipient. 22.2.
iudæi nomine tantum populus Dei fuere. 194.
iudæi non audierunt Christum vocantem eos ad fidem. 201.1.
iudæi omnes semel Christi fidem recipient. 31.1.
iudæi ore tantum Deum laudant. 150.2.
iudæi peccata sua prædicant. 22.2.
iudæi pauci saluandi. 138.2.
iudæi Pelagianorum errore infecti. 320.2.
iudæi percussi sunt signo cæcitatis quare non intelligunt prophetas. 126.1.
iudæi prophetiam intelligunt cum fuerit expleta. folio. 137.2.
iudæi principes Zodomorum vocantur. 10.
iudæi proprio affectu malè operantur. 228.1.
iudæi proprio iugulantur gladio. 28.
iudæi puniuntur propter peccata parentum. 257.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudæi quanto magis puniuntur tanto peiores fiunt. 9.
iudæi qua ratione gentibus præferantur & quomodo pares sint. 288.1.
iudæi rediguntur ad magnam angustiam. 12.1.
iudæi reijciuntur propter peccata. 17.2.
iudæi reijciunt fidem. 190.1.
iudæi rudes prophetas omnes secundum carnem interpretatur. 659.2. & 660.
iudæi sibi ipsi malum accersunt. 220.
iudæi superantur à Chaldæis propter derisionem prophetæ. 124.1.
iudæi vt olim ad cultum Idolorum trahebantur ab alijs, ita hodiè Christiani ad Lutheranismum. folio. 194.
iudæorum cæcitas notatur. 232. & 230.1.
iudæorum crassa ignorantia. 130.1.
iudæorum consilia & opera mala notantur. 229.2.
iudæorum duo sunt ordines. 292.2.
iudæorum captiuitas in Babylonia. 168.1.
iudæorum & Christianorum ingratitudo. 8.
iudæorum expectatio vana. 120.1.
iudæorum liberatio è captiuitate Babylonica per Cyrum persarum regem. 187.2.
iudæorum peccata obstaculum ponunt Dei beneficijs. 228.2.
iudæorum reliquiæ saluandæ. 61.1. 76.2.
iudæorum sacrificia cur Deus contemnat. 146.1.
iudæorum vastitas maxima prædicitur. 146.1.
iudaicam gentem excæcatã quomodo Paulus sanctã vocet. 327.2.
iudaicus populus propensus fuit ad idololatriã. 395.1.
iudaizantes canes vocantur. 421.2.
iudaizantes partem solum legis vrgebant. 476.1.
iudaizantes Romanos modestius corrigit quam Galatas. 339.1.
iudaizantium error. 373.1. 551.2.
iudaizantium familiam 4. Epistolæ Pauli præsertim respiciunt. 553.
iudas argumentum ab apocryphis Iudæorum sumit. 500.2. 502.1.
iudes longanus fuisse putatur. 502.2.
iudas apostolus triplici exemplo dehortatur ab incredulitate. 499.1.
iudicij extremi vltio. 156.1.
de Iudicio malo Christus liberatus est. 210.2.
iudicium contra diabolum dilatum est propter peccatum nostrum. 230.1.
iudicium de doctrina olim ex vita sumebatur. folio. 502.2.
iudicium Dei duplex. 179.1.
iudicium Dei iustum. 277.1.
iudicium pro damnatione. 490.1.
iudicium Dei qui euadere vult abijciat prauа opera. 119.1.
iudicium & iustitia aliquando reiætæ vocabula. 139. 144.1. 146.2.
iudicium & iustitia aurea vocabula. 210.1.
iudicium in malam partem sumitur. eodem.
iudicium quomodo accipiatur à Iudæis. 58.2.
iudicij tempus messis est. 402.2.
a Iudicijs priuatis cur abstinendum. 540.1. 20.
iugerum quid.
ius, fœdus, & leges nomina apud Esaiam eiusdem rei. 100.1.
iuramenti formula per, Si. 576.2.
iuramentum & promissio res immutabiles sunt apud Deum. 577.1.
iusti dicuntur aliqua ex parte perfecti. 164.1.
iusti etiam molem timent quod est contra Lutheranos. 164.1.
iustificare forense vocabulum quid sit. 272.2.
iustificare seipsum est seipsum, iustum pronunciare. 279.2.
iustificari Deum in sermonibus variè exponitur. folio. 283.2.
iustificari quemuis hominem gratis sine vllis operũ meritis. 349. 371.1.
iustificatio duplex est. 146.2.
iustificationem impij Dei donum esse. 111.2.
iustificationes gratia gratuita esse. 227.1.
iustificari quid sit. 147.1. 373.2.
iustificatio quomodo intelligitur esse gratuita. folio. 287.1.
iustificatio an ex fide sola homini obueniat. 290.1. & 291.1.
iustificationis vocabulum variè exponitur à doctis. 279.2.
iusti post mortem nulla memoria apud homines. folio. 221.1.
iusti post resurrectionem cognoscent omnia sua prætorita facta. 230.2.
iustitia Dei amplissima & excellentissima est. 660. 2.
iustitia Dei duplex est. 268.2.
iustitia Dei variè à doctioribus accipitur. 268.1. 303.2.
iustitia Dei complectitur duo potissimum. 288.1.
iustitia Dei quomodo manifestari dicatur. 288.1.
iustitiam facere quid sit. 225.1.
iustitia de Petro qualis sit. 485.1.
ad iustitiã & vitæ integritatẽ exhortatio 218.1.
iustitia generali nomine omnem virtutem continet. 454.2. 534.2.
iustitia legis non remittit peccata sed tantũ à supplicio humano liberat. 321.1.
de iustitia legis vel operum differens Paulus non de quibusuis operibus loquitur. 380.1.
iustum quanti faciat Deus. 720.1.
iustus quis dicatur. 14.1. 23.2.

K.

Karà præpositio variè in scripturis exponitur. 539.1. & 543.1.

L.

Laborem cito transire sed laboris fructum esse perpetuum. 639.1.
labores & cruciatus quos Christus pertulit pauci Christianorum expendunt. 617.1.
labrusca genus vitis syluestris est. 79.2.28.1. 83.1.2.
laicus non eo sensu offert preces quo sacerdos. folio. 572.2.
laicus quid præstare debeat. 483.2.
laicus volens offerre exteriora dona debet accedere ad sacerdotem ac per illum offerre. 571.1.
latriæ vocabulum in sacris quomodo vsurpetur. folio. 266.1.
laus oblique & parcè adhibenda est. 467.2.
Lectio humaniorum literarum neglecta sacris reprehenditur. 678.1.
lectio gentilium authorum quatenus sit vitanda. 681.1.
legalium obseruatio quando mortifera, quando non. 368.2.
sub lege aliter Iudæi aliter erat Christus. folio. 389.1.
sub lege esse, quid sit. 386.2.
legem volentes obseruare legi repugnant. 392.2.
legis cæremonias vmbras fuisse gratiæ. folio. 369.1.
non legis imperio sed hominum vitio abundasse delictum. 301.1.
legis in charitate vnum esse compendium. folio. 336.2.
legis munus quod sit. 309.1.
legis obseruatio quomodo hominem saluat. folio. 279.2.
legi mori quis dicatur. 375.2.
legis studium non reprehendendum, sed studentis scopus. 305.2.
legis vel minima portio sinceritatem euangelicam illi admista vitiat. 396.2.
legis vsus quis sit. 384.2.
legi viuere quis dicatur. 370.1.
Leuiathan quid sit in sacris literis exponitur. folio. 115.1.
Leuiathan typus diaboli. 114.1.
leui quomodo Melchisedech decimas dederit nondum natus. 579.2.
leuitica tribus sortem cur non acceperit in terra promissionis inter fratres. 588.2.
leuitica tribus tempore ministerij sui abstinebat ab omni quod inebriare poterat. 588.2.
leuitici sacerdotes veri nominis laici respectu Melchisedech quod illi decimas soluerint. 579.2.
lex accusatrix transgressorum. 279.2.
lex dura iugum seruitutis dicitur. 395.2.
lex factorum & fides qua sit. 288.1.
lex magis nos reddit obnoxios vindictæ quam per spiritum adiuuet. 293.1.309.2. & 351.1.
lex mandatorum, hoc est, Mosis per Christum est antiquata. 444.2.
lex Mosis cur chirographum dicatur. 475.2.
lex Mosis dicitur lex mortis, 505.2.
lex non intrasse, sed subintrasse cur dicatur. folio. 300.2.
lex pædagogo persimilis. 386.2.
lex quatenus moralis est, etiam ad gentes pertinet. 380.2.
lex quæ spiritualis hominis sunt præscribit. 307.1.
lex vetus testamentum vniuersum complectitur. 285.2.
Libanus mons Phœnicia editissimus. 19.1.
libanus spiritualiter pro quo accipiatur. 133.2.
liber cœli quis sit. 155.1.
libertas Christiana in tribus est sita. 397.1.
libertas vera longe alia est quam mentiantur Lutherani, eodem. & 483.1.
libertatem credentibus datam circa ea quæ non sunt ad salutem necessaria quomodo intelligi debeat. 397.2.
libertas Christiana quousque sese extendat. folio. 462.1. & 548.2.
liber vitæ variè explicatur à doctis. 429.1.
liberum arbitrium inualidum ad bonum si non adsit gratia. 418.2.
libidinem in lumbis sitam esse. 464.1.
libido probrosa contra naturam quæ sit. 274.2.
lingua multorum malorum occasio. 615.2.
literæ nimium additi sæpe turpiter labuntur. folio. 167.1.
literæ sensus non contemnendus, sed prætereundus interdum. 457.1.
liturgiæ Platonicorum, inutiles sunt. 504.1.
Loci communes à Paulo tractati. folio. 318.1.528.2.529.2.
locus tenebrarum hic aer crassior est. ad quem potestates detrusi sunt. 155.2.
longanimitas dei erga peccatores. 507.1.
Lothi aspectu & auditu iustus fuisse probatur. 490.1.
Lucifer pro quo vsurpetur. folio. 68.2.
lumbos nostros spirituales munire veritate & iustitia debemus contra hæreses. 464.1.
Lutherani diaconos, aliter atque veteres accipiunt. 513.2.
Lutherani aberrantes à scopo Pauli detorquent dicta eius. 479.1.516.1.& 527.1.
Lutherani falsò asserunt, spem siue fiduciam, nitis solis promissionibus. 296.2.
Lutherani falsò asserunt nos debere certos esse, de gratia dei & perseuerantia. 418.2.
Lutherani non recte de fine sentiunt. folio 370.1.
Lutherani securitatem operibus tribuunt. folio 549.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lutheranorum doctrina laxat habenas carni. 457.1.
lutherus de iustitia malè sentit. 110.1.
lutherus de fide non rectè discernit. 710.1.
lutherus negat aliquem nouas leges condendi habere potestatem. 131.1.
Lyra taxatur, quod vim faciat scripturis. folio. 6.1.

M.

MAdian & Epha, regiones ibi sint sitæ. folio. 233.1.
magisterij titulum, ambiunt legis imperiti. folio. 505.2.
magistratus & potestas in quem finem sint instituta. 335.2.
magistratus, typum vocationis gentium, præferunt. 622.1.
mala vita multis causa ruinæ est. folio. 464.1.
malè sibi conscij, maxime terrentur aduersitatis tempore. 150.2.
malignitas quid sit, docetur. 275.1.
mali deo non sunt inutiles, quibus vtitur ad bonorũ exercitium & castigationem. 53.1.54.2.
maledicto esse obnoxio, qui nituntur operibus. folio. 379.2.
maledictum pro nobis quomodo deus sit factus. folio. 380.2.
maledictus omnis qui pendet in ligno, varie interpretatur. 381.1.
malefici candenti ferro notantur. 515.2.
malefici semper bonis permisti fuêre. 525.2.
mali tantisper sunt in ecclesia, donec à pontifice fuerint electi. 715.1.
mali totius fons & origo est neglectus timoris domini. 289.1.
Mammonæ cultores, quales sint. 582.2.
Manasses post multa flagitia & scelera ad deum sinceliter se conuertit. 50.1.
mandatum non solam fidem, sed & opera complectitur. 492.2.
Manichæi, Encratitæ, & Marcionistæ taxantur. folio. 515.2.
manichæi vnde errorem suum hauserint. 398.2.
manichæorum hæresis, in iudicijs ciborum & nuptijs prohibendis est sita. 516.1.
manichæus dicebat, ducentes vxores post mortem fœminas fieri, & viris tradi 516.
manichæus in ea animalia conuertendos homines dicebat, quibus ipsi vescerentur. 516.1.
mansueti & contriti corde, qui dicantur. folio. 52.1.235.2.
manus in scripturis, quid significet. 385.2.
mare omnes occiduas partes complectitur in sacris. 233.1.
mare pro mundo positum. 102.1.
mare Tharsis, pro quouis mari apud Hebræos ponitur. 95.1.
Maria concepta absque originali culpa asseritur. 666.1.
maria ex angeli promissu, non est facta elatior. folio. 662.2.
maria mater domini à Mosaica lege liberrima fuit. 628.1.
maria liberrima à lege cum Christo filio, cur obtemperare voluerit. 628.2.
maria omnium virtutum plenissima. 661.2.
maria prima omnium deo promissam castitatem seruauit. 665.1.
maria prima à deo est. 668.1.
maria similem sibi non habuit, neque in cœlis, neque in terris. 666.1.
maritus ad episcopi munus non admittebatur olim nisi à legitimo thoro abstineret. 512.2.
Massa quid significet. 327.1.
Materiam primam ingenitam falso docet Plato. 436.1.
Mediatoris dicitur qui vtriusque naturæ particeps est. 509.2.
mediatoris vocabulum non soli Christo conuenire. 509.1.
Medi & Elamitæ magnam excitarunt tragœdiam, in Babylone. 86.2.
medico cum omnes egeamus, nullus tamen medici operam implorat. 628.1.
Melanthonis errori respondetur. 131.1.
melanthon male de pœnitentia sentit. folio. 85.1.
melanthon à Luthero dissentit. 121.1.
Melchisedech Abrahamo maior fuisse, ostenditur. 575.2.
melchisedechis sacerdotium, quale fuerit. folio. 572.1.&357.1.
melchisedech non fuit gentis Hebraicæ, sed Chananæus, filium Noe, quidam fuisse asserunt. 579.1.
melchisedech sacerdotis nulli fuerunt tituli. folio. 577.2.
melchisedech typum gerit filij dei. 578.1.
Membra cur arma vocet Paulus. 303.1.
membra pro affectibus ponuntur. 480.2.
Mendacium cur vocetur Idolum. 274.1.
mendax quomodo omnis homo, & quod non ideo, omnis eius actio sit peccatum. 283.2.
mensa apud Paulum & Danidem quid sit. 326.1.
mens sibi male conscia, omnium miserrima est. folio. 639.2.
mentiri pro fallere ponitur. 577.1.
Mercedis vocabulum, fere in bonam partem accipi. 560.1.
mercedem vitæ æternæ rependi operibus contra Lucerum, & Philippum. 462.1.
mereri post hanc vitam nihil nos posse. folio. 645.1.
merces pro pensatione ponitur. 274.2.
merita frustra destruere conantur Lutherani verbis Pauli. 330.2.
meritorum Christi applicatio, iustificat. folio. 288.2.
an meritum sit passionum tolerantia. 311.1.
Merodach cur Ezechiæ regi dona miserit. folio. 167.1.
merodach regis Babylonis legatio ad Ezechiam. 169.2.
Messiæ aduentus prædicitur. 188.1.&192.1.
messiam vt Deus mittat obnixè orat Esaias. folio. 137.1.
Metum etiam in magnis viris esse. 418.1.
milites in pugna lumbos scuto tegere, quid innuat. 464.2.
milium genus quoddam frumenti. 127.2.
minas exhortationi interdum admiscet Paulus. 570.1.
misericordia dei latissimè patet. 660.2.
misericordia dei multiplex est. folio. 184.2.
mites in sacris literis qui dicantur. folio. 134.2.
Moab ad internecionem perdendus prædicitur. folio. 109.1.
moabitæ tributarij fuere, Israeli. 74.2.
moabitæ vnde nomen acceperint. folio. 72.1.
modestia Paulo quid sit. 400.1.
monachorum regulam ex Paulo falso comprehendunt Lutherani. 480.1.
in monachos omnium oculos esse coniectos. folio. 548.1.
mons quid significet in arcanis literis. folio. 16.1.
mons Syon: latera Aquilonis, ciuitas regis magni, eiusdem rei esse nomina. 199.2.
montes in scripturis, dicuntur pij homines. folio. 163.19.1.
mons in scripturis appellatur Christus. 16.1.
mors Christi causa sufficiens est iustificationis. folio. 295.1.
mors inimica destruenda prædicitur. 108.1.
mors Paulo imminens causa erat quod Timotheum tam studiosè instituerit. 539.2.
mortem esse peccati effectum. 298.2.
mortem potius obeundam, quam aliquam turpitudinem admittendam. 684.1.
mors pro causa mortis posita. 307.1.
mortalitas cur non aboleatur peccato abolito. folio. 598.2.
mortem nemini parcere. 691.1.
mortalitas quanta bona pariat homini. 599.1.
mortis meditationem, optimam esse philosophiam. 600.1.
mortis memoria apud nos pene nulla. 603.1.
mortualia tempore Chrysostomi vt nũc fuisse celebrata. 564.1.
Moses mediator fuit inter deum & populum. folio. 389.2.
motus carnis, & spiritus inter se pugnant. folio. 481.
Mulier domi intra parietes, sexum suum docere permittitur. 548.1.
mulieres moderato amictu ornatas, decet orare Deum. 510.2.
mulieribus non librorum sed liberorum tractatio conuenit. 511.1.
mundani homines Idololatriæ sunt dediti. 58.2.
mundani homines, qui sint. 583.1.
mundi nomine, quid significetur. 532.1.
mundum hunc per filium dei conditum, ab eodem etiam gubernari, idque solo nutu ac voluntate. 555.2.
mundus captiuus detinetur, sub potestate diaboli. 168.1.
mundus hic desertum, recte dicitur. 669.2. 670.1.673.1.
mundus meritus non est, vt ad illum Christus mitteretur. 661.1.
mundus nonnullis Paradysus delitiarum est. folio. 669.1.
mundus pro omni eo, quod crassum est ponitur. folio. 477.2.
munus veri sacerdotis, quod sit. 564.2.
mutuas vices reddendas esse parentibus, qua ratione. 518.2.
mutus inter Christianos, quis vere sit, 685.1.
mysterium pro typo, vel allegoria positum. folio. 460.2.

N.

NAbo & Medaba, vocabula ciuitatum, in terra Moab. 72.2.
nabo idoli nomen. 191.1.
Nabuchodonosor per superbiam se & regnum suum perdidit. 69.1.
Nabuchodonosor typus principis dæmoniorum. folio. 68.1.
Natiuitas Christi hominibus mundanis, nihil prodest. 694.2.
de natura Christi multæ hæreses fuêre. 531.1.
naturam duplicem in Christo agnoscere multum refert. 554.2.
natura dæmonum, qualis sit. 671.2.
naufragium multi faciunt per apostasian hæresin & schisma. 507.2.
Necessitas pro inopia rei familiaris. 533.1.
negant quidem multi desyderia, sed abnegãt pauci. 549.2.
nemo illuminatur, aut salutẽ consequitur, nisi per Christum. 508.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nemo propter sua merita vocatus est, sed sola dei misericordia. 551.2.
nequitia quid proprie sit, explicatur. folio. 275.2.
Nero Leo à Paulo ob crudelitatem vocatur. folio. 541.1.
Neronem adorabat Simon, non contemnebat magistratum. 499.2.
Neronem honorabat Simon. quæstus gratia, Galilæos accusans. 502.2.
Neomenia quid sit docetur, 11.2.
Nihil temere agendum esse Episcopo. 521.2.
Noctis & diei nomine, quid Paulus significet. 337.1.
nomen inuocari super aliquem, quid sit. 25.2.
nominari pro existere vel esse, in sanctis paginis frequens. 449.1.
noua creatura dicitur homo, non ratione primæ creationis, sed regenerationis. 443.1.
Nouatianorum & Donatistarum hæresis, malos non esse in ecclesia dei. 534.1.
Nonatus relapsos in peccatum mortale, post baptismum negabat posse redire ad pœnitentiam. 574.2.
noua vita qualis sit. 404.1.
noui & veteris testamenti quadruplex discrimen, ex Apostolo ponitur. 554.1.
non sufficere, quod Christi fidem acceperimus, nisi & doctrinæ iniquitatem vitauerimus. 535.2.
nouissima tempora, scriptura ætatem Christi, ad vltimum vsque iudicium nominat. 502.2.515.2.
nouissimi dies, qui dicantur. 16.1.
Νοῦς, ea pars est animi, qua à brutis secernimur. 453.2.
Nubere viduas iuniores vult Paulus, ne adulterentur. 510.2.
nubes aqua vacantes, hæreticorum esse dogmata. 501.
nullus veræ pietatis fructus ex quæstionibus nascitur. 505.1.
numerus septenarius & denarius Hebræis familiaris & mysticus. 25.2.
nuncium omni iucunditate plenissimum, de humani generis reconciliatione cum deo patre. 694.2.
nuptias damnabant Manichæi, & Saturnius Simonis Magi discipulus. 516.1.
nuptias tanquam malas, ab authore Satana, & cibos per se immundos, Manichæi dicebant. 506.1.
Nympha, viri non mulieris nomen, apud Paulum. 484.2.

O.

OBedientia Esaiæ commendatur. folio. 85.2.
obsecrationes, postulationes, & orationes, ad missa sacrificium pertinentia, quid differant. folio. 508.1.
obsignatio spiritus, quæ sit, & vnde denominata. 438.2.
obtemperandum esse principibus, licet Ethnicis, in bono tantum, non in malo. 550.2.
obtestetionem Pauli, Timotheo factam serio apud se expendant Episcopi & doctores. 539.1.
Oculi nullorum malorum nobis authores sunt. folio. 654.1.
oculos nostros portas & fenestras animæ esse. folio. 654.2.
oculis in terram demissis, nobis incedendum esse. 654.2.
oculus duplex est, mentis & corporis. folio. 160.1.
Offendicula, effectus dissensionum esse. folio. 348.2.
offendiculum non oxhibendum fratri, nec in licitis quidem. 340.2.
officia ecclesiastica, non temerè quibusuis esse committenda. 544.1.
Oleæ & oliuæ varia acceptio. 78.1.
oleum exultationis, spiritus sancti esse oleum. folio. 554.1.
omnes omnino homines, peccatis esse obnoxios. folio. 630.1.
Onus Aegypti, quale sit. 82.1.
onyx quid sit. 206.1.
Opera iustitiæ, non sunt opponenda dei iudicio. folio. 147.2.
opera legis bifariam accipiuntur. 286.1.280.1.
opera legis qui facit, non qui legem habet, iustus est. 280.2.
per opera legis non iustificari hominem. 374.2. & 377.1.
opera meritoria esse, aduersus omnes hæreticos. folio. 278.2.279.1.
opera nostra omnia debemus ad certum aliquem scopum dirigere. 635.2.
operantes videns deus, cooperatur illis, aduersus hostes liberi arbitrij. 527.2.
opera piorum, non tam piorum sunt quam Christi. 376.1.
operariorum diuersis horis ad vineam conductorum ratio explicatur. 635.2.
Orandum esse magna cum fiducia. 650.2.
orantes credere oportet. 510.2.
orantes iuxta dei voluntatẽ, exaudit deus. folio. 717.2.
orantes non omnes exaudiuntur. 648.2.
oratio humilium, deo summopere placet. 651.1.
oratione magis proficere nos quam studio. folio. 657.2.
ab oratione non desistunt Iudæi, etiam irato illis deo. 245.2.
in oratione, opus est perseuerantia. 651.2.
orationis contentione iuuari cupit Paulus, sed eà quæ à nostra longe abest. 345.2.
orationes

Orationes frigidæ, deo exosæ. 660.2.
in orationibus fide opus habemus. 648.1.
orationis studium familiare sibi fecit Paulus. folio. 439.1.
oratio placentis sibi, deo minimè est grata. folio. 651.2.
orbis totius excidium futurum describitur. folio. 49.1.
orbis totus in die iudicij, relinquetur desertus. folio. 101.2.
ordinans indignum, communicat peccatis eius. 421.2.
ordinem & progressum disputationis Paulinæ, vehementer intueri conducet. 271.1.
ordinis curam sedulò gerebat Paulus, nec temere cuiusuis. 472.1.
ordinis ratio, quid contineat. 304.2.
Origenis & Pelagianorum error reijcitur. folio. 436.1.
originale peccatum quale sit. 298.2.
Origenes taxatur. 104.1.2.164.2.
Orpheus apud Thraces, deorum cultum commentus est, & varias cæremonias. 476.2.
Osculum sanctum, quid sit. 284.1.

P.

PAce nihil melius homini contingere possit. 613.2.
pactum suum, deus non fecit irritum. 212.2.
palestinæ regionis situs & descriptio. folio. 71.1.
palmus & pugillus, quid significent. 170.2.
Panis profruge terræ. 40.2.
panis & aqua in sacris quid significent. folio. 20.2.
Passiones animæ, quomodo Deo attribuantur. folio. 141.1.
participia passiua, passiui habent significationem nominum in, bile, desinentium. 370.2.
pastores, & concionatores admonentur. folio. 507.2.
pastoris boni affectus, quis esse debeat. 245.2.
Pati posse pro Christo, donum dei est, nec omnibus dari. 413.1.
patriarcha quis propriè esse dicatur. 578.2.
paucitas saluandorum, pulchrè depingitur. folio. 101.2. & 103.1. 634.1.
Paulus aliter legendus, quam Aristoteles, aut alius prophanus. 542.1.
Paulus à pastoribus est imitandus. 391.1.
Pauli ingens erat, erga Romanos charitas. folio. 265.2.266.2.
Paulum à Petro, Ioanne, & Iacobo accepisse Euangelium, pseudoapostoli falsò iactitabant. 358.2.
Paulus Colocenses præmunit, contra familiam Simonis, & Iudaizantium. 472.1.
Paulus cur nos non velit cibum sumere, cum ebriesis. 715.1.
Paulus discipulorum bonum suum esse gaudium testatur. 413.2.
Paulo familiare est, de dei iudicio loqui. 281.1.
Paulus frequenter infirmatus est. 391.1.
Pauli ingens studium, & cura, etiam in vinculis. 540.1.
Paulus hactenus imitandus concionatoribus, quod concioni interserat preces interdum. 349.1.
Pauli nomen, cur præpositum non fuerit Epistolæ ad Hebræos. 553.1.
Paulus misericordiam consecutus est, duplici nomine. 507.1.
Paulum non habuisse vxorem, ostenditur. 428.2.
Paulus non impugnat ieiunia ecclesiastica, & dies festos. 339.1.
Pauli prudentia in reuocandis Galatis. 350.2.
Paulus, Thodidactus fuit. 356.2.
Paulus verè timuit, ne reprobus fieret, prædicans Euangelium, & non faciens. 635.1.
Paulus vas electionis fuit, adhuc in vtero matris existens. 337.2.
pauperes à Iudæis ieiunio opprimuntur. 226.1.
in pauperes, qui munificus fuerit, non perdet mercedem suam. 227.1.
pauperes veri qui dicantur. 8.2.134.2.
pax dei, dilectio est. 430.1.
pax, est effectus iustitiæ. 145.1.632.1.
pax Euangelica per Christum data, qualis, & quomodo in cordibus fidelium multiplicetur. 265.1.
pax illorum, quis sit vsus. 94.2.
pax reconciliatio cum deo. 445.1.
pax vniuersalis, tempore Christi facta est. 17.1.
Peccata auferenda esse, per dei gratiam. 154.1.
peccata carnis & mentis quid differant. 441.2.
peccata fumibus similia esse docetur, 31.2.
peccata nemo remittere potest, nisi solus deus. folio. 586.2.
peccata nostra, merentur accelerari iudicium. 495.2.
peccata nostra, deus transtulit in humeros filij sui. 631.1.
peccata nostra mala hæc quæ patimur meruerunt. 112.1.
peccata omnium hominum, in extremo iudicio omnibus erunt manifesta. 687.2.
peccata parentum puniri aliquãdo in filios. 718.2.
peccata quomodo iuste in alijs puniri dicãtur. 247.2
peccati corpus, Paulo quid sit. 302.2.
peccatores, infirmos, impios, & inimicos esse. 297.1.
peccatores, Christum deo patri lucrifecisse. 210.2.
peccatores, dupliciter orant. 11.2.
peccatores omnes nos esse. 666.1.
peccatores quales deus exaudiat, quales nõ. 649.1.
peccatores gratiam dei non recipientes, diabolo in direptionem dabuntur. 181.2.
peccatores vltro, deus vocat ad se. 649.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatori conuerso, deus se pacatum, ad præstandam misericordiam exhibet. 606.2.
peccatum ad mortem, quod sit. 716.
peccatum, alumnus legis est. 384.2.
peccatum mortem inuexit in hunc mundum. folio. 597.1.
peccatum non esse tentari. 647.2.
peccatum per tropum, pro hostia, pro peccato oblata. 309.1.& 380.1.
peccatum, quomodo cedat in gloriam dei. 284.1.
peccatum, quomodo etiam pœna peccati sit. 273.1.
peccatum, nos seruitutis iugo adstringit. 613.2.
Penula pallij genus quale. 540.2.
Peregrini vltro vocandi sunt, ad hospitium. 333.2.
persecutionem pati debere omnes Christianos. folio. 645.2.
persecutionem pati, quomodo, intelligatur. 537.1.
Petrum fuisse authorem secundæ epistolæ canonicæ probatur. 488.1.
Petrus an peccauerit, subducens se à gentibus. folio. 360.1.
Petrus inconstans iudicatus, à gentibus. 371.1.
Pharao, Regiæ potestatis nomen esse Aegyptijs. 16.1.
Pharisæi constitutiunculas Seniorum seruantes, dei præcepta negligunt. 131.1.
pharisæi in errorem mittunt alios. 134.2.
pharisæi vulgum ad internitionem perducunt. folio. 145.1.
pharisæorum deploranda cæcitas. 133.2.
pharisæorum fera crudelitas. 676.1.
pharisæorum mandata, cum dei præceptis pugnant 131.1.
philippensium laus. 406.2.
Philippensium & Colocensium, Epistolas, vno impetu, tempore & loco eodem scriptas esse. 462.2.
Philippi Melanthonis errores, in negotio pœnitentiæ referuntur. 690.2.
philosophia falsi nominis est scientia. 473.2.
philosophia nil prodest absque dei timore, & cognitione. 701.1.
philosophia, non quæuis reprehenditur ab Apostolo. 479.1.
philosophi etiam acutissimi, Christum ignorantes, in tenebris versantur. 453.2.
philosophorum duo genera esse, Italicum & Iconicũ. 435.2.
Piaculum quid sit. 309.2.
pietas nulla parit commoda, hic & in futuro. 517.1.
pignus pro arabone. 438.2.
placere in carne quid sit. 403.2.
placere sibi, quis dicatur. 343.2.
plagiarius quis sit. 506.1.
Platonis error reprehenditur. 601.1.
Platonis religio castigatur. 132.2.
Plato ex Ionica schola quid docuerit. 516.2.
plebis animi præoccupandi sunt, sacra doctrina, ne hæreticorũ fraudibus, abducantur à fide. 539.1.
plebs quid scire debeat. 528.2.
plebs quid præstare debeat. 456.2.
pluuia gratiam spiritus sancti designat. 140.1.
Pœna damnandorum, quanta. 142.1.
pœna ignis purgatorij, qualis. 45.1.
pœnitentes, non repellit deus. 246.1.
pœnitentia agenda est, quando tempestiuum est. 645.1.
pœnitentia alia quæ præcedit baptismum, alia quæ sequitur. 574.1.
pœnitentiæ encomium. 217.1.
pœnitentiæ vtilitas varia. 597.1.
pœnitentia lapsis iniungenda est. 210.2.
pœnitentiam veram, cur tam pauci agant. 607.1.
ad pœnitentiam deus nos inuitat sæpe. 596.1. 904.2.606.1.
pœnitentiam nostram, patienter expectat Deus. 138.2.
ad pœnitentiam, omnes generaliter vocamur. 687.2.
de pœnitentia, quid patres senserint. 609.1.
pœnitentia quid sit Philippo, & Ciceroni. 609.1.
pœnitentia, secunda tabula est post naufragium. 575.1.
pœnitentia quæ est actio baptismi, reijcit Paulus. 575.1.
pœnitentia post baptismum, multa requirit. 575.1.
pœnitentibus promisit deus, remissionem peccatorum. 650.1.
pœnitentia requirit afflictiones carnis. 600.2.
pœnitentia vera, quæ sit. 535.1.
politia multiplex. 443.2.
poetarum lectio non semper reprehendẽda. 59.2.
Pomeranus confutatur. 519.2.
pontificis conditiones, quæ debeant esse. 571.1.
populum exhortatur propheta, ad præparandam viam Christo. 223.2.224.1.
populum suum Israel consolatur dominus. 248.1.
populus Israeliticus typus est, & figura populi Christiani. 634.1.
Porphyrius falso calumniatur arrogantiam Pauli quem refutat Chrysostomus. 358.2.
postulantibus, deus paratus est præstare suam misericordiam. 644.1.
potationi & ebrietati dediti, dei voluntatem ignorant. 122.1.
potentia dei, in Iudæos multis modis est declarata. 194.1.
potestas multiplex est. 48.2.
potentia & brachium domini, non est abbreuiatum. 201.1.
potestas & principatus dici, tam in dæmonibus, quã in bonis angelis. 463.1.
præceptores & pædagogi, raro esse qui in vera pietate instituant iuuentutem concreditam. 680.2.
præceptores flagellantur, qui obscœna poemata. & fabulas discipulis prælegunt. 680.2.
præceptũ & cõsiliũ quid sint, & quid differãt. 543.1.
præcipitare quid sit. 106.2.
prædestinare, variè interpretes addunt. 263.1.
prædicatio Euangelij futura per totum mundum, prædicitur. 182.2.
prædestinare quid sit. 319.1.
prælati iniustis exactionibus, subditos aliquando premunt. 24.1.
præputium, pro delictis carnalibus. 475.1.
præputium quid sit. 282.1.
præscire est voluntatis. 313.1.
præteritorum peccatorum, nulla nobis est recordatio. 645.
primogenitus in scriptura, quis dicatur. 71.2.
primogenitus pro Christo. 558.1.
principes Iudæorum, luxuriæ deditos fuisse. 23.1.
princeps pacis, cur Christus sit dictus. 49.1.
prodigia quæ sint. 346.1.
promissio Dei, non est frustra. 569.
promissione vitæ æternæ, ne priuemur, summopere nobis cauendum est. 568.1.
promissionis diuinæ, duplex genus. 283.2.
promissio pro re, digna sit promissio. 386.1.
promissio, pro re promissa, quæ præstanda non est per legem, sed per iustitiam fidei. 293.1.
propheta speculatoris munus subit. 88.2.
propheta malis, malè fauet 111.2.
propheta suæ diffidens puritati, non audet laudare dominum. 588.2.
prophetæ membratim, & per partes sua dogmata tradiderunt. 554.1.
prophetæ, qui per hypocrisim simulauerint, aliquid, non admittuntur. 85.2.
propheta, mandandi & expectandi verbo, potissimum vtuntur. 122.2.
prophetarum dicta, imolucris plena esse. 661.1.
prophetia, de Gentium vocatione. 133.2. 135.1. 159.2. 177.2. & 179.2.
prophetia, futuri Messiæ. 192.1.
propitiatio actiuè sumitur, & passiuè. 182.1.
prudentia carnis, pro affectu eius. 310.1.
Psalmus secundi commentarium, ex actibus esse petendum. 556.2.
Psalmus 44. Epithalamium Christi est. 558.2.
Psalmus 94. mysticus est, typum habeni vitæ æternæ. 568.2.
Pseudoapostoli, eleuare conantur, authoritatem Pauli. 356.2.
Pseudoapostoli, falsò traducunt Paulum quorum calumniam, efficacissimè refutat Apostolus secundum Gracos. 364.1.
Publicas preces Paulus vehementer commendat. 510.2.
pugnæ verborum, partium studia diuersa faciunt. 332.1.
puluis pro quo in sacris literis, accipi soleat. 75.1.
purgationes animarum tradunt Platonici, & schola Simonis. 477.2.516.1.2.
puro corde Deum diligere quis dicatur. 505.1.
Pytagoram, ex Epheso prodijsse. 435.2.

Q.

Quæ res calcar nobis adijcere debeat, ad puritatem sectandam. 514.2.
in Quadragesima, qui carnibus vescuntur, non esu carnium pollui, sed per inobedientiam. folio. 516.2.
quæstus caus, quidam amplectuntur Christianismum. 523.1.
quinquagenarius quis dicatur in sacris literis. folio. 21.1.
quo ordine salutem consequantur gentes. 322.2.

R.

Raab, Babylonem significat in sacris literis. 204.
Rabini Iudæorum, scripturas inuertunt. 556.2.
radix malorum omnium, est pecuniæ studiũ. 523.2.
rationalis animæ vis, contrarijs affectibus distrahitur. 398.2.
rationalis & voluntaria animæ vis, per Adam corrupta. 481.2.
rationalis, pro spirituali positum. 331.1.
Rebus non verbis, mutuo diligere debemus. 456.1.
regnum Christi, & Salomonis quid differãt. 557.2.
redemptio quid sit. 287.1. 437.1.
redemptio perfecta, qualis sit. 438.2.
redemptio pro præcio redemptionis. 509.2.
regnum Dei, seu potior pars religionis Christianæ, in quo consistat. 341.2.
regnum decem tribuum, vocatur regnum superbiæ. 121.1.
regnum decem tribuum vastatur propter superbiam, crapulam, & Idololatriam. 120.1.
regnum Iuda, cur insula vocetur. 86.2.
regnum peccati, longum fuisse. 300.2.
regnum quod Christus possidet perpetuum. 49.2.
regnum suum auferet Deus, ab ijs, qui mandatis eius non parent. 581.1.
religio, magnam requirit puritatem. 521.2.
religionem angelorum, ad cœlibatum malè referre Lutheranos. 474.2.
reliquiæ Iudæorum saluandæ. 203.2. 206.2. & 248.1.
remissio pro languore & fractis viribus, apud Paulum. 287.2.
remittit iniquitates, excludit merita. 291.2.
reproba mens quæ dicatur. 275.1.
reprobationis causa, an Dei voluntas sit, sine vllo reprobati merito. 318.1.
reprobationis exemplum, terribile ac dirum in Pharaone. 318.1.
reputari, aut imputari quid sit. 291.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

requies populo Christiano seruatur, post hanc vitam. 569.2.
resurrectionem Christi, cur toties inculcet Paulus. 351.1.
resurrectionem duplicem esse. 111.2.
resurrectionem, & sepulturam spiritualem, nunc paucissimus, & quare. 475.1.
resurrectionem futuram, prædicit Esaias. 255.1.
resurrectione sua, Christus nihil meruit. 295.1.
resurrectione sua, Christus quodammodo genitus est ad vitam, quam deposuerat. 557.1.
resurrectio regeneratio est. 557.1.
resurrectio seriò cogitata, animum in bono roborat. 427.2.
Roboam, iuuenum consilia secutus est, seniorum relictis. 22.1.
Romam abijt Paulus, non vt prædicator, sed vt consolator. 346.1.
romant, permiserunt Iudæis, vt gladio, Iudæos ad legem compellerent. 553.1.
romam, promptissimè amplexi sunt fidem. folio. 348.2.
romanus pontifex legitimus Petri successor. folio. 713.1.

S.

Sabbata nostra, qualia esse debeant ostenditur. 228.1.
sabbatum quid. 11.2.
saccos duplicis generis, agnoscit scriptura. 85.1.
sacerdos ad misericordiam propensus esse debet. folio. 571.1.
sacerdotes, Deus præ cæteris elegit. 586.1.
sacerdotes hodiè fere accedunt ad altare, ex consuetudine, vel quæstus gratia. 565.1.
sacerdotes, in delictis viuentes terrentur. 518.1.
sacerdotij dignitas, eximia. 586.1. 587.1. 588.2.
sacerdotij ius quibusuis benedicere. 577.2.
sacerdotis officia duo. 571.1.
sacerdotium quid requirat. 589.1.
sacerdotum impuritas reprehenditur. 666.2.
sacerdotum vita, debet esse purissima. 586.1.
sacerdotum vita, & studia taxantur. 591.1.
sacrarum literarum neglectus, quanta pericula pariat. 591.1.
sacrificia qualia Deus suscipit. 122.
Sæculum, & sæcularia carmina quæ. 543.1.
sæculum malum esse, quomodo intelligatur. folio. 351.1.
sæculum perituru, dixere apostoli, vt ab ijs rebus nos abducant. 495.1.
Salem, ciuitas in Chanaam. 577.2.
Salomon, in veteri testamẽto dicebatur dilectus, in nouo verò Christus. 227.2.
saluandorum numerus paucus, damnadorum vero copiosus. 699.1. 673.1. 674.
saluator non potuit argui, de peccatis. 657.2.
saluator, dicit diabolum, tribus rationibus, quibus & nos ipsum conuincere possumus. 646.2
saluari possumus si volumus. 634.2.
saluos peccatores, quomodo Christus facit. 506.2.
salus discipulorum, quam fuerit Paulo curæ. folio. 419.2.
samaria, Metropolis regni Israël. 74.2.
sancti, ascribendi numero cœlestis Hierusalem. folio. 248.2.
sanctificatio, ad puritatem vitæ spectat. 511.2.
sanctificationem non excludit, quod dominus non imputat homini peccatum. 291.2.
sancti, impiorum tormenta aspicient. 257.1.
sancti quomodo esse possimus. 581.1.
sanctitatem cur Deus toties exigat, à suo populo. folio. 589.1.
sancti vniuersa opera nostra, quasi in speculo intuentur. 243.2.
sanctorum suffragia, non fuêre antè natum Christum implorata. 243.1.
sanctus aliter Deus, aliter nos dicimur. 583.2.
sanctus bifariam dicitur. 264.1.
sanctus dicitur omnis baptizatus. 433.2.
sanctus est Deus, & ideo sanctum vult habere populum. 581.1.
sanctus, quis verè dicatur. 26.2.
sanctus ter, cur repetat, Esaias. 34.2.
sanguinis Christi effusi, efficatia magna. 210.1.
sanguis Christi est baptismus, à peccatis nostris. folio. 209.1.
sanguis Christi effusus est, in remissionem peccatorum. 711.1.
sanguis Christi, quid in sacris denotet libris. folio. 12.1.
sanguis Christi, quomodo sit redemptio totius mundi, & multorum. 510.1.
saphyrus, quid signet, & cuius coloris. 213.1.
sapientes apud semetipsos, qui sint. 32.1.
sapientiæ Dei, exaggeratio. 330.1.
sapientia pharisaica vana. 133.1.
sapientia summa est scire, quid Deus ab æterno, de nobis decreuerit fieri. 437.1.
sæculum, quid significet. 42.2.
Scola Simonis, docebat mundum ab angelis esse factum. 448.1. & angelos adorandos. eodem. 2. & 469.2. 476.2.
schola Simonis notatur à Paulo. 454.1. 457.2. 472.1. 468.1.
scientia, complectitur omne id quod pertinet ad rem Theologicam. 408.1.
scopus quid sit. 425.2.
scopus vnde dicatur. 414.1.
scripturæ discendæ magisterio spiritus, non priuato ingenio. 489.1.

scripturæ interpretatio, ad publicam ecclesiam spectat. 489.2.
scriptura (quæ per antonomasiam sacra intelligitur) ad multa vtilis est. 538.1.
ad scripturarum considerationem hortatur Paulus. 565.2.
scriptura sacra, insignes habet tropos. 690.2.
scriptura sacra, versatur circa domini dei opera. 30.1.
scytha quouis Barbaro truculentior. 48.2.
Securum esse non oportet. 425.2.
sedere ad dexteram, quid sit. 439.2.
semen nunc vnum, nunc multa complectitur. folio. 383.1.384.1.2.
semen, verbum, in sacris significat. 140.2.
semina argumentorum, passim inspergit Paulus, 371.1.543.1.
seminantes verbum dei, beati sunt. 448.1.
senior, ætatis, non ordinis aliquando est vocabulum. 518.1.
Sennacherib depredatus est totam Iudæam tandem occisus à filijs. 148.1.
sensus scripturæ duplex. 1.2.
seraphim non audent aspicere deum. 34.2.
seraphim vox vnde dicat. 34.2.
sermo dei omnia etiam intima penitrat & examinat. 570.1.
serui dei, soli Iudæi olim erant. 249.1.
seruiri sibi vult prudenter deus, ne nimia afflictione deficiamus. 521.2.
seruis quid debeatur. 482.
à seruitute peccati, sumus redempti. 437.1.
seruitus legis, in quo consistat. 393.1.
seruum Christi, cur se vocet Paulus. 405.1.
seruus & minister differunt. 260.2.
seruus quid præstare debeat. 549.1.
sex tantum esse dona spiritus sancti. 58.1.
Signa quæ sunt dicenda. 346.1.
signi duplex acceptio. 33.1.
signum quid significet. 238.1.
signum vnde dicatur. 60.1.
Siloe fluuius. 44.1.
Simeon iustus mori cupit, quia promissio spiritus sancti impleta est. 63.1.
simeon iustus lugebat peccata populi. 631.2.
simeonis conscientiæ puritas laudatur. folio 632.2.
similitudo non omnibus partibus debet quadrare. 318.2.
simonis doctrina demoniorum est doctrina. folio. 516.2.
simonis familiam taxat Petrus. 485.1.
simonis schola inducebat multos mediatores præter Christum. 435.1.445.1.
simonis schola sex epistolas concernunt Apostolorum. 553.2.
Simon pro pecunia videbat communicare spiritum sanctum. 51.1.
simplicitas obnoxia est fraudi. 348.2.
Sinus fluminum quid. 61.2.
Solidus cibus allegoricè quid sit docet. 555.2.
sollicitos de victu, nos non vult esse Paulus. 530.2.
solicitudinis Apostoli Petri causa quæ fuerit. folio. 488.1.
Sophista sapiens & sapientiæ simus. 487.2.
Spes anchora animæ 576.2.
spei non confundi proprium. 296.2.
spes pro re sperata. 577.1.
spes nostra cur non sit inanis. folio. 551.2.
spiritualiter ambulantes demones impedire conantur. 463.2.
spiritus arrabonem qui gustauerit facile maiora sequutura conijciet. 438.2.
spiritus compunctionis quis sit. folio. 525.2.
spiritus sanctus non est minor patre, licet intercedere pro sanctis dicatur. 312.2.
spiritus sancti organa sunt os & lingua ministrorũ verbi. 514.1.
spiritus sanctus spiritus ardoris & iudicij. folio. 27.1.
spiritus sapientiæ, consilij & fortitudinis. folio. 37.2.
spiritus vis & energia varia. folio. 586.1.
Status disputationis Paulinæ quis sit. folio. 286.2.
status gratiæ & legis quis sit. 303.1.
status iustitiæ, & peccati. 305.2.
status iustitiæ pulchra antithesis. 304.1.
sterilitas mulierum in lege probrosa. folio. 25.1.
stigmata quid nam sint. 404.2.
stipendium non esse eleemosynam, quod datur pastoribus aut ecclesiasticæ. 432.2.
studiorum vanitas damnatur. 595.2.
studiosi fructum studij sui ad deum non referunt. 29.1.
Summa doctrinæ Paulinæ ad Ephesios. folio. 450.1.
summa doctrinæ totius Esaiæ. 7.2.
superbia Moab retunditur. 76.1.
superbia moresque hominum, huius temporis reprehenduntur. 616.2.
superbia retunditur illorum qui propter dona naturæ designantur, quærere natum Christum. folio. 624.2.
superbire de donis non debet Christianus, & quare 452.1.
Synagogæ casus prædicitur. 153.2.154.1.

T.

Tabernaculus hæreticorum recedendum. folio. 533.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tartarum pro aëre turbulento. 490.1.
Templum & templaritus hominem non reddunt beatiorem. 23.2.
templum, mons testamenti dicitur & latera aquilonis. 68.2.
tempus etiam aliarum rerum dispendio, est emendum. 483.2. 458.1.
tempus gratiæ iam est, in quo sumus. 198.2.
tenebras appellari, homines mundo deditos, quibus dominantur demones. 463.1.
tentationibus nõ possumus resistere, absque orationibus. 646.1.
tentationibus resistere oportet. 647.2.
tentatio superat hominem, nisi fortiter resistat. folio. 105.2.
terra, corda hominum in sacris literis significat. folio. 140.2.
terræ fructus, pro Christo ponitur. 26.1.
terra inuia, quæ dicatur. 159.1.
terra longinqua, pro quo sumatur in sacris literis. folio. 151.2.
terra, nõ poterat ferre peccatum Core, Dathan, & Abyron. 630.1.
terra nostra exilij locus. 596.1.
testamentum nouũ, cum veteri comparatur. 89.1.
testamentum pro pacto, frequens in sacris literis. folio. 383.2.
testamentum vetus, exigendum cum observatoribus legis, & cæremoniarum. 395.1.
In testamento veteri, angeli personam Dei gerebant. 474.1.
testimonium spiritus, vitam sanctam esse. 311.1.
Thalmud & Cabala Iudæorum, falsas esse traditiones. 504.2.
thanu, Metropolis Aegypti. 83.1.
tharsis, quid propriè significet. 95.1. 19.2.
theogonia Hesiodi, quid doceat. 449 2.
theologis cauendum, ne in Mat æologiam incidant. 505.2.
thezaurizare in cælis & terris, qui dicuntur. 612.2.
thezaurizare, quid significet apud Paulum. 277.2.
thronus regni, iudicium est. 555.2.
Tiburtij ad Torquatum liberrimum dictum. 430.2.
timor castus, & filialis quũ sit. 231.2.
timotheus à Paulo episcopus ordinatus est, ex reuelatione spiritus sancti. 507.2. 527.1.
timotheus, cur à Paulo circunciſus. 363.2.
timotheus, Episcopus ephesiorum. 504.1.
timotheus, orantibus episcopis, manumque imponentibus, ordinatus est Episcopus. 518.1.
timotheum, monet Paulus in multitudine ordinandorum, quid sit faciendum. 522.1.
timuisse, quomodo dictus sit Petrus, 371.1.
titulus pro monumento domini positum. 84.1.
Titus, Cretæ fuit Episcopus. 540.1.
titus, cur ab apostolis non sit compulsus circuncidi. 363.1.
Traditiones hominum, quæ sint dicenda. 473.2.
traditionis nomine, quid significetur. 357.1.
traditio, præcepta & cõstitutiones continet. 473.1.
tres loci insignes, apud Petrum. 489.1.
tria genera distinctionum. 363.2.
tria genera hominum, in quibus verbum Dei, parum fructus facit. 638.2.
tribunal iudiciariam potestatem designat. 340.1.
tribus Iuda, iumenti nomine appellatur. 136.1.
tribus Iudæ onus. 136.2.
trinitatis aperta mentio, in apostolorum epistolis. 551.2.
tritura & areæ, quid significent. 88.1.
triumphus Christi, depingitur. 240.1. 241.1.
Turpes affectus carnalium, non opera tantum, sed & vestes posuit. 503.2.
tutos nos, & absque timore esse in pace Dei. 430.2.
Tyconij vtilissima regula, de Christo & corpore eius. folio. 558.1.
typus bonorum omnium, Hierusalem est. 5.1.
tyrus à Chaldæis euertitur. 98.1.
tyrus, fidem Christi amplectitur. 99.1.
tyrus, cur meretrix dicta. 98.2.
tyrus, filia Sidonis dicta. 98.1.
tyrus, metropolis Phœniciæ. 95.1.
tyrus, quòd post aliquot annos, iterum sit extruenda. 98.2.

V.

VAe, accipitur ferè semper, pro æterna damnatione. 23.1.
væ, variè aliàs accipitur. 8.2.
valentini & Apellis hæresis, de incarnatione filij Dei. 388.2.
vallis, in sacris quid significet. 687.1.
vanissima esse omnia, quæcunque hic mundus admiratur. 698.1. 699.1.
vastatio Iudæorum, dicitur gloria & liuor domini. 10.2.
Vectis, diabolus est vocatus & quare. 672.2.
venter vino æstuans, facilè despumat in libidinem. folio. 458.2.
vepres diuitijs, cur sint similes. 639.1.
verbũ Dei, arma ministra aduersus diabolũ. 647.1.
verbi Dei verus auditor, quis sit. 658.2.
verbum Dei externum, & iuxta literam, non replet animam. 216.1.
verbum Dei incorruptibilem, à corruptione præseruat credentes. 632.2.
verbum Dei, quomodo accipiatur. 658.1.
verbum Dei sinceriſsimum etiam, opus habere testimonio hominum. 568.1.
veritas Dei, ipsius diuinitas est. 274.1.
vestimentorum luxus Deo displicet. 25.1.
vestitus sumptuosus, tam viros quàm mulieres decet. 510.2.
vetus

vetus homo animus est hominis cum vitiata natura. 481.2.
vetus homo sepelitur in baptiſmo, qui est circunciſio Christi. 474.2.
Via paupertatis, castitatis, & obedientiæ arcta est. 625.2.
via triplex est in qua homines ambulant. 625.2.
via duplex, vna quæ ducit ad vitam, altera ad mortem tendit. 633.2.
via pro vitæ renouo posita. 501.1.
via veritatis, verus & purus est Christianiſsimus 489.2.
viduæ olim alebantur publico ecclesiæ prouentu. folio. 520.2.
viduæ cur gentes dictæ, & quis maritus earũ. 212.2.
viduæ vouebant continentiam. 520.1.
viduarum institutum, quale & vnde nomen habeant. 518.
viduarum olim certum erat institutum, eodem.
viduis aliquid officij olim incubuiſse, ad quarum numerum, non quæuis temerè admittebatur. 519.1.
ex vinculis Pauli quid boni euenerit. 409.1.
vindicta Sion futura sit. 458.1.
virga virorum castigare, pro humaniter tractare, Hebraiſmus est. 158.1.
virtuosam potentiam Christi sentiunt, quotquot sunt in Christo. 462.2.
virtutis studium maximè munit nos aduersus hæreses. 489.2.
virtus apud latinos, dupliciter accipitur. 431.1.
vinum merum, quod dicatur. 115.1.
violatores sacræ scripturæ reprehenduntur. 13.2.
vires dæmonum, quantæ. 672.2.
virgæ, varia acceptio. 57.2.
virga oris Christi, quæ dicatur. 58.2.
virginitas, matrimonio dignior. 661.2.
virtutem quid sit, philosophos non ignoraſſe. 174.2
viri præstantes appellantur pingues. 54.2.
virtutes Mariæ in quibus se exercuit. 663.1.
virtutes sunt delitiæ operantibus. 674.1.
virum perfectum Augustinus qualẽ esse velit. 453.1.
viscera misericordiæ induere nos quid sit. 482.2.
visitare dupliciter accipitur. 98.2.
vitæ æterna meritis operum redditur. 213.1.
vitæ æternæ ex operibus & non ex fide sola. 424.2.
vitæ æternæ corona debitum quoddam & creditum est, vnde & corona iusta dicitur. 549.1.
vitæ æterna quomodo gratis data. 304.1.
vitijs seruientes inimici Christi constituuntur. folio. 244.2.
viuere in mundo, quid sit. 478.1.
viuendi rationem norunt quidam præscribere, cum ipsi diuersa sequerentur. 536.1.
viuere sine deo non possumus. 624.2.
viuos & mortuos quomodo deus iudicaturus intelligatur. 538.2.
Vmbraculum quid sit. 10.2.
Vnicornis, animalis nomen, pro quo ponatur. folio. 157.2.
vnitatem, cognationem, & dignitatem nos habere cum Christo. 440.2.
Vocatio dei, gratuita, non respiciens conditionem, aut meritum. 366.1.
vocatio & electio dei non vlla merita, sed spontaneam electionem spectare. 817.2.
vocatio Gentium ad Euangelium Christi. 693.2. & 708.1.
vocatio in scripturis semper deo patri attribuitur. 352.2. 390.2.
vocem dei vocantis nos, audire nolumus. 594.1.
vocationi suæ pauci sunt qui satisfaciant. 633.2.
voluntatem dei seruos facere, qui Ethnicis seruientes obediunt contra Lutheranos. 462.1.
voluntas pro beneuolentia, & fauore. 320.1.
voluntas quædam proprij nominis, quædam signi est. 505.1.
voces & res, quæ varianturin scriptura, sunt aliarum rerum signa. 689.1.
voluntate dei, & non falso omnia fieri. folio. 164.1.
voluptatibus & ebrietati dediti damnabuntur. folio. 32.2.
vox clamantis in deserto, quis proprie dicatur. 168.2.
Vrbs fidelis, quid dicatur. 134.1.
non vrgendum importunè libertatem per Christum nobis conceſsam. 342.1.
Vt, vocabulum causam dicit vel consequentiam. folio. 272.2.
vt, vocabulum ambigue sumi. 416.2.
Vtilitas quid apud Paulum significet. folio. 294.2.
Vxores suas diligere, etiam Ethnicos. folio. 459.2.
vxoris propriæ vsum, peregrinis concedebant hæretici, pietatis prætextu. 458.2.

X.

XAnthis Pagnini, thesaurus linguæ sanctæ citatur. 316.2.

Z.

ZElo veritatis commotus Paulus persecutus est Ecclesiam dei. 506.2.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANDIDO LECTORI S:

HAec sunt candide lector quæ in hoc opere annotatione digna videbantur, quare æqui bonique ea vt consulas precamur. Prolixiorem forsan indicem, hoc tam venustum, summo iuditio ac singulari sapientia conscriptum opus, requirere videbatur. Verum nos maluimus breuem, pulcherrimaq; huius operis complectentem, quam amplum, ac ea quę vix lector requireret continentem indicē adijcere. Nemo enim (vt credo) cui huius auctoris legendi facultas dabitur, inuenietur, qui non in hoc scriptore malit memoria prompta atque expedita, legendi assiduitate confirmata, quam indice licet copioso ac amplo vti. Vale candide lector nostrum laborem boni consulens.

CATALOGVS OPERVM F. ADAMI SASBOVT, IN HOC VOlumine contentorum.

In Esaiam Prophetam commentaria.

In omnes D. Pauli & quorundam aliorum Apostolorum Epistolas explicatio.

Opus Homiliarum.

Oratio quodlibetica demonstrans veram Christi Ecclesiam.

Oratio funebris, in obitum Præsidis Collegij Pontificij, in Academia Louanienſi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOAN. XIIII.

Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi, sic facio.



IN ESAIAM PROPHETAM
COMMENTARIA F. ADAMI
SASBOVT DELPHII.

DE SCRIPTVRARVM SENSIBVS.

ANtequam Esaiæ expositionem aggrediamur, quædam de scripturarum sensibus breuiter præmittenda sunt. Est itaque sacrarum scripturarum duplex sensus, literalis videlicet & mysticus. Sensus autem literalis est, quē author scripturæ, id est, Spiritus sanctus primò per voces significare voluit, & nihil refert siue propriè sumātur voces, siue impropriè: Mysticus verò est, quem ex rebus corporaliter gestis aut gerendis significare voluit. Ex his duabus descriptionibus tria discimus: primum est, sensum literalem esse fundamentum ac basim sensus mystici: Secundum est, quando de rebus diuinis seu cœlestibus sermo est, tantum vnicum esse scripturæ sensum eumque literalem, plerunque per tropos, metaphoras, ænigmata significatum: Tertium est, geminum istum sensum non à patribus nouæ legis, aut ab homine aliquo ad fidei & morum institutionem confictum aut inuentum, sed à Spiritu sancto in sacris literis indicatum esse. Istud certo certius est, atque aliter opinari hæresis est, quod licèt multis scripturarum testimonijs probari potest, vnum tantùm idq; apertissimum adducemus. Scriptum est Exod. 12. *Os non cōfringetis ex eo*: quæ verba cùm nemo dubitet, quin secundum literam de agno paschali veteris testamenti intelligantur, Ioannes tamē Euangelista ad Christum refert. Ait enim cap. 19. sui Euangelij hoc modo: *Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt crura eius, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua: facta sunt autem hæc, vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.*

Duplex scripturæ sensus.
Quid sensus literalis.
Quid mysticus.
Exod. 12. g
Ioan. 19. g

Scriptura itaque sacra præter literalem sensum habet alium, quem Paulus 1. ad Corinth. 10. typicum appellat, & ad Gala. 4. allegoricum, dum ea quæ scriptura narrat de Abraham quòd duos habuerit filios, dicit esse per allegoriam dicta, vsu vocabuli è media arte petito. Verùm aduertendum in primis duplicem esse allegoriam, vocum videlicet & rerum. Sic enim distinguit Augustinus de Trin. libr. 15. cap. 9. Vocum autem allegoria nihil aliud est quam perpetua metaphora, vt exempli gratia, scriptum est Esaiæ 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabuntur, etc. Hoc loco est allegoria vocum: neque enim lupum intelligit proprij nominis, qualem vulgus, nec agnum nec pardum, sed singulas voces metaphoricè vsurpauit. Nomine enim lupi, pardi, leonis & vrsi, barbaras & efferas nationes intelligit, quæ de-

1. Ad Cor. 10. a. Ad Gal. 4. d

Duplex allegoria.
Allegoria vocum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posita sæuitia & immanitate sanctissimis conspirabunt studijs in vnitatem fidei cum simplici & humili populo Christiano: & hic est literalis sensus, & quia de rebus mysticis seu diuinis sermo est, non oportet alium sensum inquirere. Hæc allegoria, scripturæ cum poetis & oratoribus communis est, neque de hac in præsentiarum sermo est: hoc tamen notandum obiter, quòd scriptores ecclesiastici sensum literalem sub tropis & metaphoris propositum, nonnunquam allegoricum vocant. Rerum verò allegoria sacræ scripturæ propria & peculiaris, est quando res corporaliter gestæ aut gerendæ, notæ sunt & figuræ aliarum rerum, vtpote Christi & eius regni.

Allegoria rerum.

Verùm quia duplex est Christi regnum, alterum in terra adhuc militans, alterum in cœlo triumphans: hinc est quòd Hier. allegoriam bifariam diuisit, scilicet in tropologiam & theoriam: Tropologiam vocans quando à litera transimus ad Christum & regnum eius in terris constitutum. Theoriam verò, cùm ex litera consurgimus ad Christum & regnum eius in cœlis triumphans. Hanc diuisionem tradit Hier. in epistola ad Hedibiam, quæstione vltima, cuius verba sunt: Descriptio & regula scripturarum triplex est in corde nostro: Prima, vt intelligamus eas iuxta historiam: Secunda iuxta tropologiam: Tertia iuxta intelligentiam spiritualem. In historia, eorum quæ scripta sunt ordo seruatur. In tropologia, de litera ad maiora consurgimus, & quicquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta conuertimus. In spirituali theoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cœlestibus disputamus, vt præsentis vitæ meditatio vmbra sit beatitudinis futuræ. Hactenus Hierony. Verùm aduertendum, neque ipsius Hieronymi seculo, neque apud veteres ipsum præcedentes, distinctionem hanc tritam fuisse. Siquidem Augustinus Hieronymo contemporaneus historiam tantùm agnoscit, & allegoriam, in libr. ad Honoratum. Non enim ibi docet Augustinus quadruplicem esse scripturæ sensum, quod prima fronte videtur, sed scripturam quadrifariam tractari tradit: videlicet secundum historiam, cùm docetur quid factum sit, aut non factum: secundum ætiologiam, cùm ostenditur qua de causa sit factum: secundum anagogiam, cùm ostenditur scriptura veteris testamenti non aduersari scripturæ noui testamenti: secundum allegoriam, cùm ex literali sensu intelligitur sensus mysticus. In eo autem, quòd ostendimus vel causam facti, vel scripturam non esse contrariam scripturæ, non indicamus eiusdem scripturæ plures esse sensus.

Tropologia. In epistola ad Hed. quæst. 12. Theoria.

Augustinus itaque sub triplici illa traditione, secundum historiam, ætiologiam, & anagogiam, intelligit triplicem modum declarandi sensum literalem, adeoque sub quarto membro videlicet allegoria, intelligit omnem sensum non literalem, quemadmodum ipsemet explicat. Et quemadmodum Augustinus duplicem tantùm facit sensum scripturæ, literalem videlicet & allegoricum, ita etiam Origenes, itē Basilius Mag. & Grego. Nazianz. Nam quod illi Paulum sequuti allegoriam vocant, ipsi appellant tropologiam: & tropologicē s, id est, allegoricē s hunc aut illum locum intelligendum dicunt. In qua significatione tropologia etiam Hieronymus in suis commentarijs passim vtitur, nihil omnino discernens inter allegoriam & tropologiam, licet in illa sua diuisione in epistola ad Hedibiam ea

August. in lib. ad Honor. cap. 3.

Origē. hom. 11. super Num.

biā ea voce strictius vtatur, quam diuisionem ab eo postea mutauerunt scholastici sensum scripturæ trifariam diuidentes, sed alijs, quàm ipse, vtuntur nominibus. Nam quod Hiero. ibi tropologiam vocat, ipsi appellant allegoriam, generali significatione vocis allegoriæ in arctiorem contracta. Et quod ipse vocat theoriam, ipsi appellant anagogiam, id est, subductionem, cùm sensus ad altiora sustollitur. Dicitur enim anagogia seu anagoge non ab ἀνὰ & γωγὲ vt quidam putant, cùm ea vox græcis nihil significet: sed à græco verbo ἀνάγω, quod (vt doctissimè annotat Budæus in cōmentarijs linguæ Græcæ) inter cætera significat sustollo, subueho. Hie. tamen generalius ea voce vtitur, an agogen vocans omnem sensum mysticum: loca in commentarijs eius vbique obuia sunt. Alij rursus sensum allegoricum hoc modo strictè acceptum bifariam diuiserunt: videlicet in sensum moralem, quem tropologicum vocant, qui scilicet in rebus gestis docet, quid agere debeamus: & in sensum intellectualem, quem communi vocabulo allegoriam vocant, qui scilicet vel in rebus vel cæremonijs designatus est, docens ea quæ credenda sunt de Christo & eius ecclesia in hac vita. Qui verò docet ea, quæ credenda sunt de Christo, & eius ecclesia in cœlo triumphante, appellant anagogicum, vt dictum est. Atque secundū os quadruplicem habemus scripturæ sensum, literalem siue historicum, tropologicum, allegoricum, & anagogicum. Hæc ideo in primis dicta sunt, vt melius intelligantur veterum scripta. Nam qui didicerit solùm vulgares istos versiculos:

Secundum quosdam quatuor scripturarum sensus.

Litera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas anagogia:

Turbabitur cùm peruenerit ad veteres scriptores. Deinde etiam eam ob causam dicta sunt, vt melius intelligantur prophetæ, sub quorum scriptis aliud latet quàm ipsa litera prima fronte præ se fert. Qui enim non statuerit apud se scripturam duos ad minimum habere sensus, & agnouerit prophetam aliquando transire à litera ad sensum mysticum, qui omnino alienus videtur à litera, mirabitur stylum propheticum. Nam & apostolo Paulo omnis sensus scripturæ aut grammaticus erat, hoc est, literalis: aut allegoricus, quemadmodum & priscis illis & primis doctoribus Origini, Basilio, Naum, Aug. Hierony. qui omnes non agnoscunt nisi duos scripturæ sensus, literalem & spiritualem, quem varijs appellant nominibus, nunc allegoriam, nunc tropologiam, nunc anagogen, nullo tamen discrimine, quod diligenter apud eos, & præcipuè apud Hiero. obseruandum est. Hactenus breuiter de scripturarum sensibus, iam restat vt dicamus quid obseruandum ei qui iuxta sensum spirituale cupit interpretari scripta prophetarum & nouæ legis.

Ex his quæ annotauimus hactenus, constat, literam vel historiam esse basin ac fundamentum allegoriæ: propterea volenti scripturam interpretari allegoricè, imprimis curandum est, vt literam ad vnguem teneat, quia puerile est, stultum, imò nihil offendiculo magis potest esse Iudæo, quàm quòd quis de sensu spirituali disputet, non antè intellecta litera. Ille enim abusus scripturæ est maximus, tam liberè pro cuiusque ingenio & phantasia confingere allegorias: hoc namque modo scriptura sacra esset quasi Lesbia regula, & eam quo quisque vellet, detorqueret. An autem tota scriptura & singula eius verba exponenda sint secun-

Quid obseruandum volenti interpretari scripturam allegoricè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum allegoriam, dubium est vel potius dubium non est, quia hoc minimè solidum est. Præterea totam scripturam tractare secundum triplicem aut quadruplicem sensum, nec hoc solidum est, non solùm quia difficile est semper cohærentia dicere, sed etiam quia necesse est sæpe multa confingere, quod vtique periculosum est in tanto thesauro, cui illam debemus reuerentiam, ne quid facilè commiscamur. Atque adeò credibile non est, totam prophetarum scripturam allegoricè vel tropologicè interpretandam: Nam licet omnia illis in figura contigerunt, vt
1. Cor. 10. a. scribitur 1. ad Corinth. tamen nusquam dicitur, quòd omnes omnium factorum scripturarumque particulæ, modi, & circumstantiæ suas habeant allegorias, vt oporteat studere ad perpetuum aliquem commentarium. Alioqui si omnia ista suam habeant et propriam allegoriam, lex vetus non vmbra fuisset & typus
Ad Heb. 10. a ad legem nouam, sed imago, quod est contra Apostolum ad Hebr. cap. 10. Lex non est imago, id est, absoluta expressio, sed vmbra, id est obscura tantùm futurorum bonorum expressio. In typo autem & vmbra satis est, si summa & extremis lineis res adumbretur. Sic apud Platonem lib. 8. de Repub. & Theophrastrum lib. de plantis, & Arist. sæpissimè, in typo seu figura dicere, est rudi quodam modo rem exprimere, extremis tantùm delineamentis adumbrare, & non addere colores perficientes. Sic lex vetus erat tantùm summa quædam delineatio earum rerum quæ in ecclesia Christi contigerunt. Si igitur Babylon, Aegyptus, Damascus, & cæteræ ciuitates vel nationes typi tantummodo erant, inspiciatur tantùm summa delineatio: neque singula de excidio Babylonis, Aegypti, Damasci, & aliarum ciuitatum prodita putentur esse allegorica: neque omnia & singula quæ dicuntur ab Esaia, suam habere allegoriam. Quapropter omnes & singulos modos excutere superuacaneum foret et inutile. In hac re vel Hiero. videte, qui dum singula exponit allegoricè, quàm multa dicat inconsequentia, dum etymologiam Babylonis prosequitur, ex ea incipiens sensum allegoricum. Babel ait interpretatur confusio, ergo Babel siue Babylon spiritualiter est mundus, id est, figura mundi. Istud ferè facit cùm occurrunt nomina fluuiorum, montium vel locorum, quod tamen ipse Hiero. in præfatione lib. 5. comment. super Esaiam reprehendit in Origene faciente suum ingenium sacramenta ecclesiæ. Certum quidem est, facta Iudæorum typica fuisse & allegorica: sed quæstio est, an nomina harum vel illarum rerum, vel fluminum, vel montium debeant habe-
Ad Heb. 7. a re suam allegoriam. Huius rei habemus vnicum exemplum in epistola ad Hebr. vbi Paulus interpretatur nomen Melchisedec, & noman Salem iuxta etymologiam grammaticam, ex qua adfert mysteria facientia ad dignitatem Christi. In exemplo dubites, an iuxta exactam veritatem Paulus hæc fecit, an potiùs per occasionem forte oblatã, quam conuertit ad propositum suum: sicut altare quod
Act. 17. c fortè præteriens viderat apud Athenienses, conuertit ad prædicationem suam, cùm interim nihil haberet certi inscriptum de Christo.

Quanquã ergo res gestæ apud Iudæos figuratiuæ fuerunt, vt constat ex euangelio & scriptis Apostolorum, rerum tamen nomenclaturas typicas fuisse non perinde constat. Hierony. ergo sicut dictum est, Babylonem figuram mundi facit, Medos autem & Persas, Apostolorũ & successorum, qui dominicæ crucis eleuato signo bellum indicunt toti mundo & confusum mundum euertunt: hæc probabiliter.

biliter. Sed sequitur: Ingrediantur portas duces, quod hoc modo interpretatur, Duces Ecclesiæ aperiant portas mysteriorum Dei, id est, patefaciant Apostoli sacramẽta scripturarum populis sibi creditis: Iudæi hoc non fecerunt, faciant Apostoli. Iam hoc quàm non cohæreat præcedentibus, nemo non videt. Portas, per quas ingressus est ad sacramenta scripturæ, an studuerunt Apostoli demoliri, vt Medi & Persæ portas Babylonis? certum est quòd non. Ergo illa expositio improbabilis videtur: aliud esset, si quispiam portas alicuius Ethnici philosophi demoliretur. Minus cohæret quòd Reges gentium congregatarum, interpretantur quidam hæresiarchas, quam allegoriam habet & D. Hierony. An ergo hæresiarchæ concurrant cùm Apostolis ad euertendum mundum, & stabiliendum regnum Christi? certum quòd non. Eandem in consequentiam videre est in Dy-
Dionys. Carth. in 13. capit. Esaiæ post expositionẽ litera. onisio Carth. Per portas ille intelligit portas templorum, commentarius eius sic habet: Prælati fidelium ad instruendum gregem sibi commissum ingrediantur portas Ecclesiæ, sed portæ illæ non destruuntur. Talia sunt: Vnusquisque ad populum suum reuertetur, quod ad finem mundi refert, hoc sensu: In consummatione seculi electi coniungentur electis, & reprobi reprobis, & singuli ad terram suam fugient, hoc est iudicis data sententia electi ibunt ad terram viuentium, reprobi verò ad terram tenebrosam & mortis caligine opertam: hæc ille. At Esaias de impijs tantùm loquitur, scilicet propugnatoribus Babyloniæ: quare & expositio illius parùm accommoda est. Sic de infantibus allidendis: Infantes ille intelligit paruulos Christianorum, qui in fine mundi simul cum matribus à ministris Antechristi trucidabuntur, quasi Babylon typum gessisset Christianorũ quod priùs non fecerat. Hæc iccirco annotauimus, vt lecturi commentarios secum adferant iudicium, ne omnia certa putent ac indubitata, quæ illic leguntur, quin & Hierony. non vult sua scripta sic intelligi. Præterea ne laboremus in allegorijs pro perpetuo commentario, quia hoc præterquam quod difficile est, etiã superuacaneum est.

Sed ad Babylonem reuertamur, quam D. Hierony. typum facit mundi, & verè est typus mundi, id est, cœtus impiorum hominum, siue ille ciuitas vocetur, vt apud Augustinum, siue regnum seu respublica. Aduertendum enim est, quòd à primo iniusto Cain constituta est respublica hominum impiorum, quam scripturæ frequenter respiciunt, & sine qua scripturæ non facilè intelliguntur. Alia est respublica hominum iustorum, quæ cœpit in Abel, atque huius typus fuit Hierusalem, sicut illius Babylon, secundum omnium sententiam tam Latinorum quàm Græcorum. Cur autem omnes istud dicant, causa est, non quia Babylon interpretatur confusio, sed quia multæ valdè conueniunt qualitates, multa valdè concurrunt, quæ Hierusalem & Babylon tribuuntur, quæ in regno iustorum & impiorum licet agnoscere. Hæ scripturæ passim sunt in libr. August. de ciuitate Dei. Nam ibi vtriusque ciuitatis studia, initia, progressus comparantur. Illa ergo quæ Babylon communia habet cum mundo, putentur esse allegorica, & allegoricè exponantur, de alijs non debet esse anxia cura, & quod de Babylone dicimus, hoc in alijs allegorijs obseruetur. Cætera prosequi nimis longum foret, interim illud diligenter aduertendum studioso, quòd prophetæ, quia sub typis, vmbris, & figuris ea describunt, quæ ad Christum & eius regnum pertinent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& rursus ad diabolum & ipsius regnum, frequenter in medio historiæ curſu, relicta historia transeunt ad ſpiritum, id eſt, ad res ſub typis illis propoſitas & occultatas. Quod olim non aduertentes hæretici, dixerunt prophetas more hominum limphaticorum, qui temerè de vna ſententia in aliam prorſus ſeparatã rapiuntur locutos. ſed errãt, cùm conſuetudo ſit prophetarum, poſt literalẽ ſenſum rem aperire figuratam, quod doctores vocãt à litera tranſire ad ſpiritum: atque iſtos occultos tranſitus poſſe cognoſcere præcipua clauis eſt ad intelligẽdos prophetas: Neque pro libitu poſſumus facere tranſitum, qua in re peccat gloſſa ordinaria, ſed tunc demum, & tunc ſolùm, quando ipſa litera exigit, id eſt, quando maiora & ſublimiora ſunt quæ dicuntur, quàm vt præſenti rei conuenire poſſint, aut cõ modè adaptari, qualia multa ſunt in ſcriptis prophetarum. Vnde Lyra qui vbique ſtudet retinere literã, videtur frequenter vim facere ſcripturæ, maximè in pſalmis. Neque rurſus ſolidum eſt, quòd ſymbolo ſpeciei in prophetis totum genus ſignificatur, in quo multum peccat Dio. Carth. Exempli gratia: narrant prophetæ, hunc aut illum, aut alium quempiam, propter hoc aut illud ſcelus periiſſe: his non ſignificatur, quod omnes qui ſimilia perpetrant, ſimili morte perituri ſint: Hoc non eſt ſcripturam exponere ſecũdum geminum ſenſum, neque ſecundum allegoriam, ſed per accommodationem. Hoc enim ſecundum analogiam accipimus, & obliquo quodam modo ad mores & vitam noſtram accõmodamus, præter ipſius ſcripturæ ſenſum, licet non contra ſcripturæ ſenſum fiat.

Iam reſtat breuiter aperire cauſam, ob quam potiſſimum prophetauit Eſaias.

Cauſa ob quam prophetauit Eſaias.

Primum peccata, quibus populus obnoxius fuit tẽpore Eſaiæ prophetæ, ſunt hæc, ignorãtia Dei, fiducia operum, ſuperbia, contemptus fratrum miſerorum, fraudes in iudicijs publicis, idololatria, & Zodomiæ vitium. Patent hæc partim ex 4. Reg. & 2. Paralip. partim ex hoc ipſo propheta. Miſſus eſt ergo Eſaias vt populũ à prædictis vitijs ad vnius veri Dei cultũ reuocaret. Interim ſuæ prophetiæ admiſcet multa de Chriſto & eius regno, id eſt, eccleſia Dei, de reiectione Iudæorum & vocatione gentiũ. Vnde obſcurior eſt propheta propter latentes tranſitus ad Chriſtum, Eccleſiam, & Eccleſiæ Sacramenta.

CAPVT

CAPVT PRIMVM ESAIAE.

Anno ante Chriſtum natum 796. A mundo condito 3166.

Viſio Eſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Hieruſalẽ in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda.

Iſtud eſt titulus totius huius operis, breuiter complectens & nomen ipſius prophetæ, & populi, cui ipſe prophetauit, & tempus quo prophetauit.

Varia acceptio viſionis.

Viſio Eſaiæ) Vocabulum (viſio) variè obuium eſt in ſcripturis. Interdum enim ſignificat actum videntis, interdum rem viſui repræſentatam, interdum verò reuelationem, quandoque etiam ipſam ſpecierum apparitionem: hic autem potiſsimum accipi videtur pro reviſa & intellectui repræſentata. Quod autem dicit, Viſio Eſaiæ, in tertia perſona, & nõ hoc modo, viſio quam ego Eſaias vidi, hoc facit vel modeſtiæ cauſa vel aliorum ſcriptorum conſuetudine: Is enim mos eſt ſcriptoribus, tam eccleſiaſticis quàm profanis omnibus ferè communis, vt dum propria ſua aut dicta, aut facta enarranda veniunt, ea ſub aliena perſona referre malint. Sic hoc loco facit propheta noſter, viſio inquiens Eſaiæ, perinde ac ſi alius eſſet Eſaias: & alius qui hæc enarrat.

Filij Amos) hic aduertendum (vt etiam annotat Hiero.) quòd Amos iſte non eſt minorum prophetarum tertius, vt quidam arbitrantur, ſed longe alius: Cuius rei fidem in primis faciunt nobis Hebræi, apud quos diuerſis ſcribuntur literis. Amos enim pater Eſaiæ, primã habet Aleph, & vltimam Tſade: Amos verò propheta primã habet Ain & vltimam Samech. Præterea pater Eſaiæ (vt ait Rabbi Salomon) fuit nobis, frater Amaziæ regis Iuda: Amos verò propheta ruſticus fuit, & humili loco natus. Eſt & tertia differentia, quòd pater Eſaiæ interpretatur fortitudo ſiue robuſtus: Amos verò propheta, populus durus vel grauis. His tamen nõ obſtãtibus alij Hebræorum regulam ſequuti (qua aſſerunt, quòd quandocunq; in titulis prophetarum nominatur pater prophetæ, vel auus, vel proauus, datur intelligi, quòd quilibet horum propheta fuerit) audent dicere patrem Eſaiæ prophetam fuiſſe, nõ quidem illum minorum prophetarum tertium, ſed alium quendam nobili progenie natum.

Quam vidi ſuper Iudã) Videre hoc loco, quẽ admodũ apud Ethnicos ſcriptores frequẽtiſſimè, accipitur pro intelligere. Vbi noſter interpres habet (ſuper) Septuaginta interpretes verterũt (contra) vt in initio aduerſa prophetare noſcatur. Vox autem Hebræa עַל al ambigua eſt ad vtrũque, habetq; alia ſignificata, quemadmodum in principio ſecundi capitis dicetur. Nomine Iuda ſcriptura etiã intelligit tribum Beniamin: Ab eo enim tempore, quo diuiſum fuit regnum Iſraël, ſemper tribus Beniamin adhæſit tribui Iuda: hinc & commune nomen accepit. Senſus ergo tituli eſt iſte: hoc volumine continentur tum proſpera, tum aduerſa, quæ Eſaias propheta, filius Amos fratris Amaziæ regis intellexit, ſciuit, imò & prædixit euentura ſuper tribũ Beniamin, Iudæ, & habitatores vrbis Hieruſalem, ijs temporibus, quibus regnauerunt Ozias, Ioathã, Achaz, & Ezechias reges Iuda. Hinc facilè colligitur quòd eodem prophetauit tempore, quo Ioël & Ozeas. Hactenus de titulo.

Quid nomine Iuda intelligatur.

Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt, Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

Audite cœli &c.) Antequã propheta enarrat ea quę vidit, vt auditores ſuos reddat magis attentos, & ad audiendum alacriores, prouocat ipſum cœlum & terram ad audiendũ ea quæ dicturus eſt. Huius loci duplex eſt commentarius, & vterq; egregius. Quidam enim metonymicẽ hęc accipiũt, per cœlos, cœleſtes ſpiritus ſeu angelos; per terram, terræ incolas intelligentes: Sic Hieron. intelligendum putat. Alij verò ſimpliciter & ſine figura hæc accipiunt, vt propter magnitudinem enormitatemque peccatorum populi, in vltionem & deteſtationem intelligatur propheta ad audiendũ prouocare res etiam inanimatas, hoc ſenſu: Audite vos orbes cœleſtes, & auribus percipe tu brutum elementum terræ, vt cùm audieritis, vos teſtes ſitis eorum, quæ dominus in ſequentibus loquitur de populo ſuo, quem ſibi peculiarem elegerat: Sic intelligit Rupertus & vehementior eſt hic ſenſus, quàm prior.

Duplex huius loci ſenſus.

Filios enutriui &c.) Licet iſtud ad cuiuſuis temporis homines referri poteſt, prophetа tamen de Iudęis potiſsimũ loqui videtur, quos quomodo Deus olim in populũ peculiarem ſibi elegerit, & tanquam filios cibo tum corporali, tum ſpirituali enutriuerit: quomodo præterea eos reliquis nationibus ſuperiores fecerit, ad ſummum denique honoris & imperij gradum euexerit, ex varijs veteris teſtamenti locis manifeſtum eſt. Legimus enim in primis quòd miſerit prophetas, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

eis cibum spiritualem, doctrinam videlicet
salutarem suppeditarent: misit & cœlitus
Exod.16. manna cibum corporalem in deserto, aliaq;
Psal.77. alimenta ad vitæ sustentationem necessa-
ria semper administrauit: forti præterea ma-
nu admirabili modo eos à seruitute Aegy-
ptiorum liberauit, hostibus denique omni-
bus deuictis ac superatis, ad terrã promissio-
Exod.17. nis, terram inquam lacte & melle manan-
tem, perduxit. His tamen omnibus non ob-
stantibus, spreuerunt Dominum Deum su-
um, adorando gentiũ idola, murmurando
contrà Moysẽ Dei famulũ, Messiam ad ipsos
tandem missum turpissima morte afficiẽdo.
Meritò ergo dicit dominꝰ, filios euutriui &
exaltaui, ipsi autem spreuerũt me. Hierony.
& Rupertus istud propriè referunt ad tẽpo-
ra Christi, & afflictionẽ intelligunt vltimam
captiuitatem Roma. non Babylonicam. Ad
quæ tempora si referamꝰ, non opus est expo
nere quod propheta dicit, Ipsi autem spreue-
rũt me, sed petere oportet ex Euãgelica histo
ria, in qua plenissimè hoc describitur. Si ve-
rò ad tempora quibꝰ Esaias vixit, hic sensus
est: ipsi relicto me, ad idola confugerunt: vt
ex 4. lib. Reg. patet. Locus iste, similiter & se-
quens valdè insignis est pro concionatoribꝰ
ad reprehendendum õnium nostrũ ingrati-
tudinem. Licet enim Deus nobis tanta ac
tam magna quotidie præstet beneficia, om-
niaque ad vitæ sustentationẽ necessaria imò
superflua suppeditet, nos tamen manemꝰ æ-
què ingrati, æquè frigidi, æquè à Deo auersi.

Cognouit bos possessorem suũ &c.) Ex compa-
ratione brutorum animantiũ docet maximã
Iudæorũ ingratitudinẽ, quibꝰ tametsi Deus
tanta præstiterit beneficia, ipsi tamẽ Deo nõ
hoc retulerunt, quod bruta animantia refer
re solẽt ijs à quibꝰ nutriũtur ac curãtur: imò
tãtùm non fecerũt, quantùm inter animalia
illa quæ maximè bruta sunt facere consue-
uerunt. Quid quæso stolidius boue? quid stu
pidius asino? At bos agnoscit pastorẽ suũ, &
asinus præsepe Domini sui, populus autem
Israël me non cognouit pastorẽ suum & nu-
triciũ. Hinc & rectè Hier. ait quòd eos non
canibꝰ, quod est sagacissimum animaliũ ge-
nus & pro paruo cibo domũ hero suo custo-
dit, sed stolidorum animaliũ generi, boui vi-
delicet & asino cõparauit: Quæ animalia etsi
stolida sint, õnisq; rationis expertia, tamẽ do
mino suo pro exiguo pabulo, quod accipiũt
maximum referunt laborẽ in frangẽdis gle-
bis, in ferendis oneribus. Est ergo pathos à
minori: valet enim locus iste multũ ad mo-
uendos affectus. Quantum ad lectionem at-
tinet non habẽt hic Hebræi pronomen, me,
sed legũt, Israel autẽ nõ cognouit, nec quis-
quam alius præter Septuag. Si omittatur, sen-
sus est: Israël non cognouit possessorem su-
um, & præsepe domini sui.

*Vae genti peccatrici, populo graui iniqui-
tate, semini nequam, filijs sceleratis, Dere-
liquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum
Israël, abalienati sunt retrorsũ. Super quo percu-
tiam vos vltrà, addentes prænaricationẽ? Omne
caput languidum, & omne cor mœrens, A plan-
ta pedis vsque ad verticẽ, non est in eo sanitas,
Vulnus, & liuor, & plaga tumens: non est circũ-
ligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.*

Væ genti peccatrici &c.) Particula Hebræa,
quam noster interpres vertit (væ) am-
bigua est: Interdum enim comminantis par
ticula est, interdum verò dolentis, & eadem
vox est apud Hebræos הוי hoi videlicet, quã
interpres noster, hoc loco per (Væ) particulã
comminantis, & infra hoc eodem capite per
(heu) dolentis particulã, transtulit, cùm ait:
Heu consolabor &c. Et quidã intelligũt, vt
sit hoc loco particula Dei dolentis super cæci
tate & ingratitudine populi sui: Alij verò, vt
sit particula Dei cõminantis ęternã damnati-
onẽ, quorũ sententia videtur magis cõsenta-
nea texui. Est prẽterea hoc loco cõgeries Rhe
torica, qua significat propheta gentẽ vehe-
menter peccatricem, omniq; flagitiorũ ge-
nere plenam. Hoc ergo gens est peccatrix,
quod populus grauis iniquitate: & hoc po-
pulus grauis iniquitate, quod semen nequã.
& cætera idẽ valẽt, sed repetit toties & idẽ in-
culcat propheta ad maiorẽ vehementiam &
exaggerationem. Est etiam locus iste mul-
tum insignis ad mouendos affectus.

Dereliquerũt dominũ &c.) Quomodo Iudęi
seu populi Israhelitici derelinquerũt domi-
nũ Deũ, manifestè docetur in lib. Re. Exo. &
alibi sæpius quãdo cultũ veri Dei transtule-
rũt ad idolũ: *Blasphemarunt.*) Verbũ Hebræ-
um נאץ natũ significat abijcere, flocci fa-
cere, reprobare: & quãdo est coniugationis
grauis videlicet piel, significat iracundũ face
re (Sic enim verterunt hunc locũ Septuag.)
quę significatio huic loco maximè cõsenti-
re videtur.

Sanctũ Israël &c.) Est periphrasis ipsius Dei
qui sanctꝰ Israel vocatur ex eo potissimum,
quòd populũ Israël, sibi peculiariter electũ
sanctificauit, à quo proinde Israel sanctitatẽ
suã habebat. Sensus ergo est: Iudęi relinquẽ
do verum Deum, eiusq; cultũ ad idola trãs-
ferendo, atque in eo obstinati perseuerãtes,
Deũ irritauerũt & ad iracundiã prouocarũt.

Super quo percutiam vos &c.) Ex hoc inquit
Hierõ. testimonio discimꝰ iccirco Dominũ
percutere delinquẽtes, nõ intẽdẽdo finaliter
vt affligat, sed vt afflictos corrigat, atq; emẽ-
det vt ipsa afflictio nõ tã pœna sit quã emẽda
tio. Est huiꝰ loci duplex est sensꝰ & vterq; satis
cõueniẽs, quorũ prior est: Nõ inuenio quã
plagis vestris adhibere possim medicinã, ita
membra

membra vestra vndique vulneribꝰ sunt ple-
na, vt nullam corporis partem, quæ non sit
antè percussa, reperiam. Ex qua interpretati-
one patet, quid hoc sit quod dicit, Super
quo, nempe super quo membro, siue in qua
corporis parte. Non licet tamen hic imagina
ri, quòd quiuis in populo in qualibet cor-
poris parte ita fuerit afflictus atque vulnera-
tus, vt nulla prorsus corporis particula esset
sana aut integra: sed sciendum est, prophe-
tam considerare populum istum, veluti vnũ
quoddam corpus, cuius caput obtinent
Principes & Reges, cor autem prælati, do-
ctores & presbyteri: pedes verò siue infi-
mam partem plebei & indoctum vulgus,
quos omnes in suo ordine ita afflixerat Deus, vt nulli iam restarent affligendi. Altera
interpretatio est ista: Nullas inuenio plagas,
quibus vestram frangam duriciam. Quanto
enim tormenta, quæ adhibeo, sunt maiora,
tanto magis crescit impietas vestra atque in-
iquitas: vnde nihil restat, nisi vt deseram
vos, & finam ambulare secundum desideria
cordis vestri. Atque hæc est summa & gra-
uissima Dei vltio, quando hominem in per-
uersa sua volũtate relinquit, non castigãdo
eũ ex affectu paterno in hac præsenti vita. De
Psal.80.1. hac vltione ipse loquitur Psal.80. Dimisi eos
Osee 4.e. secundum desideria cordis eorum, ibunt in
adinuentionibus suis. Item Oseæ: Nõn visi-
Ezech.16.e tabo super filias vestras, cùm fuerint forni-
catæ etc. Præterea Ezech. 16. Zelus meus re-
Ad Ro.1.d cedet à te, & non irascar tibi amplius. Et Pau.
ad Roma. Propter quod tradidit illos Deus
in desideria cordis eorum. Ex hac posteriori
interpretatione quiuis facilè animaduertit
illud, super quo, hic longè aliter sumi quàm
in priori interpretatione. Ibi enim, vti dixi-
mus, accipiebatur pro membro aut alia cor-
poris parte: hic verò, pro plaga ipsa aut assli-
ctione vel tormento. Vtramque expositio-
nem refert Hieronymus.

Omne caput languidum &c.) Per meta-
phoram (ait Hiero.) docet, quòd à principi-
bus vsque ad extremam plebem, à doctori-
bus vsque ad imperitum vulgus, in nullo sit
sanitas: sed ad vnum omnes in impietatem
pari ardore consentiant. Quia superiùs dixi-
mus, & hic iterum dicendum putamus, pro-
phetam considerare populum istum, veluti
vnum quoddam corpus: ideo videre opor-
tet, in quo consistat similitudo. Illa autem in
hoc potissimùm sita est, quòd quemadmo-
dum in corpore humano caput, in quo sen-
sus maximè vigent, & cor, à quo est initium
omnis motus, sunt præcipuæ corporis par-
tes, à quibus reliqua membra gubernantur
& in suo officio diriguntur: Ita in populo
isto, qui corpus quoddã mysticum est, caput
sunt ipsi reges & principes, cor verò sapiẽtes
& doctores, quorum officium est, reliuqam
plebis multitudinem regere, & in suo quem-
que officio dirigere & retinere. Nihil ergo
aliud hoc loco dicere vult propheta, quàm
quòd tam reges quàm plebei, tam doctores
quàm imperitũ vulgꝰ, & ad vnum õnes decli
nauerũt à virtutibꝰ ad õne flagitiorũ genus.

A planta pedis &c.) Manet adhuc prophe
ta in incepta metaphora. Sicut enim est vi-
dere in corporibꝰ humanis, quę aut verberi-
bus liuẽt, aut plagis tument, aut vulneribꝰ hi-
ant: ita in hoc populo est, qui à minimo vsq;
ad maximũ, non ad horam tantùm peccato
consentiunt perpetrantq;, sed & longo pec-
candi vsu liuescunt, & cum tumore superbię
culpã defendũt, imò maxima inter se discor-
dia hiant. Varij hîc varia speculãtur. Quidam
enim per vulnus intelligunt interiorem ani
mę lęsionẽ, peccatum videlicet cordis, per li-
uorem aũt peccatum oris: liuor enim ex qua
dam occulta læsione causatur: per plagam ve
rò tumentem, peccatum operis designatur,
quod instar manifesti vulneris foras erũpit.
Alij verò per vulnus intelligunt apertam &
manifestam malitiam: per liuorẽ, latẽtem in-
uidiam: per plagam tumentem, animi inflati
elationẽ. His itaq; potissimùm vitijs scribit
propheta obnoxios fuisse Iudæos, & vsq; in
hodiernũ diem, obnoxios esse: quare teste
Apostolo peruenit in eos ira Dei vsque in fi-
nem, vnde sequitur:

Non est circumligata &c.) Sermo iste du-
pliciter intellgi potest. Primò, Non est circũ-
ligatà, quia videlicet nemo fuit qui circũli-
garet, aut curaret, oleóue foueret. Secundò,
Nõ est circunligata, quia videlicet noluerũt
medẽtis manũ admittere. Et hũc esse sen sum
prophetæ magis verisimile est, ad quem etiã
inuitãt Septuaginta interpretes, qui, vbi no-
ster vertit, non est circũligata, reddiderunt,
Nõ est malagma imponere: vt nõ sit ex defe-
ctu medici, sed ex inuidia malè habẽtis. Sẽsus
ergo est: Voluit Deꝰ Iudęos fascijs salutis cir-
cũligare, & ad pœnitentiã adstringere, sed ea
(prõ dolor) fuit eorum peruersitas, vt nolu-
erint pœnitentiæ ligamẽta admittere. Effu-
dit de latere suo aquam & sanguinẽ medica-
mẽtũ salutis ęternę, sed recusarunt accedere.
Dedit prætera oleum, id est, spiritus sancti
gratiam credentibus in se, ita vt loquerentur
omnibꝰ linguis homines idiotæ, sed nolue-
rũt audire. Hactenus ab illo, loco Super quo
etc. ostẽdit, ꝓpheta populi in peccatis obsti-
nationẽ, iam sequitur obstinationis pœna.

*Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succẽ-
sæ sunt igni. Regionem vestram coram vo-
bis alieni deuorant & desolantur, sicut in
vastitate hostili. Et derelinquetur filia Si-
on vt vmbraculum in vinea, & sicut tu-
gurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ
vastatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vastatur. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi, Sodoma fuissemus, & quasi Gomorræ similes essemus.

Terra vestra deserta &c.) Futurum tanquam præteritum enuntiat, propter certitudinem prophetiæ. Sensus est: Quia vos Iudæi, tot modis tantisque beneficijs ad meliora prouocati, manetis in cæcitate & malitia vestra obstinati, propterea terra vestra deseretur, ciuitates vestræ succendêtur igne, regionem vestram vobis aspicientibus hostes tui deuorabunt & in nihilum redigent. Hęc sub Babylonijs magna ex parte impleta sunt quando incenso templo, subuersa Hierusalem, regionem decem tribuum Samaritani occupauerunt, & in tantam terra repromissi onis redacta est solitudinem, vt etiam à leonibus alijsque feris bestijs inhabitaretur. Plenius verò & perfectius impleta sunt in aduentu Romanorum, tępore Titi & Vespasiani, qui ita vastauerũt, adeoq; solo æquarunt ciuitatẽ Hierusalẽ, vt ne lapis quidẽ relinqueretur super lapidẽ. Quę Iudęorũ vastatio atque dispersio vsq; in finẽ mũdi perdurabit.

Quare Hierusalem vocetur filia Sion.

Delinquetur filia Syon &c.) Est periphrasis ciuitatis Hierusalem, quæ vel propterea vocatur filia Sion, quia ædificata in pede montis Sion, ex eo quasi nasci videbatur: vel quia Deus eam non aliter quàm filiam dilectam maximo paternæ pietatis affectu prosequebatur. Quam ciuitatem prædicit hic, similitudine quadam ab agricolis desumpta, penitus destruendam. Cucumerarium autẽ est locus, in quo sunt vel crescunt cucumeres: Vmbraculum verò est casula illa siue domuncula iuxta vineam extructa, in qua ipsi vinearum cucumerumque custodes, proter solis ardorem, aerisque intemperiem latitant, vel ad fures arcendos, vel bestiolas ne frugibus noceãt, abigẽdas. Similitudo ergo prophetæ hæc est: Sicut sub finẽ ætatis, vindemia iam peracta, & cucumerib⁹ alijsq; vndiq; collectis, vinearũ cucumerũq; custodes tuguria sua aut casulas destruunt penitusq; demoliuntur: Ita florentissima ista ciuitas, instar vilissimi tugurij, in nihilũ prosus redigetur: nec simpliciter sicut custos vineæ, tugurium suũ destruit, demolietur, sed hostiliter, cum impetu & crudelitate quadam hostium, atque hoc est quod ait: Sicut in vastitate hostili.

Cucumerarium. Vmbraculum.

Nisi dominus exercituum &c.) Vox Hebræa שׂרִיד farid, quam noster interpres (semen) transtulit, significat paruas reliquias. Secundum quosdam ergo sensus est: Nisi dominus exercituum reliquisset nobis paucos illos ex captiuitate Babylonica, sub Zorobabel duce & sacerdote Iesu filio Iosedec, reuersos, tota gens nostra perijsset, sicut Zodoma & Gomorra perierunt. Sic Lyra, cuius expositionem is facilè sequetur, qui solùm inspexit ea, quæ præcedunt & sequuntur in Esaia: sed qui D. Paulum magnifico nec non viuifico spiritu prędituũ, in epistola ad Rom. vel à limine salutauerit, dicet hunc esse sensum: Nisi dominus exercituum reliquisset nobis paruas reliquias, diuam Virginem videlicet, Apostolos & paucos alios ex Iudæis credentes, tota gens nostra Iudaica penitus abolita fuisset, non aliter quàm Zodoma & Gomorra. Voluit ergo significare propheta, paucos admodum futuros, qui Christum in propria venientem reciperent atque in eum crederẽt. Quapropter oportet hoc loco aduertere subitum prophetæ transitum à litera ad spiritum, quod illis frequens est, & peculiare, sed in eo quod sequitur, redit iterum ad literam.

Rom. 9.

Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorræ. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguiũ, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectũ meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ãbularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltrà sacrificium frustra: Incensum abominatio est mihi.

Amos 4.

Audite verbum Domini &c.) Licet hęc prima fronte in bonam partem interpretari posse videantur, in malam tamen omnino accipienda sunt. Vocat enim propheta Iudæos principes Zodomorum, non quod principatum aut imperium aliquod in Zodomitas exercebant, sed quia illorum in omni flagitiorum genere imitatores extabant, quẽadmodum idem propheta eis in sequentib⁹ improperat dicens: Peccatum suum quasi Zodoma prędicauerunt, nec absconderunt. Similis phrasis est in Euangelio Iohannis quum Christus ait eos ex patre esse diabolo, quia eius faciunt desideria. Referũt Hebræi Esaiam duab⁹ potissimum de causis à Iudæis interfectum, quarũ prior hoc loco ponitur, quia videlicet eos principes Zodomorum & populum Gomorræ appellauit. Altera est, quòd cùm Dominus Exod. 33. dixisset ad Moysen, Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet: ipse tamen infrà capite 6. ausus est dicere, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.

Quò mihi multitudinem victimarum &c.) Carpit hic propheta pernicioſam in Iudæis operum confidentiam. Istud est verbum ô Iudæi, quòd Deus vult vos audire: Ad quid ait tantam victimarum multitudinem mihi quotidie offertis? an putatis me ijs indigere

digere? quasi dicat, minimè, atque hoc est quod sequitur, Plenus sum, pro quo Hebræi legunt, diues sum, id est, nulla re indigeo, nec proinde victimis vestris aut sacrificijs opus habeo. Mea enim est terra, & plenitudo eius. Sunt qui hæc & sequentia ita simpliciter exponunt, vt dicant Dominum hîc prorsus reprehendere & reijcere sacrificia & cæremonias Iudæorum, verùm eorum tantùm, quibus loquebatur propheta, & propterea sæpè emphaticẽs dici (vestræ) iuxta illud quod in Prouerbijs scribitur: Victimæ impiorum abominabiles sunt. Hæc expositio quibusdam non placet, propterea quòd hac ratione etiam repudiaret illa: Quærite iudicium, subuenite oppresso etc. quæ sunt in eodem hoc capite, cùm & hæc in peccatoribus minimè placeant Deo. Sed respondendũ Deum, illo loco non requirere vnum genus virtutis atque alterum, sed paucis virtutibus enumeratis, omnes per synechdochen intelligit, vt hic sit sensus Esaiæ: Quicquid iudicaueritis pertinere ad charitatem Dei & proximi, hoc vbi præstiteritis, grata erunt mihi oblationes & sacrificia vestra. Errabãt enim in hoc Iudæi, quòd præstitis cæremonijs, omnia sibi salua esse credebant, sed nihil minùs, quoniam illas postremo loco habet Deus: Primo verò loco charitatem. Secundo in hoc errabant, quòd non respiciebant in fidem mediatoris, qui est propitiatio pro peccatis nostris, sed remitti sibi peccata putabãt si solùm præstarent cæremonias suas etiam fide vacuas. Ex his facilè est intelligere Esaiam, qui in eis arguit pernicioſam fidem operum. Alij tamẽ vetustissimi quiq; vt Irinæus, Tertullianus, Cyprianus referunt hęc ad tẽpora Christi, & clausulam illam, Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, interpretãtur de sanguine illo, de quo dicitur in Euangelio: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Et secundũ hos etiam facilè est interpretari prophetam, cessatque illa quæstio, quomodo Deus hîc reijciat Iudęorum sacrificia, quæ in lege præcepit sibi offerri, quia in morte Christi illa iam finem acceperant. Hieronymus tamen, qui & ipse refert hæc ad eadem tempora notat, quòd propheta vsus sit verbo pręteriti temporis (nolui) Quia inquit in præterito dicit (nolui) nunquam se hostias Iudęorum voluisse demonstrat, quòd in Psal. 49. legimus: Non accipiam de domo tua vitulos &c. Et hoc sensu intelligendum dicit, quòd hostiæ & immolatio victimarũ non principaliter à Deo quęsita sunt, sed propter alium finem ne videlicet idolis immolarentur, & vt à carnalibus victimis, quasi per typum & imaginem ad spirituales hostias transiretur.

Prouerb. 15.

Mat. 27. c. Iohan. 19.

Holocausta arietum &c.) Eorumquæ in sacrificijs legalibus offerebantur, alia holocausta, alia verò hostiæ dicebantur. Holocausta autem tota in altari cremabantur, & inde dicta quasi tota incensa, vnde & aliàs incensum appellantur, vt infra cùm ait, Incensum abominatio est mihi. Horum autem tria erant genera: primum, bouis: secundum, ouis aut capræ: tertium, auium, turturum videlicet aut columbarum. Hostiarum verò, solis crematis adipibus, cætera cedebant in vsum sacerdotis seu eorum, qui offerebant.

Holocausta.

Hostiæ.

Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram, Iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solenitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Amos 5. f. Infra 58. c.

Neomeniam &c.) Neomenia autem festum erat, propter gubernationis diuinę beneficium, in nouilunio: Sabbatum verò in memoriam creationis mundi, septimo quoque die à Iudęis celebrandum. Per alias festiuitates intelligit festa tabernaculorum, tubarum, Paschæ, Pentecostes, etc.

Neomenia.

Sabbatum.

Iniqui sunt cœtus vestri &c.) Redditur hîc vna causa, ob quam Deus reijciat & contemnat Iudæorum sacrificia, quia videlicet animo impœnitenti & in malitia obstinato ea offerebant. Quod hoc loco interpres noster vertit Calendas, superiùs Neomeniam transtulit, estque eadem vox vtrobique apud Hebræos nempe חדשיכם chodscechem.

Quare Deus contemnat Iudæorum sacrificia.

Odiuit anima mea &c.) Non est hoc ita intelligendum, quasi Deus animã habeat, sed loquitur humano more. Nõ enim intelligeremus nisi per corporalia nobis loqueretur.

Et cùm extenderitis manus &c.) Est periphrasis orationis seu precum. Sensus est: Cùm tępore tribulationis confugeritis ad auxiliũ meum & misericordiam implorandam, non præstabo vobis eam, sed potiùs longè remouebo à vobis, atque hoc est, quod dicitur in Euangelio: Scimus autem quia Deus peccatores non audit. Ad pleniorem huius loci intellectum sciendum, quòd peccatores duplicìter orant. Quidam enim orant, quemadmodum publicanus ille euangelicus, qui orabat pœnitenti corde remitti sibi quod cõmiserat: & horum preces nunquam spernit Deus. Alij autem orant quomodo Pharisęus ille, pleni inuidia, odio, ira, nihil cogitantes de vita in melius commutanda, sed securè viuunt, interim legunt orationem dominicam, aut septem psalmos: hos ita orantes non exaudit Deus. Et tales erãt isti, quibus hîc loquitur Esaias.

Iohan. 9. f.

Peccatores duplicìter orant. Luce 18.

Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt &c.) Hæc particula (saltem secundum eos, qui suprà

Universidad de Deusto
Biblioteca

supra dicta referunt ad populum Iudęorum captiuitatem Babylonicam præcedentem) continet aliam causam, ob quam Deus reijciat & contemnat Iudęorum sacrificia, cæremonias, & oblationes. Nomine sanguinis, scriptura frequenter vtitur, pro rebus crassioribus & peccatis quasi corporalibus. Sic Dauid: Libera me de sanguinibus etc. Sensus est: Propterea sacrificia vestra & cæremoniæ non sunt mihi accepta, imò cum nausea & magno tædio sustineo vos ea offerentes, quia manꝰ vestræ sanguine plenæ sunt, id est quia maximi estis peccatores, quia nihil sapitis, nihil intelligitis, nisi crassa illa & corporalia sacrificia, nihil interim cogitantes de vita mutanda, nihil soliciti de fide & charitate. Postquam autem in præcedentibus prophetа ostendit maximam Iudæorum ingratitudinem, & proinde eorum sacrificia, festiuitates, & id genus alia Deo esse ingrata, pergitin sequętibus declarare, quid facere debeant, antequam eorum sacrificia sint Deo grata & accepta.

Quid nomine sanguinis alibi quando intelligatur.

Psal. 5. etc.

Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erũt. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiã prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est.

Lauamini, mundi estote etc.) Licet sint, qui hæc de corporali baptismatis lotione intelligant, textui tamen magis consentaneũ videbitur, si de spirituali lotione interpretemur, hoc sensu. Si in precibus vestris vultis exaudiri à me, si vultis vt sacrificia vestra sint perfecta & mihi grata, lauamini, id est, purgate vos, non à corporali immunditia, sed ab omni mentis malitia: mundi id est, puri & alieni estote ab omni ira, odio, inuidia, alijsque vitijs: prauas præterea cogitationes ex animis vestris deponite, ne oculos meos offendant. *Quiescite agere peruerse etc.*) Sensus est: Vos hactenus longa consuetudine, pessima quæq; vitia perpetrare assueuistis, iam mutatis vicibus assuescite optima quæque agere, virtutes exercere, operibus charitatis insistere, cæteraque pietatis opera proximo exhibere, atq; hoc est, quod sequitur: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam) Istis paucis synechdochicõs significare vult propheta omne genus bonorum operum, quibus proximo quoquo modo subueniri potest.

Docet quibus præstandis Deus placari potest.

Venite & arguite me dicit Dominus.) Hæc (inquit Dominus) superius enumerata vbi præstiteritis, si non reddidero vices & præmia, quæ pollicitus sum, contendite mecum in iudicio, arguite me infidelitatis, inconstantiæ, & leuitatis: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, id est, si fuerint peccata vestra in modum coccini sanguinea, id est, valde enormia & grauia, quasi nix dealbabuntur, id est, diluentur prorsus & condonabũtur vobis, si tamen præstiteritis ea, quæ dixi. Quæ sequũtur, eundem habent sensum: Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt) Hic aduertendum, quòd vbi noster interpres habet vermiculus, vox Hebræa תולע cattola ambigua est: significat enim vel vermiculum vel colorem purpureum. Estq; hic insignis locus, docens, quibus præstandis Deus placari potest: Licet enim nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides siue opera ipsam iustificationis gratiã promereantur, ipsa tamen opera, sicut fides, hanc impetrant. Prouocant enim misericordiam Dei ad dandum illam homini, disponuntque hominem ad illam recipiendam. Docet istud hoc loco clarè Esaias: nam quibus ipse loquebatur, peccatores adhuc erant & dicit, Si hæc feceritis, quæ iam commemorauí, peccata vestra, quæ prius in modum coccini erãt sanguinea, penitus diluẽtur. Quod putat Philippus aduersari doctrinæ euangelicæ. Verum quidem est ad culpę remissionẽ primas habere fidem, cum side tamen etiam opera ipsa conferunt ad culpę remissionem, ita vt Dei misericordiã prouocent ad purgationem & iustificationem. Quare hic locus cùm sit insignis & manifestus, notandus est contra eos, qui omnia fidei tribuunt, operibus nihil.

Si volueritis & audieritis me etc.) Bona terræ, quidam hîc dici putant ea, de quibus Psal. 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium, hoc est, intelligunt illa bona, quibus fruuntur beati in vita æterna. Verùm quia Iudæis loquebatur, qui nondum spiritualia capere poterant, simplicius videbitur, si dicamus quòd polliceatur bona præsentis seculi, vt saltem præsentibus inuitati, faciant quæ præcepta sunt. Sensus ergo est: Si volueritis præstare, quæ superiùs commemorauí, & obtemperaueritis præceptis meis, eritis felices in hoc mundo, & omnium rerum copia affluentes: quòd si nolueritis audire & obtemperare, sed econtrariò ad iracundiam me prouocaueritis, eritis miseri & infelices: gladius hostilis, scilicet Babylonicus, vel secundum Hiero. Romanus exercitus delebit vos funditus: Quod reipsa postea impletum est. Quia os domini locutum est, cuius sententia (permanentibus hominum peccatis) immutari non potest. Hic locus diligenter notandus est: multum enim facit pro statuendo libero hominis arbitrio.

Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nũc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aquæ. Principes tui infideles, socij furum, Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel.

Hiere. 5. g

Quomodo facta est meretrix &c.) Miratur spiritu prophetico, quòd ciuitas illa Hierusalem, quæ quondam fuit fidelis, omniumque fidelium receptaculum, tam subito facta sit meretrix, id est, infidelis, relinquendo verum Deum, & conuertendo se ad idola. Licet hæc secundum D. Hieron. plenius ad tempora passionis Christi (quando omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt) referantur, rectè tamẽ de iis qui fuerunt tempore Esaiæ intelligi possunt, & sic totum ferè hoc caput exposuimus. Tametsi locus iste de duplici fornicatione & spirituali & corporali intelligi possit, magis tamen loqui videtur de fornicatione spirituali. Est autem fornicatio spiritualis, quando homo Deo relicto & neglecto, seruit idolis aut vitiis. Quid verò sit fornicatio corporalis, notius est quàm vt declaretur. Ciuitas ergo fidelis, quæ quondam vnum tantùm agnoscebat virum, Deum videlicet, eique fidem seruabat, quomodo nunc facta est fornicaria, vt relicto vero Deo adhęreat idolis & seruiat illis?

Quid fornicatio spiritualis.

Iustitia habitauit in ea &c.) Pro eo quod nos habemus (habitauit) Septuaginta interpretes transtulerunt ηὐλίσθη id est, dormiuit seu requieuit: Et per fictionem introducit iusticiam tanquam personam, hoc sensu: In ciuitate Hierusalem, in qua tanquam in sede sua olim morari & magna cum pietate exerceri solet vera iustitia, nunc hæc postposita & profligata, magna cum impietate homicidia exercentur, & proinde iniusticia & homicidæ morantur in ea.

Argentum tuũ &c.) Per argentum scriptura ferè intelligit doctrinam puram & incontaminatam. Vnde Dauid Psal. 11. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Scoria proprie est spurcitia illa siue sordes, quæ ex metallo inter coquendum velnti spuma quædam, expurgatur. Sensus est: Doctrina à Moyse pure & syncerè olim tradita, vestris traditionibus vitiata est, & adulterata: *Vinum tuum &c.*) Istud eãdem habet sententiam cũ superiori particula. Sensus est: Lex Dei pura, & (vt ita dicam) mera veritate subnixa, Scribarum & Pharisęorum traditionibus deprauata est: quod pleniùs docet Saluator in Euangelio, dicens eos violata atq; omissa lege Dei, sequi mandata hominũ. Sic & hodie, qui austeritatẽ scripturarum (qua possunt & debent audientes corripere, homi numq; mores & vitia reprehendere) vertunt ad sensum mitem, atq; adeò ad gratiam loquuntur, vt delectent auditores suos, violãt scripturas. Qui in Germania hodie scribunt commentaria, putant pertinere ad constitutiones Pontificis, & regulam S. Francisci, & aliorum. Haberet quidem illorum opinio aliquam apparentiam, si docere possent eas pugnare cum fide aut præceptis euangelij, quod certè nunquam poterunt.

Quid nomine argenti Scriptura intelligat. Psal. 11.

Scoria.

Matth. 15.

Qui violant Scripturas.

Principes tui infideles &c.) Videtur hîc loqui non de ea infidelitate, qua quis dicitur non habere fidem, vt in Euãgelio Iohannis: Nunquid ex principibus aliquis credidit in eũ? sed de ea qua quis dicitur injustus in iudicio, aut in rebus emendis vel vendẽdis, aut alijs quibuscunq; contractib⁹, quam etiã Cicero intelligeret. Cui interpretationi fauẽt, quæ sequuntur: *Socij furum &c.*) Sensus est: Superiores tui tam ciuiles quàm ecclesiastici infideliter suis funguntur officijs: In iudicãdo non iusticiam & æquitatem, sed munera quærunt: *Pupillo non iudicant*) quia videlicet ex eius causa non sperant munera: *Viduarum causa non ingreditur ad illos*) id est Viduarũ causas nõ suscipiũt defendendas aut iudicandas, propterea quòd ex talibus nõ expectant retributiones. Ditescunt per rapinam, non proponunt iusticiam, sed pecuniam.

Heu ego cõsolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et conuertam manũ meam ad te, & excoquam ad purũ scoriã tuam, & auferã omne stannũ tuum, & restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos, sicut antiquitus.

Heu cõsolabor &c.) Heu, vox est Dei dolentis. Nõ enim delectatur Deus in punitionibus aut pœnis hominib⁹ irrogandis, sed ipse (licet inuitus) punit, quia peccata nostra hoc merentur. Quod ait, Cõsolabor, loquitur humano affectu: homines enim iniuria affecti, si se de iniuria sibi illata vlcisci queunt, magnam inde, imò totam interdum capiunt consolationem, & satiatur eorum animus. Quod ergo ait: Consolabor super hostibus meis, nihil aliud est quàm si dicat, vindicabo de hostibus meis, & supplicium sumã, quod sequẽs particula pleniꝰ declarat.

Et conuertam manum meam &c.) Secundum quosdam vox est Dei irati & comminantis, vt sensus sit: Extendam manum meam ad puniendum. Estq; metaphora ab aurifabris desumpta, qui adhibito igne, aurũ à sordibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

purgant. Sensus est: Sicut aurifaber rudem auri massam tam diu igne coquit atque examinat, donec purum aurum à sordibus secernatur: ita & ego igne tribulationum, tormentis, varijs afflictionibus & angustijs tam diu vos afficiam, donec sordes peccatorum vestrorum ad plenum expurgatæ fuerint. Alij volùt, vt sit vox Dei propitij, quod nõ est infrequens prophetis, etiam in eadem periodo miscere ea quæ sunt Dei propitij, & ea, quæ
Osee.11.b sunt Dei irati, vt patet Ozee: Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te sicut Adama: Ponam te vt Ceboim? Hæc nemo dubitat quin verba sint irati Dei: & statim subiungit. Non faciã furorẽ iræ meæ. Et sic exponit Rupertus, vt sit vox Dei propitij. Vtraq; expositio est bona. *Et auferam omne stannum.*) Stannum opponit argento. Sensus est: omnes doctrinas falsas, humanas, traditiones, quibus legem meam coinquinastis, auferam à vobis.

Et restituam iudices &c.) Priores iudices fuerunt Moyses, Iosue & cæteri, à quibus liber Iudicum habet nomen impositum: postea fuerunt Dauid, Salomon & alij. Vult ergo dicere, quòd restituet priores iudices, non omnino eosdẽ, sed illis in vera iusticia & æquitate similes, hoc est, insignes dabit iudices, qui non secundum affectum, sed ex æquitate iudicabunt. Quod Iudæi impletum arbitrantur post captiuitatem Babylonicam, quando habuerunt iudices Zorobabel, Nehemiam, Esdram, aliosq; similes, qui vsque ad Hyrcani tempora populo præfuerunt, cui in regnum successit Herodes. Nostri verò rectius & verius (vt ait Hiero.) referunt hæc ad tẽpora Christi, hoc sensu: Restituam vobis iudices vestros, Apostolos videlicet & alios, qui per Apostolos crediturí sunt, & principes Ecclesiæ futuri. Ad hunc sensum inuitant quæ sequũtur, nempe: Post hæc vocaberis ciuitas iusti. Nam consuetudine scripturæ, nomine iusti significatur Christus,
Act.7.5. cùm alijs in locis, tum maximè in Actis cap. 7. Occiderunt eos, qui prædicabant de aduentu iusti. Ob hæc tamen & ea quæ sequuntur, non est omnino necesse, vt hæc referamus ad tempora Christi. Quidam tamen cõcretum pro abstracto poni dicunt iustum pro iusticia. Si intelligamus de tempore captiuitatis Babylonicę, notandum est quòd vtranq; liberationem miscet, quia liberatio Babylonica typus fuit liberationis factæ per Christum.

POst hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, et reducẽt eã in iustitia. Et cõteret sceleστos & peccatores simul, & qui dereliquerunt Dominũ, consumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt. Et erubescetis super hortis, quos elegeratis, cùm fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla. Et succendetur vtrunque simul, & non erit qui extinguat.

POst hæc vocaberis ciuitas iusti) Videlicet Christi, quãdo misso de cœlis spiritu sancto, fortitudine cõstruẽris, & virtute cœlesti corroboraberis. Hæc inquit Hier. perspicuè de Ecclesia, quæ in Dominũ creditura est, tam de Iudæis quàm de Gentibus prophetic⁹ sermo complectitur. *Vrbs fidelis*) Annotauim⁹ priùs in expositione illius loci: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis etc. quæ sit vrbs fidelis, & dixim⁹ quòd illa, quæ solùm vnum agnoscit maritũ, scilicet Christum verum Deum, & illi fidem seruat.

Sion in iudicio redimetur &c.) Per Sionẽ intelligit reliquias ex Israhelitis saluandas. Iudicium rectè intelligitur illud de quo apud Iohannem 12. Nunc iudicium est mũdi, nũc princeps huius mundi cijcietur foras. Sensus est: Deus pater aliquando misertus generis humani, sumet partes iudicis, dabitq; aduocatum, mediatorem & satisfactorem, qui vbi causam egerit, proferet Deus sententiam pro humano genere contra Diabolũ huius mundi principẽ, & sic liberabitur Sion. Causa autem nostra erat, quòd eramus digni æterna morte, à qua per Christum mediatorẽ liberati sumus. Vocabula ista iudicium & iusticia, iucunda sunt, pulchra ac planè aurea, & proinde in scripturis præcipuè in Psalmis frequentissimè obuia: Secundum iudicium tuũ iudica me, & in iusticia tua libera me etc. Vide D. Turnout lib. 3. de Ecclesiast. dog. fol. 82. secundũ postremã editionem. Et de captiu. & redemp. generis humani, fol. 15. secundum postremam editionem, vbi istas voces tractat, docens quomodo opus redemptionis factum sit per iudicium & iusticiã.

Et conteret sceleστos. &c.) Quamquã Sion redimetur, & in pristinam imò maiorem dignitatem constituetur, non tamen omnes liberabuntur, sed solùm ij qui per fidem se cõiungent Christo tanquam aduocato, mediatori & satisfactori: Alij verò, qui in incredulitate sua & peccatis perseuerabunt, qui relicto vero Deo, idolis adhærebunt, condemnabuntur & confundentur propter peccata & idola, quæ coluerunt: *Et erubescetis super hortis &c.*) Per hortos designat loca luxuriæ, lucos & nemora, in quibus luxuriari solent Iudæi. *Cùm fueritis &c.* Duabus comparationibus docet eos, nõ solùm mala incursuros, sed õni bono fine spe recuperationis destituendos: Ideo dicũtur futuri sicut quercus, quæ

quæ quãdiu est in vigore suo, folijs ornatur, vestitur atque protegitur, quibus præ nimia ariditate decidentibus, quasi emoritur.

Et velut hortus &c.) Quemadmodum hortus omni humore destitutus, perpetua ariditate marcescit, nullumque fructum producit: Ita & vos, aqua gratiæ destituti absque fructu eritis, omniaque sine recuperatione amittetis.

Et erit fortitudo vestra &c.) Per fortitudinem, commentarij ferè intelligunt idola, in quibus omne præsidium collocabant.

Psal.77.f. Arca Dei virtus Iudæorũ. Et qui ita interpreantur, respiciunt ad consuetudinem loquendi scripturæ. Sic Psal. 77. Arca Dei, secundum Symmachum, vocatur virtus siue fortitudo Iudæorum: Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum. Sensus est: Idola vestra, in quibus omnem salutis spem & præsidium collocastis, in nihilum penitus conterentur, instar purgamentorum stuppæ, quæ lenissimo igne consumuntur: similiter & cultus idolorum, superbia vestra, & reliqua impietatis opera, in quibus delectare consueuistis, subito instar scintillæ ignis peribunt, atque adeò vtrunque & fortitudo vestra & opus vestrum succendetur à Domino, quo succendente, nemo erit qui extinguere poterit.

Hoc ergo capite in summa hæc tractantur. In primis ostendit propheta peccata, quibus tunc temporis laborabat populus. Quæ autem illa fuerint, superiùs diximus, nempe ingratitudo, ignorantia Dei, idololatria, fiducia operum pernicioſa, auaritia, fraudes in iudicijs publicis.

Summa siue epilogus totius capitis. Deinde cum ait: Terra vestra deserta &c. Prædicit supplicia ob huiusce modi peccata intelligenda, nempe excidium ciuitatis Hierusalem, totiusque regni vsque ad internecionem, & ignem inextinguibilem. Tertiò cùm ait: Lauamini &c. declarat, quibus præstandis Deus placari potest. Quartò quando ait: Nisi Domin⁹ exercituũ &c. agit propriũ munus prophetę, aperiens mysterium Christi redemptoris, sed hoc tectiùs, miscens interim vtranque libetationem, & quæ facta est per Cyrum & quę facta est per Christum. Illa verba: Nisi Dominus exercituum &c. doctore Paulo ad literam de Apostolis ad Rom. 9. intelliguntur: Et locum illum, Post hæc vocaberis ciuitas iusti, dicit D. Hieron. Christo intelligendum, qui dicitur iustus, sicut sæpe dicitur Saluator: Quod autẽ quandoq; ad mores Christianorum transferuntur, sicut illud: Filios enutriui &c. hoc fit per accõmodationem.

CAPVT II.

VErbum quod vidit Esaias filius Amos super Iudam & Hierusalem. Et erit in nouissimis diebus præparatus mõs domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem, Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. Mich.4.a. Mich.4.b.

VErbum quod vidit &c.) Caput hoc in initio apertã habet de Christo prophetiam, sub metaphora tamen eaque vsitata. In principio primi capitis diximus vocem Hebreã עַל al, quam noster interpres hìc & ibi vertit super, ambiguã esse ad, super, contra, de vel pro. Quòd autẽ Septuaginta interpretes in superiori capite eam interpretati sunt, contra, hìc verò, de: eo fortè fecere consilio, quòd ibi statim in principio capitis aduersa narrantur, quæ in malam partem: hìc verò prospera, quæ in bonam partem accipi possunt. Si tamen ipsum textum penitiùs introspiciamus, deprehendemus hæc vtrobique misceri, & læta & aduersa contineri. Ibi enim statim post aduersa, prospera & læta subiungit: hic verò, post læta statim ac prospera, aduersa & dura comminatur. Quare iuxta Hebraicum textum, & in illo & in isto capite non contra, vt Septuag. illo loco, vel pro, vt Symmachus hoc loco, sed absolutè super vel de ttansferri debet, in quo & læta & tristia, prospera & aduersa contineri possunt. Duæ enim istæ propositiones, super & de, etiam apud Latinos scriptores tam ad prospera quàm aduersa se extendunt. Hinc patet nostrum interpretem vtrobique bene transtulisse: *Super Iudam & Hierusalem &c.*) Optimi enim interpretis est, verba in ea latitudine significationis quam habent, seruare in transferendo, potißimùm quando circunstantiæ & res ipsa expostulet. Hoc loco, ait Hieronymus considerandum, quod in priori capite visionem videat, in hoc verò, verbũ, quod erat in principio apud Deum: atque adeò in illo à Iudæorum commination ad Gentium veniat salutem: in isto verò à gentium salute incipiens, punito Israële, ex vtraque vocatione credentes in Christi Ecclesiam congreget. Facit autem propheta mentionem Hierusalem: quanuis enim Hierusalem in tribu Iuda sita sit in sorte Beniamin,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt patet ex lib. Iosue, promissiones tamen præcipuè factæ sunt illis qui sunt de tribu Iuda.

Quid per nouissimos dies.

Et erit in nouissimis diebus.) Consuetudo scripturæ est, per nouissimos dies significare
Ad Gal. 4. a. fines seculorum, siue vltimam mundi ætatem, quam Paulus in epistola ad Galat. vocat plenitudinem temporis, quo videlicet natus est Christus: Vbi inquit venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum &c. De hoc
Genes. 19. a. tempore & de Christo in eo nato, loquitur & Iacob patriarcha ad filios suos dicens: Cõgregamini vt annunciem, quæ ventura sunt in nouissimis diebꝰ, hoc est in vltima mũdi ætate in fine seculorũ, & statim subdit: Nõ auferetur sceptrũ de Iuda donec veniat, qui mittendus est, videlicet Christus seu Messias, quem hoc loco per montem significare vult propheta.

Præparatus mons &c.) Iudæi per montem hoc loco intelligunt montem Sion, quem putant in aduentu Christi in altum eleuandum: sed Iudæi vt sunt crassi & carnales, ita nimis crassa est hæc est eorum interpretatio.
Daniel. 2. a. Scripturæ verò per mõtem intelligunt Christum, vt Daniel. 2. Lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Item ad Hebræos: Non enim
Ad Heb. 12. c. accessistis ad montem tractabilem. Per domum autem domini intelligit propheta Ecclesiam super Christum fundatam, de qua
Psal. 26. a. Dauid: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.

In vertice montium &c.) Quis quæso vidit vnquam montem in vertice montium? hoc autem dicit propheta, vt ostendat sublimitatem Christi, magnitudinem, dignitatem, & excellentiam eius. Christus enim, quemadmodum ex Daniele docuimus, est magnus ille mons, qui impleuit vniuersam terram: Minores autem montes sunt angeli, patriarchæ, prophetæ & apostoli: Colles verò sunt martyres, eremitæ, & alij viri sancti virtutibus eminentes. Insignis mons Abraham extitit, item Isaac, item Iacob, sed & Moyses, & Helias, quorum celsitudinem & sublimitatem dum in diuinis literis legimus etiamnũ miramur: Verùm omnibus istis altior sese eriget, qui extremo tempore apparebit. Conspicuꝰ ille erit toti orbi, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, nimirum excitati huius montis altitudine & claritate, nec propria contenti erunt salute, sed & obuios quosque secum rapient, dicentes: Venite, ascendamus ad mõtem Domini, & ad domum Dei Iacob, id est, demus nomina Christo, iungamur Ecclesiæ. Adhæsimus hactenus plerique Moysi, plerique Platoni & Philosophis alijs. Ille legem, quam in solitudine acceperat, tradidit: Hi placita sua proposuerunt: Vtrique conati sunt ad virtutem erudire, & ad felicitatem perducere auditores suos, sed nihil aliud quàm conati sunt. Hic, quod illi non potuerũt, præstabit certissimè, non solùm præscribet, quæ recta sunt, sed & robur, quo possimus præstare quæ præscripta sunt, administrabit, atque hoc est, quod sequitur: Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Hebræi autem distinguunt inter gentes & populum: omnes enim præter se gentes vocant, se verò populum: sed differentia sæpe confunditur, vt in præcedẽti capite vbi dicitur: Vę gẽti peccatrici, populo graui iniquitate. Idẽ enim ibi significant. Quidã tamẽ dicunt hìc distingui, ob id quia dicit, ꝓpheta gẽtes fluere, idest, turmatim ad Christũ venire: Iudæos verò venire, in quo paucitas & tarditas significatur. Hęc autẽ nõ sunt corporaliter intelligenda de passibus corporis: sed ire, est hìc credere: dicere, venite, est alios ad credendum inuitare. Discamꝰ hinc studium cuiusuis Christiani esse, vt nõ sua salute sit contentus, sed & alios ad credẽdum inuitet.

Quia de Sion exibit lex &c.) Hic subiungit causam, ob quam gentes sese mutuò hortabuntur, dicentes, venite ascendamus &c. quasi dicat: Idcirco fluent gentes, & ibunt populi multi, & dicẽt ad se mutuò, venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, quia dabitur lex à Christo, quæ pertinebit nõ ad vnam familiam Abrahæ, non ad vnum aliquem populum Iudaicum, sed ad omnes omnino gentes: promulgabitur quidem primùm in Iudæa, non tamen vnius Iudææ terminis cohibebitur, sed inde per Apostolos, quaque versumpatet terrarum orbis, deferetur, hoc est ergo quod ait: De Sion exibit, id est, promulgabitur lex noua, lex gratiæ, lex viuificãs, & verbum, id est, euangelium de Hierusalem. Hanc legis & euangelij promulgationem impletam legimus apud Matth. Euntes ergo docete omnes Gentes. Itẽ apud Marcum: Ite in mũdum vniuersum, prædicate euangelium etc.
Matth. vlt. Marci vlt. Luce vlt.

Et iudicabit gentes &c.) Quod hic dicit, iudicabit gentes, hoc idem propheta cap. 42 alijs quidem verbis, sensu tamen eodem hoc modo extulit: Iudiciũ gentibus ꝓferet. Sunt qui dicũt verbũ, iudicare, aliã habere significationẽ cum dat. uo, aliam cũ accusatiuo: & cum accusatiuo idem esse quod contra aliquem, cum dat. uo verò pro aliquo sententiam ferre seu pronuntiare. Quæ differentia in scripturis nõ est perpetua, vt patet ex Psal. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, vbi sine dubio petit Dauid non contra, sed pro se ferri sententiam. Sẽsus ergo est iste: Christus sumet partes iudicis,
Psal. 42.

dicis, & pro gentibus feret sententiam contra calumniatorem diabolum, & eas absoluet in sua iustitia. *Et arguet populos multos.*) Quomodo Christus hìc in terris ambulans arguit Iudæos, Scribas & Pharisæos, qui eum in propria venientem non receperunt, ex euãgelio varijs in locis manifestius est, quã vt opus sit probatione: Idem quoque per Apostolos fecit, quum ascendisset in cœlum. Vnde Christus promittẽs discipulis suis Spiritum sanctum, dixit: Quum venerit ille, arguet mundum de peccato.

Et conflabunt gladios suos in vomeres &c.) Id est, arma bellica mutabunt in instrumenta agriculturæ. Significatur his verbis, adueniente Christo altissima & insolita pax futura. Sẽsus est: Tempore Christi nascituri, pro discordia, quæ antea in toto terrarum orbe regnabat, erit concordia & studium pacis maximum, ita vt agricolę liberè & sine metu hostium exerceant agriculturam. Hæc in natiuitate Christi impleta esse, nemo est qui ignoret. Reuoluamus inquit Hiero. veterũ historias, & inueniemus vsque ad 28. annum Augusti Cæsaris, cuius 41. ãno natꝰ est Christus in Iudæa, in toto terrarum orbe fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita vt cæderent & cæderentur. Orto autem Domino Saluatore, quando sub præside Syrię Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & euangelicæ doctrinæ pax Romani imperij præparata, tunc omnia bella cessauerunt, & nequaquam per oppida & vicos ad prælia, sed ad agrorum cultus exercebantur: Hacte-Hieron. Vltra, hoc loco non perpetuitatem, sed diuturnitatẽ significat. Sic 4. Reg. Vltra non venient latrones Syriæ in terram Israël, id est, ad longum tempus non veniẽt. Sic etiam hoc loco: Nam pax illa cœpit ante tẽpora Christi annis duodecim, durauit tota eius vita & quadraginta annis post mortem eiusdẽ. Præterea in voce (vltra) est hyperbole. Alij interpretantur hunc locum de pace euangelica hoc est, de tranquillitate mentis, quę faciliùs in animo sentitur, quàm verbis exprimitur: sed videtur magis loqui de corporali pace & tranquillitate, qua abstinetur ab armis bellicis.

Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Dei nostri. Proiecisti enim populum tuum domum Iacob: quia repleti sunt vt olim, & augures habuerunt vt Philistiim, & pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius. Et repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eius idolis. Opus manuum suarum adorauerũt, quod fecerunt digiti eorũ. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir. Ne ergo dimittas eis.

Domus Iacob venite &c.) Post vocationẽ gentium, & ostensionem Domini super verticem montium, conuertitur prophe ta ad populũ suum, qui domus Iacob vocabatur, quia de familia Iacob erat oriundus, hortãs, vt qui in tenebris erroris versabatur, lumen veritatis recipiat, quasi dicat: Vos Israelitæ, posteri tam insignis patriarchæ Iacob, populę meus, venite ambulemus in lumine Dei nostri, recipiamus euangelium Christi, & illuminemur ab eo, ad quem gentes turmatim confluunt & credunt in eum: accedamus & nos vt similiter illuminemur, & credamus in eum.

Proiecisti enim populum tuum &c.) Propheta abrupit potius sermonem quàm finiuit. Cùm enim videret impœnitens eorum cor, & in malis obduratum, per apostrophen conuertitur ad Dominum. Sensus autem est iste: Ideo hortor eos ô Domine, vt pariter tuo mecum fruantur lumine, quia ego scio, quòd ꝓieceris eos, quibus tamen ꝓmisisti: Messiã ꝓiecisti inquam eos, nõ sine causa, sed peccatorum fuorum meritis: Quæ autẽ sint illa peccata explicat propheta, cùm adjicit: *Quia repleti sunt*) scilicet peccatis idololatrię, quæ sunt antiqua illius populi peccata, vt patet ex Moyse quando adorabant vitulum in Oreb.

Augures habuerunt) id est, attenderunt augurijs contra præceptum tuum, quod dedisti Deut. 18. Quando ingressus fueris terrã, Deut. 18. b.
quam Dominus Deus dabit etc. Augures autem dicuntur, qui ex garritu auium futura Augures.
prædicunt. Diuinatio autem ex garritu auiũ aliquando est licita, aliquando non. Licita quidem est & sine peccato fieri potest, si conIectura de his duntaxat sumatur, ad quæ cœlestia corpora sese extendere possint. Vt si ex Diuinatio quadam licita, quedam non.
garritu seu clamore auium quarundam colligam pluuiam futurã: Aues enim plerunq; citiùs aëris mutationem percipiunt quàm homines. Si verò talis diuinatio extendatur ad actus humanos, qui dependent ex libero arbitrio, superstitiosa est & illicita. Atque tali vtebantur Philistæi, similiter & Iudæi, qui vsque adeò dediti erant huiusmodi signis, vt ea haberent pro lege suorum operum.

Et pueris alienigenis adhæserunt.) scilicet fornicando contra naturam, hoc modo quidam interpretãtur de peccato Zodomitico, quod quantum displiceat Deo, satis hìc innuit propheta, cùm populum adeò dilectũ propter hoc reiectum dicat. Hieronymus scribit quòd Græci & Romani hoc vitio maximè laborarint. Alij interpretantur hoc modo: Pueris alienigenis adhæserunt, id est, cõiunxerunt se gentibus in cultu idolorum. Quæ interpretatio non videtur omnino absurda, propterea quòd alienigenæ seu alieni

Universidad de Deusto
Biblioteca

in scripturis ferè dicuntur, qui cum idolis fornicantur.

Et repleta est terra eius argento &c.) Inter reliqua vitiorum genera quibus laborabant Iudæi, ob quæ & reiecti sunt à Deo numeratur etiam immoderata auaritia, rerumq; cupiditas insatiabilis, quam hoc loco significare vult propheta, & potissimum cùm ait: Et non est finis thesaurorũ eius, non quòd thesauri finem non habeant, sed quòd possidẽtium animos explere nequeant, iuxta illud Salomonis: Auarus non implebitur diuitijs. Item iuxta illud Poetę: Semper auarus eget. Thesaurus ergo Iudæorum finem quidem habebat, sed animus eorũ cupiditate inflammatus terminum ignorabat. *Et repleta est terra eius equis &c.*) id est, contra Dei præceptũ comparauerunt sibi vndique ingentem & quasi innumerabilem equorum copiam, & quadrigarũ multitudinem. Præceperat enim Dominus Deut. 17. dicens: Cùm cõstitutus fuerit Rex, nõ multiplicabit sibi equos &c. Si ergo Dominus prohibet Regi, ne multiplicet sibi equos, quantò magis cæteris inhibitum intelligemus? Notatur autem hîc populi Iudæorum superbia & diffidẽtia. Superbia quidem, quia corraserant sibi magnam equorum curruumque multitudinem, non ad defensionis necessitatem, sed ad vitæ superbiam, ostentationem & voluptatem. Diffidentia verò, quia in equorum curruumq; multitudine, nõ in diuino auxilio omnem salutis spem collocabant. Vnde Dauid: hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini nostri inuocabimus. Non inhibuit ista Iudęis Dominus, quia mala sunt, sed vt vni soliq; Deo adorando non equis seruirent: erant enim multùm inclinati ad idolatriam vt ex superioribus patet.

Repleta est terra idolis &c.) Homo accipitur pro plebeio, vir pro potente seu primate secundum Hebræos, qui inter suas voces nostris respondentes eo modo distinguũt. Sensus est: Tam plebeij quàm principes & ad vnum omnes proni in terra adorauerũt idola, quæ ipsi arte confinxerant, mutantes gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.

Ne ergo dimittas eis &c.) Noster interpres hæc transtulit quasi essent verba prophetæ loquentis ad Deum, Ne ergo dimittas eis: Septuaginta verò, quasi essent verba Dei dicentis, Non ergo dimittam eis. Quare cùm huius loci duplex sit translatio, admittit it & duplicem sensum. Si ergo referamus da personam Dei, sensus erit iste: Quia tanta tamque enormia mala perpetrauerunt, non parcam eis, neque dimittam eis peccata eorum. Si verò sint verba prophetę, sensus erit iste. Ne ergo Domine dimittas eis peccata, qui tanta mala commiserunt. Non est hoc ita intelligendum, quasi propheta mala imprecetur populo suo, cui antè tam blandè, tam amicè loquebatur, dicens: Venite ascendamus &c. sed ex consideratione peccatorum concedit diuinæ iustitiæ vindictam. Vel dicendum, quòd more prophetico prædicit ea quæ manentibus causis certissimè sunt euentura.

INgredere in petram, & abscondere in fossa homo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa.

INgredere in petram &c.) Est iterũ apostrophe ad populum, quasi dicat propheta: Ego quidem vos hortatus sum, dicens, Domus Iacob venite &c. sed quia noluistis audire, & proinde merito vestro abiecit vos Dominus, ideo iam prædico vobis, quæ ventura sunt mala, & hortor vos, vt ingrediamini in petras, & in speluncis ac terræ fossis absondamini à timore horribili Romani vel Babylonici exercitus, per quem effundet Deus furorem suum, exeret magnitudinem potentiæ suę, qua ipse agnoscetur magnus & verè gloriosus. In tantam venies formidinem, quòd profundissima antra sectaberis, optabis tibi scindi petras, & dehiscere terram, vt possis abscondi. Vastatio autem Iudæorum à Romanis facta, dicitur timor Domini, quia erat effectus Domini valde timendus. Similiter dicitur & gloria Dei, quia erat diuinæ potentiæ & iustitiæ gloriosus effectus. Huius timoris meminit in Euangelio: Tũc incipient dicere mõtibus, cadite super nos: & collibus, operite nos.

Oculi sublimes hominis &c.) Præteritum pro futuro enunciat propter certitudinem prophetiæ. Notat his verbis non solùm plebeios, qui nomine hominis intelliguntur, sed potẽtes, superbos, qui nomine viri significantur, secundum distinctionem Hebræorum, quemadmodum superius diximus. Sẽsus est: Cùm venerint Chaldæi vel Romani hostes infestissimi, tunc tam potentes quàm plebeij, tã nobiles quàm ignobiles, & ad vnũ omnes, superbi & elati humiliabuntur ac ꝓsternentur, eritq; omnium eadẽ calamitas: solus autem Deus tunc sublimis, potẽs, gloriosus apparebit, cuius iram & vindictã nemo, quantumuis potens, effugere poterit. Alij non improbabiliter referunt hęc ad diẽ extremi iudicij, in quo omnis creatura diuinæ gloriæ & potentiæ humiliabitur & incuruabitur, atq; ad diuinã maiestatem collata agnoscet se nihil esse. Causam aũt, ob quã debeat humiliari & incuruari, reddit, cũ subdit.

QVia dies Domini exercituum super omnem superbũ, et excelsum, et super omnẽ arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros

cedros libani, sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes mõtes excelsos: & super omnes colles eleuatos, et super omnem turrim excelsam, & super omnem murũ munitum, et super omnes naues Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est.

Dies Domini variè accipitur. 1. ad Cor. 5. b. 2. ad Cor. 1. c.

QVia dies Domini exercituum &c.) Dies domini in scriptura aliquando peculiariter ꝓ die extremi iudicij accipitur. Sic ad Corinth. Vt spiritus sal⁹ sit in die Domini. Itẽ 2. ad Corinth. 1. Aliquando accipitur ꝓ examine seu stricto Dei iudicio. Sic primæ ad Corinth. 3. Dies enim Domini declarabit. Interdũ verò ꝓ quouis tempore, quo dominus exerit potentiã suam, siue ad pœnam malis infligendam, siue ad præmia bonis remunerãda. Nonnunquã etiam pro ipsa pœna seu Dei vindicta, quomodo hîc accipi potest, hoc sensu: Vindicta Dei veniet seu redũdabit super omnẽ superbũ, id est, corde elatum magnaq; de se sentientẽ: & super omnẽ excelsum, id est, in magnis & mirabilibus sup⁹ se gradientẽ: & super arrogantẽ, id est, magna de se iactantem: & humiliabitur, id est, deprimetur.

Libanus. Basan.

Et super omnes cedros &c.) Libanus mons est inter Arabes & Phœnices, altissimas habens cedros. Basan verò regio est trans Iordanẽ Iudeæ sita, quam duę tribus & dimidia possederunt, in qua crescũt altissimæ quercus. Et nominib⁹ harũ arborũ metaphoricẽs significare vult magnos principes, superbia, diuitijs, honorib⁹ elatos. Sẽsus est: Ira Dei siue vindicta veniet super õnes principes superbos & elatos. Lyra, per cedros intelligit machinamenta facta ex cedro: per quercus, machinamẽta facta ex quercu, sed prior expositio verisimilior est.

Et super omnes montes &c.) Est simlis metaphora cũ præcedẽte. Sicut enim ꝓ magnitudine varietateque virtutũ homines boni, mõtes appellãtur & colles: Ita è contrario, ꝓ magnitudine peccatorũ & diuersitate, maximè superbiæ, mali, montes appellãtur & colles. Sensus est fere idẽ cum præcedẽtib⁹: Vindicta Dei veniet super õnes, qui in superbiã erigũtur siue ob eruditionẽ, siue generis nobilitatem, vel ob quodlibet aliud quod in Deum non refertur.

Et super omnem turrim excelsam &c.) Qui hæc ad Vespasiani Adrianiq; tempora referunt, corporaliter impleta esse dicũt, quãdo nulla turris, licet excelsa, nullus murus licet fortissimus, nõ deniq; vlla nauiũ multitudo aduersus vim Romani exercitus potuerit prævalere: sed habitatores Iudęæ in tantã venerũt formidinẽ, vt ipsi cũ cõiugibus, liberis, argento, auro, quæ sibi auxilio fore eximabant, in abditissimas terræ foueas demersi sint, & ꝓfundissima antra sectati. Metaphoricẽs autem per turrim & murum intelliguntur illi, qui in ædificijs, castris, alijsq; locis turriũ altitudine, murorumq; firmitate munitis confidebant, super quos etiam veniet dies vltionis diuinæ. Septuaginta pro Tarsis verterunt mare. Est autẽ Tharsis vox neque Latina, neque Græca, sed Hebraica, cui⁹ naturale significatũ habetur Exod. 28. vbi in rationali Aaron poni iubentur quatuor ordines lapidum, quorum nomina ibi referuntur, & inter cæteros lapides, nomina tur etiam, Tharsis, quam vocem noster interpres Chrysolytum vertit, siue vt alij Hyacinthum. Et propter huius lapidis cæruleũ colorem, qualem & mare sæpe habet, factũ est vt Tharsis pro quouis mari accipiatur apud Hebræos.

Quid propriè Tharsis.

ET incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorũ, Et eleuabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur. Et introibunt in speluncas petrarũ, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. Infra 31. d

ET incuruabitur omnis sublimitas &c.) Quia res maximi est momenti, eandem repetit propheta & inculcat sæpius, vt firmius inhæreat animis eorum. Et diligenter attendere debent omnes superbi, ambitiosi, & id genus malorum hominum, ad hanc Esaiæ prophetiam, quia eadem Dominus facturus est in consummatione seculi, quæ fecit in destructione Hierusalem, quæ typum gessit totius orbis in extremo iudicio consummendi, adeò vt multi sint, qui non dubitẽt hæc omnia ad seculi consumationem esse referenda.

IN die illa proijciet homo idola argenti sui, et simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret talpas et vespertiliones. Et ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse. Luc. 23. c.

IN die illa proijciet homo idola &c.) Diem illam vocat diem terrificam obsessionis Hierusalem. Idola argenti & simulachra auri vocat, idola & simulachra ex auro argentoque confecta. Et istud: Talpas & vespertiliones, per appositionem additur, hoc sensu: In die illa quilibet homo idololatra abijciet idola sua argentea & simulachra aurea, quæ erant talpæ & vespertiliones. Et putant quidã, quòd populus Iudaicus huiusmodi animaliũ imagines adorauerit: quẽ sensum reddit Pagni. qui hoc modo vertit: In die illa ꝓijciet homo idola argentea & aurea quæ fecerat sibi, vt incuruaret se ad imagines talparũ & vespertilionum. Id si verum est, mira est &

Universidad de Deusto
Biblioteca

vastatur. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi, Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.

Terra vestra deserta &c.) Futurum tanquam præteritum enuntiat, propter certitudinem prophetiæ. Sensus est: Quia vos Iudæi, tot modis tantisque beneficijs ad meliora prouocati, manetis in cæcitate & malitia vestra obstinati, propterea terra vestra deseretur, ciuitates vestræ succendêtur igne, regionem vestram vobis aspicientibus hostes tui deuorabunt & in nihilum redigent. Hęc sub Babylonijs magna ex parte impleta sunt quando incenso templo, subuersa Hierusalem, regionem decem tribuum Samaritani occupauerunt, & in tantam terra repromissi onis redacta est solitudinem, vt etiam à leonibus alijsque feris bestijs inhabitaretur. Plenius verò & perfectius impleta sunt in aduêtu Romanorum, tępore Titi & Vespasiani, qui ita vastauerũt, adeoq; solo æquarunt ciuitatẽ Hierusalẽ, vt ne lapis quidẽ relinqueretur super lapidẽ. Quę Iudęorũ vastatio atque dispersio vsq; in finẽ mũdi perdurabit.

Quare Hierusalem vocetur filia Sion.

Delinquetur filia Syon &c.) Est periphrasis ciuitatis Hierusalem, quæ vel propterea vocatur filia Sion, quia ædificata in pede montis Sion, ex eo quasi nasci videbatur: vel quia Deus eam non aliter quàm filiam dilectam maximo paternæ pietatis affectu prosequebatur. Quam ciuitatem prædicit hîc, similitudine quadam ab agricolis desumpta, penitus destruendam. Cucumerarium autẽ est locus, in quo sunt vel crescunt cucumeres: Vmbraculum verò est casula illa siue domuncula iuxta vineam extructa, in qua ipsi vinearum cucumerumque custodes, propter solis ardorem, aeriscque intemperiem latitant, vel ad fures arcendos, vel bestiolas ne frugibus noceãt, abigẽdas. Similitudo ergo prophetæ hæc est: Sicut sub finẽ æstatis, vindemia iam peracta, & cucumeribꝰ alijsq; vndiq; collectis, vinearũ cucumerũq; custodes tuguria sua aut casulas destruunt penitusq; demoliuntur: Ita florentissima ista ciuitas, instar vilissimi tugurij, in nihilũ prosus redigetur: nec simpliciter sicut custos vineæ, tugurium suũ destruit, demolietur, sed hostiliter, cum impetu & crudelitate quadam hostium, atque hoc est quod ait: Sicut in vastitate hostili.

Cucumerarium. Vmbraculum.

Nisi dominus exercituum &c.) Vox Hebræa שריד farid, quam noster interpres (semen) transtulit, significat paruas reliquias. Secundum quosdam ergo sensus est: Nisi dominus exercituum reliquisset nobis paucos illos ex captiuitate Babylonica, sub Zorobabel duce & sacerdote Iesu filio Iosedec, reuersos, tota gens nostra perijsset, sicut Zodoma & Gomorra perierunt. Sic Lyra, cuius expositionem is facilè sequetur, qui solùm inspexit ea, quæ præcedunt & sequuntur in Esaia: sed qui D. Paulum magnifico nec non viuifico spiritu prędituũ, in epistola ad Rom. vel à limine salutauerit, dicet hunc esse sensum: Nisi dominus exercituum reliquisset nobis paruas reliquias, diuam Virginem videlicet, Apostolos & paucos alios ex Iudæis credentes, tota gens nostra Iudaica penitus abolita fuisset, non aliter quàm Zodoma & Gomorra. Voluit ergo significare propheta, paucos admodum futuros, qui Christum in propria venientem reciperent atque in eum crederẽt. Quapropter oportet hoc loco aduertere subitum prophetæ transitum à litera ad spiritum, quod illis frequens est, & peculiare, sed in eo quod sequitur, redit iterum ad literam.

Ad Ro. 9.

Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorræ. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguiũ, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectũ meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ãbularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltrà sacrificium frustra: Incensum abominatio est mihi. Amos 5. f.

Audite verbum Domini &c.) Licet hęc prima fronte in bonam partem interpretari posse videantur, in malam tamen omnino accipienda sunt. Vocat enim propheta Iudæos principes Zodomorum, non quod principatum aut imperium aliquod in Zodomitas exercebant, sed quia illorum in omni flagitiorum genere imitatores extabant, quẽadmodum idem propheta eis in sequentibꝰ improperat dicens: Peccatum suum quasi Zodoma prędicauerunt, nec absconderunt. Similis phrasis est in Euangelio Iohannis quum Christus ait eos ex patre esse diabolo, quia eius faciunt desideria. Referũt Hebræi Esaiam duabꝰ potissimum de causis à Iudæis interfectum, quarũ prior hoc loco ponitur, quia videlicet eos principes Zodomorum & populum Gomorræ appellauit. Altera est, quòd cùm Dominus Exod. 33. dixisset ad Moysen, Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet: ipse tamen infrà capite 6. ausus est dicere, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.

Infra c. 3.

Duabus de causis Esaias à Iudæis interfectus fuit.

Quò mihi multitudinem victimarum &c.) Carpit hic propheta pernicioſam in Iudæis operum confidentiam. Istud est verbum ô Iudæi, quòd Deus vult vos audire: Ad quid ait tantam victimarum multitudinem mihi quotidie offertis? an putatis me ijs indigere

digere? quasi dicat, minimè, atque hoc est quod sequitur, Plenus sum, pro quo Hebræi legunt, dies sum, id est, nulla re indigeo, nec proinde victimis vestris aut sacrificijs opus habeo. Mea enim est terra, & plenitudo eius. Sunt qui hæc & sequentia ita simpliciter exponunt, vt dicant Dominum hîc prorsus reprehendere & reijcere sacrificia & cæremonias Iudæorum, verùm eorum tantùm, quibus loquebatur propheta, & propterea sæpè emphaticẽs dici (vestra) iuxta illud quod in Prouerbijs scribitur: Victimæ impiorum abominabiles sunt. Hæc expositio quibusdam non placet, propterea quòd hac ratione etiam repudiaret illa: Quærite iudicium, subuenite oppresso etc. quæ sunt in eodem hoc capite, cùm & hæc in peccatoribus minimè placeant Deo. Sed respondendũ Deum, illo loco non requirere vnum genus virtutis atque alterum, sed paucis virtutibus enumeratis, omnes per synechdochen intelligit, vt hic sit sensus Esaiæ: Quicquid iudicaueritis pertinere ad charitatem Dei & proximi, hoc vbi præstiteritis, grata erunt mihi oblationes & sacrificia vestra. Errabãt enim in hoc Iudæi, quòd præstitis cæremonijs, omnia sibi salua esse credebant, sed nihil minùs, quoniam illas postremo loco habet Deus: Primo verò loco charitatem. Secundo in hoc errabant, quòd non respiciebant in fidem mediatoris, qui est propitiatio pro peccatis nostris, sed remitti sibi peccata putabãt si solùm præstarent cæremonias suas etiam fide vacuas. Ex his facilè est intelligere Esaiam, qui in eis arguit pernicioſam fidem operum. Alij tamẽ vetustissimi quiq; vt Irinæus, Tertullianus, Cyprianus referunt hęc ad tẽpora Christi, & clausulam illam, Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, interpretãtur de sanguine illo, de quo dicitur in Euangelio: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Et secundũ hos etiam facilè est interpretari prophetam, cessatque illa quæstio, quomodo Deus hîc reijciat Iudęorum sacrificia, quæ in lege præcepit sibi offerri, quia in morte Christi illa iam finem acceperant. Hieronymus tamen, qui & ipse refert hæc ad eadem tempora notat, quòd propheta vsus sit verbo pręteriti temporis (nolui) Quia inquit in præterito dicit (nolui) nunquam se hostias Iudęorum voluisse demonstrat, quòd in Psal. 49. legimus: Non accipiam de domo tua vitulos &c. Et hoc sensu intelligendum dicit, quòd hostiæ & immolatio victimarũ non principaliter à Deo quęsita sunt, sed propter alium finem ne videlicet idolis immolarentur, & vrà carnalibus victimis, quasi per typum & imaginem ad spirituales hostias transiretur.

Prouer. 15.

Mat. 27. c. Iohan. 19.

Holocausta arietum &c.) Eorum quæ in sacrificijs legalibus offerebantur, alia holocausta, alia verò hostiæ dicebantur. Holocausta autem tota in altari cremabantur, & inde dicta quasi tota incensa, vnde & aliàs incensum appellantur, vt infra cùm ait, Incensum abominatio est mihi. Horum autem tria erant genera: primum, bouis: secundum, ouis aut capræ: tertium, auium, turturum videlicet aut columbarum. Hostiarum verò, solis crematis adipibus, cætera cędebant in vsum sacerdotis seu eorum, qui offerebant.

Holocausta.

Hostia.

Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram, Iniqui sunt cœtus vestri. Calẽdas vestras, & solenitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Amos 5. f. Infra 58. c.

Neomeniam &c.) Neomenia autem festum erat, propter gubernationis diuinę beneficium, in nouilunio: Sabbatum verò in memoriam creationis mundi, septimo quoque die à Iudęis celebrandum. Per alias festiuitates intelligit festa tabernaculorum, tubarum, Paschæ, Pentecostes, etc.

Neomenia.

Sabbatum.

Iniqui sunt cœtus vestri &c.) Redditur hîc vna causa, ob quam Deus reijciat & contemnat Iudæorum sacrificia, quia videlicet animo impœnitenti & in malitia obstinato ea offerebant. Quod hoc loco interpres noster vertit Calendas, superiùs Neomeniam transtulit, estque eadem vox vtrobique apud Hebræos nempe חדשיכם chodsicechem.

Quare Deus contemnat Iudæorum sacrificia.

Odiuit anima mea &c.) Non est hoc ita intelligendum, quasi Deus animã habeat, sed loquitur humano more. Nõ enim intelligeremus nisi per corporalia nobis loqueretur.

Et cùm extenderitis manus &c.) Est periphrasis orationis seu precum. Sensus est: Cùm tẽpore tribulationis confugeritis ad auxiliũ meum & misericordiam implorandam, non præstabo vobis eam, sed potiùs longè remouebo à vobis, atque hoc est, quod dicitur in Euangelio: Scimus autem quia Deus pęcatores non audit. Ad pleniorem huius loci intellectum sciendum, quòd peccatores dupliciter orant. Quidam enim orant, quemadmodum publicanus ille euangelicus, qui orabat pœnitenti corde remitti sibi quod cõmiserat: & horum preces nunquam spernit Deus. Alij autem orant quomodo Phariseus ille, pleni inuidia, odio, ira, nihil cogitantes de vita in melius commutanda, sed securè viuunt, interim legunt orationem dominicam, aut septem psalmos: hos ita orantes non exaudit Deus. Et tales erãt isti, quibus hîc loquitur Esaias.

Iohan 9. f.

Peccatores dupliciter orant.

Luce 18.

Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt &c.) Hæc particula (saltem secundum eos, qui

suprà

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum locum constituam pueros, id est, imbecilles, lasciuos, dissolutos & omnia puerorum more agentes, qualis fuit Roboam, qui senum consilio contempto, iuuenum consilia secutus est: non quòd puer esset ætate, quando accepit regnum, vtpote qui quadraginta erat annorum, sed quia pueriliter & dissolutè agebat.

Et corruet populus &c.) His verbis significat totius populi dissolutionem, quasi dicat: Ex eo, quòd principes eorum erunt pueri, & effœminati dominabuntur eis, sequetur hoc malum, quòd nec ætatis, nec dignitatis vllus seruabitur ordo: sed sine discrimine puer aduersus senem, ignobilis aduersus nobilem, quisque contra proximum suum consurget. Quod reuera accidit tempore Titi & Vespasiani, quando ciuitas propter seditionẽ diuisa erat in tres partes, vt ait Iosephus. Quidam enim arcem & templum, alij inferiorem, alij superiorem vrbis partem tenuerunt.

Apprehendet enim &c.) Domesticũ patris sui vocat, qui est ejusdẽ secũ familię. Vestimẽtum, per Synecdochen pro opibus & diuitijs capitur. Pro ruina, Symmachus infirmitatem transtulit. Sensus est: Singuli dicent ad singulos, quia opes tibi sunt & diuitiæ, sis nobis princeps, libera nos ab hac ruina, nostra hæc calamitas & miseria tuo sustentetur & protegatur auxilio. In hac diuersa principum electione, significatur seditio, dum alius hunc, alius illum petit principem.

Respondebitque in die illa, dicens, Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me principem populi. Ruit enim Hierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondebit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum: quoniam reddita sunt eis mala.

Respondebitque in die illa &c.) Est iterum synecdoche in pane & vestimento, & ad verbum transferri debebat, Non sum alligator vel alligans vulnera quemadmodum reddidit Theodotion. Sensus est: Is, quem in principem volebant eligere, videns, suam imbecillitatem & impotentiam, respondebit, non sunt mihi opes aut diuitiæ, quibus possem mederi vestris malis, non est in mea potestate depellere hanc ruinam, miseriam & calamitatem, proinde nolite me eligere in principem. Admonet hic Hieron. vt non statim præbeamus consensum multitudini, quando nos eligit vel in pastores vel rectores vel principes, sed quisq; se humiliet sub potenti manu Dei, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, sed electi in principẽ videamus quid ferre recusent, quid valeant humeri: populus enim & vulgus ferè ditiores eligit, & sæpe iudicat aliquem meliorem, quàm reuera est.

Ruit enim Hierusalem &c.) Verba sunt nõ illius, quem volebant eligere principem, sed prophetæ, dicentis, ideo neminem velle prę esse populo, quia Iuda & Hierusalem penitus excidentur, & huius excidij causam adiũgit, dicens: (*Quia lingua*) id est, voces eorũ, quibus blasphemabant, dicentes, Dæmonium habet, in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia, tolle, tolle, crucifige &c. (*& adinuentiones*) id est, peccandi studia sunt contra Deum, quem & vocibus suis blasphemiæ, & peccandi studijs ad iracundiam prouocarunt.

Agnitio vultus eorum respondebit eis) Id est secundum Hieronymum sua recipient peccata. Est quidem breuis hæc Hieron. expositio, sed obscura. Istud autem vult propheta: hoc eueniet eis, quod magnitudo seu enormitas peccatorum meretur, quasi dicat: Facies eorum indicat eos esse superbos, ira, inuidia, & odio plenos, ideo secundum hæc fiet eis, id est, præmia factis suis digna recipient: Secundum magnitudinem delicti, erit & plagarum modus. Similem Hebraismũ habemus Oseæ 10. Vitis frondosa Israel fructus adæquatus est ei.

Et peccatum suum &c.) Sensus est: Quemadmodum Zodomitæ cum omni libertate peccantes, nec pudorem vllum sceleris habentes, dixerunt ad Loth: Educ viros foras, vt cognoscamus eos: Sic & isti publicè, proclamantes prædicauerunt peccatum suum, sine verecundia dicentes: Dæmonium habet: Tolle, tolle, crucifige eum: Reus est mortis &c.

Væ animæ eorum &c.) Futurum tanquam præteritum enunciat propter certitudinem prophetiæ, quod Esaiæ admodum frequens est & familiare. Sensus est: Aeterna damnatio manet eos, & hoc propter scelera eorum.

Dicite iusto quoniam bene: quoniam fructũ adinuentionum suarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores sui spoliauerunt, et mulieres dominatæ sunt eis, Populе meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

Dicite iusto quoniam bene etc.) Alloquitur propheta lecturos hanc prophetiam. Hieron. in commentario & in textu legit pluraliter, comedent: similiter legunt exemplaria Hebraica, & refertur ad illos, de quibus antè sermo fuit, hoc sensu: Vos, qui lecturi estis hanc de Iudæorum perditione prophetiã, dicite iusto scilicet Christo, id est, laudate Christũ, quia bene, iustè & nõ crudeliter fecit, euertẽdo Hierusalem & regnũ Iudę. Si verò sequamur nostrã trãslationem legendo in singulari numero, comedet, tunc erit consolatio iustorum, hoc sensu: Dicite iusto, id est, cuiuis homini pio & virtute prædito quòd secum benè agetur, quoniam pereuntibus iniustis ipse laborum suorum fructus bonos recipiet. Comedere, pro recipere frequẽs est in Scripturis. Et vocabulum (adinuentiones) aliquando accipitur in bonam partem, vt hoc loco: Aliquãdo in malam, vt superiùs cùm ait, Et adinuẽtiones eorum contra Deum etc. Quẽadmodum enim mali student prauis adinuentionib⁹, & toti in hoc sunt, vt peccata perpetrẽt: Ita boni pijs student adinuentionibus, & toti in hoc sunt occupati, vt faciant bona, & Deo placeant.

Duplex adinuentionum acceptio.

Væ impio in malum &c.) Est ferè eadem sententia cum illa: Agnitio vultus eorum respõdebit eis. Item cum illa: Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt illis mala: & quod ibi in præterito, hic in futuro enunciat. Vbicunque ponitur particula illa (væ) in scriptura, accipitur ferè pro æterna damnatione. Sensus est: Aeterna dãnatio manet õnes impios.

Et populũ meũ exactores etc.) Hacten⁹ causam futuri excidij significauit propheta peccatũ reiecti Christi: Núc etiam alia adijcit quæ simul etiam causa fuerunt. Verba Dei sunt ad Scribas & Pharisęos, quos ideo nõ doctores, sed exactores vocat, quia traditionibus suis quodammodo extorquebant bona populi. Hic locus multo dilucidior erit & clarior, si cõferatur cũ illo, qui est apud Matthęũ: Quare vos transgredimini etc. Idẽ enim hic expobratur Iudæis, quod ibi. Vide Theophilactum super illum locum Matth. qui eum optimè explicat, inter cætera dicẽs: Pharisæi persuadebant pueris, ne quid darent parentib⁹, sed offerrẽt in thesaurum templi: docebãtq; ipsos, vt dicerent, donũ Dei est, id est, oblatum Deo, ó pater, id quod per me vsui esse tibi cupis. Et sic parentes relinquebantur & contemnebantur, nec in senectute alebantur.

Mulieres dominatæ sunt eis) Quos antè effœminatos, hic despectiuè mulieres vocat, & notat turpem libidinosamque Scribarum & Pharisæorum conuersationem. Sensus est: ideo omnibus modis studentà populo corradere pecuniam, vt melius libidinem suam exercere possint, & voluptates, rebusq; Venerijs liberiùs incũbere. Nihil prohibet etiã mulieres propriè accipi, hoc sensu: Tam molles facti sunt Scribæ & Pharisæi, vt mulieres, hoc est, vxores eis dominatæ sint.

Populе meus &c.) Videtur Deus humano affectu loqui ad simplicem plebem, & quasi compati eis. Sensus est: O populе meus, Scribæ & Pharisæi, propter munera à vobis in tẽplo oblata, cæremonias q; præstitas, prædicant vos beatos atq; felices: sed (sed prô dolor) ipsi vos fallunt & à via veritatis seducũt. Per viam gressuum, vitæ rationem intelligit, quam huiusmodi homines dissipant. Non enim munera, non cæremoniæ, non templum, hominẽ faciunt beatum: sed charitas ex corde puro procedens, & fides per dilectionem operans.

Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos: Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius. Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, Dicit Dominus exercituum?

Stat ad iudicandum Dominus &c.) Sunt iterum verba prophetæ commemorantis iudicium Dei aduersus exactores populi, & vt eos magis terreat, dicit eum stare & quasi paratum esse ad iudicandum. Hieronymus in Commentar. illud (cum) quando dicitur, Cũ senibus populi etc. exponit contra. Vox Hebræa ambigua est ad vtrunque. Secundum Hieronymum ergo sensus est iste: Veniet Dominus ad iudicandum contra senes & principes Iudæorum, qui oppresserunt populum suum, atque hoc est, quod sequitur.

Vos enim depasti estis &c.) Secundũ alteram interpretationem sensus est iste: Deus cum senibus, id est, patriarchis & prophetis, & principibus, id est Apostolis veniet ad iudicandum populos.

Vos depasti estis &c.) Seruat (inquit Hieronymus) consuetudinem prophetarum, vt mutet repentè personas: Suprà enim ipse Dominus dixerat: Populе meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt: & postea propheta subiecerat, Stat ad iudicandum Dominus, Dominus ad iudicium veniet. Igitur post prophetam ipse Dominus, qui ad iudicium venerat cum senibus populi sui, & principibus eius, loquitur ad eos, & corripit delinquentes. Quid autem intelligatur per vineam, aperit propheta 5. cap. vbi ait: Vinea Domini exercituum, domus Israël est. Sensus itaq; est: Vos Scribæ & Pharisæi depasti estis plebẽ meã spoliando eã bonis suis, & deponendo ea apud vos quæstus gratia. *Quare atteritis?*) id est, paulatim consumitis populum meum, & facies pauperum cõmolitis, id est, macie & fame attenuatis, vt habet Amos. Posteriorẽ illã partẽ: Dicit Domin⁹ exercituũ

neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque Hiero.legit in textu, neque Haymo: postrema tamen editio Parisiēsis & alia quędam exemplaria constanter legunt. Hæc quoque locum habent non solùm in nostros Reges & Principes seculares, si malè & iniustè exigũt aliquid à simplici plebecula, sed etiam in ecclesiasticos Prælatos, Episcopos & alios, qui aliquando malè torquent excõmunicationes in miseros homines ob debitum paruum aut aliam causam alioqui leuissimam, præterea qui Ecclesiæ bona malè & iuutiliter consumunt in alendis equis aut concubinis.

ET dicit Dominus Deus, Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, & compositio gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinẽ earũ nudabit.

ET dicit Dominus: pro eo &c.) Superiùs tam populum quàm principes populi corripuit propheta & Dominus: nunc ad mulieres conuertitur sermo propheticus, ne se putent liberas, & ab õni crimine alienas, ob quarum luxuriam & voluptatẽ depasti sunt principes vineam Domini. Per filias Sion, quidam intelligunt minores Iudęæ vrbes, quæ erant sub potestate & ditione Hierusalem. Et phrasis hæc frequens est in scriptura, & maximè in libro Iosue, vbi per singulas tribus ponuntur nomina ciuitatum, & postea describuntur villæ & castella, quæ filiæ illarum ciuitatum appellantur. Et quando hoc modo interpretamur hunc locũ, oportet vt per metonymiam accipiamus ciuitatem Sion pro populo habitante in ea. Alij simpliciter intelligunt filias & mulieres ciuitatis Hierusalẽ. Et est hoc loco notatio, qua significatur libido, superbia, procacitas, quæ vitia sunt in mulieribus, & maximè dominãtur in puellis. Locus iste alioqui facilis est & cuiuis obuius.

Decaluabit Dominus &c.) Id est, propter hanc mulierum & puellarum libidinem, superbiam & procacitatem afficiet eas Dominus maxima ignominia: præcipuum enim ornamentum, quod eis natura dedit, ipsum videlicet capillitium, in quo sibi ferè placẽt mulieres, auferet, quo sublato, succedet caluitium, quod quàm magna sit ignominiæ nota, facilè patet ex antiquis, qui captiuis suis caluitium inducere consueuerunt ignominiæ causa, & in signum subiectionis plenique dominij in ipsos.

IN die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum: & lunulas & torques, & monilia & armillas, et mitras, & discriminalia, & perischelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendẽtes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & vittas, & theristra.

IN die illa auferet Dominus &c.) Est synecdoche: per hæc enim quæ enumerat propheta, significare vult omne genus ornamẽtorum seu mundi muliebris. Per diem illam captiuitatem Romanam intelligit. Lunulæ, ornamenta erant mulierum, quæ habebant figuram lunæ, quibus partes vestium inter se connectebãtur. Torques vel torquis, cùm eius vsus & apud nos frequens est, quid sit, omnibus notum est. Monile ornamentum gutturis est, quod solet ex collo virginum dependere, ex eo dictum, quòd virtutis admoneat. Solet enim olim ob egregium aliquod factum dari. Armillæ sunt in circulorum modum confectæ, quas ab imperatoribus donatas viri militares in brachijs gestare solebant, hinc & brachialia à Prisciano vocantur: Dicuntur autem armillæ ab armis quia antiqui humeros cum brachijs, armos vocabant. Mitra vox est barbara, ornamentũ significans in modum coronæ factum. Discriminalia, instrumenta sunt, quibus virgines segregabant crines, in fronte pendentes. Perischelides, sunt ornamenta aut potiùs instrumenta, quibus mulierum gressus cõponi solent, à περὶ & σκελὸς, quod significat crus, tibiam. Murenulæ, sunt ornamenta colli flexuosa instar murenarum, seu catenæ ex auro confectæ à murena pisce sic dicta, qui longitudine anguillæ nõ adeò dissimilis est. Vide Hieron. ad Marcellam. Per olfactoriola, metaphoricè intelligit pixedulas: seu odorum fasciculos, in quibus ponebãt muscum & alia aromatum genera. Inaures, sunt circuli aurei vel argentei, qui ex auribus perforatis dependent. Per mutatoria, Thomas diuersa vestimentorum genera intelligit, qualia videmus in aulicis, qui quotidie & aliquoties bis in die aliam & aliam induunt vestem. Hiero. tamen dicit vestium muliebrium certi generis esse ornamenta, quibus humeri & pectora teguntur. Pro linteaminibus Sept. transtulerunt, perspicua Laconica, volentes significare tenuissimas vestes, quibus olim vtebantur Lacedæmonij. Acus, instrumenta sunt, quibus ornamẽtorũ crinium compago retinetur, ne laxiùs huc atque illuc diffluant capilli. Theristrum, est genus pallij muliebris ex optimo genere lini contextum, adeò tenue atque subtile, vt si quis inde tunicam habeat indutam, maculam corporis nequeat abscondere: Solent autem mulieres potissimum Arabicæ hac veste vti in æstate, vnde & nomen sortita est θέρος: theros enim idem est quod æstas.

ET erit pro suaui odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispãti crine caluiciũ: et pro fascia

fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoq; viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mœrebunt, atq; lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.

ET erit pro suaui odore &c.) Id est, pro musco & alijs aromatum generibus benè olentibus, erit maximus & intolerabilis fœtor, quo in captiuitate ex miseria affligẽtur: & pro zona, id est, cingulo aureo erit funiculus, quo ducentur captiuæ ad exteras nationes. Per fasciam intelligit, qua constringuntur mamillæ, ne turpitudinem ingerant sua magnitudine: pro pulcherrimis quoq; crinibus, quibus superbire solent, erit caluicium. Fascia.

Et mœrebunt atq; lugebũt &c.) Olim apud Iudæos portæ, erant loca adeò celebria, vt in ijs iudicia publica exercerentur. Potest hic esse duplex figura, & proinde duplex sensus. Imprimis metonymia, vt per portas & ciuitatẽ intelligamus inhabitatores earum, hoc sensu: Non solùm illi, qui in portis morabantur lugebunt atque mœrebunt, sed & totius vrbis habitatores tristes erunt, atque desolati in terris sedebũt. Deinde metaphora aut si mauis metalepsis, vt portę & ciuitas, res alioqui inanimatæ, iam penitus destructæ atq; euersæ, ob id dicantur lugere atque mœrere, quia adspicientibus luctum quendam atq; mœrorem ingerunt. Sic pratum dicimus ridere ex eo, quòd inambulantib⁹ lætitiam quandam adferat, & quod ammodo risum excitet. Sensus igitur est: Portæ ciuitatis Hierusalem iam euersę, ipsáq; ciuitas penitus destructa, & ab habitatoribus suis desolata quasi lugebit, & adspicientibus tristitiam quandam atque mœrorem ingeret. Ex hoc igitur loco discendũ est, quantum displiceat Domino Deo vestimentorum luxus & pompa seculi, qui populum tam dilectum ob huiusmodi causam damnauit. Si displicuerunt hæc Domino in tali populo, quanto magis in Christianis displicent, qui semel in baptismate abiurarunt huius seculi pompas? Quo testimonio vtendum est contra mulieres nostri seculi, quæ sunt in ecclesia. Notandum etiam circa eundem locum, quòd cùm potuisset dicere propheta: In die illa auferet Dominus omne genus mundi muliebris, maluit tamẽ multis verbis id inculcare, quò populum efficaciùs moneret, qui nihil sibi dici putat, nisi dicatur ei in particulari. Id enim officium debet esse concionatoris, vt in particulari populum moneat, alioquin in genere dictũ, sibi dictum esse non intelligit.

CAPVT IIII.



ET apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

APprehendit septem mulieres &c.) Præcedens caput omnino tristia, istud verò læta continet, nisi quòd in initio quædam tristia sunt, quæ adhuc ad superi⁹ caput pertinent. Septenarius numerus Hebræis multum familiaris est propter Sabbatum, sicut & denarius propter Decalogum: vnde illis frequenter abutuntur, septenarium aut denarium numerum certum pro incerto ponentes, vt hoc loco. Et D. Hieronymus dicit dictionem Hebræam hoc loco positam, ambiguam esse, & nunc septem, nunc plura significare. Sensus est: In excidio Hierusalẽ tanta erit virorum cædes, vt præ paucitate virorum septem mulieres aut etiam plures vix vnum maritum acquirere possent. In quo significatur fore maxima virorum clades, ita vt multæ mulieres cupientes nubere in marito, vix possint voto potiri propter virorũ raritatem.

Dicentes panem nostrum &c.) Nomine panis, quemadmodum superius diximus, Hębræi intelligunt omnem cibum. Similiter & vestimentum generaliter accipitur pro quolibet corporis indumento. In pronomine (nostrum) emphasis est, hoc sensu: Omnia labore & industria nostra comparata, qualiacunq; illa fuerint, siue cibus, siue potus, aut vestimentum, aut quælibet alia, erunt tibi nobiscum communia. *Quid nomine panis significetur.* *Quid nomine vestimenti.*

Tantummodo inuocetur &c.) Est Hebraica phrasis, latinè hoc modo dixisset: Tantummodo dicaris maritus noster, & nos tuæ vocemur vxores. Phrasis hæc valde frequens est in scriptura. Hac vtitur Iacob Genes. 48. dicens: Inuocetur nomen meum super eos, id est, Manasses & Ephraim dicantur filij Iacob. Hac vtitur & Hieremias dicens: Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, id est, tu dictus es noster Deus, & nos populi tui. Item Eccle. 36. Miserere plebi tuæ, super quam inuocatum est nomen tuum. Sensus ergo est: Non cupimus vt compares nobis victũ aut amictum, ipse nobis & tibi comparabimus: sed hoc vnum tantùm à te petimus vt dicaris noster maritus, & nos vocemur vxores tuæ, vt auferatur opprobrium sterilitatis & maledictio legis à nobis. Probrosum enim erat olim in Israel, & maledictioni erat obnoxia mulier, quæ non faciebat semen super terram. Ini- *Quid sit innocari nomẽ super aliquẽ.* *Genes. 48. e* *Hierem. 14. b* *Exod. 23. f* *Deut. 7. e*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium huius capitis hucusque referri debet cum superiori capite ad tempus Romanæ captiuitatis. Quare mirum est Haymonem hæc referre ad tempus captiuitatis Babylonicæ: Illa verò, Pulcherrimi quoque viri tui &c. in fine præcedentis capitis, ad tempus captiuitatis Romanæ, cùm hæc ex illis inferantur, & vtraq; ad idem tempus pertinẽt. Quæ iam sequuntur, valde læta sunt & iucunda.

IN die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel. Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur: omnis qui scriptus est in vita, in Hierusalem. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinẽ Hierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.

Germen.

IN die illa &c.) Germen aliquando accipitur pro Christo, qui est germẽ Dei patris: Aliquando pro ecclesia, quæ est germen ipsius Christi, quomodo videtur hîc accipi hoc sensu: Eo tempore quando septem mulieres apprehendent virum vnum, tunc germen Domini, id est, Ecclesia erit in magnificentia & gloria, quia magni secundum seculum & glorioſi passim sese iungẽt Ecclesiæ, & conspirabunt in vnitatem fidei cum Ecclesia Dei. *Et fructus terræ sublimis &c.*) Secundũ quosdã periphrasis est Christi. Sunt duo loca similia, vbi terræ fructus pro Christo ponitur. Alter est apud Esaiã: Aperiatur terra & germinet Saluatorẽ. Alter est in psal. Terra dabit fructum suũ. Sensus est: Terræ fructus, id est, Christus virginis Mariæ filius in terra natus, sublimis erit in cordibus omnium credentium, quia illi magnificè de illo sentiẽt. *Et exultatio his qui &c.*) id est, magnum gaudium erit his, qui Christũ in propria venientem receperunt. Istud est vnum ex præcipuis, quæ pollicetur Dominus in nouo Testamento, videlicet nouum gaudium conscientiæ, quod sentiri quidem potest, exprimi autem nequaquam, licet id conetur Esaias cùm ait: Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Et nihil maius potest homini contingere quàm istud gaudium, quod in eo consistit, vt attestetur eis Spiritus sanctus eos esse electos, & inscriptos in libro vitæ.

Infrà capite 45.b
Psal.66.a.
Esa.9.a.

Et erit: Omnis qui relictus fuerit &c.) Quod hic ait propheta: Omnis qui relictus fuerit, hoc primo capite dixit: Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen &c. Paulus hoc modo extulit: Reliquiæ saluæ fient. Veteres hæc interpretantur, quasi propheta respexerit non solùm ad statum præsentis Ecclesiæ, sed etiam futuræ. Et prophetę habent hoc pro more vt frequenter misceãt ea quæ in hac Ecclesia fiunt cum ijs quę fient in futura. Vt cap. 60. huius prophetiæ: Pro eo quòd fuisti derelicta, ponam te &c. vbi apertè coniungit ea, quæ hic cõtingunt, cum ijs quæ in futuro seculo contingent. Nomen (sanctus) scriptura his tribuit, quorum remissa sunt peccata, licet aliquid adhuc vitij habeant. Sic sumitur in epistola ad Rom. & alibi sæpius. Sensus est: omnis qui non fuerit publico infidelitatis malo inuolut⁹, vocabitur sanct⁹, id est, Christianus & fideliũ numero adscript⁹, atq; hoc est quod sequitur.

Quibus sanctus dicatur.
1. Rom. 1.
1. Cor. 1.
2. Cor. 1.

Et omnis qui scriptus &c.) Id est, omnis qui præordinatus est ad vitam æternam. Scribi in vita, Hebraico more dixit, pro prædestinari. Non enim habetur materialis liber in cælo in quo electorum nomina scribuntur, sed liber ille est præscientia Dei.

Si abluerit Dominus &c.) Ista cohęrẽt ad huc cum præcedentib⁹, hoc modo: Sanctus inquã vocabitur omnis qui relictus fuerit in Sion & Hierusalem, si tamen antè abluerit Dominus sordes filiarum Sion &c. Significatur hoc loco baptismus, qui fit igne Spiritus sancti & elemento aquæ. Spiritus sanctus autẽ vocatur spiritus iudicij, id est, discretionis, quia fidelẽ ab infideli discernens, per fidem tribuit remissionẽ peccatorum: & Ardoris verò, quia hominẽ à peccato purgatum, boni zelii igne accendit. Per sanguinẽ, quidã intelligunt sanguinem prophetarũ, per ipsos & patres eorum effusum: Alij verò sanguinem Christi, de quo dicitur: Sanguis eius super nos &c. Nos autem generaliter accipiemus, per sordes leuiora, per sanguinem grauiora & crassiora peccata intelligentes. Quod aũt scriptura nomine sanguinis crassiora peccata aliquãdo intelligit, primo capostendimus, circa illum locũ: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Sensus est: Omnis qui relict⁹ fuerit in Sion & Hierusalem, sanct⁹ vocabitur, id est, Christianus: & proinde fidelium & sanctorum numero adscribetur, si tamen prius baptizatus fuerit, & per lauacrũ regenerationis à peccatis repurgat⁹.

Quibus sanctus dicatur.
& purgatus.

ET creabit Dominus super omnem locũ montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriã protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & abscõsionem à turbine, & à pluuia.

ET creabit Dominus &c.) Alludit propheta ad illum locum qui est Exod. 14. ac si dicat: Reddetur populo felicitas pristina, quam aliquando de Aegypto exeuntes habuêre, præcedente eos Domino per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis,

ignis, vt nec in prosperis efferantur, nec in aduersis deijciantur. Significatur itaq; per fumum, nubem, & splendorẽ, singulare Dei auxilium: per diem verò res prosperæ, & per noctem res aduersæ: Per montem Sion Ecclesia, quia is semper typum gessit Ecclesiæ. Hiero. per fumum intelligit gloriam, & vt suam sententiam faciat probabiliorem, adducit locũ qui est cap. 6. huius prophetiæ: Domus repleta est fumo, id est, gloria. Alij per fumum intelligunt lachrymosam compunctionem. Hi ad actum fumi respiciunt, qui cùm vehemens est, lachrymas ex oculis elicit. Verùm si respiciamus scripturam Exo. ad quam videtur alludere propheta, germanior erit expositio, si per fumum intelligamus peculiare Dei auxilium, quo protegit suos aduersus hostiũ potestates ne accedant & noceant. Sensus est: Magna quidem olim Deus præstitit veteri populo, sed multo maiora præstabit Ecclesię suæ ex omni natione congregandæ, omni cura eam fouebit, peculiari auxilio defendet, omni diligẽtia in via veritatis diriget, & in eminẽtiori salutis gradu collocabit.

Super omnem enim gloriã protectio &c.) Rupertus hoc modo: Verè enim qui gustauit contemplando beatitudinem futuri seculi, super omnem computat gloriam mundi, vacare & in secreto abscondi ab æstu atq; à turbine & pluuia huius seculi. Alius: Nihil erit ita glorioſum quàm quòd Christiani ita protegãtur à Christo Saluatore suo. Sic ferè exponunt Commentaria, sed germana huius loci sententia videtur mihi hæc esse: Super omnem enim gloriam, id est, glorioſum & verè in Christum credentem, perfectoq; cor de ei adhærentem atq; ipsum ex animo inuocantem erit protectio Dei. Secundũ hanc expositionẽ hæc pars est quodammodo explicatio præcedentis particulæ: Super omnem locũ montis &c. *Et tabernaculum &c.*) Id est, super omnem verè glorioſum erit peculiare Dei auxilium, quo velut vmbraculo per diem prosperitatis ab æstu malæ cupiditatis aut concupiscentiæ protegetur: & sub quo tanquam sub tecto tutus latebit à turbine & pluuia huius seculi, id est, ab omnibus aduersis. Est breue caput, sed insigne, & iucundum lectu omni Christiano.

CAPVT V.



Cantabo dilecto meo cantic ũ patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plãtauit vineam electã, Et ædificauit turrim in medio eius, & torcular exstruxit in ea. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.

CAntabo dilecto meo &c.) Pergit propheta arguere populi Iudæi ingratitudinem, & vt efficacius inhæreãt animis eorum, quæ dicturus est, carmine vtitur. Quod nos simpliciter dicimus, Cantabo, Hebræi addunt נא na particulam, quæ interdum obsecrantis, interdũ lubentis est particula: vnde hoc loco, cantabo, idem est quod, lubet canere. Dilectus in veteri Testamẽto, epitheton est Salomonis. si verò nouum Testamentum legamus, inuenietmus Christũ dici dilectum, vt Matth. 3. Lucæ 20. ad Eph. 1. & alibi sæpius. In voce (patruelis) catachresis est. Non enim accipitur propriè pro cognatione, quæ est inter filios duorum fratrum, sed simpliciter pro cognatione. Sensus est: Lubet canere dilecto meo carmen Christi, qui est patruelis meus, id est, cognatus, propter eandẽ naturam, quam ex mea gente assumpturus est. *Vineæ suæ*) Datiuus est, vt patet ex Hebræo, vbi præponitur litera ל lamed, quę nota est, siue articulus datiui, ac si diceret: Lubet canere carmen in gratiam Christi, quod ipsemet vbi in carnem venerit, quã ex gente mea assumpturus est, cantabit vineæ suæ, id est, populo Iudaico. Istud carmen cecinit Christus vineæ suæ Matth. 21. dicens: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineã, & sepem circundedit ei &c.

Salomõ in veteri testamẽto dicitur dilectus, Christus verò in nouo test.
Matth. 3. d
& 17. a
Luc. 20. b
Ephe. 1. b
Matth. 21. d

Vinea facta est dilecto meo &c.) Per dilectũ, quemadmodum diximus, significatur Christus. In voce (cornu) Hebraismus est, latinè dixisset in loco firmo, seu terra firmissima. Hebræi enim vtuntur voce cornu, ad significandũ cuiusuis rei robur, & quod in quauis re præcipuum est fundamentum. Sic capitur 1. Regum 2. Exultauit cor meum in Domino, & exaltatũ est cornu in Deo meo. Item Lucæ 1. in cantico Zachariæ: Et erexit cornu salutis nobis, id est, magnam salutem. Item 2. Regum 22. Dominus cornu salutis meæ. Similis tropus est apud Latinos in nomine (robur) quod licet propriè arborem significet, accipitur tamen frequentissimè pro fortitudine, & quauis re firma. *In filio olei*) Est iterum Hebraismus. Ponitur enim filius olei pro ipsa oliua. Sic filius iniquitatis, id est, filius iniquus: Item filius superbię, id est filius superbus. Similis phrasis est Zachariæ 4. vbi dicitur: Isti sunt duo filij olei, id est, duæ oliuæ. Vnde manifestius hãc partem Symmachus transtulit, dicens: In medio oliuarum. Nomine autem olei siue oliuæ, Scriptura frequẽter significat omnium rerum abundantiam & vbertatem. Sensus est: Vinea plantata est Christo dilecto meo in loco firmo, in terra multũ pingui & fertili sic

Talis translatio est in voce cornu apud Hebræos, qualis in nomine robur apud Latinos.
1. Reg. 2. a
Luc. 1.
2. Reg. 22. a

Quid nomine olei intelligatur in scriptura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

li: sic interpretati sunt Septuag. sensum non verba reddentes. Et intelligit Hieronymus de terra Iudaica, qua nihil pinguius. Vocatur enim in scripturis terra lacte & melle fluens. Quid autem per vineam intelligat propheta, ipse postea declarat, dicens: Vinea autem Domini exercituum, domus Israel est, hoc est, populus Iudæorum.

Exodi 3. c & 5. & 13. a &c. Leui. 20. b Num. 20. d Deut. 6. a

Et sepiuit eam &c.) Hac rerum vniuersitate significatur summa diligẽtia & studium, quo Dominus vsus est in excolenda vinea sua. Est itaq; hoc loco perpetua quædam allegoria: & sicut in alijs allegorijs siue parabolis, per se singulæ partes non habent certam significationem, ita nec hic necesse est vt habeant. In parabolis enim, vt docet Turnout, consideranda est intentio referentis eam, qua habita, reliqua non ita considerandа sunt. Quidam tamen hæc sigillatim interpretantur, vt sensus sit: Sepiuit eam, videlicet lege & mandatis, vel custodia, seu auxilio angelorum: & lapides elegit ex ea, id est, idola & superstitiosas opiniões, quales Gentes & Philosophi de Deo habebant, abstulit, & omnia quæ Dei cultum impedire possunt, amouit. *Et plantauit vineam electam.*) Pro electa Hieronymus & in Commentarijs & in textu legit, Soreck. Est autem Soreck nomen propriæ non appellatiuæ qualitatis, significans genus vitis optimæ & selectissimæ, cuius vuę acinis carent. Rabbi Salomon (vt refert Pagninus) scribit in Commentarijs, quòd Soreck est palmes siue ramus vitis optimæ, vnde & hoc modo vertit: Et plantauit eam plantis vitis optimæ. Iudæorum siquidem primi parentes fuêre viri sanctissimi, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses. Per turrem, Hieronymus & alij intelligunt templũ Salomonis in medio ciuitatis exstructum: per torcular, ipsum altare. Sicut enim ad torcular omnes vuæ conferuntur & pessundantur, vt ex eis vinũ exprimatur: ita altare omnis populi fructus suscipit, & immolatas hostias deuorat. Verùm an hæc ita sigillatim significare voluerit propheta, incertum est: summum verò culturæ studium, hac rerum vniuersitate significare voluisse, certissimũ est.

Turnout lib. de eccl. dog. fol. 309.

Et expectaui vt faceret vuas &c.) Pro labruscis, Aquila interpretatus est fructus pessimos: Symmachus, fructus imperfectos: Septuaginta & Theodotio, spinas vertêre. Hebræis autem est vox בְּאֻשִׁים, beusin, quæ deducitur à verbo, בָּאַשׁ, baas, quod significat fœtere, putrescere. Quare pro labruscis, potuissent etiam vertere, fructus fœtidos. Rectè tamen noster interpres labruscas vertit, quia in illa voce seruatur cœptæ translationis similitudo. Labrusca enim est genus vitis agrestis, quę erratica dicitur, quod in terræ marginibus & sepibus nascatur. Et Rabbi Hai (vt refert Pagninus) docet vocem Hebræam significare genus vuæ notæ inter cæteras pessimæ. Sensus est: expectaui vt vinea mea ex selectissimo vitis genere plantata afferret fructus optimos, sed attulit pessimos. Hactenus ergo ab eo loco, Vinea facta est dilecto meo &c. nihil aliud dicere voluit propheta, quàm quòd Deus olim elegerit sibi populum Iudaicum peculiarem, primò ex optimis quibusq; viris, nempe Abraham, Isaac, Iacob, Moyse & cæteris conflatũ, quem deinde in loco firmo, pingui & multum fertili terra, nimirum promissionis, constitutum omni cura & diligentia custodiuit, fouit & defendit, eo fine, vt ipsum verum Deum colerent, eiusq; mandata obseruarent, omne denique virtutum & bonorum operum genus exercerent: sed contrarium euẽnit. Ipsi enim relicto vero Deo coluerunt idola, contemptis mandatis & calcatis virtutibus, omne flagitiorum genus exercuerũt. Si istud de Iudæis meritò conquestus est Dominus Deus, quanto rectius de nobis conqueri potest. Expectat enim à nobis Dominus charitatem ex corde puro proficiscentem, & fidem per dilectionem operantem: At non solùm hoc non reddimus, sed auaritiam, simultatem, odium & alia quæuis vitia.

Quid labrusca.

Nunc ergo habitatores Hierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferã sepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertã. Non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eã vepres, & spinæ: & nubibus mandabo, ne pluant super ea imbrem.

Infrà 60. b

Nunc ergo habitatores &c.) Antequã propheta explicet parabolam, requirit iudicium populi, vt proprio iugulentur gladio, & suo testimonio vincantur. Sic fecit & Nathan propheta, qui à Domino missus, vt 2. Reg. 12. argueret Dauidem adulterij cum homicidio coniuncti, prius proposita parabola de ouicula, coegit Dauidem vt responderet, Vi uit, inquit, Dominus, quia filius mortis est vir, qui fecit hoc. Vnde statim intulit Nathan, Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem. Sic & Dominus in euangelio, proposita parabola de duobus filijs, quorum vnus cùm renuisset patri ire in vineam, & postea pœnitentia ductus, iuit: Alter verò se iturum dixit, & tamen nõ iuit: Coegit Iudæos respondere, quòd qui pœnitentia ductus, iuit in vineam, fecerit voluntatem patris: Vnde statim intulit, Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedẽt vos in regno Dei. Sic & eodem capite, proposita parabola de patrefamilias, qui plantauit vineam, peregrè proficiscente, qui huius curã tradiderat ministris, qui seruos à patrefamilias missos, vt fructus reciperent, aut occiderunt, aut contumelia affecerunt, coegit fateri & contra se sententiam ferre, dicentes, Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs: Ideoq; subiungit dicens, Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Matth. 21. a

An quod expectaui &c.) Est quasi ironia. Sensus est: An forte in hoc erraui, quòd pro labore meo expectaui vt faceret vuas & non labruscas, quas inculta & deserta vinea proferre solet? *Et nunc ostendam vobis &c.*) Pars illa (& nunc) apud Virgilium semel atq; iterum vim habet illatiuam, & apud Hebræos hoc loco est particula inferentis, hoc sensu: Quoniam feci vineæ meæ omnia, quæ debui, illa tamen pro vuis attulit labruscas: idcirco hæc faciam vineæ meæ, eaq; ostendam vobis. *Auferam sepem eius &c.*) Sicut suprà vniuersitate rerum significauerat summum Dei studiũ, quo vius est in excolenda vinea: Ita hic vniuersitate rerum contrarium significatur, nempe maximum studiũ destruendi vineam. Et quidam hoc loco omnia etiam sigillatim interpretantur, per sepem angelorum auxilia intelligentes, per maceriã viros sanctos, qui populo pro muro sunt iuxta illud vulgare dictum, Murus magnus in ciuitate vir bonus: per spinas & vepres, miserias & calamitates: per nubes verò Apostolos. Sic etiam capitur nubes Esaiæ 60. vbi dicitur, Qui sunt isti, qui vt nubes volant? & quasi columbæ ad fenestras suas? *Et erit in conculcationem*) id est, diripietur ab aduersarijs suis, & conculcabitur ab hostibus suis & bestijs terræ. *Non putabitur*) id est, non resecabuntur malorum radices. *Et nubibus mandabo &c.*) id est, mandabo Apostolis, ne pluant imbrem salutaris doctrinæ: Vnde Paulus in Actis, Vobis oportuit primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitę, ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.

Infrà 60. b

Act. 13. g

Vinea autem Domini exercituum &c.) Exponit hîc propheta parabolam de vinea prius positam. Per domum Israel, decem tribus intelliguntur: per viros verò Iuda, reliquæ duæ tribus, quas vocat germen Dei delectabile, quia ex illis Christus humanam naturam assumpturus erat: pronomen (eius) hîc refert Deum, non vineam. *Et expectaui &c.*) Taxat propheta hoc loco inhumanitatẽ in populo suo. Postquam exposuit quid per vinea & germen Domini intellexerit, nunc declarat quid intellexerit per labruscas. Iudicium & iustitia hoc loco pertinent ad æqualem hominum inter se conuictum: expectauit autem Dominus vt facerent iudicium decernendo quæ iusta sunt fieri secundum leges, expectauit vt quisq; secundum æquitatis legem viueret cum proximo suo. *Et ecce clamor.*) Capitur hoc loco clamor eodem modo quo cap. 4. ad Ephes. vbi dicitur, Omnis amaritudo, ira, & indignatio, & clamor & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia, videlicet pro motu incomposito iratorum hominum. In Hebræis autem circa hunc locum pulchra est allusio vocum, מִשְׁפָּט misphat, iudicium: & מִשְׁפָּח mispach, iniquitas: צְדָקָה tsecada. Iustitia: & צְעָקָה tseaca, clamor.

VAE, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsq; ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ, & absque habitatore: Decem enim iugera vineæ facient lagunculam vnam: & triginta modij sementis facient modios tres.

VAE, qui coniungitis &c.) Licet hic prima fronte videatur alius tractatus, est tamen cum præcedentibus continuus contextus. Declarat enim propheta, quòd Iudæi pro vuis attulerunt labruscas: & notat imprimis eorum auaritiã, cuius deinde pœnam subiungit. Quod autem ait, Vsque ad terminum loci, idem valet ac si diceret, donec aliquis locus restet: vel vt Symmachus & Theod. donec desinat, vel non sit amplius locus. Sensus est: Aeterna damnatio manet non solum eos, qui tam multas, tamq; magnificas ædes exstruunt: verumetiam eos, qui non vno atque altero fundo contenti, sed quàm plurimos agros fundosque tam diu emunt donec aliquis restat, idq; faciunt non necessitatis causa, sed auaritiæ suæ & superbiæ explendæ gratia. Nunquid vos terram, quæ lata & spaciosa est & proinde multis ad inhabitandum data, soli occupabitis? Hæc quidem specialiter ad populum Iudaicum pertinent, rectè tamen generaliter ad omnes quibus nunquã satis est, referri possunt, & præcipuè ad ecclesiasticos, qui non habent vxores aut liberos, quibus hęc relinquant.

In auribus &c.) id est, audita sunt hæc in auribus meis, siue cognita sunt mihi. *Nisi domus multæ &c.*) Est aposiopesis, quemadmodum in psal. Si introibunt in requiẽ meam, vbi subintelligendum est, cupio vt non sim Deus eorum, aut tale quid. Ita & hoc loco simile quid intelligẽdum est, hoc sensu:

Psal. 94. c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Volo vt me non habeatis pro Deo, si domus vestræ non relinquantur desertæ & ab habitatoribus vacuæ, & agri vestri inculti &c. Quod enim de domibus, idem etiam de vineis & agris intelligendum reliquit, quemadmodum in sequentibus declarat, cùm ait:

Iugerum. *Decem enim iugera &c.*) Iugerum secundū scriptores est tantum spacij terræ, quantum vno die par boū arare potest. Pro Laguncula alij interpretati sunt, batū, quod est eiusdē mensuræ genus in liquidis, cuius est ephi in aridis: & proinde hoc continet tres modios, illud verò tres amphoras. Sensus est: præter hoc quòd domus vestræ erunt desertę, & ab habitatoribus derelictæ, etiam vineæ vestræ erunt tam steriles, vt decem vinearū iugera vix adferant tres amphoras vini: præterea agri vestri tam erunt infructuosi, vt pro triginta modijs à vobis seminatis, vix tres modios recipiatis, hoc est, multò plus seminabitis quàm metetis: & multò plus expēdetis in vinea excolenda, quàm recipietis.

Batum. Ephi.

VAE qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandā & potandum vsque ad vesperā, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanū, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiā, & nobiles eius interierūt fame, & multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animā suam, & aperuit os suū absq; vllo termino. Et descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes, glorioſiq; eius ad eum. Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimiū deprimētur.

VAE qui consurgitis &c.) Pro ebrietate, quomodo Aquila & Symmachus interpretati sunt, Septuaginta posuerunt vocem Hebraicam שכר sechar, quam nos siceram efferimus, quæ secundū Hieron. significat omnem potationem, quæ inebriare potest, aut statum mentis euertere.

Sicera.

Et opus Domini non adspicitis &c. Vniuersa scriptura circa duo potissimum Dei opera versatur, circa opus videlicet creationis, & circa opus redemptionis. Et quidam interpretantur hunc locum de opere creationis, hoc sensu: Vos ebrietatibus & huius seculi voluptatibus dediti, nō respicitis ad cælum & terram, neq; ad ea quæ in eis sunt, vt ex illis eorumq; ornatu & pulchritudine discatis cognoscere ipsum creatorem, & agnitum laudare. Alij verò putant pertinere ad opus redemptionis, & ad hunc sensum inuitant scripturæ affines. Vt psal. 91. vbi cùm Dauid meminisset misericordiæ Dei, qua promisit Messiam: & veritatis, quam seruat in promissis, addit: Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Item psal. 27. Redde retributionē eorum ipsis, quoniam non intellexerunt opera Dei. Et secundum hos sensus est: Opus Domini nō respicitis, id est, non videtis mysterium redemptionis, sanguinem effusum, & mortem Domini &c. Tales erant Iudæi, quos non sequimur modò, sed etiam excedimus, vt est videre: nōne omnes sequimur voluptatem, ebrietatem, auaritiam &c? Nihil absurdi sequetur si prędictum locum de vtroq; opere intelligamus, cui fauere videntur sequentia: Propterea inquit ductus est populus meus captiuus, quia videlicet non studuit ex hac pulcherrima mundi machina cognoscere ipsum creatorem verum Deum: præterea nō dedit operam vt per fidem agnosceret Dei filium, atq; hoc est quod ait, quia non habuit scientiam, scilicet Dei & filij eius. Hanc autem captiuitatem & alia quę hic narrantur, tempore Titi & Vespasiani corporaliter impleta esse (vt ait Hieronymꝰ) tam Greca quàm Latina clamat historia. Hodie etiā spiritualiter idem patiuntur Iudæi, quia non habent scientiam, captiui tenentur in peccatis, & pereunt fame bonorum operum. Obiter autem hic adnotandum, quod dicit propheta, Iudæos ductos captiuos, non quia scortatores erant aut adulteri, sed quia non habuerunt scientiam: & vt diximus, loquitur non solùm de ea scientia, qua ex rebus creatis naturaliter quodammodo cognoscimus ipsum Deum, verumetiam de ea sciētia quæ scripturis propria est, id est, de sciētia fidei, sanguinis effusi, & crucis Domini nostri Iesu Christi, quod latiùs explicat Paulus ad Rom. Ignorantes inquiens iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Scriptura versatur circa duo Dei opera.

Psal. 91. a

Psal. 27. a

Rom. 10. b

Propterea dilatauit &c.) Est hoc loco prosopopœia. Non enim infernus animal est, vt quidam arbitrati sunt: proinde nec animam habet, aut os, sed per fictionē hæc ei tribuit propheta, vt sic viuacius exprimeret & multitudinem damnandorum, & ipsius inferni capacitatem. Nomen autem (infernus) interdum refertur ad calamitatem & cladem, qua multi secundum corpus intereunt: interdum verò vsurpatur pro loco damnatorum, quomodo hoc loco accipit D. Hieronymus, & ex materia subiecta verisimile est sic hic debere accipi. Homo autem (vt superius annotauimus) consuetudine Hebraica pro plebeio: vir verò, pro primate ponitur. Et hæc tria, humiliabitur, incuruabitur, deprimētur, eadem sunt. Nihil ergo aliud hoc loco dicere vult propheta, quàm quòd sine discrimine omnes tam nobiles quàm plebei Deum ignorantes, & voluptatibꝰ seculi dediti, in infernū detrudentur & damnabuntur perpetuò.

Infernus pro calamitate.

Infernus pro loco damnatorum.

Differentia virorum & hominum.

ET

ET exaltabitur Dominus exercituum in iudicio: & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia. Et pascentur agni iuxta ordinem suum, & deserta in vbertatē versa aduenæ comedent. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum, Qui dicitis, Festinet & citò veniat opus eius, vt videamus, & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malū, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

ET exaltabitur Dominus &c.) Sensus est: cùm dilatauerit infernus animā suam, & aperuerit os suum sine vllo termino, & descenderint fortes, sublimes, glorioſique in profundum eius, & receperint iuxta merita sua, tunc Deus exaltabitur in iudicio, & sanctificabitur in iustitia. Aliter autem hīc sumuntur iudiciū & iustitia, quàm superiùs. In primo enim capite Deo tribuuntur: & in principio huius capitis, hominibus: hīc verò partim hominibus, partim Deo. Et quando hoc modo eis vtitur scriptura, pertinent ad locum psal. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis, id est, vt in promissis tuis & alijs rebus quas agis, pronuncieris ab omnibus iustus & verax: & vincas, id est, litis victoriā obtineas, quando iudicaris ab impijs iniustus, immitis, durus & crudelis. Exaltabitur itaq; Deus in iudicio, quando omnes agnoscent ipsum, non ira, odio, aut humano affectu, sed iusto iudicio damnasse peccatores: Et sanctificabitur in iustitia, quando ab ōmnibus pronunciabitur iustus.

Et pascentur agni &c.) Vox Hebræa דבר dauar quam noster interpres transtulit, ordinem, significat viam, morem seu consuetudinem. Sensus est: Cùm Iudæi ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere sāme & siti interibunt, & absque numero descendent in profundum inferni, tunc verè Christiani pascentur in vberrimis Ecclesiæ pratis iuxta ordinē, id est, iuxta viam & morem suum. Qui autem sint illi agni, & quibus pabulis pascētur, docet psal. 22. & idem aperit propheta dum adijcit: Et deserta in vbertatem versa aduenæ comedēt, id est, gentes ad fidem conuersæ & iam Christiani effectæ fruentur magnificis illis promissis Abraham, Isaac, & Iacob factis, à quibus Iudæi exciderunt. Promissa quidem erat illis terra lacte & melle fluens, sed illis expulsis, nos olim gentes, iam autē Christiani ea fruimur: ipsi verò ab Ecclesia longè semoti, incertis sedibus per totum terrarū orbem vagantur, & nusquam habent fixum manendi locum.

Rom. 10. b

Væ qui trahitis iniquitatem &c.) Est comminatio nō aduersus eos, qui peccantes statim resipiscunt, & peccata deserunt, quia nō est iustus super terram, quin aliquando peccet: sed contra eos, qui longo vsu venerunt in consuetudinē peccandi, & semper peccata adijciunt peccatis. Funes autem appellari peccata, aut potius longā peccandi consuetudinem, qua homo ita adstringitur, & quasi vinculo alligatur, vt se nunquam aut difficulter extricare possit, patet Prouer. 5. vbi dicitur Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorū constringitur. Quòd autem peccatum vocet funiculos vanitatis, significat quòd facientibus, peccatū facilè texitur & adeò inane est ac futile vt aranearum tela, sed quum indè voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur.

Peccata appellari funes.

Et quasi vinculum &c.) Sicut plaustrū trahitur vinculo suo, nō aliter vos trahitis peccatum. Sensus est: Aeternis pœnis cruciabuntur illi, qui nunquam faciunt peccandi finem, sed vsq; & vsq; peccata peccatis accumulant, donec eorum grauissimā sarcinam tanquam plaustrum funiculo secū trahant.

Qui dicitis festinet &c.) Refert propheta verba eorum hominum, qui seculo & cupiditatibus dediti nihil morantur & quasi rident concionēs prophetæ, hoc sensu: Tu toties inculcas nos in captiuitatē abducendos & alia mala nobis euentura: cupimus videre illam captiuitatem, cupimus videre illa mala, veniant citò: expectamus consilium Dei, quo deliberauit nos tradere in manus hostium, veniat illud consiliū, & tunc sciemus rem ita se habere, vt dicis. Est ergo hoc loco ironia: nam iram Dei & captiuitatem, quam propheticus sermo prædicebat venturam, non putabant verā, & pro fabulis habebant, quæ dicebantur à propheta.

Væ qui dicitis malum &c.) Quidam inquirunt quo ordine hæc cohærent superioribus, sed nimia est eorum curiositas. Sufficit enim scire, quòd ostendat propheta vineam Domini pro vuis attulisse labruscas, easque varias: Hieron. autem accipit hæc in masculino genere, quemadmodum interpretatus est Aquila, cuius versio sic habet: Væ qui dicunt malo, bonus es: & bono, malus es. Alij verò in neutro genere accipiūt, & referunt ad ipsas res. Sic, dicere contractum vsurarij esse iustum, est dicere malum bonum. Ponentes tenebras erroris, lucem veritatis. *Dulce in amarum.*) Per amarum intelligunt dogmata veritati contraria. Hi veritatem, quæ sola dulcis est, vertunt in hæreses. Alij hæc referunt ad affectum, hoc sensu: Vitam, quæ in peccatis agitur æstimantes dulcem: & vitam, quę in virtutibus ducitur, esse amaram. Hi qui ita exponunt superius dicta ad intellectum referunt.

Væ qui sapiētes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potētes

Universidad de Deusto
Biblioteca

estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiã iusti auferetis ab eo. Propter hoc sicut devorat stipulam linguæ ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorũ quasi favilla erit, & germen eorum vt pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suũ, & extendit manum suam super eum, & percussit eum. Et conturbati sunt omnes, & falta sunt morticina eorum quasi stercus, in medio platearum. In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Num.17.f

Infrà 9.c

Væ qui sapientes estis &c.) Id est, qui vobis ipsis videmini sapientes. Inter sapientiam autem & prudentiam, hoc interesse dicunt Stoici, quòd sapientia rerum sit diuinarum humanarumq; notitia: prudentia verò tantùm moralium. Verba hæc propriè ad eos pertinent, qui eò venerunt dementiæ, vt posthabitis ijs quæ à principio Doctores catholici tradiderũt, proprio ingenio freti ex scripturis perperam intellectis noua dogmata statuere conantur: Vel qui ne lectis quidem scripturis ab Ecclesia recedũt, falsis hæresibus adhærentes, & in talibus maximè locum habet hæc prophetæ comminatio.

Differentia inter sapientiam & prudentiam secundum Stoicos.

Qui dicuntur sapientes apud semetipsos.

Væ qui potentes estis &c.) Est comminatio aduersus eos qui gloriantur se multũ posse bibere citra ebrietatem. Pro eo autem quod nos habemus, ad miscendam ebrietatem, Hebræis est, ad miscendam siceram, hoc sensu: Væ vobis qui potentes eltis ad miscenda inebriatiua. Sicera enim significat omnem potum, qui quoquo modo inebriare potest.

Qui iustificatis impium &c.) Quidam putant prophetam respexisse ad iustitiã humanam, quæ in iudicijs & contractibus exercetur. Et secundum hos, hic locus pertinet ad iudices & aduocatos, hoc sensu: Væ vobis, qui fertis sententiam pro eo qui iniustam habet causam, contra eum qui iustã habet, & hoc propter munera. Alij verò putant prophetam respexisse ad iustitiam diuinam, & secundum hos locus iste pertinet ad Scribas & Pharisæos, hoc sensu: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui iustos & Deo gratos dicitis eos, qui quod vsui deberet esse parentibus, offerunt in thesaurum templi, iuxta illud quod scribitur Matth. 15. Munus quodcunq; ex me est, tibi proderit.

Matth.15.

Propter hoc sicut &c.) Significatur his verbis extremum Iudæorum excidium. Et quia in vocibus (radix & germẽ) videtur prophetа alludere ad vineã, per quam Iudæos superius intellexit, non erit omnino absurdum, si per radicem, ipsos Iudæorum primores intelligamus: per germen verò, filios eorum & posteritatẽ, hoc sensu: Propter causas paulò antè enumeratas, nimirum inhumanitatem, auaritiam, superbiã & ebrietatem, & iniustitiam, sicut ignis summitate flammæ suæ leuiter tangendo stipulã exurit, devorat & in nihilum redigit: ità Iudæi quoq;, & nõ solùm ipsi, sed & filij eorum, omnesq; posteri interneçione peribunt & funditus delebuntur. Quæ interpretatio nõ debet videri tam aliena, cùm scripturis frequens sit per radicem, parentes: per germen, filios aut posteritatem intelligi. Hieronymus tamen de radice malitię intelligit, & postea subdit: Potest radix in malis cogitationibus accipi, fructus autẽ & germen in malis operibus atq; sermonibus: vt quod in radice latet, monstretur in germine, quę vtraq; Domini incendio devorabuntur. Dionysius autem Carth. per radicem, intelligit fundamentum seu cogitationem seu substantiam impiorum prædictorũ: per germen verò, proles, posteritatem aut opus. Haymo verò sequitur Hieron. cuius verba ferè penitus eadem transcripsit.

Radix. Germen.

Abiecerunt enim legem &c.) D. Hier. istud pertinere putat, non ad legẽ Moysi in tabulis lapideis descriptã, sed ad legem spiritus, de qua Hierem. Ecce dies venient &c. Et pro Hier. facit quod sequitur: Et eloquiũ sancti Israel blasphemauerunt. Iudæi enim quanuis sæpe legem Moysi neglexerunt, nunquã tamẽ leguntur blasphemasse eam. Sensus ergo est: Quia abiecerunt legem euangelij, & doctrinam Christi tanquã ridiculam & rem nihili blasphemauerunt, dicentes: Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis?

Ideò iratus est furor Domini &c.) Irasci & furere dicitur Deus, nõ quòd humanis perturbationib⁹ subiaceat, sed quòd ad modũ irascentis aut furentis se habeat in puniẽdo.

Et conturbati sunt montes) Montes, quidã interpretãtur contrarias fortitudines, siue eos spiritus qui in ministerio Dei sunt, quibus traduntur peccatores ad puniendũ. Alij verò intelligunt principes & primates populi. Hier. autẽ simpliciter accipi putat, vt vulgus accipit per hyperbolẽ, hoc sensu: Tale & tam horridum erit excidium, vt etiã montes turbabuntur & admirabuntur. Et hic videtur germanꝰ huius loci sensus. *Et facta sunt morticina &c.*) per morticina, intelligit cadauera: eaq; vt sterc⁹ fœtere, quia inhumata & insepulta iacentia, saniẽ fœtoremq; teterrimũ emittebãt. Hæc accidisse Iudæis post passionẽ Christi sub Tito & Vespas. nemo dubitat.

In his omnibus &c.) Id est, post tantas miserias & calamitates Iudęis immissas, non est placatus Deus, nec cessauit affligere populũ suum, sed adhuc extenta & parata est manus eius ad puniendum. Peruenit enim ira Dei in illos vsq; in finem. Et secundum Danielem: Vsq; in finem perseuerabit desolatio.

Vnde

Osee 9.d

Vnde Dominus: Non addam inquit vt diligam eos. Ideò sequitur.

Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens neq; laborans in eo, non dormitabit neq; dormiet, neque soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. Vngulæ equorum eius vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis. Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum. Et frendet & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat: & fonabit super eum in die illa sicut fonitus maris. Adspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius.

Et eleuabit signum &c.) Iudæi hunc locũ de Babylonijs & Nabuchodonosor intelligunt, quos etiã sequitur Lyra. Sed quia addit propheta, In nationibus procul: & rursus, De finibus terræ, gentes longè disitas intelligit, & quæ in finibus terræ commorantur. Sicq; haud dubiũ, quin Romanos, Italiæ, Hispaniæ, Galliæq; populos, qui tempore Vespasiani Romano subiacebant imperio, intelligat: nõ autem Babylonios, qui nõ ita procul aberant à Iudæa. Aliud autem signum est hoc loco, & aliud cap. 7. vbi dicitur ad Achar, Pete tibi signum. Hic enim accipitur pro signo militari, à quo antesignani dicuntur: ibi verò pro aliquo miraculo. Sibilare hoc loco vox est prouocãtis ad bellum. Sensus est: Dominus faciet erigi signũ militare in nationibus procul, euocabitque Romanum exercitum contra Iudæos. *Ecce festinus &c.*) Hac verborum multitudine diuinus sermo describit exercitum, qui ventrus est, fore velocem, expeditum, numerotibus vndiq; instructum.

Duplex signi acceptio.

Neq; soluetur cingulum &c.) Est periphrasis baltheis: quasi dicat, nihil erit quod impediet iter eius. *Sagittæ eius acutæ &c.*) Id est, exercitus iste sagittis acutis, equis fortissimis, curribus, ex quibus antiqui pugnare solent, alijsq; rebus bellicis optimè instructus erit, non solùm ad iter celerius faciendum, sed ad bellandum acriter. *Rugitus eius &c.*) significatur his verbis auiditas prædandi. *Et frendet*) scilicet, præ nimia feritate. Sensus omnium verborum est iste: Exercitus ille munitissimus, qui venturus est nõ sua sponte, sed à Domino, vocatus, licet adhuc procul sit, citò tamẽ & celerrimè sine aliquo itineris impedimento aderit, & tanta prædandi cupiditate erit accensus, vt nequaquam somnũ daturus sit oculis suis: aderit inquã non aliter quàm leo rugiens, & præ nimia feritate frendens ad capiendum prædam.

Et adspiciemus in terram.) Propheta compatientis affectu iungit se populo, hoc sensu: Cùm venerit Romanus exercitus, & tenuerit prędam, & non fuerit qui eruat, tunc adspiciemus in terram, & non audebimus quidem oculos in cælum attollere, quia habitatorẽ eius offendimus. *Ecce tenebræ &c.*) Quaqua versum verterimus oculos, videbimus tenebras tribulationum. *Et lux obscurata est &c.*) Est hyperbole. Præ magnitudine tribulationum etiam lux ipsa ferè obscurabitur. Dicitur autem lux obscurari aduersa patientibus, quia non fulget eis ad consolationem, sed tam dies quàm noctes obtenebrati sunt. Caput istud ad mores pertinet, ideoq; necessarium est concionatori. Quæcunq; enim hic de vinea dicuntur, in Christianos maximè competunt.

CAPVT VI.



IN anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem Apoc.4.c *eius: & duabus velabant pedes eius: & duabus volabant. Et clamabant, alter ad alterum, & dicebant, Sanctus sanctus sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius, & commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.*

IN anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum &c.) Ex titulo huius voluminis didicimus sub quatuor istis Regibus prophetasse Esaiam, videlicet sub Ozia, Ioathan, Achaz, & Ezechia. Quæ autem hactenus dicta sunt, ostensa sunt prophetæ sub Ozia, quo mortuo, & regnante pro eo Ioathan filio eius, vidit propheta quæ hoc capite scribuntur. Lege 4. Regum, & secundũ Paralyp. propter horum gesta. In hoc capite propheta, quia aliquid memorabile dictu⁹ erat, quod mentibus eorum omnino infigi voluit, maximo & verborum & rerum vtitur apparatu, quemadmodum & in præcedenti capite, vt parabolam vineæ populus perpetuò in memoria haberet, carmine vsus est. Totũ siquidem quod hoc capite dicit, potuisset tribus verbis sic dixisse: Futurum est quòd Iudæi à Domino reijcientur. Et est hoc loco figura rhetorica, quę hypotyposis dicitur, quãdo videlicet res ita exprimitur scribendo, vt videatur delineari, & oculis cerni potiꝰ quàm audiri. Et dicit propheta, se vidisse Dominũ sedentem super thronum, quod iudicantis

est, vt

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, vt significet sententiam de Iudæorum reiectione iam definitam. Et Dominus, quem vidit Esaias, non fuit pater neq; spiritus, sed filius, quod discimus ex 12.cap. Iohan. Cùm enim dixisset Euangelista, Propterea nõ potuerunt credere Iudæi, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, quæ verba ex hoc capite desumpta sunt, statim subiunxit: Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam eius, Christum vtiq; significans, in quem Iudæi credere noluerunt. De hac visione vide plura in 2.lib. Sententiarum, dist. 10. Ait ergo:

Vidi Dominum sedentem super solium &c.) Non satis erat prophetæ, solio apposuisse vnum epitheton, excelsum: adiecit & secundum, eleuatum, vt Dei cathedrã incomprehensibilem demonstret, quam neq; cogitatione concipere, neq; verbis quis exprimere potest: sic ferè Chrysost. *Et plena erat domus, &c.*) Partem hanc Hebræi non habent, neq; Hieron. neq; in vetustioribꝰ Latinis exemplaribus inuenitur: sed ex editione Septuaginta videtur inserta per indiligentiam aut inscitiam alicuius. Nam pro eo quod nos habemus, Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum, Septuaginta transtulerunt, Et plena erat domꝰ gloria seu maiestate eius: quare emendandi sunt codices nostri. Pro eo autem quod habemus, Et ea quæ sub ipso erãt, replebant templum, Theodotio & Symmachus transtulerunt, Et ea quæ sub pedibus eius erant, replebant templũ. Iuxta Hebraicam autem veritatem est hoc modo, Et fimbriæ eius replebãt templum. Sensus est: fimbriæ vestimentorum eius adeò latæ erant & sinuosæ, vt implerent totum templũ, id est, ipsum cœlum: aut secundum alios, templum Salomonis, in quo Esaiam Dominum vidisse asserunt. Et significatur istis, potẽtia Dei, quæ tam ingens est & magna, vt omnia impleat, cuiq; resisti non potest.

Verba autem illa) Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, quomodo contraria non sunt scripturæ, quæ est Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam, & Exo. 33. Non videbit me homo & viuet, & similibus plenissimè docet August. in epist. ad Paulinam, quæ est numero 112. vbi respondet ad quæstionem hanc: Vtrùm per oculos corporeos possit videri Deus, & summa responsionis eius hæc est: Diuinitatem non posse oculis carnis adspici, secundũ breuem & veracem D. Hieron. definitionẽ: Res incorporea corporeis oculis non videtur. Quòd autem sanctis quibusdam in veteri Testamento Deus visus commemoratur, vt Abraham, Isaac, Iacob, Mosi, Esaiæ, id non in propria fuit natura, sed in specie, in qua apparere voluit.

Seraphim stabant super illud) Seraphim incendia sonant, à saraph quod est incendere: & nomen est non qualitatis, sed substantiæ. Annotat hîc D. Hieron. nusquã in tota scriptura reperiri hanc vocem, præter quàm in hoc loco: Notat & hoc, quòd Seraphim stare dicantur super templum, vel (vt Septuaginta transtulerũt) in circuitu Domini. Vnde ait errare eos, qui solent dicere in precibus suis, Qui sedes super Cherubin & Seraphim, quod scriptura non docuit. Est quidẽ hoc loco typus seu figura, sed quænã, incertum est. Incertũ enim est, quare duo tantùm apparuerint & non plura: & quia scriptura hoc non exponit, ideo nõ est immorandũ. Seraphim dicuntur ardentes

Sex alæ vni &c.) Hebrei non distinguunt pronomina reciproca à nõ reciprocis, & hinc est quòd duplex hîc habeatur lectio. Prior autem est: Duabus velabant faciem suam, reciprocè. In quo significatur religio & reuerentia, quam ipsa Cherubin habent erga Deum, ita quòd ex reuerẽtia & propter maiestatem ipsius, nõ audeant respicere faciem eius: & quoniam inexplebilem habeant erga creatorem reuerentiam, eamq; vndequaque præstare conãtur, nec assequũtur quod expetunt, idcirco velant & pedes suos, vt quod deest affectui, illud velo hoc obtegãt: Ita Chrysostomus. Non sunt autem hæc ita crassè intelligenda, quasi Cherubim alas haberent, pedes aut faciem: sunt enim incorporea, sed propheta hæc eis per fictionem tribuit, vt sic nobis crassis, & non nisi sensibilibus rebus assuetis declaret ea vndequaque metu & reuerentia contracta seruire Deo. Discamus igitur & nos, quo metu & qua reuerentia accedere debeamus ad Deũ in orationibus nostris: & qua modestia & religione adsistere in laudibus eius. Altera verò lectio est, vt Seraphim non suã, sed Dei faciem & pedes velare dicantur, & hãc reddidit noster interpres. Sermo aũt Hebraicus admittit vtrunq; sensum æquè probabilẽ, quamuis prior magis pro moribꝰ nostris formandis faciat. Si ergo legamus, Duabus velabant faciem eius, scilicet Dei, significatur diuinã essentiam nobis esse incognitam, neq; à nobis contemplari posse. In hoc autem quòd velent pedes eius, indicatur humanitatem Christi nos latere. Quod verò postremo scribantur duabꝰ alis volare, significatur prompta eorum voluntas & obedientia.

Et clamabat alter ad alterum) cohortando sese mutuò ad diuinam laudem, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus: Quia nihil sanctum essentialiter, nisi diuina substantia seu essentia. Idcirco repetitur ter, Sanctus, vt significet Deum primum & vberrimum sanctitatis fontem. Hieronymus verò propterea ter repeti putat, vt declaretur nobis profundissimum trinitatis sanctæ mysterium.

Plena est omnis terra gloria eius.) Quia videlicet diuina potentia, sapientia & bonitas vbiq; quasi literis inscripta est. Hymnus aũt iste, in missa Chryst. vocatur hymnꝰ angelicꝰ.

Et commota sunt superliminaria &c.) Id est, tanta erat vis vocis angelorum clamantium, vt etiam ipsum cælum visum sit moueri. Hebraeis autem vsitatissimum est, vt nominibꝰ pluralis numeri iungant verba singularia & participia. Sic hoc loco clamãtis pro clamantium ponitur: erant enim potissimum duo clamantes. *Et domus*) id est, ipsum templum repletum est fumo. Significatur typicè excæcatio & infidelitas Iudæorum, secundũ Hieronymum. Quia cùm tota terra impleta esset gloria Christi, ipsi in densissimis perfidię erroribus permanserunt. Idem cap. 4. huius prophetæ, fumum pro gloria accipit, atq; vt expositionem suam confirmet, quæ noua vidꝰ debatur, adducit hunc locum putans & hîc pro gloria capi: At hîc seipsum oblitus, non dubitat fumum pro caligine accipere.

Hebraeis vsitatissimum esse verba singularia cum nominibus pluralis numeri.

ET dixi. Væ mihi, quia tacui, quia vir polluti labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatũ tuũ mundabitur.

ET dixi: Væ mihi quia tacui &c.) Propheta conspiciens ipsa Seraphim ad Dei maiestatem tremere, obiectuq; alarum velare faciem suam, atq; ita maxima cum reuerentia laudare Deum, commotus est, & cupiebat se iũgere angelis, & cum Seraphim cantare, sanctus, sanctus, sanctus, &c. Verùm propter peccati sui conscientiam, nõ audebat, & hoc est quod ait, Væ mihi, quia tacui, id est, quia tacendum mihi iudicaui, cuius causam deinde subdit. Quia (inquit) vir pollutus labijs ego sum. Dicit autẽ se habere polluta labia, propter peccatum cordis. Alij tamen, polluta labia, interpretãtur, quia aliquid dixisset, quod nõ oportebat. Sic Hieronymus cuius verba sunt: Felix conscientia, quę tantùm in sermone peccauit, & non suo vitio, sed societate populi habẽtis polluta labia, cum quo loqui sæpissimè cogebatur. Ex quo ostenditur noxium esse, viuere cum peccatoribꝰ. Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea: sed quia in Hebræo legimus, Væ mihi, quia tacui, plangit se propheta, quòd non fuerit dignus laudare Dominum Sabaoth cum Seraphim, quos angelicas fortitudines intelligimus. Non fuit autem ausus laudare Dominum, quia labia habebat immunda, & propterea labia habebat immunda, quia cũ peccatore populo versabatur. Vel certè ita intelligendum: Quia tacui & non audacter Oziã impium regem corripui, ideò labia mea immunda sunt, & laudes Domini cum angelis cantare non audeo, ne mihi dicatur: Quare tu enarras iustitias meas? &c. Non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Hoc aũt dicimus, non quòd Esaiam talem fuisse doceamus: sed quòd ipse pro humilitate & immundis tantùm labijs, indignum se Dei laude fateatur. Hactenus ille. Verùm prior eius expositio simplicior est & magis germana. Psa. 49. c. Eccle. 15. b.

Et in medio populi &c.) Non populum accusat propheta, sed seipsum, ac si dicat: Similis sum cæterorum, hoc est, peccator sum.

Et Regem Dominum &c.) Et cùm talis sim, videlicet pollutus labijs & similis cæterorũ, vidi Dominum exercituum, quod iudicabat propheta maximè indignũ. Duo autem sunt hic annotãda: Alterum quidem, quòd sanctus Esaias peccatorem se fateatur, nõ sicut Pharizæus ille Luc. 18. dicens: Deus gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines &c. qui seipsum excusando, alios accusabat: nõ ita propheta noster, qui seipsum potius, quàm alios accusat. Alterum verò, quòd propter polluta labia, id est, leuia peccata, sine quibus hæc vita non ducitur, indignum fateatur se laude Dei: Non tamen hoc processit ex scrupulositate, aut conscientiæ angustia, sed ex visione maiestatis Domini, quod similiter & nos in nobis inuenirem, si diuinam maiestatem contemplaremur, sicut S. propheta faciebat.

Et volauit ad me &c.) Alludit propheta ad antiquum Iudæorum sacrificandi modum, qui in sacrificijs forcipes habebant, quibus mouebant prunas. Nam pro eo quòd noster interpres transtulit, Et in manu eius calculus, Hebræi habent, Et in manu eius רצפה ritspa, quod significat prunam viuã, seu carbonẽ ignitum. Et per carbonem ignitũ, intelligunt Catholici gratiam Spiritus sancti, quæ exurit & purgat peccata: Lutherani aũt intelligunt verbum Dei, & quidẽ probabiliter, quum verbo Dei, quemadmodum ex scripturis constat, peccatũ deleatur. Ioh. 15. Iam vos mundi estis, ꝓpter sermonẽ quem locutus sum vobis. Sed falsum est quod addunt, Bonum concionatorem non posse aliquid adferre, quod sumptũ nõ sit de altari, id est, (vt ipsi dicũt) ex sacra scriptura. Quare nihil volunt ex concilijs aut patribꝰ, Hiero. aut Aug. ẽ suggestu doceri posse. Sed hoc aperte falsum est, cùm Paulus, præter præcepta seniorum, quę Ecclesijs seruanda propo- Act. 17. g. suit, passim etiam gentilium poetarum testi- 1 Cor. 15. d. monia in mediũ adducat, Arati, Menandri, Ad Tit. 1. c. Epimenidis &c. Ergo si Paulus hoc fecit ex poetis gentilibꝰ, multò magis licebit nobis aliquid adferre ex concilijs aut patribus.

Et tetigit os meũ) *scilicet ad designandũ peccatorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

catorum purgationem: Et dixit: Ecce tetigi hoc labia tua &c.) Non dixit abstuli peccata tua: hoc enim solius Dei est, sed tetigi hoc calculo labia tua, ad designandū peccata eius esse ablata. Quæ autem hic dicuntur de calculo & forcipe, accipienda sunt vt ea, quæ superius dicta sunt de alis Seraphim, non corporaliter, sed spiritualiter, propter nos carnales, qui non capimus spiritualia.

Intelligentiam autem illius loci, *Volauit ad me vnus de Seraphim*) explicat Dio. Ariop. cap. 13. cælestis Hierarchiæ, vbi docet non vnum ex altissimis illis primisq; spiritibus, quos proprio nomine Seraphim vocamus, ad purgationem Esaiæ venisse, sed aliquem ex ijs, qui nobis præfecti sunt angelis, Seraphimq; appellari cognomine, ob incendendi ministerium, quo & peccata deleta sunt: & is, qui purgatus fuerat, ad diuinæ obedientiæ reparatus est ardorem: vel certè, quia iussu Seraphim hoc purgandi munus susceperit & exercuit. In eodem quoq; capite explicat, quid significet illa sex alarum sacratissima confictio. Item quòd faciem velent & pedes, & similia. Hanc quæstionem etiam tractat M. Sententiarum lib. 2. dist. 10. vbi duas proponit responsiones, vnam Dionysij, alteram aliorum: & vtraq; videtur ipsi æquè probabilis. Verùm sententiæ Dionysij magis inhærendum est, qui se scribit accepisse à Paulo, quæ illo capite docet.

Matth. 13. b
Mar. 4. a
Luc. 8. b
Act. 24. f
Rom. 11. b.

ET audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi. Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.

ET audiui vocem &c.) Quod autē ex Dei persona dicitur (nobis) in plurali numero, illo sensu accipiendum est, quo in Genesi, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt trinitatis sacramentum significet. *Et dixi: Ecce ego, mitte me.*) Quod autem propheta se vltro offert ad ministerium, non temeritatis aut arrogantiæ est, sed zeli & charitatis. Vide Gregorium in pastoralibus cap. 7. primæ partis, qui & hoc diligenter obseruauit, quòd propheta non ante se in ministerium obtulerit, quàm videret calculo altaris labia sua purgata. Quo facto docemur, ne sacra ministeria, vt officiū prædicationis & huiusmodi alia, susciperе audeamus, nisi antea purgati. Et quia difficile est agnoscere nos esse purgatos, idcirco tutius hæc declinamus. Propheta enim prius non ausus fuit clamare cū Seraphim, sanctus, sanctus, sanctus, propter polluta labia, at vbi purgatum se sensit, etiā ad prædicandum sese obtulit. Vide Aug. cap. 19. de ciuit. Dei, vbi tractat hanc quæstionē: An aliquis libera conscientia posset suscipere huiusmodi officium, & definit nos non debere suscipere, nisi necessitas incumbat.

Officia eccle siastica non temerè suscipienda.

Et dixit. Vade &c.) Hæc tanto apparatu præfatus est propheta, vt Iudæi ea quæ sequuntur diligenter expendant. Et hunc habent sensum: Vos nunc magnopere expectatis Messiam vobis promissum, sed futurum est, vt cùm venerit, eum reijciatis: conciones illius audietis quidem, sed non intelligetis: & miracula eius, quæ facturus est, videbitis quidem, sed non cognoscetis hæc esse opera Messiæ: Et propterea non intelligetis, neq; cognoscetis Messiæ esse opera, quia propter peccata vestra à Domino reijciemini.

Audite audientes & nolite intelligere.) Phrasis est Hebræa, sicut & illa, Quod facis, fac citiùs. Habet quidem speciem imperantis, sed est prædicentis quod futurum est: Vnde Septuaginta transtulerunt, Et non intelligetis, quorum translationem refert Paulus Act. vlt.

Excæca cor populi huius &c.) Verba sunt non prophetæ, vt quidam arbitrantur, sed ipsius Dei, quod facilè colligitur ex eo, quod postea additur: Et conuertatur & sané eum. Excæca, id est, excæcetur: aggraua, id est, aggrauetur, certa persona, pro incerta ponitur. Septuaginta autem transtulerunt, Excæcatum siue incrassatum est cor populi huius, quod eo fecere consilio, ne gentiles hęc apud Esaiam legentes, putarent Deum authorem huius excæcationis. Dicitur enim Deus excæcare aut indurare, non quòd cæcitatem aut duritiam immittat, sed quia deserit, & non suppeditat gratiam, qua destitutus homo, necessario labitur in varia peccata, & induratur & excęcatur suo tamen vitio. Vnde Aug. indurat, inquit, & excæcat eos, quorum corda emollire & illuminare noluerit. Et Theop. super 12. cap. Iohan. per simile declarat, Cùm audieris, inquiens, quòd excæcat Deus, sic intellige, quòd excæcat cùm præsens non sit, sicut sol facit noctem, quando occidit. Et indurat & excæcat aliquando Deus non solùm deserendo, sed etiam ingerēdo correptiones, monitiones, miracula, aliaq; beneficia, quibus ipsi secundum reprobum sensum abutentes, efficiuntur deteriores, magisq; indurantur. Sicut Deus dicit de Pharaone: Ego indurabo cor Pharaonis, quod hunc aut similem habet sensum: Ego faciam aliqua, quibus cor Pharaonis contra Deum Israel & populum eius sæuiens atq; rebellans, magis erit durū, idq; me deserente cor eius in malitia, & nō emol-

liente

liente illud: ipse suę voluntati suisq; desiderijs dimissus, sibi erit causa maioris ruinæ & rebellionis. De hac re vide dominum Turnout de concordia lib. arb. & prædest. diuinæ, fol 11. & rursus, fol. 227.

Ne fortè videat &c.) Additur (ne fortè) propter libertatem arbitrij.

ET dixi. Vsquequo Domine? Et dixit. Donec desolentur ciuitates absq; habitatore, & domus sine homine, & terra relinquitur deserta, & longè faciet Dominus homines. Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ: & adhuc in ea decimatio. Et conuertetur: & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos. Semen sanctum erit id quod steterit in ea.

ET dixi: Vsquequo Domine?) Propheta audiens Iudæorum excæcationem futurā, solicitus de eis, quærit quam diu illa sit duratura. Sensus est: Quam diu Domine hæc sententia permanebit, vt audiens nō audiat, & videns non videat? Id est, quam diu relinques populum Iudaicum in ista cęcitate? *Et dixit: donec desolentur &c.*) Id est, tam diu non audiet, & non videbit, & excæcatum habebit cor, donec ciuitates Iudęæ Tito & Vespasiano expugnantibus, penitus vastabuntur, & domus, si quæ remanserint, sine habitatore sint, & donec tota Iudæorum terra redigatur in solitudinem, ipsiq; populi vel fuga vel captiuitate in totum terrarum orbem dispergantur.

Et multiplicabitur &c.) Valde incerta est huius loci expositio. Sensus est: Postquam Iudęi per totum terrarum orbem ita fuerint dispersi, procurabit Dominus, ne stirpitus excidantur. Nam pars illa, quæ derelicta fuerat, vel bello non interierat, multiplicabitur per propagationē in medio terræ, id est, in ipsa Iudæa, vel in orbe terrarum. Hanc vtranq; expositionem habet Hieron.

Et adhuc in ea decimatio) Vox illa (decimatio) nusquam in scriptura, nisi hoc loco reperitur, & sicut apud Latinos dicitur à decem, ita apud Hebræos. Et quidam hoc modo vertunt: Et adhuc in ea denarius. Alij autem ad hunc modum: Et adhuc in ea decas. Alij verò: Et adhuc in ea decima, siue decima pars. Et hoc modo interpretatur Hiero. quod nos habemus, Decimatio, id est, decima pars. Alterius est enim significatiōis vox ista, quàm cùm dicimus Christum decimatum, & decimas sacerdotum, quamuis ita Lyra interpretatur, & significātur per eam paucissimæ Iudæorum reliquiæ saluandæ. Sensus est: Licet tota Iudæorum natio delebitur atq; in nihilum redigetur, paucissimi tamē ex illa relinquentur salui & incolumes, qui ad Deum conuersi, in fide & religione multiplicabuntur instar arboris, quæ sicut paulatim crescens, ramorum multitudine augetur, quos vndiq; latè à se diffundit: ita paruæ istæ reliquiæ, paulatim crescentes augebuntur, & per totum terrarum orbem diffundentur. Quod ex parte impletū est tempore Christi, quando Apostoli ex Iudæorū nationе oriundi, missi sunt in vniuersum terrarum orbem ad prædicandum euangelium, plenius autem implebitur in consummatione seculi. Quæ quidem reliquiarum saluatio cedet in maximam Dei gloriam, atque hoc est quod ait, Et erit in ostensionem. Hoc ferè modo interpretatur Aecolampadius, & Pellicanus, & quidam Catholici qui hunc locum pertinere putant ad illum: Reliquiæ saluæ fient, quod non est improbabile. Hiero. verò longè aliter interpretatur, quemadmodum & multo aliter legit in suo textu sequutus Septuaginta. Habet enim ad hunc modū: Et erit adhuc in ea decimatio. Et rursus: Et erit in deprædatione sicut terebinthus, & quercus, quæ proijcit fructus suos. Et interpretatur hoc modo: Postquam Vespasianus discesserit, & Iudæi, qui in illo bello non interierunt, multiplicati fuerint, veniet Imperator Adrianus, & tunc ipsæ reliquiæ Iudæorum, rursus erunt in direptionem, in tantū, vt terebintho & quercui, quæ glandes amiserunt, comparentur. Istud accidit post annos ferè 50. à captiuitate, quæ facta est sub Tito & Vespasiano. Vbi autem nos habemus, Et erit in ostensionem, Hebræi habent, Et erit in derisionē, à verbo Hebræo בער baar, quod significat ardere, comburere, excidere, depascere, desipere: Nihil autem ad ostensionem pertinens significat, nisi fortè interpres noster, per hoc quod habet, Et erit in ostensionem, significare velit, quod erit derisui.

Rom. 9. d
Esaiæ 10. e

Quæ expandit ramos) Vox Hebræa huius loci significat proijcere, & illud, ramos suos, non est in Hebræo.

Semen sanctum erit &c.) Sensus est: Qui ex populo Iudaico crediderint in Christum, & relapsi non fuerint in infidelitatem, erunt propagatio sancta. Et est eadē sententia cum illa: Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur &c.

CAPVT VII.



FACTVM est in diebus Achaz filij Ioathan, filij Oziæ regis Iuda: ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ, rex Israel in Hierusalem, ad præliandum contra eam, & non potuerunt debellare eam. Et nunciauerunt domui Dauid, dicentes: Requieuit Syria

Universidad de Deusto
Biblioteca

super Ephraim, & commotum est cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti.

OZias, qui in libro Regum & Azarias vocatur, rex Iudæ regnauit in Hierusalem annis 52. cuius extremo iam tempore vidit Esaias, quæ prioribus quinq; capitibus exposita sunt: Quo verò mortuo, & regnante pro eo filio eius Ioathan, vidit ea quæ continet sextum caput, in quo dicit se contemplatum Dominum Saluatorem in sua maiestate sedentem, & annunciantem populi Iudaici cæcitatem, & subuersionem Hierusalem cæterarumq; vrbium sub Tito & Vespasiano, deinde sub Adriano, & quòd tandem reliquiæ in Apostolis saluandæ sunt. Tertius autem Rex, Achaz filius Ioathan successit, qui ob impietatem à Domino derelict⁹ est, & surrexerunt aduersus eũ Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Israel, & sicut legimus 2. Paral. Rasin victo Achaz, multos de Iudæis Damascum transtulit, & Phacee vna die centum viginti milia hominũ bellatorum de Iudæis percussit, & ducenta milia puerorum, mulierum, puellarumq; cum infinita præda in Samariam duxit captiua. De quo certamine hîc non loquitur, sed secundũ refert præ lium, de quo 4. Reg. quando suæ fortitudinis & victoriæ experimẽto habito, prædæq; magnitudine inuitati rursus veniunt in Iudæam ad expugnandũ Hierusalem, sed non potuerunt expugnare eam, quia auxiliatus est ei Dominus, vt sub occasione misericordiæ, qua populum obsessum liberabat, nunciaret filium suum nasciturum ex virgine.

Et factum est in diebus Achaz filij Ioathan filij Oziæ regis Iudæ) Id est, duarum tribuum. Rex autem Israel, Rex Ephraim, Rex Samariæ, Rex decem tribuum nomina sunt eiusdem regis. *Et nunciauerunt domui Dauid*) id est, duabus tribubus sequentibus domum Dauid. *Requieuit Syria super Ephraim*) id est, animo se coniunxit seu conspirauit Syria cum Ephraim, id est, cum decem tribubus seu cum Rege decem tribuum. Similis phrasis est 1. Regum 7. Requieuit Israel post Dominum, id est, rursum cœpit adhærere Domino. *Et commotum est cor eius &c.*) id est, tam Rex quàm populus ita contremuerũt, vt putares arborum folia ventorum tempestatibus agitari. Significatur ergo hoc loco maxima & Regis & totius populi formido.

ET dixit Dominus ad Esaiam. Egredere in occursum Achaz, tu & qui derelictus est Iasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis: & dices ad eum, Vide vt fileas. Noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin Regis Syriæ, & filij Romeliæ, eò quòd consilium inierit contra te Syria in malum. Ephraim, & filius Romeliæ, dicentes. Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio eius filium Tabeel.

ET dixit Dominus ad Esaiã: Egredere &c.) Cùm in extrema necessitate, maximoq; timore essent constituti, & iam omnino desperarent, venit tandem Dominus ad consolandum & auxiliandum eis. Vnde discimus, non nisi rebus iam desperatis frequenter venire Dominum. Quare in aduersitatibus constituti, non debemus despondere animum, si non statim pro voto nostro mittatur auxilium à Domino, sed persistẽdum est fortiter, infractoque animo perseuerandũ, donec ipsi vel liberare vel adiuuare placuerit. Sic & Susannam in extremo positam periculo, quũ à Iudæis ad mortem esset condemnata, liberauit. Daniel 13. Sic & discipulos suos propter metum Iudæorum congregatos, vesperi quando maius immineret periculum visitauit, & cõsolatus est eos. Idem in omnibus martyribus factum legimus. Achaz autem iste, vt referunt Commentaria Hebræorum, erat extra Hierusalem in oppidulo quodã ignobili, quo relicto venit Hierusalem, tanquam ad locum munitiorem, tutioremq;. Hinc est quòd ait Dominus ad prophetam, *Egredere in occursum Achaz, tu & qui derelictus est filius tuus Iasub*) Iasub idem significat, quod vox præcedens, derelictus. Vnde quidam Hebræorum, ex his duobus faciunt vnum vocabulum. Alij verò volunt esse nomen proprium filij Esaiæ, vel vt alijs placet, famuli. Et quod dicitur, Derelictus, hunc habet sensum. Qui non, vt cæteri, adiunxit se ipsi Achaz in cultu idolorũ, vel certè qui nõ est extinctus prioribus bellis, de quibus 2. Paralyp. 28. *Ad extremum aquæ ductus*) Locus est prope Hierusalem, vt habetur 4. Reg. cap. 18.

Et dices ad eum &c.) Postquam audisset Achaz Regem Syriæ & Regem Samariæ iuncto venire exercitu ad expugnandam Hierusalem, vehementer, vti diximus, exterritus est, pertimuitq;, cumq; penitus iam desperaret, misit ad eum Dominus prophetam suum Esaiam, qui hæc ei diceret: Vide agas silentium, & ne quicquam moliaris, noli timere, & cor tuum ne formidet à duab⁹ istis caudis titionum fumigantium, id est, à Rege Syriæ & Rege Samariæ. Illi enim, quos tu tantopere formidas, nequaquam præualebunt, sed Dominus misericordia motus, relicet impium, & Deum non timentem defendet, & populum tuum: atque ipsos, omnemq; eorum potentiam delebit, & quidem breui. Vnde eos ira, superbia, & furore inflatos, comparat caudis titionum, qui citò extinguuntur.

Ascendamus ad Iudam,) Id est, ad duas tribus, quarum regio in montibus sita est. *Et suscitemus eum*) Hier. quasi feriatum & à bello iam quiescentem, & quodammodo dormientẽ, subiungemus eum imperio nostro, hoc est, quod dicit, *Auellamus eũ ad nos &c.*) Tabeel vox Hebræa est composita ex bono seu cõmodo & forti seu Deo. Et putant quidam hîc esse nomen appellatiuæ qualitatis, hoc sensu: Ponamus in medio eius Regem nobis commodum atq; vtilem. Alij verò volunt esse nomen proprium filij Regis Syriæ. Atque ita per Tabeel qui interpretatur bonus Deus, vel hominẽ hoc nomine vel idolum demonstraret. Tabeel.

HAEc dicit Dominus Deus, Non stabit, & non erit istud: sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin. Et adhuc sexaginta & quinq; anni: & desinet Ephraim esse populus, & caput Ephraim Samaria: & caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, nõ permanebitis.

HAEc dicit Dominus Deus: Nõ stabit etc.) Verba sunt Domini per prophetam ad Achaz. Sensus est. Hoc eorum consiliũ non sortietur effectum suũ, neq; eueniet, quod ipsi intendunt. Ipsi enim statuerunt expugnare ciuitatem, eaq; expugnata, constituere Regem pro suo arbitrio, non fiet hoc, sed caput, id est, Metropolis vrbium Syriæ, erit Damascus, & caput Damasci erit Rasin, hoc est, in ipsa Metropoli Damasco regnabit Rasin. Verba autem ista, Sed caput Syriæ Damascus &c. habent emphasim, quasi dicat, Caput solius Syriæ erit Damascus, & caput solius Damasci Rasin, & nullius præterea ditionis. Sperant autem hi Reges se posse adiungere ex Iudæa aliquam regionem suę ditioni, sed ego non permittam.

Et adhuc sexaginta & quinq; anni &c.) Id est, regnum Ephraim cessabit post annos sexaginta quinq;. Istud nisi diligenter attendamus, stare non poterit: Nam à principio imperij Achaz vsq; ad destructionem Samariæ, & translationem populi ad Medos, fuerunt tantùm anni 23. aut vt quidã 24. vt patet supputanti ex 4. Regũ & Paralyp. 2. Qui numerus longè abest à 65. annis, in quibus dicitur hoc regnum Ephraim seu Israel finiendum. Ad istud respondendum est, quòd multò antè prophetatum fuerit, nimirum duobus annis ante terræ motum sub Ozia Rege ab Amos prophera: A quo tẽpore vsq; ad Babylonicã captiuitatem, sunt anni 65. Quod ergo hîc dicitur, nõ est prophetia Esaiæ, sed solùm repetitio eius, quod ab alio propheta fuerat prænunciatum. Hæc ergo, Non stabit &c. per prophetam domino prædicente, non credebat Achaz, neq; populus eius illa futura. Vnde subijcit.

Si non credideritis non permanebitis.) Sensus est: Si vos, qui pertinetis ad domum Dauid seu ad duas tribus, non credideritis fore, quod futurum prædixi, non permanebitis in isto regno, sed in captiuitatem abducemini, sustinentes eorum pœnas, quorum sequuti estis infidelitatem. Alij autem hoc modo vertunt: Si non credideritis, non eritis stabiles, nimirũ in regno, quod idem est cum nostra translatione. Septuaginaa verò verterunt: Si non credideritis, non intellige tis. Vbi autem nos habemus, Credideritis & permanebitis, Hebræi habent vnam & eandem vocem, sed priori loco est coniugationis hiphil, & significat credere, & posteriori loco est coniugationis niphal, & significat stabilem & permanẽtem esse, siue certiorem facere. Qui enim certi sunt, intelligũt: Ideoque, p eo quod habemus, Permanebitis, Septuaginta interpretes verterũt, Intelligetis, quam versionem etiam sæpè citat Augustinus.

ET adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicẽs, Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni: siue in excelsum supra. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit, Audite ergo domus Dauid. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?

ET adiecit Dominus loqui ad Achaz &c.) Cùm videret Dominus, quod Achaz ad huc maneret in impio suo affectu, neq; induci posset vt crederet quæ dicebantur, sed ad alios potiùs deos & humanum respiceret auxilium, pergit loqui ad eum, dicens: Quia tibi videtur difficile, quod regna potentissima breui finienda sint, & tu cum populo tuo de magno periculo liberandus sis, pete tibi signum: Si nudis verbis non credis, pete tibi aliquod veritatis signũ, vt cùm signum acceperis, credas futura quæ dixi. Vis vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateãt? An vis vt aperiantur cœli, & inspicias quæ clausa sunt? Atq; hoc est, quod dicit, Siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. Sic Hieronymus.

Et dixit Achaz: Non petam &c.) Quod dicit, Non petam signum, posset videri ex humili spiritu profici, & hunc habere sensum: Credo verbis tuis absque omni signo. Verùm quia constat impium fuisse Achaz, & ad alios deos recessisse, nõ humilitatis est, sed superbiæ, hypocrisis est. Si enim affectũ cordis, quem celabat, aperuisset, hoc modo dixisset: Etsi signum daret, non crederem prioribus bellis edoctus, in quibus superatus & deuictus fui. Quanquam iuxta sermo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis Hebræi ambiguitatem, posit hoc loco etiam legi, Non exaltabo Dominũ. Sciebat enim Rex impius, quòd si signum peteret, accepturus esset, & glorificaretur Domin⁹. Ergo quasi idolorum cultor, & gloriæ veri Dei inuidens, non vult signum petere.

Et dixit: Audite ergo domus Dauid &c.) Achaz perseuerante in impio suo affectu, sermo propheticus ad domum Dauid conuertitur. Sensus est: Quia tu Achaz perseueras in impio tuo affectu, te omisso, monebo populum: Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Id est, hactenus molesti fuistis prophetis, quorum dicta ridetis, atq; hoc vobis satis non est, molesti estis & Deo qui offert vobis signum, & non vultis recipere: Tales vos exhibetis erga Deum, quales hactenus vos exhibuistis erga prophetas, quos contempsistis & irrisistis. Idcirco faciet Dominus quæ sequuntur, ipse dabit vobis signum.

Matth.1.d Luc.1.c

PRopter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum regum suorum. Adducet Dominus super te, & super populum tuum, & super domum patris tui, dies qui non venerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda cum rege Assyriorum.

ECce virgo concipiet, & pariet filium &c.) Expectabatur signum, quod duo isti reges Rasin & Phacee non vincerent: quod autem hic dicitur, Ecce virgo concipiet &c. nihil ad rẽ pertinere videtur, cùm multò post bellum Syriacum euenerit. Nam inter victoriam Achaz promissam, & hoc signum præstitum, fluxerunt anni circiter 767. Quare ergo hic inseritur? Certè lectori, qui in gentilium tantùm scriptis versatus est, mirum videri potest, quare id fecerit Esaias, quare in media rei bellicæ mentione, virginis partus & Emanuelis meminerit. Sed qui nouerit, prophetarum omnia esse plena in uolucris, & ipsos sub rebus temporalib⁹ gestis aut gerendis Ecclesiæ describere sacramenta, nihil mirabitur. Quicquid enim de bello Syriaco, & populi liberatione hîc dicitur, causa Emanuelis & humani generis liberatione dicitur. Propterea in media historia subito & præter omnem expectationem lectoris, ad rem typo significatã transit, & quod maximè mirandum, facit id per notam illationis, Propter hoc, inquit, dabit Dominus vobis signũ, vt studio videatur Spiritus sanctus voluisse offendiculũ ponere carnalibus Iudæis, vt absondatur tam sanctum mysterium ab indignis, & non detur sanctum canibus. Alij verò dicũt, licet res, quæ promittitur tanquam signum, non pertineat ad liberationem Achaz & populi eius, ea tamen declaratur à simili, & hunc reddunt sensum: Quanquam populus hic impius sit, & indignus, cui fiat misericordia: quanquam totus mundus inimicus sit Deo, nec mereatur vt mittatur Christus, tamẽ mittam Christum: Ecce virgo concipiet &c. Ecce mittam vobis saluatorem, non quales hactenus feci, non Gedionem aliquem, aut Sampsonẽ, sed Emanuelem, nascetur quidem ex virgine, verùm egressio eius ab initio, à diebus æternitatis. Sic similiter quamuis populus hic impi⁹ sit, & non mereatur misericordiam, faciam tamen misericordiam & liberabo. Iudæi hunc locum interpretãtur de vxore Achaz, quod si verum esset, vt minimè est, difficilè foret ipsis dicere, quare hoc esset signũ, cùm vxor Achaz antè non fuerit sterilis. Alij autem interpretantur de vxore Esaiæ, sed certum est ad Christum pertinere, cùm de eo interpretetur & ipse Matthæus primo cap. sui Euangelij: Pariet (inquit) filium, & vocabis nomen eius Iesum: Deinde subdit: Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit &c. Præterea vox Hebræa alma, quã licet omnes, præter Septuaginta, adolescentulam transtulerint, non absolutè adolescentulã significat, sed cum epitasi, adolescentulam absconditam, quæ nunquam patuit virorum aspectibus, sed magna parentum diligentia custoditur. Dicitur enim ab עלמיה, alam, quod est abscõdere, & in tota Scriptura, vt ait Hieron. non nisi de integra & incorrupta dicitur. Significatio autem nominis Emanuel exprimitur Matth. 1. cap. vbi dicitur: Et vocabis nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Hebræi enim ab ipsis rebus ferè nomina imponunt: Sic nomen huius pueri vocatur Emanuel, propter diuinam humanamq; naturam in vna hypostasi vnitam.

Butyrum & mel comedet &c.) In his verbis duplex est tropus. Imprimis synecdoche: Nomine enim butyri & mellis, significatur omne genus cibi, quo vescuntur infantes. Deinde, notatio: Per hoc enim quòd vescetur cibis infantilib⁹, significare voluit prophetа, nostri generis puerum nasciturum, id est, puerum qui sit verus homo. Potuisset propheta sine tropo hoc modo dixisse: Puer qui nascetur ex virgine, erit verus homo.

Vt sciat reprobare malũ & eligere bonũ &c.) Est hîc iterum notatio. Sensus est: Noto & consueto puerorum more abhorrebit & respuet ea, quæ offendunt gustum: & ea quæ sentiet naturæ amica, appetet. Significatur ergo his verbis humanæ naturę veritas. Coniunctio (vt) hic nõ causãm finalem, sed consequutionem aut euentum seu sequelam designat. Non enim significatur, quòd comedet butyrum & mel, eo fine, vt sciat reprobare malum & eligere bonum, sed quòd ita comedet butyrum & mel, vt etiam in comedendo sciat reprobare malum & eligere bonum.

Quia antequam sciat puer &c.) Id est, antequam puer adoleuerit ad id ætatis, vt valeat discernere inter bonum & malum, quod statim primò nati infantes nequeunt, terra Syriæ & Samariæ, quã tu tantopere formidas, deuastata erit. Addunt commẽtarij imò antequam omnino nascetur Christus, terra Syriæ & Samariæ vastabitur: Addunt, inquã, hoc Commentarij propter Matthæum, qui hæc de Christo interpretatur, verùm quid istud ad rem præsentem? Hactenus pertinet ad Iudæos. Si, inquit, in hunc puerum vel etiam nondum natum credideritis, & illum inuocaueritis, sentietis illum liberatorem, non veniet Assur in terram vestram, sicut veniet in Samariam. Significatur itaq; occultè Iudæis, quo modo mala, quæ manebant Syriam & Samariã, ipsi possent euadere, nimirum si crederẽt in puerum nasciturum, sed quia non erant creditури, ideò sequitur.

Adducet Dominus super te &c.) Hebraismus est, intelligitur enim coniunctio (cæterùm) aut (verò) hoc modo: Cæterùm adducet Dominus, vel: Adducet verò Dominus super te &c. Septuaginta hanc coniunctionem expresserunt. Studet autem propheta metu reuocare populum ad meliora consilia. Sensus est: A die, qua facta est separatio decem tribuum à duabus tribubus, multa ipsis acciderunt mala, verùm iam multo maiora sentietis.

Cum Rege Assyriorum) Sensus hic esse potest: hæc mala siue hos dies afflictionis adducam super vos cùm venerit Rex Assyriorum. Apud Hebræos potest & hic esse sensus: Adducam super te dies afflictionis, Regem Assyriorum, vt sit appositio, & ita verterunt Septuaginta & Pag.

ET erit in die illa, sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallũ, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, et in vniuersis foraminibus. In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.

ET erit in die illa, sibilabit Dominus &c.) Idem hîc dicit, quod in præcedenti parabola, sed pluribus verbis. Sensus est: Euocabit Dominus in prælium populũ, qui habitat ad septem ostia Nili, id est, Aegyptios, qui natura imbelles sunt. In nomine itaque muscæ est duplex tropus. Imprimis synecdoche seu enallage numeri, musca pro muscis. Deinde notatio: Per muscã enim quod est animal imbelle, significatur Aegyptiorũ imbecillitas. *Et api quæ est in terra Assur*) id est, euocabit Domin⁹ in prælium Assyrios, qui potentissimi sunt & ad bellandũ promptissimi. Est etiam hîc duplex figura sicut in dictione muscæ. Nam per synecdochen api pro apib⁹ ponitur, deinde per notationem nomine apis, quod inter reliqua animalia est maximè sagax & bellicosum, significatur illius populi animositas, & bellandi peritia. *Et venient & requiescent omnes in torrentibus vallium &c.*) Hęc per metaphorã dicta sunt, vt quia semel muscas & apes nominauerat, translationẽ seruaret in reliquis. Significat propheta quòd Aegyptij & Assyrij venient cum magna multitudine, & occupabunt terram Iuda, & omnia loca vastabunt, nihilque intactum relinquent, quasi dicat: Suscitabit Dominus ad prælian dum contra vos, Aegyptios & Assyrios in tãta multitudine, vt muscis & apib⁹ meritò comparari possint, quæ turmatim volitantes, prata, fruteta, aliaque loca vndiq; occupant atq; inuadunt.

In die illa radet Dominus &c.) Quædã exemplaria hoc loco habent, In nouacula acuta, sed vox Hebręa nihil ad acutiem spectans significat. Septuaginta verterunt, In nouacula inebriata, & vox Hebræa שכר scachar dum habet punctum in dextro cornu, significat inebriare, vel ebriũ esse: dum verò punctum habet in sinistro cornu, mercede conducere, atq; hinc orta est lectionis varietas. Quomodo autem Dominus conducat Reges, patet Ezech. 29. vbi dicitur: Fili hominis, Nabugodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum &c. ad cuius intellectum sciendum, quòd Tyrij videntes vrbi suæ imminere excidium, preciosa quęq; per mare ad alias insulas transmiserunt ne Chaldæi vrbẽ ingressi spolia pinguia repeterent. In his autem tribus, Nouacula cõducta, His qui trans flumen sunt, & Rege Assyriorum, synonymia est. Intelligit enim per nouaculam conductam, eos qui trans flumen sunt: & per eos qui trans flumen sunt, Regem Assyriorum & populum eius. Flumen autem ponitur per antonomasiam, pro Euphrate, quemadmodum Poeta pro Virgilio. Per caput verò & pilos pedũ, & barbam, synecdochicõs expresit propheta, quicquid pertinet ad regnum Iudaicum, hoc est, per caput intelligit ipsum regem: per pilos pedum, populum: per barbam, omne robur virorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cumq; in genere tribus verbis potuit dixisse mirabilem futuram captiuitatem, singula tamen per partes explicare voluit, vt magis moueret populum. Nihil ergo aliud vult dicere propheta, quàm quòd Dominus auferet omnia à Iudæis, nihilq; residui eis relinquet.

ET erit in die illa. Nutriet homo vaccam bouem, & duas oues, & præ vbertate lactis comedet butyrum. Butyrum enim & mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ. Et erit in die illa. Omnis locus vbi fuerint mille vites, mille argenteis, & in spinas, & in vepres erunt. Cum sagittis & arcu ingredientur illuc. Vepres enim & spinæ erunt in vniuersa terra. Et omnes montes qui in sarculo sarrientur, nõ veniet illuc terror spinarum & veprium, & erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.

ET erit in die illa, nutriet homo vaccã &c.) Istud adhuc ad minas pertinet. Sensus est: Eo tempore, quum fuerint omnes opes Iudæorum in Chaldæam translatæ, tanta erit in terra Iudæ solitudo, tamq; incredibilis vastitas, vt nequaquam armenta boũ haheant, nec greges ouium, sicut habere consueuerunt, sed vix rarus habitator vnam vaccam & paucas oues nutrire poterit. *Et præ vbertate lactis comedet butyrum.*) Et istud ad minas pertinet, hoc sensu: Tanta erit hominũ paucitas, vt omnia futura sint plena graminum, etiam ipsæ plateę, in quibus alioqui enata pedibus hominum conculcari solent, plenæ erunt graminibus: & proinde vt satis magna quidem futura sit copia lactis, & præ multitudine lactis quod faciet, comedet butyrum, quia nõ habebit aliud quo vescatur. Lyra autem multo aliter exponit, sed hic videtur verus sensus. *Butyrum enim & mel manducabit &c.*) Id est, Quicunq; post captiuitatem Babylonicam relictus fuerit in Iudea, butyrum solũ & mel manducabit, quia non habebit aliud ad manducandum.

Et erit in die illa, omnis locus &c.) Id est, eo tempore præ paucitate hominum, tanta erit vini inopia desertis vineis, quæ hostium metu nequaquam putabuntur, vt singulæ vites siclis argenteis singulis vix emãtur. In spinas enim & in vepres omnis terra redigetur, tantaq; erit vbiq; formido sæuientibus gladijs, vt absq; arcu & sagittis, alijsq; munimentis, nullus suum agrum inuisere audeat: & derelictis locis campestribus, ad montana confugiant, ibiq; locorum difficultate muniti, vix asperos montes manu fodiant, quia neque boues, neq; aratra aut vomeres habebunt. Si cubi ergo rarus cultor in montibus fuerit inuentus, indè vitam miserabilem sustentabit. Cætera autem patebunt pascuis, atq; absque vllo custode à brutis animantibus conculcabuntur: Sic ferè Hieronymus hunc locum interpretatur. *Et in spinas & in vepres erunt*) id est, Propterea quod non erit cultor & habitator, orienturin locis illis spinæ & vepres.

Cum sagittis & arcu ingredientur illuc.) Præmetu ferarum, quæ erunt illic, non nisi armati loca illa intrare audebũt. Vepres enim & spinæ erunt in vniuersa terra Iudaica. *Et omnes montes qui in sarculo sarrientur*) Sarculum est instrumentum tam hortis quàm vineis atq; segetibus purgandis accommodũ. Sensus est: Loca montosa, ad quæ metu hostium confugient, in sarculo sarrientur, id est, manu à spinis & vepribus purgabuntur, vt valeant seminari. Homines enim in terra relicti nõ habebunt boues ad arandum, aut vomeres ad scindendum terram, sed propria manu terram montanam purgabunt, scindent, & seminabunt: cætera autem pars terræ manebit inculta, eritq; in pascua bouis, & à pecoribus conculcabitur. Quæ interpretatio est ferè eadem cum D. Hieronymi interpretatione. Pro eo autem quod nos habemus, Et erit in pascua &c. Pagninus vertit in plurali numero, Et erunt in pascua bouis & in conculcationem pecoris, & secundum illum, suppositum verbi, erunt, est montes.

CAPVT VIII.

ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.

ET dixit Dominus ad me.) Pergit adhuc propheta describere partũ virginalem, sed sub alia verborum forma quàm priùs: & caput istud continet euangelium potiùs quàm prophetiã, propterea etiam dignum est, vt legatur diligenter ab omnibus Christianis.

Sume tibi librum grandem &c.) Est hoc loco schema quo propheta significare voluit rem, quam proponit esse maximi momenti: & licet eam pauciſsimis, imò quinq; duntaxat verbis expresserit, tanta tamen latent mysteria, vt si quis ea explanare velit, nec grandi quantumuis volumine id possit: Neque id solùm, sed præterea significare voluit, vt maximi momenti, ita quæ in longum tempus conseruetur ac memoriæ mãdetur, rem apprimè esse dignam. Quam ob causam & scribi voluit stilo hominis, hoc est, tali stilo cui assueuerunt homines, ne res obscuris

scuris verbis inuoluta fugiat, aut lectoris animum remoretur. Siquidem idem est hoc loco, Scribe stilo hominis, quod apud Abacuc, Explana super tabulas, vt percurrat qui legerit. Sed posset quis obijcere, Scio quid sit spoliũ, quid detrahe, quid prædare, quid item velociter & citò: interim dum audio, Sume tibi librum grandem, & scribe in eo. Velociter spolia detrahe, citò prædare, quid dicatur nescio? Nec ipse modò, verùm mecum iuxta ignorant & quique doctissimi. Quomodo ergo stilo hominis scripsit, si stilus hominis, hoc est quod stilus planus, vt quilibet sine difficultate aliqua aut molestia intelligere possit? Ad hoc dicimus prophetam stilo quidem hominis scripsisse, sed ijs quorum lingua sãliua scripturæ imbuta est, quiq; aliunde didicerunt quid sit Euangelium. Licet enim nomen euangelij à tempore Christi ortum videatur, res tamẽ euangelij semper fuit. In ipso enim statim libro Geneseos agnoscitur, vbi ait: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius. Ipsa enim, vel secundum alios, ipsum scilicet semen quod est Christus, conteret caput tuum. Hanc rem significare voluit propheta his verbis, Velociter spolia detrahe, citò prædare, quasi dicat: Hactenus diabolus exultauit in mundo, efficax fuit in mentibus hominum, iam eijcietur foras, puer qui nascetur, velociter spolia detrahet, quæ sumus nos, citò prædabitur, non vltrà patietur regnare ipsum. Est ergo sermo ad puerum, cuius nomen in præcedenti capite vocatum est Emanuel.

Nomen Euangelij quando ortum.

Et adhibui mihi testes fideles &c.) De Vria isto scribitur 4. Regum cap. 16. qui licet impius, magni tamen nominis erat apud Iudæos. Vnde propter dignitatem sacerdotij, & eius authoritatem propheta eum in testem adducit. De Zacharia verò scribitur 2. Paralyp. cap. 26. licet quidam putent alium fuisse, de quo sermo est in eodem libro cap. 29. Locus autem iste nõ est ita simpliciter intelligendus, quasi propheta re ipsa adhibuerit hos testes, sed per tropum. Significare enim vult propheta grauissimum esse quod dicitur, & dignũ vt ab omnibus credatur: quamuis quidam commentarij velint non esse figuratum sermonẽ, sed rem in imagine & visione peractã, & pro eis facit quod sequitur:

Et accessi ad prophetissam.) Nisi enim hic visionem imaginariam intelligamus, difficile erit dicere, quæ sit illa prophetissa, de qua hîc loquitur propheta. Iudæi autem intelligunt vxorem Esaiæ. Quod si verum est, puer iste 19. annorum fuisset, cùm euerteretur Samaria. Illa enim, vt constat ex 4. Regum & 2. Paralyp. eversa est anno sexto Ezechiæ regis: & puer conceptus significatur quarto anno Achaz. Inter annum verò sextum Ezechiæ, & quartum Achaz intercedunt viginti anni. At puer facilè vocet patrem & matrem sexto aũt septimo suæ ætatis anno. Nõ est ergo vera hæc Iudæorum interpretatio, neq; scripturis cõsentanea. Thomas tamen hoc argumentum soluit, dicens hîc agi de alia captiuitate, quàm in superiori capite, cũ dicitur, Antequam puer sciat reprobare malum, & eligere bonum. Ibi enim secundum ipsum sermo est de captiuitate, quæ accidit anno 9. Oziæ regis Israel, & 6. anno Ezechiæ per Salmanasar: hic verò secundum ipsum loquitur propheta de captiuitate, quæ facta est tempore Phaceę per Teglatphalasar Assyriorum Regem. Verùm similitudo duorum capitum satis declarat de eodem bello esse sermonem. Prophetissa ergo hæc intelligenda est virgo Maria, quæ prophetauit Lucæ 1. Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Et concepit & peperit filium.) Prophetia ista similima est illi, quę superiori capite scribitur, Ecce virgo concipiet &c. & idem est filius, qui hic & ibi nasci dicitur, & de eodẽ hîc & ibi dicitur, quòd antequam puer adoleuerit ad id ætatis, vt valeat discernere inter bonum & malum, & vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.

ET dixit Dominus ad me: Voca nomẽ eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.

ET dixit Dominus ad me: Voca nomen eius &c.) Hebræis familiare est in fingendis nominibus propriæ qualitatis, plura nomina in vnum congerere, sicut Ozeę primo capite, Voca nomen eius, non populus meus: sic hoc loco, puer qui in præcedenti capite Emanuel dicitur, pluribus nominibus vocatur, Accelera, spolię detrahe, & citò prædari. Proprium enim est Christo fortem alligare, & eripere spolia. *Quia antequam sciat puer &c.*) Addunt commentarij Christianorum, imò antequam omnino nascetur puer, auferetur fortitudo Damasci. Samaria enim & Damascus euersæ fuerũt multo tempore antequam nasceretur Christus. Et addunt præterea, Non auferetur vestra virtute, sed pueri nascituri. Vnde significantiùs transtulerunt Septuaginta, qui ita habent, Auferet puer fortitudinem Damasci. Similiter habent & Hebræi. Et significatur, quòd si voluerint in eum credere, liberabuntur. *Coram rege Assyriorum*) id est, ad præsentiam regis Assyriorũ. Est enim Hebraismus. Sic etiam dicitur, à facie ignis, id est, à præsentia ignis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ET adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicẽs: *Pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filiũ Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius. Et ascendet super omnes riuos eius. Et fluet super vniuersas ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & transiens, vsq; ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ, O Emanuel.*

ET adiecit Dominus loqui ad me &c.) Prophetia est contra decẽ tribus. *Pro eo quod adiecit populus &c.*) Tropus est Latinis multùm familiaris, & maximè poetis, cùm regna, ciuitates, regiones non proprijs nominibus, sed fluuiorum nominibus appellãt, qui sunt insignes in illo regno. Sic apud Poetam de Augusto, Te Nilus miratur, id est, Aegyptus, seu populus ille quem Nilus præterlabitur. Sic hoc loco aquas Syloe pro populo Iuda dixit. Syloe enim fluuius est in Iudæa, qui ad radices montis Sion oritur. *Quæ vadunt cum silentio*) id est, quæ placidè & leniter fluunt. Significat paruitatem fluuij, & ex paruitate fluuij, intelligit exiguitaté pau citatemq; populi Iuda: deinde ex paruitate, contemptibilitatem per metalepsin: Sicut apud poetam primo Aeneidos, Speluncis abdidit atris, Vbi ex atris nigræ intelliguntur, ex nigris tenebras habẽtes, & per hoc in præceps profundè. *Et assumpsit magis Rasin &c.*) Id est, potiùs adiunxit se Rasin Regi Syriæ tanquam fortiori, & Phacee filio Romeliæ.

Syloe.

Propter hoc, ecce adijciet Dominus &c.) Per aquas fluminis, intelligit Regem Assyriorũ, vt ex eo quod subditur manifestũ est, quod videtur per appositionem adijci hoc sensu: Adducet Dominus super eos aquas fortes, Regem videlicet Assyriorũ cum toto exercitu & potestate sua magna, qui ascendet super omnes riuos, id est, exercitus Assyriorũ, occupabitq; terram decem tribuum, necibi sistet gradum, sed perget vlteriùs per Iudam inundans, id est, quãdo decem tribus erunt subuersæ, etiam ciuitates Iudæ subuertentur, præter collum eius, id est, præter Ierusalem, quæ mirabili Dei misericordia libera erit.

Et erit extensio alarum eius &c.) Potentiam Assyrij regis & innumerabilis eius exercitus, quam sub fluminis metaphora priùs descripsit, nunc per aliam translationem ostendit, quòd videlicet, alis, id est, ducibus suis & insueta hominum multitudine occupabit terram Emanuel, id est, terram Iuda. Estq; apostrophe ad puerum nasciturum.

COngregamini populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ. Confortamini, & vincimini, accingite vos, & vincimini, inite consilium, & dissipabitur, loquimini verbũ, & non fiet, quia nobiscum Deus. Hæc enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicens: Ne dicatis, coniuratio.

COngregamini populi &c.) Est sarcasmus, sicut apud poetam, Enagros & quam bello Troiane petisti Hesperiam &c. Quam figuram Rhetores vocant amarulentam & hostilem irrisionem. Congregari iubet propheta, quos negat contra Iudam quicquam valituros, quasi dicat: Vos populi Syriæ & Samariæ iam congregatis exercitum, & armatis, & accingitis vos gladijs, initisq; consilium de expugnanda Hierusalem, & hortamini inuicem dicentes, Ascendamus ad Iudam & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos: sed non capietis Hierusalem, verùm superabimini, & hoc propterea quia Deus est nobiscum. Pro nobiscum Deus, Hebræi habent Emanuel.

Hæc enim ait Dominus ad me sicut in manu forti.) id est, peculiari auxilio, misericordia erudiuit me. Sic ferè Hieronymus interpretatur. Et alibi scriptura frequenter habet manum in hac significatione, pro auxilio. *Ne irem in via populi huius*) Illud (in via) Hebraicè dictum est, Latini dicerent, institutа vitæ & mores. Sensus itaq; est: Quemadmodum Dominus peculiari sua gratia eruditit me, ne sequerer institutum vitæ & mores populi huius: sic quoq; peculiari sua gratia mihi iam locutus est, dicens: Ne dicatis coniuratio. Significat hic propheta se peculiari gratia à Deo donatum, sed quam (vt Hieronymus ait) per bona opera ipse sibi meuerat. Quod notandum est contra Lutherum & Melanthonem, qui hoc negarent. Sensus est: Ne vsurpetis inter vos huiusmodi dicta, Conspirant aduersus nos Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Samariæ, & iuncto veniunt exercitu ad expugnandum Hierusalem. Pertinet istud ad promissionem liberationis ab illo bello, quod parauerat Samaria, de quo in præcedenti capite.

Omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est, & timorem eius ne timueritis, neq; paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, & ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel, & in laqueũ, & in ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

OMnia enim quæ &c.) Per parenthesin causam reddit illius quod præcesserat, Ne dicatis coniuratio, & est hic sensus: Nihil aliud

aliud in ore habet populus iste Hierosolymitanus quàm coniurationem, non respiciens ad Dei auxilium. Monet ergo ne ita pergant, & ne formident exercitum Regis Syriæ & Samariæ. Quod si hæc ad tempora nostra referantur, & sic verum inueniretur. Cùm enim nuper Martinus Rossemius Louanium obsideret, quid aliud quæso audiebatur quàm coniuratio? quis erat qui non plus formidaret Martini Rossemij exercitũ quàm Dei speraret auxilium?

Et timorem eius) videlicet hostilis exercitus ne timeatis, sed Dominum exercituum sanctificate vita & conuersatione vestra, id est, talis sit vita vestra & conuersatio, vt Dominus sanctificetur per eam, id est, iudicetur sanctus.

Et ipse pauor vester) Hunc locum imitatus est in epistola sua Apostolus Petrus, vnde & ipsa verba penè transcripsit, dicens: Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini, Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris. Similem sententiam profert Saluator apud Matthæum, dicens: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. *Et erit vobis in sanctificationem.*) Sensus est: Ille vos sanctificabit, si vos illum sanctificaueritis & timueritis.

In lapidem offensionis & in petram scandali &c.) Eandem sententiam habet propheta infrà capite 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem &c. Tractat hunc locum Paulus ad Romanos 9. Item Petrus 1. capite 2. Item Lucas 2. Denique & Saluator apud Matthæum 21. quæ loca pertinent ad regnum Christi. Vnde & hic oportet intelligere itaq; situm à bello corporali ad bellũ, cui opponimus non arma corporalia, sed spiritualia. Christus autem factus dicitur in lapidem offensionis & in petram scandali, propter infirmitatem naturæ assumptæ, & patibulum crucis. Venit namque in forma serui, & viderunt eum Iudæi similibus miserijs obnoxium, quibus nos, ideoq; parui faciebant ipsum & doctrinam eius. Si verò velimus hæc referre ad illos, quibus prima facie videbatur loqui propheta, tunc dicendum est, quòd Christus nondum natus factus est in scandalum duabus domibus Israel, id est, populo Iuda & populo Ephraim, quia passus est regnum Israeliticum in nihilum ferè recidere: hinc dixerunt, Deus noster non est ille, quem putabamus, non est tam fortis quàm existimabamus. Huiusmodi cogitationes subibant animos eorum, quando Rasin & Phacee iuncto veniebant exercitu ad expugnandum Hierusalem: Vel cùm Sennacherib obsideret Hierusalem, vt quidam putant.

Quare Christus factus lapis offensionis.

Liga testimonium, signa legem in discipulis meis, expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel, à Domino exercituum qui habitat in monte Sion.

LIga testimonium &c.) Est hîc locus satis obscurus. Sicut enim in principio huius capitis non sumpsit propheta librum realem: sic hoc loco non id agit Dominus, vt liget reipsa hoc consilium seu decretum, sed hoc vult vt sua decreta non abeant in obliuionem. Sic Deuter. 6. præcipitur filijs Israel, vt ligent mandata Dei in manu sua. Metaphora autem sumpta est ab ijs, qui timentes, ne rei, cuius meminisse volunt, obliuiscantur, ad manũ vel in digitis suis ligant quippiam, quo inspecto, si fortè obliuioni esset tradita, ad memoriã redigitur. Sic Prouer. 7. dicitur: Liga legem meam in digitis tuis. Ita & hoc loco decreta sua & dispensationem ligari vult Dominus, quasi dicat: Etsi vulgus ea negligat, saltem pueri mei, id est, qui in me credunt, obseruabunt.

Et expectabo Dominum.) Vox illorum est, qui perpetuò fidè seruant non obstantibus malis, quæ interim patiuntur, non obstantibus etiam multis argumentis, quę contra fidem facere videntur, quorum mirabilis in Scripturis est cõmendatio. Sensus est: Quanuis Dominus videatur oblitus populi sui, ego tamen expectabo eum, & non abijciam spem, etiã si morã fecerit, præstolabor eum.

Ecce ego & pueri mei &c.) Significat propheta se promptum & paratum in omnem euentum Domini: Etsi Dominus moram fecerit, tamen præstolabor eum, & non ego solus, sed & cęteri prophetæ: Prophetas pueros suos vocat vtpote à se institutos.

Quos dedit mihi Dominus in signum &c.) Id est, qui facti sunt in signũ & portentum seu spectaculũ. Vt dicit Paulus 1. ad Corinth. 4. Esaias enim & cæteri prophetæ, quia diuitias, honores contemnebant, erant spectaculum carnali Israeli, alijs eos stultos dicentibus, alijs aliud imperantibus. *A Domino exercituum &c.*) Phrasis est Hebræa. Similis habetur in Genes. Pluit Dominus sulphur & ignem à Domino de cælo: Et eo modo accipitur quo apud Latinos, quando dicitur, Villa tacta est de cælo, id est, cælitus: Sic à Domino, id est, diuinitus, quanquam subesse potest metonymia, vt à Domino idem sit quod à cælo. Sicut apud Poetam, Iam proximus ardet Deucalion, possessor pro possessione. *Qui habitat in monte Sion*) non quidẽ in illo, qui est in terrena Hierusalẽ, sed in illo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

illo,qui sursum est,de quo Apostolus ad Hebræos:Accessistis ad montem Sion.Hoc modo hunc locum exponunt ferè Commentarij. Verùm Paulus ad Hebræos 2.testimonium hoc, Ecce ego & pueri mei &c. docet ex persona Saluatoris debere intelligi: & secundum illum,pueri sunt Apostoli & cæteri credentes. Quomodo autem isti pueri fuerint in signum & portentum sapientiæ seculi & superbiæ Iudæorum,docet idem Apostolus 1.ad Corinth.dicens: Spectaculũ facti sum* mundo,& angelis,& hominibus,stulti propter Christũ, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi,vos autem fortes.

ET cùm dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & à diuinis qui stridẽt in incantationibus suis, nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis a mortuis? Ad legem magis,& ad testimoninm. Quod si nõ dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

ET cùm dixerint ad vos &c.) In hac parte vsq; ad finem capitis, ad præsentem tantummodo historiam respexisse videtur Esaias. Nõ(enim Pythones)allegoriam vocum habent, quorum propria significatio nihil ad Christum & eius tempora pertinet. Sunt autem verba prophetæ instruentis filios suos,id est, prophetas suos contra impostores & peruersos homines sui temporis. Python autem spiritus diuinator dicitur, quo qui correpti sunt,Pythones seu Pythonici appellantur. Sic Act.16.capitur,vbi dicitur quòd Paulus suscitauerit puellam habentem spiritum Pythonicum.*Qui stridẽt in incantationibus*)Id est,qui singultũ proferunt, quasi pectus non posset capere verba, quæ putant diuina: tanquam pleni essent diuino numine. Vnde quos nunc Pythones appellamus, antiqui,teste Plutarcho,ἐγγαστριμύθους eugastrimythous,id est,de vẽtre loquẽtes seu ventriloquos vocabant,quod nomen & hîc Septuaginta verterunt. Cùm ergo impostores & mali homines dixerint vobis, Cur auditis Esaiam & alios prophetas? quid verbis Esaię decipimini,& illũ putatis, quæ ventura sunt nosse? quærite potiùs à Pythonibus veritatem,& diuinis: hæc inquam illis dicentibus vos respondebitis: *Nunquid non populus à Deo suo requiret?*) Id est, nunquid vnaquæque gens consulit deos proprios? & ab illis quærit responsa? quanto magis nos Deũ nostrũ,qui verus est, audire debemus per prophetas,& nõ à Pythonibus quærere responsa. *Pro viuis à mortuis*) Exemplaria ferè habent,Pro viuis ac mortuis, sed mendum est, vt ex Hebræis patet,& ex Septuaginta & Hieronymi commentarijs. Ipsi enim habẽt pro viuis à mortuis. Explicat præcedentem sententiam,videlicet quòd cæteræ nationes requirunt statum viuentium à simulacris hominum mortuorũ,ab Appolline nimirum, qui nihil aliud erat quàm hominis simulacrum,& alijs dijs.

Pythonici.

Ad legem magis &c.) Vt habeatur plena sententia, subintelligendum est (respicere debemus)aut simile aliquid,hoc sensu: Respicere magis debemus ad legem Moysi & scripturæ testimonium quàm ad Pythones. Alioqui perfectus non est sensus. Septuaginta verò clarius transtulerunt,hoc modo: Legem enim in auxilium dedit. Per legem autem,intelligit legem Moysi: per testimonium verò, scripturas. Nos quoq; si quis roget cur non malimus legere istos qui in Germania scribunt hodie commentarios, qui omnia noua tradũt,qui omnia faciliter, qui deniq; doctissimi sunt in literis,& antiquorum patrum scriptis, respondere debemus ex propheta: Nunquid populus à Deo suo requiret visionem pro viuis à mortuis?

Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc &c.) Id est,si impostores isti, qui inuitant vos ad diuinos,non dixerint iuxta verbum hoc:id est,testimonium legis, non erit illis matutina lux,id est,veritatem non intelligent. Vbi nos habemus,eis, Hebræi habent,ei, id est, secundum Hieronymum,vestræ congregationi. Intelligunt enim Hebræi per nomen singulare plures,propterea quòd multi pro vno habentur propter communem consensum & conspirationem: hoc in prophetis admodum frequens est. Autergo Hieronymus dixit, ei, & non,eis: aut si,eis, vtitur, respexit ad sensum magis quàm ad verba.

ET transibit per eam, & corruet, & esuriet, & cùm esurierit irascetur,& maledicet regi suo,& Deo suo. Et suspiciet sursum, & ad terram iuuebitur, & ecce tribulatio, & tenebræ,& dissolutio, & angustia, & caligo persequens,& non poterit auolare de angustia sua.

ET transibit per eam &c.)id est,lux veritatis pertranslibit vestrã congregationem, & non fruetur ea. Quæ sequuntur intelligenda sunt non aliter quàm si Cicero aut Virgilius ea dixisset. *Corruet*) scilicet vestra congregatio in manus hostium,& suspiciet sursum,id est,tempore necessitatis, & tribulationis quæret vndique auxilium, sed non inueniet, tantisque malis obruetur, vt indè nequaquam euadere possit: siue ad cœlum flectat oculos siue ad terram, nihil inueniet nisi tribulationem.

CAPVT

CAPVT IX.

PRimo tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephtali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galileæ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.

PRimo tempore alleuiata est &c.) Illud(primo)accipitur quidem propriè (nouissimo)verò impropriè pro deinde.Præterea illud,Via maris &c.expositiuè additur.Exponit enim illud quod præcedit: Terra Zabulon & terra Nephthalim,quasi dicat: Eã terram Zabulon & Nephthalim intelligas volo, quæ vulgò via maris appellatur à lacu, qui eius gentis consuetudine nomen maris obtinet: Sicut & cæteræ aquarum congregationes, Hebræorum more maria appellantur. Hunc locum Iohannes cap.6.mare Tyberiadis appellat: & Matthæus 4.mare Galilææ: & Lucas 5.stagnum Genezareth,& hoc proprissimè. Nam proprium eius loci nomen est Genezareth siue Genæzarah. Hæc eadem terra, Gahlæa Gentium dicitur,eò quòd Salomon eam donauit Hiram Regi Tyriorũ,qui gentilis erat.Terra autem hæc, primùm alleuiata est,deinde aggrauata,hoc est,secundum Iudæorum expositionem,primùm leuiter afflicta est per Theglathphalasar: deinde eadem terra grauiter afflicta est per Salmanasar,quando decem tribus in captiuitatem sunt ductæ.

Populus qui ambulabat in tenebris &c.) Intelligunt Iudæi hoc loco coniunctionẽ aduersatiuam, quod illis non est infrequens, hoc sensu: At populum duarum tribuum, qui versabatur in perpetuo captiuitatis terrore, & similem omnino timebat captiuitatem, qua populus decem tribuum captus erat, ille inquam populus duarum tribuum vidit lucem magnam, quando percusso Assyrio subitò & præter omnem spem per angelum est liberatus. *Habitantibus in regione vmbræ mortis &c.*) Id est,populo isti cui ante oculos perpetuò versabatur imago mortis,lux orta est, quando ab obsidione liberatus est.

MVltiplicasti gentem,non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda,quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius,& virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu,& vestimentũ mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.

MVltiplicasti gentem.) scilicet in exercitu Sennacherib. Apostrophe est ad Deum. Sensus est: passus es vt multi milites sequerentur Regem Sennacherib. *Non magnificasti lætitiam*)Id est, non dedisti ei vt lætus rediret potita victoria. Propterea ipsi Iudæi per angelum ab obsidione liberati lætabuntur coram te, sicut lætãtur messores propter opimam messem.*Iugum enim oneris eius*)scilicet Sennacherib, qui grauissimo seruitutis iugo omnium colla premebat,& virgam humeri eius, qua percutiebat vniuersos, & sceptrũ exactoris eius, quo sibi tributa reddere compellebat,superasti, sicut in die Madian, hoc est,absq; vllo exercitu, & sine effusione sanguinis in abscondita manu, sicut olim populo Israeli victoriam de Madianitis tribuisti.

Quia omnis violenta prædatio cum tumultu) scilicet acquisita: *Et vestimentũ mixtũ &c.*) Est notatio. Significatur enim præda, quæ ferè non acquiritur sine sanguine.Et nó ita intelligendum est, quasi vestimenta, arma, & spolia Assyriorum fuerint combusta (illa enim solis corporibus incineratis intacta manserunt)sed quòd fuerint causa combustionis.Et hactenus Thomas sequitur expositionem Iudæorũ: verùm Euangelista Matthæus 4.cap.totum præcedentem locum de Christo interpretatur.Quod si secundum literam hoc facit, vt verisimile est, tunc Thomæ & Iudæorum interpretatio locum non habet. Præcipua autem difficultas est in duabus potissimùm vocib⁹,Alleuiata & Aggrauata,quarum verba,alleuiare tantùm quinquies aut sexies, & aggrauare octies aut decies tantùm in tota scriptura inueniuntur, & in longè alia significatione quàm isti vsurpant. Alleuiare enim in scriptura ferè pertinet ad subleuationẽ malorum, & aggrauare ad malorũ multiplicationẽ:Et proinde Hieron.optimè & consentaneè ad Euangelium interpretatur. Terrã enim dicit esse alleuiatam,quia releuata est onere peccatorum,nimirum per prædicationẽ Christi, qui maximam prædicationis suæ partẽ, item miraculorum in illius terræ partibus consumpsit,& potissimum in ciuitatib⁹ Capharnaum, Bethsaida, & cæteris quæ sitæ erãt in littore stagni Genezareth in finibus Zabulon & Nephthalim. Quę eadẽ terra postea grauata est, multis ipsorum scandala patientibus, Christumq; verũ Messiam in lege promissum reijcientibus.Vnde Iohan.6.Durus est hic sermo,quis potest audire eũ? &c. Ex quo aggrauabãtur in peccatis suis. Vnde & Matth.11. Væ tibi Chorozaim,væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factę essẽt virtutes,quę factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiã egissent. Secundum hanc interpretationẽ illud, Populus qui ambulabat in tene-

Alleuiare.

Aggrauare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenebris, est explicatio prioris periodi, videlicet, Primo tempore alleuiata est terra Zabulon &c. Neq; subauditur particula aduersatiua, quã Thomas & Iudæi subaudiebant. Et sensus hic est: Populus qui sedebat in tenebris ignorantiæ, vidit lucem prædicationis euangelicæ, & habitantibus in regione vmbræ mortis, id est, qui versabantur in caligine dẽsissima & perpetua, qualis est apud inferos, lux orta est eis, videlicet Christus, qui primò ibi prædicare cœpit, illosq; suæ prædicationis lumine, suæque cognitionis claritate illuminauit: atq; hoc est quod sequitur:

Multiplicasti gentem &c.) Est apostrophe ad Christum, qua explicatur illa altera periodus, Nouissimè aggrauata est via maris. Sensus est: Prædicatione tua & Apostolorum factum est, vt multi valdè ex gentibus adiungerent se fidei Abrahæ, sed non ex eo magnificasti lætitiam populo Iudæorũ, cui tamen promissus eras peculiariter.

Lætabuntur coram te &c.) Id est, Gentes, quæ sentiẽt beneficia natiuitatis tuæ, & passionis, lætificabuntur coram te, & quidem vehementissimè, quod significatur per illas duas similitudines adhibitas, videlicet: Sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quasi dicat: Inexspectato beneficio affecti sumus, qui ascribimur electis, Abraham, Isaac & Iacob per fidem Christi, per quem à tyrannide diaboli, & seruitute peccati liberati sine timore in sanctitate & iustitia seruiemus ipsi, atq; hoc est quod sequitur.

Iugum enim oneris eius &c.) scilicet diaboli, qui priùs exultabat in mundo, & grauissimo seruitutis iugo omnium colla premebat: vbi explicatur gaudij causa. *Et virgam humeri eius*) qua percutiebat vniuersos. *Et sceptrum exactoris*) quo peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, detraxisti de humeris eorum. *Sicut in die Madian*) Id est, absq; vllo exercitu, & in abscondita manu, quomodo olim liberasti populum Israel à Madianitis. Quare autem populus hæc passus sit, & quomodo & per quem liberati sunt, vide 6. 7. 8. cap. Iudicum. His metaphoris, Iugum enim oneris &c. explicat propheta tyrannidem diaboli, vel certè stimulos peccati, quod regnauit ante Christum natum & passum, quod docendi causa scholæ vocant peccatum originale: & Paulus ad Roman. 7. simpliciter explicat, quod propheta hîc figuratè dicit. Metaphoræ autem desumptæ sunt ab ijs, qui iniqua tyrannide premunt subditos.

Quia omnis violenta &c.) Hieron. Quemadmodum enim vestis, quæ humano sanguine cruentata est, lauari non potest, sed infecta sanguine igne comburitur, vt maculæ cum vestimento fœdi cruoris intereãt. Sic diaboli violenta prædatio, & tumultus ac turbæ, quibus humanum sibi subiecerat genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt. Septuaginta verò interpretes hunc locũ multò aliter reddiderunt, hoc modo: Quia omnem stolam congregatam dolo, & vestimentum commutationis restituent, & cupient ipsi igne esse combusti: secundum quos sensus est, quòd omnes animas, quas Dei auxilio nudauerat, cum ornamẽtis pristinis redditurus sit diabolus, non solùm ipse, sed & satellites eius dæmones, quibus si optio detur, magis eligant perire flammis, quàm prædam reddere.

Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodo, & vsq; in sempiternum, Zelus Domini exercituum faciet hoc.

Paruulus enim natus est nobis &c.) Ideo diabolus, & omnis eius violenta prædatio, qua humanum genus suppresserat, erit in combustionem & in cibũ ignis æterni, quia paruulus natus est nobis &c. Prophetia de Christo, & propter certitudinem eius, futurum tanquam præteritum enunciat. *Et factus est principatus &c.*) Phrasis est Scripturæ à Iudæorũ more prosecta, qua significatur puer iste princeps futurus, & Imperator siue rex, quasi dicat, Puer iste qui nascetur, Rex erit & Imperator. Locutio desumpta videtur ab his qui virgas in humeris gestabant, quæ Iudæis signa erant & indicia potestatis aut imperij. Sic in præcedentibus verbis, Virgã humeri eius, id est, potestatem eius & imperium superasti. Et apud Romanos fasces præferebantur, quibus significabatur potestas & authoritas publica, & huius index tempore Pauli erat gladius, Vnde ad Rom. 13. ait: Non sine causa gladium portat iudex. Similem locutionem habemus apud Esaiam 22. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius. Quanquã ibi non solùm significatur potestas & possessio, sed & potestatem imperij esse ad manum, & in promptu, vt quicquid velit, exequatur. Hinc itaq; phrasi in Scriptura duo significantur. Interdum enim potestas imperij: Interdum verò id quod ad manum est, in humero siue super humerum esse dicitur. Sic Iob 31. Ecce signum meum, scribat ipse, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, id est, vt circumferam illum, & vt

& vt sit mihi enchiridion & manuale.

Et vocabitur nomen eius.) Quem suprà duobus nominibus vocauerat, cap. 7. Emanuel: & cap. 8. Accelera, spolia detrahe, festina prædare: duobus inquam nominibus significantibus res, per quas Christus potuit facilè agnosci: Ita & nunc eundem appellat sex alijs nominibus. Non enim, vt quidam putant, bina coniungenda sunt nomina, vt legamus, Admirabilis consiliarius, & rursus, Deus fortis: sed Admirabilis separatim, & rursus, consiliarius seorsum &c. Admirabilis autem dicitur, propter vnionem naturarũ diuinæ videlicet & humanæ in vnam hypostasin: Secundum alios tamen propterea, quòd insperato ex inimicis Dei amicos fecerit: Hiero. verò admirabilia opera refert, quæ Christus fecit in terra. Quid autem horum trium significetur, incertum est: fortassis omnia ista tria significare voluit Spiritus sanctus. Vox enim Hebræa פלא pele, significat mirabilem, miraculosum, & mirificum. Nomen verò consiliarij in Scriptura pertinet ad ingenij & prudentiæ laudem: Interdum etiam ad functionem muneris publici, sicut apud Iob. Adducit consiliarios in stultum finem &c. Nihil autem refert vtro modorum hîc sumatur.

Quare Christus dicatur admirabilis.

Deus) Dionysius Carthusianus in commẽtarijs in hunc locum, annotat apud Hebræos esse nomen tetragrammaton seu ineffabile, sed falsus est. Habent enim Hebræi hoc loco אל el. quod nomen secundũ Moysen Aegyptium in libro perplexorum primo, conuenit non solùm Deo, sed & angelis, & hominibus admiratione dignis. Vnde non videtur ex hoc loco efficaciter posse colligi, Christum esse Deum contra proteruientem.

Fortis.) Mira est vicinitas huius vocis, cum voce גבור, & frequenter vna ponuntur, sicut in psal. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, licet nos fontem viuum legamus. Et Hieremias 32. גבור el pro forti vsurpat, quæ est naturalis huius vocis significatio.

Pater futuri seculi) Hieron. præter morem suum reliquit hîc veritatem Hebraicam. Ad verbum enim in Hebræo est, Pater vsque, & vocula Hebræa עד ad, licet idem ferè significet, quod apud Latinos, vsque: interdum tamen ad perpetuitatem pertinet: Quemadmodum etiam, vsque, apud Latinos aduerbialiter sumptum, perpetuò significat. Sensus ergo est: Puer iste præter hoc quòd futurus sit princeps & Imperator, perpetuò etiam exhibebit se omnibus patrem.

Princeps pacis) id est, autor pacis, non quidem illius pacis, quæ est feriandi à bellis: siue illius quæ facta est sub Augusto Cæsare (licet nonnulli ita interpretentur, non omnino ineptè tamen) sed alterius, quæ videlicet in consolatione conscientiarum sita est, & qua humanum genus Deo conciliatum est: cuius pacis in Scripturis frequens est mentio, & præsertim in nouo testamento. Quidam hunc locum de pace inter angelos & homines interpretantur, quod non admodum est ex more Scripturarum, & proinde satis frigidus est illorum commentarius.

Multiplicabitur eius imperium &c.) Vbi nos habemus, multiplicabitur, Hebræi habent למרבה lemarbe. Et notandum quòd nusquam mem litera in principio vel medio dictionis clausa reperitur, præterquàm in vna hac voce, quod non non sine mysterio factum est. Significatur enim supra naturam esse, quod his capitib⁹ scribitur: veluti quòd virgo sit paritura, quòd paruulus erit Deus, sicut contra naturam literæ mem est, quòd in medio vel principio dictionis claudatur. Vel certè clauditur mem in hac dictione, ad figurandum æternitatem imperij Christi, quod aperturam siue diuisionem non patitur. Imperium istud in quo sit situm, docet Paulus ad Roman. 14. cùm ait. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Ergo in consolatione & tranquillitate conscientiarum & mentis istud pacis imperium situm est. Et ante aduentum Christi in carnem, inter gentes nullus, nec ipsi philosophi nouerunt istam pacem siue gaudium istud, quod est in spiritu. Inter Iudæos autem apud quos natus erat Christus, pauci admodum nouerãt. Post aduentum Christi, hoc imperium, quo regnat in mentibus fidelium, multiplicatum est, videlicet quando gentes receperunt fidẽ & veram pacem spiritus. Et de dilatatione imperij & perpetuitate pacis huius loquitur psal. 71. Deus iudicium tuum Regi da. Præterea Zacharias cap. 9. potestas eius à mari vsque ad mare.

Ad Roma. 14. c.

Imperium Christi in quo situm sit.

Psal. 71. a.

Super solium Dauid.) Ad hæc verba apertè alludit Angelus Gabriel apud Lucam, vbi ait ad virginem, Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius. Et quemadmodũ locum illum apud Lucam malè intelligunt illi, qui Millenarij dicuntur, putãtes Christum mille annos in terra regnaturum: Sic Iudæi præsentem locum interpretantur de regno corporeo, quale est regnum Principum huius mundi, cùm apertissimę sint Scripturæ in veteri testamento, testantes regnum Christi huiusmodi non futurum. Dicitur enim apud Zachariam 9. Et ipse erit pauper & sedebit super asinum &c. Dicitur autẽ Christus super solium Dauid sedere, & regnum eius

Luc. 1. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non habiturum finem, quoniam in Ecclesia, & populo fideli, cuius typus erat regnũ Dauid, ipse dominium & imperium tenet, amodò vsque in sempiternum etc. Significatur sempiternitas regni Christi, quæ variè in psal. exprimitur, & præcipuè in psal. 88. & 2. Regum cap. 7. Et regnum istud, cuius non erit finis, non illud intelligendum est, quo Christus in cœlis regnat, sed quo regnat in terra in cordibus credentium, de quo dictum est: Regnum Dei intra vos est, de quo dicitur etiam in oratione dominica, Adueniat regnum tuum. Non enim oramus vt mox in cœlum perueniamus, sed vt cedat regnum diaboli, & destruatur regnum peccati, & inhabitet corda nostra Christus per suam gratiam.

Luc. 17 c. Matth. 6. b. Luc. 11. a.

Zelus Domini exercituum faciet.) id est, Vehemens ille amor Dei erga genus humanũ, quo solus amari voluit, non patiens vt quisquam vel mundus vel diabolus æquas secũ ferat partes. Vehemens inquam ille amor faciet illud, id est, mittet filium suum in carnem, per quem regnum istud confirmabitur. De verbo, Zelus, legite Turnout lib. 3. de eccles. dogmatibus fol. 208.

VErbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbia, et magnitudine cordis, dicentes: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: Sycomoros succederunt: sed cedros immutabimus. Et eleuabit Dominus hostes Rasim super eum, & inimicos eius in tumultum vertet, Syriam ab oriente, & Philistijm ab occidẽte, & deuorabunt Israel toto ore.

VErbum misit &c.) A capite septimo vsque ad hunc locum, fuit quasi perpetua prophetia de puero nascituro, id est, de Emanuele. Quare indocto lectori, & nõ nisi in gentiliũ scriptis versato videri potest Esaias sui oblitus, per occasionem tantùm, vt videtur, à mentione rei temporalis de Achaz trãsiẽs ad Emanuelẽ, de quo tot verba facit: sed mirabile est in hoc, pphetarũ artificiũ, vt omnia inuolucris tegant, & si quæ principaliter narrare videntur, propter aliud narrẽt: Rursum quæ obiter & per occasionem, ea principaliter referant, quod à lectore diligẽter obseruandum est. Dimisso iam ergo Emanuele, redit ad id quod cœperat capite 7. & euersionẽ Rasin & Ephraim, id est Syrię, & Samariæ vaticinatur. Locum hunc, verbũ suũ misit Domin⁹ &c. Hieronym⁹ ita exponit, regnare voluit dominus Iudam, vt Iacob prophetat in Genesi, & Israel, hoc est, decem tribus imperium sibi vendicauerũt, de quibus dicitur, Ipsi regnauerunt & non ex me. Hieronymus itaque verbum interpretatur pro iussu, & per Iacob intelligit duodecim tribus, scilicet filios Israel. Sensus est: Præcepit Dominus duodecim tribubus, vt non aliũ sibi eligerẽt regem quàm ex tribu Iuda, quod præceptum est in Genesi 49. vbi dicitur. Sceptrum de tribu Iuda non auferetur, & præceptum hoc cecidit, id est, irritum factum est in Israel, id est, in decem tribubus, quæ noluerunt Dauid regẽ, & duæ tantùm tribus seruauerunt. Contra Hier. faciunt Septuaginta, qui transtulerunt, non verbum aut iussum, sed morte misit Dominus. Vox autem hebræa דבר anceps est, significans nunc mortem, nunc iussum siue verbũ, nũc luem, secundum punctorum varietatem. Dum enim habet subtrata puncta camets, hoc sono דבר dauer, significat verbũ: cùm verò punctuatur cum duplici segol, hoc sono דבר deuer, mortem siue pestilentiam significat. Quod autem ait Hiero. varietas sermonis fefellit Septuaginta, cùm & ipse suo tempore legerit sine punctis, sicut & Septuaginta, mirum est cur ipsi, & non ipse, falsus est. Alij verò per Iacob intelligunt tribum Iuda, sed id durũ est, ꝺneq; ex more Scripturę. Alijs placet vt Iacob & Israel nomina sint eiusdem rei: & reliquæ scripturæ dum hæc nomina vsurpant, pro eodem planè accipiunt, vt in psal. est videre. In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Quare & hoc loco sic accipiẽda videntur: & quod dicitur, hũc habet sensum.

Genes. 49.

Psal. 113.

Verbum misit dominus in Israel, id est, per prophetas misit minas & comminationes in Iacob, & ceciderunt in Israel, hoc est, minę istę non sunt frustratæ, sed ceciderunt in locum, in quem erant destinatæ: et quod minatus est euenit: Et locutio sumpta videtur à iaculantibus, & hoc eò quòd dicitur, misit & cecidit.

Et sciet omnis populus &c.) Hyperbaton est, siue sermo perturbatus: ordo autem verborũ hic est, Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, quòd eleuabit Dominus hostes Rasin. &c. quæ in medio ponuntur, perturbant seriem & ordinẽ. Sensus est: Iste superbus populus Ephraim & Samariæ, qui iam confœderatum habet sibi Regem Syriæ, ipsum videlicet Rasin, putat quòd expugnabit Iudam: verùm sciet, quòd Dominus eleuabit, id est, superiores faciet hostes Rasin, & quòd Rasin superabitur: quo superato, vertet Dominus inimicos eius, ipsos videlicet Assyrios in tumultũ, id est, curabit vt per Assyrios fiat tumultus belli contra Israel siue decem tribus, & adducet Dominus Syrios ab oriente, & Philistijm, id est, Palestinos ab occidente, & deuorabunt Israel toto ore, id est, toto desiderio. Israel autem, populus Ephraim, populus

lus Samariæ, decẽ tribus, nomina sunt eiusdem rei. Ista ergo sunt minæ quas misit Dominus in Israel, siue in populum Ephraim, qui à Iuda aliquoties superatus nunc iactat, Lateres ceciderunt, id est, domus ex lateribus exstructæ ceciderunt, sed quadris lapidibus reædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus, id est, ædificia ex vilibus lignis facta demolita sunt, sed sumptuosiora & magis magnifica illis exstruemus. Sycomoros, pro quouis vili ligno: Cedros, pro ligno sumptuoso posuit figuratè.

INomnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta: & populus non est reuersus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt. Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam, iucuruantem & deprauantem in die vna. Longæuus & honorabilis ipse est caput: et propheta docens mendacium, ipse est cauda. Et erunt qui beatificant populum iustum seducentes, & qui beatificantur præcipitati.

IN omnibus his non est auersus &c.) id est, post tantam calamitatem & excidium non est placatus Dominus, sed adhuc manus eius extenta ad perdendum. Et ratio quare non sit auersus furor Domini, est, quia ipsi non sunt auersi à sua malitia per pœnitentiã. *Et Dominum exercituum &c.*) Id est, non reliquerunt adhuc vitulos suos aureos, sed pro vero Deo eos adorauerunt. *Incuruantem & deprauantem &c.*) id est, eũ qui recta peruertit, & eum qui vera deprauat, Dominus disperdet.

Longæuus & honorabilis) id est, qui sunguntur magistratu, aut qui valent alioqui apud populum authoritate, hos per caput intelligit, quæ metaphora nota est. Per caudã verò intelligit Pseudoprophetas, quæ metaphora vnde sit sumpta, non satis constat. Quidam volunt hoc nomen illis tribuisse prophetam, propter adulationem ipsorum: Alij propter vtilitatem ipsorum, vtpote qui propter commodum & quęstum falsa & peruersa docebant.

Et erunt qui beatificant populum istum &c.) id est, qui populum Ephraim feliciorẽ prædicant populo Iudæ, seductores sunt: & qui beatificantur, præcipitantur in mortem.

PRopter hoc super adolescentulis eius nõ lætabitur Dominus, & pupillorum eius, & viduarum nõ miserabitur. Quia omnis hypocrita est & nequam, & vniuersum os loquutum est stultitiam. In omnibus his non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extenta. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit. Et succendetur in densitate saltus, & conuoluetur in superbia fumi.

PRopter hoc.) scilicet quia creditur falsis prophetis & doctoribus. *Super adolescentulis eius.*) Quãdo Scriptura significare vult vehementem affectum & studium iuuandi, huiusmodi phrasi vtitur: Lætabor super eũ. *Et pupillorum eius & viduarum non miserebitur.*) Qui natura misericordes sunt imprimis mouentur misericordia super pupillos & viduas. Significare ergo vult, ppheta, Dominũ vehementer offensum populo Ephraim, ac si diceret: adeo Dominus offensus est populo huic, quòd nec puerorum nec pupillorum neque viduarum miserebitur, sed omnes simul in manus hostium tradet.

Quia omnis hypocrita est &c.) Hebræi quando significare volunt sine discrimine nullo excepto ões simpliciter, dicunt, omnis nõ addẽtes substantiuum. Sensus est: Quia omnis populus hypocrita est. Et interpretatur Hiero. Aliud agens, aliud simulans, promittens castitatẽ, & viuens luxuriosè: & præferẽs paupertatem, & replens marsupium. An autẽ hoc significare voluerit propheta, incertum est. Vox Hebręa etiam impium sonat, & ea significatio magis cõgruere videtur proposito. *Et vniuersum, &c.*) Stultitia in Scriptura pertinet ad quamlibet impietatẽ & malitiam, quando quis sine vllo respectu Dei loquitur: Eadẽ vox apud Hebræos hic est: quę in illo Psal. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. *In omnibus his non est auersus &c.*) id est, propter hæc omnia non cessat Dominus irasci, sed adhuc ad percutiendũ eleuat manum suam.

Psal. 13. a 52. a.

Succensa est enim quasi ignis impietas) Meritò nõ cessat Dominus percutere, quia succensa est quasi ignis impietas. Mirè propheta impietatem igni comparat, nõ qui in domo aut ciuitatibus, sed qui in syluis & agris grassatur, atque primùm spinas & vepres, deinde syluam aut agrum absumit: & hoc est quod dicitur, *Et succendetur in densitate saltus.*) Sensus est: Post vepres & spinas, etiam syluam in ea parte, qua est densissima, succẽdet & absumet. Et conuoluetur ipsa, scilicet densitas saltus in superbia, id est, elatione & altitudine fumi. Omne enim quod excelsum est, & in sublime consurgens, superbũ appellari potest. Sicut hoc de igne, sic quoque de impietate & hæresi: primùm enim simplices & plebeios, deinde episcopos, duces & reges subuertunt.

IN ira Domini exercituum cõturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet, & declinabit ad dexteram: & esuriet, & comedet ad sinistram: & non saturabitur. Vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, & simul ipsi contra Iudam. In omnibus his non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extẽta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN *ira Domini exercituum &c.*)id est, ad ira vel propter ira perturbata est terra Ephraim. *Et erit populus quasi esca ignis*) scilicet diuinæ vltionis, id est, penitus consumetur. *Vir fratri suo non parcet &c.*) Tanta est vis & rabies impietatis, vt ne charissimo quidem germanitatis nomine parcat. Hæreticus si fratrem habeat catholicum, omni studio nititur vt eum in suam pertrahat sententiam. *Et declinabit ad dexteram.*)Sensus est: Nunc ad vnam partem curret, & seminabit ibi' zizania sua, nec hoc contentus erit, quòd in' illa parte seminarit, sed curret rursus ad aliã partem, ibi quoque seminabit: nec sic quidem contentus erit aut saturatus.

Vnusquisque carnem brachij sui) id est, propinqui, Manasses Ephraim &c. id est frater fratrem vorabit. Synecdoche est, pars pro toto. *Simul ipsi contra Iudam*)id est, quamuis ipsi inter se dissident, pari tamẽ studio & ardore mouebũtur ad expugnationem Iudæ. Istud videmus in hæreticis, qui dum seipsos contraria sentiendo dilaniant, concordi tamen malignanti spiritu contra catholicam debacchantur ecclesiam.

CAPVT X.



AE qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humiliũ populi mei, vt essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? Ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

VAE *qui condunt leges &c.*) Popter prophetiam Emanuelis inc eptam 7. cap. & rursus hoc capite repetitam, valde refert videre cõsequentia & cõtextum huius tractatus. Diuus autem Hier. putat prophetam omisis decem tribubus, sermonem conuertere ad Iudam & Hierusalem, & interpretatur hunc locum & refert ad διυπρώσεις, id est, leges humanas, propter quæstum excogitatas, & legi Moysi superadditas, qualis erat illa, quæ neglectis egenis parentibus, docebat in thesaurum templi pecuniam offerendam. Itaque secundum Hiero. leges iniquæ & iniustæ, non forensium sunt, sed moralium & vitæ communis. Sensus iste est: Væ vobis Scribis & Pharisæis, qui aduersum legem Dei nouas instituitis traditiones. Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem &c. Vos econtrariò docetis filios dicere parentibus, Munus quodcunque ex me est tibi proderit. Nec satis est vobis tradere leges huiusmodi, sed etiam scripta ad posteros transmittitis, quò bona pauperum & viduarum vestra faciatis. Si ad hunc modum cum Hiero. exponamus, non videtur vlla consequentia huius textus cum textu præcedentis capitis, vel etiam historiæ quæ incepit cap. 7. Nam isti deuterotæ, id est, Scribæ & Pharisæi non tempore Achaz, sed longè pòst, non multò ante Christum natum orti sunt. Proinde alij referunt ad decem tribus, de quibus sermo fuit in præcedenti cap. pro quibus facit, quòd in antiquis exemplaribus (vt refert Lyra) principiũ huius capitis iungatur cum præcedenti, & initium capitis decimi incipiat ibi: Væ Assur &c. Huius rei meminit & Thomas in suis commẽtarijs. Secundum hos comminatio est contra principes Samariæ & iudices, qui ad depressionẽ subditorum constituebant iniquas leges, quod proprium est tyrannorum.

Quid facietis in die visitationis? &c.) id est, cùm vel captiuitatis vel iudicij dies aduenerit: & calamitatis, id est, miseriæ quæ multo antè tempore prædicta est. Sic Hieron. interpretatur: Alij, de longè venientis referunt ad Assyrios.

Et vbi derelinquetis gloriam vestram &c.) id est, secundum Hier. opinionẽ sanctimoniæ vestræ quam colligitis ex stultis vestris traditionibus apud populum. Secundum alteram expositionem, gloriam vestram, id est, gloriam diuitiarum vestrarum. *Ne incuruemini sub vinculo.*) Notatio est, Captiui enim subdũt colla iugo. Sensus est: ne captiui ducamini. *Et cum interfectis cadatis*) id est, occidamini vt cæteri: quasi dicat, illo tempore nec simulata vestra sanctitas, nec diuitiæ vestræ proderunt vobis, ne vinctos in hostilem terram ducat Assyrius. *Super omnibus his &c.*) id est, finis mali eorum non erit captiuitas, sed etiam in hostili terra, Domini gladius eos persequetur.

VAE *Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor eius, & ad interneciones gentium non paucarum.*

VAE *Assur*) Assur Sennacherib rex est Assyriorũ. Comminatio autẽ hæc non tam propter ipsum Assur, id est, regem Assyriorum fit, quàm propter Iudam & Hierusalem, & populum Israel. Propheta enim hæc re erigere vult eos in spem, quasi dicat: Premet quidem vos Assur, sed non in perpetuũ. Alij

Alij comminationem hanc de Assur, hic inseri putant, eo quòd ipse typum gesserit eius rei, de qua hic apud prophetam est sermo, nempe diaboli & eius regni. Propter consequentiã ergo de regno Christi, de quo mox sermo erit, cui diaboli regnum opponitur, comminatio hæc adducitur.

Virga furoris &c.) id est, vtar eo tanquam instrumento ad castigandum populum, cui iratus sum. Dicitur autem Assur vel etiam quilibet malus, virga furoris Domini, quantum ad minores punitiones, quas per eos exercet: baculus verò quantũ ad maiores. Pueri enim virga cæduntur, famuli verò & ancillæ baculo percutiuntur.

In manu eius &c.) Hieron. in textu suo habet, In manu eorũ, & sic est in Hebræo. Frequens est autem Hebræis loco singularium, pluralibus vti, & contrà. Ex qua lectione patet, quòd superius dicendo, Assur, intellexerit non solùm Regem, sed & ipsum populũ. In manu ergo eorum, & Regis Assur & populi, indignatio mea implebitur. Mali autem homines in hoc mundo, non sunt Deo mali aut inutiles, quamuis in se & sibiipsis sint pessimi. Per eos enim Deus corripit inobedientes, probat iustos, coronat martyres, erudit confessores, doctores exercet & pios, & sic multa sua iudicia eorum implet factis. Quamuis enim peccẽt, eorũ tamen manus, & potentia, & voluntas per omnia, diuina regitur prouidentia, qui eorum impia voluntate propter suam omnipotentiã nouit vti ad complementum eorum, quæ in tempore futura ab æterno præsciuit. Vide pulcherrimam huius rei declarationem apud Hugo. de S. Vict. qui optimè declarat, quòd Deus omni creaturæ, & omnis creaturæ actui intimè præsidens, inflectit eorum impias voluntates ad suam voluntatem complendam: vide bene singula eius verba, quibus ponderatis & bene intellectis, facilius intelligẽtur, quæ hic dicũtur, & alijs locis huic similibus.

Mali homines in hoc mundo non sunt Deo mali aut inutiles.

Hug. lib. 1. de Sacramentis, parte 5. c. 27. & præcipuè quoad id quod maxime est difficultatis cap. 29.

Ad gentem fallacem mittã eum &c.) Id est secundum Hieron. ad gentem quæ inter me semper & idola claudicauit, quæ præcepta mea se facturam esse mentita est: hoc est, mittam eum ad Iudæos, qui præcepta mea non custodierunt: *Contra populum &c.*) Id est, impiam eius voluntatem inflectam ad meam voluntatem perficiendã, id est, ad oppugnãdum populum, cui iratus sum propter peccatum.

Ipse autem non sic arbitrabitur &c.) Sensus est: Sennacherib virga quidẽ, & furoris mei baculus est, & vtar eo vt instrumento ad castigandum tantùm populum meum, nõ ad delendum penitus, licet ipse hoc arbitrabitur, & propositum eius erit vsque ad internecionem delere totã gentẽ, agnoscetq; se non instrumentum, sed authorem: atque hoc est quod sequitur.

DIcet enim: Nunquid non principes mei simul reges sunt? Nunquid non vt Charchamis sic Chalanno: et vt Arphad, sic Hemath? Nunquid non vt Damascus sic Samaria? Quomodo inuenit manus mea regna idoli, sic & simulachra eorum de Hierusalem, & de Samaria. Nũquid non sicut feci Samariæ, & idolis eius, sic faciam Hierusalem, & simulachris eius?

Dicet enim: Nũquid non principes mei etc.) Describit superbiam Sennacherib, qui victorias suas bellicas, non diuinæ, sed suæ attribuebat virtuti & industriæ. *Nunquid nõ vt Charchamis?*) scilicet à me expugnata est? Charchamis & Chalanno ciuitates sunt ad fluuium Euphraten: Arphad verò & Emath, ciuitates sunt Damasci. Nunquid non sicut Damascus à me expugnata est, ita & Samaria? Damascus Metropolis est Syriæ. Samaria verò Metropolis est regni Israel. Sensus est: Nunquid omnes ciuitates illas expugnaui? quid ergo obstabit, quò minus Iudã & Hierusalem subuertam?

Carchamis. *Chalanno.* *Arphad.* *Emath.*

Quomodo inuenit manus mea regna idoli) Hebraismus est, sicut filius gehennæ, filius gehennalis. Nos per possessiua diceremus, Regna idoli, id est, idolis dedita. Sẽsus est: Quẽadmodũ cætera regna, quæ idolorum cultui seruiebant, meis subieci pedib': sic & Hierusalem & Iudam meæ subijciam potestati, nec poterunt liberari per idola sua.

Nunquid non sicut feci Samariæ &c.) Id est, Sicut cepi Samariã cum idolis suis, sic capiã Hierusalem. Difficultas hîc est, quo modo tribuat idola Hierusalem, cùm constet per Ezechiã ea sublata & demolita: Dicendum, quòd fallitur Sennacherib æstimans Iudam ex Samaria, siue ex decẽ tribubus, quæ idola colebant: aut mentitur, sicut & alia pleraque de Iuda: Vel certè quod verisimilius est, ipse vt homo impius pro idolis habebat omnia altaria, siue veri Dei siue falsi.

ET erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Syon, & in Hierusalem, visitabo super fructũ magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapiẽtia mea intellexi. Et abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens, insublimi residentes. Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinẽ populorũ, & sicut colliguntur ouа, quæ derelictа sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, et non fuit qui moueret pennã, & aperiret os, et ganniret.

ET *erit cùm impleuerit &c.*) Opera sua vocat castigationem suam, Sensus est: Postquam satis castigauero Iudam & Hierusalẽ, & postquam ipse Sennacherib fecerit id, ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod nisi illum, tunc & ipsum visitabo: & quod elatio cordis eius meretur, retribuam ei: Est autem mutatio personæ. *Super fructũ magnifici cordis*) Pro (fructu) Septuaginta reddiderunt sensum, vel mentem magnam.

Dixit enim: In fortitudine &c.) Refert propheta verba Assyrij superbientis & tumido ore iactantis de victoria sua hoc sensu: Dixit enim scilicet Assyrius, in fortitudine manus meę, id est, ꝓpria virtute deuici regna, & mea sapientia inueni modũ expugnandi populos & idola eorum, abstuli terminos populorũ & adiũxi mihi, & quàm facilè hoc fecerit, aperit in sequẽtibus duabus cõparationib', dum ait: *Et inueni quasi nidum &c.*) Id est, tã facilè deuici fortitudinẽ populorũ, quàm facilè nidus auium capitur à transeuntibus: Et sicut sine labore & molestia colligũtur oua, sic ego sine labore expugnaui ciuitates. *Et non fuit qui moueret pennam &c.*) Persistit adhuc in incepta metaphora de nido & auibus. Sensus est: Sicut auicula cùm audit strepitum prætereuntinm, nõ audet semel mouere se, aut garrire: Ita aduersum me nemo se mouere ausus fuit, imò ne hiscere quidẽ aut mutire, tantus fuit terror fortitudinis meæ & victoriæ.

NVnquid gloriabitur securis contra eũ, qui secat in ea? aut exaltabitur serra cõtra eũ à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga cõtra eleuantẽ se, & exaltatetur baculus qui vtiq; lignũ est. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituũ in pinguibus eius tenuitatẽ, & subtus gloria eius succẽsa ardebit, quasi cõbustio ignis, & erit lumẽ Israel in igne, & sanctus eius in flãma, & succẽdetur & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna, & gloria saltus eius et Carmeli eius, ab anima vsq; ad carnẽ cõsumetur. Et erit terrore profugus et reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.

NVnquid gloriabitur &c.) Arguit Prophetа Sennacherib gloriantem & victorias suæ virtuti asscribentẽ, quasi dicat: O stultissime mortalium: Dei irã, tuã putas esse sapientiã? illiusq; iussionẽ ad tuã refers fortitudinẽ? Quomodo si securis glorietur contra eũ qui securim tenet, & serra contra illũ, à quo trahitur, & dicãt cuncta opera, quę per securim & serrã fiunt, sua arte esse perfecta? Et si eleuet quispiã virgã, & exaltet baculum ad percutiendum quem voluerit, & ipsa virga ac baculus glorientur, & dicant à se percussum esse, qui percussus est? Sic & tu cùm organũ tantùm sis & instrumentum voluntatis Dei erigeris in superbiam, & cuncta quæ geruntur, tuæ gloriaris esse virtutis: Ex hoc loco discimus, & quòd mali etiam cùm malè agunt, sint organa & instrumenta Dei: & quòd Deus mutet & inclinet affectus hominis sicut vult, sicut flectit voluntatem Sennacherib ad oppugnandum Iudam, & ipso tanquam instrumento vtebatur. Sed hinc non sequitur, in homine non esse liberũ arbitrium, & in suis operationibus trahi ipsum à Deo, non aliter quàm trahitur serra ab eo à quo mouetur, aut securis à secante. Nam similitudo hæc non debet ita per omnia & ad amussim accõmodari homini, sed in hoc tantùm vt ostendat, quòd homo se habet ad Deum vt instrumentum, non tamen per omnia, vt instrumentum inanimatum ad artificem. Nam hoc dicere prohibẽt aliæ Scripturæ, quæ plurimæ sunt, quas citat D. Turnot de gratia & lib. arb.

Propter hoc) Id est, propter hanc superbiã Sennacherib (qua agnoscit se non vt instrumentũ, sed vt primarium victoriæ suæ autorem) mittet Dominus in pinguibus eius tenuitatem, pro quo Septuaginta transtulerunt, Mittet Dominus in honorem tuum ignominiam. Scripturis vsitatissimũ est, fortes & præstantes viros, pingues appellari. Sic psal. 78. vbi Scriptura seipsam interpretatur: Occidit (inquit) pingues eorum & electos, hoc est, præstãtissimos Israel impediuit. Sic hoc loco tenuitatẽ vocat maciẽ: nam opponit ei quod dixerat, Pinguibus, vt seruet metaphorã. Sensus est: Ex potentissimis & fortissimis militibus Sennacherib faciet impotentes & debiles. Et quod hic figuratè dicit propheta, id. 4. Regum 19. simpliciter ꝓfertur: Et factum est in nocte illa, & venit Angelus Domini & percussit in castris Assyriorũ centum octoginta quinque milia virorum. *Et subtus gloriam &c.*) Gloriam vocat exercitum Sennacherib, in quo ille spem habebat, & quodam modo gloriam suam esse existimabat. Subtus, id est, sub armis & vestibus. Tradunt enim Hebræi (vt refert Hieron.) corpora militum, illęsis vestibus & armis occulto igne esse exusta.

Et erit lumen Israel in igne &c.) Lumen Israel commentarij interpretantur angelum Domini percussorem sicut & sanctum eius. Si recipimus quod tradunt Hebræi de corporib' igne exustis, tũc ignis ꝓpriè accipitur, aliàs per ignẽ accipienda esset clades per angelũ immissa. *Et deuorabitur spina eius et vepres*) Id est, milites tã maiores quã minores cõsumẽtur. *Et gloria saltus ei'*) Per saltũ siue syluã intelligit dẽsissimũ fortiũ virorũ exercitum, in quo est maximũ robur: per gloriã verò saltus, ipsi duces & capitanei designãtur. *Et Carmeli eius &c.*) Carmelum (qui est mõs in Galilæa nemoribus consitus) posuit hic pro quouis monte nemoroso, per synecdochen. Non enim magis de Carmelo quàm de alio quouis monte cogitabat. *Ab anima vsque ad carnem consumetur*) Mira & vehemẽs metaphora est. Si simpliciter voluisset efferre dixisset hoc modo: Internecione interibit exercitus Sennacherib, vel penitus delebitur. Sed quia res erat admiratione digna, magnifice quoque eam describere voluit, & quod tribus verbis exprimere potuisset, multis dicit, tãtoq; vtitur verborũ apparatu, incipiẽs ab hoc loco: Propter hoc mittet Dominator: vsque ad illum, Et erit in die illa.

Et erit terrore profugus &c.) Istud simpliciter exprimit, sicut & 4. Reg. cap. 19. scribitur fugisse Sẽnacherib, vbi vidit exercitũ percussum ab ãgelo. *Et reliquiæ ligni saltus*) Pergit propheta in incepta metaphora. Reliquiæ ligni saltus, id est, milites, quos relinquet percussor angelus, præ paucitate numerabũtur: tam pauci fiẽt reliqui ex tam numeroso exercitu, qui syluæ & Carmelo comparabatur, vt vel puer queat dinumerare vel describere. Tradunt enim Hebræi decem tantùm milites euasisse ex tanta multitudine.

ET erit in die illa, non adijciet residuũ Israel, & hi qui fugerint de domo Iacob inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum sanctum Israel. In veritate reliquiæ cõuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Dominum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertẽtur ex eo. Consummatio abbreuiata inundabit iusticiam. Consummationem enim & abbreuiationẽ Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

ET erit in die illa non adijciet &c.) Sensus est: Pauci illi, qui captis cæteris Iudææ vrbibus, in vrbe Hierusalem obsidebãtur, nõ innitentur amplius super eum qui percutit eos, id est, super Regẽ Aegypti siue Assyriorũ, sicut fecisse legimus Achaz, qui misit nũcios ad regem Assyriorum dicens: Seruus tuus ego sum &c. inuitans & petens auxilium ab eo, à quo aliquando percussus fuerat: sed liberati ab Assyrijs innitentur atq; confidẽt super Dominũ sanctum Israel, id est, confident in Deum à quo Israel habet sanctitatẽ. Israel autẽ & Iacob, nomina sunt eiusdẽ rei.

In veritate reliquiæ conuertentur) Propheta hîc facit, quod fecit in capite 7. In media mentione rei temporaliter gestæ, vix aduertente lectore (nisi admodũ sit diligens) redit ad suũ Emanuelẽ. Quanquam quidam transitum hunc ab illo loco faciunt. *Et erit in die illa &c.*) Nam in Hierusalẽ, quanuis reliquerint idola sub Rege Ezechia, non tamen cõuersi videntur in veritate, quæ particula in Hebræis codicibus iungitur præcedẽti sententiæ, & apud eos noua est period': reliquię conuertentur. Vocẽ Hebręam, quam in præcedẽti sententia Hiero. residuũ vertit, nunc reliquias interpretatur, & mira est emphasis huius vocis quater repetitæ. Nam per se posita paucitatem significat eius, quod ex multis fit reliquum, vt clariùs pateat in voce Hebræa, & voce Græca ὑπόλιμα.

Ad Dominum fortem vt &c.) id est, ad Deũ fortem: nam eadem sunt vocabula apud Hebræos, quæ suprà, cùm dicitur: vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius &c. ita vt videatur propheta studio alludere ad locum illum, ac si dicat, conuertentur ad illũ de quo suprà dixi, quòd vocabitur nomen eius Deus, fortis &c.

Si enim fuerit populus &c.) Sensus est: Etsi Emanuele regnãte & moriente, futurus sit populus Iudaicus numerosissimus, pauci tamen ex eo ad fidem conuertentur. *Consummatio abbreuiata inundabit iusticiam*) Epithasis est, sicut si dicas, faciam finem & quidem breuissimè: nam consummatio in se finẽ intellectum habet. Thom. & Lyra, etiam hîc seruant literam. Verum cùm Apostolus ad Rom. 9. locum hunc de Christo interpretetur, cessare debet omnis expositio alia. Sensus est: Tum demum iusticia Euangelij, & iusticia quæ ex fide est, latissimè per orbem vniuersum disseminabitur, cùm Iudæis Christum reijcientibus, pauci ex ipsis ad fidem conuertentur: Tunc inquam iusticia illa inundabit. Sententia hæc quia tam mirabile habet vaticinium, ideò à propheta sub aliis verbis repetitur, nisi quod hîc additur, in medio omnis terræ, id est, facturus est istud dominꝰ palã, vt õnis terrarũ orbis intelligat.

PRopter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere populus meus, habitator Syon, ab Assur. In virga enim percutiet te, & baculum suum leuabit super te, in via Aegypti. Adhuc enim paululum, modicumque, & consummabitur indignatio mea, & furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian, in petra Horeb, & virgam suam super mare, & leuabit eam in via Aegypti.

PRopter hoc hæc dicit Dominus) Propheta rursum more suo, redit ad rem gestam, à mentione illius magni mysterij, ad mentionem belli temporaliter gesti, & notandum est prophetam hoc facere per notam inferendi, quod nouum in prophetis non est, sed mirandum quo consilio id à spiritu sancto factum sit. Fortasis ob id, vt arceatur à mysteriorum intellectu indignus lector. Propterea nõ satis est vt homo comparet sibi notitiam linguarum, & diligenter legat scripturas, sed in primis requiritur, vt expurget mentem.

Noli timere etc.) Id est, ne timeas, quòd Assur vincente capieris.

In virga enim percutiet te &c.) id est, leui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter, percutiet quidem, sed non occidet: Inferet damnum in regno tuo, sed nō euertet penitus. Hier. videtur hoc modo interpretari, In virga percutiet te, id est, procul immittet terrorem, & leuabit baculum tanquam percussurus, sed interim non percutiet, id est, minabitur tantùm. *In via Aegypti*) hoc est, in locis tuis, & in illa parte qua itur in Aegyptum. Pergebat enim illa via Rex Assur Sennacherib pugnaturus contra Regem Aethiopiæ. Quæ historia habetur 4. Reg. cap. 19. Pagn. exponit in via Aegypti, id est, more Aegypti, id est, quo modo percussit Aegyptios.

Adhuc enim paululum modicunque &c.) id est, Sennacherib, qui iam tibi minatur euersionem vrbis tuæ, relicta Iudæa perget in Aegyptum, pugnaturus contra Regem Aethiopiæ, vbi reuersus fuerit ex Aegypto, & obsidere te voluerit, mox indignatione mea ferietur: *Iuxta plagam Madian*) Sensus est: Quemadmodum liberaui vos in die Iudicum absque industria & armis vestris, & copijs: sic liberabo vos de manu Assur, non armis, sed vltione diuina. Historia de plaga Madian describitur in libro Iudicum cap. 7.

Oreb. Sabee. *In petra Oreb*) Oreb & Sabæe principes Madianitarum occisi sunt super petram durissimā, id est silicē, ita vt ex petra & Rege qui in eo occisus est, locus petræ Oreb nomen accepit. Quæ hactenus expositimus ab illo loco, Ad huc enim paululum &c. vsque ad hæc verba: Et virga super mare, excluſiuè: per parenthesim interposita sunt, estque hic ordo verborum: In virga enim percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via Aegypti, quam parenthesim, quia non aduertit Dio. Carth. istud, In via Aegypti, coactus est aliter exponere quàm supra. Similiter Lyra & Pagn. in thesauro linguæ sanctæ, vbi explicat significatum vocis דרך derech: exponit enim hoc modo, percutiā Assur quo modo olim percussi Pharaonem, mergens eum cum exercitu suo in mari rubro. Esse autem parenthesim facilè est videre in commentarijs Hieronymi.

Et erit in die illa, auferetur onus eius de humero tuo, et iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei. Veniet in Aioth, transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua. Transierunt cursim, Gabaa sedes nostra, Obstupuit Rama, Gabaa Saulis fugit.

Et erit in die illa &c.) id est, mox vbi Assur fuerit reuersus ex Aegypto, auferetur onus eius de humero tuo, & iugum imperij eius de collo tuo. *Et computrescet iugum à facie olei.*) id est, à præsentia olei. Et est hoc loco tropus. Significatur enim victoria futura non cruenta, & quæ non ferro, neque milite constabit, sed victoria tranquilla & tacita. Latini quoque nomine olei vtuntur, quoties volunt significare tranquillitatem. Hinc prouerbialis sermo, oleo tranquillior. Hier. autē interpretatur hoc modo, *à facie olei*, id est, à præsentia diuinæ misericordiæ.

Veniet in Aioth) describitur iter, quo reuersus est Assur ex Aegypto Hierusalem, & simul studium & acceleratio subuertendi Hierusalem. Estque hæc topographia planè poetica, & singula nomina virorum locorūque per quæ trausiturus erat Assur, ordine recitat, vt credant veram esse prophetiam: Sennacherib reuertēs ex Aegypto, primùm veniet in Aioth, necibi figet tentoria sua, sed transibit in Magron, & significatur studium accelerandi. Sensus est: Adeò accelerauit vt relinquat sarcinas suas apud Machmas, vt expeditius faciat iter.

Transierunt cursim.) vox Hebræa מעברה maabbara, quam noster interpres vertit cursim, vel vadum vel transitum significat, & sic vertit Pag. transierunt vadum: vel significat transitum, quam significationem si accipiamus, cursim idem erit, quod festinanter.

Gabaa sedes nostra.) Mimesis est, Imitatur enim propheta sermonē Sennacherib, quo hortabatur milites suos, hæc & similia ipsis dicens: Festinemus iam in Gabaa habebimus diuersorium ibi, & reficiemus corpora nostra. *Obstupuit Rama*) Tam celerem scilicet transitum, vel obstupuit, id est, exterrita est.

Gabaa Saulis) id est, ciuitas quondam Saulis, vbi habitauit, & vbi primùm sedes eius regia erat, præ timore fugiet.

Hinni voce tua filia Gallim, attende Laysa, paupercula Anathoth. Migrauit Medemena, habitatores Gabim confortamini, adhuc dies est, vt in Nobe stetur. Agitabit manum suam super montem filiæ Syon, & collem Hierusalem. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelsi statura succidentur, & sublimes humilabuntur. Et subuertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet.

Hinni voce tua filia Gallim &c.) Apostrophe est, causa maioris vehementiæ adhibita, Sēsus est: Ita eiulabit ciuitas Gallim, vt equorum arbitreris hinnitum.

Attende Laysa) scilicet impetum Sennacherib, & declina si potes,

Migrauit Medemena) scilicet timore perterrita. *Habitatores Gabaim confortamini*) id est, reddite vos fortes, prouidete muris vestris, sumite arma.

Adhuc dies est, vt in Nobe stetur) id est, tantùm vnus dies adhuc superest, vt possit exercitus sua tentoria figere in Nobe, ex quo loco (vt ait Hiero.) cōspici poterat Ierusalē.

Agitabit manū suā) id est, Sennacherib proculminabitur Ierusalē. *Super montē filiæ Syon*) periphra-

sis est Ierusalē, quæ è monte Syon videbatur nasci. *Ecce dominator exercituū etc.*) Lagunculam vocat exercitum Sennacherib, quia sicut laguncula vitrea vel testacea facilè cōfringitur, sic exercitus ille maximus subito conterendus erit, qui Deo non est aliud quàm laguncula. *In terrore*) id est modo horribili. *Et excelsi statura &c.*) hoc est fortissimi quique totius exercitus interibunt. *Et subuertentur condensa saltus eius ferro*) id est subuertetur copiosa multitudo gladio, & hoc virtute angeli. *Et libanus cum excelsis cadet.*) In libano synecdoche est, Sumitur enim pro monte quouis memoroso: Deinde est metaphora, per montem condensum, exercitū numerosum intelligit, vt supra de monte Carmelo dictum est. Non enim magis cogitauit de Libano, quam alio quouis monte.

CAPVT XI.



Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, et requiescet super eū spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.

Et egredietur virga de radice Iesse) Prophe ta hic consueto more rursus transit ad suum Emanuelem, estque hic sextus transitus à mentione rei temporaliter gestæ, ad mētionem regni Christi. Inter Christianos tamen duo aut tres locum hunc interpretātur de re temporaliter gesta, quod supra modū mirandum est, cùm etiam ipsi Iudæi, qui omnia ad literam interpretari & intelligere cōsueuerunt, hæc ad Christum referant. Est autem hic inopinatus transitus, propter particulam (&) quæ soler esse nota copulandi.

Virga de radice Iesse &c.) Voces istę, virga, radix, flos, figuratè sumuntur, etiam ipsis Iudæis. Metaphora autem sumpta videtur ab arboribus excisis tantùm, & non funditus eradicatis. Nam vox Hebræa גזע geza, quam noster interpres priori loco radicem vertit, truncum significat, id est, partem arboris, quæ ramis truncatis superstat. Sensus huiusmodi est: Ex stirpe virga nascetur, & ex ea virga postea nascetur flos, id est, ex paruis reliquijs regni Iudaici seu gentis Iudaicæ, quæ olim quidem fuere arbor, nūc autem stirps tantū, nascetur puella, ex illa nascetur Christus. Ita ferè exponūt Commentarij, per virgam, intelligentes virginem Mariam, per florem, Christum. Certum quidem est, prophetam agere de Christo nasciturо. Verùm an hoc ordine, vt primùm meminerit virginis sub nomine virgæ, & deinde Christi sub nomine floris, hoc non est ita certum. Huic rei obstat virgæ vocabulum, quod exponūt fruticem & arbusculam tenuem, & ita rectè significari putant virginem Mariam. Verùm vox Hebræa non hoc significat, sed magis sustē & baculum siue sceptrū regale. Quod autem dicitur Gene. cap. 30. Tollēs Iacob virgas &c. alia ibi vox est apud Hebræos, quàm hoc loco. Quare sensus huius loci videtur hic esse, Nascetur aliquis ex ista radice cum sceptro regali, aut pedo pastorali. Talem significationem habet suprà, cùm dicit: Virgam humeri eius &c. id est, fasces imperiales & imperium. Sic Numeri 24. Orietur stella ex Iacob, & cōsurget virga ex Israel &c. quo loco, virga, est rursum sceptrum regale. Pro alio intellectu facit, quod in eodem libro scribitur cap. 17 Inuenit Moyses germinasse virgam Aarō: vbi habetur talis significatio, qualem faciunt commentarij, qui ad virginem referunt: nam fruticis est germinare, non baculi. Paraphrastes autem Chaldæus accepit in prima significatione, videlicet de Christo. Atque ita vterque locus & virgæ & floris primò & immediatè pertinet ad Messiam. Paraphrasis eius hæc est: Et exibit rex de filijs Israel, & Messias de filijs filiorum eius, cuncta simpliciter efferens, quę figuratè dixerat propheta. Quomodo exponamus parum refert, neque iniuria fit virgini, quia illa satis intelligitur in radice.

Gen. 30. d.

Nu. 24. e.

Et flos de radice eius ascendet.) Hiero. præter morem suum sequutus est Septuaginta, & reliquit veritatem Hebraicam: vox enim Hebræa נצר netser surculum significat, vel (vt Hiero. super 14. caput huius prophetæ tradit) virgultum, quod ad radices arboris nascitur: quod Theodotio appellauit germē, quomodo etiam cap. 6. huius prophetę transtulit Hieron. & capit. 14. stirpem vertit.

Et requiescet super eum spiritus domini) Cōmentarij exponunt hoc modo: Spiritus gratiæ Domini constanter & non ad tempus, sed in æternum manebit super Messiam. Ex locis similibus Scripturæ non videtur significari ista perpetuitas per verbū, requiescet. Similis locutio habetur 4. Regum cap. 2. de Helizæo: Et Prouerb. 14. In corde prudentis sapientia requiescit. Apud Lucam cap. 10. Requiescet super eum pax vestra. Quibus locis non videtur ista perpetuitas significari. Paulus autem apertius dixit per verbum, inhabitare, ad Col. primo. Et rursus alio loco, vt inhabitet spiritus Domini in me.

Spiritus sapientiæ.) Nuncupatur autē Spiritus sapientiæ & consilij, & fortitudinis, nō quòd diuersus sit spiritus iuxta differentiā nominum, sed quòd vnus atque idem spiritus horum omniū fons sit, atque elargitor.

Doctores

Universidad de Deusto
Biblioteca

Doctores qui disputant de donis sancti spiritus, & tradunt septem esse numero, hunc ferè locum pro se adducunt. Quare diligenter examinandus est, & videndum num hoc ex isto loco statui possit.

Spiritus sapientiæ) Vocé Hebream D. Hieron. ferè semper vertit sapientiam. Septuaginta etiam vertunt illo vocabulo, quod apud philosophos sapientiã significat, tamẽ in scripturis nõ semper significat hoc, quod apud philosophos sapientia, vt patet manifestè ex cap. 31. Exodi, vbi Beseleel scribitur plenus spiritu Dei, sapientia & intelligentia &c. Quæ autem sit differentia apud Philosophos inter sapientiam prudentiam & scientiam docetur 6. Ethi. Exod. 31. a.

Spiritus intellectus) Per intellectum hoc loco non accipitur habitus principiorum, quo modo apud philosophos vsurpatur. Nusquam enim vocé Hebræam Septuaginta vertunt νοῦν, id est, mentem, sed vel σύνεσιν, quæ est species adiuncta prudentiæ, vel φρόνησιν. Et ita secundum Septuaginta etiã ipsa prudentia muneranda esset inter septẽ dona spiritus sancti, si sic acciperetur intellectus. Hanc autem Hebræam vocem Hiero. hoc quidẽ loco vertit intellectum, sed Prouerb. 1. cap. item 3. & alijs locis vertit prudentiam. Præterea vbi nos legimus Spiritus pietatis & timoris, apud Hebræos vnicũ vocabulum est, significans timorem. Quare ex hoc loco nõ septẽ sed sex tantùm videtur esse dona sancti Spiritus. Hæ autem rationes quantum habeant efficaciæ examinet studiosus. Voces autem Sapientia, intellectus, scientia, & consilium, quo modo distinguãtur apud Hebræos nõ satis cõstat, nisi quòd spectant ad quoduis de quauis re sanum & rectum iudicium. Quomodo verò distinguantur apud eos qui tradũt esse dona sancti Spiritus, videre est 34. distinct. 3. Sententiarum.

2. Thes. 2. b. Isa. 65. b. *NOn secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet. Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

Ioan. 7. c. NOn secundum visionem oculorum iudicabit) Ioannes euangelista vocat istud, secundum faciem iudicare, quod est accipere in iudicijs personam, aut attendere quippiam in re, quòd non est attendendum. Ex illo loco primi Regum 16: Nec secundum intuitum hominis ego iudico: alius potest esse huius loci sensus, videlicet hic: Intuebitur etiam occultissima, & propterea non poterit decipi, vt iudex qui ex allegatis & probatis fert sententiam. Iudæi autem hîc tale accipiunt iudicium, quale est Regum huius seculi: & pauperes tales, quales vulgus dicit pauperes. Inter Christianos verò quidam intelligunt tale iudicium, quale habuit inter Iudæos. Sed plenus & verus est commentarius, quem habet Turnout in libro de capt. & redemptione generis humani: Vt illud intelligatur iudiciũ, quod exercuit erga principes huius mundi, & aduersus potestates tenebrarum: Et pauperes, ipsos peccatores subiectos imperio diaboli: Horum causam Christus tuendam suscepit. Sic capitur iudicium in psalmo cuius initium est: Deus iudiciũ tuum regi da. Item pauperes similiter eodẽ loco: Tibi derelictus est pauper &c. In quib' locis pauperes appellãtur, qui vsuris peccatorum oppressi sunt, qui agnoscunt captiuitatem suam, & miseriam, & quærunt liberationem. Quid sit secundum visionem oculorum iudicare. Psal. 24. Psal. 71. Psal. 9. Psal. 81.

Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ) Id est, quando Christus venturus est, illorũ tantùm recipiet patrocinium, qui mansueti sunt & mites. Sic etiam loquitur Dauid Psal. 24. Diriget mansuetos in iudicio &c. Quod autem alijs locis Scripturæ, dicitur Christus propter peccatores venisse, nihil huic loco obstat, quia Esaias illos mansuetos & mites vocat, qui ad prædicationem Christi & apostolorum deponent duritiem, & nõ resistent euangelio, sed præbebunt se formandos & docendos. Magis autem dixit pro mansuetis quàm in mansuetis, vt significaret nos non fieri mansuetos sine voluntate & libero nostro arbitrio. Quod additur (terræ) Scripturæ phrasis est, qua significat omnes homines etiam abiectissimæ sortis, sine vlla differentia. Sic Psal. 75. vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Et apertius 4. Regum vltimo: De pauperibus terræ reliquit &c. Psal. 9. Psal. 81. 4. Reg. vlt.

Et percutiet terram &c.) Id est, doctrina Christi habebit admirabilem vim & energiã in corda hominum. Hebræi istud accipiunt hoc modo, quòd Messias habebit talem virtutẽ, qualem habuit Helias, qui verbo fecit ignem descendere de cœlo & deuorare ad se missos, vt habetur 4. Regum cap. 1. Et vult hic dicere propheta, quod doctrina Christi habebit maiorem energiam, quàm Ciceronis eloquentia, aut Oratorum orationes vnquam habuerunt. 4. Reg. 1. Psal. 71.

Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.) Synecdoche est, aut Antonomasia. Sic Paulus 2. ad Thess. 2. Tunc reuelabitur ille iniquus, vbi Antichristum intelligit per antonomasiam: Sicut per poetam, Virgilium intelligimus, sic hoc loco per impium, diabolum intelligit, vel Antichristum, vel totum genus hominum impiorum, vterque sensus est bonus. 2. Thes. 2.

ET erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur simul, requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis.

Quomodo iustitia dicatur cingulũ lumborum Christi. Psal. 108. c.

ET erit iustitia cingulum lumborum eius.) Mirificè describit regnum Christi, & est alia nota, qua poterit agnosci Christus, nempe ex efficacia doctrinæ suæ. (Cingulũ lumborum) phrasis est Hebræa, qua significare voluit propheta, iustitiam Christo comitem fore perpetuam. Sensus est: Messias non erit ad temp' iustus, sed semper & in æternũ. Similis phrasis est psal. 108. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, id est, semper hæreat ipsi maledictio. Et rursus operiantur sicut diploide confusione sua, idem significatur.

Et fides cinctorium renum eius.) Quod mox dixerat cingulum, nunc cinctorium vocat, & sumitur hic fides, sicut apud Stoicos solet, pro veritate promissorum, quando fit quod dictum est: Paraphrastes Caldæus hũc locum aliter intelligit, habet enim sic: Et erunt iusti circum circa ei, & agentes fideliter appropinquantes ei, Ille enim cõcretiuè intelligit. Sed prior sensus simplicior est, & magis ex more Scripturæ.

Habitabit lupus cum agno &c.) Iudæi lupũ intelligunt qualem vulgus, & reliqua omnia sine figura, & putãt, quòd veniente Messia bestiæ redigentur in mansuetudinem, & pristina feritate deposita, lupus cum agno pascetur. Fuerunt etiam Christiani qui non potuerunt hic agnoscere tropum, vt Lactantius, qui ca. 24 lib. 7. Diuinarum institu. tradit Christum post iudicium mille annos regnaturum cum electis suis in hoc mundo, & illo tempore omnia quæ hîc scribuntur, & quæ Poetæ aureis sæculis facta esse Saturno regnante dixerunt, ad literam implenda esse dicit. Augustinus putat in verbis istis etiam Virgilium intellexisse tropũ 4. ecloga, vbi ait, Nec magnos metuent armenta leones &c. Quibus omnibus significatur aureum sæculum futurũ. Et certis istis speciebus rerum, intelligitur & significatur tota conditio regni Christi nomine ferarum lupi, pardi, leonis &c. significãtur efferæ & barbaræ nationes, quæ deposita fæuitia & immanitate, cum humili & simplici populo Christiano (qui intelligitur nomine agni, hœdi & cæterorũ animalium mansuetorũ) sanctissimis studijs conspirabunt in vnitatẽ fidei. *Et puer paruulus minabit eos.*) Id est, humilis aliquis doctor vt Petrus Apostolus antè piscator, aut Paulus aut similis aliquis efferas illas & barbaras gentes ita demulcebit, ducet & trahet, vt deposito spiritu tyrannico & omni immanite præbituri sint se formandos Euangelio, ac Christianis moribus instituendos.

Leo quasi bos comedet paleas.) Idem ferè significatur quod in priori periodo, hoc sensu: Homines duri, crudeles, intractabiles, & instar leonis nihil aliud quàm humanũ sanguinem sitientes deponent sæuitiam, & erunt tractabiles instar bouis mansueti.

Et delectabitur &c. Illud (Infans ab vbere) hebraicè dictum est, latinè diceretur: Infans vnius aut alterius diei: & pro tribus illis vocibus Hebræi habent vnicam vocem quæ significat lactentem: Et ludet lactens, id est, puer paucorum dierum super foramen aspidis, & idẽ significatur hoc loco, quod prius cùm diceret, Et puer paruulus &c. Sensus est: Durissimis hominibus ac tyrannis leniter concionabitur. Et eundẽ habet sensum quod sequitur: Et in cauerna reguli &c.

Non nocebunt &c. Ex hoc loco nititur probare Lutherus, contra voluntatem spiritus esse, comburere hæreticos, sed (vt ait Hiero.) sermo est de regulo, aspide cæterisq; venenatis ac feris animalibus, quæ non nocebunt, sed an aliquis princeps Christianus non occidet, nihil planè hoc loco dicitur.

In vniuerso monte sancto.) Ne hoc putaremus dici de monte Sion, iuxta Hæbreorum errorem, sequenti versiculo euangelicæ prædicationis sacramenta monstrantur.

Quia repleta est terra scientia &c.) More prophetico, quod antea obscurè & sub metaphoris dixit, hoc iam hîc apertè explicat, Sensus est: Quomodo aquæ operiunt profunda maris, id est, terram, quæ fluctibus operta est, sic scientia Domini omnis terra, id est, Ecclesia replebitur. Hanc diuersorum priùs morum coniunctionem etiam Petrus in vase linteo se vidisse testatur, habente quatuor principia, per quæ quatuor plagas mundi intelligimus, in quo vase erant quadrupedia, serpentes &c. Et quod arca in diluuio, hoc Ecclesia præstat in mundo, admittendo omnis generis homines. Act. 10. b.

IN die illa radix Iesse, qui stat in signũ populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum eius gloriosum. Et erit in die illa, adijciet Dominus secundò manum suam, ad possidendum residuum populi sui quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Elam, & Sennaar, & ab Hemath, & ab insulis maris. Rom. 15. c.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN die illa &c.) Est alia nota memorabilis regni Christi, & videtur locus iste hoc modo legendus: In die illa radix Iesse, & qui stat in signum populorum &c. Sic legunt Septuaginta & Heron. in comment. Aut certè hoc modo: In die illa radix Iesse, quæ stat in signum populorum. Qui autem legunt, qui, vt Dio. dicunt sensu etsi non voce constare orationem. Nouo more hic propheta facit Christum radicem Iesse, cùm ipsum antea fecit virgam. Et illud, qui stat in signum populorum, expositio est prioris, quasi dicat, Radix Iesse, id est ille qui stat in signum populorum. Et in voce, Gentes, emphasis est. Sensus est iste: In illa die quando continget vobis illa magna salus, tunc non solum vos Iudæi, sed & Gentes ipsum Messiam deprecabuntur.

In signum populorum) Metaphora sumpta est à signis militaribus, à quibus Latini dicunt antesignanos. Sensus est: Erit iste Messias quasi vexillum quoddam in altum erectum, in quod omnes oculos suos conijcient. Res eadem est, sed est diuersa etymologia vocis apud Hebræos & Latinos. Latinis enim signa dicuntur ab effigie animalium, quæ vexillis inscribebantur, vt aquilæ: Hebræi verò habent etymologiam à leuando in altum. Nam in altum leuantur, vt sint conspicua toti exercitui. Est itaque hoc loco signum, vexillum sublatum, & in commune, omnium oculis expositum. Eadem vox est Numeri 21. fac tibi serpentem æneũ: & pone eum pro signo. Ad hanc vocem apertè allusit Christus. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto. Et alibi: Cùm exaltaueritis filium hominis &c. Longè alia est significatio apud Paulum, cùm ait. Propter quod exaltauit illum Deus. Signum huius loci habetur supra cap. 5. vbi dicitur: Et leuabit signum in nationib⁹. Et infra cap. 13. ibi. Super montem caliginosum leuate signũ. Omnibus illis locis Hebræis est נס nes, significans vexillum. Cap. verò 7. ibi, Pete tibi signum, alia est vox apud Hebræos, significans indicium vel argumentum. Rursus: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, vox diuersa est, significãs portentum, vt ipsemet propheta interpretatur.

Vnde dicatur signum.

Num. 21. b.

Iohan. 3. b.

Iohan. 8. d.

ad Phil. 2. a.

Supra. 8. c.

Ipsum gentes deprecabuntur) Istud Septuaginta hoc modo transtulerunt, Consurget, vt sit princeps in gentibus. Pau. hoc modo citat: Et in eo gentes sperabunt. Ad verbum autem est, Et eum gentes requirent. Sensus est: Illo tempore cùm impleta fuerit terra scientia Domini, & in toto mundo euangeliũ Christi coruscauerit, tunc Messiam, qui erit velut signum sublatum, & in commune, omnium oculis expositum, etiam ipsæ gentes quærent, & ad eum confugient tanquam ad liberatorem.

Rom. 15. c.

Et erit sepulchrum eius gloriosum) Fatetur Hieron. eodem quidem sensu, sed non eodem verbo se reddidisse vocem Hæbræam, dum ait sepulchrum. Vox enim Hebræa significat dormitionem siue requiem vel mortem, & ad verbum in Hebræo est, & erit requies eius honor id est honoratissima: Sicut dicimus scelus pro sceleste. Significat autẽ vox Hebræa requiem, sed qualem precamur defunctis. Sensus itaque est: Moriturus quidem est Messias, sed non periturus vt alij, secundum prophetam Dauid. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem: imò non periturus, sed post mortem maximè regnaturus in cordibus credentium.

psalm. 15.

Et erit in die illa, adijciet &c.) Locus iste complectitur vocationem vtriusque populi Iudæorum & gentium admirabilem & apertam, sed figuris assueto & tropis. Quod dicitur (secundo) Iudęi referunt ad Messiã. Prima vocatio fuit sub Moyse. Secunda erit sub Messia, & concipiunt hinc maximam spem, quòd aliquando ex Germania, Italia, & cæteris terræ partibus, in quibus dispersi sunt, per Messiam in terram Palæstinam reducentur. Inter Christianos quidam istud (secundo) ad finem mundi referunt, cùm intrabit plenitudo gentium. Hoc reijcit Hiero. cùm in hoc cap. non agatur de illo aduentu: neque enim possimus ait, cùm vna dicatur dies, & nunc & supra, illam ad primum aduentum referre, & hanc ad secundũ. Alijs placet, vt referatur ad Apostolos: Prima inquiunt vice Christus, secunda vice Apostoli post Christi ascensionem prædicauerunt reliquijs Iudæorũ. Sic Haymo Tho. & Dio. Aliud tamen videtur statui posse ex euangelio, cùm dicit Christus: Non veni nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Hieron. nõ ad ordinem temporis refert, sed ad hunc modum interpretatur: Adijciet Dominus secundo manum suam, id est secunda cura ei erit de Iudæis, prima de gentibus. Alij intelligunt, secundo, id est, secundam vocationem, vt opponatur illi vocationi, qua vocauit eos ex Aegyptiaca seruitute, vt sit hic sensus: Semel liberaui eos ex seruitute Aegypti, è seruitute corporis, secundo liberabo eos ex alia seruitute, nimirũ spirituali: Qui videtur germanus esse sensus.

Matth. 15.

Residuum populi sui) Reliquiæ intelliguntur, de quibus in precedenti cap. sermo fuit, Reliquiæ conuertentur. *Quòd relinquetur ab Assyrijs &c.* Certis istis nationum speciebus significare voluit propheta omnes nationes, & totum terrarum orbem, per synecdochen. Sensus est: Vbilibet locorum & gentium Iudæi fuerint, vocabuntur: Vt id futurum dicatur, quod Actuum 2. factum legimus. Erant habitantes in Ierusalem viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. *Ab insulis maris*) Phrasis Hebræa est, qua significatur tota plaga occidentalis, quæ oceani ambitu clauditur, & est valde frequens in psalmis.

Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel. Et dispersos Iudæ colliget, à quatuor plagis terræ, & auferetur Zelus Ephraim, & hostes Iudæ peribunt. Ephraim nõ æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim. Et volabunt in humeros Philistijm, per mare simul prædabuntur filios orientis.

Exo. 14. b.

ET leuabit signum) Synecdochen suã propheta ipse explicat, dicens, Et leuabit signum in nationes &c. Sensus est: Vexillum siue crux Christi vbiq; terrarum prædicabitur per Apostolos. *Et congregabitur &c.*) sermo hic est de illa congregatione, de qua apud Iohannem Euangelistam, cum ait: Iesus moriturus erat pro gente, & nõ tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui dispersi erãt, congregaret in vnum. Profugos igitur ac dispersos congregabit non in terram Palæstinam, sed in vnam Ecclesiam per fidem. *Et auferetur zelus Ephraim*) Sensus est: Eo tempore ne quaquam Ephraim & Iuda, id est, populus decem & duarum tribuũ, qui nunc me prophetante hostili inter se dissident odio, inimici erunt, sed coibunt in vnum per beneficium Christi.

Iohan. 11. g.

Et volabunt in humeros Philistijm) Hęc pertinent ad vocationem gentium, sicut præcedentia ad vocationem Iudæorum. Reliquiæ populi, id est, qui de duodecim tribub⁹ crediderunt in Christum, volabunt in humeros Philistijm: Quo significatur figuratè communicatio fidei. Sine figura hoc modo dixisset, Iudęi ad fidem conuersi magno studio pergent ad maritimos Palæstinos, & deinde volucri cursu pergent ad reliquas gentes, vt & eas deprædentur, id est, è faucibus diaboli eripiant, & Christo per fidem lucrifaciant. Sic Thomas deprædatus est Indiam, Bartholomæus Armeniam, Matthæus Aethiopiam &c.

Idumæa & Moab, præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt. Et desolabit Dominus linguam maris Aegypti, & leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem rinis, ita vt transeant per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyrijs, sicut fuit Israel, in die illa qua ascendit de terra Aegypti.

IDumæa & Moab) id est, Idumæi & Moabitæ, qui hactenus aduersati fuerunt Iudæis, præbebunt se formandos & fingendos Apostolis. *Et filij Ammon obedientes erunt &c.*) scilicet prædicationi euangelicæ. *Et desolabit Dominus linguã maris Aegypti &c.*) Prophetia hæc, si nihil aliud spectes quam literam, planè videtur docere Iudæos aliquando in Palæstinam reuocandos, maximè cùm dicitur: Et erit via residuo populo meo. Hoc modo interpretantur Iudæi, dant enim hũc sensum: Futurum est, vt in gratiam Iudæorum Dominus exiccet omnia flumina, etiã magnum illud flumen Euphraten, vt transire etiam possit vel calceatus. Istud planè expectant Iudæi veniente Messia. Quod autem dicit, linguam maris Aegypti, periphrasis est Nili: Hebræi namq; ostia fluuiorum linguas appellant à forbendo: Sine figura dixisset, exiccabit Dominus Nilum. Et linguas fluminum, tali figura dicunt Hebræi, quali Latini sinus, & ostia siue brachia maris. Sinus enim vocamus amnes deductos, & excurrẽtes è mari aliquando ipsã littora, ad quæ alluunt huiusmodi amnes. Vtrumq; etiam Hebræis significatur per linguam maris, Nonnunquam etiam amnes vocamus, qui maximis vndis fluunt in mare. Optimè istud intelligitur ex Iosue, vbi lingua hęc in narratione topographica ponitur, cap. 15. A lingua eius quæ respicit meridiem. Et capite 18. Contra linguam maris salsissimi. Est enim mare salsum siue mortuum nihil aliud quàm lacus, qui aut excurrere videtur è mari, aut in mare effunditur ostijs suis. Quod igitur hic figuratè dicit propheta, latinè sic extulisset: Exiccabit Dominus illũ amnem, qui in mare Aegyptiacum ostijs suis effunditur, id est, Nilum. Hieronymus autem linguam accepisse videtur simpliciter, quo modo dicimus linguam blasphemam, & hunc dat sensum, Comprimet Dominus linguas blasphemas Aegyptorum, quib⁹ coluerunt idola, & conuerter eas in laudem Dei. Et in eo quod sequitur, maris Aegypti, dicit metonymiam esse pro hominibus eo tractu a gentibus. Sed istud neque cum citatis locis scripturæ conuenit, neq; cum eo quod sequitur in propheta.

Idem significatur apud Hebræos per linguas fluminum, quod apud Latinos per ostia seu sinus aut brachia.

Et leuabit manum &c.) Fluminis antonomasia sic frequens est in scripturis, vt hic nõ sit magnum dubium, quin flumen antonomaticè pro Euphrate ponatur. Esdræ. 1. lib. cap. 4. Et cæteris quæ trans flumẽ sunt. Item in Psal. A flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Esaiæ 7. Radet Dominus in nouacula acuta, qui trans flumen sunt. In quibus locis, flumẽ, pro Euphrate ponitur. *In fortitudine spiritus sui*) Intelligunt Hebræi hoc modo: Leuabit Dominus terram suam super

Psal. 71. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

flumen in fortitudine spiritus sui, hoc est, ad ducto vento vehemẽti exiccabit Dominus flumen. Qualis ventus habetur Exod. 14. Chaldæus interpres sentit subesse figuram, qui hoc modo interpretatus est: In fortitudine eloquij sui, in prædicatione nimirum Apostolorum. Quomodo autem intelligãt Iudæi diximus, scilicet quòd in gratiam Iudæorum Dominus exiccabit omnia flumina, & sic in terram suam ipsos reducet: Verùm indubitatus sensus prophetæ iste est, quod nullus fluuius impedimento futurus sit Apostolis, & alijs Emanuelem aliquando prædicaturis, & quòd nihil eis obstabit, nõ arma, non maria, non flumina, nec quicquã aliorũ. Quod additur, in septem riuis eius, phrasis est scripturæ frequens, vt septem, po
Psal. 118. in litera ש. natur pro multis. Vt septies in die laudem dixi tibi, id est, sæpius.

Et erit via residuo populo meo) Iudæi supra modum spem concipiunt ex hoc loco, sicut vos legitis factum in Aegypto sub Moyse, ita fiet quando residuum populi mei reuocabitur ex Assyrijs.

CAPVT XII.

Exod. 15. a Psal. 117.



T dices in die illa. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam & non timebo. Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

HOc capite concludit propheta tractatum capite 7. inceptum, & quidem carmine quo magis hæreat, & discant homines gratias agere Deo pro beneficio tam inenarrabili. Et est istud caput instar epiphonematis, & summam hactenus à cap. 7. dictorum complectitur. Et omnia in hoc capite ediscenda sunt, nec vnum seorsum, nec alterum seorsim, sed omnia simul, alioquin res non intelligetur. Summa autem posita est in illa animi pace ac fiducia, in qua animus Christianus sanctissimè acquiescit fretus Emanuele, in quem respiciens abijcere audet & contemnere omnia, quę alioqui terrorem injiciunt, quæ sunt mors cogitata, diabolus cogitatus, conscientia peccati, infirmitates carnis, & mundus. Hæ enim res benè cognitæ non possunt non vehementer perterrere animũ hominis & commouere, vt legimus cap. 7. Commotum est cor Achar, & populi eius à fama belli. Sed mox sequitur: Noli timere à duabus caudis &c. Hoc nobis præstatur per beneficium Christi, & in gratiarum actionem eius, canit propheta hoc caput 12.

Et dices in die illa, Confitebor tibi Domine &c.) id est, vbi ea quæ in superioribus capitibus dicta sunt de Emanuele, impleta fuerint, tunc dices, Cõfitebor tibi Domine &c. id est, quicunq; agnoscent verè, & in se sentient beneficium Christi tam inenarrabile, dicent canticum hoc: Confitebor tibi Domine, quoniam ab eo tempore, quo Adam primum mandatum transgressus est, iratus fuisti mihi in Adam, nunc autem nato Emanuele, ira tua conuersa est in clementiam, & consolatus es me, dum à grauissimo seruitutis iugo liberatum me tibi seruire fecisti in sanctitate, & qui in perpetuo versabar damnationis terrore, salutis æternæ spem dedisti firmam & certam. Lege illum locum qui est cap. 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lętantur in messe.

Ecce Deus saluator meus) In voce, Deus, emphasis est, hoc sensu: Non homo aliquis aut angelus, sed ipse Deus est Saluator mẽ, cui innixus non deijciam animum, siue malum in carne mea habitans, moueat atq; solicitet, siue mundus adblãdiatur, siue insurgat diabolus, semper fiducialiter agam, atq; hoc est, quod sequitur, Non timebo, id est, non turbabor neq; in desperationẽ aut diffidentiã deijciar, quia fortitudo mea Deus, aduersus diabolum, aduersus mundum, & legem accusantem, ita vt omnia hæc, & præterea quicquid homini formidabile esse potest, verè vincam, fretus Emanuele, & eius virtute corroboratus. *Et laus mea Dominus*) id est, quòd audeam ita fidere, quòd nõ timeo mori, quòd despiciam inimicos, bona hæc Deo meo fero accepta, atq; illi gratias ago.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, & dicetis in die illa. Confitemini Domino, & invocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius, mementote, quoniam excelsum est nomen eius.

Haurietis aquas in gaudio.) Quid per (aquas) intelligatur exponit Ioannes Euangelista cap. 7. Vbi post verba illa Saluatoris, Qui credit quemadmodũ dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, subiungit, Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem erant accepturi credẽtes in eum. Sensus itaq; est: Haurietis aquas, id est, accipietis consolationem abundantissimam, & suauitatem, & gratiam sancti spiritus. Quod sequitur, de fontibus saluatoris, etiam interpretatus est Iohannes, vbi dicit, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Lyra intelligit sacramenta: Alij Apostolos. Hieron. doctrinã euangelicam. *Et dicetis in illa die*) cùm hauseritis aquas de fontib⁹ Saluatoris, Confitemini scilicet confessione laudis & gratiarum actionis.

Notas facite adinuentiones eius) Adinuentiones

Adinuentiones tui, tiones vocat molimina & studia pro redemptione humani generis consumpta. Sensus est: Aperite simplici turbæ, quid Dominus adhibuerit ad humani generis liberationẽ, & quã mirabiliter nos redemerit, sciant hoc pueri, sciant hoc senes. *Mementote quoniam excelsum est nomen eius*) id est, nunquam excidat è memoria beneficium hoc, quia magnus est qui dedit.

1. Para. 16. b *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in vniuersa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

Cantate Domino quoniã &c.) hoc est, quia seipsum dedit, quo maius nihil potuit dare, & non solum pro Iudæis, sed pro omnibus omnino hominibus. Exulta & lauda habitatio Sion, id est, cœtus fidelium exulta. *Quia magnus in medio tui*) id est, in medio vestrum conuersatur, *Sanctus Israel*) Periphrasis est Dei, à quo Israel habet suam sanctitatem. Sensus est: Gaudete & exultate vos fideles, quia ipse Deus conuersatur inter vos.

CAPVT XIII.



Nus Babylonis, quod vidit Esaias filius Amos. Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum, & ingredientur portas duces. Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.

ALia est prorsus huius capitis materia, & durat vsq; ad caput 24. vel 25. Omissis autem Iudæis vaticinatur propheta de exteris nationibus, & hoc ideo vt Iudæorum fidem confirmaret, eorum præcipuè qui experturi erant captiuitatem Babylonicã sub Ezechia Rege. Didicerant enim ex cap. 49. Genes. quòd non deficeret sceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniret verus Messias, & in expugnatione Babylonica non solũ destituebantur duce, sed & captiui deducebantur. Alia causa est, vt scirent gentes Deum Iudæorum dominari non ipsis Iudæis tantùm, sed exteris nationibus quoq; quanquam longè etiam disitis à Iudæa, sicut erat Babylon.

Onus Babylonis) Per verbum Hebraicum משא chaza vel onus vel pondus intelligi potest, & vbicunq; fuerit præpositum verbum illud, minarũ plena sunt quæ dicuntur. Ba-
Babylonis descriptio. bylon Metropolis fuit Chaldæorum tantæ magnitudinis, vt magis regio clausa muris (secundum Aristotelem in Politicis) quàm ciuitas fuerit. Muri enim eius coctili latere atq; interfuso bitumine cõpacti erant, quos tam latos fuisse quidam scribunt, vt quadrigæ sibi inuicem occurrentes facilè pertransire possent, vnde & inter septẽ spectacula orbis numeratur, & à fronte murorũ 100. portę æneę erant, & ob claritatem quã summam obtinuit in toto orbe, tota Chaldæa & Mesopotamia, Babylonia ab ea appellata fuit.

Quod vidit Esaias) scilicet in spiritu futurum. *Super montem caliginosum*) periphrasis est Babylonis, similis illi, homo trium literarum, qua periphrasi furem significamus. Montem vocat propter fastũ eius, alioquin Babylon in loco campestri sita erat. Addit, caliginosum, propter magnam rerum in ea confusionem. Nõ minus eleganti periphrasi Hieremias eam montem pestiferũ vocat. Ecce ego ad te mons pestifer ait Dominus &c. Ierem. 51. e & caput illud cum præcedenti diligenter legi debet, quia eiusdem est argumenti cum hoc cap. 13. & sequenti. Simpliciter autem dixisset, super Babylonem.

Leuate signum) Quid signum significet expositum est cap. 11. Est enim hic eadem vox apud Hebræos, quæ ibi, In die illa radix Iesse, quæ stat in signum populorum. Sunt autem verba hæc, leuate signũ, non prophetæ, sed Domini, quasi classicum canentis, & euocantis ad bellum Persas & Medos. Sensus est: Vos Persæ & Medi eleuate vexillum contra Babylonem. Vocula enim Hebræa על al, quã nõster interpres vertit, super, ambigua Supra in primo capitis. est ad, super & cõtra, vt superius dictum est. *Exaltate vocem*) scilicet exhortando ad prælium, leuate manum, ad signum victoriæ, Et ingrediantur portas Babylonis duces Persarum & Medorum cum exercitu suo. Siquidem Cyrus rex Persarum, & Darius rex Medorum Babylonem ceperunt.

Ego mandaui sanctificatis meis) Sanctificatos vocat Persas & Medos, quomodo apud Hiere. Regem Nabugodonosor vocat seruũ Ierem. 50. suum, & columbam suam, quia peculiariter illo vti proposuerat. Vox autẽ Hebræa קדש cadasch, modo sanctificare, modo præparare significat. Atq; posterioris modi vsus est sæpe in scriptura. Ierem. 6. Sanctificate super eam bellum. Et rursus 12. Sanctifica eos in die occisionis. Et cap. 51. Sanctificate super eam gentem. Quibus locis idem est quod (præparare) quomodo etiam ibi quidam interpretantur, priusquam exires de vulua sanctificaui te, sic hoc loco capitur. Mandaui sanctificatis, id est, præparatis à me.

Et vocaui fortes &c.) Tũc Dominus mandauit & vocauit quando inspirauit eis voluntatem pugnãdi contra Babylonẽ. Quod ait fortes in ira mea, ostendit illos non suis viribus, sed Dei ira tam sublimis regni potentiã subuertisse. *Exultantes in gloria mea*) id est, meo beneficio gloriosi sunt, & triumphos agunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VOx multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum, gentium congregatarum. Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul. A summitate cœli Dominus, & vasa furoris eius, vt dissperdat omnem terram.

VOx multitudinis) Medorum atq; Persarum describit impetum, quòd multis secũ auxilijs congregatis, Domino illorum exercitum præcedente ad vastitatẽ veniunt Babylonis. *Regum gentium*) Cyri scilicet & Darij & aliorum cum ipsis venientium. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli*) id est, Medis & Persis rei bellicæ peritissimis.

A summitate &c.) Pag. hoc modo distinguit: Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul à summitate cœli. Deinde sequitur, Dominus & vasa furoris eius. Et quòd ait, à summitate cœli siue ab extremo cœli, significat eos venisse à finibus terræ, quòd ibi videatur cœlũ terram tangere. Vasa furoris vocat Cyrum & Darium cum exercitibus ipsorum, quia per illos Dominus furorem suum implebit super Babylonem.

VLulate quia prope est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet, propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet & conterretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturientes dolebunt. Vnusquisq; ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.

Mann. 2. 6

VLulate quia prope est dies Domini) Apostrophe est ad populum Chaldęorum, & hortatur, ppheta vt futura mala plangant, nec de ruina ciuitatis ambigant, cùm Dominus vastator aduenerit. Sed quomodo dié Domini prope esse dicit, cùm adhuc longè aberat nempe annis 178? Dicemus prophetam significare velle regnum Babylonicum non fore diuturnũ pro potentia sua & magnitudine. Et centum septuaginta octo anni parua quidem ætas est regni, licet longa ætas hominis sit.

Propter hoc omnes manus dissoluentur &c.) Breuiter indicatur quòd tantum malorum pondus immineat, vt pugnatorum Babylonis manus soluantur, & cor pauore languescat, & in modum fœminarũ parturientium dolor torqueat viscera, & vnusquisq; quærat auxiliũ alterius. Naturale est enim vt imminentibus malis, alios plus sapere putemus.

Torsiones &c.) Mos est prophetæ, cùm significare vult maximos terrores & angustias, phrasi hac vti: *Facies combustæ*) Ad verbũ est, flammatæ facies, vel facies flammarum facies eorum. Sensus est: Cùm alioquin soleamus pallescere metu, isti Babylonij nimio terrore perculsi incredibili ardore inflammabuntur, tam inusitatus erit timor.

ECce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisq;, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam stellæ cœli, & Ezech. 32 splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum. Et requiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

AD ponendam terram &c.) Notandũ hic est, quòd Cyrus & Darius non posuerunt in solitudinem regnũ Babylonicum, neq; etiã Alexander Magnus, qui idem regnum lõgo post tempore inuasit. Post sublatum verò è viuis Alexandrum scribit Strabo illud cœpisse in solitudinẽ poni: Hiero. in fine cõment. huius capitis dicit suo tempore necdum omnino in solitudinem positum, sed mœnia adhuc superesse, & murorum ambitu bestias coerceri. Est igitur hoc loco difficultas non minima, quæ ab eruditis bifariam soluitur, & probabiliter, ita vt vtrum alteri præferas ignores. Quidã dicunt esse transitũ à typo ad mysteriũ. Sicut enim Nabugodonosor rex Babylonis, typum gerit diaboli: ita regnum ipsius typus est regni diaboli: & excidiũ Babylonis, tam perituri tandem orbis, quàm regni diaboli per Christum excidiũ significat. Quod ergo dicitur, Ad ponendam terram in solitudinem, exponunt isti hoc modo: Ad abolendam ipsam faciem terræ consuetam, quod erit in consummatione seculi. Ad hoc modo interpretandũ adducti sunt, quia mox sequitur, Subuertetur sicut Zodoma & Gomorra, quòd neq; in Daniele legimus factũ, neq; in gentilibus historijs. Ab his dissentit Hiero. putans sine causa vehementer vrgente non esse discedendũ à sensu historico, & locum Hiero. quia insignis est duximus annotandum, qui sic habet super illud, Et erit Babylon ciuitas illa glorioſa: Audiuimus Medos, audiuimus Babylonem, audiuimus inclytam in superbia Chaldæorum. Nolumus intelligere quod fuit, & quærimus audire quod nõ fuit: & hæc dicimus nõ quòd tropologicam intelligentiã condemnemus, sed quòd spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem historicum, quod pleriq; ignorantes lymphatico in scripturis vagantur errore. Vsq; in præsentem ergo diem prophetia Babylonis expletur. Sensus itaq; secundũ Hier. est: Non simul ponetur Babylon in solitudinẽ, sed paulatim: sub Cyro & Dario cœpit poni in solitudinẽ, & deinde sub Alexandro Magno & ita paulatim.

Quoniam

Quoniam stellæ cœli.) Ista faciunt pro priori sententia, nam excedere videtur modum rei gestæ. Hieron. in figuris versatus dicit hyperbolen esse, vt significentur terrores horribiles, quos patientibus omnia elementa tristia videbuntur, etiam ipsæ stellæ quasi tenebris obductæ: Atq; hic videtur mos esse propheræ, huiusmodi hyperbolis plus quam hyperbolicis vti, cũ significare vult maximos terrores, quod idẽ faciunt & cæteri prophetæ. Ezechiel 32. Operiam cùm extinctus fueris cœlos, & nigrescere faciã stellas eius &c. vbi de interitu regis Aegypti loquitur. Sic Ioel cap. 2. loquens de excidio Hierosolymitano: Prope est dies tenebrarum & caliginis, sol & luna obtenebrati sunt. Quod non legimus factum, sed significatur excidium terribile, & terrores horribiles. Ex his locis videmus non esse vanum quod annotat Hieronymus. Alia adhuc loca vide apud Mosen Aegyptium cap. 3. 2. libri perplexorum, vbi etiam physicè explicat, quare aduersa patientibus omnia obtenebrescãt. Videmus enim quòd cũ accidit homini subita aliqua & magna tribulatio, obtenebrãtur oculi ei⁹ adeò vt videre vix possit: quia turbatur virtus visibilis à fumo suspiriorũ, qui ascendit ad caput, & propter debilitatem visus, præfortitudine angustiæ, & propter retractionem partium animæ ad interiora, omnia videtur obscura & obtenebrata. Contrariũ accidit tempore lætitiæ, quoniã partes animæ tunc diffunduntur ad exteriora, & spiritus visibilis est clarus adeò vt homo putet omnia esse clariora & magis illuminata, quàm erant antea.

Quomodo cœlum aut lux dicatur obtenebrari ad aduersa patientibus.

Et visitabo super orbis mala) Quia orbem dixit, pertinere putãt ad consummationem seculi, & videtur pro priori sententia facere: Hieronymus autem orbẽ intelligit prouinciæ Babylonicę, sicut supra, Vt dissperdat omnem terrã. Idioma est enim scripturæ, vt omnem terram significet illius prouinciæ, de qua sermo est.

PRecioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituũ, & propter diem iræ furoris eius. Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ouis, & non erit qui congreget. Vnuſquiſq; ad populum ſuum conuertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient, omnis qui inuentus fuerit, occidetur, & omnis qui ſuperuenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.

PRecioſior erit vir auro) Precioſum dixit pro raro, sic Hiero. Sensus est: Plurimi ex Babylonijs occidentur, & pauci euadent. In hac significatione ponitur 1. Regum 3. Precioſus erit sermo Domini, id est, rarus. Alij aliter exponunt, nec minus rectè, videlicet vt prophera significet Medos & Persas ita sęuituros, vt nullo precio redimi patientur vitam Chaldæorum, etiam si aurum dent: corpora enim pluris facient quàm aurum, pluris faciẽt vicisse & interemisse, quàm aurum ab eis accepisse. Notandum hic quod pro generali vocabulo, auro, Hebræis est פז pas, quæ vox aurũ significat optimè purgatum, Hieron. psal. 71. vertit obrizum: Posuisti in capite eius coronam de obrizo, vbi nostra translatio habet de lapide precioso. Eadem vox est 3. Regum 10. cap. Et vestiuit eum auro fuluo nimis, id est, auro aureo, id est, purgatissimo & maximi valoris. Pro obrizo Hebræis est אופיר ophir. Est autem ophir insula Indiæ, ex qua aurum laudatissimum euehebatur. Quam vocem habemus 1. Paral. 29. Tria milia talenta de auro Ophir. Et Iob. 22. cap. Humina Ophir, id est, auri Ophir. Et 1. Regũ 22. vt iret in Ophir, id est, in auro. Ab hac voce Hieron. putat dictum obrizũ quasi dicas Ophirizum. De obrizo vide Plinium capite 3. lib. 33. naturalis historiæ, vbi tradit obrizum aurum esse, quod sæpe igne exustum est & candefactum, quod in coctione non minuitur.

Super hoc cœlum turbabo) Istud pertinere videtur ad consummationem sæculi, & facere pro priori sententia. Rursus Hiero. fugit ad hyperbolen vt sensus prophetæ sit: Tanta erit indignatio Domini, vt si patiatur rerum natura, omnia illa elementa sensura sint indignationem Domini. Synecdochicos per cœlum & terram omnia intelliguntur elementa: vel eo sensu hoc accipe, quo supra de stellis, sole & luna exposuimus, quòd videlicet Babylonijs præ magnitudine malorum cœlũ ruere videbitur, & terra fluctuare.

Et erit quaſi damula fugiens) Significat Babylonicum & Chaldaicum populum, qui ita pauidus ad eruptionem Medorum Persarumq; fugiet, quasi damula & ouis ad rugitum leonis & vlulatũ lupi, nec habeat defensorem vel principem, cuius sequatur imperium.

Vnuſquiſq; ad populum ſuum conuertetur) Id est, omnes peregrini & alienigenæ, & qui nõ fuerint genere Babylonij, aduenientib⁹ hostibus, relicta Babylonia confugient ad suas prouincias. huiusmodi multi erant in regno & ciuitate Babylonis sicut nunc Antuerpiæ, Bruxellæ.

Omnis qui inuentus fuerit) scilicet in Babylonia, & qui non fugerit occidetur, & si milites conductitij superuenerint eum, occidentur. *Infantes eorum*) Tanta erit hostium cruedlitas, vt nec innoxiæ parcant ætati.

ECce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, ſed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sagittis parvulos interficient, & lactantibus vteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum. Et erit Babylon illa ciuitas gloriosa in regnis inclyta, in superbia Chaldæorum subuersa, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorram. Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem & generationem. Genes. 19.c

Ecce ego suscitabo) Ex hoc loco apertũ est, quos supra intellexerit, dum aiebat, Ego mandaui sanctificatis. *Qui argentum non quærant*) Tantam describit Medorũ Persarumq; sæuitiam, vt ardore sanguinis effundendi, aurum argentumq; pro luto reputent. *Sed sagittis parvulos*) illos intelligit qui adhuc in ventre matris latent, quos cum matre occident.

Et erit Babylon illa &c.) Istud supra expositum est ibi, Ad ponendam terram in solitudinem. Babylon quæ summam claritatem iã obtinet in toto orbe, & inter omnia mundi regna principatum, quã Chaldæi gloriam suam ducunt, magnificè de ea se iactantes propter latitudinem murorum, illa subuertetur sicut Sodoma & Gomorra.

Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescẽt ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus. Et habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & syrenes in delubris voluptatis.

Nec ponet ibi tentoria Arabs) In tantum erit Babylon vastata atque deserta, vt nec ad pascua quidem armentorum vtilis sit futura. In voce, Arabs, imprimis est Enallage numeri, Arabs pro Arabes. Deinde Synecdoche, per Arabes enim siue pastores Arabiæ, quos suis pastores intelligit. *Sed requiescẽt ibi bestiæ*) id est, accubabunt ibi bestiæ syluestres. Voce Hebræa quæ hoc loco scripta est, alij omnes, præter Septuaginta interpretes, genera dæmonum intelligi volunt, vel phantasmata. *Et replebuntur domus draconibus*) pro draconibus Hebræis est אוחים ohim, quæ vox monstrosi generis bestiam significat, sed quo apud Latinos appelletur nomine, vel cuius sit naturæ nihil certi interpretes potuerunt inuenire. Vnde Symmachus reliquit verbum absq; interpretatione dicens, & replebuntur domus eorum ohim, sicut & Ionathas Chaldæus qui more Chaldæorum mutauit m, in n, dicens ohin.

Et habitabunt ibi struthiones & pilosi) id est, Fauni & Satyri, de quibus vide Pli. lib. 7. cap. 2. vbi scribit Satyros animalia esse quadrupedia humana effigie, rectè currentia, quæ vano errore delusa gentilitas pro dijs syluestrib⁹ coluit. *Et respondebunt ibi vlulæ*) Certis istis speciebus omne genus ferarum, synecdochicῶs significat, sine figura dixisset: posthac Babylon erit locus omnis generis ferarum, & non hominum. Syrenes poetæ monstra marina fingũt, ore & pube tenus virgines, reliqua corporis parte pisces. Hebræis autem est תנים thannim, quã vocem Hiero. dæmones interpretatur aut dracones magnos, cristatos, & volantes. Sensus est: Delubra in quib⁹ hactenus coluerunt festa Veneris, illa iam erunt habitacula ferarum. His omnibus propheta significare voluit maximam vastitatem.

CAPVT XIIII

Prope est vt veniat tempus eius & dies eius nũ elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam. Adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum. Et possidebit eos domus Israel super terram Domini, in seruos & ancillas, & erunt capientes eos, qui se ceperant, & subijcient exactores suos.

Prope est vt veniat tempus) Versum hunc iungunt Hebræi capiti præcedenti, & caput hoc incipiunt ab eo loco, Miserebitur enim Dominus Iacob &c. Ipse enim Esaias non distinxit prophetiam suam per capita. Instare autem dicitur tempus, quo à Medis Persisq; capiẽda sit Babylon, quod quomodo intelligendum sit, expositum est in præcedenti cap. ibi: Vlulate &c.

Miserebitur enim Dominus Iacob) Dicitur istud ad consolationem eorum qui visuri erant vastitatem Hierusalem, & in captiuitatem abducendi erant. Sensus est: Quanuis abducemini in Babylonem captiui, & videbitur vobis sceptrum esse ablatum, non desijciamini, quia miserebitur vestri Dominus, & reducet vos in Iudæam, & restituet in pristinam libertatẽ. Significat autem tempus, quo Cyrus Persarũ rex captiuum populum Hierusalem redire permisit. Videte capite 1. Esdræ primi libri. Infra 60.b Tobiæ 13. & 14.

Requiescere eos faciet) Hiero. qui perpetuo retinet literam ad hunc modum exponit: Sicut paulatim Babylon vastata est, & in solitudinem redacta, sic requies hęc non semel Iudæis tota continget, sed per interualla temporum. A morte enim Cyri, sub quo cœpit requies ista, vsq; ad annum secundum regni Darij regis Persarum non contigit eis ædificare templum, propter finitimarũ gentium insultus. Lege caput 4. 1. lib. Esdræ.

Adiungetur aduena ad eos) Et hic Hieron. literam retinet, dicens, Multi exterarũ gentium, vt Medi, Persæ, atq; alij inuitati exemplo

plo sanctæ vitæ Iudæorum, venient Hierusalem relinquentes idola. Verùm quia istud factum non constat, simplicius est, si agnoscamus transitum à libertate temporali ad libertatem spiritualem, quã perpetua donauit nos Christus, cum vsitatissimũ sit prophetis miscere vtramq; libertatẽ, sicut & vtramque captiuitatem. Secundum hanc interpretationem, sensus est: Miserebitur Dominus Iacob, id est, liberabit Dominus populum Israel à miseria & seruitute peccati, & eliget ex eis reliquias quæ saluæ fient, & securè eos habitare faciet in Ecclesia, cuius terrena Palæstina typus erat, & multitudo gentium adiunget se eis in fide & religione.

Et tenebunt eos populi) Hic licet retinere literã, nam constat Iudæos reductos in locum suum. Eius quod dicit, Tenebunt eos populi, sensus est: Honorificè eos excipient, nam rex Cyrus voluit eos venire in patriam suam & literas commendatitias dedit eis ad principes, qui regno suo præerant.

Et possidebit eos domus Israel) id est, Babylonij qui hactenus domini fuerunt Iudæorum, nunc eorum serui erunt: Et quia istud factum non legimus, Hiero. synecdochicῶs accipiendum dicit, vt totum intelligamus ex parte, videlicet, quòd tantæ postea fuerũt felicitatis, vt è diuersis per circuitum nationibus seruorum & ancillarum familiam sibi comparauerint, verùm nimis extorta videtur hæc synecdoche.

Et erunt capientes eos qui &c.) Hieron. ad Assueri tempora refert, quando Holoferne percusso, hostilis exercit⁹ cæsus est ab Israel. Verùm quia magnum dubium est, quando ea quæ in historia narrãtur facta sint, an post ista, an quod verisimilius est ante captiuitatem hãc, idcirco simplicius videtur si omissa historia mysterium hic agnoscamus, cùm dicitur, Et possidebit eos &c. vt sensus sit: Reges & principes submittent colla sua Ecclesiæ & obedient spirituali Israeli: Vt talis sit sensus, qualis est Esaiæ, vbi dicitur: Reges eorum ministrabunt tibi. Et Tobiæ: Relinquent gentes idola sua &c.

Et erit in die illa cùm requiem dederit tibi Deus, & à labore tuo, & à concussione tua, & à seruitute dura qua ante seruisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor? quieuit tributũ? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, & persequentem crudeliter.

Et erit in die illa cum requiẽ dederit) Sermo dirigitur ad Israelem, quod postquã reuersus fuerit Ierusalem, & iugũ seruitutis excusserit, recordetur potentiæ quondã Nabugodonosor, & admiretur quo modo quondam dominus victorque terrarum, & tribus cunctas depopulans contritus sit & redactus in nihilum.

Sumes parabolã istam &c.) Qui agnoscunt hic clancularios transitus, pro se facere putãt quod dicitur, Sumes parabolã. Si enim contra Nabugodonosor sermo est, & simplex historiæ expositio, quomodo parabola dicitur, quæ nulli comparatur? Verùm notandũ quòd parabola, præter vulgarem significationem etiam fabulam significat. Sic psal. 68. Factus sum illis in parabolã, hoc est, in fabulam, vt me loco prouerbij vterentur. Et 2. Paral. Domum quam ædificaui, tradã in parabolam, id est, in communem fabulã, vt celebris sit in ore hominũ. Et Iob 17. Posuit me in prouerbium vulgi. Omnibus his locis eadem vox est, apud Hebræos, quæ non solùm significat comparare, sed & multũ in ore hominũ conuersari. Sẽsus ergo est: Istud quod sequitur, Quomodo cessauit exactor &c. erit vobis tanquam fabula & loco prouerbij, & proinde illud frequenter in ore habebitis. *Parabolam etiam pro fabula accipi.* Psal. 68. 2. Paral. 7.

Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit, abietes quoq; lætatæ sunt super te, & cedri libani. Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos. Infernus subter te conturbatus est, in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes principes nationum, vniuersi respõdebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es, sicut & nos, & nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

Conquieuit & siluit omnis terra) id est, post mortem Nabugodonosor, & Babylonici regni destructionem, omnis terra quæ antea erat turbarum, seditionis, & luctus plena, quiescet à turbationibus & miserijs, omniq; bellandi studio liberata silebit. *Abietes quoq; lætatæ sunt &c.*) Per nomina istarum arborũ, quæ inter cæteras maximè altæ sunt, duræ, & eximiæ, scriptura ferè designat Reges, Principes, & alios viros fortes. Sensus ergo est: Superato Rege Babylonis, ipsi quoq; finitimi reges & principes gaudebunt. *Ex quo dormisti &c.*) Quia dixerat, abietes & cedros, perseuerat in metaphora, dicens succidat pro expugnet. Sensus est: Ex quo defunctus eris, nullus alius inueniri poterit, qui nos expugnet.

Infernus subter te conturbatus est) Hieronymus hic agnoscit fictionem poeticam. Ait enim hæc emphaticῶs & scenæ modo legenda, non quòd facta sint, sed quia fieri potuerint. Sensus est: Manes ipsi solliciti sunt, dum student tibi pro tua dignitate occurrere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

currere. Habent autem hęc amarulentam irrisionem, irridet enim superbiam Nabugodonosor: Cicero in M. similem habet fictionem, sed rectior est hæc nostri prophetę, qui toti defunctorum sodalitio vocem dat & artem. Gigantes consuetudine scripturarum dicuntur fortissimi viri, quos veteres vocabant hereos.

Qui dicãtur gigantes in scriptura.

Et tu vulneratus es sicut nos &c.) Pronomẽ (tu) emphasin habet, hoc sensu: Etiam tu quem semper robustum, inuictum, & quasi immortalem putabamus, infirmatus defunctusq; es, sicut & nos. Sermo (inquit Hiero.) potentium & principum terræ, quos supra cedros & abietes appellarat, ad regem Babylonium apud Inferos constitutũ dirigitur: Iam non dolemus nos fuisse succisos, cùm & tu eadem securi corrueris: omnis potentia tua, & in cœlum eleuata superbia, ad terram deiecta est. Ergóne & tuum cadauer tineam patietur, & scatentium vermium multitudine operietur? Senties per mortem, hominis vilitatem, qui Dei in te potentiam præferebas. Iam subter te sternetur tinea, id est, putrefies in terra & eris esca vermibus sicut & cæteri. Illud imprimis aduertere debent illi, qui corpus suũ ita fouent, tam delicatè enutriunt, vestibusq; tam preciosis & supra modum exornant. Quid quęso isti aliud faciũt, quàm præparant vermibus postmodum lautam (vt sic dicã) mensam & pinguia pabula?

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendã, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram? qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit, vinctis eius nõ aperuit carcerem?

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?) Commentarij ferè omnes hunc locum interpretantur de principe dæmoniorum, cuius Nabugodonosor typus erat: & ad principem dæmoniorum pertinere vehementer probabile est, non solùm ex concordi expositione Patrum, quanquam hoc sit magnum argumentum, verumetiã quia in præcedentibus dæmonem hunc cogimur agnoscere, quemadmodum docet Hieronymus 6. lib. comment. Sed difficultas est, an ad literam de diabolo oporteat hæc intelligere, an secundum spiritum & allegoriam: Et quòd secundum literam, ex eo videtur, quòd ea quę hic dicuntur, minimè competant in Regem Babylonis, non enim ille de cœlo cecidit. D. tamen Hiero. qui in figuris & tropis maximè versatus erat, hæc ad literam de rege Babylonis interpretatur, & ait esse antonomasian, & simpliciter dixisset propheta, hoc modo, Quomodo cecidisti de cœlo Nabugodonosor? sed maluit figuratè dicere, pro Nabugodonosor nomine, pprio, Lucifer, qui mane oriebaris, ac si pro Carolo imperatore dicas solem Asiæ aut Europæ. Est enim Lucifer apud Hebræos nomen propriæ qualitatis, stellæ videlicet matutinæ, quę Latinis Vesperus, Græcis φωσφόρος & phosphoros dicitur. Hoc ergo nomine regem Nabugodonosor significat, & ad eandem stellam alludit, cùm ait, De cœlo cecidisti, quasi dicat: Tu eras clarissimus instar solis, aut lucidissimæ stellæ, sed more aliarum stellarum, quæ quandoque hominib⁹ decidere videtur, cecidisti. Quod sequitur, Qui mane oriebaris, ad verbum in Hebræo est, fili auroræ vel diluculi: Quomodo Lucifer, qui filius es auroræ, cecidisti? Pertinent hæc omnia ad singularem quandam claritatem.

Corruisti in terrã qui vulnerabas gentes) Quo transitum hîc agnoscunt, gentes dicunt cæteros angelos, quibus Lucifer causa fuit ruinæ. Quæ expositio extorta videtur. *Ascendam*) Hiero. dicit hyperbolem esse, & istud significari: Ego studebo efferre nomen meum & regnum meũ quantum possum. Et quia frequens est in scripturis hyperbole, ideo probabile est quod dicit Hieron. *Et sedebo in monte testamenti*) Periphrasis est, aut ciuitatis Ierusalem, aut templi: & eiusdem rei periphrasis est quod sequitur, in lateribus Aquilonis. Simpliciter dixisset, sedebo in templo vel Ierusalem. Templum autem mons testamenti dicitur, quia ibi pactum Dei conseruabãtur: & quia ipsum templum in loco editiori exstructum erat, propter montem appellat: & idem templũ quia erat ad partem siue plagam Aquilonarem situm vocauit latera Aquilonis. Quã periphrasin mutuatus est ex psal. vbi, ppheta Dauid templum triplici periphrasi describit, dum ait, Mons Sion, ciuitas Regis magni, latera Aquilonis. His tribus idem significare vult propheta. *Ascendã super altitudinem nubium*) Hyperbole est, sicut supra, In cœlum conscendam. Et similis hyperbole est apud Ezechielem, tibi rex Tyrij de se ait: Deus ego sum. Et Pharao rex Aegypti: meus est fluuius, & ego feci meipsum. Vt sit sensus: vsq; adeò superbiuit, vt abiecta omnis numinis reuerentia, vt mortalem te esse scias. Si cui non placet hyperbole, ille dicat istud esse simile illi, quod est in Actis, vbi de Herode scribitur: Cui acclamabant, Dei vox est & non hominis: Et ad Thess. 2. de Antechristo dicitur, quòd in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam

quam sit Deus. Vt simpliciter dixerit, Nabugodonosor eo vesaniæ progressum fuisse, vt se Deum verè putarit.

Veruntamen ad infernũ detraheris) Est antithesis: Pulchrè enim propheta opponit, summum imo, infernum cœlo, latera Aquilonis lateribus laci. Nam Hebræi habent, In latera laci, vbi nos habemus: In profundum laci. Sensus est: Tu Nabugodonosor studes te facere summum, Dominus Deus studes te facere infimum, & faciet.

Qui te viderint ad te inclinabuntur) Sensus est: qui te viderint in Inferno & profundo laci positum, cupient aspicere qui sis, hoc est, quod dicit, ad te inclinabuntur, & vbi propius te contemplati fuerint, dicent: *Nunquid iste est vir*) Vox est insultantium & admirantium, quomodo vastator omnium iam ipse vastatus sit, atq; deiectus. Et (vt annotat Hiero.) idioma scripturæ est, nomine orbis non semper vniuersalem orbem, sed illas tantùm terræ partes significari, de quibus est sermo in materia subiecta.

Vinctis eius non aperuit carcerem) Impietatis & crudelitatis magnitudo exprimitur quasi dicat: Tã crudelis fuit & inhumanus, vt captiuos non solùm cathenis grauabat, sed & tenebrarum horrore miseros inuolue bat, adeò vt ne fenestellæ aperturam relinqueret ad refrigerium, imò proprium filium Euilmerodach cum alijs in carceribus captiuum detinuit.

Omnes reges gentiũ vniuersi dormierunt in gloria, vnusquisque in domo sua, tu autem proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci. Quasi cadauer putridum non habebis consortium, neque cum eis in sepultura.

Omnes Reges gentium &c.) Est alia antithesis, sed obscura, in qua interpretanda omnes vtuntur fabula Iudæorum huiusmodi. Euilmerodach qui patre suo Nabugodonosor viuente per septem annos inter bestias antè regnauerat, postquam ille restitutus est in regnum vsque ad mortem patris, cum Ioachim Rege Iudæ in vinculis fuit, quo mortuo cùm rursus in regnum succederet, & non susciperetur à principibus, qui metuebant ne viueret, qui dicebatur extinctus. Quare filius vt fidem patris mortui faceret, aperuit sepulchrum, & cadauer eius vnco funibusque extraxit. Sensus itaque est: Reliquis regibus sepulchrum contigit gloriosum, & honorificè sepulti sunt, quisq; in sepulchro suo (hoc est quod dicit, vir in domo sua, nam vir apud Hebræos est nomen distributiuum) tu autem proiectus es de sepulchro tuo, vnco extractus, inhumatusque relictus quasi stirps inutilis. Sic itaque propriè loquutus est propheta, tale aliquid accidit Nabugodonosor, quale habent Iudæi: Si autem figuratus est sermo, longe certè petitus est. Si verò figuratè hîc dicitur, quod apud Danielem simpliciter effertur, tunc sensus erit iste: Credebas Nabugodonosor te placida morte moriturum, & subiectis omnibus tranquillitate perfruiturum, sed hæc felicitas non continget tibi, viuus adhuc proijcieris à tuis, quod contigit illi propter melancholiam in quam incidit. Daniel 4.

Quæ si stirps inutilis.) Metaphora desumpta est à vinitoribus, qui stirpes inutiles abijciunt. *Pollutus & obuolutus*) scilicet sanie aut sanguine ad instar eorum, qui confossi sunt gladio. Et pro eo quod nos habemus, obuolutus & pollutus, in Hebræo ad verbũ est, Vt vestimentum occisorum, qui confossi sunt gladio: Vnde certum est Hieronymum aliud exemplar habuisse, quàm nos hodie habemus. *Et descenderunt in profundum laci*) Id est, sepulchri vel inferni.

Quasi cadauer putredini &c) id est, non continget tibi sepultura, quæ multis regibus te inferioribus cõtigit. Illud (neq;) quod noster textus habet, non est in Hebræo, & omnino superfluum esse videtur, Hiero. tamen legit, vt patet ex libr. 6. commentar. si omitta tur, multo clarior erit sensus.

Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum eorum. Non consurgent nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus. Et ponam eam in possessionem ericij, & in paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.

Tu enim terram tuam disperdidisti) Difficultas est, quomodo Nabugodonosor terram suã disperdidit, & respondet Hiero. quòd merito superbiæ suæ disperdidit. Habet enim hoc modo: Antiquum Assyriorum regnum te multũ superbiente & contra Deum eleuante ceruicem tuam, omnino destructũ est: Si enim humiliter egisses, & sciuisses mensuram tuã, Assyrius & Babylonius hucusque regnarent. Septuaginta verò non videntes quomodo disperdidit terram suam, & populum suum occidit, verterunt. Terram meam & populum meum. Secundum quos, sensus erit clarior: Terram enim Iudæam, & populum Dei Israel Nabugodonosor interfecit & perdidit.

Non vocabitur in æternum &c.) Septuag. istud, Semen pessimorum, legunt vt sit vocatiui

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocatiui casus,& finiatur ibi periodus, Non vocabitur in æternum, & Semen pessimorum, iungatur cum sequentibus, videlicet, Præparate filios eius occisioni &c. Sensus est: Terra tua non versabitur amplius in ore hominum, neq; populus tuus: putabas famam nominis tui fore immortalem, sed nõ erit immortalis. Si hoc modo legamus cum Septuag. difficile erit inuenire quis sit sensus sequentis periodi, nempe, Semen pessimorum, vel præparate filios &c. Quare Hieron. magis placet, vt, Semen pessimorum sit nominatiui casus, & suppositum verbi vocabitur, & sensus clarior est. Omnes enim historiæ in hoc consentiunt, quòd ocioso Balthasar nepote Nabugodonosor, & succedente Dario in regnũ Chaldæorum, nullus de stirpe Nabugodonosor deinceps regnauerit. Hęc ergo scriptura prædicit, quod Babylon in tantam veniet vastitatem, vt etiam de semine regio nullus remanebit superstes, sed propter impietatem ad vnum omnes peribunt.

Neq; implebunt &c.) Orbem ciuitatũ vocat propheta ditionem ciuitatibus plenam. Sensus est: Terra vestra Babylon, in qua plurimæ sunt ciuitates, manebit deserta, & non habitabitur à semine tuo Nabugodonosor. Quod autem Hiero. transtulit, Non implebunt faciem orbis ciuitatũ, in Hebræo pro ciuitatibus scriptum est verbum עים arim quod vertere possimus, & aduersarios: Est enim vox ambigua, significans vel ciuitates, vel hostes. Et in posteriori significatione accepit Pag. qui hoc modo vertit, Neq; implebunt faciem orbis inimicis, & sensus est: Nullus ex semine tuo, qui cupiat reparare regnum, aduersarius suscitabitur.

Et consurgam super eos dicit Dominus) Notandũ quod quoties loquitur scriptura de interitu Iudęorum, semper seruat reliquias, hîc verò non seruantur illæ reliquię. *Perdam Babylonis nomen*) Id est, ego efficiam, vt Babylon non vocetur post hac regina regnorum. Per germen autẽ significat filium proximum Nabugodonosor, per progeniem verò nepotem. *Et ponam eam &c.*) Per ericium seu erinaceum (quod animal sic dicitur, quia spinis horret) omnes ferè bestię per synecdochen intelliguntur. Sensus est: Efficiam vt Babylon posthac sit habitatio omnis generis ferarum. *Et scopabo eam &c.*) Latini istud prouerbio efferunt, dicentes: Vel cum puluisculo, scilicet auferam, quo vtimur quoties omnia sic tollũtur, vt nihil maneat reliqui. Sensus est: Non relinquam in Babylone vel puluisculum intactũ, sed omnia penitus euertam.

Iurauit Dominus exercituum dicens: Si non vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis iugũ eius, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc consilium quod cogitauit super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas gentes. Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis auertet eam?

Iurauit Dominus exercituum &c.) Hic finit prophetiam de Babylone, & quia post annos plurimos Babylon prius destruenda erat, idcirco vt fidem faciat Iudæis, aliud adiungit, quod mox erat euenturum, nempe de interitu exercitus Sennacherib. Dicit ergo: sicut statui mox euertere Sennacherib cum exercitu suo: ita euertã & Nabugodonosor cum populo suo: cùm ergo videritis illud fieri, certò credite & hoc euenturum. Loquitur autem propheta de Deo hominũ more, qui ad confirmandam veritatem iramentum adducunt. Et iuramentum huius est execratorium, subticetur enim perapposiopesin, desperem, vel nõ sim Deus, aut simile aliquid. Sensus iste est: Si non, quemadmodum statui, deleuero exercitum Sennacherib in terra Iudæa, quæ montosa est & cultui meo deputata, nõ habear à vobis Deus. *Et auferetur ab eis*) scilicet Hierosolymitanis iugũ seruitutis, & onus Sennacherib, id est, pondus afflictionis. Historia hæc habetur 4. Regum 18. & sequenti.

Hoc consiliũ quod cogitauit &c.) Hoc quod dicit, Super omnem terram, quosdam inuitat ad transitum, & arbitrantur generalem esse contra totum orbem prophetiam, sed ex interpretatione Hiero. discimus, id non esse necesse. Quare hic omnem terram illius regionis intelligemus, de qua hîc propria sermo est, omnem videlicet terram Assyriorum, & vniuersas gentes eis confœderatas. *Dominus exercituum decreuit*) scilicet internecione delere exercitum Sennacherib.

Et quis poterit infirmare) id est, quis poterit Dei decretum soluere aut irritum facere? *Et manus eius extenta*) id est, ad percutiendũ parata est. *Et quis auertet eam?*) scilicet ne percutiat. Significat propheta quod quicquid à Domino decretum est semel, nullius virtute prohiberi posse.

In anno quo mortuus est Rex Achaz, factum est onus istud. Ne læteris Philistæa, omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem. Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent, & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.

In anno quo mortuus est rex Achaz &c.) Sub quatuor Regibus, nempe Ozia, Ioathan, Achaz, & Ezechia prophetasse Esaiam in titulo huius libri demonstratum est. Et quæ primis quinq; capitibus scribũtur, prophetauit sub Ozia: quæ sexto capite, sub Ioathã: quæ septimo & sequentibus vsq; ad præsentem locum, sub Achaz: Quæ verò ab hoc loco ad finem vsq; libri, sub Ezechia vaticinatus est, & nihil ad præcedentia pertinent, sed ex decem gentium oneribus secundum est, vtpote Palæstinorum siue Philistinorũ. Pro Palæstinis Septuaginta semper verterũt alienigenas, quod mirandum est, cùm alienigenæ nomen sit generale pertinens ad omnes gentes exteras. Est autem Palæstina pars Syriæ eius quæ circa Euphratem est celeberrima, & regionibus Iudææ coniunctissima, ita vt videatur vna regio Palæstina & terra duodecim tribuum.

Ne læteris omnis tu) Si propheta simpliciter dixisset, ne læteris Philistæa siue Palæstina, quia percussus est Achaz vel Ozias, clarus fuisset sermo: nunc autem quia figuratè locutus est, dicens, Quoniã comminuta est virga percussoris tui, Alij Achaz intelligũt, vt Hieron. Haymo & Thomas, alij Oziam siue totum regnum Israeliticum: Verùm de Achaz difficile est ostendere, quomodo percussor fuerit Palæstinæ, cùm neque in libris Regum, neq; Paralyp. huiusmodi quid legatur, imò à Palæstinis ipsum percussum esse constat. Quare probabiliter æstimare videntur ij, qui per virgam percussoris Oziam significari volunt, de quo legimus 2. Paralyp. quod Palæstinos percusserit. Sensus itaque est: Ne læteris vsq; adeò Philistæa defuncto Ozia, qui vobis videtur fuisse coluber, id est, asper & crudelis, quia exurget alius illi similis, imò illum in malitia & crudelitate multum superans, nempe Ezechias, qui per regulum intelligitur. Facit itaq; Oziam cora Hebræis gratiosa est, sumpta tamẽ à re nõ gratiosa. Sic Gene. 49. Fiat Dan coluber in via &c. & significatur fortitudo contra hostes. Sicut ergo regulus, qui alio nomine Basiliscus dicitur, in nocẽdo superat colubrũ, nõ enim solo morsu, sed & visu afflatuq; interficit: Sic defuncto Ozia exurget alius illo multis modis nocentior, nempe Ezechias qui ipsi in affligendo vix erit comparandus. 2. Paral. 26.

Et semen eius absorbens volucrem) id est, Quemadmodũ nulla auis potest reguli conspectum illæsa transire, sed quamuis procul sit eius ore sorbetur: Ita & vos Philistæi ad conspectum regis Ezechiæ omnes peribitis. Pulchrè seruat metaphoram, quia illum regulum & hunc colubrum nominarat, ore eius & spiritu dicit volucres deuorandos, per quos Philistæos superbos intelligit.

Et pascentur primogeniti pauperum) Primogenitus in scriptura dicitur ille, non solùm qui primo loco natus est, sed & is qui nobis maximè curæ est, & quem præ cæteris amamus. Sic Exodi, Filius meus primogenitus Israel, id est, quẽ pro charissimo habeo. Sic Hieremiæ, Ephraim primogenitus meus est, id est, charissimus & in delitijs habitus. Item Genesis, Miserere plebi tuæ, super quam inuocatum est nomen tuum, & Israel quem coæquasti primogenito tuo. Iob mortem primogenitam dicit, pro morte acerbissima, & quæ reliquas excedit. Hoc sensu dictum est & illud: Ego primogenitum ponam illum, quod ipsemet Dauid interpretans ait, excelsum præ regibus terræ. Et illud Deuteron. Primogeniti tauri, id est, præstantissimi. Apud Paulum ad Colossenses, & Iannem in Apocalypsi Christus dicitur primogenitus mortuorũ, quasi in hoc rerum miraculo primas tenens. Quo sensu & illa accipienda sunt, Primogenitus in multis fratribus, & primogenitus omnis creaturæ: Sic hoc loco primogeniti pauperum illi dicuntur, qui non in diuitijs & potentia, sed in vno Domino confidunt. Sensus itaq; est: Populus Christianus humilis & verè pauper, id est, qui in vno Domino fiduciã habet, suauiter pascetur in Ecclesia. Qui literam seruant, hoc modo interpretantur: Dum Palæstini ista patientur, Iudæi secura pace requiescent, & suppetet illis omnium rerum copia, & abundè pascentur. Verùm quia non legimus istud accidisse sub Ezechia, verisimilior est prior interpretatio, quæ hæc ad Christum refert, quod & Iudæi faciunt. *Quis dicatur primogenitus in scriptura.* Exod. 4. Hierem. 31. Genes. 36. Iob 18. Psal. 88. Deut. 33. Coloss. 1. Apoc. 1.

Et interire faciam &c.) Per figuras loquitur, sed istud vult dicere, quòd populo Dei fiducialiter agente & in multa pace requiescente, radix, id est, virtus Philistæi siccetur, & omnes reliquiæ consumentur.

Vlula porta, clama ciuitas, prostrata es Philistæa omnis. Ab aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiat agmen eius. Et quid respondebitur nunciis gentis? Quia Dominus fundauit Sion, & in ipsa sperabunt pauperes populi eius.

Vlula porta) In nomine porta notatio est, Id est, vos primores ciuitatis, qui præestis iudicijs, quæ olim in portis exercebantur, vlulate, clama ciuitas, id est, vos plebei & reliquum sine nomine vulgus clamate. *Ab Aquilone enim fumus veniet*) Philistæa ab Aquilone habet Hierusalem & hinc quod dicit, Ab aquilone, idem est ac si dixisset: Ab Hierusalem veniet Rex Ezechias, qui hoc vobis erit, quod fumus est oculis, hoc est, vexabit vos & erit vobis multũ molestus & nocens.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et quid respondebitur nuncijs Gentis?) hoc est, Ethnicorum nuncijs de statibus Palestinorum & Iudæorum interrogantibus? Vtri sint potiores: Iudæine an Palestini? quibus respondebitur quod sequitur: *Quia Dominus fundauit Sion &c.*) Istud ad literam non videtur posse intelligi de isto tempore, sed spiritualiter impletur hodie in Ecclesia, quã Christus fundauit super firmam petram, & propterea inuicta perstat, quantumuis ab omni parte concutiatur.

CAPVT XV.



ONus Moab. Quia nocte vasta ta est Ar, Moab cõticuit, quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit. Ascẽdit domus, & Dibon, ad excelsa in planctũ super Nabo, & super Medaba, Moab vlulabit. In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.

Hie. 48. f Ezech. 7. c

Onus Moabitarum.

ONus Moab) In precedentibus capitibus multa sunt, de quibus cõtrouersia est, an secundum literam de re præsenti interpretari oporteat, an secundum spiritum de regno Christi: In hoc verò capite nihil prorsus controuersiæ est, sed omnia ad literã interpretari licet. Quo autem consilio prophetа ista adiũxerit, quæ ad alienigenas pertinent, & non solùm de Iudæis prophetiam suam scribit, dictum est capite 13. vbi etiam quid illa vox onus significet inter cętera explicatum est. Moabitæ autem, quorum vastitatem hîc prædicit, vt ex Genesi discimus, à Moab filio Lot ex maiori filia nomen habent. Ditio eorum est in Arabia Petræa: ad mare mortuum, proximi sunt tribui Gad, gens opulenta, vt patet ex Hieremia, & maximè infesta Iudæis populo Dei: Quare & ipse Deus semper maximè infestus fuit ipsis. In scripturis enim varia & multa extant iudicia odij Dei in Moabitas, apud omnes ferè prophetas, ita vt Deus in ipsis videtur ostendisse typum aliquem hominibus, quibus irascitur. Horum Metropolis erat Ar, quæ hodie ex Hebræo & Græco sermone composita dicitur Areopolis, non vt pleriq; existimant quod ἄρεος, id est, Martis ciuitas sit. Quemadmodum autem quinquagesimum & quinquagesimum primum caput Hieremiæ, eiusdem sunt argumenti cum 13. & 14. Esaiæ, & illorum velut commentarij: Ita 48. Hieremiæ, eiusdem est argumenti cum isto & sequenti Esaiæ, & multo apertius explicat, quare diligenter legendum est.

Moabitæ vnde dicti. Gene. 19. c

Ieremi. 48.

Quia nocte vastata est Ar) Addit prophetа (nocte) vt faciat vastationem magis horribilem. *Moab conticuit*) id est, populus Moabitarum siluit, non audens rebellare. *Ascendit domus*) Per partes explicat, quod in genere dixerat, & est duplex lectio hoc loco. Hieronymus domũ, quæ Hebraicè dicitur בית baijt intelligit vt sit nomẽ appellatiuæ qualitatis, & interpretatur de domo regia. Alij volunt esse nomen propriæ qualitatis videlicet viri aut vrbis, sicut Dibon, & legunt hoc modo: Ascendit Baith & Dybon ad excelsa. Verùm in Hebræo præponitur ei ה he litera notificationis, quæ nominibus propriæ qualitatis non ita adiungi solet. Quare prior lectio videtur magis amplectenda. Per hoc autem quod dicit, Ad excelsa, templa significat in montibus extructa. Ad ea enim ascendebant metu hostium, ascendebãt inquam plangentes vel ad plangendũ, vt deos sibi propitios & auxiliantes haberent.

Super Nabo &c.) Nabo & Medaba ciuitates nobiles sunt in Moab, de quarum euersione tota prouincia Moab vlulabat. Vel intelligi potest, quod in Nabo & in Medaba Moab vlulabit, vt propheta hîc idem dicat quod antè: Ascendit ad excelsa in planctu. In Nabo enim, erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine Beelphegor appellatur. *In cunctis capitibus &c.*) Apud antiquos barbæ capitisq; rasura luctus indicium erat: Per hæc ergo quæ hîc dicuntur, luctus & mœroris magnitudo significatur.

IN triuijs eius accincti sunt sacco, super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum. Clamabit Hesebon, & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum. Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.

IN triuijs) *id est, in publicis locis accincti sunt sacco, Super tecta eius*) Hoc loco est duplex lectio: Quædam enim exemplaria habent hoc modo: Super tecta & in plateis eius omnis vlulatus &c. Exponunt autem commentarij hoc modo: Omne plangendi genus audietur in Moab, tam super tecta quæ ascenderunt, vt inde hostes conspiciant, quàm in plateis per quas fugient cõspectis hostibus. Nonnulla exemplaria hoc modo legunt: Super tecta eius & in plateis eius omnis vlulatus, Et hoc modo est in Hebræo, & sic legit Hieron. 6. lib. comment. & in 5. lib. exponit, cuius verba sunt ista: Non erunt priuatæ lachrymæ: publicum luctum, publica lamenta resonabunt: nec matronæ, nec virgines, nec ætas parua puerorum, nec fracti senum gressus tenebuntur domibus, pudorem & imbecillitatem captiuitas extrema nescit. Familiare siquidem est Hebræis, quoties simpliciter omnes sine exceptione significare volunt, vt dicãt sine adiuncto singulariter omnis.

Descendet in fletum) Sensus potest esse iste quod ascendent quidẽ excelsa ad plangendum, dum, sed postquam ibi non inuenerint auxilium, descendent iterum in terram & ibi plorabunt. Vel hic est sensus, quod à lætitia descendent in fletum.

Esebon. Eleale. Iasa.

Clamauit Esebon &c.) Esebon & Eleale nomina sunt ciuitatum Moabiticæ prouinciæ, quemadmodum & Iasa, quod oppidũ mari mortuo imminet, vbi est, & terminus prouinciæ Moab. vult ergo significare propheta, quòd non solùm in hac aut illa parte, sed vsque ad extremos prouinciæ terminos vlulatus & fletus resonabunt. *Super hoc expediti &c.*) Vox Hebræa חלצי halutse armatos significat, in qua significatione plus quàm sexies ponitur Nu. 32. Sensus itaque est: Non solùm plebei & homines imbelles, sed ipsi quoque milites armis accincti eiulabunt, non fictè & ad ostentationem, sed reuera & quisque in sinu suo vlulabit, atque hoc est quod dicit, Anima eius vlulabit sua sibi.

COr meum ad Moab clamabit, vectes eius vsque ad Segor, vitulam conternantem. Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Horonaim clamorem contritionis leuabunt. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt.

Segor.

COr meum ad Moab clamabit) Loquitur istud propheta compatiẽtis affectu, hoc sensu: Reuera & ex animo doleo vices eorũ, quamuis hostes sint, tanta est illorum calamitas. *Vectes eius &c.*) Intelligenda est hîc coniunctio causalis (quia) vel (propterea, quòd) aut simile aliquid. Nam istud causa est, quare vel etiã hostis condolere queat. Per vectes Hiero. metaphoricè intelligit robur, hoc sensu: Doleo vices eorũ, quia robur totius regni vsq; ad extremos terminos cesit. Nam Segor (quæ erat vna ex quinque ciuitatibus quas delere statuerat Dominus) sita erat in finibus Moabitarum, diuidens ab eis terram Philistijm. Quod sequitur, Vitulam conternantem, per appositionem additur, hoc sensu: Vectes eius vsque ad Segor, quæ est vitula conternans. Et conternantẽ dixit Hier. pro trienni, non Latinè sed more Hebræorum, pro quo nonnulla exemplaria habent consternantem, sed deprauatè, quod patet ex comment. Hieron. & ex Græcis Hebraïsque exemplaribus. Nam græcè est τριετέρουσαν quasi dicas triennizantem, id est, accedentem ad trimatum. Hac autem ætate vituli robustissimi sunt & petulantissimi sicut & homo ætatis suæ anno 20. Atque ita obiter propheta notat ciuitatem Segor, quæ prius paruula erat & modica, tempore suo factam validam & potentem, & ad modum vituli triennis lasciuam. De Segor vide Hiero. 3. lib. Hebr. quæst. De metaphora vectis plenius dicetur cap. 27.

Per ascensum enim &c.) Sensus est: Per clinum itineris quod ducit ad Assyrios, populus Moabitarum flens ascendet: & significatur captiuitas. *Et in via &c.*) Non est hîc mentio de contritione, quam assumunt pœnitentes, sed clamorem contritionis vocat, qualis est illius, qui simpliciter dolet ruina oppressus, qui vtique miserabilis est: Hoc enim propriè significat conteri. Sensus est: In via Oronayn, per quam ducẽtur captiui, miserabiles edent voces, & in altum extollent clamores. Luith autem & Oronayn nomina sunt ciuitatum vel locorum in Moab, quæ deserunt transmigrantes.

Luith. Oronayn.

Aquæ enim Nemrim) Nemrim oppidũ est super mare mortuum situm, per quod significare voluit propheta, non tam ipsas aquas Nemrim, quàm totius ciuitatis statum, sicut supra dictum est de aquis Syloe. Sensus itaque est: Tota respublica ciuitas Nemrim turbabitur penitus, atque deserta erit: *Quia aruit herba &c.*) Quod in genere dixerat, explicat per partes, & nihil aliud his significat quàm totam ciuitatem, imò vniuersam regionem penitus deuastandam. Significatur ergo hoc loco maxima vastitas.

Nemrim.

SEcundum magnitudinem operis, et visitatio eorum, Ad torrentem salicum ducent eos, quoniam circumibit clamor terminum Moab. Vsque ad Gallim vlulatus eius, & vsque ad puteum Elim clamor eius, quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Ponam enim super Dibon additamenta, his qui fugerint de Moab leonem, & reliquijs terræ.

SEcundum magnitudinem operis &c.) Visitatio non pro remedio sed pro plaga ponitur, hoc sensu: Quantum fuit peccatum eorum, tanta erit & plaga: quanta fuerit superbia, tanta erit & vastitas. *Ad torrentem salicũ ducent eos*) scilicet captiuos: Et torrentem salicum quidam volunt esse periphrasin vallis Arabiæ, per quam pergitur ad Assyrios: Alij putant esse periphasin fluminũ Babyloniæ, de quib⁹ psal. Supra flumina Babylonis &c. *Quoniam circuibit clamor &c.*) Id est, quaqua versus patet regio Moab circuibit clamor, id est, nulla regni pars immunis erit à calamitate. *Vsque ad Gallim &c.*) Gallim & Helim vrbes sunt in finibus Moab, & indicat apprehenta quòd vsque ad vltimos terræ fines protendetur clamor eorũ & vlulat⁹. *Quia aquæ Dybõ etc.*) Vox Hebræa כי quam noster interpretit (quia) multa significat: & hoc loco sumi videtur nõ vt sit causalis sed, vt idẽ valeat quod immo vel etiam. Sensus est: Calamitas hæc non solùm pertinebit ad populum Moab, sed protendetur vlterius per omnes populos vsq; ad aquas Dybon, vbi tot occidẽtur, vt & ipsa flumina inundabũt sanguine.

Psal. 136. a

Gallim. Helim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et notandum quòd hoc loco duplex est lectio: Quædam enim exemplaria habent Dibon, quædam verò Dimon, neque putandum est mendum esse. nã vna & eadem vrbs per b & m literam scribitur: & apud Hebræos in principio huius capitis est Dibon, hoc verò loco Dimon.

Ponam enim super Dimon additamenta) Id est, Plagam adijciam, plagæ: reliquas ciuitates semel, hanc dupliciter vastabo. Et quod sequitur (*leonem*) per appositionẽ construendum est, hoc modo: ponam additamenta leonem, & leonem intellige proprij nominis. Sensus est: Posteaquam euertero istam ciuitatem, non satis mihi erit, sed addam leones animalia ferocissima, vt qui fuga elapsi fuerint, ab ijs consumentur. Vel leonem intellige per metaphoram, sæuum & crudelem militem, qui ponetur in insidijs, vt si qui effugerint, per illum interimantur.

CAPVT XVI.



Mitte agnum Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. Et erit sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.

E*Mitte agnum Domine &c.*) In præcedenti capite, quemadmodum diximus, omnia ad literam interpretari licet: in hoc verò duo sunt loca, de quibus est controuersia, an liceat seruare literam nec ne, quorũ prior est iste: Emitte agnum &c. Et putat Hier. nõ nisi de Christo posse intelligi, cuius verba sunt hæc: Quod interpretamur non historia est, sed prophetia. Omnis autem prophetia ænigmatibus & præcisis sententijs inuoluitur, dum de alio loquitur, transit ad aliud, ne si ordinem scriptura seruet, non sit vaticinium. Et est sensus: O Moab in quem desęuiturus est leo, & de quo ne reliquiæ quidem saluari poterunt, habeto solatium hoc: egredietur de te agnus immaculatus qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum: Sic Her. quod in ipso mirandum est, cùm in his decem oneribus non ferat commentarios, qui absque vrgente necessitate, à litera discedant, sicut cap. 13. annotatum est. Rabbi Salomon qui scripsit post tempora Hiero. cuius sententiam refert Lyra, ab historia narrari incepta non discedit, & secundum illum hoc loco Sarcasmus est, qualem annotauimus in capite 8. ibi, Congregamini populi & vincemini.

Particula hæc (*Domine*) nõ habetur in Hebręo, neque in exemplaribus quibusdam Latinis, neque eam habet Hiero. in comment. quare superflua videtur. *Dominatorem*) In Hebræo potest esse genitiui casus, & sic vertit Pag. Italus: Emitte agnum dominatoris: Potest etiam esse datiui casus, quomodo vertit hæreticus quidam Germanus. Potest esse & accusatiui casus, & sic vertit Hier. Postremo poest esse & vocatiui casus, & hoc modo vertit alius quidam hæreticus Germanus. Omnia admittit sermo Hebræus.

Ex cap. 3. quarti libri regum discimus Moabitas tributarios fuisse, & venisse in eam seruitutem, vt soluerent Regi Israel quotannis cẽtum milia agnorum: Mortuo verò Achab, fœdus hoc, quod cum Rege Israel habebant, præuaricati sunt, & tributum negauerunt. Putat ergo Rabbi Salomon, quod propheta per amarulentam irrisionem, seruitutẽ hanc exprobret Moabitis, & sensum huius versus istum esse: Vos Moabitæ hactenus negastis Regi Israel antiquum tributũ, propterea quòd decem tribus desierint vobis esse formidabiles, futurum est, vt iterum incipiãt esse formidabiles, & cogemini principes Israel denuo agnoscere, & antiquum tributum soluere.

Agnũ) Enallage numeri est, pro agnis. *Dominatorem*) Exponunt Hebræi dominatorẽ, id est (secundum Rabbi Salomon) Regi Israel, secundum alios, Regi Iuda. Nam vt dicunt subiugatis per Salmanasar decem tribubus. tributum hoc pendebant regi Iuda.

De petra deserti) Secundũ quosdã periphrasis est totius regionis Moabiticæ, quæ est in Arabia Petræa: Secundũ alios verò, certæ alicuius ciuitatis, quam quia nominare nequeunt, prior expositio verisimilior videtur. Et est periphrasis valde accommoda, eo quòd tota illa regio petrosa sit, & ꝓpter rupes eũ deserta. Secundum quos ergo sensus iste est: Vos Moabitæ mittite dominatori terræ Regi Ezechiæ ex regione vestra agnos tributarios. Hier. qui de Christo interpretatur, Petrã deserti, periphrasin esse dicit Ruth Moabitidis, quæ marito spoliata de Booz genuit Obeth, & de Obeth Iesse, & de Iesse Dauid, & de Dauid Christũ: Quã petram desertã dicivoluit, quia gẽtilis erat, & à cultu veri Dei deserta atq; aliena. Hugo Cardinalis qui & ipse mysteriũ cognouit, periphrasin esse dicit virginis Mariæ, quã ob aliã causam petrã deserti appellari dicit, nimirũ quòd verè desertus id est, õni humano auxilio destituta ad tutũ eã habeat refugiũ. Lyra putat esse periphrasin certæ ciuitatis, vnde Ruth oriunda erat.

Ad montem filiæ Sion) Secũdum Hier. periphrasis est Ierusalẽ, quæ super montem Sion fundata ex eo veluti nasci videbatur, vnde & filia eius appellatur. Secundũ Lyrã verò, qui refert sententiã Rabbi Solomonis, periphrasis est Samariæ, quæ erat Metropolis regni

gni Israel: & mós dicitur, quia erat ędificata super montẽ Somer, vnde & nomẽ habet, vt Samaria dicatur, quẽadmodũ scribitur 3. Regum cap. 16. Hactenus de primo versiculo, & cùm absq; vrgente necessitate nõ sit discedũm à litera, expositio Rabbi Salomonis nõ minùs, ꝓbabilis videtur quàm Hieron. Et quòd Thom. dicit eam extortã esse, nunquam puto dixisset, si vidisset Esaiam Hebraicè scriptum, sed extorta est, si spectemus nostrum textum, & exponam⁹ quemadmodum Hug. Card. exponit, videlicet hoc modo: Emitte agnum dominatorem terræ, id est (vt ipse ait secũdum phrasim Hebræam) ad dominatorem terræ: vel, emitte agnum dominatorẽ terræ, id est, agnum qui est iudicium dominij terræ, quod Iudæi habent in Moabitas.

Et erit sicut auis fugiens &c.) Secundum Hieron. redit propheta ad ordinem historiæ, & per filios Moab, villæ & vrbes Moab intelliguntur, & deinde per vrbes, vicos, & villas, metonomicẽs earum inhabitatores: de qua phrasi dictum est cap. 3. ibi: Eo quòd eleuatæ sunt filiæ Syon &c. Possimus etiam dicere, quòd filias Moab posuerit pro ipsis Moabitis, eo modo loquẽdi, quo Græci dicunt: Filij medicorum pro ipsis medicis: de qua phrasi etiã dictũ est cap. 5. ibi: Vinea facta est dilecto meo &c. Dixit autem in fœminino genere filias, & nõ filios, vt notaret eos timiditatis. Arnon fluuius est, qui terminat Amorræos & Moabitas. Per hoc autẽ quod dicit, In transcensu Arnon, captiuitatem significat, hoc sensu: Vos Moabitæ captiui ducemini trans fluuium Arnon in Babylonem & exteras nationes, nec hoc vobis dabitur, vt vsq; vna viuatis, sed per varia loca dispergemini, non secus quàm pulli auium de nido auolantes dispergũtur. Significatur itaque hoc versu captiuitas, transmigratio & dispersio Moabitarum.

Arnon.

Ini consilium, coge consilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie. Absconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris.

I*Ni consilium &c.*) Putant quidam esse ironiam. Sensus est: Maturè delibera, quomodo extricabis te à malis imminentibus. Alij simpliciter accipiunt vt vox sit prophetæ sãnum dantis consilium, quo se possunt liberare, atque hæc mala euadere: Sic Hiero. quẽ ferè omnes sequũtur: Vis inquit saluus esse, & misericordiam Dei promereri, fac misericordiã cum populo. *Pone quasi noctem &c.*) Scriptura quoties significare vult medium diei æstum, aut mediam molestiã, quam patimur in medijs malis constituti, quæ nec euadere nec declinare possimus, dicit meridiem. Sensus itaque est: Cùm videris Israhelitas clade aliqua affectos aut multis malis defatigatos ad te confugere, suscipe eos, prębe eis tecta, & defende illos, atque hoc est quod ait, pone vmbram tuam in meridiei quòd autẽ addit, quasi noctem, idem valet ac si dicat, vmbram dẽsissimam, hoc est, susceptio tua atque defensio sit copiosa ac liberalis. Hieron. aliter exponit, hoc modo: In meridie, id est, clara luce & in aperta fuga populi mei, tu quasi nox & vmbra esto. Et exponens propheta quod obscurius dixerat, subijcit: *Absconde fugientes, & vagos ne prodas: habitabunt*) id est, habitent apud te profugi mei, scilicet populus Israel. Futurũ enim tempus apud Hebræos nonnihil potentialitatis habet.

Finitus est enim puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram. Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super eum in veritate in tabernaculo Dauid iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. Hier. 48. v.

F*Initus est puluis*) Scriptura cùm significare vult ingentem militum vel etiam aliarum rerum multitudinem, vtitur nomine puluis. Iubet itaque propheta Moabitas securos esse, & sine metu suscipere filios Israel ad se confugientes, nec eis quicquam mali ob eam causam metuendum quia finitus est puluis, id est, Futurũ est, vt exercit⁹ Sẽnacherib, qui tanquam puluis terræ innumerabilis est, citò consumatur. Quæ historia describitur 4. Reg. cap. 19. *Quid nomine puluis in scriptura significetur.*

Consummatus est miser) Miserum intelligit Sennacherib, qui miser dicitur eo modo loquendi, quo apud Horatium mors dicitur pallida, quia videlicet pallidos facit. Et vox Hebræa שׁוֹד schod quæ hoc loco ponitur, inimicum significat, hostem & vastatorem.

Et præparabitur &c.) Videtur hoc loco esse transitus ad regnum Christi, & de eo expositores Latini ferè interpretantur: Et licet multa similia scripturæ loca ad transitum inuitent, Hebræi tamen seruant contextum literæ, & seruandus est quando salua fide licet: Sensus est: Quanuis vobis Moabitis videatur ciuitas Hierusalem tam penitùs desperata, & non dubitatis quidem quin eam euersurus sit Sennacherib, minimè tamen euertet, sed vetus solium regni Iuda præparabitur & corroborabitur in misericordia: Mirabili enim Dei misericordia, cæteris Iudææ vrbibus euersis, Hierusalem liberata est.

Et sedebit super eum) Sensus est: Fugato Assyrio Ezechias regnabit super Iudam, & retinebit solium Dauid, & subiectum sibi populũ iudicabit in veritate, id est, in iudicio non accipiet personam, neque secundum faciẽ iudicabit, sed ex æquitate. Veritas hoc lo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

co opponitur acceptioni personarũ. *Dauid*) Memoria Dauid quia Iudæis grata erat, sancta & iucunda, propterea eam hoc loco inserit propheta. *Quærens iudicium*) Sẽsus est: Studiose dabit operam iuri, vt iustè & ex æquitate iudicet. *Velociter reddens quod iustum est*) Id est, In iudicijs dicendis non erit procrastinator, neque in longũ differet, sed sine mora iudicabit, & suum curabit cuique reddi.

AVdiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius & arrogantia eius, et indignatio eius, plus quam fortitudo eius. Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulabit. His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas, quoniam suburbana Hesebon deserta sunt. Et vineam Sabama Domini Hier. 48. c. *gẽtium exciderunt. Flagella eius vsque ad Iazer peruenerunt, errauerunt in deserto, propagines eius relictæ sunt, transierunt mare.*

AVdiuimus superbiam Moab &c.) Moabitæ quia sanum consilium prophetæ de profugis Israel susciptendis contemnebant, confidentes in munitionibus suis: idcirco reuertitur propheta ad id quod cœperat, & prædicit mala super eos ventura: *Idcirco*) id propter hanc superbiam. *Vlulabit Moab ad Moab*) id est, alter ad alterũ, populus vnius ciuitatis ad populum alterius ciuitatis *Vniuersus vlulabit*) id est, nemo immunis erit à lamentatione propter mala infligenda. Hoc obseruandum est, quòd superbiam sequitur comminatio.

His qui lætantur &c.) Commemorat propheta muros cocti lateris tanquam inusitatum, quemadmodum Hieremias & alij prophetæ, atque his freti Moabitæ superbiebãt. Sensus est: Annũciate Moabitis calamitates imminentes, & dicite eis, quòd muri illi ex coctis lateribus exstructi in quibus iam gloriantur & omnem salutis spem collocant, nihil ipsis proderunt. Suburbana dicuntur vici & villæ ciuitatibus adhærentes. Hesebon autem & Sabama ciuitates propinquæ sunt, & inter eas ait Hier. vix quingenti sunt passus. Illa inquit suburbana & ciuitates à suis habitatorib⁹ deserta sunt. In voce (vinea) metaphora est: sumitur enim pro toto terræ tractu, qui est in agris arandis. Sensus est: Senna cherib & qui cum eo venerunt principes exciderũt omnes agros fructiferos. Vel in eadẽ voce potest esse synecdoche, vt in vinea intelligantur omnia alia excisa.

Iazer. *Flagella eius vsque ad Iaser*) Iazer est vrbs quam extruxerunt filij Gad in nouissimo fine Moabitarum. Flagella vineæ sunt instrumenta seu clauiculi, quibus vitis se retinet ne cadat: Hoc autem loco per flagella, propagines vitis intelliguntur, & est huius loci duplex expositio. Hiero. autem allegoricè significari putat fugam & captiuitatem populi. Per flagella enim seu vitis propagines intelligit populum Sabama, & per hoc quod dicitur, Vsque ad Iaser peruenerunt & errauerunt, fugam significari arbitratur: captiuitatem verò cùm dicitur, Transierunt mare, id est, flumen Euphratem, per quod ducti sunt captiui in Babylonem. Alij verò putant per hæc aliquid lęti significari, & alludi ad vineam latissimè se spargentem & luxuriantem, & per multas ambages nexusque longè lateque errantem, quod agricolis gratissimum est. Atque secundum hos sensus est: Ciuitas Sabama aliquando potens fuit & opulenta, sed iã derelinquetur. Verùm expositio Hiero. probabilior videtur: non enim sic luxuriari solent vites, vt vltra mare propagines eius sese extenderent.

SVper hoc plorabo in fletu Iazer, & vineam Sabama, Inebriabo te lachryma mea Hesebon, et Eleale quoniam super vindemiam tuam, et super meßem tuam, vox calcantium irruit, Et auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo: & in vineis non exultabit, neque iubilabit, Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat, vocem calcantiũ abstuli, Super hoc venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit: & viscera mea ad murum cocti lateris.

Duplex accipitur illius particula, ex fine. *SVper hoc plorabo &c.*) Dolet propheta vices Moabitarum, & magnitudinem vastitatis eorum, lachrymarum multitudine contestatur, cũ ait, Inebriabo te lachryma mea id est, vbertim lachrymabor & deflebo vices tuas miserabiles. *Vox calcantium irruit*) id est, hostium exercitus irruit, ipsi videlicet Assyrij & Chaldæi, messem, vindemiam & omnia vastantes. Lege 48. caput Hierem. vbi totum hoc caput ferè exponitur.

Et auferetur lætitia &c.) Carmelus mons est opimus atq; nemorosus iuxta Ptolomaidẽ mari imminẽs, vbi Helias flexis genibus pluuiam à Domino impetrauit. Quare autem hoc loco illius meminerit propheta, cùm non sit situs in toto isto tractu terræ Moabitarum, breui commentario docet Hier. Idioma inquit scripturarum est, vt semper Carmelo monti multũ pingui & nemoroso fertilitatem & abundantiam comparet. Sensus ergo est: Auferetur lætitia ab vberrima regione Moabitarum. *Et in vineis non exultabit, neque iubilabit*) supple prior vindemiator, id est, colonus prouinciæ Moabiticæ. *Vocem calcantium abstuli*) Hoc Ieremias ait alijs verbis: Nequaquã calcator vuæ solitũ celeuma cantabit, sed vbique hostilis vastitas & hostium orietur clamor.

Super hoc venter meus &c.) Est vox prophetæ ex animo dolentis de contritione Moab: Super hoc ait, id est, super destructione Moab venter meus nimio dolore commotus tãquam cithara resonabit, & sonitum edet. Ita enim

enim natura nobis comparatũ est, vt in maximis doloribus & augustijs venter noster commoueri & crepare soleat. Quod ergo dicit propheta tale est: Verè & ingenuè doleo desolationem vestram: quod sequitur eundẽ ferè habet sensum, Et viscera mea ad destructionem murorum cocti lateris turbabuntur & quasi resonabunt, hoc est, non fictas lachrymas plorabo, sed veras & ex intimis visceribus profectas.

Et erit cùm apparuerit &c.) Sensus est: In quo posuistis primum vestrum præsidium, hoc vobis non opitulabitur: putastis quòd fugiendo ad idola vestra, possetis ab Assyrijs liberari, sed fallimini, non ita continget: Verùm quum loca vestra sacra magno cum labore & fatigatione accesseritis ad orandũ & Deorum vestrorũ opem implorandum, non valebitis orare propter subitum hostium impetum qui vos oppriment.

Hoc verbum quod locutus est Dominus etc.) Hic est epilogus totius tractatus, qui cœpit cap. 15. & notandũ est duplicem esse vsum huius particulæ, Ex tunc. Interdũ enim vsurpatur pro æternitate, vt in psal. Parata sedes tua ex tunc, id est, ab æterno, Interdum verò pro certo tempore præterito. Sic capitur huius prophetæ cap. 44. 45. & 48. & commentarij hoc loco ferè accipiunt in posteriori significatione.

In tribus annis &c.) Istud Hebraicè dictum est, pro intra spacium trium annorum, & non tandum quòd annorum seu dierum mercenarij frequens est mentio in scripturis, & præcipuè apud S. Iob, qui hac phrasi multùm delectatur, & dupliciter accipitur. Interdum enim significat ærumnas, & vitam duram molestijs laboribusque plenam, quam citissimè finire cupimus: Sic sumitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij, dies eius: Quo loco dies mercenarij nõ aliud sunt, quàm dies miseriarum pleni. Interdum significat certum & statutũ tempus: Sic capitur Iob. 14. Recede paululum ab eo, donec optata veniat sicut mercenarij dies eius. Vtraq; metaphora sumpta est à mercenarijs, eo quòd eorum dura est conditio & seruitus molesta, quiq; ea hora qua possũt discedere, discedunt, nihilque morantur. In posteriori significatiõe accipitur hoc loco, & sensus est: Ego tribus annis adhuc patiar extrahi gloriam Moab, sed non diutius, nõ magis quàm anni mercenarii extrahuntur, qui finitis suæ conductionis annis statim recedunt. Similis omnino phrasis est cap. 21. Adhuc in vno anno &c.

Duplex accipitur huius particula, ex fine seu dies mercenarij.

Et relinquetur in eo sicut racemus &c.) Sẽsus est: Quã pauci sunt racemi, qui remanẽt in vite post vindemiã, tã pauci remanebũt in Moab, qui nũc gloriatur in multitudine populi.

CAPVT XVII.



ONus Damasci. Ecce Damascus desinet esse ciuitas: & erit sicut aceruus lapidum in ruina, Derelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt: & requiescent ibi, & non erit qui exterreat, Et cessabit adiutorium ab Ephraim, & regnum à Damasco: & reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt, Dicit Dominus exercituum.

Onus Damasci. *ONus Damasci*) Damascus vt patet ex 7. capite huius prophetæ metropolis est Syriæ, quæ quia semper auxilium decem tribubus contra Iudam præbuit, quemadmodum in lib. Regum, & Paralip. narrat historia, etiam ipsis vastitatem ab Assyrijs immineꝛe prædicit.

Ecce Damascus desinet esse ciuitas &c.) Non quidem in æternum desinet esse ciuitas, sed solùm ad tempus. Assyrii enim euerterunt quidem hanc vrbem, sed sub Ptolomæo Rege rursus ædificata est & in pristinum statũ restituta. *Et erit sicut aceruus lapidum*) Id est, in tantum vastabitur ciuitas ista, vt pristinæ potentiæ vestigia in ruinarum magnitudine vix demonstrentur.

Derelictæ ciuitates Aroer &c.) Aroer hoc loco nomen est non ciuitatis, quæ in Iudæa est, sed regionis in regno Syriæ. *Et requiescẽt ibi*) Id est, in mediis ciuitatibus Aroer accubabunt greges, & tanta erit solitudo, vt nõ inueniatur qui exterreat.

Et cessabit adiutorium ab Ephraim &c.) Id est, Decem tribus quæ semper solent confugere ad Damascũ pro suppetijs aduersus duas tribus, nõ vltra confugient, sed confugiũ hoc & adiutorium cessabit, quia regnũ Damasci cessãbit atque euertetur penitus, atq; hoc est quod sequitur: Et regnum à Damasco, scilicet cessabit, & sicut populus Israel in captiuitatem ducetur, sic & populus Syriæ: & quàm pauci ex filiis Israel reliquentur in terra Samariæ, tam pauci ex Syriis relinquẽtur in Syria: & quàm illi erunt ignobiles, tam erunt ignobiles & isti. Gloriam autem pro ignominia dixit per ironiam: hoc autem fiet, quia dominus loquutus est, cuius verba irrita esse non possunt.

ET erit in die illa, attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius emarcescet, Et erit sicut congregans in meße, quod reliquerit, & brachium eius spicas leget, Et erit sicut quærens spicas, in valle Raphaim: & relinquetur in eo sicut racemus: & sicut excussio oleæ duarum aut trium oliuarum, in summitate rami: siue quatuor, aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Israel.

ATtenuabitur gloria Iacob) id est, decem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribuum, quarum gloria erat Syria & Damascus: In illis enim gloriabātur. *Et pinguedo eius*) id est, fortitudo eius marcescet: De cuius vocis significatiõe dictum est supra cap. 10. cùm dicitur: Et in pinguibus eius mittet tenuitatem.

Et erit sicut congregans &c.) Sensus est: Damasceni vel filij Israel erunt, quales vulgo esse solent, qui spicas legunt post terga metentium, hoc est, tam miseri erunt & pauperes. Hiero. exponit hoc modo: Tam pauci remanebunt in Damasco, quàm solent post messores paucæ remanere spicæ, quas in valle Raphaim latissima & potētissima pauperes quę rere solent. Secundum quem tres à propheta hoc loco adducuntur similitudines, & sunt quasi bucolicæ, quarum primā nunc explicuimus. Secunda hæc est: *Et relinquetur in eo racemus*) Sensus est: Quā pauci racemi & quā paucæ vuæ fallere solent oculos vindemiatoris, & sic præteriri: tam pauci futuri sunt Damasceni seu filij Israel. Eadē similitudo ponitur in fine præcedentis capitis. Tertia est: *Et sicut excussio oleæ &c.*) Sēsus est: quàm paucæ oleæ relinquuntur à colligente in summitate oliuæ, ad quas non ita pertingere potest, tā pauci isti futuri sunt. Nomen oleæ & oliuæ Latini nunc pro arbore, nunc pro fructu vsurpāt: Hebræis diuersa sunt vocabula, & quod priori loco ponitur nō fructum significat, vt ferè Latini exponūt, sed arborē: Est enim Hebraicè זית zayth. Quod verò posteriori loco ponitur, fructū significat: Est enim גרגרים gargerim, quæ vox granū vel semen aut fructum arboris non oliuę tantū, sed cuiusuis plantæ significat. Hīc proprietas vocabuli, excutere, obseruāda est ex alijs scripturæ locis. Deut. 24. Si fruges collegeris oliuarū, quicquid remanserit in arboribus, non reuerteris vt colligas. Vbi ad verbū in Hebræo est, si excusseris oleam tuam, ramos post te iterum non excuties. Ex quo loco discimus, quòd excutere oleam idē sit, quod legere oleas siue oliuas ex arbore. In eadē significatione ponitur Esa. 24. Quomodo si paucæ oliuæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea. Et, quod ad lectionem attinet, notādum quòd post, Quatuor aut quinque, non sit faciendum comma. Nam iste est sensus: Sicut excussa olea duo vel tres, aut certè quatuor vel quinque fructus relinquuntur in summitate ramorum, ita pauci relinquentur & erunt immunes ab occisione & captiuitate.

Excutere oleam idem esse quod legere oleas.

IN die illa inclinabitur homo ad factorem suum & oculi eius ad sanctum Israel respicient, & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius & quæ operati sunt digiti eius, non respicient lucos, & delubra.

IN die illa inclinabitur homo &c.) Istud ad conuersionem orbis terrarum per Christū & apostolos factam, quidam pertinere putant: Pia quidem ait Hieron. voluntas interpretantium, sed non seruans ordinem historiæ. Secundum Hieron. ergo sensus est: Subuersa Damasco, & decem tribubus in captiuitatem ductis, residui Israel conuertentur ad Deum, qui eos creauit: & oculi eorum nequaquam idola respicient, quæ fecerunt in Dan & Bethel, sed ipsum Deum respicient, à quo Israel habet suam sanctitatem, condemnantes idola, quæ propria arte & industria effinxerunt. Istud factum legimus diligētia Regis Ezechiæ, ad cuius literas, reliqui qui euaserant manus Assyriorum, ad Deum conuersi sunt, & templum Ierusalem ingressi, sicut narratur lib. 2. Paralip. cap. 30. & 31.

IN die illa erūt ciuitates fortitudinis eius derelictæ sicut aratra, & segetes, quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israel, Et erit deserta: quia oblita es Dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui nō es recordata, Propterea plantabit plantationem fidelem, & germen alienum seminabis.

IN die illa erunt ciuitates fortitudinis &c.) Hebraicè dixit, ciuitates fortitudinis, Latinus diceret, Ciuitates fortes siue munitas. Lyra hoc modo exponit: Sicut filij Israel nō potuerunt defendere ea, quæ erant in captis venientibus Assyrijs, ita nec seipsos in ciuitatibus munitis. Sed verus commentarius iste est: Ciuitates Israel munitissimæ derelinquentur, non aliter quàm olim ad præsentiā filiorum Israel ex Aegypto venientium derelicta sunt aratra & segetes ab ipsis Amorrhęis, & nationibus alijs, Iudęorum conspectum fugientibus. Ad aduentum siquidem filiorum ex Aegypto sub duce Moyse & Iosue, ipsi Amorrhæi, Enæi & cæterę gētes, quæ terram promissionis tunc temporis inhabitabant, subito pauore perterritæ fugiebant ex medio opere, quod in agris exercebant: qui arabant, dimittebant aratra: qui colligebāt messem, dimittebant segetes: alij alia relinquebant, sālutem pedibus requirentes. *Et erit deserta*) Nonnulla exemplaria legūnt, Et eris deserta, sed verisimilius est, imò certum est in tertia persona esse legendum, Et erit deserta, & hic finitur periodus, & quod sequitur est noua periodus.

Quia oblita es Dei saluatoris tui) Est apostrophe ad Israēl. Sensus est: Quia tu terra Israel oblita es Saluatoris tui, qui te liberauit ex Aegypto, & adhæsisti idolis: *Et fortis adiutoris*) id est, eius qui tibi semper aduersus gentes fortitudinem præbuit, non es recordata: *Propterea plantabis plantationem fidelem*) Hoc præsius & per ironiam legendum est: Non enim dicere voluit propheta, quòd idcirco plantarent plantationem fidelem, sed contrarium. Vnde Septua. non verbum sed sensum

sum rēddentes, dixerunt: propterea plantabis plantationem infidelem: *Et germen alienum seminabis*) Alienum more scripturæ vsurpatur pro notho & adulterino: Sic psal. 17. Filij alieni mentiti sunt mihi. Sensus est: Germē nothum & adulterinum seminabis. Aliter interpretatur Hieron. qui germen alienum vocat, quod alijs seminatur: Seminabis inquit germen, quod hostis auferet.

Alienum interdum pro notho siue adulterino accipi.

IN die plantationis tuæ labrusca, & mane semen tuum florebit. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter.

IN die plantationis tuæ labrusca) Explicat propheta vtranque periodum versus præcedentis. Nam istud, In die plantationis tuę labrusca, est explicatio illius, Propterea plantabis plantationem fidelem. Sensus est: Pro vera vite plantabis adulterinam, pro vite soreck plantabis labruscam. Est autem labrusca genus vitis syluestris, sic dicta, quod in terræ marginibus & in sepibus nascatur, & vulgo erratica dicitur: *Et mane semen tuum florebit*) Istud explicatio est illius periodi, Germen alienum seminabis. Et secundum Haymonem sensus, iste est: Mane id est ante tempus florebit semē tuum, & propterea nō perueniet ad maturitatem. Secundum Hieronymū verò aliquid læti significatur, hoc sensu: Semen tuum magnam quidem spem copiosæ messis promittet in germine, nō est tamen quòd magnopere gaudeas, quia vbi maturitas aduenerit ab alio demetetur, & hoc est quod sequitur, *Ablata est messis*) id est segetes ablatæ sunt: *In die hæreditatis*) id est, eo die quo oportebat iam tenere & congregare in horrea. Hebræi enim hæreditare suo more vocant, manu tenere & possidere: *Et dolebit grauiter*) Mutat personam, dolebit pro dolebis, quod non est infrequēs Hebręis: Sensus est: Quando speratam & iam penè obtentam messem perdideris, tunc dolebis grauiter & supra modum. Istud hodie vsu venit studiosis omnibus siue philosophiæ siue Theologiæ, qui non referunt eò, quò debēt, studia sua nempe ad Deum, vt per ea ille sanctificetur: vel qui ita vehementer se studijs occupant, vt per hoc in se extinguant deuotionis spiritum: omnibus illis & singulis dicit propheta, In die plantationis tuæ labrusca, id est, credis te rectè instituisse studia tua, sed postea deprehendes esse vana, ex celeri studiorum profectu spem magnam concipies, sed vbi messis, id est, tempus quo quisque accipiet mercedem, aduenerit, frustraberis spe tua, & dolebis grauiter.

Labrusca.

VAE multitudini populorum multorum, vt multitudo maris sonantis: & tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum, Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundāti-

um, & increpabit eum, & fugiet procul: Et rapietur sicut puluis montium à facie venti, & sicut turbo coram tempestate. In tempore vespere, & ecce turbatio in matutino, & non subsistet. Hæc est pars eorum qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos.

VAE multitudini populorum &c.) Hæc ad Assyrios seu ad exercitum Sennacherib pertinent, quem propter ingētem militum copiam, fremitum & impetum, fluctibus maris inundantis coparat, Sensus est: Væ multitudini populorum venientium cum Sennacherib contra Iudam, quæ tanta est, & tanti fremitus, vt multitudini fluctuum maris cōparari queat. Quemadmodum autē occasione Syrorum, desolationem decem tribuū prædicit quæ semper ad Syros pro suppetijs confugiebant: Ita vtrorumque & filiorum Israel & Damascenorum occasione vastitatē hic prędecit Assyriorum, qui Syros & decem tribus vastauerunt.

Sonabunt populi &c.) Illud verbum (increpare) Hebræis familiare est, quoties de mari aut ventis loquūtur, quæ cùm Deus pro imperio suo iubet, vt desinant esse molesta, mare aut ventos increpare dicitur. Increpare igitur quanquam Latinè sit reprehēdere vel arguere, more tamen scripturæ & phrasi Hebręæ linguæ pro coercere & compescere ponitur: Sic Psal. Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est. Et apud Luc. Increpuit mare & tēpestatē, id est, cōpescuit & sedauit. Quod ergo hic dicit propheta increpabit eum, cap. 19. 4. Reg. alijs verbis dicitur, vbi Dominus de Sennacherib loquens, ait: ponam itaque circulum in naribus tuis, & chamum in labijs tuis, & reducam te in via per quam venisti. Sensus itaque est: Dominus ipsum Sennacherib eiusque exercitum magno cum impetu, armorumque in genti strepitu venientem contra Iudā compescet, sedabit, & penitus dissipabit, atq; hoc est quod sequitur: Et fugiet procul, & rapietur sicut puluis mōtiū &c. Sensus est: Sicut puluis ventorū impetu pijcitur atq; latè dispergitur, & veluti turbo in sublime tendēs vi tempestatis in oppositā partē reuerberatur: Ita Sennacherib & totus eius exercitus cùm appropinquauerit Hierusalē dispergetur atq; redire cogetur.

Psal. 105. b.

Luc. 8. d.

4. Reg. 19. c.

In tempore vespere &c.) Id est, cùm primùm Sēnacherib obsidionē molietur, siue cùm vesperi nūciabitur Sēnacherib ad obsidēdum oppidū venisse omniū corda, qui in ciuitate Hierusalē fuerint, cōmouebūtur: sed primo mane nūciabitur eūdē Sennacherib percusso eius exercitu fugisse. Historia habetur 4. Reg. cap. 19. *Hæc est parseorum etc.*) pulchrè epiphonemate concludit propheta hoc caput. Sensus est: Ita pœnas dabunt, ita percutientur qui persequuntur populum Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVIII.



AE terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumen Aethiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas, Ite angeli veloces ad gentem conuulsam, et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.

QVemadmodum in præcedenti capite propheta minatur Damasco, propterea quòd decem tribus ab illa auxilium habentes Dei misericordiam implorare neglexerunt: Ita etiam hoc capite Aegypto vastitatē prædicit, quia ob eius auxilium duabus tribubus præstitum, neglecta est ab eis Dei inuocatio.

Tota autem difficultas huius capitis sita est in hac parte, *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumen Aethiopiæ*) Quæ est periphrasis vnius ciuitatis, videlicet Aegypti, in qua explicāda multùm variant interpretes. Hiero. rationem reddens periphrasis, Aegyptum dictam esse putat cymbalum alarum, propter velocitatem frugum: velox quippe & concitus auium volatus cymbali sonitū reddit. Secundum quem sensus est: Væ terræ in qua est cita, velox & matura messis. Verùm periphrasis hæc nimis longè petita est, cùm velocitas quæ est in auibus, & quæ in frugibus, toto genere differāt. Haymo verò dictam putat cymbalum alarū, propter suauē auxilij ferendi promissionem. Secundū quem sensus est: Væ terræ quæ promittit auxiliares copias, & suppetias haud grauatim mittit populo duarum tribuū. Thomas aūt adfert aliam rationem, & Aegyptum dictam esse vult cymbalum alarū, quasi semper sonātem & tinnientem propter Nili cataractas. Secundum quem sensus est: Væ terræ in qua est fluuius Nilus qui citissimè decurrés cymbali sonitum reddit.

Studiosi verò Hebræorum, Aquila, Pag. & alij cùm non viderent quomodo exponerēt cymbalum alarum, acceperunt vocē Hebræam non pro cymbalo, sed pro vmbra, quod etiam radix צלל tsālal significat, quamuis nomen צלצל tsiltsāl inde deductū frequentius pro cymbalo vsurpetur. Atq; inter hos quibusdam Aegyptus dicitur vmbra alarū, propter auxiliares copias quas promittebat, & defensionis auxilium. Hæc interpretatio consentit cum Haymone, & meminit eius Hier. exponens versionē Aquilæ. Alijs terra hæc dicitur vmbra alarū, propter vela nauiū, quæ multitudine sua terram Aegypti quasi obumbrant. Hoc modo videtur intellexisse paraphrastes Chaldæus, qui habet hoc modo: Væ terræ, ad quam veniunt cum nauib⁹ de terra lōginqua, & vela sua extendūt, vt aquilavolās alis suis. Alij deniq; propter multitudinē auium ita dictam putāt, quæ ibi sine numero & assiduè volitando quasi perpetuā vmbrā faciunt. In hac tanta expositionum varietate, illa magis ꝓbata videtur, quę exponit hoc modo: Væ terræ, quæ semper alijs est vmbra alarū, ad quam confugiunt: vel quæ in vmbra alarū suarū alijs gentibus auxiliū pollicetur. Nā nomine alarū scriptura frequēter intelligit auxiliū seu defensionē, vt Psāl. 16. Sub vmbra alarū tuarū ꝓtege me.

Quæ est trans flumen) Haymo legit pluraliter, hoc modo: Quę est trans flumina Aethiopię, id est, trans riuos Nili fluminis, qui ex Aethiopia in Aegyptū fluit. Similiter legit Hie. non solùm in textu, sed & in commentarijs ita interpretatur: prēterea & sic habet textus Hebraicus. Deniq; pluraliter loquitur & Ezech. Ecce ego ad te Pharao Rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminū tuorum. Quare verisimilior est lectio, quam habent biblia Parisiensia, iam recēter edita, quæ legunt in plurali numero.

Qui mittit in mare legatos) Et hīc duplex lectio est, quædam enim exemplaria legunt, Qui: alia verò legunt, Quæ. Si ergo legamus, Qui, dicemus prophetam mutare personā, & considerationem suam à terra dirigere ad ipsum Regem terræ. Mare cōsuetudine scripturarū, quæ omnes aquarum congregationes maria vocat, Nilum appellauit propheta. Sensus est: Qui mittit per Nilum legatos. Quod sequitur, *Et in vasis papyri super aquas*) eiusdē rei loquutio est, sed obscurior. Vasa autem Hebræi instrumenta vocant. Vasa papyri, periphrasis est nauium ex papyro frutice cōtextarum, quibus multū vtebātur in Aegypto, maximè in illa parte, qua cataractas habet magnas & ꝓfundas: Vel secundū Hie. vasa papyri appellauit vasa chartacea, id est, epistolas in charta descriptas, quem sensum etiā reddiderūt Septua. quorū versio sic habet: Qui mittit in mari obsides & epistolas biblinas super aquā. Secūdū quos sensus est: Vę terrę cuius Rex mittit per Nilū legatos vna cū epistolis ad duas tribus, quib⁹ suū auxilis pollicetur auxiliū. De papyro vidē Plinium lib. 13. cap. 11. nat. hist. Est aūt papyrus fortex, habens radicē obliquā triāgulis lateribus, decē non amplius cubitorum longitudinem in gracilitatem fastigiatam: ex quo stuticę fiebant olim naues contextiles, & charta.

Ite angeli veloces &c.) Verba sunt regis Aegypti mittentis nuncios per Nilum ad aliarum tribus siue ad Iudæos, quos gentem conuulsam vocat ex eo quòd vario bello contriti erant: *Ad populum terribilem*) scilicet aliquando.

quando. Iudęi siquidē sub Mose & Iosue terrori erant omnibus gentibus, non quod cæteras gentes vincerent multitudine sed propter Dei auxiliū, sicut habetur Iosue 2. *Post quem non est alius*) Id est, cui non est alia gens comparanda. *Gentem expectantem*) Gens Iudæa hoc olim proprium habuit, quòd expectaret auxiliū à Deo, quem non videbat, cùm cæteræ haberent Deos suos sibi præsentes, quos videbant. Ad Gentem ergo expectantem intellige auxiliū à Deo, quem nunquam videt. Vnde à cæteris gentibus ridebātur, sicut testatur illud poetæ, Nil præter nubes Iudæus adorat.

Cuius diripuerunt flumina terram eius) Flumina appellat Reges cum exercitibus. Quæ phrasis scripturis vsitatissima est, & apud Ezechielem nusquam nō obuia. Sensus est: Cuius terram diuersarum gentiū Reges Assyriorum, Chaldæorum &c. vastauerunt. *Ad montem nominis Domini &c.*) Hunc versum non legit Hieron. neq; illum habent exemplaria Hebræa, neque Græca: quare superuacanea est, & ex fine cap. videtur huc insertus.

OMnes habitatores orbis qui moramini in terra, cùm eleuatū fuerit signum in montibus videbitis, & clāgorem tubæ audietis, quia hæc dicit Dominus ad me: Ego quiescam, et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis, Ante messē enim totus efflоruit, & immatura perfectio germinauit, & præscindentur ramusculi eius falcibus, & quæ derelicta fuerint abscindentur, Et excutientur, & relinquentur simul auibus montium, & bestijs terræ, & æstate perpetua erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illam hiemabunt.

OMnes habitatores orbis &c.) Orbem intellige illam terrę partem, de qua sermo est, videlicet Aegypti. Signū appellat vexillum militare, de qua voce dictū est, cap. 11. circa illum locum, in die radix Iesse. Sensus est: Vos Aegyptij & cunctæ per circuitū gentes, quando ab Assyrijs vel Chaldæis in altū erectum fuerit vexillum militare signū, clarè videbitis, & cùm clanxerit tuba apertè audietis & manifestè cognoscetis quid cogitauerit contra Aegyptum Dominus.

Ego quiescam &c.) Est hypotyposis: Depingit enim propheta Dominum Deū quasi in solo aliquo cubiculo sedentem & considerantem Aegyptum diripi. Sensus est: Tacitus ego & immotus contemplabor quæ futura sunt, atq; ita clarè & apertè contemplabor, vt est clara lux meridiana, hoc est, nihil omnino erit impedimenti, quo minus omnia videbo. *Et sicut nubes roris in die messis*) Id est, Ego licet immotus manens adferam tamen rebus temperiem, sicut nubes rorida tempore messis, quæ refrigerat.

Ante messem enim totus efflоruit) scilicet populus Aegypti. Describit propheta sub metaphora vastitatem & interitū Aegyptiorum. Sensus est: Hoc futuri sunt Aegyptij, quod præcoces fructus, vel quod segetes ante maturitatem erūpentes, & antequam perfectio temporis veniat germinantes: quæ sicut inutiles sunt & cito pereunt, sic & Aegyptij cito peribunt. *Et præcidētur ramusculi eius*) Id est, in medio rerum successu quasi ramusculi inutiles falcibus, id est, gladijs Assyriorum vel Chaldæorum succidentur, & non succedet quod faustum videbatur habere priucipiū. *Et quæ derelicta fuerint &c.*) Id est, si qui Aegyptiorum gladios, Chaldæorū aut Assyriorum euaserint, illi alio mortis genere abscindentur, atque è medio auferentur.

Excutientur & relinquentur simul &c.) Ne putares ait Hieron. prophetam de vinea dicere & non de hominibus, vertit metaphoram in historiæ veritatem: Non enim aues & bestiæ abscissos arborum ramos, sed cadauera deuorant. Et hæc plenius apud Ezech. describūtur. *Aestate perpetua erunt super eum volucres*) Est metalepsis: Significat enim prophetа maximam interfectorum multitudinem. Sensus est: Tot & tam multa erunt cadauera, vt vna integra æstate & hieme sufficiant ad bestias terræ carniuoras & aues cœli alendas. Ezech. 29.

IN tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulso, & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius, à gente expectante, & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

IN tempore illo &c.) Id est, post Aegypti vastitatem, & deletum eius imperium deferetur munus & sacrificium Domino à Iudæis, qui antea relicto veri Dei cultu idola adorabant, & in vanitate vmbræ Aegypti confidebāt. *A gēte expectāte*) Bis legendū est (expectante) hoc modo, A gente expectāte, expectāte. Sic enim habēt exemplaria Hebręa, sic legit & Hiero. sic etiam Haymo interpretatur: vt sit auxesis. Indiligens aliquis lector putans esse superuacaneum alterū amouit: Et eodem modo legendum est in principio capitis, Ad gentem expectantem expectantē. Quod autem in fine ponitur, videlicet ad locum nominis Domini, construendum est cum verbo, deferetur, hoc modo: In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulso, id est, à Iudęis ad locum nominis Domini, montem videlicet Sion, id est, ad templum Ierusalem, quod super montem Sion ædificatum est.

Istud

Universidad de Deusto
Biblioteca

Istud autem factum est sub Zorobabel, Iesu, Esdra, Neemia.

CAPVT XIX.



Onus Aegypti. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem: et ingredietur Aegyptũ, & cõmouebuntur simulachra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius.

Onus Aegypti. ONus Aegypti) More prophetico obscuris clara subnectit: Quod enim prius inuoluta periphrasi dixerat, Væ terræ cymbalo alarum, nunc apertiùs explicat, onus inquiens Aegypti. Et totam hanc prophetiam quidam ad Romani tempora referunt, quando Antonio Cleopatraque superatis Augustus Cæsar Aegyptum subiugauit: Sed simpliciùs est, si ad tempora Assyriorum & Nabugodonosor Regis Babylonis
Hiere. 46. e referatur, & eam intelligamus prædici captiuitatem de qua vaticinatur Hieremias, Vitula elegans & formosa Aegyptus, & Ezech.
Ezec. 30. b Cessare faciam multitudinem Aegypti &c.

Ecce Dominus ascendet &c.) In nubem leuem, metalepsis est. Significat enim prophetam quòd istud malum velocissimè veniet: & per nubem leuem intellige exercitum Chaldæorum vel Assyriorum velocissimũ, quia ipsius imperio euocabuntur ad bellũ contra Aegyptios. *Et commouebuntur &c.*) Phrasis ista, A facie, in scripturis frequentissima est, & idem valet, quod in præsentia, vel ad præsentiam, vel à præsentia. Sensus est: Simulachra, quæ Aegyptij hactenus pro dijs coluerunt, adueniente Domino cedent ei, nec poterunt ipsis quidquam prodesse.

Et cor eorum tabescet) Id est, Corda Aegyptiorum præ nimio timore langueſcent in viscеribus ipsorum.

ET concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, ciuitas aduersus ciuitatem, regnum aduersus regnũ, & dirumpetur spiritus Aegypti, in visceribus eius, & consilium eius præcipitabo. Et interrogabunt simulachra sua, & diuinos suos: & pithones, & hariolos: & tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

ET concurrere faciam Aegyptios &c.) Temporibus Assyriorum & Nabugodonosor Regis Babylonis seditionem factam esse in populo Aegypti ex historijs manifestum est, alijs se tradere volentibus, alijs repugnantib⁹: Hoc est ergo quod ait hoc loco, concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios, id est faciam eos inter se dissidere.

Et dirumpetur spiritus Aegypti) Id est, animus Aegyptiorum planè decidet, vel certè voluntas Aegyptiorum in diuersa scindetur, alijs hoc, alijs illud, & non eadem cunctis volentib⁹: vt idem hîc significetur quod prius. *Et consilium eius præcipitabo*) id est, ad nihilum redigam, ita quòd non sortiatur effectum. *Et interrogabunt simulachra sua*) Id est, dæmones simulachris præsidentes: *Et diuinos suos*) id est vates seu sacerdotes: *Et pythones*) De quo vide supra capite octauo vbi dicitur, Quærite à pithonibus &c. *Et hariolos*) id est, eos qui diuina mente fantur, quæ ventura sunt. Dicuntur autem harioli quasi farioli, aspiratione in (f) literam mutata.

Et tradam Aegyptium in manu dominorum) id est, Chaldæorum & Assyriorũ. Hos enim scriptura vbique crudeles facit, vt qui nec paruulis pepercerint, nec prægnantibus miserti sunt. *Et Rex fortis*) scilicet Nabugodonosor aut alius quispiã dominabitur eorũ.

ET arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur, & deficient flumina. Attenuabuntur, & siccabuntur riui aggerum. Calamus & iuncus marcescent, nudabitur alueus riui à fonte suo, Et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, & non erit, Et mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandẽtes rete super faciem aquarum emarcescent, Confundentur qui operabantur linum pectẽtes, & texentes subtilia, Et erunt extenta irrigua eius flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

ET arescet aqua de mari &c.) Quidam simpliciter hæc accipiunt & non historicè. Thanis. per mare intelligentes non mare magnum, sed lacum Mareotidem, eo quòd scriptum Memphit. omnes aquarum congregationes maria appellet: vt veniente captiuitate propheta prædicat Nili & riuorum siccitatem. Alij hyperbolem esse volunt, vt propter nimiam tribulationem flumina quoque siccari, & ea quæ in eis sunt deficere dicantur. Possim⁹ & metaphoricè accipere, quod nobis magis probatur: vt in aquis maris intelligatur Respublica Aegypti, sicut supra capite 15. dictum est de aquis Memrim: & in fluuio designatur Rex Aegyptiorum: in cæteris verò hominibus cæteri principes, quæ phrasis Ezechieli vsitatissima est: in riuis denique duces & inferiores principes: in calamo & iunco vilis plebecula & sine nomine vulgus. *Et nudabitur alueus &c.*) Id est, & alue⁹ & fons arescent simul. *Et omnis sementis irrigua siccabitur &c.*) Sementis interdũ ipsam sationem seu seminationẽ significat: interdũ verò capitur pro segete, quẽadmodũ hoc loco. Sensus enim est iste: Segetes terræ mãdatæ, quæ Nili inundatione irrigari solent, siccabũtur & arescent, *Et mœrebunt piscatores &c.*)

stata Aegypto & tota prouincia, mœrebunt & dolebunt ipsi qui piscatione alebantur. *Confundentur qui operabantur linum*) id est, ij qui ex lino pectinato facere consueuerunt retia & sagenas, confusionem patientur. Irriguum.

Et erunt irrigua &c.) Irriguũ dicitur, quod irrigatur, vel quod facile irrigari potest. Interdum etiã irriguum dicitur quod irrigat, sicu apud Virgilium, Irriguumque bibant fontem. Si ergo in priori significatione accipiatur sensus hic erit: Cãpi & agri, qui aquis Nili irrigari solent, præ siccitate steriles erũt. Si verò in posteriori significatione, hic erit sensus: Nilus, riui, flumina, quæ irrigare solẽt terram Aegypti, siccabuntur. *Omnes qui faciebant lacunas*) Lacuna fossa est, in qua aqua collecta stare cõsueuit: hîc pro viuarijs ponitur. Lacuna.

STulti principes Thaneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Vbi nunc sunt sapientes tui? Annuncient tibi, & indicent, quid cogitauerit Dominus exercituum super Aegyptũ, Stulti facti sunt principes Thaneos, emarcuerũt principes Mempheos, et deceperunt Aegyptum, angulum populorum eius, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, Et errare fecerũt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens, Et non erit Aegypto opus quod faciat: caput & caudam, incurnantem & refrenantem.

STulti principes Thaneos) Indicat prophetа breuiter, quòd veniente captiuitate Babylonica, omnia Magorum consilia, & eorũ qui promittebant futurorum præscientiam stultitiæ arguentur. Thanis Metropolis est Aegypti, in qua vigebat literarum studium. Memphis altera ciuitas est principalis in Aegypto, artibus magicis plurimùm dedita. Angulum Hebræi vocant firmamentum, quod Latini dicunt neruum.

Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis) id est erroris, quem facere dicitur Deus, quia permittit. Sensus est: Dominus regnare permittet spiritũ erroris in cordibus eorum, qui sapientes habebantur in Aegypto. *Et non erit Aegypto opus &c.*) id est, nullus Aegyptiorum faciet officium tale, quod posset esse in emolumentum alicuius rei bonæ. *Caput & caudam*) Istud construi debet cum illo, Errare fecerunt. Per caput autẽ significãtur primores: per caudã verò plebei tam senes quàm pueri, & inferiores principes. Similé habemus metaphorã ca. 9. Sensus est: Errare fecerunt tã primores quàm ipsum vulgus, tã senes quàm pueros, hoc enim est quod sequitur, Incuruãté, quod conuenire senib⁹ clarũ est, quum plerunq; corpore ad terrã incuruo incedũt. De altera voce Refrenantem, dicit Hier. dũ celeriter quæ scripta sunt vertim⁹, ãbiguitate decepti refrenantẽ dixim⁹ pro lasciuiẽte, quod in pueros cõuenire certum est. Verùm vox Hebræa אגמרין agmon, vel nihil huiusmodi significat quale habet Hie. vel certè imperfecta sunt lexica Hebrẽorũ. Significat enim vox Hebræa iuncũ, sicut præcedẽs ramũ. Ad verbũ legendũ esset: Caput & caudã, ramũ & iuncum, sicut etiam cap. 8. Disperdet Dominus de Israel caput & caudam, ramum & iuncum: Vbi Rabbi Salomon per ramum & iuncum metaphoricè intelligit fortem & imbecillem: commodè intelligere possimus senem & puerum. Nã vox Hebræa כפה cippa quæ ramum significat à curuitate sic dicitur. Alteram verò propter imbecillitatem, quæ in iunco significatur pueris conuenire constat.

IN die illa erit Aegyptus quasi mulieres: & stupebunt, & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse mouebit super eam: et erit terra Iuda Aegypto in pauorẽ, Omnis qui illius fuerit recordatus, panebit à facie consilij Domini exercituum: quod ipse cogitauit super eam.

IN die illa erit Aegyptus &c.) Sẽsus est: cùm venerit Assyrius siue Nabugodonosor, cõnes fortium virorũ manus in Aegypto quasi manus mulierũ dissolutæ erunt, & stupebunt ipsi Aegyptij ex inopinato bello, timebuntq; à facie, id est, à presentia manus Domini eleuatæ, quæ habitum percutientis demonstrat. *Et erit terra Iuda Aegypto in pauorem*) Id est, etiam ipsum vocabulum Iudæ, terrori erit Aegyptijs, eo quòd dum auxilium voluerunt ei præbere, tãta perpessi sunt mala.

Omnis qui illius &c.) Id est, Audientes Aegyptij percussum Sennacherib, à quo & ipsi superati sunt, mirabũtur Deum Israel, mirabuntur inquam quod idem non acciderit Iudæ, sed quòd fuerit defensa à Deo: Assyrii enim venerunt ex Aegypto ad bellandum contra Iudam & Ierusalem.

IN die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti, loquẽtes lingua Chanaã: et iurãtes per Dominũ exercituũ, Ciuitas solis vocabitur vna.

IN die illa) id est, post cõmotionem manus Domini super Aegyptum, erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan, id est, lingua Cyra, quæ media est inter Aegyptiam & Hebrẽã, Hebrææ magna ex parte cõfinis. Et istud ad litteram implerũ cõstat ex historiis antiquitatũ. Sẽsus est: Aegyptij multũ iã abhorrent à Iudæis, sed futurum est vt studiosi sint linguę Hebrææ: & nõ linguę solùm, sed & religiõis, hoc est quod sequitur: *Et iurãtes per Dominũ exercituũ*) id est, nequaquam dæmonum quos hactenus coluerunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

coluerunt, sed Dei omnipotentis recordabuntur, & per eius nomen iurabunt. *Ciuitas solis vocabitur vna*) Id est, inter istas quinque ciuitates lingua Chananæa loquentes, vna erit ciuitas solis, quę Græco nomine & etiam Latinis vsitato vocatur Heliopolis.

IN die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminũ eius, et erit in signum & in testimonium Domino exercitum in terra Aegypti, Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos, Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent, Et percutiet Dominus Aegyptum plaga, & sanabit eam, & reuertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.

IN die illa erit altare Domini &c.) Iosephus hanc prophetiam intelligit impletam sub Onia, qui maxima Iudęorum copia venit in Aegyptum, vbi construxit altare Domino: Verùm prophetam non loqui de Onia manifestum est, quia illius factum vituperatur, istud verò laudatur. Hieron. hìc omittit literam, cuius commentarius sic habet: Ab hoc loco vsque ad finem Aegyptiæ visionis, & Iudæi & nostri de Christi aduentu intelligi volũt: sed illi vota sua differũt in futurum, nos quasi iam transacta tenemus. Sensus est: In medio terræ Aegypti erit altare Deo consecratum, & non solùm in medio terræ Aegypti, verumetiam in terminis eius erit monumentum Domino erectum, atque hoc est quod ait, Et titulus Domini iuxta terminũ eius. In illa significatione accipitur titulus Genes. 29. vbi de Iacob dicitur, quod erexit lapidem in titulum. Et in Leuitico, vbi prohibetur filijs Israel ne sibi titulos erigant id est, statuas aut columnas in perpetuam rerũ gestarum memoriam. Titulus iste erit in signum & testimonium, quòd Aegyptus ad populum Dei pertineat: pressus enim angustijs & calamitatibus clamabit pro auxilio ad Dominum, & inuocabit non dæmones, quos hactenus coluit, sed Deum Israel, atque hoc est quod dicit, clamabunt enim &c.

Et cognoscetur enim Dominus &c.) Locus iste similis est illi, qui est Hiere. 31. Omnes agnoscent me à minimo eorum vsque ad maximum. Quod sequitur, *Et colent eum in muneribus & hostijs*) apud Hebræos in singulari numero ponitur. Vna enim est hostia & oblatio noui testamenti, quæ est corpus & sanguis Christi: propter diuersitatem tamen specierum, quibus corpus & sanguis Christi continentur, interdum pluraliter efferimus, hostias & oblationes. Hebræi munus vocant sacrificium. *Et vota vouebunt Domino & soluent*) In quo notatur populi deuotio: parum enim est vouere, sed soluere multũ est: Intelligi potest de illis votis, quæ fiũt in baptismo, vel etiam de votis consilij, vt obedientiæ vel paupertatis.

Hiere. 31. f.

Et percutiet Dominus Aegyptũ &c.) Quod hic dicit, percutiet, nõ aduersatur illi, quod supra dixit, Mittet eis saluatorem, qui liberet eos, quia percussio ista, vt ex sequẽti paricula patet, non ad interitum pertinet, sed ad eorum probationem & coronam. Sensus ergo est: Dominus primò afficiet Aegyptios pœna, deinde persequetur eos misericordia.

IN die illa erit via de Aegypto in Assyrios, & intrabit Assyrius in Aegyptum, & Aegyptius in Assyrios, & seruient Aegyptij Assur, In die illa erit Israel tertius Aegyptio & Assyrio benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens, Benedictus populus meus Aegypti: & opus manuum mearum Assyrius, hæreditas autem mea Israel.

IN die illa erit via &c.) id est Assyrij & Aegyptij erunt pacifici, neque erunt amplius hostes, sed erit liber transitus de vno regno in aliud, quod ante aduentum Christi, quando vnaquæque gens suum habebat regem, minimè licebat, & non solùm erit commercio regnorum, verumetiam rerum. Aegyptij enim merces suas vehent ad Assyrios, & econtrariò Assyrij ad Aegyptios.

In die illa erit Israel tertius Aegyptio &c.) Secundum Hieron. sensus est: Nequaquam Israel inter Aegyptium & Assyrium mediabit, elidetur, nunc Antiochijs & Demetrijs adhærentibus regnum, nunc Ptolomæis Iudæ trahentibus regnum, nunc Ptolomæo & posteà possessionem eius vendicantibus, sed & ipsa sub Rom. imperio cõstituta, erit eius conditionis, cuius & Aegyptus & Assyrius. Possimus & hoc modo intelligere: Israel non solùm memorabitur inter Dei filios, sed etiam Aegyptij & Assyrij: Et per Aegyptios Assyrios (apud quos maximè viguit Dei cultura) & monachorum examina floruerunt) etiam reliquas gentes intellige. *Benedictio in medio terræ*) scilcet stabilietur. *Et opus manuum meum* est, figmentum manuum mearum sunt Aegyptij & Assyrii, quos ita vocat, quia obedierunt præceptis Euangelij: *Hæreditas autem mea Israel*) Vocatur autem Israel hæreditas Domini, quia iam olim præ cæteris gentibus fuit populus peculiater à Deo electus.

CAPVT

CAPVT XX.



IN anno quo ingressus est Tharthan in Azotũ, cùm misisset eum Sargon rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotũ, & cepisset eam, in tempore illo locutus est Dominus in manu Esaiæ filij Amos, dicens, Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic: vadens nudus, & discalceatus.

IN anno quo egressus est &c.) Ne illa quæ hic dicuntur, superiori felicitati, quæ Aegyptijs promittitur, putes esse contraria, annotandũ est quòd propheta quasi aliquid oblitus, hoc caput loco appendicis adijciat, & refert non ad bona dicta in fine capitis præcedentis, sed ad mala in fine illius capitis descripta. Tharthan dux erat exercitus regis Assyriorum, qualis erat & Holofernes. Azotum vrbs fuit Palæstinæ potentissima, Hebræis dicta אשדוד Asdod, hinc videtur potius vertendum Asdotum. Sargon est is, qui aliàs ferè vocatur Sennacherib, quem tradit Hieron. septem habuisse nomina.

Tharthan.

Azotum.

Sargon.

Vade & solue saccum &c.) Circa hunc locum duo annotanda sunt: primũ est, quòd duplicis generis saccos habet scriptura. Vnũ genus est, quales sunt sacci Latinorum, scilicet frumentarij: Tales sunt in illo loco Genesis, vbi dicitur, Iussit ministris vt saccos eorum implerent tritico. Alterum genus Latinis non est cognitum, sed Hebræis, & isti adhibebantur ab isto populo in argumentum pœnitentis & dolẽtis animi. Hoc genus sacci habetur Genes. 37. vbi de Iacob dicitur, Indutus est cilicio lugens filium suum. Quo loco Hebræi pro cilicio habent saccũ, quod cilicium ideo vertit Hieronymus, vt intelligeret lector quorsum indueret saccum: Nõ est enim verosimile eo loco ipsum intellexisse de cilicio proprij generis sic dicto à Cilicibus populis, apud quos primò cilicia confecta sunt. (Erant autem tecta siue velamenta ex camelorum caprarumq; pellibus in vnum contexta ad arcendum pluuiam aerisque intemperiẽ) nam vox Hebræa nihil huiusmodi significat, quanquam fieri potuit, vt Hebræorum sacci pilos habuerint. In psalmis quoq; vocem Hebræã interpres noster ferè cilicium vertit, imitatus fortè Hieron. Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Rursus alio psal. Posui vestimentum meum cilicium. Vtrobiq; Hebræi habent שק sak. quod Hieron. priori loco cilicium vertit, posteriori verò saccum. Et valdè refert hoc tempore huiusmodi generis saccos obseruare in scriptura, qui adhibentur ad luctum & pœnitentiam: & illis potissimum locis, vbi pertinent ad eam pœnitentiã, sine qua non consequimur remissionem peccatorum. Nam Philippus Melanthon hoc facit pœnitentiã, quod nec scriptura, nec quispiam veterum vnquam de pœnitentia intellexit: vt videlicet complectatur primò horribiles terrores, quos incutit conscientia peccati, vel lex arguens peccatũ, deinde fidem siue fiduciam in Christum: vt videlicet homo conscientia peccati & terrore indiciorum Dei concussus, conuertat se ad verbũ Dei, & ex fide misericordiæ siue gratiæ per Christum promissæ certo statuat sibi remissa esse peccata propter Christum. His duabus partibus secundum ipsum absoluitur pœnitentia. Verùm non ita loquuntur de pœnitentia scriptura & veteres: sed post terrores illos quos incutit conscientia peccati requirunt gemitus, planctus, cilicia, saccos, cineres & alia. Scripturæ huiusmodi nusquã non obuiæ sunt in prophetis. Sententias autem veterum hac de re habes apud Roffensem articulo 5. contra assertionem Lutheri, qua dicit nõ esse tres pœnitentiæ partes. Quomodo agenda sit pœnitentia declarat Ambrosius in epistola ad quandam corruptam, & Cyprianus in libro de lapsis, similiter Augustinus in libro de vera pœnitentia.

Scripturam agnoscere duplicis generis saccos.

Genes. 42. c

Cilicium.

Psal. 34.
Psal. 68.

Secundò hoc loco notandum est, prophetas (quemadmodũ tradunt tam Iudæi quàm Latini) saccis vti solere solenniter & quasi propriè, nec erat hoc hypocrisis, sicut hypocrisis non est quòd iam Monachi certo & peculiari habitu vtantur, sicut & sacerdotes: vtebantur autem illis tanquã plangentes peccata populi. Et hunc habitum fuisse prophetarum probabile facit, quòd habet Zach. 13. Et erit in die illa, confundentur prophetæ, vnusquisque ex visione sua, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.

Et fecit sic vadens &c.) Istud variè à diuersis exponitur: Quidam enim, ne cogantur agnoscere hanc fœditatẽ, faciunt istud imaginariã visionem. Alij hactenus dicunt prophetam nudum incessisse, quia absq; habitu prophetarum, id est, absq; sacco ambulauit, non tamen sine omni vestitu: Nam sub sacco dicunt illum habuisse aliam vestem interiorem. Hieronymus & Augustinus simpliciter intelligunt, vt planè nudus prophetа incesserit, & adeò illos fœditas illa non offendit, vt etiam in magnam prophetæ laudem vertant. Verba Hieron. sic habent: Ex hoc loco discimus prophetarum obedientiam, quòd vir nobilis (tradunt enim Hebræi, socerum fuisse Manasse filij Ezechię regis Iuda Esaiam) non erubuerit nudus incedere: sed Dei præceptis nihil honestius iudicans deposuerit saccum, quo abiecto nudus fuerit, vnicam prius habens tunicã & ipsam

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilicinam. Pro Hieron. & August. facit quod posteà sequitur. Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti &c. Facit etiam pro ipsis quòd sub saccis prophetarũ & aliorum pœnitentium non fuerit adhuc alius habitus, sed caro tantùm. Patet hoc 3. Regum capite 21. vbi Achab dicitur operuisse cilicio carnem suam. Item 4. Regum 6. vbi de rege Israel scribitur, quòd scidit vestimenta sua, & omnis populus vidit ciliciũ, quo erat indutus ad carnẽ intrinsecus. Item ex Iob 16. Saccum consui super cutem meam. Videtur itaq; propheta planè nudus incessisse, & discoopertis natibus. Hæc annotamus non quòd putamus adeò magni ponderis esse, sed ne facile à veterum sententia discedamus qui scripturas diligentius excusserunt.

3. Reg. 21. f
4. Reg. 6. g

ET dixit Dominus. Sicut ambulauit seruus meus Esaias, nudus, & discalceatus: trium annorum signum & portentum erit super Aegyptum, & super Aethiopiam: sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ, iuuenem, & senem, nudam, & discalceatam, discoopertis natibus, ad ignominiam Aegypti. Et timebunt & confundentur ab Aethiopia, spe sua: & ab Aegypto, gloria sua.

Sicut ambulauit seruus meus Esaias &c.) Sensus est: Quod passus est Esaias, hoc tribus annis patietur Aegyptus & Aethiopia, talem videlicet ignominiam: quamuis Hebraica locutio ambigua sit. Nam secundum Hebræos sensus esse potest quem iam dedimus, nempe quòd illam ignominiam patientur tribus annis, quòd nudabuntur & exuentur bonis suis. Potest etiam hic esse sensus, quòd post triennium patientur, quæ passus est Esaias, ita vt videantur nuda eorũ. Et volunt quidam Esaiã ad totum triennium planè nudum incessisse: alij verò tantùm tres dies in portentum trium annorum, sicut Ezech. 4. dicitur: Diem pro anno dedi tibi.

Et timebunt & confundentur &c.) Sensus est: Iudæi qui hactenus fiduciam & spem habuerunt in Aegyptijs & Aethiopibus, & in quorum auxilio gloriati sunt, timebunt & pudore afficientur maximo, cùm viderint ita & tam indignè tractari Aegyptios & Aethiopes, ad quos tanquam ad asylum tutissimum imminentib⁹ bellis pro suppetijs semper confugerunt.

ET dicet habitator insulæ huius in die illa. Hæccine erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos à facie regis Assyriorũ? Et quomodo effugere poterimus nos?

ET dicet habitator &c.) Figuratus est sermo, simpliciter dixisset, habitator regni Iudæ. Quare autem regnum Iudæ vocetur insula, diuersæ redduntur causæ. Hiero. insulam facit, eo quòd vicinarum gentium fluctibus tundebatur, non secus quàm insula fluctibus maris tunditur. Cõment. verò Hebræorum insulam propterea dictam putant, quia inter mare magnum & mare mortuum sita erat: sed nimis longè hoc petitũ est. Quia enim Babylonem mare desertũ figuratè appellari intelligunt, ij facilè etiam intelligent cur regnum Iudę à propheta insula vocetur: de qua ré dicetur in sequenti capite.

Hæccine erat spes nostra &c.) id est, isti ne sunt, in quibus spem nostram posuimus? & ad quos confugimus, vt nobis auxiliũ præberent contra Assyrios? *Et quomodo effugere poterimus & nos?*) Id est, si Aegyptij & Aethiopes, qui nobis multo sunt potentiores, de captiuitate se eruere nequierunt, quomodo nos poterimus effugere?

CAPVT XXI.



ONus deserti maris: sicut turbines ab Africo veniunt: de deserto venit de terra horribili. Visio dura nunciata est mihi. Qui incredulus est, infideliter agit. Et qui depopulator est, vastat.

ONus deserti maris) Prima huius capitis pars, quæ durat vsque ad onus Dumæ, pertinet ad caput 13. & 14. & ad illa referri debet. Esset autem hoc loco difficultas non parua, quid per mare desertum significaretur, nisi ipse propheta hoc infrà aperuisset, cùm ait, Cecidit cecidit Babylõ, ex quo perspicuum est, quòd mare desertum Babylon appellatur. Simili figura de Babylone dicit Hieremias, Desertum faciã mare eius, & siccabo terram illius, & erit Babylon in cumulos arenarum. A qua autem maris proprietate figuram sumpserit propheta, non ita certum est. Hiero. putat Babylonem mare dici propter multitudinem inhabitantium, erat enim populosissima: Quã interpretationem non abhorret scriptura, quæ libenter populorum multitudinem, & magnum militum exercitum aquis maris inundantibus comparat. Alijs videtur quòd quia mare tempestuosum est, propheta respexerit ad illos motus & impetus. Secundum hos sensus est: In priori parte huius capitis describuntur mala & calamitates illi⁹ ciuitatis, quæ semper tempestates, impetus & bella mouet & excitat contra alias ciuitates. Ad hoc respexisse prophetã, maximè verisimile est, quòd sicut mare ad alias aquas collatũ, multo amplius est & plura complectitur, sic quoq; regnum Babylonis alijs regnis collatũ latissimè pateret, vt mare potius quàm regnum videretur, ad quod

quod mare Iudæa collata exigua tantùm insula erat, exiguis limitib⁹ circumscripta, cui alia regna circumiacebant tanquam vasta quædam maria. Ex his facilè patet, quare in fine præcedentis capitis Iudæa insula vocatur. Addit autem propheta (desertum) vel quia ab habitatoribus suis deserenda erat, vel certè quia Dei auxilio iam destituta erat & deserta.

Sicut turbines ab Africo veniunt &c.) Secundum Hieron. vox Babylonij populi timentis inducitur, siue ipsius Babylonis, quòd audiat Medos & Elamitas contra se exercitum præparare, & de solitudine venire. Sed simplicius est si dicamus esse vocem prophetæ aduentum Medorum atque Persarum contra Babylonẽ prędicentis. Et notandum quòd vox Hebræa, quam Hieron. Africum vertit, non tam venti nomen sit quàm plagæ orbis, quæ dicitur meridies. 1. Reg. Contra meridiem Iudæ &c. Rursus Genes. 8. Dilataberis ad orientem & occidentem, septentrionem & meridiem: Quibus locis eadem vox est apud Hebræos, quæ hoc loco. Interdum tamen metaphoricè sumitur pro vento, qui à plaga meridionali spirat, qui Latinis ab hauriendis aquis auster, Græcis ob eandem rationem Notos dicitur, non autem Africus, qui lateralis ventus est, nõ à meridie omnino sed à parte brumali intra meridiem & occidentem contra Vulturnum spirans. Iam difficultas est, quomodo tẽpestates siue turbines excitet Auster siue Africus, cùm scriptores Austrum nubilosum faciant, & adsere pluuias: tempestates autem & fulgura Boream. Dicere possumus turbines hic accipi nõ tempestates aeris sed maris, vnde Plinius, Austrum tempestuosum facit in mari, quod multũ probabile est, eo quòd propheta hic maris meminit. Sensus ergo est: Sicut flante Austro maxima oritur tẽpestas maris, & fluctus fluctibus cumulantur, sic de deserto, id est, ex Medorum & Persarum regione (cuius nomen sine formidine audiri non poterat à Babylonijs) veniet populus, qui Babylonijs magnam excitabit tempestatem. Intelligitur enim coniunctio (sic) quod Hebręis non est infrequens.

1. Reg. 27. c
Genes. 8. c

Visio dura nunciata est mihi) scilicet contra Babylonem, & quæ sit ista visio, explicatur in sequentibus, cùm dicitur: *Qui incredulus est, infideliter agit*) Notandum quòd vbi Hiero. habet, Qui incredulus est, Hebręi habent vnam vocem בוגד habboged, quæ eadẽ & secundo loco ponitur, vbi transtulit, Infideliter agit. Vox autẽ Hebræa magis significat præuaricari & fidẽ fallere, quomodo & eam infra cap. 24. vertit: præuaricantes præuaricati sunt, & præuaricatione transgressorum præuaricati sunt, vbi mirabili epitasi eandem vocem quinquies repetit propheta, vt præuaricationẽ vehementissimã significet, & populũ nihil aliud voluisse moliri quàm præuaricationem, & in præuaricationibus quasi absorptum esse. Similis epitasis est hoc loco: si enim ad verbum interpretemur Hebræa, hoc modo sonant: præuaricator præuaricator, & depopulator depopulator. Et intelligi potest verbũ, est, erit, vel fit. Si postremum intelligatur hic erit sensus: per me licet ô Persæ & Medi fidem fallere Babylonijs, & aduersus illos suscipere arma: hactenus fuistis illis confœderati, nunc si libet, per me licet vobis vastare terram illorum. Si intelligatur verbum (est) quòd in vertendo subaudiuit Hiero. eo quod vertit in præsenti, agit, sensus erit iste: Persæ & Medi populus infidelis, & pacti nequaquam tenax, sicut alijs gentibus, ita nec Babylonijs seruat fidem. Et futurum tanquam præteritum enunciauit propter certitudinem prophetiæ. *Et qui depopulator est, vastat*) id est, Persæ & Medi, qui gaudent alienas terras deuastare, etiam deuastabunt Babylonem.

Ascende Elam, & obside Mede) Elam regio est Persidis. Sensus est: Vos Persæ accingimini ad arma, ascendite ad expugnandos Babylonios, & vos Medi obsidete potentissimam vrbem Babylonem. *Omnem gemitum eius cessare feci*) Est hic duplex sensus, prior iste: feci ne posthac Babylon excitet alijs gentibus gemitum, quas hactenus frequenter fecit gemere. Alter sensus hic est: Tantis malis Babylonem oppressi, vt ne gemitum quidem liberum habeat. Elam.

ASCende Elam: obside: omnem gemitum eius cessare feci, Propterea repleti sunt lumbi mei dolore: & angustia possedit me, sicut angustia parturientis, Corrus, cùm audirem, conturbatus sum, cùm viderem, emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me, Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: Surgite principes, arripite clypeum. Ioan. 3. d

PRopterea repleti sunt lumbi mei dolore) Hieron. hæc simpliciter intelligit, vt sint verba prophetæ plangentis Babylonẽ, quòd tanta mala super eam ventura sint, vt ipse qui enarrat timore superatus nequeat in verba prorumpere, & misericordiæ affectu motus non minus doleat, quàm mulier in partu dolere consueuit. Verùm nobis magis probatur, si dicamus hæc verba mimicim habere, id est imitationem alieni sermonis seu affectus, hoc sensu: Vos Babylonij tantis malorum vndis afficiemini in obsidione ciuitatis vestræ, vt dicturi sitis huiusmodi verba, Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, id est, hoc patiemini quod patiuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiuntur parturientes: Quanquam ex ijs quæ sequuntur videri possint hæc ad regem Balthasar pertinere, qui dum manum videret in pariete scribentem, passus est ea quæ hic dicuntur, quemadmodum plenissimè habetur in Daniele 5. cap. Vndead intelligentiam huius loci diligenter legere oportet illud caput, & verba prophetæ facilia erunt, quando obseruatur quod mimesim habet. Loquitur enim tanquam ipse hæc passus sit, cùm dicat hæc in persona Babyloniorũ vel regis Balthasar.

Babylon dilecta mea &c.) Hieronymus fatetur se non verba sed sensum reddidisse, verum dum verba non retinet, sensum amisisse videtur. Ad verbum enim est, Caligo dilecta mea, siue caligo desiderij mei. Hebræis enim est חשׁק heſek, quæ vox propriè significat obscurum tempus, illud videlicet quo ferè nihil inter diem & noctem interest siue mane primo diluculo siue vesperi, quod nos crepusculum vocamus propter dubiam adhuc lucem. Creperum enim latinè dubium significat, secundum Nonium & Festum grammaticos. Sensus est: Tempus quo statueram remittere animum, & indulgere genio (quod erat tempus noctis) versum est in horribile miraculum & triste, dum subito vidi articulos manus scribentis in pariete. *Pone mensam, contemplare in specula*) Durat adhuc mimesis: Verba enim sunt regis Balthasar instante crepusculo, iubentis ministris, alijs alia: Pone mensam, hoc vni iubet: Alij, cõtemplare in specula, id est, vide quid agat exercitus, quid Cyrus, quid Darius. *Comedentes & bibentes*) Hic non est mimesis, sed sunt verba prophetæ simpliciter & sine figura prolata, quasi dicat: Hoc tu iubes, sed audi iam iussum meũ, credis hac nocte omnia vobis fore prospera ac secura, non ita erit, sed comedentes & bibentes surgite, arripite clypeum, id est, arma, quia tempus est: inuadunt enim ciuitatem Medi & Persæ.

HAEc enim dixit mihi Dominus. *Vade, & pone speculatorem: & quodcunq; viderit annunciet. Et vidit currum duorum equitum: ascensorem asini, & ascensorem cameli, & contemplatus est diligenter multo intuitu. Et clamauit, leo. Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.*

Abacuc 2. Hiere. 5. a

HAEc enim dixit mihi Dominus &c.) Id est, ego Esaias præter modò dicta, etiam hoc iubeo, & Deo authore iubeo: *Vade & pone speculatorem*) id est, tu Balthasar pone aliquem speculatorem, qui vera annuncier, non qui aliud nunciet, aliud videat, nõ qui dicat, securitas, cùm sit periculum: Et facit propheta tacitè seipsum speculatorẽ, quemadmodum ex sequentibus patet, quasi dicat: Si digneris ô Balthasar hanc prophetiam legere, ego præbebo vices speculatoris, ego adferam tibi certa, vera, & indubitata, ego dicam quæ reuera futura sunt. *Et vidit currum duorum equitum*) facit propheta se speculatorem, qui videat venientem bigam, & aurigam desuper, asinumq; & camelum currum trahere: per quæ obscurè & longè petitis figuris significat exercitũ duorum populorum, Medorum atque Persarum, cui vnus præerat Rex, ipse scilicet Cyrus: Nam Darius adiunctus tantum erat Cyro. Atque horum populorum alter ignobilis erat, alter nobilis: Persæ enim ante Cyrum nullius inter gentes loci habebantur: Medi verò semper potentissimi fuêre, vnde hos per camelum, illos per asinum significat, quemadmodum per vtriusq; animantis ascensorem, ipsum Cyrum.

Et clamauit leo) Hebræi frequenter dissimulant aduerbium & particulam similitudinis (vt) quemadmodum hoc loco. Sensus est: Esaias speculator clamauit vt leo, id est, ita clamauit vt facile exaudiri posset ab omnibus volentibus attendere, tam ab esteris nationibus quàm à Iudæis, ac si diceret propheta: Si vultis attendere ad meam prophetiam, dicam apertissimè omnia quæ ventura sunt.

Duæ rdau rum.

Super speculam Domini ego sum stans) Quia dubium esse poterat de persona speculatoris, qui viderat Cyrum ascendentem, ipse reponit manifestius, dicens se esse speculatorem super speculam Domini. Sensus est: Omni diligentia, tota mente & pectore ego Esaias cupio vobis proponere veritatem, ideo iugiter die noctuq; super speculam Domini sto, vt videam quid dicatur mihi. Similis locus est Abacuc 2. Et qualem oporteat esse eum, qui speculator est constitutus, planissimè exponit sermo Domini apud Ezechiel. vbi dicitur: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel &c.

ECce iste venit ascensor, vir bigæ equitum & respondit, & dixit, Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terra. Tritura mea, & filia areæ meæ quæ audiui à Domino exercituum Deo Israel annunciaui vobis.

ECce iste venit) Sensus est: ecce iste ascensor cameli & asini, id est, Cyrus dux gentium fultus exercitu venit contra Babylonem. *Et respondit*) scilicet propheta speculator & dixit, Cecidit cecidit Babylon, id est, breui futurum est, vt cadat & deuastetur ciuitas illa potentissima Babylon, & omnes deorum simulachra vsq; ad solum sternantur. Quod autem meminit propheta simulachrorum, hoc studio facit propter Iudæos, ac si diceret: Vos Iudæi toties respicitis ad idola aliarum gentium, ecce idola nihil proderunt Babylonijs.

Tritura mea & filia areæ meæ &c.) Istud epiphonema est & clausula, siue id quod oratores dicunt in fine orationis, Dixi. Si hoc modo extulisset, Ciues Hierusalem, siue vos Babylonij dixi quæ audiui à Domino, nulla esset difficultas: Nunc verò quia figuratè loquutus est, quidam per trituram & aream siue filiam areæ quod idem est, Hierusalem intelligunt, & est egregia locutio prophetæ: Illam enim semper coluit, & à vitiorum paleis in modum triturantis purgauit, atq; in ea versatus est tanquam in sua area. De hac locutione, filia areæ, siue vt alij legunt, filij areæ, vide supra capite 5. vbi dicitur: Vinea facta est dilecto meo in filio oleæ. Alij triturам & aream Babylonem faciunt æquè probabiliter, hoc sensu: Vos Babylonij quibus pro area messoria vtor, & prophetia mea conculco, dixi quæ audiui à Domino.

ONus Duma ad me clamat ex Seir. *Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos. Venit mane, & nox. Si quæritis, quærite: conuertimini, & venite.*

ONus Duma) Pro Duma Septuaginta Idumæam transtulerunt. Est autem Duma non tota Idumæa prouincia, sed quædam eius regio, quæ ad Austrũ vergit, iuxta quam sunt montes Seir, sic dicti ab authore: Seir quippe interpretatur hispid⁹ & pilosus, qui Esau fuit, qui etiam interpretatur Edom, cuius nominis ratio exprimitur in Genesi, à quo nomine faciunt Græci Idumæam, cinerea. *Ad me clamat ex Seir*) Est hoc loco metalepsis. Vnũ enim ex alio significatur. Dum enim, clamat, significare vult quod patiatur, hoc sensu: Populus ex Seir siue Idumæi ab hostibus obsessi & in angustia constituti clamant ad me.

Custos quid de nocte?) Est Hebraica phrasis, quam imitantur & Teutones, dicentes, Vvat est van der nacht? id est, quota est hora noctis? Et facit propheta se hoc loco custodem eodem sensu quo supra speculatorem. Interrogant ergo obsessi an adhuc diu nox sit duraturа, quasi dicerẽt, nos cuperemus trãsijsse noctem, & adesse diem: Dies enim adimit multum angustiæ, nox verò cumulat. Die ergo nobis, quota est hora noctis? Quibus respondet propheta noctem quidem citò præterituram, sed ita præterituram vt nihil minus cum die remaneat nox, ac si diceret: Vos putatis quod ad diem lenius habebit malum vestrum, sed nõ habebit: Veniet quidem mane, sed mane malum vestrum nulla ex parte leuabitur, etiam in media die obsideri patietur vos Dominus: Et fortiorem eis commonstrans consolationem ait: *Si quæritis, quærite: conuertimini*) scilicet ad Deum Israel serio & ex animo, non in necessitatibus tantùm, sed & alio quouis tempore: quem si quæsieritis, serio quærite & non fictè, sed ex tota tribulatione animæ, & venite ad Deum per veram pœnitentiam, & susceipiet vos & liberabimini. Eadem est sententia Deut. 4. Cùm quæsieris ibi dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris & tota tribulatione animæ tuæ. De onere Idumæorũ, & causa ob quam passi sunt plenius scribunt Hierem. & Ezechiel, Abdi. & Amos. Causa autem fuit hæc, quia filios Israel, quos prosequi debebant amore & beneuolẽtia, hostiliter semper persecuti sunt.

Deut. 4. d

Ierem. 49. Ezech. 25. Abd. 1. Am. 1.

ONus in Arabia. *In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dodanim. Occurrentes sitienti ferte aquam: qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt: à facie gladij imminentis: à facie arcus extenti: à facie grauis prælij.*

ONus in Arabia) Licet Arabia Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Ismaelitas complectatur: hic tamen de Ismaelitis tantùm loquitur propheta, quod ex eo manifestum est, quia in fine huius capitis & prophetiæ mentio fit de Cedar siue Agarenis, quos ex Ismaele ortos esse constat ex Genesi: Et hanc coniecturam adiuuat, quod cum propheta in cæteris visionibus hac forma vtatur.

Onus Ismaelitarum.

Onus Ægypti, Onus Babylonis &c.) hîc dicit, onus non quidem Arabiæ, quasi totius regionis Arabiæ, sed onus in Arabia, quasi partis cuiusdã in regione Arabiæ. Incolunt autem Ismaelitæ vastissimam eremum, nec domos habent, sed tantùm tabernacula preciosa quidem ea & ad ostentationem faciendam armentis & camelorum gregibus abundant, de quibus vide Hieremiam cap. 49.

In saltu ad vesperam dormietis &c.) Metalepsis est, qua significatur concita fuga, & quæ nullam patiatur morã, quasi dicat propheta, non expectabitis diem vt fugiatis, sed instante nocte ausugere cogemini, & dormietis vbi sors dabit, videlicet in semitis Dodanim, id est, in itinere, quod ducit ad ciuitatem Dodanim siue Dedanim: Sic enim legendum est, vt patet ex Hebræo.

Occurrentes sitienti ferte aquam &c.) Et hic metalepsis est, qua sicut superiore significatur celerrima fuga. Sensus est: Vos qui habitatis plagam Australem siue Meridionalem, cùm videritis Ismaelitas fugientes, præbete illis aquam & panem, nec expectate donec ipsi ad vos venerint, sed occurrite illis, alio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quin ob ardorē sitis ex celerrima fuga contractæ interituris, simulq; causam quare fugiant, & hæc fieri iubeat reddit, dicens: *A facie enim gladiorum fugerunt*) id est, fugiunt gladium Chaldæorum.

QVoniam hæc dicit Dominus ad me, Adhuc in vno anno, quasi in anno mercenarij: & auferetur omnis gloria Cedar: & reliquiæ numeri sagittariorum fortium, de filijs Cedar imminuentur. Dominus enim Deus Israel loquutus est.

ADhuc in vno anno &c.) De anno mercenarij dictum est suprà capite 16. Sensus est: Adhuc vno anno & non diutius patiar extrahi gloriam Agarenorum, ille vbi finitus fuerit statim auferetur gloria Cedar, id est, Ismaelitarum, qui à filio Ismael, habent, vt Cedar vocentur. Hic argumentum est satis apertum, quòd propheta nomine Arabiæ tantùm Ismaelitas complectitur. Gloria autem Cedar maximè sita erat in tabernaculis, quorum mentio fit in Canticis, & Hiere. 49. Pretiosas facit pelles tabernaculorū Cedar. Gloria eorum erat etiam in armentis, sicut patet in eodē loco Hieremiæ. Præterea erant egregij sagittarij, quemadmodum & Ismael, à quo originem ducunt, de quo Genesis 21. dicitur: Et factus est iuuenis sagittarius. Hęc omnia certò euenient, quia Dominus Deus Israel locutus est, cuius verbum stabile est, & firmum.

Hieronymus, quem ferè omnes sequuntur, onus hoc in Arabia aliter exponit, videlicet vt primo versu, qui est, *In saltu ad vesperam dormietis &c.*) prædicatur Iudæis, quòd qui captiuitatem Babylonicam effugere potuerint, habitaturi sint in solitudine Arabiæ, in itinere quod ducit ad fratres: in secundo verò versu & sequentibus sermo conuertatur ad Ismaelitas, vt lassis Iudæis & ardore sitis periclitantib⁹ obuij currāt, aquam ferentes, & panem ad refocillandum eos: Et ne despiciant miseros, prædicit & ipsorum captiuitatem cito venturam, ibi, Adhuc in vno anno &c. Quæ expositio vt plenius intelligatur annotandum est, quòd vox Hebræa, quæ in nostra editione vertitur, vespera, pro varietate punctorum varia significat. Quando enim substratum habet duplex segol, hoc sono ערב ereb vesperam significat: quando verò sub prima syllaba substratum habet hatephpathah, & sub secunda camets, hoc sono ערב arab, Arabiam significat. Quæ puncta in biblijs Hebræis, quæ hodie in manibus habentur, eis substernuntur. Sequens vox Hebræa תלינו talinu, quam noster interpres transtulit, dormietis, significat pernoctare, manere & commorari. Dedanim autem (vt ait Hiero.) vertitur in propinquos & notos.

CAPVT XXII.

ONus vallis visionis. Quidnā quoq; tibi est, quia ascendisti & tu omnis in tecta tua? moris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans? Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui tui mortui in bello. Cuncti principes tui fugerunt simul, dureq; ligati sunt, Omnes qui inuenti sunt, vincti sunt, pariter procul fugerunt.

CAput hoc variè à varijs exponitur. Eusebius enim Pamphil. ad tempora Christi refert, quando à Romanis capta est Hierusalem: Hebræus verò, quo vsus est Hieronymus, ad tempora Sennacherib: Alij referunt ad tempora Nabugodonosor. Verùm ad quotum vsq; locum, nostro iudicio, probabiliter intelligitur de captiuitate quę sub Nabugodonosor, & postea de ea quæ sub Sennacherib facta est, vt caput hoc duo complectatur capitula. Cùm autem hic in prælio ponatur Elamitæ, quæ vrbs Assyriorum est, refere hæc non possumus ad tempora Romanæ subuersionis, nisi fortè cuncta allegoricè interpretemur.

Onus vallis visionis) Est periphrasis ciuitatis Hierusalem. Vnde Septuag. licet non habeatur in Hebræo, manifestius transtulerunt. Verbum vallis visionis Sion. Dicitur autem Hierusalem vallis visionis, quia seminarium fuit omnium ferè prophetarum, & in ea siones multiplicatæ sunt. Sensus est: Onus lius ciuitatis, in qua prophetæ suā habuerunt sedem, & vbi semper maximè sati sunt. Cùm autē ciuitas Hierusalem tim in monte sita sit, partim in valle, pinosin vallem appellauit. Est autem nosis, secundum grammaticos, magna humilis expositio. Prudenter tamen ta humilitatem sermonis epitheto tempuit, addens, Visionis.

Quid tibi quoq; est &c.) Id est, quid ô Sion, quòd tu etiā ascendisti tectā? do dicit, Etiā tu, ostendit quod & alij derint, quare illa particula, Etiām tu, da est ad caput decimum quintum, Moabitis dicitur, quòd ascendebant cuius loci duplex est expositio: vna, præ metu hostium ascendebant tecta, ra, quòd ascendebant illic oraturi. taq; est: Quidnam tibi accidit Sion, quòd quoque fugisti ad tecta, id est, ad loca consecrata, qui populus Dei es, & pro nec respicere quidem deberes ad idola?

Clamoris plena) Alia est periodus, & hîc incipit sententia, quod ex Hebræo manifestū est, vbi (plena) est fœminini & singularis numeri, & propterea subaudi-

ligere oportet hanc vocem, ciuitatem vel vrbem, & non tecta. Hanc syntaxim annotat Haymo, & eius etiam meminit Thomas. Clamorem posuit pro eiulatu, qualis esse solet in obsidione alicuius ciuitatis. Sensus ergo est: Tu Ierusalem soles triumphare, nunc autem eiulas.

Interfecti tui &c.) Sensus est: Tam diu obsidione cingeris, donec fortes tui & viri bellatores fame pereant, non dabitur tibi vt in campo congrediantur fortes tui cum hoste, & ibi fortiter pugnando glorioſe occumbant, sed obsidione superabuntur, & fame interibunt.

Cuncti principes tui fugerunt) Historia nota est ex capite 39. Ieremiæ, & 4. Regum capite vltimo. *Omnes qui inuenti sunt*) Manifestius vertit Pagninus hoc modo: Omnes qui inuēti sunt in te vincti pariter, & sic qui procul fugerant.

PRopterea dixi: Recedite à me: amarè flebo, Nolite incumbere, vt consolemini me, super vastitate filiæ populi mei, Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuum Domino Deo exercituum, in valle visionis. Scrutans murum, & magnificus super montem.

PRopterea dixi &c.) Sensus est: Ego aduertēs ista futura, cogor dolere, & doleo inconsolabiliter super vastitatem filiæ populi mei, id est, ciuitatis Ierusalem. *Dies enim interfectionis &c.*) Reddit causam, quare dixit recedite à me, & manifestiꝰ reddiderūt hunc locum Septuag. addentes præpositionem (à) hoc modo: Dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum à Domino Deo Sabaoth in valle Sion. Sensus est: propterea doleo, doleo inquam nullam consolationem admittens, quia video diem appropinquare, qua interficiemini, & tota ciuitas flebit, & hoc authore Deo & Domino exercituū. Per hoc quod dicit, Scrutans murum, significare vult propheta demolitionem murorum ciuitatis Ierusalē. Sensus est: Dies iste demolietur muros ciuitatis Ierusalem. *Et magnificus super montem*) Vox Hebræa שורץ soa, quę hoc loco ponitur ambigua est: nunc enim clamorem significat siue clamantem: nunc verò magnificum siue superbum. Si ergo in priori significatione accipiamus, in qua accipiūt Hebræi, sensus erit iste: Dies clamans super montem, id est in montibus vrbi vndiq; circumiacentibus erit ingens militum clamor, atq; hostium fremitus. In monte enim est enallage numeri pro montibus. Si verò in posteriori significatiōe accipiamus, in qua accepit Hieronymus, sensus erit iste: Superbꝰ incedet victor exercitus vel in templo. Secundum hanc expositionē per montem intelliget templum, quæ figura nota est, quia super montem extructum erat.

ET Elam sumpsit pharetram, & currum hominis equitis et parietem nudauit clypeus, Et erunt electæ valles tuæ, plenæ quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta, & reuelabitur operimentum Iudæ. Et videbitis in die illa armamentarium domus saltus: & scissuras ciuitatis Dauid videbitis, quia multiplicatæ sunt, Et congregastis aquas piscinæ inferioris, & domos Ierusalem numerastis, & destruxistis domos ad muniendum murum. Et lacum feciſtis inter duos muros, & aquam piscinæ veteris, & non suspexistis ad eum qui fecerat eam, & operatorem eius de longe non vidistis.

ET Elam sumpsit &c.) Id est, Elamitæ sumpserunt. Isti enim coniuncti fuerunt Chaldæis in expugnatione Ierusalem. Potuisset propheta simpliciter tribus verbis dixisse: In illa obsidione vrbs euertetur, sed maluit per partes explicare, vt magis infigeret mentibus eorum, qui adhuc sanabiles erant. In pharetrā, curru &c. synecdoche est, vel enallage numeri, pro pharetris, curribus &c. Sensus est: Veniet exercitus iste, nō quidem armis bellicis destitutus, sed & telis & pharetris instructus erit, & curribus, quibus nec aurigæ deerunt, atq; hoc significat cùm ait, Currum hominis equitis: & non solùm pharetris instructus erit & curribus, sed & clypeis, atq; hoc est quod dicit, *Et parietem nudabit clypeus.* Clypeos enim tempore pacis ad parietē suspensos, tempore belli quisque secum rapit, quibus iam detractis paries relinquitur nudus. Quanquam in voce Clypeus possit esse metonymia pro clypeato exercitu, hoc sensu: futurum est vt clypeatus exercitus non mœnia tantùm, sed & domesticos parietes euertat.

Et erunt electæ valles tuæ &c.) Pluribus & per partes adhuc explicat propheta, quod duobus verbis dicere poterat. Sensus est: Totus ager ciuitatis plenus erit curribus hostilibus. Per valles enim totum vrbis agrum intelligit. *Et equites ponent sedes suas.*) Expressius hoc dixit Ieremias capite 39. Sederunt in porta media &c. Hieronymus per operimentum sancta sanctorū intelligit, Hebræi verò quasuis munitiones. Secundum illum ergo sensus est: Sancta sanctorum, quę hactenus fuerunt inaccessa, nunc etiam profano militi patebunt. Secundum hos verò sensus est iste: Quidquid erit munitionum demolietur.

Et videbitis in die illa &c.) Tradunt Hebræi Regem Dauid constituisse certam domum, in qua arma bellica conseruabantur, atq; hæc in saltu erat constructa, quæ vulgo non patebat, sed nunc patebit etiā cuilibet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc est expositio Iudæorum, quæ si nõ placet, pro domo accipe illam domum de qua scribitur 3. Regum cap. 7. quæ erat in saltu Libani, hoc sensu: Hostis non tantùm vexabit vrbem, sed etiam illam domum, quæ est in saltu Libani euertet. *Et scissuras ciuitatis &c.*) Quæ intelligatur hîc ciuitas Dauid, exponit scriptura 2. Regum, cùm ait: Habitauit Dauid in arce Sion, & appellauit eam ciuitatem Dauid. Sensus est: Arx Sion, quæ licet videatur inexpugnabilis, illa tamen subuertetur. 2. Reg. 5.

Et congregastis aquas &c.) In genere propheta vult istud dicere: Quum ita obsidebimini, vos adhibebitis omnia humana præsidia aduersus obsidionem, & de Deo ne cogitabitis quidem, nec ad illum pro auxilio confugietis, maluit tamen per partes hoc explicare propheta, dicens: Cõgregastis aquas piscinæ inferioris, id est, aquas quæ erant in loco inferiori, vbi poterant intercipi & capi ab hoste, transferetis ad locum superiorem, firmioremq; munitionem, ne in obsidione vobis desint aquæ. *Et domus Ierusalem numerastis*) id est, per singulas cognationes, quæ domus quantum aquæ indigeat dinumerabitis & perpendetis: Sic Hiero. Vel certè hoc modo: Domos Ierusalem numerastis, scilicet ad excubandum, id est, sollíciti eritis de excubijs vicissim agendis, vt nunc ista domus excubet, nunc illa. *Et lacum fecistis inter duos muros*) id est, fecistis cisternã nouam, ne vobis desint aquæ ad vsum belli. *Et aquã piscinæ veteris*) Legendum videtur ad aquam piscinæ veteris, quomodo etiam habent exemplaria Roberti Stephani, vt sensus sit: Fecistis cisternam nouam iuxta cisternam veterem. Hiero. tamen legit, & aquam, hoc sensu: Piscinam veterem instauraftis ad seruandas aquas. Ad verbum in Hebræo est: Et congregationem fecistis inter duos muros aquę piscinæ veteris. *Et non suspexistis ad eum, qui fecerat eam*) Clarioribus verbis dixisset propheta hoc modo: In huiusmodi munitionibus & præsidijs, qualia in obsidione adhiberet aliquis Iulius Cæsar, habebitis fiduciam, & non in Deo, putabitis nullam esse salutis spem in precibus, hymnis & ieiunijs, sed tantùm in milite & alijs munitionibus.

ET vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluicium, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum, Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum, Hæc dicit Dominus exercituum. 1. Cor. 15. c

ET vocabit Dominus Deus &c.) Sensus est: Captiuitate iam præsente, & obsessa ciuitate Ierusalem, Dominus non planè obliuiscetur vestri mittet Ieremiam, qui vocabit vos ad pœnitentiam, & è contrario vos, & principes vestri & miserabile vulgus tradetis vos commessationibus & epulis. Ex hoc loco discimus pœnitentiã complecti fletum, planctum, saccos, & id genus alia, & non tantum terrores, quos incutit conscientia peccati, & fiduciam in misericordiã per Christum promissam, quæ secundum Philippum absoluunt pœnitentiam, vt dictum est capite 2 &c.

Comedamus & bibamus &c.) Verba hæc paganismum habent, quasi non crederent futuram resurrectionem, sed simul animam cum corpore interire, sicut dicit Epicurus, post mortem nihil est, & mors nihil est. Aliqui videtur esse sermo desperationis, ac si dicerent: Quorsum agimus excubias, nihil nobis proderunt, cras enim omnes moriemur & ab hoste interficiemur. Vtamur ergo præsentibus dum licet, & gaudeamus & bibamus. Hoc modo accipit Hieronymus, vnde hoc testimonio dicit Paulũ abusum ad Corinth. hoc modo scribentem: Si mortui non resurgũt, comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Verba hæc ijs accommodare possimus, qui securi omnium rerum, & mortis & inferni, vtuntur præsentibus.

Si dimittetur iniquitas hæc vobis) Cùm videret propheta tantam populi securitatem etiam in media obsidione, minatur eis dicens: Si dimittetur vobis &c. Est aposiopesis, qualis est in Andria apud Comicum, Quem ego si sensero. Sensus est: Si ego vnquam misero vobis hanc securitatem vitæ vestræ, volo vt mihi quiduis potius eueniat. Commentarius Hiero. hoc loco habet, quod nihil sic offendit Deum, quàm post peccata recta ceruix, & ex desperatione contemptus. Vnde hîc dicitur, si dimittetur &c. Lyra apponit, si, pro non, sed tunc oratio non habet efficaciam suam, quamuis ille sit sensus.

VAde & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum, Quid tu hic? aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuabit te, Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spaciosam, Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, & ignominia domus Domini tui, & expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.

VAde & ingredere &c.) Quæ hactenus exposita sunt, pertinent ad captiuitatem, quæ

quæ accidit sub Nabugodonosor, cui non interfuit Esaias: nunc incipit quasi nouum caput, & omnia quæ dicuntur vsq; ad finem capitis, referenda sunt ad tempora Sennacherib, quo tempore vixit Esaias propheta, qui nominatim reprehendit Sobnam, qui vehementer offensus erat Esaiæ. Hunc Sobnam tradunt Hebræi fuisse summum pontificem: quidam dicunt Regi fuisse à thesauris, & quæstorem Regis: vtriq; autem factiosum & Esaiæ offensum faciunt. Priores illos, qui eum pontificem fuisse dicunt, secutus Hieronymus quædam liberius transtulit. Nam pro habitante in tabernaculo, Hebræi alia habent verba, in quibus nulla aut tabernaculum significant, aut habitantem in tabernaculo: sed tabernaculum adduxisse videtur Hierony. quia tabernaculi cura sacerdoti erat propria, & ita non consuluit literam, sed sensum, quem præsumpsit. Verùm nusquam habetur, quòd sacerdotes habitauerint in tabernaculo, quod nec rectè colligi potest ex primo capite Numeri, in cuius fine & Leuitarum & tabernaculi mentio fit. Vocem Hebræam Aquila reliquit non versam, dicens, Ingredere ad Sobnem. Significat autem Hebræis Sobnem thecam seu repositorium. In qua significatione vertit Hieron. 2. Paralip. cap. 32. Apothecas frumenti, vini, olei, &c. Sed hæc significatio longè abest à tabernaculo. Significat etiam thesaurarium, in qua significatione vertit Pagninus, qui sic habet: Ingredere ad thesaurarium istum, id est, ad Sobnem. *Præpositum templi*) Neq; hoc ad verbũ transtulit Hieronymus: In Hebræo enim ad verbum est, Ad illum qui supra domum, & intelligitur verbũ, est. Atq; hoc modo alibi vertit Hieronymus capite 36. & 37. huius prophetæ: cap. verò 17. & 18. 4. Regum vertit præpositum domus. Ex his locis videtur Hieronymus sumpsisse hunc Sobnam fuisse præpositum templi, & sacerdotem, ac curam templi habuisse: Sed infirmum est argumentum. Nam licet 57. capite Esaiæ & 18. quarti Regum, domus Domini pro templo accipiatur, non propterea oportet domum, quæ mox in eadem periodo sequitur, pro templo accipi. Quare alij, inter quos est Rabbi Abraham, arbitrantur hunc Sobnam fuisse præpositum domus regiæ, & ita non ecclesiasticum, sed aulicum fuisse opinantur. Vtcumq; est, hunc Sobnẽ fuisse reprehensibilem, certum est.

Et dices ad eum: quid tu hic?) Sensus est: Quid tu profane, qui alienus es à vero Dei cultu, hîc Hierosolymis agis? Secundũ Hieron. verò hic est sensus: Quid tu ô pontifex habitas in domo Dei, cùm nihil habeas præter titulum pontificis? scelera tua in tota vrbe bacchãtur, & adhuc versari audes in templo? *Aut quasi quis hic?*) Ad verbum in Hebræo est, Et quis tibi hic, scilicet, conatus est vt hîc habites? Et hoc secundum posteriores, qui dicunt illum fuisse alienigenam. Secundum alios verò, qui legunt, Aut quasi quis hic? sensus est: Sic te præbes quasi aliquis sis, & aliquo loco habendus, cùm nullus sis, nulloq; ordine reputandus.

Quia excidisti &c.) id est, Fieri tibi præcepisti sepulchrum multa arte elaboratum. *Excidisti in excelso &c.*) quasi alijs verbis diceret: Ambitio tua etiam vsq; ad mortem te sequitur in extruendo sepulchrum, quo tui memoriam relinquas posteris. *In petra tabernaculum &c.*) Idem significat quod prius licet alijs verbis: Per tabernaculum enim sepulchrum intelligit.

Ecce Dominus asportari te faciet &c.) Id est, putas te hîc diu victurum, & deinde te gloriosè moriturum in hac ciuitate, sed hoc tibi non continget: aufereris enim ex hac ciuitate non aliter quàm gallus gallinaceus aufertur à rusticis aliquò, vt vendatur. *Et quasi amictum &c.*) Id est, credis te potentem, & non posse à quoquam loco moueri, sed tam facilè istud erit Domino, quàm à nobis pallium in scapulas leuatur.

Coronans coronabit te tribulatione) Id est, nunc quidem gloriosus es & superbus, sed insigniter adhuc coronabit te Dominus tribulatione & angustia. Quod dicit, Coronãs coronabit, est geminatio Hebraica multùm faciens ad auxesim. *Quasi pilam mittet te &c.*) Id est, tam facile mittet te in terram latam & spaciosam, in terram Aegypti siue Assyriorum, quàm facile à nobis pila è loco in locum mittitur. *Ibi morieris*) quasi dicat: Frustra iussisti extrui tam magnificum sepulchrum in Hierusalem: non enim ibi morieris, sed in terra spaciosa & lata. *Et ibi erit currus gloriæ tuæ*) Id est, opes quibus nunc fultus superbè incedis, quæ te iam euehunt, & gloriosum celebremq; faciunt, diripientur, & eris ipse captus, tunc senties ignominiam domus Domini tui, quia propter mala opera & violatum Dei præceptum, hæc patieris. *Et expellam te &c.*) Secundum Hieronymum, sensus est: Detraham te de gradu tuo, & de pontificatus officio te amouebo. Septuaginta transtulerunt: Aufereris de dispensatione tua, & de gradu tuo. Nihil ergo significatur quàm quod amouebitur à functione sua.

ET erit in die illa, vocabo seruum meum Eliachim, filium Helchiæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuã dabo in manus eius, & erit quasi pater habitantibus Ierusalem domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui patris sui, & suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas parvulum, à vasis craterarum, vsq; ad omne vas musicorum. Iob 12. c. Apoc. 3. d

VOcabo seruũ meum Eliachim &c.) Sobnę officio functus est Eliachim, quemadmodum patet Esaiæ 36. & 37. cap. & 4. Regum 17. & 18. Hic insinuatur quòd Sobna ex Præposito factus sit Scriba. *Induam illum tunica tua*) Istud est Hieron. alterum argumentum pontificatus Sobnæ, & interpretatur omnia de ornatu Aaronis, de quo Exodi cap. 28. scribitur. Secundum quem sensus est: Hunc Eliachim pro te faciã pontificem. Alij metaphoricè accipiunt de honoribus, quos vulgo impendebãt Sobnæ adhuc Præposito, hoc sensu: Ego efficiam vt honores, quos vulgus hactenus tibi impendit, transferantur ad Eliachim, & illi impendantur. Est similis phrasis illi: Stolam gloriæ induet eum, qua significatur vitæ & famæ integritas. Sensus enim illius iste est: Ego efficiam vt de Christo omnes honorificè sentiant & loquãtur, efficiam vt omnes illi genu incuruent, & diuinos honores impendant. Per cingulum metaphoricè intelligunt vitæ ac morum moderamen. Eccle. 15. a & 45. b

Et erit quasi Pater &c.) Id est, Tu Sobna dominum egisti superbũ, neq; affectus fuisti populo tuo, sicut pater filijs affici solet, sed patrem exhibebit sẽ iste Eliachim.

Et dabo clauem domus &c.) De hac phrasi dictum est capite 9. vbi dicitur: Factus est principatus super humeros eius. Sensus est: Cura Oeconomiæ erit penes Eliachim. Vel si dicamus ipsum fuisse summum pontificem, sensus erit iste: Concedam illi summam rerum, quæ ad domum Domini & ad sacerdotium pertinent. Hoc modo accepit Hieronym⁹, per clauem intelligens potestatem omnium cæremoniarum, quid, qui, & quomodo cantabunt, & celebrabunt officium Dei. Haymo verò, Dionysius, Tho. Lyra clauem proprij nominis accipiunt qualem vulgo intelligunt, qui non sunt exercitati in figuris: & domũ Dauid appellari dicunt templum, quia authore Dauid extructum est, quanquam Salomon ædificauerit, sed videat studiosus an hoc habeat vsus scripturæ. Certè capite septimo huius prophetæ domus Dauid accipitur pro tribu Iuda: Et si in priori significatione non reperiatur in biblijs, retineatur posteriór expositio. *Et aperiet &c.*) Id est, quicquid faciet iste Eliachim, hoc ratum habebitur, & non erit qui infringat.

Et figam illum paxillum &c.) Vsus paxillorum est in Exodo cap. 38. & Num. 3. Sunt autem claui lignei, quibus configuntur tentoria in terra: Vtimur eis & in re domestica, quando suspendimus ex illis vestes, cacabos & similia. Quemadmodum autem ex illis paxillis huiusmodi pendent instrumenta, sic ex principe pendet populus, & proinde sensus huius loci iste est: Ego efficiam vt ... Eliachim pendeat populus & tota respub. ... ea tanquam ex paxillo. *Et erit in solium gloriæ &c.*) Id est, Iste Eliachim licet sit nobilis & illustri loco natus, ipse tamen multũ splendoris, non solùm sibi sed & toti familiæ adferet.

Vasorum diuersa genera) Quia in superioribus ipsum Eliachim figuratè paxillum vocauit, metaphoram seruat in reliquis, & prosequitur, Suspendent super eum vasorum diuersa genera, nihil aliud significare vult, quàm quod omnes à minimo vsque ad maximum pendebunt ex vno Eliachim tanquam ex eodem capite.

IN die illa dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

AVferetur pixillus) nõ quidem posterior videlicet Eliachim, sed prior scilicet Sobna: Sic interpretatur Rabbi Salomon quem sequitur Lyra. Alij quia statim est abbita mentio Eliachim simplicius putant de illo locus hic intelligatur: Verùm quia non admodum in hunc conueniunt ea quæ sequuntur, probabilior nobis videtur expositio Rabbi Salomonis. Quod sequitur, *peribit quod pependerat in eo*, hunc habet sensum: Postquam Sobna perierit, etiam qui pependerũt ex illo, cognati videlicet & coniurati eius interibunt, quia dominus locutus est, cuius verba irrita esse non possunt. Hiero. putat de Eliachim intelligi & non Sobna, quia non legimus quòd qui pendebant ex Sobna perierint, sed Eliachim qui erat summus sacerdos, cum omnibus sacerdotibus perijsse dicit in vltima captiuitate, verùm non cogit Hieronymi sententia.

CAPVT XXIII.

ONus Tyri. Vlulate naues maris, quia vastata est domus, vnde venire consueuerant, de terra Cethim reuelatũ est eis. Tacete qui habitatis in insula, negotiatio Sidonis. Transfretantes mare repleuerunt te in aquis multis, semen Nili, messis fluminis fruges eius, & facta est negotiatio gentium.

ONus Tyri) Subuersionem Tyri, quam hoc capite prædicit propheta, & subuersionis causas plenius ac manifestius exponit Ezechiel capite 26. & duobus sequentibus. Est autem Tyrus Metropolis Phœnicis regionis, quæ Hebraico Syroq; sermone צור tsor appellatur: Regio autem Phœnicia Galileæ contigua est: sed inter cæteras Phœniciæ vrbes Galileæ proxima est Ptolomais, de qua in Actis, & deinde Tyrus. Hæc autem Tyrus tempore Esaiæ & Ezechielis insula erat, vnde capite 27. Ezech. describitur sita in corde maris, postea ab Alexandro Macedonum Rege terra continens facta est, propter expugnationem aggeribus in breui freto comportatis, quòd ante ipsum conatus est facere Nabugodonosor. De propinquitate autem eius ad Galilæã, colligere licet ex euangelio, vbi Christus scribitur transisse ex Galilæa in partes Tyri & Sidonis.

Vlulate naues maris) Pro mari in Hebræo est Tharsis, frequens quidem vox in scripturis, sed quam Hieronymus & Septuaginta nunc Latina voce maris vertunt, nunc non vertunt, sed dicunt Hebraicè Tharsis. Superius capite 2. Hieronymus non vertit sed posuit Hebraicam vocem dicens, Super omnes naues Tharsis. Similiter Ionæ 1. Inuenit nauem euntẽ in Tharsis, hoc verò capite semper vertit. Septuaginta licet in Iona non vertant, vertunt tamen secundo capite huius prophetæ, dicentes, Super omnes naues maris. idem Septuaginta hoc capite vbiq; verterunt Carthaginem. Hæc vnde sumpta sint videre licet apud Hieronymum in epistola ad Marcellam, vbi omnib⁹ locis collatis (quę est optima interpretandi ratio) ostendit nomen Tharsis hononymum seu æquiuocum esse, ita vt præter illam terræ partem, quæ in India seu in Africa est, etiam lapidem significet, quẽ alij Chrysolitum, alij hiacynthum esse volunt, atq; hoc est naturale istius vocis significatum, in quo ponitur Exodi, vbi in rationali Aaron poni iubetur Tharsis. Item Ezech. vbi dicitur, Omnis lapis preciosus operimentum tuum: & inter cæteros lapides numeratur Tharsis. Et Danielis 10. vbi de Domino loquens ait, & corpus eius quasi Tharsis. Quibus locis noster textus habet Chrysolitum, quomodo etiam vertit Aquila: Symmachus verò & Theodotiõ interpretati sunt hiacynthum: Et quia mare cæruleum est, & sæpe radijs solis percussum seu contactum prædictorum lapidum colorem trahit, hinc etiam ipsum mare cœptum est apud Hebræos à colore Tharsis appellari, maximè mare mediterraneum: Nam aliud mare vix agnoscit scriptura, ita vt quicquid extra mare mediterraneum est, habeatur tanquam insula. In hac significatione ponitur Psalmo 47. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis, id est, maris. Et psalmo 71. Reges Tharsis & insulæ munera offerent: vbi reges maris verti poterat. Et Ionæ 1. Inuenit nauem euntem in Tharsis: Non enim ad certum locum cupiebat fugere Ionas, sed mare ingrediens quocunq; fortuna ferret pergere festinabat. Quanquam Iosephus eo loco Tharsim interpretatur ciuitatem Ciliciæ, patriam Pauli, mutata tantùm prima litera th aspirata, in t non aspiratam, sed reprehenditur à Hieronymo in epistola ad Marcellam. Dictũ iam est, quare mare appelletur Tharsis: quare autem Septuaginta verterunt Carthaginem non ita constat, fortè circunstantia loci & ciuitatis Tyri ipsos ad sic vertendum inuitauit. Erat enim Carthago colonia Tyriorum, vnde Virgilius: Vrbs antiqua fuit Tyrij tenuere coloni. Hos sicut Chaldæus interpres, Africam vertit, genus ponens pro specie. Et Hieronymus 27. Ezechielis, Carthaginenses negotiatores tui: quo loco cæteri interpretes habent Tharsis siue Tharsenses negotiatores tui. Ezech. 27. a

Ratio autem quare ibi Carthaginem vertit Hieronymus esse videtur, quia subijciuntur Græci, Iberi, & cæteri, Dicere poterat, omnes qui versantur in mari, deferent ad te merces suas, & explicans propheta, qui sint illi, ait: Græcia, Tubal, Mosoch, id est, Iones, Iberi, & Cappadoces. Sensus itaq; huius versiculi, Vlulate naues maris, est iste: Omnes naues quotquot versamini in mari quocunque, præsertim mediterraneo vlulate, & soluite vos in lachrymas, & causãm reddit cùm adijcit:

Quia vastata est domus) Aut aliter legunt Hebræi, aut mirè vertit Hieronymus, dicens, Quia vastata est domus, secundum quem sensus est: Vlulate naues maris, quia vastata est Tyrus, quæ est quasi domus. Secundum Hebræos autem iste est sensus: Vlulate naues maris, quia vastata est scilicet Tyrus, & sequitur apud eos מבית mibbait, id est, à domo, vt sensus sit: Vastata est Tyrus ita vt nulla domus sit residua. Deinde sequitur: *Vnde venire consueuerant*) pro quo in Hebræo vna vox est, nempe מבוא mibbo, significans non venire, vel non ad veniendum, siue vt non veniatur. Significat autem propheta his verbis, fore vt Tyriorum emporium longe celeberrimum pereat omninò, & illuc amplius non appellant naues ex omni mari mediterraneo allaturæ merces suas. De Tyriorum autem emporio magnifica scribit Ezechiel capite 26. & duobus sequentibus, præcipuè tamen capite 27. secundum cuius descriptionem Antuerpia

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Tyrios collata vix emporij nomine digna est.

De terra Cethim revelatum est eis) Istud est altera pars sententiæ, quæ cum præcedenti nō ita cohæret. Sensus est: Tyrij audiuerunt istum belli rumorem de terra Cethim allatū. Vox Cethim neq; Hieronymi tempore satis nota erat, neq; etiam posterioribus sæculis. Quidam enim putant Cethim Cyprum fuisse partem Græciæ: Alij esse volunt partem Macedoniæ: Alij alterius regionis. Pro ijs autem, qui dicunt esse partē Macedoniæ, facit principium Machabæorū, vbi Alexander rex Macedonum egressus dicitur de terra Cethim. Sed vtut est, populo cui loquebatur Esaias, ista vocabula nota erant, licet iam trita desierunt vsurpari.

Tacete qui habitatis in insula) Hieronymus insulam accipit ipsam Tyrum, quæ quondam insula, nunc autem Alexandri oppugnantis operibus cōtinens facta est. De qua re vide Plinium cap. 19. lib. 5. Sensus est: Qui habitatis in insula, id est, vos Tyrij tacete. Alij per insulam Cyprum intelligunt, hoc sensu: Vos qui habitatis Cyprum nolite prædicare Tyrum tanquam primas obtinentem, abstinete iam à laudibus ipsius, non habetis quòd nunc prædicetis in ea: *Negotiatio Sidonis*) id est, vrbs Sidonia mercaturis dedita tace etiam tu, ne iactes emporiū Tyriorum, quia cito peribit. Hieronymus verò non facit hic comā, sed negotiationem adiungit Tyro per appositionem, hoc modo: Habitatores Tyri negotiatio Sidonis, siue qui estis negotiatio Sidonis, secundum quem sensus est: Vos Tyri qui hactenus emporium Sidonijs præbuistis, tacete.

Transfretantes mare) Hoc loco varia est distinctio. Hebræi siquidem, quos sequitur Robertus Stephanus, partem istam, Transfrerantes mare, iungunt superioribus, & noua sententia secundum ipsos incipit ibi, *In aquis multis &c.*) Secundum Hieronymum verò hoc tantum incisum est, siue coma, & initium nouæ periodi ibi incipit, Transfretantes mare, quòd est periphrasis mercatorum. Sensus est: Mercatores, qui perpetuò in mari versantur, hactenus ad te tanquam emporium totius orbis celeberrimum contulerunt omnes merces suas, sed amplius nō facient, quia subuerteris.

In aquis multis semen Nili) Semen Nili, periphrasis est frumenti, quod in Aegypto nō pluuia, sed Nili exundatione prouenit, atq; hoc est quod ait, in aquis multis. Nam præpositio (in) designat instrumentum, quod Hebræis frequens est, apud quos litera ב Beth, vim obtinet septimi casus. Sensus itaq; est: Quicquid frumenti inundatione Nili in Aegypto prouenit, ad te comportatur: hactenus mercatores varijs mercibus repleuerunt te ô Tyre, fruges etiam Aegyptiorum tibi sunt ad te delatæ. *Messis fluminis fruges eius*) Est alia periphrasis nō minus iucunda: Nam beneficio fluminis Nili fit, quòd messis abundè prouenial in Aegypto: Et messis per ipsis segetibus etiam apud Latinos scriptores vsitatum est. *Et facta est negotiatio gentium*) Si substantiuum intelligatur Tyrus, sensus erit iste: Omnium propemodū gentium homines exercent commercia in Tyro. Si verò intelligatur, messis fluminis, sensus erit iste: Frumenta Aegypti exte adiuuant quas gentes euehentur.

Semen Nili.

E*Rubesce Sidon* (*ait mare*) *fortitudo maris dicens: Non parturiui, & non peperi, non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines. Cùm auditum fuerit in Aegypto dolebunt, cùm audierint de Tyro. Transite maria, vlulate, qui habitatis in insula. Nunquid non vestra hæc est quæ gloriabatur à diebus pristinis, in antiquitate sua? Educent eam pedes eius longe ad peregrinandum.*

E*Rubesce Sidon*) Id est, tu Sidon cuius colonia est Tyrus erubesce: Et causam quare debeat erubescere subijcit: *Ait enim mare &c.*) Coniunctio (enim) in quibusdam emplaribus desideratur, quæ quia deest, vt nonnulli commentarij tradant hoc loco sensum omnino alienum. Hieronymus non solùm in textu legit (enim) sed & in cōmentarijs exponit, secundū quem hoc loco prosopopœa est. Inducit enim Esaias mare quam personam loquentem, atq; ea parte quentem, qua fortissimum est, atque significant illa verba, Fortitudo maris, quibent correctionē rhetoricam, Latinus diceret, hoc modo, Ait enim mare imò titudo maris, dicens: *Non parturiui &c.*) est, videbar mihi quondā peperisse emporium, nempe Tyrum, atq; in ea uisse pulcherrimos iuuenes ac virgines, iam euersa Tyro nō possum agnoscere tum meum. Mare autem quia tantas diuitias pepererat, idcirco eam partum filiam vocat, atque hic est sensus secundus Hieronymum. Alij verò non minus probiliter dicunt prophetam per fictionem toricam vocem tribuere non mari, sed ro, quam figuratè mare appellat, imò columen. Secundum istos sensus est: hactenus visa sum habere pulcherrimos uenes ac virgines, magnaq; populorum mina, iam non valeo agnoscere. Similiter de Tyro locutus est & Plinius lib. 5. cap. cuius verba sunt: Tyrus olim partu clara bibus genitis Lepti, Vtica, & illa Romæ imperij æmula, terrarum orbis auida thagine.

Cùm auditum fuerit in Aegypto) Id est, cùm Aegyptij audiuerint Tyrum potentissimā & vicinam vrbem deletam, vehemēter dolebunt: quia non poterunt illuc amplius adferre frumenta sua ad vendendum. *Transite maria*) Apostrophe est ad mercatores. Id est, vos mercatores, qui hactenus contulistis merces vestras in Tyrum, præterita Tyro trāsite vlteriora maria, quærite aliud emporiū, non est quòd iam subsistatis in Tyro. Hoc loco eadem vox est apud Hebræos, quæ in principio huius capitis, videlicet Tharsis, quam etiam hoc loco Septuag. Carthaginē transtulerunt, secundum quos sensus est: Vos mercatores transite vltra Tyrum ad aliud emporiū, nempe ad vrbem Carthaginē, vel relicta Tyro fugite Carthaginem. Legimus enim in historijs Assyriorum (vt refert Hiero) mercatores obsessos, postquam nullam videbant euadendi spem, conscensis nauibus fugisse Carthaginem, & ad alias Ionij Aegæique maris insulas. *Vlulate qui habitatis in Insula*) Per Insulam intelligit Tyrum.

Nunquid non hæc vestra est) scilicet ciuitas: Arguit propheta Tyrum superbiæ, quòd in conditionis suæ antiquitate sit gloriata, & in perpetuum se permansuram putauerit.

Ducent eam pedes sui &c.) Significatur captiuitas, Sensus est: Habitatores Tyri abducentur captiui in Babylonem.

Q*Vis cogitauit hoc super Tyrum, quondam coronatam? Cuius negociatores principes institores eius inclyti terræ. Dominus exercituū cogitauit hoc, vt detraheret superbiā omnis gloriæ & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ.*

Institores.

Q*Vis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam?*) id est, regia quadā maiestate insignem, & inter cęteras vrbes eminētem? Sensus est: Quis vnquam credidisset, quòd tam celebre emporium posset euerti? *Cuius negociatores principes*) Id est, cuius mercatores adeò sunt diuites, adeoq; opulenti, vt cum quibuslibet terræ principibus certare possent. *Institores eius*) Institutorum humile genus mercatorum est, qui non habēt merces semel in summa emptas, sed qui per partes emunt ab ijs, qui in summa emerunt. Institores autem ex eo dicti sunt, quòd instent negotio gerendo. *Dominus exercituum &c.*) Est responsio ad præcedētem interrogationem. Terra accipitur non pro orbe terrarū, sed pro ea parte de qua in præcedentibus mentio fuit, nēpe pro Tyro.

T*Ransi terram tuam, quasi flumen filia maris, non est cingulum vltra tibi. Manum suam extendit super mare, & conturbauit regna. Dominus mandauit aduersus Chanaan, vt contereret fortes eius, et dixit, Nō adijcies vltra, vt glorieris calumniam sustinens, virgo filia Sidonis. In cethim consurgens tranfreta, ibi quoque non erit requies tibi. Ecce terra Chaldæorū, talis populus non fuit, Assur fundauit eam. In captiuitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam. Vlulate naues maris quia deuastata est fortitudo vestra.*

T*Ransi terram tuam &c.*) Id est, effluc hac atq; illac quasi flumen alueo suo egressum. Significat propheta eos dispergendos in varias orbis partes, profugosque futuros. Aliter exponit Hieronymus, hoc modo: Sicut (inquit) fluuius siue riuulus facilè transitur pede, ita & tu terram tuam in captiuitatem ducta transibis. Et quamuis dictū prophetæ videatur imperantis, vsus tamen scripturæ habet, vt sit prædicentis. Filiam maris vocat Tyrum, quia mare Tyro opulentiam peperit, eamque opibus suis quasi filiam enutriuit & in suo flore quàm diu licuit conseruauit. Pro mari rursus in Hebræo Tharsis est, & Septuag. Carthaginem verterunt, secundum quos difficultas est, quomodo Tyrus dicatur filia Carthaginis, cùm Carthago dicatur colonia Tyriorum, vt constat ex Plinio cap. 19. lib. 5. Ita Tyrus non filia, sed mater Carthaginis dicenda erat. *Non est cingulum &c.*) Voce cinguli scriptura bifariam vtitur: Interdum moderationem vitæ & morum significat: Interdum verò ad vires & fortitudinem pertinet. Sensus est: Non es accincta amplius fortitudine ad repugnandū hostibus, non habes vires, nec lumbos ad rebellandum accinctos, vt aduersarijs possis contraire. Vnde Symmachus apertius transtulit, dicens: Non poteris vltra resistere. *Duplex cingulū accepto.*

Manum suam extendit super mare) Suppositum verbi extendit, secundum Hieron. est, Dominus exercituum, non Tyrus, vt vult Lyra. Et mare poni videtur pro mari rubro, vnde in Hæbræo ei additur ה he nota emphaseos. Hiero. tamen interpretatur pro mari, in quo propriè sita erat Tyrus. Sensus est: Ne contemnas ô Tyre Deum Israel, quo authore tibi ista vaticinor, ipse enim est, qui olim extendit manum suam super mare rubrum, & totum Aegyptiorum regnum ad egressum filiorū Israel cōturbauit.

Dominus mandauit &c.) Id est, Dominus qui præcepit populo suo Israel, vt Gentem Chananęam fortissimam, terram promissionis inhabitantem deleret, ille idem iam de te mandauit, & certò decreuit te semel interimere, non vult vt ampliùs superbias & triumphos agas, atque hoc est quod sequitur: Nō adijcies vltra vt glorieris &c. Hieron. per Chanaan intelligit Tyrum, quæ in terra Chanaan condita erat, quod patet ex cap. 15. Matth. vbi Chananęa egressa scribitur de finibus Tyri, & Sidonis. *Calumniā sustinēs virgo*)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dicitur autẽ Ty: filia Sidonis, quia Sidoniorũ colonia erat. Sẽsus est: O Tyre filia Sidonis hactenꝰ virgo, id est, bellis inuiolata atq; inuicta, nunc autem per Chaldæos oppressa magna afficeris ignominia, nec dabitur tibi amplius de potentia tua gloriari. Ex hoc loco discimus voculam (vltra) non semper significare perpetuitatem, sed quandoque pertinere ad longum tantùm tempus. Tyrus enim vt in sequentibus dicetur, post septuaginta annos restaurata est, & in pristinum statum restituta. *In Cethim consurgens &c.*) Sensus est: Licet tẽtes profugere etiam vsque ad Cethæos, nõ tamen ibi poteris inuenire requiem: nam & ibi persequetur te Dominus.

Particulam (vltra) non semper significare perpetuitatem.

Ecce terra Chaldæorum) Manifestè hîc propheta exprimit populum, per quem euertẽda erat Tyrus, & vt maiorem excutiat terrorem, describit qualis sit iste populus, dicens:

Talis populus non fuit) Id est, nullæ Gentes comparari possunt Chaldæis potentia, & sicut potẽtissimi sunt, ita & origine vetustissimi vt quos Assur fundauit: Vide cap. 10. Gen. Sensus est: Potẽtsimũ & antiquissimũ Chaldæorum regnũ euertet te, non tantùm ipsos ciuitatis muros, sed & parietes domesticos.

Vlulate naues maris) Id est, naues quæ versamini in mari quocunque præsertim mediterraneo vlulate, quia deuastata est fortitudo vestra, id est, Tyrus iam demolita est.

ET erit in die illa, in obliuione eris, ô Tyre septuaginta annis, sicut dies regis vnius.

ET erit in die illa &c.) Ab hocloco vsque in finem prophetiæ Tyro prospera nunciantur, videlicet, septuaginta tantùm annos durabit, quibꝰ elapsis iterũ extruẽda sit, & in pristinum statum restituenda. Quod sequitur, Sicut dies Regis vnius, est interpretatio Rhetorica, siue synonymia, Sensus est: Tot annos est duratura captiuitas vestra, quot annos viuere solent ij, quibus omnia ad vitæ vsum suppetunt, quales sunt Reges.

POst septuaginta autẽ annos, erit Tyro quasi canticum meretricis. Sume tibi citharam, circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita. Bene cane, frequenta canticum vt memoria tui sit. Et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces suas, & vrsum fornicabitur cum vniuersis regnis, super faciẽ terræ: & erunt negotiationes eius, & merces eius sanctificatæ Domino. Non condentur neq; reponentur: quia his qui habitauerunt corã Domino erit negotiatio eius: vt manducẽt in saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem.

POst septuaginta autem annos &c.) Inter cæteras fallacias, quibus meretrix studet allicere incautos adolescentes, est cantus. Dicit ergo propheta, sicut canticum adhibet meretrix, vt alliciat ad se adolescentes & incautos quosque, sic quoque faciet Tyrus, præbebit siquidem magnam de se spem vicinis nationibus fore, vt iterum instituatur ibi mercatura, multisque modis eas alliciet ad commercia sua. Canticum ergo meretricis spem Tyri prophetico more intelligit.

Sume tibi citharam &c.) Per hæc omnia significat Propheta, quòd spes hæc & studiũ reuocandi alios ad mercatum, & instruendi iterum emporium paulatim crescet magis ac magis, quasi dicat propheta: Sicut meretrix comit se, ornat, & foras egrediens nemini non se contemplandam offert, magnãq; copiæ spem præbet, domi residẽs suauiter cantillat, fidibus ludit, totamque domum dulci strepitu implet, denique nihil non facit quo alliciat amatores quàm plurimos: sic Tyrus nihil non faciet, omnemque mouebit lapidem, vt vicinarum nationum mercatores ad commercia sua prouocet.

Et erit post septuaginta annos &c.) Non multo post reditum filiorum Israel è Babylone, vbi septuaginta annis detenti fuerunt, instaurata est Tyrus. Ezechiel autem prophetans de Tyro causam captiuitatis eius adiungit hanc, quia gloriabantur in captiuitate filiorum Israel. Vtsitare aliquando in bonam, aliquando in malam partem sumitur: Interdum enim idem est quod punire & plagas immittere, interdum verò misericordiã præstare & bona tribuere, quomodo & hîc accipitur hoc sensu: peractis septuaginta annis restaurabit Dominus Tyrum, & omnia, quę abstulit, reddet.

Et rursum fornicabitur &c.) Pergit prophetа in meretricis incœpta methaphora, hoc sensu: Non quidem Tyrum meretricem feci quòd ad coitum inuitatura sit, sed ad mercatum. Itaque fornicatione eius accipi volo non coitum, vt vulgus accipit fornicationẽ, sed mercaturam & commerciũ cum omnibus nationibꝰ: Quòd verò Tyrus sit ita fornicata, hoc est, quod post septuaginta annos sit instaurata, & ad pristinam potentiam reuersa, omnium denique Gẽtium negotiationi exposita, constat ex Græcorum & Phœnicum historijs. Vnde locũ hunc Septuaginta manifestius transtulerunt, hoc modo: Post septuaginta ãnos visitationem faciet Dominus Tyri, & iterum restituetur in antiquum eritque negotiatio eius omnibus regnis orbis terrarum super faciem terræ. Ex quorũ versione manifestum est, quid intelligat propheta per fornicationem, nimirum habere commercia & exercere mercaturã cum cæteris Gentibꝰ. *Et erunt negotiationes eius &c.*)

Difficul-

Difficultas hîc est, an possit retineri litera. Hieronymus transitũ facit, qui quia in præcedentibus frequens est, non erit mirum, si & hîc esse dicatur, maximè cùm istud secundum historiam factum nusquam legatur, neq; in Nehemia aut Esdra, neque in Iosepho, aut aliorum scriptis. Vnde & hoc loco Iudæi literam relinquũt interpretantes hæc de suo Messia, cuius tempore dicunt Tyrios opes suas daturos in ministerium Domini & ministrorum eius. Sensus est: Tyrus instaurata amplectetur cultum veri Dei, suscipiet Euangelũ, conuertet se ad fidẽ Christi: & tunc negotiatione sua, & mercibus suis seruiet nõ Diabolo, nõ carni, non múdo, quod hactenꝰ fecit, sed Domino Deo, illi dedicata erũt & cæremoniæ & labor Tyriorũ.

Non condentur neque reponentur) scilicet merces vel opes ad auaritiam, sed quicquid ex mercatura lucri fecerint, dabunt in vsum ministrorũ Dei, vt suppetant eis necessaria, tam quo ad victum quàm ad vestitum.

CAPVT XXIIII.



ECce Dominus dissipabit terram & nudabit eam, & afflget faciem eius: & disperget habitatores eius. Et erit sicut populus, sic sacerdos: & sicut seruus sic Dominus eius: & sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.

TRactatum à capite decimo tertio inceptum his quatuor sequentibus capitibꝰ propheta quasi summatim concludit. Hactenus ergo dicta huc spectant, & hæc est summa, vt sciamus hoc passurum totũ mundum, quod passa est Babylon & cęteræ gentes, quarum onera præcedentibus vndecim capitibus exposita sunt. In hunc sensum cõueniunt omnes, tam Hieron. quàm cæteri Christiani interpretes, vt videlicet totius orbis excidium propheticus sermo nunc describat, & licet non omnino certis, multùm tamen probabilibus coniecturis niti videntur. Prima autẽ coniectura hæc est: Solet Esaias post cõmemorata particularia aliquorum mala, libenter transire ad generalia, ergo probabile est ipsum & hoc loco id fecisse. Secunda coniectura est, quòd cæterorum prophetarum loca, quæ de consummatione sęculi loquuntur, sunt huic loco multũ similia. Proinde etiam quæ hîc dicũtur ad cõsummationem sæculi pertinent, alioquin toto illo tractatu nihil est quod omnino cogat nos hîc agnoscere consummationem sęculi: imò quædam sunt, quæ per se considerata magis pertinent ad particularem vastitatem & ruinam, vnde & Iudæi hęc aliò referunt: Quidam enim eorum de decem tribus tantùm, alij de Idumæorum gente accipiunt.

Ecce Dominus dissipabit terram) Id est, inanem & vacuam reddet. Vox enim Hebræa בקק bokek quę hoc loco ponitur, propriè significat vacuum & inane reddere. Vnde mirum est Hiero. in principio capitis decimi Oseæ vertisse frondosum: Vitis frondosa Israel, cùm dicere potuisset, vitis inanis, aut vitis vacua, quæ scilicet prꝛter folia nihil habet. Aquila vertit, aquosam: Symmachus, materialem, id est, quæ tota in frondibus creuerit: Septuaginta insigniter pampinosam. Quę omnia in idem recidunt: significant enim vitem fructibus destitutam, quę multum quidem materiæ habeat & aliud nihil. Quos sequutus videtur Hieron. vertens frondosam, vbi subintelligi videtur (tantùm) *Et afflget faciem eius*) Id est, exuret superficiem terræ, atq; euertet secundũ quod scribitur 2. Petri 3. Terra & omnia quæ in ipsa sunt opera, ignẽ exurentur. *Ose* 10. d

Et disperdet habitatores eius) Exponit Hieronymus, habitatores terræ dispergentur in diuersa terræ loca præmijs vel supplicijs destinati.

Et erit sicut populus, sic sacerdos &c.) Ab isto loco vsque ad hæc verba, Dissipatione dissipabitur terra, synecdoche est, qua propheta noto more significat generaliter omnia desitura esse in consummatione sæculi, quibus nunc vnus alio potior est, & alteri prꝛfertur, siue dignitas sit illud, siue diuitię, siue aliorum aliud. Iam sacerdos, dominus, & domina dignitate potiores sunt, in consummatione autem sæculi, non erunt: emẽs, fœnerator, creditor diuitijs hîc potiores sunt, tunc autem non erunt, sed omnes sine discrimine talium rerum pro qualitate peccatorum suorum punientur: Non enim omnia peccata paria sunt, proinde nec pœnæ æquales erunt, quanquam nonnulli ex hoc loco id conentur docere, sed malè. Nam id tantùm dicitur hoc loco, quòd omnes qui peccauerunt pœnas subituri sunt, tã nobiles quàm igonbiles, tã diuites quàm pauperes, quemadmodum dicitur Iob. 3. Magnus & paruus &c. Hęc Theologia scribitur, non vt subtiliter intelligatur, sed vt perpetuò habeatur ante oculos, prꝛsertim ab ijs, qui diuitijs & honoribꝰ omnia meriũtur, & multùm profecit in Theologia, qui huiusmodi loca habeat quàm plurima ãnotata, quibus conpungi assuescat.

DIssipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbũ hoc: Luxit et defluxit terra & infirmata est. Defluxit orbis, & infirmata est altitudo populi terræ, et terra infecta est ab habitatori-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus suis: quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum.

Dissipatione dissipabitur terra &c.) Gentes huiusmodi Hebræis propriæ sunt & peculiares, & habent epithasin quandam seu vehementiam & exaggerationem: Latinus hoc modo diceret, Tota terra dissipabitur, & tota diripietur, & sine dubio istud certo certius eueniet, quia Dominus futurum pronunciauit, dicens: *Luxit & defluxit &c.*) Propheta noto more futurum enunciauit tanquã præteritum propter certitudinem prophetiæ. Sensus est: Lugebit & defluet terra, & infirmabitur. Hoc vocabulũ (luxit) Pagninus & neoterici quidam vertunt corrupta est, siue destructa, aut perijt: Verùm vox Hebræa quæ est אבלה abela, propriè significat lugere, vt patet ex Pentateucho, & libris Regum. Gen. 37. Indutus est cilicio lugens filium suum. Exod. 33. Audiens populus sermonem hunc pessimum, luxit. Num. 14. Luxit populus nimis. 1. Regum 15. Lugebat Samuel Saul. Et capite sequẽti, Vsquequo tu luges Saul? Quib⁹ locis in Hebræo est hoc verbum אבל abal, nec vllus est locus in scriptura vbi propriè significat perire: verum quidem est apud prophetas vsurpari nonnunquam pro perire, sed ea significatio figurata est, & in hoc multùm peccant Iudæi & qui scribunt lexica, quòd assignantes vocis alicuius significationem naturalem, non distinguũt ab ea vel ijs quæ flexu seu per tropum significantur. Dicam⁹ ergo hoc loco esse metalepsin, atq; ex luctu terræ prophetã significare tristem eius interitum: Atque ita significantius vertit Hieronymus quàm Pagninus & cæteri, sicut significantius est quando dicimus, immoritur studijs, quàm si dicam⁹, multùm studet.

Et infirmata est altitudo populi &c.) Per altitudinem populi significat propheta eos, qui inter populares suos vel dignitate vel diuitijs aut aliquo honoris gradu eminebant, quos in consummatione sæculi à suo gradu deiiciendos infirmandosque prædicit.

Et terra infecta est &c.) Exemplaria Latina excepto Roberti Stephani constanter legunt, Interfecta est, & Haymo & Thom. & Dyo. de interfectione interpretantur. Hug. de S. Vict. dicit etiam legi, Infecta, sed interim de interfectione interpretatur. Ex commentarijs Hieron. nihil certi colligere licet, quomodo verterit: expositio enim ipsius vtrobiq; locum habet siue infecta legeris, siue interfecta. Vox autem Hebræa חנף chaneph, significat polluere, contaminare & simulare, atque his ferè modis vertit Hiero. vn de verisimile est ipsum vertisse infecta & nõ interfecta, cùm nusquam in tota scriptura vox Hebræa hoc significet. Dicit ergo propheta: Et terra infecta est, id est, polluta & cõtaminata est ab habitatorib⁹ suis, quia trãsgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Hæc tria, leges, ius, fœdus, interpretes variè distinguũt, sed non erit absurdum imò maximè consentaneum videbitur, si dixerimus hoc loco esse congeriem rhetoricam, & tribus istis vocib⁹ vnam & eandam prorsus rem significari, illã nimirum de qua Paulus ad Ro. Gentes quæ legẽ non habẽt, naturaliter ea quę legis sunt faciunt: Et Dauid, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.

Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius, ideoque insanient cultores eius, & relinquẽtur homines pauci. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam.

Propter hoc maledictio vorabit terram) id est, Quia violãtur iura naturę, siue quia non facimus alijs, quod nobis fieri volumus, quod recta ratio & lex scripta in cordibus omnium dictat faciẽdum, ideo maledictio deuorabit terram, id est quod in Deu. prædictũ est fore, hoc maximè in cõsummatione sæculi implebitur, tunc maledictiones ibi scriptæ inundabunt super terram. Alludit enim prophetæ libenter ad ea, quæ scribuntur in Pentateucho tũ verbis tum etiã sensu.

Et peccabunt habitatores eius) Saluator in Euangelio apud Matthæum de consummatione sæculi loquens, hoc alijs verbis extulit, dicens: Abundabit iniquitas. *Ideoq; insanient &c.*) id est, in consummatione sæculi homines suæ conditionis obliti contra se mutuò ingenti furore debacchabuntur, quemadmodum pleniùs describitur in illo loco Matthæi: Multi enim venient in nomine meo, dicentes &c. *Et relinquẽtur homines pauci*) Ista sententia videtur magis pertinere ad particulare aliquod excidium, quia in consummatione sæculi nulli omnino homines relinquentur, nisi cũ Hieron. subaudiam⁹, Et relinquentur homines pauci, videlicet qui habeant imaginẽ supercœlestem, vt sensus sit: Impijs in infernum detrusis pauci electi remanebunt: Quanquam & referri potest ad illud tẽpus, quod erit paulò antecedens consummationem sæculi, quo tempore erunt bella, pestilentiæ, fames, quib⁹ multi è viuentia auferentur, paucis, respectu totius multitudinis, relictis.

Luxit vindemia &c.) Quando dies iudicij aduenerit, tunc lugebit vinum & vindemia eo sensu, quo supra terra dicta est lugere & om-

& omnes qui lætabantur inter pocula tunc ingemiscent, id est, qui vinum solebant bibere in dulcedine, qui sectabantur cõmessationes & in illis lætitiam suam ponebant, illi tunc dolebunt: Cessabit enim omne gaudium, cõticescent & cantica lætitiæ, instrumenta musica, quę suauitate sua animos hominum ad exultationem prouocare solent, penitus cessabũt. Vult ergo significare propheta, quòd omnia hæc fluxa sint, inania & vacua. Ingeramus ait Hieronym⁹ hoc testimoniũ his, qui in conuiuijs suis non solùm gula & ebrietate, sed & auribus luxuriant, vt per omnes sensus animæ fortitudo mollescat.

Cum cantico non bibent vinum &c.) Idem adhuc explicat propheta, quod prius hoc sensu: Non resonabit amplius musica inter pocula, sed amara erit potio bibentib⁹. Pro potione in Hebræo est שכר sechar, quæ vox in scriptura pertinet ad quemuis potum inebriatiuum. Hierony. nunc siceram vertit, nũc quatuor verbis circumloquitur, dicẽs, omne quod inebriare potest: Interdum verò vertit vinum. Interdum ponitur in scriptura cum voce quæ significat vinũ, vt Leuit. 10. Vinum & siceram non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculũ testimonij, vbi comprehẽdit omne id, quod inebriare potest præter vinum. Omnis ergo potio, siue vinum, siue alia quæcunque, quæ suauis esse solet bibentibus, in consummatione sæculi amara erit, & amaritudine commutabitur.

Attrita est ciuitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. Relicta est in vrbe solitudo, & calamitas orppimet portas. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. Quomodo si paucæ oliuæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia. Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt cùm glorificatus fuerit dominus, hinnient de mari.

Attrita est ciuitas vanitatis) Noua quidẽ, sed perelegans est periphrasis orbis. Sensus est: Videtur quidem hic orbis terrarum diu duraturus, sed non ita erit, est tantùm vana quædam ostentatio, & citò interibit. *Clausa est omnis domus &c.*) Id est, omnes domus etiam illæ, quarum nunc sunt aurata laquearia, quarum parietes vestiuntur marmorum crustis, & secti eboris nitore resplẽdent, remanebunt vacuæ, id est, in consummatione sæculi cessabit omnis domorũ inhabitatio.

Clamor erit super vino &c.) Huius loci duplex est expositio, quarum prior ista est: Vlulabunt homines in plateis de ebrietate & excessu quem fecerunt, Sic Hieron. Altera expositio est ista: Vlulabunt homines in plateis propter defectũ vini, Sic Thom. & Lyra.

Relicta est in vrbe solitudo &c.) Quia additur, In medio terræ & in medio populorum, Hieron. satis innui putat hæc ad cõsummationẽ sæculi referenda, alioqui magis pertinere viderentur ad particularem aliquam ciuitatem. Orbem ergo terrarum, quem suprà appellauit ciuitatem vanitatis, nunc simpliciter secundum Hieronymum orbem vocat, & ponitur præteritum pro futuro hoc sensu: In consummatione sæculi relinquetur solitudo in orbe terrarum, id est, totus orbis habitatoribus destituetur.

Quia hæc erunt in medio terræ &c.) Hieron. hanc partẽ refert ad præcedentia, hoc sensu: Hæc ónia prædicta fiẽt in medio terræ in medio populorũ seu gentiũ: Quẽ sequitur Haymo. Hebręa verò exemplaria iungunt cum sequentibus, videlicet, Quomodo si paucæ oliuæ &c. quod etiam in commentarijs suis faciunt Thom. & Lyra & Dion. Estque horrenda & terribilis comparatio, si referatur ad totum tempus à condito orbe vsque ad ipsius consummationem, vt sit sensus: Tam pauci saluabuntur in orbe terrarum ex tota hominum multitudine, quàm paucæ relinquuntur oliuæ in arbore postquam collectæ sunt. Tam pauci saluabuntur, quàm paucæ relinquũtur vuæ in vite post vindemiã. Quia valde horribilis est hæc comparatio, ideo referunt ad illud temp⁹ quod erit sub consummationem sæculi, hoc sensu: Tempore Antichristi tam pauci manebunt constantes in fide, quàm paucæ relinquuntur vuæ in vite post vindemiam, vel oliuæ in arbore postquam sint decerptæ. Et huic sensum videntur magis postulare subsequentia:

Et leuabunt vocem &c.) Id est, quum finito Antichristi regno Christus iam glorificatus venerit in nubib⁹ cum potestate magna & gloria, tunc pauci isti, qui relinquentur leuabunt vocem atque laudabunt, & hinniẽt de mari, id est, de orbe terrarum præ lætitia toti gestient. Simili metaphora orbem vocat mare, qua suprà Babylonem, cùm ait: onus deserti maris. Suprà c. 21.

Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomẽ Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti. Et dixi: Secretum meum mihi, secretũ meum mihi, Væ mihi prænaricantes prænaricati sunt & prænaritatione trangressorum prænaricati sunt. Hier. 48. g

Propter hoc in doctrinis glorificate Dominũ) Iuxta Hieron. in doctrinis, cauſaliter ponitur hoc sensu: Vos qui iã discitis, quòd ita pauci relinquentur, qui euadent manus Antichristi

Universidad de Deusto
Biblioteca

tichristi & saluabuntur: qui hoc cognoscitis beneficio scripturarum, vos glorificare debetis Dominum in doctrinis, id est, quia ipsam doctrinam accepistis, quod sanè magnum est beneficium. Rabbi Dauid, In doctrinis, interpretatur, in vallibus, quomodo etiam vertit Pagni. In Hebræo autem est ארים vrim, qua voce etiã vtitur Moyses Exodi 38. vbi Hier. doctrinã vertit, dicens: Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quo loco mirum est quid significent doctrina & veritas. Nomina autem Hebræa fatetur Rabbi Dauid etiam ipsos Hebræos ignorare quid significent. Chaldæus interpres non vertit, sed seruat Hebraica vocabula. Septu. verterunt manifestationem & veritatem, quos sequutus videtur Hierony. Rabbi Salomon his duobus nominib⁹ significari dicit nomẽ Dei tetragrãmatõ, & prius vocabulum interpretatur illuminationem, posteriùs verò perfectionem. Sensus itaque illius loci Exodi, Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem, est iste: Pones in pectore Aaron nomen Dei tetragrammaton, quo nomine intellecto, mens perficitur in doctrina & illuminatur. Tradunt enim Hebræi ex hoc nomine intellecto totam trinitatem intelligi, & alia multa quæ videre licet apud Rabbi Salom.

In insulis maris &c.) Secundum Hieron. mare per metaphoram pro mũdo accipitur, insula verò pro Ecclesia, quæ fluctibus maris huius, id est, mundi quotidie tũditur. Sẽsus est: propterea vos Insulares, id est, fideles, qui hæc legitis apud me & prophetas alios, glorificate Dominum. Possunt insulæ maris etiam accipi sicut suprà, Vbi dicitur: Adijciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab insulis maris: Vbi insulæ maris accipiuntur pro plaga mũdi, quę Iudæis est ab Occidente, id est, pro plaga occidentali, & si quis cõsulat alia scripturæ loca, inueniet insulas ferè hoc secundo modo accipi, vt Psal. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, vbi per insulas propheta significat remotissimos & etiam vltra mare sitos populos. Rursus Psalm. 96. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Et Esa. iusulas per gentes interpretatur, Ecce insulæ quasi puluis exiguus. Sophonias quoq; interpretatiuè dicit, cùm ait, Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. Quanquã hoc loco sãtis interpretetur cùm subdit: A finibus terræ &c. Insulæ itaque maris fines terræ intelliguntur, siue remotissimi populi, de quibus Iudæi vix per famam aliquid acceperũt. Prophetæ enim sic de insulis maris loquuntur, quasi populo Iudęorũ vltra mare nihil fuerit quàm aquæ & insulæ.

Supra. ca. 11.

Psal. 71. b

Esaiæ 40. d

A finibus terræ laudes audiuimus &c.) Propheta cùm certissimè videret implendũ, ad quod hortabatur gentes, intulit, A finibus terræ &c. quod Septug. verterunt ab alis terræ. Et commẽ. Hiero. in hunc locum sic habet: Pro finibus, quod nos propter explanationem sensus apertius exposuimus, In Hebræo est כנף cenaph, quæ vox alam nõ finesonat, quod quidem verũ est, si de naturali significatione loquamur, sed illam naturalẽ vocis significationẽ Hebræi valde latè extendunt, nempe ad omnium rerum extremitates: Latini non ita desiexerũt vocem alarum. In tropica autem illa significatione ponitur apud Ezech. cap. 7. Venit finis super quatuor plagas terræ, pro quo in Hebręo est, super quatuor alas terræ. Sic 1. Reg. 24. Præscidit oram vestimẽti. Hebręi legũt alã vestimẽti. Quib⁹ locis si vertisset Hier. alã, visus fuisset Latinis insolentius loqui. Consuetudo autẽ scripturę est, quẽadmodũ & superius diximus nomine iusti Christum significari, cùm alijs in locis præcipuè in Actis Apostolorũ, & loquitur hic propheta non de gentiũ vocatione ad fidẽ, sed de perseuerantia in fide.

Et dixi: Secretum meum mihi &c.) Sensus est: cùm viderem ea quę in consummatione sæculi futura sunt, loquut⁹ sum mihi interno cordis affectu: Non possum cuncta narrare quæ cerno futura, hęret lingua faucibus meis, & vox dolore concluditur, hoc significat propheta dum dicit, Secretum meum mihi, quasi alijs verbis diceret: Quantus pœnarum ordo versatur ante oculos meos, quæ supplicia ego video futura, quàm ingentẽ multitudinem eorum qui damnandi sunt cernens, maiora sunt quàm vt eloqui possim: & ideo detineo secretum meum mihi. Iuxta hunc sensum subauditur, est, vel seruabo. Rabbi autem Ioseph Kimhi non agnoscit hic pronomen (meum) sed legit, secretum mihi: Nã ipse cum aliquot alijs Rabinis in voce Hebræa רזי razi, iod literam accipit non vt pronomen affixum, sed pro litera radicali, seu quæ habet vocem literæ radicalis, quæ est ה he, & interpretantur Hebræi hoc modo: Duo secreta reuelata sunt mihi, secretum scilicet retributionis iustorum, & secretum vltionis impiorum: Secundum hos intelligitur verbum, reuelatum est, quod expressit interpres Chaldæus, qui sic habet: Dixit propheta secretum mercedis iustorum conspectum est mihi, secretum vltionis reuelatum est mihi.

Væ mihi) Id est, heu mihi. Vocula enim Hebræa אוי oi, interdũ cõminantis est, interdũ verò dolentis, vt hoc loco. *Præuaricantes præuaricati sunt*) In Hebræo eadẽ vox quinquies repetitur, hoc modo: Præuaricantes præuaricati sunt, & præuaricatione præuaricantis præuari-

præuaricati sunt. Repetitio autẽ ista maximam habet emphasin, qua significatur horribilis & ingens omnium scelerum vis futura in consummatione sæculi, & populum in præuaricatione quasi absorptum iri, & hoc dolet propheta cùm dicit, Vę mihi. Saluator in Euangelio istud alijs verbis explicat, dicẽs tantam fore iniquitatem, vt etiam electi, si fieri potest, in erronem seducantur.

Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea tenebitur laqueo: quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, cõtritione cõteretur terra, cõmotione cõmouebitur terra, agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculũ vnius noctis. Et grauabit eã iniquitas sua, & corruet & non adijciet vt resurgat.

Formido & fouea &c.) Significat propheta quòd sicut in consummatione sęculi exeret se horribilis vis scelerum, ita etiam pœnę super terram inundabunt, quæ habitatores eius tenebunt captos, ita vt effugere nequeant, & hoc est quod subiungit, *Et erit qui fugerit*) id est, cùm putauerint se fugisse exvno malo incident in aliud, & quocunq; sese verterint, impendentem Domini iram non euadent.

Quia cataractæ de excelsis apertæ sunt &c.) Cataractæ siue cataractes locus est in flumine præceps & abruptus, vnde aqua ruit potiꝰ quàm fluit, vt cataractes Nili apud Strabonẽ lib. vltimo. Septug. transtulerunt, Quia fenestrę cœli apertæ sunt. Alludit autem propheta ad locum qui est in Gen. cap. 7. Cataractæ cœli apertæ sunt, non quòd ignoret propheta orbem amplius aquis non interiturũ, sed illud vult dicere: Eo modo inũdabit plaga & pœnæ in orbe terrarum, quo modo tẽpore Noe aquæ inundauerunt.

Quid cataractæ velle.

Confractione confringetur terra &c.) Quia non habuit aliquod vocabulum quo satis & pro dignitate rem potuit explicare, ideo pluribus ad hoc vtitur verbis. D. Hieron. per terram accipit illos, qui versantur in ea, per metonymiã hoc sensu: In consummatione sæculi homines in terra versantes formidine toti dissoluentur & timore penitus deijciẽtur, & quẽadmodum ebrius nescit quid agat, sed hebescentibus ebrietate neruis, nec pes, nec mẽs suo fungitur officio: sic isti malorum pœnarumq; magnitudine oppressi, quasi ebrij stupebunt ad cuncta quæ cernẽt, & auferẽtur quasi tabernaculũ vnius noctis, ita vt nullum antiquæ mansionis vestigium remaneat. Possimus & aliter intelligere & simplicius de ipso mento terræ. Ipsa enim terra in consummatione sæculi confringetur, quando montes vallibus æquabũtur.

Et commotione commouebitur, & agitatione agitabitur sicut ebrius) qua geminatione significat vehementissimam terræ commotionem futuram in consummatione sæculi:

Et auferetur quasi tabernaculum vnius noctis) Pro tabernaculo vnius noctis, Hebræi habent vnicum tantùm vocabulũ מלונה meluna, quod cùm hic tribus vocibus exprimat Hiero. in primo capite huius prophetæ vnica voce reddidit, vertens tugurium. Significat autem vox Hebræa, secundum Rabbi Dauidem, talem casulam, quali nocturno tempore vtitur vinitor in excubijs agendis: Deducitur autem vox illa à radice לון lun, quæ significat pernoctare. Sic ergo Dominus demolietur terram, sicut vinitor demolitur tugurium suum postquam eo vsus est: Non quidem quòd Dominus terram in puluerem rediget, & penitus in nihilum, ita enim intelligere prohibent nos alia scripturæ loca, quibus significatur terra in æternũ permansura, sed demolietur terra, quia abolebitur figura eius, & alia succedet facies.

Rabb. Dauid in libro Radicum.

Et grauabit eam iniquitas sua) Potest esse metonymia hoc sensu: Iniquitas super terram inundans suo pondere grauabit ipsos homines. Si autem intelligamus de ipso bruto terræ elemento, tunc illo sensu dixit propheta eam iniquitate grauari, quo modo Apostolus ad Ro. dicit, quòd expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, cuius sensus est: Expectatio creaturæ inanimatæ est vt regnum Dei proferat se foras, vt & corpora habeant partẽ gratię, quæ iam est in anima. Quo loco vsus est Apostolus grãdiloquẽtia, aut mirabilis est sermo, quòd etiam res inanimatę, aer videlicet & terra &c. appetant liberationem, quia ait, & ipsa muta, surda & bruta creatura liberabitur à seruitute corruptionis. *Et corruet*) scilicet terra: *et non adijciet vt resurgat*) scilicet illo schemate, habitu seu figura, quam nunc habet.

Ad Rom. 8.

Et erit in die illa. Visitabit Dominus super malitiã cœli in excelso, & super Reges terræ, qui sunt super terram. Et congregabuntur congregatione vnius fascis in lacum, & claudẽturibi in carcere, & post multos dies visitabuntur. Et erubescet luna, & confundetur sol, cùm regnauerit Dominus exercituũ in monte Sion, & in Hierusalem, & in conspectu seniorum suorum fuerit glorificatus.

Et erit in die illa, visitabit Dominus &c.) Vocem Hebræam, quam hoc loco vertit Hieron. militiam, alibi transtulit ornatum, vt in Genesi: Perfecti sunt cœli & omnis ornatus eorum. Alibi, astra, vt in Deut.

Genes. 2. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deut.4.c Non vidistis aliquam similitudinem in die illa, qua locutus est vobis in Oreb de medio ignis, ne forte eleuatis ad cœlum oculis videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas. Vtrunq; & ornatum & astra non ad verbum vertit: Vox enim Hebræa צבא tseba propriè significat exercitum, vnde illud toties in scriptura repetitum, Dominus Sabaoth, id est, exercituum. Quis autem sit exercitus seu militia cœli, patet ex locis iam citatis, vbi Moyses solem, lunam, & astra nomine militiæ significat figuratè, propter famulitium & aptum eorum ordinem, ornatumque. Sol ergo & luna in exercitu seu militia cœli numerantur, & has res sic visitandas scribit Hierony. sicut medicus visitat infirmum, cùm adhibet cauteriũ & ferrum, quasi sol, luna, astra essent animata. Sed aduertendum est Hieronymum in commentarijs frequenter aliorũ referre sentẽtias, non quòd eas vbiq; approbet, sed vt discat posteritas, quid senserint Veteres. Dixit ergo istud Hieronymus ex sententia Origenis, qui posuit omnes animas simul creatas, & propter peccata in altera illa vita commissa, quasdam astris alligatas, quasdam in corpora humana detrusas & quotidiè detrudi. Verum quia illius dogma damnatum est, ideo aliter hunc locum exponunt, per militiam cœli intelligentes exercitum dęmonum, qui in hoc aere caligi noso (qui in scriptura nonnunquam cœli nomine appellatur) degunt, & perpetuò bellum mouent credentibus. De isto exercitu

Quis dicatur exercitus seu militia cœli.

Excusatur Hieronymus.

Ad Eph. 6.b scribit Apostolus, dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem &c.

Et super Reges terræ &c.) Hieronymus accipit principes tenebrarum & dæmones huius mundi rectores: Alij verò qui hos intelligunt per militiam cœli, Reges simpliciter accipiũt, quomodo vulgus Reges vocat. Hos ergo & Reges terræ dominos, & dæmones tenebrarum principes sicut & omnes impios visitabit Dominus in die iudicij, eo modo qui sequitur.

Et congregabuntur &c.) Id est, tam Reges quàm dæmones & in vniuersum omnes impios pariter colligatos mittet in lacum inferni, & claudentur ibi tanquam in carcere, & post multos dies visitabuntur. Origenes istud simpliciter accipit, & sic exponit. Claudentur quidem in carcere, sed non erit perpetuꝰ carcer, cùm ibi fuerint per multos dies hoc est, per certum annorum circulũ, visitabuntur vt liberentur. Nos verò non ita possumus intelligere, quia dogma istud est dãnatum, vtpote scripturis contrarium, quæ palam testantur ignem quo punientur dãnati fore perpetuum, neque ignem solum, sed & eorum supplicia, vt patet Matth. 3. Pale

Error Origenis.

as exuret igne inextinguibili. Rursus alibi: Ite in ignem æternum, vel vt legit August. in adustionem æternam. Item Apocal. 14. fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Sensus ergo huius loci est iste: Quanuis multis diebus, id est, multo tempore futuri sint in carcere, adhuc tamen semper, etiam post quãtumlibet multos dies visitabuntur non ad liberationem, sed ad punitionem, vt perpetuitas supplicij significetur. Matth. 25.d

Erubescet luna) Luna ponitur pro idolo seu imagine lunæ, & sol pro idolo solis: & rursus idola harum rerum pro diabolis ipsa idola inhabitantibus. Sensus est: Cùm viderint dæmones, qui iam pro dijs coluntur in terra, & cultores eorum, Christũ simpliciter regnare, deuicta & destructa morte, tunc confundentur. Alij solem & lunam propriè accipiunt, hoc sensu: Cùm omnia subiecta erunt Christo, etiam ipsa mors quæ omniũ nouissima destruetur, tunc erubescet luna, & confundetur sol, metaphoricõs, quia lumen eorum quasi nullum erit respectu luminis patriæ, secundum quod dicitur in Apoca. Ciuitas illa nõ eget sole, neq; luna vt luceant in ea, sed claritas Dei illuminabit illã, & lucerna eius est agnus, in conspectu senũ suorum, id est, patriarcharum & prophetarum.

CAPVT XXV.

DOmine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo. Quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbẽ fortem in ruinam, domum alienorum vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur.

DOmine Deus meus es tu &c.) Post descripta Babyloniorum & cæterarum gentium onera (quæ cœperunt decimotertio capite, & durauerunt vsq; ad vicesimumquartum caput, in quo quid totus mundus in consummatione sæculi passurus sit depingitur) ad læta redit propheta, atque tractatus iste carmine eucharistico, tanquam epiphonemate clauditur, quod quidem commune habet cum tractatu, qui est à capite septimo vsq; ad decimumtertium. Et nihil refert siue dicatur esse vox prophetę, siue salũandorũ.

Cogitationes antiquas fideles) Id est, quidquid ab æterno facere decreuisti, & à cõdito homine & lapso te facturũ ꝓmisisti, fideliter implesti & pręstitisti: Desideransq; fieri quod ꝓphetat, adiũgit verbũ Hebraicum, Amen, pro quo Septuaginta transtulerunt, fiat, atq; in eo ferè sensu ponitur in veteri testamẽto. Nu. 5. Et dicet mulier amẽ. Deu. 27. Et di-

Amen duplicitèr accipi. Et dicet omnis populus Amen, id est fiat, siue maledictus sit, quisquis trangressus fuerit vnum ex his. Interdum verò est affirmandi particula, & ita capitur in nouo testamento, idem valens quod verè.

Quia posuisti ciuitatem in tumulum) Quare autem laudet & confiteatur nomini Domini, & quę sint ista mirabilia & cogitationes antiquæ, quas veras opere demonstrauit, ostendit dicens: Quia posuisti ciuitatem &c. Ciuitatem autem vocat orbem terrarum, sicut in superiori capite. Hunc orbem posuisti in tumulum, id est funditus euertisti. Nõnulla exemplaria legunt, tumultum, sed nemo commentatiorũ sic exponit, quare mẽdum est. *Domum alienorum &c.*) Varius est huius vocis in scriptura vsus. Interdũ enim alienos vocat, qui Iudęis erant extranei, siue qui cum Iudæis non habebant easdem cæremonias, id est, gentes exteras: In qua significatione frequenter ponitur in libris Moysi. Interdũ verò eos alienos vocat, qui etsi veri Iudęi essent generatione, studijs tamẽ & vita Deũ non colebant. Sic sumitur in Psal. Filij alieni mentiti sunt mihi. Interdum etiam scriptura vocem hanc omnibus impijs accõmodat, vt Psal. 57. Alienati sunt peccatores à vulua &c. Atq; in hac significatione hìc ponitur, vnde Septuaginta verterunt: Ciuitates impiorum in æternum non ædificabuntur.

Qui dicatur alienus in scriptura.

Psal. 17.d

SVper hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, sperà turbine, vmbraculum ab æstu. Spiritus enim robustorum, quasi turbo impellẽs parietem. Sicut æstus in siti tumultum alienorũ humiliabis, et quasi calore sub nube torrẽte, propagnem fortium marcescere facies.

SVper hoc) id est, super orbis totius omniumque impiorum excidio laudabit te populus fortis. Quis autem sit iste populus fortis, sequens versus ostendit, *Ciuitas gentium robustarum timebit te*) id est, Ecclesia ex gentibus congreganda timebit & laudabit te.

Quia factus es fortitudo pauperi) Exponit Hiero. antonomaticè de Christo, hoc sensu: Factꝰ es fortitudo pauperi tuo, scilicet Christo. Sed magis placet, vt dicatur esse enallage siue heterosis numeri, pauperi pro pauperibus. Qui autem secundum scripturam sint pauperes, suprà dictum est, illi nimirum qui verè agnoscunt suam miseriam, captiuitatẽ & onus quod creatum est super omnes filios Adam, & indeliberari ex animo cupiunt, & pro liberatione die ac nocte supplicant apud Deum. Hi ergo sunt pauperes scripturæ, his factus est Christꝰ fortitudo aduersus diabolum, aduersus mundum, carnem, & legem irritantem nos ad peccatum, denique aduersus omnia, quæ nobis obuenire possunt. Hic locus diligenter annotandus est, & vna cum alijs obijciẽdus hæreticis, qui semper in ore habent imbecillitatem naturæ, & arguunt catholicos hanc fortitudinem iustis tribuentes & asseuerantes quòd verè fortes sint aduersus diabolum, carnem, mundum & legem accusantem.

Spiritus robustorũ &c.) Sensus est: Talis res est tentatio, siue à diabolo, siue à mundo, siue à carne fiat, qualis est turbo impellens parietem. Comparatio ergo in hoc consistit: Quemadmodum turbo aliquis vehemens omnia corpora ferit ac secum rapit, nisi sint admodum solida & fortitudine quadam roborata: sic tentatio aut mundi, aut diaboli, aut carnis, vel alterius, omnes homines ferit, superat, atq; adeò secũ rapit, nisi sint admodum constantes & fortitudine quadam firmati. Istud quidem quotidiè experimur, sed tempore Antichristi multò magis experiemur, cùm tentatio hæc multo vehemẽtior erit: Ad illud enim tempus hęc maximè referenda sunt.

Elegans comparatio.

Sicut æstus in siti &c.) Antithesis est: Dixit enim propheta quid Christꝰ futurus sit pauperibus seu pijs hominibus, nunc autem dicit quid futurus sit impijs. Sensus est: Christus hoc erit impijs, quod esse solet sitientibus æstus. Ille sicut vehementissimè affligit, sic in consummatione sęculi Christus vehementissimè affliget impios, qui nomine alienorum significãtur:

Alia comparatio.

Et quasi calore &c.) Id est, quòd calor solis è media nube exertus esse solet ꝓpagini, quã marcescere facit, hoc in fine sęculi Christus erit impijs, id est, Sicut in media æstate ingens & suprà modum vehemens æstus propagini vitis grauis est atq; nociuꝰ, adeò vt ipsam marcescere faciat: Ita in cõsummatione sæculi Christꝰ iusticiæ suæ feruore impijs adeò grauis erit atq; molestus, vt marcescãt in semetipsis.

Alia comparatio.

ET faciet Dominus exercituũ cõnibus populis in monte hoc conuiuiũ pinguiũ, conuiuium vindemiæ, conuiuiũ pinguium medullatorũ, vindemiæ defecatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum. Et auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus locutus est.

Apocal. 7.d & 21.a

ET faciet Dominus exercituum &c.) Vsque ad hunc locum carmen fuit, hìc rursus prosa incipit: & pronomen (hoc)

quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia nulla mentio montis præcesit, non potest accipi relatiuè, sed dictiues pro monte Siō. Erat enim Hierosolymis Esaias, cùm hæc diceret, & ita demonstrās Sion dicebat, in monte hoc: sicut apud Terentiū, vel hic Pamphilus quàm sanctè iurauit. Aduertendum est, quòd propheta cùm demonstraret montem Sion, nō eum simpliciter demonstrabat, sed quatenus typum gerebat illius Sion, quę sursum est, de quo in fine præcedētis capitis: Et confundetur sol cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Siō. Neque hoc alienum est à scriptura, sed vsitatissimum. In monte ergo hoc, id est, in cœlesti Hierusalem exhibebit Dominus conuiuium non Iudæis solùm, sed omnibus in vniuersum fidelibus electis, atq; hoc est quod dicit propheta, Omnibus populis. Lautitiæ autem huius conuiuij ijs in rebus sitæ erunt, in quibus vita æterna. Illa autem sita est, non in cibo aut potu, aut Venere, vt quidam existimauerunt, sed in fruitione summi boni, quod est ipse Deus: Et proinde quæ sequuntur de medullatis & vindemia, non simpliciter accipi debent, sed metaphoricè, vt per ea significetur conuiuium istud fore delicatissimum, non autē vt per ea doceatur quibus in rebus huius conuiuij lauticiæ positæ sint. Dicit ergo propheta,

Vide Adamū in priori cōtione de natiuitate Domini, vbi hunc locum elegantissimè explicat.

Conuiuium pinguium &c.) Id est, apponētur in hoc conuiuio cibi exquisitissimi, & proinde delicatissimi: Nam medullata vbique in scriptura, cibi delicatissimi nomen est.

Vindemiæ defecatæ) Id est, in hoc conuiuio nō bibetur sicera, sed vinū, neq; quoduis vinum, sed vinum purissimum: Vindemiam siquidem pro vino posuit, defecatum verò pro puro. Radix autem Hebręa quæ est זקק zakak, alioquin magis fundere significat, quomodo funditur aurum & argentū, vnde & alijs locis eadem vox sæpè vertitur, probatum, vt 1 Paral. 29. Septem milia talentorum argenti probatissimi, id est, colatissimi, cùm præcedenti capite dicitur, aurum purissimum. Sic in Psal. Argentum igne examinatum, probatum, &c. Secundum Iudæos verò idem hoc loco conuiuij apparatus est, qui apud Ezechielem de Gog & Magog, sed contra ipsos facit, si inspiciatur vel occidens litera, quia conuiuiū, quod exhibebit Dominus apud Ezech. non populis, sed feris & bestijs auibusq; exhibitur est, istud verò populis. Deinde illud conuiuiū apud Ezechiel. non erit propitij, sed irati Dei: istud verò lætum erit, ac delicatum. Nec conuiuium siue symposiū (nā vox Hebræa מִשְׁתֶּה missę non à conuiuando, sed à comportando dicitur) vsquam in scriptura rei inuidiosæ nomen est, sicut est sæpissimè nomen calicis: vnde indoctè faciunt, qui hîc nomē conuiuij siue symposij ad calicem detorquent. Neque etiam calix inuidiosæ aut tristis, sed lætæ rei nomen est, nisi circunstantiæ literæ aliud requirat. Vt in Psal. Ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorū. Et apud hunc prophetam infra, Bibisti de ea vsque ad fe-

Psal. 11. b

Ezech. 35.

Calix non de re mala, quando de re mala non accipitur.

Psal. 10. 2

lice iræ eius: Alioqui longè alius calix est ille de quo Psal 22. Calix meus inebrians quàm præclarus est. Et Psal. 115. Calicem salutaris accipiam. Rursus Psal, 25. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es &c. Huius autem loci nomen omnia habet lætissima coniuncta, quare nec ipsa litera pro Iudęis facit, secundum quos huius loci sensus hic est: In fine sæculi veniente Messia Iudæi felicissimè agent, & venient tunc Gog & Magog, sed faciet eos Dominus conuiuium, id est, mactabit eos & interficiet.

Et præcipitabit in mōte &c.) Duplex est modus interpretandi scripturas. Prior est, vt velis tibi credere auditorem non redditis etiam causis, hoc modo liceret præsens hoc caput vna hora absoluere & quod nunc dicitur,

Præcipitabit in monte &c.) tribus verbis interpretari, hoc modo: Vinculum & tela nomina sunt eiusdem rei, & significat propheta quòd in consummatione sæculi præcipitabit Dominus miseriam omnibus notissimam, & mortem, quæ est pars huius miseriæ. Alter modus est, vbi interpretationis causæ redduntur, vt hoc loco: Quare dixerit, præcipitabit faciem vinculi, cùm homines & animantia tantùm dici solēt præcipitari. Rursus cur dixerit, faciem vinculi, & non simpliciter vinculum. Deinde cur dixerit, vinculi colligati, cùm vinculi sit non ligari, sed ligare. Hæc iccirco annotamus, vt videant qui incipiunt legere interpretum commētaria, quantum interfit inter eam expositionem, quæ reddit causas singulorum, & eam quæ non reddita ratione sensum dūtaxat aperit: & ne satis ipsis sit, Hieronymum aut Augustinum hoc vel illo modo exponere, sed causas quare ita exposuerint inquirant: hoc enim est verè studiosorum. Sermo ergo iste

Præcipitabit Dominus &c.) mirabiliter figurat, est & propemodū exorbitans, qualē vix apud Platonem inuenias, cui hoc cum Esaia commune est, quòd grandibus vtitur figuris. Sensus autem huius loci est iste: Obducta est super vos ô populi fascia & tela, has Dominus præcipitabit. Iuuat nos hîc multùm Apostolus Paulus, qui simili in eadem re vsus est grandiloquentia, cùm ait ad Colossenses: Et cùm vos essetis mortui in delictis &c. Sicut enim hoc loco Esaias vnum vinculum siue fasciam facit & telam,

telam, qua in vniuersum omnes sine vlla exceptione obducantur seu ligentur (Christū semper excipim⁹ & eius matrem) Ita ibi Paulus vnum chirographum commune facit, quo ad vnum omnes obligantur. Est & alia similitudo: Sicut Paulus de chirographo dicit, quòd illud Christus deleuit, & de medio tulit, & crucifixit: Ita de fascia ait Esaias, quòd eam præcipitabit Dom⁹. Sed quod tribus verbis Paulus, hoc Esaias vnico præcipitandi vocabulo expressit. Nam illa tria, delere, de medio tollere, & crucifigere, nihil aliud sunt seu significant, quàm semel & in totum abolere, siue vt Hebraica metaphora dicatur absorbere. Gaudent enim Hebræi absorbēdi vocabulo, quoties exprimere volunt quod nos dicim⁹ abolere, qua voce Paulus de hac fascia loquens vsus est, nimirum Hebræus, quanuis Græcè scripserit: Absorpta est (inquit) mors in victoria. Rursus, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Eandē metaphoram habet hoc loco vox Hæbræa, vt mirum sit, D. Hieronymum non vertisse per absorbendi vocabulum, sinè in commē tarijs illi precipitandi vocabulum non sufficit, sed additei verbum absorbere. Neq; verisimile est ipsum secutum putidam Hebræorum regulam, qua traduntvocē hanc בלע bala in coniugatione Kal significare absorbere: In Piel verò perdere seu præcipitare. Nam in alijs locis Hiero. istud non obseruat, vt Esaiæ 49. Longe fugabuntur, qui absconderant te. Neque etiam Septuag. interpretes, qui & hoc loco vocem Hebræam, quanuis sit cōiugatio Piel, verterunt verbo Paulino καταπίνω quod significat absorbere. Pro illa ergo Hebræorum regula, ista seruanda est: Verba ferè vnum habere significatum, verùm troporum flexibus fieri, vt multa significent.

1 Cor. 15. & 2 Cor. 5. a

Quid autem naturaliter significet vox ista בלע bala, quæ hoc loco ponitur, declarant alia scripturæ loca, vbi null⁹ est tropus, vt Ionæ 2. Parauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam. Exod. 7. Deuorauit virga Aaron virgas Magorum. Hierem. 51. Absorbuit me tanquā draco. Sic capitur Iob 2. Vt absorbererem eum gratis, pro quo Hieronym⁹ vertit affligerem, fortasse arbitratus vehemētius esse absorbere: quo loco etiam absorbere, iucundum erit vocabulum, si scias mus auxesin: Sic 2. Regum: Quare præcipitas hereditatem Domini? Respondēsque Ioab ait, absit absit hoc à me, non præcipito. Vt vbique Hebræis est absorbeo, quod vt diximus, significat semel & in totum perdo, siue aboleo. Item hoc loco retineri poterat naturalis significatio vocis, vt intelligatur fascia absorpta, tela absorpta, item mors absorpta, id est, semel & in totum abolita: Hæc de verbo præcipitare.

Ionæ 2. a

Exod. 7. b

Hierem. 51. d

Iob 2. a

2. Reg. 20.

Iam de fascia seu vinculo dicamus. Sicut apud Paulum chirographum ad multa se extendit, ita & fascia hoc loco. Referri enim potest chirographum ad legem accusant ē, ad malum habitans in membris nostris, id est, ad somitem, ad obligationem inferni seu mortis, ad obligationem qua addicti sumus diabolo, ad conscientiam iræ diuinæ. Has omnes expositiones legere est apud interpretes. Augustinus autem peccatum originale intelligit per chirographū, vnde à quibusdam paternum appellatur chirographum, nimirum quòd à primo parente Adam sit scriptum. Est itaque in voce chirographum duplex figura, vt pote metaphora & synecdoche: Non enim simpliciter syngrapha intelligitur per chirographum, sed in genere testimonium. Peccatum quidem originale chirographū est, in quo nos omnes scripsimus: reliqua verò quæ diximus, etsi verè testantur contra nos, non tamen nos ea scripsimus, sed Deus. Sicut ergo chirographum ad multa referri potest, ita & vinculum ad omnia illa refertur, quibus vniuersi homines sine vlla exceptione implicantur, sed per Deum inflicta. Non enim nos fecimus hoc vinculum, aut telam hanc orditi sumus, sed ipsemet Deus. Chirographum verò cùm intelligitur peccatum originale nos scripsimus non Deus. Omnis itaque in vniuersum humana miseria vinculum est & fascia, & singulæ quidem miseriæ fasciæ sunt latissimæ, quarum facies omnes inuoluit: Hactenus de vinculo & tela.

Coloss. 2. d

Quid fascia seu vinculū aut tela.

Iam de facie dicendum est: Facies pro superficie in scripturis valdè vsitatum est. Vt Genes. Tenebræ erant erant super faciem abyssi. Ad quem locum respexisse videntur Aquila & Theodotio qui hîc verterunt, Præcipitabit faciem tenebrarum super omnes populos. Pagninus verò vertit, Præcipitabit faciem comperimenti operti super omnes populos, id est, quod stratum est, & volutum super omnes populos. Paraphastes autem Chaldęus: Præcipitabit faciem principis, cuius principatus est super omnes populos. Symmachus: Præcipitabit faciem dominatoris, qui dominatur super omnes populos. Qui si mortem intelligunt, consormiter dicūt Paulo, qui in epistola ad Romanos scripta pronunciat mortem super omnes regnasse. Horum versionem verisimile est secutos, qui tempore Hieronymi per faciem intelligebant Antichristum. Haymo diabolū intelligit: Dion. Carth. effectū peccati originalis, siue obligationē ad pœnā: Tho. mortē: Iudęi successum rerū, quo in hoc mūdo vtūtur Gentes: & quidā inter Indæos, dolos

Quid facies.

Genes. 1. a

Rom. 5. b

&technas

Universidad de Deusto
Biblioteca

& technas, quibus vtuntur Gentes aduersus eos, & probabile reddunt quod dicunt ex capite 28. Esaiæ, Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sum⁹, atque ita mendacium & dolus videntur habere faciem telæ. Sed Iudæorum expositionem subuertit, quod habet propheta telam istam à Domino oriri.

Præcipitabit mortem in sempiternum) Particula est interpretationis præcedentium: Est enim mors pars istius telæ seu miseriæ. De morte & alia scriptura per prosopopœam loquitur, cùm ait: Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua, vbi est stimulus tuus? Rursus: Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysem. Ero mors tua ò mors &c. Hæc autem figura mollius quadrat in mortem, quàm in chirographum, quod tamen à Paulo per prosopopœiā dictū est crucifigi: rursus quàm in vinculum, quod hic etiam per fictionem personæ dicitur absorberi.

1. Cor. 15. g
Rom. 5. c
Osee. 13. d

Et auferet Dominus Deus lachrymam &c.) Rursus est alia particula expositionis, sicut & sequens: *Et opprobrium*) id est, contumeliam populi sui, quæ sunt partes huius fasciæ seu telæ, & omnis ista miseria citissimè auferenda est, quia Dominus loquutus est.

ET dicent in die illa. *Ecce Deus noster iste expectabimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eū, et exultabimus, et lætabimur in salutari eius, quia requieuit manus Domini in monte isto. Et triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro. Et extendet manus suas sub eo, sicut extēdit natans ad natādum, & humiliabit gloriam eius, cum allusione manuum eius, & munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, & detrahentur in terram vsque ad puluerem.*

ET dicet in die illa: *Ecce Deus noster iste*) Hæc sunt verba eorum, qui iam sunt felices. Exemplaria communiter legunt, (& dicent) sed Hieron. in singulari legit, sicut & Hebræi: Et dicet nimirum populus Dei, cuius fuit mentio. Hieronymi verba sunt: Absorpta morte in perpetuum, populus Dei qui de manu mortis fuerit liberatus, dicet ad Dominum: ecce iste Iesus Mariæ filius, quem increduli hominem tantùm putabāt, Deus noster est: Tunc enim præsentes agnoscent maiestatem eius & diuinitatem, quam hìc per speculum tantùm & in ænigmate cōtemplabantur.

Expectabimus eum &c.) Exemplaria Latina ferè in futuro habēt, expectabim⁹. Hiero. interpretatur ac si dixisset in præterito expectauim⁹. Itē Haym. & Dio. & dubiū nō est quin ita sit legendum, cùm & reliqua quæ sequūtur in præterito scribantur. Sensus est: Expectauimus eum in hac mortali vita, id est, credidimus verbis ipsius & promissis, & licet in longum differrentur, & multa interim obuenirent aduersa, non propterea fracti sum⁹ animo, sed longanimiter expectauimus.

Et saluabit nos) scilicet semel & semper.

Iste Dominus) Nihil magis tribui potest Mariæ filio, quàm quòd hìc dicitur Dominus: Est enim nomen illud ineffabile יהוה adonai, quòd à numero literarum Græcis tetragrammaton appellatur, quo præter vnum solum Deum nihil denominari potest in cœlo vel in terra. Superiùs verò vbi dicitur, Ecce De⁹ noster iste, habetur nomē אלהים elohim, quod etiam angelis & viris præstantibus in scriptura tribuitur, quemadmodū dictum est in cap. 9.

Sustinuimus eum) Idem est verbum apud Hebræos, quod Hieron. mox vertit, expectabimus. *Exultabimus & lætabimur in salutari eius*) hoc est, in salute eius, siue in saluatione, qua nos omnibus malis ereptos æterna felicitate beabit.

Quia requieuit manus Domini &c.) Manus pro potētia sumitur, hoc sensu: Deus in hoc monte exeret se quantus sit, cuius potentiam & maiestatem hìc obscurè tantùm intelligimus. *Et triturabitur Moab sub eo*) Duplicem tropū in vnica voce Moab agnouit Hieronymus, metonymiam videlicet & synecdochen: Non enim intelligitur hoc loco populus Moab aut ipsa regio, sed per metonymiā populi illius idolum quod Beelphegor dicitur: deinde ex hac vnica idoli specie concipitur omne idolorum gen⁹ per synecdochen. Cōmentarius autem Hiero. sic habet: Ex vno idolo & dæmone, qui huic idolo præsidebat, omnes indicat contrarias fortitudines humiliandas, & deijciendas in tartarum, & instar puluēris cōterendas. Alij verò synecdochen tantùm agnoscunt, accipientes Moab pro ipso populo, & ex ipso populo figuratè quemuis impium intelligentes. Ratio autem quare omnes agnoscant synecdochen, est ista, quia cùm ad consummationem sæculi hęc pertineant, non videntur particulariter ad Moabitas referenda, maximè cùm nulla eorum præcesserit mentio. Similem tropum habes explicatum apud Augustinum lib. 4. de doct. Christ. vbi ostendēs scripturis inesse germanam eloquentiam, sumit exemplum ex principio sexti capitis Amos prophetæ: Væ vobis qui opulenti estis &c. & clauditur sententia hoc modo: Et nihil patiebantur super contritione Ioseph: quod explicans Augustinus, Miro (ait) de-

core non dictum est, nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre Ioseph, vt quicunque frater proprio eius significaretur nomine, cuius ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Iste certè tropus, vbi Ioseph quemcunque fratrem facit intelligi, nescio vtrum illa quam didicimus & docuimus arte tradatur, quàm sit tamē pulchrè, & quemadmodum afficiat legentes atque intelligentes, non est opus cuiquam dici, si ipse non sentit.

Non ignorabat Augustinus figuram synecdochen, & propterea quòd dicit ignorare se vtrum arte rhetorica tradatur, idcirco dicit quòd in nominibus proprijs hominū rarò reperiatur, cùm frequentissimè in nominibus fluuiorum, montium &c. Sic & apud Ieremiam capite. 32. Aedificauerunt ex celsa Baal, vbi significat scriptura, quòd non soli ipsi Baal, sed omnibus idolis excelsa ædificauerint. Sic & in Leuitico, De semine tuo nō dabis vt cōsecretur idolo Moloch, quod non de illo tantùm idolo, quod erat Moabitarum, dictum est, sed ex illo vno totum genus intelligi voluit scriptura per synecdochen: quod mirum est in libris Moysi, cùm in illis ferè omnia simpliciter dicantur. Istud autem figuratè dictū esse hinc liquet, quòd populus ibi generaliter instituatur, deinde adhuc longè aberat à Moabitis, apud quos istud idolum colebatur: Iucundissimè itaq; & elegantissimè Moab pro vniuersis impijs hoc loco posuit propheta. Huiusmodi locutiones quia non aduertit Lyra, frigidè satis hunc locum interpretatus est, per Moab Antichristum accipiens: & causam suæ expositionis reddit, quia Antichristus est ex patre mendacij, qui diabolus est. Moab enim interpretatur ex patre, sed non vidit eadem ratione Christum etiam diei posse Moab, quia & ipse ex patre est. Haymo autem diabolum per Moab intelligit, quia ille typum diaboli gerebat. Thomas simpliciter accipit Moab pro populo illo, & intelligit de illo bello, quod intulerunt Moabitis Machabæi, sed non est verisimile illum commentarium esse Thomæ.

Leuit. 18. r.

Cipriatus.

Et triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro) Istud Hieronymus explicat iuxta modum Palæstinorum, qui ob fœni & pratorum penuriam, stipulas ferratis carpentis, seu plaustris conterunt in paleas pro esu animantium. Sicut igitur stipulæ ferratis carpentis cōteruntur in paleas: sic impij in consummatione sæculi penitus conterentur.

Alia exemplaria.

Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum) Est alia similitudo, qua explicat interitum Moab & omnium impiorum, & est talis: Sicut is qui natat, explicat totum suum corpus, & iactat & reiactat brachia sua, præbens speciem hominis planè victi: sic Moab extendet manus suas sub victore luctatore Domino. Simpliciter & sine figura dixisset propheta, hoc modo: Diabolus & omnes impij in consummatione sæculi sic vincientur, & subijcientur Domino Deo, vt præbeant speciem hominis superati, & planè victi, qualis est natantis, qui habitu & gestu corporis refert hominem omnino desperatum, & planè victum.

Et humiliabit gloriam eius &c.) Aliud est huius verbi suppositum, quàm præcedentis, quod mirum est in eadem periodo. Sensus est: Dominus Deus humiliabit omnem gloriam Moab, id est, omnem superbiam & potentiam eius ad ima detrahet, & ipsum allidet in terram.

Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur &c.) Apostrophe est ad Moab, hoc est, ad impios. Sensus est: Omnia in quibus Moab, siue quilibet impius iam confidit, Dominus tunc destruet.

CAPVT XXVI.

IN die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea, murus, & antemurale. Aperite portas, & ingredietur gens iusta, custodiens veritatem. Vetus error abijt, seruabis pacem, quia in te speranimus. Speraſtis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.*

IN die illa) Id est, cùm humilatus fuerit Moab, & detractus ad terram vsque in puluerem, omnesque inimici pedibus Christi substrati, tunc cantabitur canticum istud in terra Iuda, hoc est, in terra viuentium siue in cœlo. Terra enim Iuda accipitur hìc sicut suprà, In monte hoc, vt scilicet typum gerat illius terræ seu Ierusalem quę sursum est.

Vrbs fortitudinis nostræ Sion saluator) Sensus est: Antehac habuimus varias ciuitates, hic Romam, ille Ierusalem, atque alius aliam, posthac vnam omnes habebimus ciuitatem nempe cœlestem Ierusalem. Quod in exemplaribus Latinis fere additur, Sion, per errorem additum est: Argumenta sunt, quia in Hebræo non adijcitur: præterea Lyra & Dionysius admonent non debere addi, & citant exemplaria emendatiora, quæ non habent. Estque hoc loco varia distinctio: D. Hieronymus enim distinguit vt vox (saluator) ad superiora pertineat. Se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptuaginta verò ad inferiora referunt, quem admodum & recentiores, sed magis placet quod habet Hieronymus, vt sensus sit: Vrbs fortitudinis nostræ, id est, protectio nostra secura, & habitatio quieta, est Saluator Christus Dominus. *Ponetur in ea murus &c.*) Ex certis his partibus intelligitur vrbs munitissima, per synecdochen: simpliciter autem dixisset, vrbs hæc munitissima erit. Hieron. autem per murum bona opera, per antemurale verò fidem intelligit, parum memor, ea quæ hîc dicuntur ad regenerationem pertinere, vbi non fides erit sed fidei succedet clara Dei visio: verùm quemadmodum scriptura promiscuè loquitur de duplici Christi aduentu, & de duplici consummatione seu regeneratione (Siquidem Christo nato mundus consummatus est & regeneratus, de qua regeneratiõe Paulus 2. ad Cor. Si qua ergo in Christo noua creatura &c. Altera cõ summatio futura est, Christo ad iudicium veniente) Ita & Hieronymus in suis commentarijs miscet, & promiscuè de duplici consummatione loqui, potest intelligi.

Duplex Christi aduentus & duplex regeneratio seu cõsummatio.

Aperite portas & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem) Apostrophe est ad angelos, hoc sensu: Vos angeli cœlestesque spiritus, reserate portas terræ Iudææ, id est, cœlestis Ierusolem, & ingrediatur gens iusta. Qua autem in re iustitia scripturarum sita sit, hoc loco non dicitur, & hac quæstione totus mundus hodie plenus est. Iustitiam Lutherus consistere putat in fide: Hieronymus præter fidem requirit omnium virtutum opera, & palam iustitiam operum non vno loco statuit scriptura, quæ loca diligenter obseruanda sunt, propter hæreticos nostri temporis. *Custodiès veritatem*) Hæretici veritatem verbi Dei intelligunt, sed iuxta morem scripturæ veritates etiam pertinent ad ipsa opera. Sic dicitur. 4. Regum: Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate. Ambulare autem in veritate secundum idioma linguæ Hebrææ, est præstare tenorem vitæ secundum veritatem.

4. Reg. 2. c. Quid ambulare in veritate.

Vetus error abijt) Sermo est populi ex animo gratulantis vices & fortunas suas coram Domino. Sensus est: omnis ignorantia, qua in hac vita laborauimus, & omnis fluctuatio, & inconstantia, penitus ablata est, & propterea tu Christe seruabis pacem, pacem inquam firmam, stabilem, atq; perpetuam: Est enim repetitio Hebraica multum vehementiæ adferens, quasi dicat: In præsenti sæculo, pax sæpe interrumpitur, quod fit quoties peccamus: in alio autem sæculo, seruabitur pax perpetua. *Quia in te sperauimus*) non in diuitijs, non in fortitudine nostra, & vacuis ac fluxis rebus, sed in te redemptore nostro.

Speraſti in Domino) Hieronymus indcat legi posse in imperatiuo, hoc modo, Sperate in Domino in sæculis æternis, quomodo & Hebræi legunt, secundum quos sensus clarus est: sed quia vertit, speraſtis, obscurum reddidit locum: Nam quod sequitur, In sæculis æternis, non ita commode videtur hærere cum verbo speraſtis. Hinc Lyra expo nit hoc modo, In sæculis æternis, id est, ad consequenda sæcula æterna: Dionysius, In sæculis, æternis, id est, inde ab initio mundi conditi: Thomas, in sæculis æternis, id est, semper.

QVia incuruabit habitantes in excelso, ciuitatẽ sublimem humiliabit, humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem, conculcabit eam pes. pes pauperis. gressus egenorum. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum, & in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te, nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ.

QVia incuruabit inhabitantes &c.) In excelsis habitant, qui verè non sperant in Domino, vt sunt ambitiosi, superbi, auari & in vniuersum omnes qui ad magna aspirant, qui hinc audiunt euangelium, hinc mundum, & neglecto euangelio, sequuntur mundum.

Ciuitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam vsque ad terram) Iudæi Romam intelligunt: Hier. Ierusalem, sed rectius orbis terrarum intelligitur, hoc sensu: Dominus totum terrarum orbem in puluerem rediget, & habitatores eius superbos, ambitiosos, auaros &c. dispergit.

Pes pauperis &c.) Est hoc loco quæstio an, pes pes, sit duplicatio siue repetitio Hebraica, qualis est illa, Pacem pacem: An verò sit expletiuè dictum, hoc sensu: Conculcabit eam pes, pes inquam pauperis. Posterius (pes) apud Hieronymum in textu & commentarijs est pluralis numeri: similiter & apud Hebræos, secundum quos potest intelligi per correctionem dictum esse, hoc modo: Conculcabit eam pes, & quidem pes pauperis. Huiusmodi correctio sæpius fit per particulam, immo. Qui autem sint pauperes iuxta scripturam, suprà annotatum est.

Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum) Hieronymus, nomine iusti Christum intelligit, quod non est infrequens

quens scripturæ. Septuaginta autem interpretes quemuis iustum accipiunt, vnde verterunt: Via iustorum recta est &cætera: & parum refert vtrum hoc aut illo modo exponamus.

Et in semita iudiciorum &c.) Vox est eorum qui in consummatione sæculi futuri sunt inter oues. Sensus est: Quamdiu in hoc sæculo egimus, sustinuimus nec recessimus à semitis mandatorum tuorum, quan quam difficile erat sustinere & in mandatis tuis perseuerare.

Nomen tuum & memoriale &c.) Id est, sustinuimus te non ficto corde, sed in veritate, optauimus vt nomen tuum apud omnes esset verè celebre, optauimus vt memoria tua esset verè sancta apud omnes: atque istud est hominis verè Christiani, videlicet, hoc agere, vt nomen Christi vbique bene audiat.

Officium verè Christiani

ANima mea desiderauit te in nocte. Sed in spiritu meo, & præcordijs meis, de mane vigilabo ad te. Cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet iustitiam facere. In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.

ANima mea desiderauit te in nocte. Sed in spiritu meo, & præcordijs meis, de mane vigilabo ad te.) Id est, non sufficit mihi dies, impendi etiam partem noctis, vt spiritum meum redderem præsentem tibi. Tale est illud, Præueni in maturitate: Sic enim legendum est.

Psal. 118.

Cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis.) Dicit istud propheta de hominibus iuxta affectum mundi viuentibus, quibus huiuscemodi sancta desideria videntur esse leuia, puerilia, ridicula, monachalia. Sensus est: Mundus non intelliget hanc sanctimoniam, non putabit hæc esse agenda, huiuscemodi affectus inducendos, nisi viderint aliquando seueram Dei vindictam. Insinuat ergo propheta latenter desiderium suum esse, vt exerat Deus potentiam suam contra impios.

Misereamur impio et non discet iustitiã facere) Quasi dicat propheta: Iustũ est Domine de iustitia tua in impios exercẽda desideriũ meũ. Nam contrà, si eis indulgeatur & clementia præstetur, non emendabuntur, etiam si opportunè vel inoportunè admoneantur.

In terra sanctorum iniqua gessit &c.) Scilicet hominum, iniqua gessit, vel in terra, vbi sancta tractantur, vbi verbum Dei docetur, vbi euangelium prædicatur, iniqua gessit.

DOmine exaltetur manus tua, vt non videant, videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret. Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Domine Deus noster, possederunt nos domini absq; te, tantùm in te recordemur nominis tui. Morientes non viuant, gigantes non resurgant. Propterea visitasti, & contriuisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.

DOmine exaltetur manus tua &c.) Hoc eo modo dictum est, quo Dauid sæpius, Exurge Domine in ira tua, vt exaltare manum idem sit, quod exerere potentiam, seu pœnam pro peccatis infligere. Sensus est: Quia impij in malis obdurati noluntaduertere ad doctrinam tuam, percute eos & afflige, sic punias eos cæcitate, vt non videant vel iustitiam tuam vel gloriam. Deinde per correctionem additur, videant scilicet quum serò erit, videant, sed suo malo, videant tunc eos, quos deriserunt. Psal. 7. b.

Et ignis hostes tuos deuoret) Id est ignis pœnitudinis corda eorum excruciet, quòd talem gloriam perdiderint. Sic Hieronymus, potest etiam simpliciter intelligi de igne gehennæ.

Domine dabis pacẽ nobis etc.) Sẽsus est: Sic tractabis impios, vt modò diximus, sed nobis qui habuimus huiuscemodi sancta desideria, dabis pacem, quæ non interrumpetur.

Omnia enim opera nostra operatus es in nobis) Ex hoc loco discimus non solùm opus & donum Dei esse iustificationem impij, sed etiam bonum vsum gratiæ iustificantis esse donum Dei & opus. Sic autem operatur Deus opera nostra in nobis, vt nihilominus nos ea operemur: docent nos hoc apertissima scripturarum loca, quæ habes collecta apud Dominum Iohannem Turnouth libro de gratia & libero arbitrio.

Possederunt nos Domini absque te) Id est, aut affectus nostri carnales siue malum habitans in membris nostris, aut etiam diaboli, aut horum ministri qui sunt mali homines possederunt nos, vel saltem conati sunt nos possidere in præsenti sæculo, nunc à te discimus, vt tibi vni simus addicti, hoc est quod dicit *Tantùm in te recordemur nominis tui. Morientes non viuant*) Id est, impij dum moriuntur, semel moriantur, morte sempiterna moriantur.

Gigantes non resurgant) Gigantes in scriptura dicuntur, qui suis rebus & viribus freti Deum audent contemnere. Annotandum quòd duplex est resurrectio, vna commu-

Qui dicantur gigantes in scripturis

Duplex resurrectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis & generalis, qua etiam peccatores resurgent. Altera qua soli iusti assumentur in occursum Domino in aera, vt cum illo perpetuò viuant: Hanc Paulus ἐξανάστασιν, id est exsurrectionem vocat propter eleuationem à terra. Et hæc prophetæ verba licet habeant speciem precantis, sunt tamen prædicentis quod futurum est.

Propterea visitasti, & contriuisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum) id est, Quia fuerunt impij, quia fuerunt gigantes, propterea visitasti, & contriuisti eos, & omnem eorum memoriam deleuisti.

INdulsisti genti Domine, indulsisti genti. Nunquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum. Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.

INdulsisti genti Domine &c.) Apostrophe est ad Dominum, & repetitur, indulsisti, causa vehementiæ. Sensus est: Indulsisti valde diu impijs, quid hactenus promouisti indulgentia tua? conuertisti eos ad pœnitentiam? reddidisti eos meliores? hoc est quod dicit: Nunquid glorificatus es? Et respondet propheta, Non, sed alienos magis reddidisti: Igitur fieri non potest vt semper indulgeas. Quid ergo me facere vis Esaia? Respondet propheta: *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis*) Sensus est: Ego aduerti aliquos angustia pressos te quærere, quare immitte eis mala, vt saltem calamitate edocti discant applicare studia sua doctrinæ tuæ, licet cum murmure hoc faciant, hoc est quod dicit, In tribulatione murmuris doctrina tua eis.

Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus suis sic facti sumus) Significat istis verbis quales simus homines. Quanquam enim renati sumus in Christo, tamen magna ex parte veterem referimus hominem, & ferè non conuertimur ex toto corde, nisi affligamur, & tale aliquid patiamur, quale parturientes patiuntur: hoc est quod dicit, Sicut mulier quæ concepit, ad partum appropinquans, præ dolore cogitur exclamare: Sic nos facti sumus à facie tua Domine, id est ab indignatione tua, id est, cùm affligis nos tunc ferè conuertimus nos, tunc clamamus & te requirimus. Particula ista, *A facie tua*) referri debet ad superiora, & non ad inferiora, licet sic exponant Haymo & Dionysius. In quibusdam exemplaribus additur, salutis, hoc modo: Peperimus spiritum salutis, sed apud Hebræos non est, neque apud Hieronymum. Qui autem addidit ex editione Septuag. addidit. Legendum est ergo hoc modo: Concepimus & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, & hîc finis est sententiæ, deinde noua periodus incipit, *Salutes non fecimus &c.*) Sensus autem istius versus, Concepimus, & cætera, est ille: Sic malis presi tandem aliquando initia pietatis præstamus, & illa paulatim parturimus, & tardè postremò parimus.

Nos ferè non conuerti ad Deum, nisi calamitatibus pressos.

Salutes non fecimus) Secundum Hieronymum sensus est: Quia tam lenti sumus ad studia pietatis, (Hoc est enim non facere salutes, nempe aut admodum tardè, aut valde interruptè facere) ideo non ceciderunt habitatores terræ, id est, illi qui sequuntur hîc vitam æternam, siue in diuitijs eam ponant, siue in honoribus, siue in alijs rebus perituris, qualescunque tandem illæ sint. Nos autem in causa sumus, vita nostra, conuersatio nostra, quòd inueniantur mali, quòd tam multi sint hæretici, quia non tales nos præstamus, quales deberemus.

VIuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio mea. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltra infectos suos.

VIuent mortui &c.) Est hoc loco mira varietas: Quia affectus nostri valde varij sunt, ideo loca scripturæ, quæ de illis loquuntur, istam affectuum varietatem imitantur. Quod ergo dicitur, Viuent mortui tui, apostrophe est ad Dominum, hoc sensu: Qui in te moriuntur Domine, non semper morientur, sed resurgent. Quod sequitur, *Interfecti mei resurgent*) est vox Domini ad Esaiam affirmantis dictum eius, hoc sensu: imo omnino resurgent mortui mei. Quod sequitur, *Expergiscimini &c.*) apostrophe est ad manes siue ad defunctos, quia sanctorum mors non est aliud quàm somnus quidam, quare & expergisci & euigilare dicuntur.

Laudate qui habitatis in puluere) Est periphrasis mortuorum.

Quod

Comparatio.

Quod sequitur, *Ros lucis*) rursus apostrophe est ad Dominum. Sensus est: Sicut ros, quem apud nos videmus, vitam adfert satis & plantis, sic ros tuus diuinus vitam adfert defunctis. Ros ergo lucis hoc loco vocatur ros vitæ.

Et terram gigantum detrahes in ruinam.) Id est, mundum istum detrahes in ruinam, id est, penitus euertes. Aliter exponit Hieronymus, hoc modo: Terram gigantum, id est, corpora impiorum detrahes in pœnas sempiternas.

Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio mea) Apostrophe est ad sanctos, qui salutes fecerunt in terra. Sensus est: Interea donec pertranseat indignatio mea, id est, donec in peccatores & impios ira mea desæuiet, vos electi mei quiescite in sepulchris vestris (cubicula enim sepulchra vocat) quasi dicat: Non est quòd vos populc meus horreatis mortem, mors est ad tempus tantùm, mors est tantùm ad momentum, non eritis in sepulchris vestris diutius quàm iudicij dies aduenerit, quod breue admodũ tempus est. *Ecce enim Dominus egredietur &c.*) Id est, Dominus veniet è cœlis, vt impijs, qui toto corde inhærent terrenis, retribuat quod merentur, & tunc reuelabit terra iustorum sanguinem, quem suscepit & imbibit. *Et non operiet vltra interfectos suos*) id est, reddet & refundet terra mortuos suos tanquam ex gremio, quo iam eos concludit.

CAPVT XXVII.



IN die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grãdi, & forti, super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est.

QVia à capite. 24. vsque ad presens caput contra vniuersum orbem in consummatione sæculi iudicium prædicatum est, & nouissimè inimica destruetur mors: propterea aduersus diabolum mortis author rem extrema in hoc capite sententia est, vt in ducatur super eum gladius durus & grandis & fortis.

Leuiathan.

In die illa visitabit Dominus &c.) Id est, in consummatione sæculi Deus peculiariter tractabit Leuiathan, non tractabit eum sicut cæteros, sed in gladio suo duro, grandi, & forti. Si autem dixisset propheta, In die illa visitabit Dominus diabolum, facillimus fuisset locus & cuilibet obuius, nunc verò difficultas est propter vocem Leuiathan, qua diabolum significare voluit, quod hinc certũ est, quia omnes tam Iudæi quàm Christiani in hanc interpretationem consentiunt. Significat autem naturaliter vox hæc (Leuiathan) certum piscis genus vastum & immane, quemadmodum apud nos vox cete aut balena: quanquam sint qui non certũ piscis genus significare volunt, sed quoduis genus in mari positum vastum & grande, quemadmodum apud Latinos belua. Vtrum autem sit certum piscis genus, ex scripturis non ita constat, hoc tamen indubitatum est à mole corporis inusitata, pisci nomen esse impositum: Siquidem vox Hebræa לִוְיָתָן laua à qua leuiathan, est aliquid cumulare, & accessionibus augere. Prouerbiorum. 1. capite. Vt addatur gratia capiti tuo, id est, vt accedat cumulus ad priorem. Et capite 4. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum. Et elegantissimè in psal. Etenim Assur venit cum illis, id est, armis illis adiunctus est, hoc est, auctio hostilis facta est. Ipsum autem nomen Leuiathan, non alibi magis naturaliter ponitur quàm apud Iob. 40. An extrahere poteris Leuiathan hamo? Iob quia arrogantius aliquid locutus erat, comprimit eius arrogantiam, & quàm nihil valeat proponit ei per duas res viribus suis superiores, quarum altera est extrahere Leuiathan hamo: Quo loco Gregorius per Leuiathan intelligit diabolum. Eadem vox ponitur in psal. Hoc mare magnum & spaciosum manibus, id est, flexibus sinuosum, illic reptilia quorum non est numerus. Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Quod Iob facit capite. 40. hoc Dauid in isto psalmo facit, proponit videlicet magnificentiam Dei ex duabus rebus: Recenset primò mirabilia Dei opera, quę in terra videre licet, cùm epiphonemate concluisset, dicens, Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapiẽtia fecisti, impleta est terra possessiõe tua, addidit, quæ in mari sunt admiranda: Dixi de terra, inspiciatur iam mare spaciosum manibus, id est, multis ambagibus flexi busque sinuosum, non minora ibi videas rerum miracula, illic draco quem formasti ad illudendum ei, id est, inter cætera aquatica animantia formasti & Leuiathan, vt luderet in mari. Nam vbi nos habemus draconem, Hieronymus legit Leuiathan, & sic habent Hebræi. Quod autem dicitur, Ad illudendum ei, græcè dictum est, pro ad ludendum in eo scilicet mari: Hic videtur esse primus & germanus sensus.

Leuiathan. Prouer. 1. b. ibidem. 4. b. Psalm. 2. b. Iob. 40. c. Psal. 103. a.

Commentarij tamen ferè exponunt figuratè, ad hunc modum: Inter reliquas

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius mundi creaturas (nam per mare mundum intelligunt) formasti & diabolum, vt ludos nobis faciat. Ex quibus quærendum esset, an per metaphoram ita interpretantur, & si per metaphoram, vnde illa sit ducta: illa cùm ducatur à natura rei, quid piscis iste proprium habeat, quod diabolo conueniat. Vel si per allegoriam rerum diabolum intelligunt nomine Leuiathan, vnde hoc habeant, cùm illa ferè peti soleat ex rebus gestis, & non ex naturis rerum: vbi ex scriptura doceri possit quòd Dominus piscem istum voluerit esse typum diaboli.

Psal. 73.c. Est alius locus in psalmo 73. Tu confregisti capita draconis, tu dedisti eum escam populis Aethiopum. cuius loci sensus est iste: Tibi Domine in manu est, quando placet, tibi facillimum est, si velis, comprimere diabolum, nam magna potes & mirabilia fecisti, quæ ibi recensет propheta: Tu potes facere, vt ingens iste piscis capiatur, & in frusta concisus mittatur etiam vsque ad Aethiopas, qui longè disiti sunt à mari.

Alij putant hoc loco prophetam allusisse ad notam Aegyptiorum subuersionem, vt sensus sit: Pharaonem & proceres eius subuertisti & ipsos escam fecisti coruis: Vt per draconem intelligatur Pharao, per capita verò draconis, proceres eius, & populus Aethiopum periphrasis sit coruorum. Et quia hæc pertinent ad Esaiam, referemus & quod Rabbini tradunt. Quidam autem ex Rabbinis

Psal. 73.e. sic scribit in hunc locum psalmi: Quicquid natat in mari & est grande, Leuiathan vocatur, & exponit: Tu confregisti capita draconis, id est, omnis draconis: Est enim nomen speciei (inquit) sicut in Genesi, Est mihi bos & asinus, id est, boues & asini, quamuis enim non additur signum vniuersale, capitur tamen vniuersaliter. Hic in media versatur dialectica: quando rectius Latini, quia vna enallage istud exprimunt. Alius quidam Rabbinus physicum hic agit: quia non dicitur pluraliter, inquit, sed singulariter, draconis, intelligitur vnius speciei vnicum tantùm esse indiuiduum, & quidem masculum, quia additur relatiuum masculini generis, atque hinc transit ad Esaiam: & quod dicitur, Visitabit Dominus super Leuiathan et cætera, ad hunc modum exponit: In consummatione sæculi mactabit Dominus piscem Leuiathan, vt eo vescantur electi. Est quidem lingua Hebræa pulcherrima, sed infelices, proh dolor, habet tractatores. Certum est hanc vocem non simpliciter hoc loco positam esse: non enim piscem tractabit Dominus simpliciter, sed homines & dæmones. Oportet ergo agnoscere metaphoram, qua significatur diabolus, vel ministri eius, homines: atque magis conuenit intelligere diabolum propter vires Leuiathan, ad quas superandas opus est gladio duro, grandi & forti. Sensus itaque huius loci est iste: Vos electi mei, qui in hoc mundo experimini quàm sit difficile superare diabolum, & ipsius fraudes & tentationes euadere, ecce ego in fine mundi semel perdam eum, & quicquid ad ipsum pertinet. Hæc est consolatio eorum, qui hic fortiter & infracto animo certant contra diabolum, quem semel conficiet Dominus, & tunc pax erit perpetuò, tunc solidum erit gaudium, quod nunquam interrumpetur, nec interpolabitur. Hactenus de Leuiathan. Sequitur in Esaia,

Serpentem vectem) Serpens appositiuè additur ipsi Leuiathan, & vectem appositiuè serpenti, hoc modo: Dominus occidet Leuiathan, qui est serpens, serpens inquam, vectis. Serpens figuram habet rhetoricam, qualis est, si quis Lutherum pestem Germaniæ vocet, aut aliquem cauernam domus appellet: & quia in vecte diuersi diuersa considerant, idcirco diuersimodè tradunt vectem diabolum appellari. Hieronymus autem eam ob causam rectum habet, qui propterea etiam tortuosus dicitur. Hic respicit ad curuitatem palorum: Esaiæ verò decimoquinto de Moab dicitur, Vectes eius ad Segor vectes interpretatur robur, vbi in palis ista consideratur, quòd sint robusti, quales sunt in lib. Num. Pergentesque vsque ad torrentem botri absciderunt palmitem cum racemo sua, quem portauerunt in vecte duo viri. Ita & hoc loco exponi potest, vt diabolus dicatur vectis propter robur & fortitudinem maximam, vnde Theodotio sensum non verba reddens, vertit serpentem robustum. Rabbini verò Iudæorum ad vectium vectem respiciunt, qui est in Exodo, vbi scribitur quod tabulæ medio vectes pingebantur: fecit quoque alium vectem, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum perueniret. Sicut ergo vectis à prima tabula vsque ad postremam transibat, ita piscis iste Leuiathan transit à primo mari vsque ad vltimum mare, quod & vectis appellatur. Sic Iudæi. Vnde & Pag. vertit. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, forti & grandi Leuiathan serpentem transeuntem mare profundum. Alij

Alij rursus diabolum vectem appellari dicunt quòd multos suo carcere clauserit, & propriæ subiecerit potestati. Hi in vectibus respiciunt, quòd ijs portæ claudantur: Vnde Sym. pro serpente vecte, vertit serpentem concludentem, siue claudentem. Septuaginta vertunt, serpentem fugientem. Diabolus autem dicitur serpens, propter fraudes & venena sua: quare verò fugiens dicatur, habes apud Hieronymum in Comment. Vectis denique dicitur propter robur eius & fortitudinem, quam varijs in locis exprimunt scripturæ.

Et occidet cetum qui in mari est) Cùm propriè potuisset dicere propheta, hoc modo, Et occidet diabolum, qui in mundo est, maluit tamen figuratè dicere idque longè petita meraphora, licet Hebræis non sit noua. Nam apud Ezechielem, eodem nomine Pharao vocatur, qui typus fuit diaboli: Ecce ego ad te Pharao draco magne, qui cubas, id est, confidis in medio fluminum tuorum. Quo loco apud Hebræos idem nomen est, quod hic ponitur, & Hieronymus cetum vertit, & mirum est non eodem modo cetum vertisse, & apud Ezechielem, quia statim mentio fit aquarum: alioquin ipsum nomen quando per se ponitur, nunc piscem, nunc draconem terrestre animal significat, vt patet Exodi. 7. Proiecerunt vngues suas, quæ versæ sunt in dracones, vbi est eadem vox, quæ hoc loco ponitur in Hebræo תנינים videlicet tannim. Istud ergo, & occidet cetum qui in mari est, certò intelligi debet de diabolo, qui in fine mundi occidetur, & tunc erit gaudium stabile, firmum, quod nunquam interrumpetur.

Ezechie. 29.a.

In die illa vinea meri cantabit ei. Ego Dominus qui seruo eam, repente propinabo ei, ne forte visitetur contra eam. Nocte & die seruo eam, indignatio non est mihi. Quis dabit mihi spinam & veprem? In prælio gradiar super eam, succendam eam pariter. An potius tenebo fortitudinem meam? Faciet pacem mihi, pacem faciem mihi.

In die illa, vinea meri &c.) Vinea meri dicitur, quæ habet merum vinum, siue (vt Septuaginta vertunt) vinum quod aqua dilutum non est. Eadem vox ponitur psal. 74. Calix in manu Domini vini meri etcæt. Quo loco Hieronimus vinum meracum vertit, & Deute. meracissimum: Et sanguinem biberent vuæ meracissimum, non quia in Hebræo vlla fit mentio seu significatio meri, sed cùm voce Hebræa generosum vinum significari viderent interpretes, veterunt merum ad sensum, siue vinum ἄκρατον, vt habent Septuaginta, id est, impermixtum siue indilutum. Rabbinus quidam Iudæus dicit vocem Hebræam significare rufum siue rubeum quod genus vini in Iudæa præstat candido vino, Vnde Pagni. vertit, Vinea vinum faciens rubeum.

Psalm. 74.b.

Deut. 32.b.

Cantabit ei) Locus iste ambigui sensus est. Hieronymus interpretatur quasi sint verba Dei irati, cùm tamen ex consequentibus videantur esse Dei propitij & solliciti, ne vinea ista sic tractetur, sicut tractabitur Leuiathan. Vineam Hieronymus intelligit illam, de qua suprà capite quinto: Vinea facta est dilecto meo, illa autem quæ debeat intelligi, ipsemet propheta postea docet dum adijcit, Vinea Domini exercituum domus Israel est. Cantate pro flere & plangere accipit. Sensus itaque secundum Hieronymum est: In consummatione sæculi vinea meri siue vinea forek (vt dicitur capite quinto) id est, impius & carnalis Israhel, qui pro vuis attulit labruscas, planget. *Supra. cap 5*

Ego Dominus qui seruo eam, repente propinabo ei) Istud, quod videtur omnino esse Dei propitij, Hieronymus refert ad tempora præterita, quibus carnalem Israelem Dominus seruare solebat in hoc tempore ad pœnitentiam. Secundum eum ergo sensus est: Vinea ista lugebit, propterea quòd ego eam multo tempore in vita seruaui ad pœnitentiam, sed falsus sum, noluit pœnitere, & ideo repente propinabo ei, id est, inebriabo eam calice furoris mei. Verbum præsentis temporis (seruo) interpretatur pro præterito, quod valdè extortum videtur.

Ne forte visitetur contra eam) Videtur istud esse Dei sollicitè curantis ne quid mali accidat vineæ isti, nec sic tractetur quemamodum tractabitur Leuiathan. Hieromymus in Comment. hoc non exponit. Minus coactum videtur, si omnia hæc faciamus Dei propitij, vt vinea meri sit spiritualis Israel, siue Ecclesia fidelis: hæc autem Ecclesia in die illa quando videlicet deiectus fuerit Leuiathan, cantabit ei, id est, gratulabitur sibi & triumphabit. Nam quod Latinus textus habet (ei) Hebræis est fœminini generis, nec distinguunt ipsi inter pronomina reciproca & non reciproca. Quare dicere oportet, Cantabit sibimet. Cùm enim pronomen (ei) sit fœminini generis, non potest referri ad Dominum, etiamsi ad Dominum referat Haymo, & glosa interlinealis, & quod magis mirum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum est, Lyra. Et Hebræi quia fœminini generis est, in imperatiuo legunt, pro cantabit, cantate, hoc modo: Vineæ meri cantate ei, id est, gratulemini ei. Verbum enim apud Hebræos est imperatiui modi secundum puncta, quæ nunc habet substrata. Vnde apud nos pronomen (ei) abundat, & est
Psal. 67. d. prolepsis Hebraica, sicut & ibi: Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Pronomen fœminini generis legunt etiam Septuaginta. Hæc omnia faciunt contra Hieronymum. pro Hieronymo autem facit, quod dicit, Repente propinabo ei. Nam (repente) in scriptura ferè ad minas pertinet: loca in promptu sunt: Exod. 33.
Exod. 33. c. Semel ascendam in medio tui, & delebo te. Vbi nostra translatio habet (semel) Hebræi habent (repente) siue vno momento ascendam. Rursus Num. 16. Separamini
Num. 16. c. de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam. Item (propinare) videtur etiam esse minantis, propterea qui nunc vertunt, reddunt (irrigabo) vt singula sint Dei propitij, hoc modo: Ego ad singula momenta curabo spiritualem Israelem irrigari. Verbum autem Hebræum שקה saka ad vtrunque pertinet: significat enim & propinare & irrigare. Vt Genesis secundo ca-
Gene. 2. b. pite: Fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ. & post pauca, Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Quibus locis eadem vox ponitur in Hebræo, quæ hoc loco apud Esaiam, quam Hieronymus vertit propino.

Nocte & die &c.) Hieronymus istud interrogatiuè legit hoc modo: Ego qui die ac nocte hactenus seruaui vineam hanc, nunquid indignationem non habeo? & nescio ferire peccantem & reddere vnicuiq; quod meretur? Iam carnalis Israel non audit me, an credat quòd nequeam irasci?

Quis dabit me spinam & veprem? &c.) Hieronymus ista accipit minaciter, vt sint molientis vindictam & appetentis arma. Quis, optantis est, & pronomen (me) emphasin habet, hoc sensu: Vtinam quis me faciat talem, qualis est spina & vepris, id est durum & asperum, vt vincam naturam meam ad clementiam & misericordiam propensam, & in prælio ac certamine truculentus incedam, gradiarque super vineam meam quam ante seruaui, & siccendam eam, quam meo sepsero ram muro. Posteriores verò sic hæc accipiunt, vt requirant responsionem negatiuam, hoc sensu: Quis faciet vt ego sumam vindictam de populo meo? quasi dicat, nemo faciet.

An potius tenebo fortitudinem meam?) Est sermo cohibentis vindictam contemplatione misericordiæ. Istud frequens est prophetis, vt nunc minentur, & mox rursus subiungant affectum Dei continentis iram, contemplatione misericordiæ suæ. Tenere ergo fortitudinem, est vires suas non exerere, sed eas continere. Alij pro eo quod nos habemus, An potius, ponunt (vel) & legunt hoc modo, Vel quis tenebit fortitudinem meam, id est, quis efficiet vt malè tractem eos, quos habeo mihi charos? quasi dicat, nemo. Quod sequitur

Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi) Hieronymus præsse legit, & intelligit suppletum verbi faciet (CHRISTVS) vt sensus sit: Continebo fortitudinem meam, & non sumam vindictam, quia Christus faciet pacem mihi. Ex fortitudine, cuius mox mentio fuit, facit Christum suppositum qui est Dei virtus. Thomas autem putat suppletum esse (vnusquisque) hoc sensu: Vnusquisque sibi apud me faciet pacem sciens bonis operibus. Dionysio verò Carthusiano placet vt suppositum verbi (faciet) sit ciuitas Ierusalem & per ciuitatem Ierusalem metonymicè intelligit Apostolos & apostolicos viros, qui inde egredientur, vt reconcilient mundum Deo.

QVI egrediuntur impetu à Iacob, efflorebit, & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine. Nunquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? Aut sicut occisi interfectos eius, sic occisus est? In mensura contra mensuram, cùm abiecta fuerit, iudicabit eam. Meditatus est in spiritu suo duro, per diem æstus.

QVI egrediuntur impetu à Iacob &c.) Alij codices habent, Qui egrediuntur impetu ad Iacob: Alij, Qui egrediuntur impetu ex semine Iacob: & interpretatur Lyra, Qui, scilicet Apostoli. Ex quo quærendum esset vnde venerit ad mentionem Apostolorum. Secundum eum ergo sensus est: Egredientur Apostoli ad prædicationem eum impetu, id est, feruenti desiderio à Iacob, id est, à populo Israel. Qui sensus ferè est in glosa interlineali, nisi quòd Apostolorum mentionem inducat tribus verbis: propheta (inquit) posthac de Apostolis. Alij Apostolorum mentionem inducunt hoc modo: Christus faciet pacem non solùm per se, sed etiam per Apostolos, qui egredientur impetu à Iacob. Verùm omnia omnibus facile accòmodarentur, si hunc interpretandi modum permitteremus nobis. Hieronymus autem in textu & commentarijs

git: Qui egredientur de radice Iacob: & refert ipse hæc ad Apostolos, quos non legit apud Hebræos, sed in textu Septuaginta interpretum vidit, atque adeo vtrunque textum confudit. Habet enim sic: Postquam Apostoli in toto orbe euangelium prædicauerint, & pacem fecerint Christo, tunc qui in excelsis fuerint de semine Iacob (hactenus est cæsum seu comma secundum eum, quod explere studens, adiecit ex editione Septuaginta) Apellabuntur filij Iacob, quæ particula in Hebræo non est. Quare & hic confudit vtrunque textum, sed mirum vnde habeat (in excelsis) cùm neque apud Hebræos neque apud Septuaginta aut alibi vsquam legatur. Quare videtur mendum esse, & legendum: Tunc qui fuerint egredientes de semine Iacob. Hebræi autem codices legunt hoc modo: Hi venientes radicabit Iacob, germinabit & florebit Israel: & exponunt venientes pro veniunt, quod ipsis minimè nouum est, & subaudiunt (dies aliqui certi) quibus diebus Iacob radices aget: Quem sensum extulit Pag. cuius versio sic habet, In diebus qui veniunt radicabit, germinabit & florebit Israel. Mirum est ergo, vnde in exemplaribus nostris habeatur (impetu) quæ vox nec in Hebræo est, neque apud Septuaginta, neque in Hieronymo.

Nunquid iuxta plagam &c.) Hactenus locutus est Dominus, nunc eum propheta excipit, & quia præcessit Leuiathan, vinea, & Israel, dubium est vtrum percutiens & percussum accipi debeat Leuiathan, an verò vinea vel Israel: Sensus est: Vos qui ista lecturi estis iudices facio, an Deus supplicia paria exegerit: impij malè & tam indignè tractauerunt Christum, reddidit Deus eis paria? iudicate, & bene perpendite, comperietis quod non fecerit: nondum sic percussit vineam quomodo ab ea ipse percussus est. Est Leuiathan sic occisus, sicut ipse nostros occidit? Nondum quidem factum est, sed futurum est vt fiat, vnde sequitur:

In mensura contra mensuram &c.) Sacra scriptura est securissima relationum, debuisset dicere, In mensura contra mensuram, cùm abiectus fuerit, iudicabit eum: Cùm iste sathan siue Israel abiectus fuerit, tunc fient paria, hoc est quod dicit, In mensura contra mensuram iudicabit eam, hoc est, mensura tunc respondebit mensuræ.

Meditatus est in spiritu suo duro, per diem æstus.) Suppositum verbi (meditatus) est Dominus. Ipse enim in spiritu suo duro meditatus est quid retribuet vineæ suæ id est, carnali Israel, vel Leuiathan, per diem æstus, id est, in die tribulationis. Per diem enim æstus scriptura ferè intelligit diem calamitatis, miseriæ aut tribulationis, quia sicut ingens æstatis feruor & calor solis supra modum intensus, mirum in modum cruciat homines, affligit, & vexat: Ita in die tribulationis ingens iustitiæ Domini feruor, cruciabit & affliget omnes impios & carnales homines.
Dies æstus. *Comparatio.*

Hactenus diximus quid senserint commentarij, in quibus præcedentia mirabiliter dubia fuerunt: nũc quomodo nos istud caput intelligamus, paucis aperiemus. In principio itaque capitis diabolus durissimè tractandus prædicitur, & in diabolo omnes eius satellites & ministri. Deinde per antithesin seu oppositionem, subijcitur de vinea meri, quod huic omnia futura sint lætissima, & festæ gratulationis plena. Cæterum hanc tantam vineæ felicitatem, Domini munus esse deinde docetur, cùm additur: Ego Dominus qui seruo eam, nec perfunctoriè seruo eam, sed singulis momentis rore cœlistis gratiæ irrigo eam, ne accidat ei quòd nolim, ne extermiuet eam aper de sylua, ne bestiæ deuorent eam, & conculcent. Nam (repente) est pluralis numeri apud Hebræos, pro quo Latinus diceret, singulis momentis, vel ad singula momenta: Alijs verò locis vbi ad minas pertinet, in singulari ponitur.

Sequitur iam alia periodus, *Indignatio non est mihi*) id est, fuit tempus cùm vinea hæc diaboli similis, esset inuisa & odiosa: nunc verò indignari illi semel desino, reconcilia tus per filium. Ista est secunda antithesis, quæ tacitè opponitur illi, In gladio duro, grandi & forti. Seuerissimè quidem tractabo Leuiathan, nec desistam ab indignatione mea, sed longè secus habeo me erga vineam, cui reconciliatus sum in filio.

Deinde sequitur, *Quis dabit me spinam & veprem &c.*) cuius sensus est: Nunc indignari desisto vineę reconcilitatus per filium: sic autem reconciliatus, quis dabit me spinam & veprem? id est, quænam tandem res efficere poterit, vt tali seueritiate vtar erga vineam seu ecclesiam meam, quali vtar contra Leuiathan? Quis coget me talia tam dura, tam truculenta exercere in vineam meam qualia in consummatione sæculi exercebo cõtra Leuiathan? Quis efficiet, vt semel stirpitus reijciam vineam? quasi dicat, nemo: Certum habeat istud Ecclesia, quod nunquam fiet.

Postea sequitur, *An potius tenebit fortitudinem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinem meam?) Sic enim legendum est in tertia persona, & non tenebo, vt patet ex Hebræis, quanquam aliud dicit Haymo. Sensus est: Certum habeat hoc Leuiathã & ipsius satellites, quòd nulla penitus res efficere poterit, quò minus ego exeram fortitudinem meam contra ipsum, nullam volo ipsi aut ministris eius esse spem pacis in die illa. Hic quidem possunt sperare pacem mali homines, sed in consummatione sæculi nequaquam: atque hoc est quod tam violenter dicit, & per repetitionem inuertit, Faciet pacem mihi? pacem faciet mihi?

Sequitur: *Qui ingrediuntur impetu à Iacob, efflorebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine*) Id est, ij qui censentur in vinea Iacob, siue in semine Iacob, quos etiam Israelitas vocare soleo (ait dominus) æternis temporibus florebunt, & quaqua versus patet hic terrarum orbis, habebunt sobolem suam, hoc est quòd dicit, Implebunt faciem orbis semine.

Hæc ita loquentem Dominum propheta excipit, & conuertit sermonem suum ad eos, qui postea erant nascituri, atque hæc lecturi, dicens:

Nunquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? Quasi dicat, vos compello, vos qui hæc lecturi estis iudices facio, an non sit insignis amoris argumentum erga Israhelitas, quòd etsi ipsi filium indignissimè tractauerint, similiter & apostolos, nondum tamen stirpitus videmus eos perditos? viuunt etiam mali, & viuent adhuc & conuertentur.

In mensura contra mensuram cùm abiecta fuerit, iudicabit eam) Prius dixit percussit eum, quia præcesit Israel, nunc autem mutato genere eam dicit, respiciens ad vineam, & pro (iudicabit) Hebræi habent in secunda persona (iudicabis) estque apostrophe ad Dominum, hoc sensu: Ipsi indignissimè tractauerunt CHRISTVM, & tu Domine (quare enim non potiùs te compello?) pro tam immani scelere iudicabis quidem eos & punies, sed cum modo quodam, hoc est quod dicit, In mensura. Nam vox Hebræa significat non mensuram in communi, sed quoddam certæ mensuræ genus. Hieronymus nunc modium vertit, vt. 4. Regum: Modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno: Nunc verò vertit satum, vt in Genesi, vbi dicitur, Tria sata similæ. 4. Reg 7. Genes. 18.

Quod sequitur, *Contra mensuram*) ad sensum magis ab Hieronymo translatum est: Ad verbum enim Hebræi habent, In emissione eius, & sic vocem Hebræam vertit Hieronymus Canticorum quarto: E- missiones tuæ paradisus malorum puni- rum. Explicatque particula hæc præ- dentem, hoc sensu: Punies quidem eos non sine modo quodam, ita videlicet as cut agricola, qui arborem vitiosam ci- cindere non sustinens præ amore, tan- ramos eius, & surculos inutiles tollit. Hi- bræi siquidem emissionem sine emis- ones vocant surculos, & gemmas, quas pu- trudunt arbores in vere, quod in lingu- nostra imitantes dicimus, spruyten. Qui ergo agricola facit in arbore, hoc dom- nus faciet in vinea ista: multi quidem ra- mi & surculi in ea excidentur, atque in- ribunt, non tamen ipsa vinea stirpitus ex- dicabitur. Quod autem additur: Cu- *abiecta fuerit*) non est in Hebræo, & abu- um est, an aliquis studiosus ex comme- tarijs Hieronymi textui adiecerit. Sequ- tur:

Meditatus est in spiritu suo duro) cuius sen- sus est: Sic agere aliquando DEVS so- stituit tempore definito, auferet exe- tali solo, & quasi vento adducto, [illegible] ideo get eos in orbem terrarum. Verbum H- braicum, quod Hieronimus transtulit, m- ditatus est, etiam amouere significat, u- auferre: Vnde illud Prouerbiorum vic- moquinto capite: auser rubiginem de- gento, & auser impietatem de vultu Re- Atque in hac significatione hoc loco po- tur, secundum doctos Hebræorum ma- stros, quemadmodum testatur Reuch- in rudimentis linguæ Hebrææ. Spiritus autem hoc loco pro vento ponitur. 25.11. d.

Ex his, quæ hactenus annotauimus, hab- mus quinque antitheses seu oppositio- quarum prima hæc est: In fine sæculi de- simè tractabitur diabolus & ministri e- verùm vinea meri sibi de sua felicitate p- tulabitur. Secunda est, cùm diabolo s- semel fuerim iratus, nunquam desina- rasci: sed vineæ meæ, cùm essem aliquan- iratus, nunc desino irasci: reconciliatur filium. Tertia est, nulla res efficiet, vt neam suam Dominus DEVS pereniter- ijciat: nulla etiam res efficiet, vt non ve- ceat Dominus Deus fortitudinem suam e- uersus diabolum. Quarta est, dum ip- lum exeretur gladius, dum diabolus p- nietur, interea florebunt electi. Quinta- tithesis ibi ponitur, *Nunquid iuxta pla- gam percutientis se*) & est hæc, Ipsi in filium cusserunt Dominum supra modum: D- nus verò parcet eis, puniet quidem eos, cum modo, certam mensurã constituit [illegible] secundum

secundum quam puniet eos: disperget quidem eos in orbem terrarum, sed futurum est vt iterum parcat, vnde subditur.

IDcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. Cùm posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci, & delubra.

IDcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob) Versus iste consolationem habet, superior verò periodus terret. Sensus est: Erit tempus cùm respondebit mensura mensuræ, vel quando secundum certam mensuram, quam sibi constituit Dominus, puniet Israelem. Quare qui vobis malè consci estis, qui timetis diem iudicij, qui effugere vultis malum istud magnum quod minatur Dominus, audite me, monstrabo vobis remedium, quod vnum vos tutos reddere potest, & est istud, abijcite idololatriam. Iam consuetudine scripturarum latius istud patere oportet, quàm aut idola manu fabricata: Diceret enim Iudæus, iam nemo nostrum habet idola aut lucos. Vnde idola sunt, non solùm quæ videntur, sed etiam quæ non videntur, quæ facimus in animo, similiter & luci. Quod ergo dicit propheta, tale est, Quicunque euadere vultis istud malum, abijcite tempestiuè ex animo auariciam, cupiditatem, libidinem, odium & cætera vitia, antequam vos dies illa comprehendat. Quod ergo ait, Super hoc dimittetur iniquitas, idem valet, ac si diceret, hac re fiet vt dimittatur iniquitas vestra. Similis phrasis est primo Regum, In hoc feriam fœdus vobiscum, vt eruam omnium vestrum oculos, id est, hac re. Sic & apud Ioannem, In hoc cognoscent omnes, quod discupuli mei estis, si dilectionem habueritis. 1.Reg.11.d.

Cùm posuerint omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci, & delubra) Hoc vult propheta, vt auferant idola, altaria & lucos, & sic auferant, vt non remaneat vel vllum vestigium, vt penitus auferant & demoliantur, hoc est, quod ait, Sicut lapides cineris allisos.

CIuitas enim munita, desolata erit, speciosa relinquetur, & dimittetur quasi desertum. Ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit & consumet summitates eius. In siccitate messis illius conterentur mulieres, venientes & docentes eam. Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius, qui fecit eum, & qui formauit eum non parcet ei.

CIuitas enim munita desolata erit &c.) Dicere poterant Iudæi apud semetipsos, non videtur vllo modo futurum quod prædicitur, quia ciuitas Ierusalem nimis munita est. Ait ergo Propheta voce Domini: Hoc vobis dico, ciuitas hæc quamuis bene munita, relinquetur omnino deserta, & vos dispergemini.

Ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit & consumet summitates eius) Istud dùplicem habet figuram, & imprimis enallagen siue synecdochen, deinde notationem. Vult enim significare Propheta per hoc, maximam ibi fore solitudinem, hoc sensu: Tanta erit ibi solitudo, vt non homines, vituli aliaque bruta animantia & feræ bestiæ moraturæ sint.

Et consumet summitates eius) Alludit adhuc propheta ad vineam, cuius summitates sunt flagella: Si quid in aliquo Iudææ angulo erit viriditatis, hoc totum consumetur.

In siccitate messis illius conterentur mulieres, venientes & docentes eam) Versum hunc aliter interpretantur Hebræi, & aliter Latini: atque hi rursum aliter & aliter, sed omnibus collatis sensus iste videtur nobis maximè probabilis: Mulieres venientes & in obsidione viris suis animum addentes conterentur fame atque inopia. Nam in voce (messis) synecdoche est, sicut suprà in dictione (vitulus) & siccitas messis idem est, quod rerum omnium penuria: & pro (docentes) in Hebræo est מאיירות meroth quæ vox fœminini generis est. Vnde hic locum non habet eorum interpretatio, qui istud ad Scribas & Sacerdotes referunt: & verti poterat, inflammantes siue accendentes, hoc est quod nos diximus, animum addentes.

Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius, qui fecit eum, & qui formauit eum non parcet ei) Istud alias sæpe habet scriptura, explicatque tanquam rem ingratam Deo, ignorantiam ipsius & aliarum rerum imperitiam. Nos valde addicti sumus carni, mundo, diuitijs, alijsque fluxis & vanis rebus, atque interea negligimus prophetas, non legimus euangelia, & propterea nescimus iudicia Dei, ignoramus dispensationem eius, redemptionem per fidem in sanguine Christi: hoc scriptura vbique exprobrat, & propterea hic dicitur: Non est populus sapiens, siue (vt ad verbum legitur) non est populus intelligentiarum: *Propterea non miserabitur eius*)

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.14.g. *eius*) Hoc est quod dicit Paulus. Qui ignorat, ignorabitur: Qui hic parui faciunt mysteria religionis, & hæc ignorant, in consummatione sæculi ignorabuntur & ipsi à supremo nostræ religionis præfecto.

ET erit in die illa, percutiet Dominus ab alueo fluminis, vsque ad torrentem Aegypti, & vos congregabimini, vnus & vnus, filij Israel. Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant, de terra Assyriorũ & qui ejecti erant de terra Aegypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in Hierusalem.

ET erit in die illa &c.) Eadem est eius huius loci sententia, quę illius in capite. 11. Et desolabit Dominus linguam maris Aegypti &c. Et magno scandalo esse potest ijs, qui sunt in illorum numero, qui dicuntur hic populus ignorantiæ. Videtur enim omnino significare propheta, quòd in consumatione sæculi veniente Messia omnes gentes Dominus semel percutiet, & Iudæi qui iam sparsim habitant, hi in Germania, illi in Italia, tunc subitò suis restituentur sedibus, & rursus in terrena Ierusalem sacrificia sua offerent, atque istud planè ex hoc loco expectãt Iudæi, sed frustra. Significare enim voluit propheta, quòd veniente Messia nulla res obstabit Apostolis & alijs euangelium prædicaturis, non montes, non flumina, nec aliud quicquam, neque vlla Gens erit tam remota, ad quam non perueniet sonus euangelicæ prædicationis. Torrentem Aegypti vocat Nilum, quem vndecimo capite huius prophetiæ linguam maris appellauit: nomina enim sunt eiusdem prorsus rei. Nomine autẽ fluminis intelligit Euphraten per antonomasiam, sicut & vndecimo capite, & frequens est in scripturis, quemadmodum ibi annotatum est: per hoc verò quod dicitur, *Ab alueo fluminis vsque ad torrentem Aegypti*) significatur vniuersa totius Iudææ latitudo, vt est videre in tabulis geographicis, quas si introspexeris, videab Euphrate vsq; ad Nilum, & deprehendes ita esse. Et sicut Iudæam descripsit notatione quadam, dicens, ab alueo fluminis vsque ad torrentem Aegypti, sic in Iudæa orbem significauit figuratè.

Vana Iudæorum expectatio.

Vnus & vnus) id est sigillatim: est enim formula distribuendi apud Hebræos. Sic &

4.Reg.17.c. quarto Regum, Gens & gens, id est vnaquæque gens. Sensus est: Quicunque estis veri Israelitę, tunc cõgregabimini: loquitur autem

Ioban.11.g. de illa congregatione, de qua apud Ioannem: Vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

Et erit in die illa clangetur &c.) Tuba autẽ

Tuba. de qua loquitur hoc loco Propheta, est illa euangelicæ prædicationis tuba, de qua

Psal. In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines terræ verba eorum.

Et venient qui perditi fuerant &c.) Synecdoche est: neque enim de Assyrijs tantum neque de Aegypto, sed ex toto terrarum

be venient per fidem, & adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem, hoc est Ecclesia. Hoc modo quidam hunc locum exponunt, vt videlicet Propheta in fine

pitis respexerit ad consummationem præterità, hoc est, ad tempora Christi, sa secunda regeneratione, qui sensus videri potest, sed valdè probabilis est eum, qui in prophetis benè exercitatus Alij verò referunt ad consummationem huc futuram, siue ad mundi finem: & tuba intelligitur illa apostolica tuba, de agitur primo ad Cor. 15. In momento, ctu oculi, in nouissima tuba: canet enim ba, & mortui resurgent incorrupti de christis suis, & vbicunque fuerint tunc congregabuntur, & adorabunt in Ierusalem, id est, in regno cœlorum.

Matth.26.d

CAP. XXVIII.

AE coronæ superbiæ, Effraim, & flori gloriæ exultationis eius erant in vertice vallis guissimæ, errantes Ecce validus, & fortis minus, sicut impetus grandinis, turbo gens, sicut impetus aquarum multarum tium & emissarum super terram spacio dibus conculcabitur corona superbiæ Effraim, & erit flos decidens gloriæ nis eius, qui est super verticem vallis quasi temporaneum, ante maturitatẽ Quod cùm aspexerit videns, statim vt nuerit, deuorabit illud.

VAE coronæ superbiæ &c.) Hic finitur status, qui cœpit capite. 13. iam tur prorsus alia materia & nouum argumentum. Prior autem pars huius prophetiæ tinet ad decem tribus siue ad regnum tribuum, quibus prædicit Propheta tionem, cuius causas reddit, superbiam pulam, & idololatriam. Quod autem neat ad decem tribus ex duobus patet, mò quia dicit (Ephraim) quod est nom cem tribuum, quemadmodum ex scri constat, sic dictarum propter Jeroboam de tribu Ephraim fuit oriundus. Se quia dixit: *Verticem vallis pinguissimæ* Samaria, in qua regnabant decem tribus monte sita erat, vt habetur in lib. Regum in pede montis habebat vallem pingu-

mam. Quod ergo figuratè dicit, Væ coronæ superbiæ, simpliciter & sine figura dixisset, væ regno decem tribuum. Regnum autem hoc vocat coronam superbiæ, quia comparatione regni Iudæ siue duarũ tribuum sublimis erat, & numero & robore, vnde & gloriabantur decem tribus, & despiciebant fratres suos populum Iuda. *Et flori decidenti*) id est, quòd regnum est velut flos decidens, videtur quidem florere, & in suo vigore esse, sed non est duraturum. *Gloriæ exultationis eius*) id est, videtur regnum decem tribuum nunc triumphare, sed breui futurum est vt euertatur.

Qui erant in vertice vallis &c.) Quod Hebraicè dicitur, in vertice Gessemani, id est, væ illis qui sunt in vrbe Samariæ. Verbum (erant) nõ est in Hebræo, neq; aliud verbum vllum: vnde alij accipiunt (sunt) & legũt hoc modo, Qui sunt in vertice &c. Hieronymus verò in consequentibus intellexit verbum (est) cùm ait: Qui est super verticẽ vallis pinguium: hoc autem loco accepit (erant) quia illud videbat magis accommodum suæ expositioni. Traxit enim hanc prophetiam ad illum locũ, qui est apud Matthæũ de Gethsemani, hoc sensu: Væ decem tribubus, quæ quondam dum iunctæ erant duabus tribubus, adorabant Deum in templo Ierusalem, quod in vertice vallis pinguissimæ, id est, in Gethsemani situm erat. Quam interpretationem Dionysius Carthusian⁹ alteri præfert, sed cùm nihil habeat pro se quàm verbum (erant) non est necesse eum sequi: Et apud Matthæum, non est Gessemani, quod est vallis pinguis, sed Gethsemani, quod est torcular pinguedinis seu olei: eo enim in loco oliuæ premebantur ad eliquandum oleum.

Ecce validus & fortis Dominus &c.) Quia meminit propheta vallis pinguis, in qua abundè solent crescere frumenta, propterea exercitum comparat grandini, quæ adfert calamitatem frugibus, vnde & calamitas nomen sortita est. Significat autem comparatione ista, breui futurum vt omnia in regno Samariæ auferantur. Quod nos autem habemus in nominatiuo (Dominus) Hebræi habent in datiuo: additur enim vocula (adonai) litera lamech, quæ apud Hebræos nota est datiui casus. Hieronymus verò in genitiuo legit, hoc modo: Ecce validus & fortis Domini ipse videlicet rex Assyriorum, quo tanquam ministro vtitur Dominus. Sensus ergo est: breui immittet vobis Dominus hostem, tanquam grandinem, numerosum atque nociuum, & tanquam turbinem impetuosum, atque vehementem, ipsum videlicet Assyriorum Regem, qui euertet vos fundi-

Comparatio. tus.

Sicut impetus aquarum &c.) Ista comparatio ferè similis est superiori, atq; vtraq; prophetis multum frequens, quia vtuntur quoties significare volunt exercitum valde numerosum, potentem, & fortem ac velocem, qui quicquid obuium inuenerit aut secum rapit, aut interficit & conculcat. Sicut enim grando omnes herbas ac fructus deijcit atq; corrumpit, & vehemens turbo, vel ingens aquarum vis ex loco altiori cum impetu quodam decurrens obuia quæq; secum rapit: ita exercitus aliquis magnus & potens.

Quasi temporaneum &c.) Sententia huius loci ista est: Quod accidit ficubus præcocibus, hoc vobis accidet in regno Samariæ: Illæ ante maturitatem absumuntur, & vos antequam assequamini quod speratis, consumemini. Quod autem Hieronymus hic vertit temporaneum, Ozeæ 9. transtulit prima poma, & Ierem. 24. ficus primi temporis, & Mich. 7. præcoquas ficus, id quod hoc loco faciunt Septuag. Et Rabbi Salomon exponit, præcoces fructus, quia in Iudæa ficus proueniunt ante poma, & reliquos fructus, quem admodum apud nos cerasa: vnde si fuisset propheta in his regionibus, dixisset quasi cerasa præcocia. *Quod cùm aspexerit videns, statim vt in manu tenuerit, deuorabit illud:* ita & vos deuorabimini.

Alia comparatio.

IN die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ & sertum exultationis residuo populi sui, & spiritus iudicij sedenti super iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam. Verum hi quoq; præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & propheta nescierũt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumq;, ita vt non esset vltra locus.

IN die illa erit Dominus exercituũ &c.) Sensus est: Decem tribubus supradicta mala patientibus, reliquæ duæ tribus nihil patientur, sed veniente Sennacherib ad duas tribus vt eas euertat, percutietur exercitus ipsi⁹ per angelũ, hoc est quod dicit, In die illa &c. Et ponit propheta tria tanquam membra ciuitatis Ierusalem, quę sunt plebs, Rex, & milites: & plebi erit pax, Regi spiritus iudicij, militibus victoria. *Sedenti super iudicium*) Periphrasis est regis. Regi duarum tribuũ nempe Ezechiæ erit spiritus iudicij ad populum rectè & sanè iudicandum. *Fortitudo reuertentibus &c.*) Id est, militibus ex bello ad ciuitatem redeuntibus erit fortitudo, id est, victoria. Fortitudinem enim pro victoria, portam verò pro ciuitate posuit per synecdochen, partem pro toto.

Verum hi quoq; &c.) Hic partim est prophetia, partim exprobratio. Esaias enim in ciuitate Ierusalem versans, cùm videret præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipuè in clero nimiam mensarum luxuriam eam imprimis exprobrat, & simul malum illis propter hoc peccatum infligendum prædicit. Sensus est: Non solùm decem tribus, sed & habitantes in Ierusalem, populus duarum tribuum, Iudas & Beniamin, de quibus iam læta dixi, nimio vino dediti non intelligunt voluntatem Dei, ignorant quid ab eis requirat Dominus.

Sacerdos & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudiciũ.) Non proprij sed falsi nominis prophetam significat, & per synecdochen totum clerum intelligit. Pro ebrietate in Hebræo est שבר sechar, quæ vox significat omnem potionem, quæ statum mentis euertere potest, quemadmodum aliquoties dictum est. *Nescierunt videntem*) Per antonomasian Dominum intelligit, qui cuncta considerat. Sensus est: Isti vino dediti nesciunt quid sit gratia Christi, quid iustitia Dei, quid euangelium.

Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumq́, ita vt non esset vltra locus.) Coniunctio (que) quãdo dicitur, sordiumq́; in nõnullis exemplaribus nõ additur, neq; est in Hebræo, sed habet illi vocem compositã ex vomitu & sorde, quam Aquila vertit, vomitum sordium, id est, vomitum sordidum: Symmachus tantùm, vomitum: Theodotio, vomitum dysaliæ. Significat autem dysalia quicquid nauseam adfert, & vomitum excitat. Sensus est: Tam multi sunt in Ierusalem vino dediti, tamque copiosè sese omni potionis genere implent ingurgitantque, vt nulla sit mensa, quæ non est vomitu conspurcata, vt nulla sit domus vacua & libera ab isto malo, hoc est quod ait, Ita vt non esset vltra locus. Quod autem hoc loco ad sensum mysticum attinet, meminisse tantùm oportet capitis decimi quinti epistolæ Pauli ad Romanos. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt &c. Qui hodie student mensis, qui addicti sunt vino, ignorant quid sit Christianismus, nesciunt qua re apprehendatur iustitia, ignorant iudicia Dei: propterea non tanguntur stimulis conscientiæ, & sicut isti tunc puniti sunt à Deo, ita & horum sectatores puniuntur hodie.

Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, quia manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In loquela enim labij, & lingua altera, loquetur ad populum istum, cui dixit. Hæc est requies mea, refocite lassum, & hoc est meum refrigerium, & noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.

Quem docebit scientiam &c.) Sensus est: Hoc rerum statu, quando totus clerus ita deditus est vino, quem docebit scientiam? & intelligit scientiam quæ scripturæ propria est, nimirum scientiam fidei. *Et quem intelligere faciet auditum?*) Id est, in toto populo quis est, qui erit capax doctrinæ? Auditum enim pro doctrina posuit, & vox Hebræa דעה dea licet propriè auditum, scripturam tamen doctrinam significat, sed per metaphoram, non ita auditus apud Latinos. *Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.*) Idem bis dicit, alijs tamen verbis, atq; horum verborum & sequentium duæ sunt expositiones, altera est Christianorum, altera Iudæorum, & vtraq; probabilis, adeo vt difficile sit dijudicare, vtra sit probabilior. Secundum Hieronymum autem & Christianos interpretes, propheta his verbis, ablactatos à lacte, respondet ad interrogationem mox factam, & dicat hoc modo: Nulli præterea in rotunditate capaces sunt doctrinæ, quàm qui per ablactati sunt, hoc est, qui admodum pueri sunt, tredecim videlicet aut quatuordecim annorum, qui nondum peruenerunt attigerunt vel pocula vel mulieres: quique sunt viginti vel viginti quatuor aut triginta annorum corrupti sunt ad vnum omnes. Iudæi verò in nominatiuo legunt & interpretantur, vt ponatur non responsio, sed causa superioris sententiæ, hoc modo: Quem docebit Dominus scientiam? scilicet nisi eum, deinde redditur causa, quia omnes sunt quasi nuper ablactati, omnes sunt ideri licet non ætate saltem sensibus, & inde inutiles ad doctrinam Dei suscipiendam.

Quia manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.) Christiani & nominatim Hieronymus capiunt hæc mimiticè: quando enim volumus aliquem ridere, tum imitamur sermonem eius. Accipiunt igitur hæc vt sint dicta per imitationem sermonis prophetæ, qua ipse ridebatur. Esaias enim & alteri prophetæ habebant frequenter in verbum mandandi, vt liquet ex eorum libris, vbi sæpe reperitur, hæc mandat Dominus, hæc mandat Dominus. Item [illegible] rei illis erat verbum expectandi, quod Hebræis est קוה kaua, & interpres noster [illegible] expectare vertit, nunc sustinere: Sæpe [illegible] apud eos legitur, expecta Dominum, [illegible]

Num. 5. a
Esa. 38. a
Deut. 3. d
Esaiæ 54. c
Esaiæ 44. b
Esaiæ 34. d

ne Dominum. Item frequenter ipsis in ore erat, modicum, Adhuc modicum & ego mouebo cœlum & terram: Rursus, Adhuc modicum & ego visitabo sanguinem: Et apud hunc prophetam, Abscondere modicum & momentum. Isti ergo vino dediti imitabantur sermonem prophetę, & in conuiuijs dicebant, Esaias non dicit noua, sed semper eandem canit cantilenam, semper est, Hæc mandat Dominus, expecta Dominum, hoc est initium & finis sermonum eius. Et prophetam occurrentem huiusmodi verbis fortasis compellabant, dicentes: Non hodie es concionatus, Hæc mandat Dominus? hæc mandat Dominus? expecta, expecta, adhuc modicum &c. Ita Christiani hunc locum fere interpretantur. Hebræi verò pro verbo imperatiui modi קו kau, quod Hieronymus vertit manda, faciunt nomen mandatum: & pro expecta legunt (funiculus) secundũ quos sensus est: Quem docebit scientiam? subaudiunt, neminem: cuius deinde redditur causa, Quia omnes tales sunt, quibus aliud post aliud atque ita sensim explicari oportet, quemadmodum pueri in scholis doceri solent, hoc est quod dicit propheta, Mandatum ad mandatum, vel mandatum post mandatum. Nam ita legunt loco illius quod nos habemus, Manda remanda: Et vbi nos habemus, Expecta reexpecta, ipsi legunt, funiculus ad funiculum: Et exponunt de populo, qui ita paulatim opus habet institui, quemadmodum ædificatores paulatim extruunt ædificium, adhibentes funiculum siue amussim. Filo siquidem ab vno angulo ad alium extenso ponunt vnum ordinem lapidum in pariete, & supra illum rursus eleuato & extenso filo struunt alium ordinem lapidum, & sic paulatim donec totum perficiant parietem. Pro Hieronymo autem facit verbum, manda: nam ita ferè in alijs scripturæ locis vsurpatur. Numeri quinto, Præcipe filijs Israel. Apud hunc prophetam cap. trigesimooctauo, Præcipe, siue (vt habet Hieronymus) dispone domui tuæ. Deuteron. 3. Præcipe Iosue. Vbique est verbum צו kau, quod hoc loco ponitur, & nusquam in tota scriptura (ni fallor) inueni positum tanquam nomen. Pro Hebræis verò facit verbum, expecta, quod plurima loca, in quib' scriptura hanc vocem vsurpat, clarè docent, vt hoc eodem capite, Et ponam in pondere iudicium, ad verbum est, funiculum, Rursus capite trigesimoquarto, Extendetur super eam mensura & perpendiculum in desolationé. Rursus cap. quadragesimoquarto, Artifex lignarius extendit normã. Rursus cap. trigesimo quarto, Manus eius diuisit illam eis in mensuram. His omnibus locis atque alijs multis est eadem vox nimirum קו kau, quæ & hoc loco ponitur, & nusquam (quòd sciam) imperatiuè legitur, quanquam imperatiui modi esse potest sicut sab. Sed quando scriptura imperatiuè loquitur, vtitur voce סבה saue, vt Psal. 26. Expecta Dominum. Ierem. 8. Expectauimus pacem. Oseæ 12. Expecta Deum tuum.

Psal. 126. d
Ierem. 8. c

In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum istum, cui dixit.) Hieronymus, quantum ex commentarijs colligere licet, per loquelam labij intelligit sermonem qui non minatur futura, sed infligit præsentia. Sensus est: Hactenus loquutus est vobis Dominus nudis verbis, quibus præcipiebat, quid à vobis fieri vellet, quibusque iubebat expectare ea, quæ ventura erãt, post hac hoc non faciet, non loquetur vobis huiuscemodi verbis, sed præsentibus pœnis. Thomas verò loquelam labij accipit, vt sit periphrasis sermonis non intellecti ab eo cui fit, cuius locutionis causam reddit: Quia (inquit) qui in loquendo nihil præter labia mouent, non linguam nec palatum in efformatione vocis adhibentes, ferè non intelliguntur. Si adferet similia loca, iucundus esset hic commentarius. Qui hodie ex Hebræo transferunt, ita reddunt, In balbutientibus labio, & in lingua altera loquetur ad populum istum, ac si dicat: Misi ad vos prophetam meum Esaiam hominem facundum & eloquentem, misi & alios prophetas linguæ expeditos, & in sermone valdè promptos, mittam posthac balbos ac blesos. verùm ex his quærendum esset, quid sequantur vertentes, in balbis linguis siue in balbis labijs, cùm vox Hebræa laach significet irridere, subsannare, & ita in tota scriptura vsurpatur, præterquam in hoc loco, vt ipsi volunt, & in capite trigesimotertio, Quare videtur vertendum fuisse, in labijs irrisionis, siue in irrisione labiorum, quòd hic faciunt Septuaginta. Diuus Hieronymus cùm hoc loco vertat, loquelam labij, capite trigesimotertio transfert disertitudinem linguæ, secutus fortasse circunstantias locorum, quia in capite trigesimotertio agitur de populo, qui non erat loquuturus, sicut ipsi Iudæi loquebantur. Cum quo loco dum hunc conferimus, videtur iste esse sensus Esaiæ hoc loco: Ecce misi vobis hactenus prophetas, posthac non faciam, sed immittam vobis peregrinum militem & barbarum, cuius lingua tam erit peregrina, & à communi sermone aliena, vt minimè sitis intellecturi. Nam illius loci, populum imprudentem non videbis &c. sensus est ille: Iubeo vos esse securos atque quietos, quia non videbitis intra mœnia vestra

Esaiæ 33. e

Universidad de Deusto
Biblioteca

hostem barbarum, quem non intelligetis. Verùm dum ad Paulum respicimus in prio-
1.Cor.14.d ri epistola ad Corinthios, vbi de dono linguarum agens, dicit eas datas in signum infidelium, rursus longè alius videtur esse sensus huius loci. Verba Apostoli sic habent: In linguis alijs (ait) & labijs alijs loquar populo huic, & nec sic exaudient me dicit Dominus. Quod testimonium ex hoc loco desumpsisse planè videtur: quodque Esaias ait, Et noluerunt audire, hoc Paulus dixit, Et nec sic exaudient me. Sensus videtur esse iste: Quomodo Apostoli locuti sunt in die Pentecostes, sic loquar eis: hactenus dedi vobis doctores, quorum conciones vt notas non admiramini, imò sunt vobis nausea, sed veniet tempus, quo dabo vobis tales doctores, quorum conciones non erunt vobis molestæ, sed plurimum gratæ, qui loquentur varijs linguis, qui imbuti spiritu sancto vos mouebunt ac delectabunt. Si verò omisso Paulo & hoc loco, qui est capite trigesimotertio huius Prophetæ, præsentem tantùm locum inspiciamus, videtur ex parte totum intelligendum, & nihil esse aliud loqui in loquela labij & lingua altera, quàm diuersa ratione, vel ratione hactenus ignota agere, & tali synecdoche explicat Ambrosius locum Apostoli ad Corinthios capite decimo quarto. Vtcunq; autem capiatur locus iste, coniunctio (enim) sumenda est non vt causam indicet, sed aduersatiuè, vt sensus sit: Notas conciones ridetis, sed alia ratione proponam iudicia mea, quæ non ridebitis.

Hæc est requies mea) Hæc est concio ad quam nauseabant. Sensus est: Multo tempore laboraui, sed in nullo inueni requiem: quare si vultis mihi facere rem gratam, reficite lassum, id est, facite vt in cordibus vestris requiescam, hoc est, refrigerij meum, vt in vobis aliquando requiescam: & noluerunt audire, imo contempserunt, cum irrisione dicentes: *Manda, remanda, expecta, reexpecta &c.* Et propterea quia videlicet me ita deridebant, ista Domini verba, manda, remanda, expecta, &c. quibus me tanquam scommate excipiunt, erunt ipsis occasio, vt vadant, cadantque retrorsum, id est, superentur à Chaldæis, conterantur gladio, vinciantur, capianturque. Neq; solùm de hac captiuitate loquitur propheta, quæ accidit sub Zedechia, quando ferro funibusq; vincti adducti sunt in Babylonem, sed & de illa captiuitate, quam vsque hodie patiuntur, hoc sensu: *Et erit eis verbum Domini, manda, remanda, &c.* id est, verba ista erunt occasio ipsis vt vadant in interitum, non solùm corporis, sed & animæ: & cadant retrorsum casu irrecuperabili, nunquam ad meliora proficiant, sed conterantur in spiritu, illaqueentur peccatis, capiantur & captiui teneantur ad diaboli voluntatem.

PRopter hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Hierusalem. Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Idcirco hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamẽto fundatum.

PRopter hoc audite verbum Domini viri illusores) Id est, qui ridetis conciones propheticas, intelligitautem Scribas & Pharisæos: nam illi dominabantur populo. Quod autem dicitur, Viri illusores, probabilem valdè facit expositionem Diui Hieronymi, qui verba illa, Manda remanda, &c. interpretatur vt habeant mimesin. *Dixistis enim*) non quidem sermone, sed opere: non verbis, sed vita vestra: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.*) id est, securitate vitæ vestræ videmini vobis persuadere, quasi nihil esset vobis periculi ab inferno & morte, tam estis securi, ac si neque mors, neque infernus vllum in vos esset habitura imperium. Mortem & infernum per prosopopeiam inducit tanquam personas.

Quod sequitur, *Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos*) eandem habet ferè intelligentiam quam versus præcedens. Sensus est: Militaris calamitas, cùm illa perranserit decem tribus, non veniet super nos: *Quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.*) Illud addit propheta per irrisionem, ac si dicat: habetis vllam causam ob quam positis istud vobis persuadere, vtpote vos immunes fore ab istis malis? non habetis, nisi fortè mendacium: Dicitis, misericors est Deus, non inferet mala plebi suæ, super quam inuocatum est nomen ipsius, non malefaciet ciuitati suæ, vbi sacrificia nomini ipsius offeruntur.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus.) Mirabilis est consequentia. Videbatur enim ita debere dicere, atq; hoc expectabatur: Quia vos tales estis, quia tam supina est vita vestra, idcirco vos semel perdam, immittam lupos qui penitus vos absumant: Nunc verò ait, Quia vos tam inhumani estis, tam supini & securi, Idcirco hæc dicit Dominus: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem*) id est, licet vos indigni sitis quibus præstetur misericordia, ego tamen non quid peccata vestra mereantur considerans, sed quid fides mea, & veritas exigat, mittam vobis Messiam. Similia loca sunt in scriptura, & quidem aperta. Ozeæ capite secundo, Propter hoc ecce ego lactabo eam & ducam in solitudinem, & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti, id est, erit tam lætà, quàm erat cùm exiret de populo Barbaro: cùm esset Deus maximè iratus, subita contemplatione misericordiæ suæ conuertit se, & cùm mala expectarentur, intulit lætissima. Sic hoc loco: Ecce ego mittam &c. simpliciter & duobus verbis dixisset: Mittam vobis Christũ siue Messiam promissum, sed beneficium per se magnum, magnificis etiam verbis extulit. Sumpta est autem metaphora ab ædificantibus, & locus præsens transcriptus est ex psalmo 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quorum verborum hic est sensus: Aedificatum est aliquando magnum ædificium, & reiectus est aliquoties ab ædificantibus lapis vnus tanquam inutilis, & tandem assumptus vt poneretur in angulo, id est, ille homo nimirum Christus, quem fudæi putabant abiectissimum, ille inquam factus est primarius in illa gente. Mirum quidem videri potest hominem ita contemptum atq; abiectum eò venisse, sed non erit mirum, si respiciamus ad Dominum. Illi ædificantes & cæmentarij apud Dauidẽ sunt, qui nunc appellantur viri illusores, & principes populi, qui est in Ierusalem. Fundamenta autem Sion, sunt fundamenta Ecclesiæ, cuius Sion typus erat.

Lapidem probatum) Ad verbum est, lapidem probationis. Significatio autem hu-
Genes.23.d ius vocis est in Genesi, vbi dicitur: Appendit pecuniam probatæ monetę publicæ. Nos autem diceremus, Lapidem spectatum, id est, lapidẽ qui dedit multa documenta probitatis suæ. *Lapidem angularem*) Ad verbum est, lapidem anguli. Nomine autem anguli scriptura significat firmitatem. Sic suprà propheta Aegyptum vocauit angulum populorum. Et in libro Regum, Iudicum & alijs scripturis populi primores vocantur anguli, vt primi Regum decimoquarto. Applicate huc vniuersos angulos populi, id est, primores populi. Item Iudicum capite vigesimo, Omnes anguli populorum & cunctæ tribus Israel, conuenerunt. Item Soph. 3. Dispergit gentes, & dissipati sunt anguli earum. In Christum autem maximè quadrat hæc vox, non solùm quia columen est ecclesiæ, sed etiam quia vtrunque populum gentium & Iudæorum per fidem connectit, vt docet Apostolus ad Ephesios, dicens: Ipse enim est &c. *Ephe.2.e*

In fundamento fundatum) Significat lapidem istum futurum firmissimum, vt non posit vel semel loco amoueri. Lapis iste non erit solùm angularis, sed & fundamentalis.

QVi crediderit, non festinet. Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacij, & protectionem. Aquæ inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem, quandocunque pertransierit, tollet vos, quoniam mane diluculo pertransibit, in die & in nocte, & tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

QVi crediderit non festinet) Similem sententiam habes apud Abacuc. Scribe Abacuc 2.
visum & explana eum. Sensus est: Qui crediderit non fatigetur credendo, sed patienter expectet, si non statim posuero in fundamentis Sion lapidem istum, nemo desperet, quia certissimè promissionem complebo. Septuaginta reddiderunt istud ad sensum magis quàm ad verbum, hoc modo: Qui crediderit non confundetur: & iuxta horum versionem citauit testimonium hoc Paulus ad Romanos capite nono, & 1. Petri Rom. 9.
2. & sensus est: Quod prædico futurum, certissimè eueniet, propterea qui credit & in fide perstat, non confundetur. 1. Petri 2.

Et ponam in pondere iudicium) Ad verbum est, ponam iudicium ad funiculum siue ad regulam vel amussim, id est, exactè iudicabo, sine respectu misericordiæ semel abijciam eos, vt sint expertes magni illius beneficij promissi Abraham, Isaac & Iacob. Idem habet sequens particula, *Et iustitiam in mensura*) Quia propheta meminit nascituri Messiæ, valde probabiliter intelligunt quidam hunc locum de ijs pœnis, quas adhuc Dominus sumit de Iudæis: Quanuis interim locus non incommodè accipi potest de ijs, quas luerunt sub Zedechia à Chaldæis.

Et subuertet &c.) De grandine & de aquis dictum est superius in principio capitis. Sensus est: Tum maximè deprehendetur spes vestra fuisse spes mendacij, & protectio sub qua vos tutos forè arbitrabamini, vana, quãdo aderit aliqua militaris calamitas, quæ ad vnum omnes inuoluet.

Et delebitur fœdus vestrum cum morte) Id est, pactum vestrũ, quod habebatis cum inferno, peribit: & flagellum de quo dixeratis, flagellum inundans cùm pertransierit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

veniet super vos. *Eritis in conculcationem*) Id est, omnia mala, quæ putabitis nequaquam vos esse passuros, patiemini: Et loquitur Propheta non tantùm de flagello quod potest videri oculis, quale est bellum, calamitas, pestis &c. verumetiam de flagello, quo adhuc hodie percutiuntur Iudæi, videlicet duræ & horrendæ cæcitatis, vt nihil videant cùm legunt prophetas, ac si diceret: Hæc securitas vitæ vestræ eò paulatim deducet vos, vt semel à me reijciamini. Quod sequitur: *Quoniam mane diluculo pertransibit*) significat perpetuitatem aliquam temporis, hoc sensu: Aliqua annorum perpetuitate pertransibit flagellum istud, & irruet super vos.

Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.) Istud est quasi clausula omnium præcedentium. Sensus est: Quanquam ego hæc prædico vobis, non tamen intelligetis, aut si intelligatis, non credetis nisi malis edoceamini, tantùm magna aliqua vexatio effícere poterit, vt intelligatis doctrinam quam ego profiteor. Qui hæc legimus apud prophetam, & nobis conscij sumus malæ vitæ, moueât nos ad salutem, nec expectemus secundum magisterium, quod est per vexationem.

COangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrunque operire non potest. Sicut enim in monte diuisionum stabit Dominus, sic in valle, quæ est in Gabaon, irascetur, vt faciat opus suum, alienum est opus eius, vt operetur opus suum. Peregrinum est opus eius ab eo. Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra. Consummationem enim & abbreuiationẽ audiui à Domino Deo exercituum, super vniuersam terram.

COangustatum est enim &c.) Signis istis exterioribus aliquid aliud significare vult propheta per notationem, quam aliter Christiani, aliter explicant Iudæi. Christiani autem sumptam notationem dicunt à lecto mariti: Qui enim putant se habere vxorem adulteram, dicere solent, non possumus tres in vno lecto cubare, quo tacitè notant vxorem adulteram. Ita negat Deus nos ipsi posse seruire, & diabolo. Sensus itaque est: Non fieri potest vt mecum permaneatis in coniugio, qui alium admittitis amatorem. Iudæi verò notationem desumptam putant à rebus bello accisis, non improbabiliter, hoc sensu: Res vestræ ita in angustum cogentur, vt tantum spacij non maneat in latibulis vestris, vt duos simul capere possit, hoc est, res vestræ erunt supra modum angustæ, non manebit vobis tantum reliqui, vt qui sunt coniuges, se operire queant. Vtraque sententia est æquè probabilis.

Sicut enim in monte diuisionum &c.) Adhibet propheta similitudinem ex duabus historijs desumptam: Quarum altera est secundi Regum capite quinto, & describit iram, quam exercuit Deus aduersus Philistæos tempore Dauidis: Altera Iosue capite decimo, & describit iram, quam Deus ostendit contra quinque Reges Amorrhæorum tempore Iosue, quando stetit sol in medio cœli spacio vnius diei. Sensus ergo est: Hoc vobis erit Dominus, quod fuit olim hostibus vestris, illis duabus historijs, tam grauiter vobis irascitur, quàm eis olim iratus fuit, & proinde tam durè vos tractabit, quàm eos olim tractauit. Quod autem dicitur, In monte diuisionum, obscurè dictũ est, manifestius dixisset hoc modo, In Baalpharasim, quia hoc nomen notum est ex secundo libro Regum quinto capite. Quod verò dicitur, *Vt faciat opus suum*) hunc habet sensum, vt exerceat fortitudinem suam contra vos, & iustam sumat de vobis vindictam. Opus autem Dei alienum & peregrinum est, punire, hoc enim ab eius ingenio valde alienum est, cùm illi proprium sit benefacere, misereri & parcere. Sensus ergo est: Effundet quidem Deus iram suam, & de vobis sumet supplicium, sed quodammodò inuitus & præter ingenium suum, quia peccata vestra hoc mèrentur, & illum ad puniendum vos inuitant, & velit nolit impellunt.

Et nunc nolite illudere) Sensus est: Quia istud facturus est Dominus, & nequaquam parciturus, sicut non pepercit in monte diuisionum, & in valle Gabaon, idcirco moneo vos, nolite illudere Deum, neque eius prophetas, dicentes, Manda remanda, & cætera.

Ne fortè constringantur vincula) scilicet peccatorum vestrorum, & semel reijciamini à Domino. Vel, ne constringantur vincula, id est, ne captiuitatis tempus vobis adueniat & vincti abducamini in Babylonem.

Consummationem enim & abbreuiationẽ audiui à Domino Deo exercituum, super vniuersam terram.) Sensus est: Quod Dominus tanto tempore minatus est, vincula videlicet, captiuitatem, supplicia, iam rebus expleturus est, consummaturus & abbreuiaturus. Itaq; ego propheta, quæ à Domino Deo futura audiui super vniuersam terram, hæc vobis annuncio, vt imminentem iram pœnitentia præueniatis. Quod autem intulit, Super vniuersam terram, Iudææ terminos significauit.

AVribus percipite, et audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum. Nunquid tota die arabit arans vt serat, proscindet, & farriet humum suam? Nonne cùm adæquauerit faciem eius, feret Gith, & Cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus suis?

AVribus percipite &c.) Ad eosdem etiam nunc loquitur, quibus suprà dixerat, Audite verbum Domini viri illusores, & præcipite eis vt vocem eius audiant, & eloquium eius diligenter attendant, istud nimirum: *Nunquid tota die arabit &c.*) & est parabola proprijssimè dicta, quales sunt in euangelio plurimæ, quæ à re non quidem gesta, sed ab ijs quæ quotidie fiunt adhibentur. Sensus ille est: Hactenus loquutus sum vobis sine parabola & fortasis obscurius, nunc autem vt melius intelligatis adhibeo parabolam: Agricola arat semper? non: quid præterea facit? serit: seruat eundem ordinem inter seminandum? non, sed vnumquodque suis locis spargit: Rursus quando seminauit, perpetuo quiescit? non, sed ad messem sese præparat, & suo tempore incipit metere: Demessa segete, seruat eundem modum excutiendi? non, aliter tractat infirmiora legumina, aliter firmiora. Sicut ergo agricola non semper arat, sed nunc arat, nunc æquat terrã, nunc serit, nunc occat, nec quod uis vbique serit, sed vnumquodque suis locis & finibus: Hic enim melius prouenit Gith, illic vicia, Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ: Ita & Deus nunc hoc, nunc illud, aliàs aliud officium gerit, & suo tempore vnumquodque facit, nunc arat, nunc serit, nunc metit, nunc excutit, id est, nunc mi seretur, nunc punit, nunc corripit, nunc defendit, & hos leuius, illos grauius punit, verumtamen non eos in perpetuum punit, nisi ipsi inflexibiles permanserint. Istud ergo significat propheta hac parabola, ac si dicat: Hanc totam varietatem, quam cernitis in agricultura, videre potestis in magna illa agricultura, vbi Deus pater agricola est. Vos itaq; intelligite, & diligenter attendite quid Dominus circa vnumquemque vestrum agat, an serat, an metat, an excutiat, propterea dicit, Auribus percipite &c. Multiplicatis istis verbis monet Iudæos, vt sint attenti, eisdem & nobis loquitur, attendite hac hora, hoc die, hoc anno, quid circa vos agat Dominus, an serat, an metat &c.

Parabola.

Seret Gith, & Cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus suis?) De istis leguminum speciebus, quid sit apud nos Gith, quid cyminum, item quid vicia, exactè disputare esset difficile, nec scire magni refert. Vox autem Hebræa קלה ketsa, quam noster interpres vertit Gith secundum Rabbi Dauid significat genus leguminis, cuius granum est nigrum, & Pagninus nigellam vertit, à Græcis μελάνθιον appellatur. *Rab. Da. in libro Rad.*

De hoc legumine Columella loquens, interdum ait fastidio ciborum languescit pecus, eius remedium est genus seminis, quod Gith appellatur. Quod autem veteres Cyminum nos cuminum dicimus, y in v vertentes, penultima producta: & ab Hebræis dicitur cammon, nos in vernacula lingua efferimus camyn. Milium verò à mille dictum est, ob multitudinem acinorum. Vicia grani genus est à viciẽdo sic dicta, quòd capreolos habeat, vt vitis, quibus sursum versum serpit: in Hebræo est בסאה cussemech, & Pagninus speltam vertit. Hieronymus Exodi 9. interpretatus est. *Colu. lib. 7.*

ET erudiet illum in iudicio, Deus suus docebit illum. Non enim in serris triturabitur Gith, nec rota plaustri super Cyminum circumibit, sed in virga excutietur Gith, & Cyminum in baculo, panis autem comminuetur. Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec vngulis suis comminuet eum. Et hoc à Domino Deo exercituum exiit, vt mirabile faceret consiliũ, & magnificaret iustitiam.

ET erudiet illum in iudicio, Deus suus docebit illum.) Sensus est: Hæc omnia agricola facit edoctus à Deo & institutus, Deus illum docuit hunc delectum rerum & temporum: Sic & nos docet per instinctus varios, per conciones, per prophetarum lectionem, per euangelia. *Non enim in serris triturabitur Gith*) Pergit in parabola. Sensus est: Aliter tractat agricola infirmiora legumina, aliter firmiora. Hæc enim excutiuntur plaustrorum rotis, quæ in similitudinẽ serrarum factæ circumaguntur & trahuntur super demessas segetes, qui excutiendi modus nõ est in his regionibus ita frequens, imo vix agnitus: Illa verò vt gith & alia excutiuntur virga vel baculo, quemadmodum & apud nos videmus. *Panis autem comminuetur*) In voce panis metonymia est, pro tritico, vnde conficitur panis, vel etiam pro stipulis accipi potest, quæ vt diximus in onere Moab, apud Palæstinos ferratis carpentis conteruntur in paleas pro iumentis. Panis siquidem apud Hebræos לחם lehem dicitur. Lehem autem venit à radice לחם laham quod significat comedere, vnde apud eos quicquid comeditur nomine panis accipitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec vngulis suis comminuet eum.) Id est, quanquam triticum patitur istud remedium, nō tamen semper patitur: sic nec Dominus semper infliget durum remedium. *Et hoc à Domino Deo*) Sensus est: non casu aut fortuitu ista fiunt, sed procurante Domino Deo, inter multa alia argumēta, quibus dedit Deus iudicium bonitatis suæ, hoc est vnum argumentum, quo intelligere possimus bonitatem Dei & iustitiam eius, nimirum agricultura.

CAPVT XXIX.

VAE Ariel Ariel, ciuitas quā expugnauit Dauid. Additus est annus ad annum, solennitates euoluta sunt. Et circunuallabo Ariel, & erit tristis, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel. Et circundabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum. Et erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.

VAE Ariel &c.) In principio huius capitis prædicitur excidium Ierusalem: An autem prophetia respiciat excidium Babylonicum, an Romanum, quando venit Titus & Vespasianus, & obsederunt vrbem & expugnauerunt, non satis constat. Quòd autem figuratè dixit, Væ Ariel, simpliciter dixisset, væ Ierusalem. Ariel autem nomen est compositum ex duobus, ex leone videlicet & Deo, siue ex leone & forti. Ari enim Hebræis leonem significat, el verò Deum siue fortem. Dicitur autem Ierusalem leo Dei, quia quondam fortissima fuit. Hebræis quidem istud familiare est, vt ex duobus nominibus vnum nomen compositum tribuant rei propriæ qualitatis: Latinis verò nō item. Eidem ciuitati superius aliud nomen tribuit, nimirum vallis visionis, nisi quòd ibi periphrasis sit, hic verò vnum nomen compositum. Et nomen hoc ante Esaiam vsurpatum legimus in libris Regum, Vbi enim nostra translatio habet, Percussit duos leones Moab, in Hebræo est, percussit duos Ariel Moab, id est, duos ex præcipuis aulicis Moab, siue duos fortissimos Moab. An autem Esaias primo hoc nomine vsus sit ad significandum Ierusalem, non satis certum est, verisimile tamen est ipsum respexisse ad posteritatem scribēdo, & aliter scripsisse quàm dixerit apud populum. putant nonnulli vocem istā primariò competere in altare, quod erat in ciuitate, quasi dicat propheta: Væ altari, altari inquā quod est in ciuitate, quam expugnauit Dauid. Nam quòd nos habemus in nominatiuo, ciuitas, in Hebræo potest esse genitiui casus, vel etiam dativi casus. Et in altare competere vocem hanc constat ex Ezechiele, vbi sic scribitur: Altare autem Ariel quatuor cubitorum, & ab Ariel vsque ad sursum cornua quatuor, & Ariel duodecim cubitorum in longitudine. Vocatur autem altare Ariel, quia in eo maximè relucet leo, id est, fortitudo Dei. Hi faciunt synecdochen, per altare ipsam ciuitatem intelligentes. Aliam adhuc adferunt rationem Talmistæ Hebræi quam videre est in thesauro linguæ sanctæ apud Pagninum, vbi explicat significatum huius vocis Ari. Verùm siue capiatur pro ciuitate, siue pro altari, nomen est, & quomodocunq; capiatur, certum est prophetam significare voluisse ciuitatem Ierusalem, eò quòd additur, Ciuitas quam expugnauit Dauid. Videtur quidem Ariel à Chaldæis, sed ruinam mihi quasi Ariel, id est, instaurabitur. Certe necesse est eos, qui per Ariel altare intelligunt, in altari agnoscere synecdochen, quemadmodum mox dictum est.

2. Reg. 23.

Additus est annus ad annum) Annum dixit, pro biennio hoc sensu: Instituto enim anno ad annum, id est, biennio, sed pro breui spacio, quemadmodum nos dicimus, duo verba pro paucis. Sensus ergo est: Intra breue temporis spacium obsidebo Ariel, & solennitates cessabunt. Subuerso enim templo, & populo in Babylonem translato, omnis Iudæorum festivitas perijt. *Et erit mihi quasi Ariel*) Elegans locutio, neque tropus est, sed schema, quando repetitur idem nomen in peculiari quadam significatione, vt apud Comicum, quandoquidem verba ei magnifica ferre possum verba dum sint. Sic hoc loco: Erit mihi Ariel quasi Ariel, hoc est, ciuitas hæc cui dedi nomen Ariel, verè mihi erit Ariel: verè ego mihi altare, hoc est, quod faciunt in altari sacerdotes, hoc ego faciam in Ariel, id est, reddam tam ciuitatem tam cruentam reddam altare cruentum reddunt altare sacerdotes. Aliter exponit Hieronymus hoc modo: Subauditur quidem Ariel à Chaldæis, sed ruinam erit mihi quasi Ariel, id est, instaurabitur, accet magnificentiam illam & ornatum, quem antea habuit Ierusalem, nō sit habitura. Inde quæ sequuntur

Et circundabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam.) Refert ad obsidionem Ierusalem, per Titum & Vespasianum factam, vt hoc dicatur isto loco, quod apud Lucam: venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo &c. Verùm simplicior videtur expositio, si omnia referantur vel ad obsidionem Babylonicam, vel ad Romanam.

Luc. 19.

Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum.) Omnibus istis verbis idem ferè significatur, istud nimirum: In tantas angustias te adigam, vt ne semel quidem hiscere audeas, aut vocem attollere, & si fortè contingat vocem edere, talem edes quæ videbitur ex terra prodire, hoc est, edes humilem vocem, exiguam & imperfectam, & hoc est quod sequitur, *Et erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.*) Sensus est: Sic loqueris quemadmodum illi loqui consueuerunt qui sunt à Pythonibus suscitati, id est, exilis erit vox tua, metu constrictis faucibus tenuissimas voces edes, tantùm mussitabis, & non loqueris.

ET erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te, & sicut faucilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prœualuerunt. Eritq; repente, confestim à Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flamma ignis deuorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obsederunt, & prœnaluerunt aduersus eam. Et sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.

ET erit sicut puluis &c.) Sensus est: Qui vos euertent, nihil aliud quàm puluis sunt, si ad vos comparentur. vos filij Abrahæ estis genus electum, Babylonij verò ad vos collati puluis tantùm sunt, & gluma. Vbi enim nos habemus, sicut faucilla, versio Pagnini habet, sicut gluma. Verùm quanuis puluis tantùm sint, ego vires eis addam, vt te euertant. Aliter exponit Hieronymus, vt videlicet non imbecilliratem eorū qui contra Ierusalem militauerunt, pulueri comparet & fauillæ, sed multitudinem, hoc sensu: O Ariel, ô ciuitas Ierusalem, exercitus qui te circumuallabit, tam erit ingens & copiosus, vt innumerabili pulueri & fauillæ per aera volutanti meritò comparari possit. *Eritq; repente &c.*) Id est, istud fiet vobis non sperantibus, inopinato fiet, credetis omnia esse tuta & sine periculo & subito superueniet hostis ille innumerabilis. *A Domino exercituum visitabitur*) Lyra refert ad pulueres, sed ex commentarijs Hieronymi suppositum verbi (visitabitur) est Ariel siue Ierusalem, & omnibus istis partibus, rerum terribilium significat propheta crudelissimum forè excidium. Sensus est: Ego patiar ciuitatem sanctam Ierusalem crudelissimè euerti, hoc significant tonitrua & alia illa.

Et erit sicut somnium visionis &c.) Obiter hic prophetat de Babylonijs vel Romanis, hoc sensu: Contiget quidem Babylonijs victoriæ palmam de vobis Iudæis obtinere, sed ipsi nequaquam impunè ferent: videbitur quidem exercitus Babylonicus ex spolijs ditior factus, sed non erit ditior: non magis ex spolijs istis quæ auferet ex ciuitate Ierusalem, ditabitur, quàm famelicus aliquis somnians se nocte comedere, satiatur. Aut quemadmodum auarus intempesta nocte somnians se ingentem habere pecuniarum vim, multosq; thesauros reconditos, mane autem expergefactus nihil inuenit miser, & videt se deceptum: ita exercitus iste videbitur quidem ex spolijs vestris opulentior factus sed non erit.

Comparatio.

OBstupescite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino, mouemini, & non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis. Claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros, qui videlent visiones operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: lege istum, & respondebit, non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicetur; ei: lege, & respondebit, nescio literas.

OBstupescite & admiramini &c.) Hic faciunt quidam nouam prophetiam, & non improbabiliter, quia iam deinceps de alia re loquitur. Respexit enim ad longè posteriora tempora, quibus videlicet vixerunt Scribæ & Pharisæi, qui nō multo ante Christum exorti sunt: Et verba sunt imperatiua & præsentis temporis, sed sensum habent indicatiuum rei multo pòst futuræ, nimirum cæcitatis, de qua Christus in euangelio, Cæci sunt, & duces cęcorum. Et rursus Pharisæe cæce munda prius, quòd intus est calicis &c. Et quia horribilis & mirabilis erat cæcitas, in qua versabantur tēpore Christi, & in qua perseuerabant moniti tamen tot miraculis tam inculpata Saluatoris vita, tamq; insigni eius prædicatione: idcirco ad eam exprimendam tanto verborū apparatu vtitur propheta, dicens:

Matth. 15. b
Matth. 23. c

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicens: *Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis*) vt altissimo ignorantiæ somno stertentes nihil intelligatis: claudet enim oculos vestros, id est, excæcabit corda vestra: operiet prophetas Esaiam & alios, id est, fiet vt non intelligatis prophetas. Quod sequitur, Principes vestros, per congeriem adiectum est, quod ex eo patet, quia mox additur, Qui vident visiones. Quare non de falsis prophetis (vt ferè interpretantur) sed de veris loquitur prophetis, qui habebunt operculum seu velamen, vt non intelligantur à Iudæis.

Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quẽ cùm dederint scienti literas, dicent: lege istum, & respondebit, non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicetúrq; ei: lege, & respondebit, nescio literas.) id est, omnium prophetarum visiones & prophetiæ tam erunt vobis obscuræ, & ab intellectu vestro remotæ, vt nihil earum intelligatis, erunt inquam vobis tanquam verba libri obsignati & clausi, quem cùm dederint ijs qui scientiam legis profitentur Scribis videlicet & Pharisæis, Rabbinis & alijs legis doctoribus, & dicent lege seu interpretare istum, respondebit non possum, signatus est enim: Si verò dederint hunc nescienti literas, id est, indocto populo ad legendum, respondebit, nescio literas. Quia non vulgaris erit cæcitas, ideo tot verborum ambagibus exprimit, quatuor nimirum periodis, quibus nihil aliud significare vult, quàm maximam & prophetarum & legis Dei fore ignorantiam: & signanter non dixit, quòd visio omnium prophetarum signata sit cunctis legentibus, sed vobis (inquit) quibus nunc loquor, quibus hæc futura pronuncio erit signata, vt vos qui legitis scripturas, qui semper in ore habetis, & in manibus Prophetas, non intelligatis quod legitis. Scripturæ autem huiusmodi, quæ dicunt Deum immittere spiritum erroris, & spiritum vertiginis, spiritum soporis, excæcare, seducere, facere errare, penè innumeræ sunt tam in veteri quàm in nouo Testamento, quas collectas habes apud Augustinum, & omnium eadem est intelligentia, non quidem hæc: excæcauit, id est, cæcitatem immisit, quemadmodum docet vetus Lutheranismus: Neque rursus hæc, excæcauit, id est, excæcari permisit, quomodo interpretabatur Iulianus, quia ab Augustino loco iam citato reprehensus est, sed intelligẽtia ista est: Excæcauit, primò non illuminando, deinde causas & occasiones subministrãdo, quibus mens peccatoris magis ac magis excæcatur iusto Dei iudicio, suo tamen vicio & malitia. Vide Dominum Iohannem Tur-

Aug. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. Et de grat. & lib. arb. cap. 20. & 21.

Tur. f. 259. primi lib. de grat. & lib. arb. Et f. 104. 2. lib. Rursus de cõ cor. & lib. arb. & præ dest. f. n. & f. 237.

nout de gratia & libero arbitrio. Quãquam igitur recta sit vulgaris expositio, quæ habet Deum excæcare, quando hominem excæcari permittit, non tamen plenè rem explicat.

Matth. 7.

Et dixit Dominus. Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.

Et dixit Dominus. Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me) Id est, quia populus iste externũ tantùm cultum mihi exhibet, negligens interim spiritum & veritatem, hoc est quod dicit, Populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & quia prodigioso planè superstitiosus est, ponens in talis rebus Dei cultum, in quibus non debet poni, hoc est quod dicit, *Et timuerunt me mandatis hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic*, id est, ego efficiam vt pro miraculo quod habitus est hactenus maximè doctus, habeatur maximè cæcus. Hæc facilè intelligetur ex Euangelio & scriptis Pauli, quæ si conferat cum Prophetis videbit & admirabitur multùm magnam Iudæorum cæcitatem.

Matth. 15.

Qui autem & hodie legunt certas preces & audiunt sacrum, & ijs absolutis conuiuia ad pocula aut his similia, illi sunt qui dicuntur labijs suis honorare Deum: quos certè valdè horribile est in homine Christiano, & maximè in sacerdote existimare, nonnia tunc rectè se habere, quando sedet horæ, non cogitante interim vt mens eorum tur in Deum, vt cor ei per amorem tur, vt sit humiliatum, contritum, & vexas & mundanas contemnat. Pro eo sequitur, Et timuerunt me mandato hominum, ad verbum in Hebræo est, & fuit eorum me mandato hominum doctum. quæritur vnde regatur (me) quidam dicunt esse talem locutionem, qualis est illa apud Plautum in Aul. Sed quid tibi nos tangis? id est, cur nos tangis? Alij intelligunt quam harum præpositionũ, ad, secundum vel iuxta, hoc sensu: Et fuit timor eorum secundum quem timuerunt me mandatis hominum doctus. Matthæus non solùm

Matth. 15. Luc. 7.

verbis sensum reddidit, dicens: Frustra autem me colunt mandatis & doctrinis hominũ. Ex quo apertè patet hanc prophe-

pertinere ad tempora Pharisæorum: tradebant enim illi constitutiones de cibo & potu, de oblatione, & in illis ponebant summam religionis: Item traditiones pugnantes cum lege Dei. Dicit ergo Saluator apud Matthæum loco citato, & apud Marcum, quia populus iste Pharisaicus timet me, & colit rebus istis friuolis, cùm tamen ei aliam dederim legem, & propter suas traditiones mandata mea negligat, idcirco frustra colit me.

Vetus Lutheranismus habet, nullum esse ius pontifici condendi mandata aut canones, & ab ipso cõdita aboleri oportere. Contra illum Lutheranismum colligere oportet loca, in quibus Paulus ipse condidit nouos canones pro vitijs emergentibus his aut illis, hoc vel illo tempore. Quod perpendens Melanchthon recedit à veteri Lutheranismo, vellet tamen canones abolitos, ad quod inuenit aliam rationem: quia prius istud videbat non posse defendi propter Paulum. Inter alias ergo causas de huiusce modi negligendis, ponit hanc tanquam sontem: oportet negligere constitutiones Episcoporum & canones pontificum, quia seruantur cum impia opinione cultus, quę ponit in rebus adiaphoris aliquem Dei cultũ. Nam si roges à quopiam, quare ieiunas in quadragesima? respondebit, ad honorem Dei, ad placandum & satisfaciendum Deo. Hoc Philippus dicit esse impium, & probat: quia seruare ait ieiunia, est mandatum hominum: Dominus autem hic per Esaiam, & per seipsum in euangelio prohibet se coli mandatis hominum. Hunc sensum ex hoc loco prophetæ tradit Philippus, contra orthodoxam traditionem. De vero ergo sensu oportet studiosum esse solicitum, vt respondeat cauillis Philippi obijcientis illud: Frustra me colunt mandatis hominum.

Si inspiciatur tota circunstantia Esaiæ & Christi in euangelio, deprehendetur nullius prorsus esse momenti quod habet Philippus. Præterea & omnes veteres (id quod nec Philippũ latere potuit) accipiunt hunc locum non de quibusuis hominum mandatis, sed de talibus duntaxat, qualia erant Pharisaica, hoc est, quæ vel pugnabant apertè cum doctrina Dei, quale est illud, Munus quodcunque ex me est, tibi proderit &c. (Docebant enim Pharisæi parentem deserere, & offerre in templo & altari ea, quæ parentibus in egestate constitutis debebantur) vel quæ merè friuola sunt, & in rebus exterioribus posita nihilque faciunt ad internum cultum spiritus, qualia erant baptismata manuum. Hoc rursum docent circunstantiæ Euangelij apud Matthæum & Marcum. Quædam etiam exercebant Pharisæi, quæ etsi possent aliquid facere ad internum cultum, quia tamen in illis ponebant principale & summam religionis, à Saluatore reprehenduntur. Tale erat dilatare philacteria, quod Deus præceperat in lege, sed ad finem interiorem. Quare hoc facere tanquam aliquid principale, & non potius vt tale quod moneat me interni cultus & religionis, nihil est. Præterea si quis talibus mandatis & doctrinis coleret Deum, esset verè superstitiosus: At mandatum ecclesiasticum de ieiunio, est quidem mandatum hominum, sed neque cum mandatis diuinis pugnat, & doctrinis scripturarum, & orthodoxorum patrum exemplis & sanctorum adorantium Deum in spiritu & veritate, imprimis est consentaneum, vt docet scriptura tam noui quàm veteris Testamenti, etiam vt refertur ad cultum, etiam immediatè seu proximè. Dicimus autem immediatè seu proximè, nam & Philippus patitur vt adiaphorum obseruatum (quale secundum ipsum est ieiunium) cultũ habeat, sed mediatè: sicut ieiunium preces habet, si ieiunes vt aptior sis ad fundendum preces, in quibus est cultus. Sed impium esse dicit, si ieiunes eo respectu, vt places iram Dei, vt tali opere Deo honorem exhibeas, sed aliud docet scriptura: Nam apud Lucam de Anna loquens dicit, non discedebat de templo, ieiunijs & orationibus seruiens die ac nocte. En, eodem refert ieiunia, quò preces, ad cultum scilicet & honorem Dei, planeque sicut Paulus prædicabat euangelium ad honorem Dei patris. Ita scribitur hic à Luca colere & latriam exhibere Deo ieiunijs: Vbi enim nostra versio habet seruiens, in Græco est λατρεύουσα, quod significat colere & cultum exhibere. Præterea Actuum capite 13. sic scribitur, Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus &c. Et hic vna cum sacris adhibentur ieiunia, & Græcè est λειτουργοῦντων, quæ vox significat operari sacris siue deditum esse rei sacræ. Non ergo hoc fine adhibentur hic ieiunia vt aptiores fiant sacris, sed Deum placare studentes liturgia & ieiunijs. Nec aliter refertur 2. Regum Dauid ieiunasse. Vt omittamus iam ieiunia Saræ, Iudith, & Hester eodem respectu adhibita, nimirum ad placandum Deum.

Mandatum de ieiunio non esse mandatum hominum.

Luc. 2. f

2. Reg. 12.

In hæc scripturarum testimonia intuentes veteres, tradiderũt similem theologiam: Basilius in homilia de ieiunio, in qua habet, per ieiunium nos satis facere Deo. Chrysostomus de hebdomãda sancta, vbi ieiunium ponit inter ea quæ offeruntur Deo: Cyprianus epistola 4. lib. 4. in qua hortatur clerum vt ad Deum ieiunijs insistat.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Hieronymo hoc satis fuerit proponere, quòd Philippi sententiam, videlicet ieiunium esse rem adiaphorã, habeat tanquam Iouiniani hæretici, qui hoc ipsum defendebat, non quidem eisdem verbis quibus Philippus, sed dicebat nihil interesse inter vescentem cibis & abstinentem à cibis: quasi iam quis dicat, militaris vestis aut sacerdotalis, res adiaphora est. Talis res ieiunium est secundum Iouinianum & Philippum. Iouinianus eodem modo falsus est, quo Philippus, nimirum quòd consideret absolutè, & secundum se vsum cibi & abstinentiam à cibo, absq; vlla relatione ad aliud bonum: Tale ieiunium verè est res adiaphora & media, & non cultus. De tali ieiunio accipi potest illud Pauli, Esca nos non commendat Deo. Et rursus, Non est regnum Dei esca & potus. 1. Cor. 8. c Rom. 14. c

Quibus locis considerat cibum in se, & in talibus rebus non est situs cultus. Verùm huiusmodi ieiunium non est ecclesiasticum, quòd non absolutè fit, sed à ratione ordinata, neq; quauis ratione, sed à ratione fide imbuta: Huiusmodi ieiunium est actus virtutis & cultus. Vnde Hieronymus à consideratione illa absoluta reuocans Iouinianum, ostendit scripturas non rectè esse ab ipso citatas contra ieiunium ecclesiasticum, id est, susceptum eo fine vt dometur caro, vt corpus subijciatur spiritui, vt placetur Deus. Et ad hunc locum Hieron. scribentis contra Iouinianum, nihil habet quod dicat Philippus, propterea in libello de Ecclesia reijcit eum vt Pharisaicum, ethnicum & superstitiosum. Augustinus in libro de hæresibus ad Quotuuldeum de erroribus Iouin. scribens, & hunc inter cæteros recenset, videlicet nihil prodesse ieiunium. Iouinianus nõ negauit prodesse ieiuniũ eo modo quo Philippus dicit prodesse, sed voluit nihil prodesse ad placandum Deũ, ad impetrandum aliquid ab eo. Et in libro sermonum, cùm alijs multis locis, tum sermone sexagesimo, Nemo inquit pro humana laude ieiunet, sed pro peccatorũ indulgentia. Et alia loca multa sunt similia apud August. & veteres, quæ obseruari oportet contra Philippum, non quidẽ illa, in quibus approbatur ieiunium (nam & Philippus probat ieiunium) sed in quibus dicitur esse cultus, hoc est, rectè fieri, si suscipiatur ad placandum Deum, ad satisfaciendum Deo, & ad honorem illi præstandum.

Quod autem ad circunstantias Esaiæ attinet, hoc tantùm perpendite quod ait, obstupescite & admiramini &c. an sit vllo modo probabile, quòd Ecclesia Dei viuente Augustino, Hieronymo, Cypriano, Basilio fuerit in densissimis illis tenebris & horribili cæcitate, quam proponit hic Esaias, quorum tempore maximè vigebat Christianismus. Ista sola circunstantia, quòd sciliret propheta de tam horribili cæcitate loquatur, satis docet quòd non de quibusuis mandatis hominum intelligi debeat quòd dicitur, Et timuerunt me mandato hominum, cùm tempore illorum sanctorum patrũ scribentium, Ecclesia non fuerit in tanta cæcitate: de quibus autem mandatis accipi debeat suprà annotatum est, & ex Matthæo & Marco manifestum est. Quòd autem apud Matthæũ Saluator dixit, Nihil quod intrat per os coinquinat animam, hoc solùm voluit, quòd ista per se solùm considerata, non faciunt quenquam sanctiorem, neque non sanctiorẽ, sed hoc efficiunt quę de corde procedũt, vitia & virtutes, cibi per se considerati res sunt indifferentes. Est & alius locus, quem adducit Philippus in epistola ad Colossenses: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi huius, quid adhuc tanquam viuentes in mũdo decernitis, id est, quid adhuc dogmata & decreta suscipitis de cibis & potu, cùm sitis sufficienter à me edocti iam de? habetis euangelica præcepta, quid ad huc traditionibus & constitutionibus hominum detinemini? Nam pro decernitis Græco est δογματίζεσθε, id est, dogmatizamini. Considerandum hic est, qui occasione hæc scripserit Paulus: Vt constat ex teribus, erant viuente Paulo Pseudoprophetæ, qui instituti doctrina Platonis, docebant animas esse purgandas ad frumen Dei, ministerio angelorum: Et huiusmodi philosophiæ miscebant quędã ex lege Mosi, quæ pertinent ad purgationem, de cibo & potu: huiuscemodi dogmata reprehendit Apostolus, ac si dicat: nolo vos huiusmodi modis purgare animas, nolo vos ponere quicquam purgationis in huiusmodi obliquantijs & angelorum purgatione. Platonis enim & hominum hæc commenta sunt. Doctrinas ergo hominum & elementa mundi eo loco vocat Paulus, quæ nihil habent consentaneum cum scripturis, sed tantùm traditione non imbuta fide, profecta sunt. Dogmata autem quæ Ambrosius & alij episcopi constituerunt, fidei & scripturis consentanea sunt. Quod sequitur eo loco apud Paulum, Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, pro superstitione, Græcè est ἐθελοθρησκεία quæ vox significat Latinè voluntariam religionem, id est, uerè religionem quam tibi tua sponte accersis. Putat Philippus hoc vocabulum merè competere in eos, qui canones fecerunt & regulas monachorum, cùm certùm sit Apostolum voluntariam illam religionem propriõ ingenio effictã pellare religionem proprio ingenio effictã, hoc est, factã non secundum scripturas, neq; à ratione

à ratione fide imbuta, quemadmodum Plato fingebat sibi religionem, & religionem aliam sibi fingebat Aristoteles, hanc vocat ἐθελοθρησκείαν, id est, voluntariam religionem. Franciscus autem & Benedictus, quia fide & euangelica doctrina imbuti & tenentes caput Christum, constituerunt regulas, per quas expeditius impleãtur dogmata euangelica, nihil ad eos pertinet locus hic Apostoli.

Peribit enim sapientia à sapientibus &c.) Testimonium hoc citat Apostolus cap. 1. prioris epistolæ ad Corinthios, non quidem secundum Hebraicã veritatem, sed secundum Septuag. Hoc sensu: quasi dicatur futurum vt sapientia Pharisaica confundatur, Pharisæi visi sunt hactenus præcæteris sapere, futurũ est vt eorũ sapientia reprobetur. Quare sapientia hoc loco eodem modo accipitur, quo mandata & doctrinæ hominũ: & quod Esaias de Pharisaica sapientia dixit, Paulus etiam ad Græcorum sapientiam retulit: & sapientiam huius mundi ibi vocat sapientiam Stoicam & Platonicam: hanc sapientiam dicit esse vanam, quia nullum poterat bonum efficere, nec præstare felicitatem illam, quam docet euangelium, & in solo Christo crucifixo posita est.

Securitas Pharisæorũ, Epicureorũ & aliorum.

VAE qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, Et dicunt: Quis videt nos? et quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me, & figmentum dicat fictori suo, non intelligis.

VAE qui profundi estis corde &c.) Ad verbum est, qui profundãtis, quod additur, corde, à diuo Hieronymo adiectum est explicationis gratia. Sensus est: Væ qui studetis tegendis consilijs vestris tam apud Deum, quàm apud homines, sic agitis quasi etiam Deum possetis celare consilia vestra: væ illis, qui putant facta sua posse latere & fugere notitiam Dei. *Quorũ sunt in tenebris opera*) id est, quorũ opera tecta sunt, qui maximis artificijs maximoq; vtuntur ingenio vt non deprehendatur sua nequitia, qui freti ingenio audent omnia facere, sperantes homines non intellecturos nequitiam, etiam Deum dissimulaturũ putantes. Tales sunt nostri temporis hæretici, & in illos sicut in Iudæorum Pharisæos verba hæc competunt. Securitas autem hæc tanta, vt dicant, Quis videt nos? aut quis nouit nos? non est tantũ Pharisaica, sed etiam Epicuræa, qui putant Deum solùm curam habere rerum cœlestiũ, & non curare mortalia: Et non est dubium quin multi sint affectu Epicuræi, imo non solùm affectu, sed etiam iudicio, non putantes malos manere illa supplicia, quæ proponuntur in scripturis, cùm etiam Pharisæi videntes expressum Dei mandatum de honorandis parentibus, illud cõtempserunt, cùm etiam ausi fuerint pecuniam dare militibus, à quibus tamen didicerant Christi resurrectionem. Hinc colligitur Pharisæos tempore Christi prorsus abiecisse timorem Dei, de quo Psal. 63. vbi Christus passurus queritur apud patrem, Dixerunt, quis videbit eos, ecce pater vbi apud se constituerunt me crucifigere, dicunt, quis videbit dolos nostros? tam sunt cæci: Nam illa securitas psalm. 72. Quomodo sit Deus, & si est scientia in excelso, non est propria Pharisæorum, sed omnium Epicuræorum communis. Psal. 63.

Peruersa est hæc vestra cogitatio &c.) Id est, hæc vestra opinio, vt factorem putetis nescire quod fecit, & creatoré nescire creaturam suam, cum impietate coniuncta est. Tale est illud Psal. 93. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

NOnne adhuc in modico & in breui conuertetur libanus in charmel, & charmel in saltum reputabitur? Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.

NOnne adhuc in modico &c.) Hic est pulcherrima prophetia de vocatione gentium, & Iudæorum reiectione. Quòd autem dicitur, In modico & in breui, congeries est, quæ facit ad epitasin. Sensus est: Breuissimo tempore futurum est, vt videatis impleri quod dico. A prophetia hac Esaiæ vsq; ad tempus quo impleta est, fuerunt anni 700. & plures. Sẽsus ergo est: Post annos 700. conuertetur libanus &c. Mirabile est, quòd Propheta futurum dicat breuissimo tempore, quod post longum tandẽ tempus futurum erat. Causam huius reddit Hieron. quia ad comparationem ait æternitatis breue est hoc spacium: Deo quidem quoduis spacium est breue, & homini perpendenti æternitatem breue est etiã spacium 700. annorum. *Conuertetur Libanus in Charmel*) Aenigma est. Conciones Esaiæ cùm haberentur ad populum, ferè intelligebantur etiam à vulgo, sed non omnia semper intelligebantur. Ita dubium est an vulgus istud intellexerit. Libanus mons est inter Arabes & Phœnices, ita altus vt nuibus legatur etiam media æstate conspersus, vt videre est apud Suetonium, & notus est in scripturis sacris duobus nominibus: primo quòd est syluosus & incultus: secundo quòd est altissimus, præstantissimasque habens cedros. Hoc loco respexit Propheta ad primum, videlicet quod est incultus, & generaliter intelligitur quoduis solum syluestre & incultum per synecdochen: deinde *Prophetia de vocatione gentium, & reiectione Iudæorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex solo inculto per metaphoram accipiuntur homines rudes, inculti & à fide prorsus alieni, sicut ibi, Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas, id est, homines ad cultum diuinum incommodi, dabunt se studio cultus diuini, Gentes barbaræ & incultæ studebunt vero Dei cultui. Vnde pro Libano simpliciter dicere poterat, homines nullo vero religionis studio exculti, illi excolentur, hoc est quod dicit, vertetur in Charmel. Hactenus in Iudea tantùm notus fuit Deus, futurum est breui vt etiam gentes agnoscãt Deum. Alij verò commentarij ad altitudinẽ cedrorum libani respiciunt, & per metaphoram nomine Libani superbum accipiunt, & superbi metaphoram alijs in locis scripturæ habet hæc vox Esaiæ, Super omnes cedros Libani, id est, super omnes superbos: sic & hoc loco interpretantur Libanus, id est, quiuis superbus, & de Scribis & Pharisæis intelligunt. Sed hæc interpretatio parum succedit, cùm dicatur, vertetur in Charmel, quem locum sterilem faciunt: In qua significatione nullus est locus in scriptura huius vocis. Si exposuissent Charmel pro humili & demisso verisimilis fuisset expositio, quia aliquando est nomen loci campestris oppositi loco mõtoso. Huius nominis Charmel duo sunt loca, & vterq; frugifer inuenitur: Alter est Galilææ prouinciæ ad australem plagam, in quo fuit Nabaal Charmeli vxor Abigael: Alter in confinio Palæstinæ atque Phœnicis iuxta Ptolomaidam mari imminens, in quo Helias flexis genibus pluuiam impetrauit. Commentarius autem Hieron. in 16. caput Esaiæ sic habet, Idioma scripturarum est, vt montem Charmelum fertilitati comparet, ergo ex Charmelo oportet quoduis solum frugiferum concipere, & ex solo homines, vt sensus sit: Libanus conuertetur in Charmel, id est, Gentilitas inculta excoletur studio veræ religionis. *Et Charmel in saltum reputabitur.*) id est, Iudæorum populus antè cultus negligetur & desinet coli, adeo vt etiam ethnici homines mirari possint eos in ijs rebus ponere cultum, in quibus ipsi ponũt cultum & vitam æternam.

Supra 2.

Et audient in die illa &c.) Hæc pars interpretationem continet præcedentis sententiæ, hoc sensu: Gentium populus qui modò incultus & surdus est, audiet verba legis & scripturæ, & qui nunc habet oculos cordis obcæcatos videbit, nimirum liberatus de tenebris gentilitatis & caligine.

ET addent mites in Domino lætitiã, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor. Et succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant, & declinauerunt frustra à iusto.

ET addent mites in Domino lætitiam &c.) Mites secundum scripturã sunt illi, qui non resistunt, sed acquiescunt prædicationi euangelicæ, qui formandos se præbent & docendos: Pauperes verò sunt, qui pondere peccatorũ & vsuris oppressi agnoscunt miseriam suam & captiuitatem, & quærunt liberationem, illi exultabunt in sancto Israel, in quo hactenus soli Iudæi exultauerunt. *Quoniam defecit qui prævalebat &c.*) Sensus est: Quoniam defecit tyrannus, nõ quidem Sennacherib aut Nabugodonosor, quauis in principio capitis mentio fiat talis tyranni futuri, sed princeps huius mundi, diabolus videlicet. Ad verbũ autem in Hebræo est, quoniam defecit fortis, & est idem nomen quod suprà cap. 13. Arroganti am fortium humiliabo: Et in voce (fortis) antonomasia est, sicut & in sequenti. *Consummatus est illusor*) Id est, ille singularis illusor, ille singulariter fortis consummatus est, & defecit. Vox autem Hebræa significat non tam simpliciter illudere, sed superbè irridere. Eadem vox ponitur Psal. 1. Et in cathedra pestilentiæ non sedit, vbi versio Hieronymi habet in cathedra illusorũ, id est, super cathedram superbè deridentium, videlicet principis huius mundi & satellitum eius.

Et succisi sunt omnes &c.) Verbum vigilare vsu scripturæ pertinet ad studium & diligentiam. Sensus est: Qui ad hoc diligenter incumbebant & studiosè operam dabant vt mundus esset plenus iniquitate, illi succisi sunt. *Qui peccare faciebant homines in verbo, &c.*) Si antea meminisset propheta philosophorum aut oratorũ, videretur hic esse locutus: Qui peccare faciebant homines in verbo, id est, probabilitate dictionis aut sermonis, qui probabiliter defendentes cultum deorũ, homines detinebant in errore. Nam quia pertinet ad Pharisæos, oportet referre ad id quod Apostolus capite vltimo ad Romanos habet. Qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, vt sensus sit: Qui peccare faciebant homines in verbo, id est, blandiloquentia & assentationibus. Diuus Hieronymus verò aliter sentit, & interpretatur hoc modo: Qui peccare faciebãt vniuersum hominum genus in verbo blasphemiæ, vt negarent verbum.

Et arguentem in porta supplantabant) Arguentem in porta Hieron. facit peripheasin Christi, sicut Horatius pro Homero dixit de Troiani belli scriptorem: Sed videndũ quo hic sequatur Hieronymus, maximè cũ hoc soleat esse magistratus peripheasis & iudicis. Sic habes Psal. 68. Aduersus me loquebantur qui sedebant in porta, id est, iudices. Antiquitus enim exercebantur iudicia in portis, pro quibus nos habemus iam curias. Rursus Psal. 126. Non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta, id est, in curia siue senatu. Si obijciatur aliquid viro beato & sibi bene conscio, non pallescet ad crimen obiectum. Forte D. Hiero. ex magistratu intellexit quemuis defensorem recti, & præcipuè Christum, vt duplex sit hoc loco figura, videlicet periphrasis, & illa qua aliud ex alio colligitur.

Psal. 68.

Et declinauerunt frustra à iusto) Si sequamur D. Hiero. in iusto antonomasia est, pro Christo. Si in præcedenti particula per arguentem in porta, quemuis defensorem recti intelligas, hîc per iustum quemuis iustum accipe per enallagen siue heterosin numeri.

PROpter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham. Non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet. sed cùm viderit filios suos opera manuũ mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israel prædicabunt, & scient errantes spiritu intellectum, & murmuratores discent legem.

PROpter hoc, hæc dicit Dominus &c.) Omnia hæc pertinent ad vocationem gentium, quæ reiectis Iudæis insertæ sunt. Sensus est: Dixi vobis suprà, in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmelum, & Charmelus in saltum reputabitur: Verũ ne quis putet meo tempore id futurum, idcirco hæc dicit Dominus ad posteritatem Iacob, is inquam Dominus qui redemit quondã Abraham, & de Vr Chaldæorum eduxit, atque in terram promissionis induxit.

Non modo confundetur Iacob &c.) Id est, populus Iacob me viuo se reiectum iriã Domino non intelliget, sed tum demum intelliget, cùm videbit Apostolos sanctificantes, id est, glorificantes nomen Christi, testimonium perhibentes quòd ipse sit Messias, & in nomine eius facientes admirandas virtutes. Apostolos, quia de genere fuerunt Iudæorum, filios eorum vocat: Opera autem manuum Christi appellat eos, quia Christus peculiariter eos finxerat & instituerat. Sanctus Iacob, periphrasis est Christi, vel quia ortus est de sanguine Iacob, vel quia Iacob ab eo habet suam sanctitatem.

Et scient errantes spiritu intellectum) errantes spiritu, id est, stulta & rudis gẽtilitas, quæ stultissimas nunc habet opiniones de cultu & natura Deorum, illa sciet intellectum, id est, intelliget qua re Deus coli velit, qua re Deus placari possit, qua re possit obtineri remissio peccatorum.

Et murmuratores discent legem) Hiero. murmuratores aliàs vertit murmuratores. Sensus est: Gentiles qui antea ridebant Iudæos, putantes se optimè sentire de Deo, illi cognoscent veritatem, quo modo velit & debeat coli Deus. Vide satyram Iuuenalis 14. ab illo loco: Quidam sortiti metuentem sabbata patrem, Nil præter nubes & cœli numẽ adorant: Vbi deridet Iudæorum religionem.

CAPVT XXX.

VAE filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consiliũ, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meũ, vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis vt descendatis in Aegyptum, & os meum nõ interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, habentes fiduciam in vmbra Aegypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.

CAput istud nihil pertinet ad præcedentia, sed alterius vaticinationis exordium est, quam quidam contra decem tribus scriptam putant: vt historia illa prædicatur, quã in 4. lib. Regũ legimus, vbi scribitur, quòd decem tribus auxilium postulantes ab Aegyptijs captæ sint ab Assyrijs, & translatæ in ciuitatem Medorum. Alij ad duas tribus referunt, & ex capite 20. huius prophetæ constat viuente Esaia etiã duas tribus fiduciam habuisse in Aegyptijs. Verùm Hieronymus reprehendi putat, non quidem qui tempore Esaiæ auxilium petebant ab Aegyptijs, sed qui hoc faciebant tempore Ieremiæ, inter quem & Esaiam fuerunt anni 150. & ad longinquum tempus respicere prophetam satis constat ex textu, vt in prosecutione eius dicetur. Vtcunque intelligatur expositio Hiero. legere oportet 42. & 43. caput Ieremiæ.

Væ filij desertores) Desertores filij appellantur, qui deserto Dei consilio, quod acceperant per Ieremiam, suã secuti sunt voluntatem. Sensus est: Vos capitis consilium fugiẽdi ad Aegyptios, & videtis me nolle, hoc est quod dicit, *& non ex me*. Eandem sententiam habet quod sequitur: *Et ordiremini telam & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum*) Id est, vt pristina peccata augeretis peccato contemptus & superbiæ. Filij desertores.

Qui ambulatis vt descendatis &c.) hoc dicit propheta, non quòd non interrogauerint, sed quòd consilium prophetæ audire noluerint. Argumentum est hic veterum hæreticorũ, quo docere nitebantur, episcopis non licere leges vllas condere, quæ non sunt expressæ in scripturis. Iste est vetus Lutheranis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus,quem postea correxerunt, patientes fieri leges, modò fiant ad politiã & eutaxiam siue ad bonum ciuilis ordinis, & non ad cultum, vt dictum est in superiori capite. Verùm iuxta Hiero. nõ habet locum ipsorum argumentum: nam, non ex me, secundum interpretationem Hiero. idem est quod contra mandatum meum, quo apertè præcepi eis, ne fugerent ad Aegyptios. Quod si facias nullum fuisse præceptum Domini, nec ipsius Ieremiæ, & peccasse ipsos eò quòd os Domini nõ interrogauerint, sequetur quòd nihil planè licebit nobis facere aut tentare sine Dei iussu, non solùm non condere leges, sed nec vxorem ducere, vel huic aut illi rei operam dare, quod absurdum est. Quare ad eos locus hic pertinet, qui auxilium ab exteris petebant contra Dei præceptum, vel qui hoc faciebant neglecto Deo, hoc est, qui in humano auxilio summam ponebant fiduciã, abiecta Dei fiducia, vt hoc reprehenditur quod Ozee 7. Væ eis quoniam recesserunt à me. Et Ierem. 2. Obtriuit Dominus confidentiam, quam scilicet habuisti in dijs Aegyptijs deserto Deo, vt ex consequentibus patet. Sic ergo ordiri telam, hoc est illicitum. Sic S. Franciscus non est orsus telam, & qui fecerunt canones, sed inspecto euangelio & regulis fidei orsi sunt telam.

Pharao. *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis &c.*) Pharao apud Aegyptios nomen est regiæ potestatis, & genericum, quale apud nos est Cæsar, proprijsq; regum vocabulis præponitur, vt, Pharao Nechao &c. *In vmbra Aegypti*) Istud idem est, quod in protectione Aegypti. Metaphora sumpta est ab ijs, qui captant vmbram arborum. Septuaginta autem transtulerunt, Descenditis in Aegyptũ, vt accipiatis auxilium à Pharaone, & protegamini ab Aegyptijs.

Et erit vobis fortitudo Pharaonis &c). Istud dicit propheta, quia superatis Aegyptijs à Chaldæis, capti sunt & Iudæi qui ad Aegyptios confugerant.

ERant enim in Taphnis principes tui, et nuncij tui vsq; ad Thanes peruenerunt. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non poterat. Non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionẽ, & in opprobrium.

Taphnis. *ERant enim in Taphnis principes tui &c.*) Istud emphaticos & cũ irrisione legendum est. Taphnis autem siue (vt quædam exemplaria legunt) Thannis est præcipua ciuitas Aegypti, in qua domus Pharaonis regia fuit, & sub Moyse signa atque prodigia plurima perpetrata sunt, quemadmodum legitur in psal. 77. Qui fecit mirabilia in terra Aegypti in campo Thaneos. De Hanes sic scribit Hieronymus: Hanes vrbem Aegypti in alio loco nõ legimus, sed ex eò quod ait, nuncij tui vsq; ad Hanes peruenerunt, intelligimus vltimam iuxta Aethiopas & Blemmyas esse Aegypti ciuitatem. Sunt & alia exemplaria, quæ hic legunt: Ierant in Taphnis, sed malè. Legi enim debet hoc modo: Erant enim Thani. Sic habet Hiero. & exemplaria correctiora, & Hebræorum codices.

ONus iumentorum austri. In terra tribulationis & angustiæ, Leæna & Leo ex eis, vipera, & regulus volans, portantes super humeros iumentorum diuitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. Aegyptus enim frustra & vanè auxiliabitur. Ideo clamaui super hoc, superbia tantùm est, quiesce.

ONus iumentorum Austri) Est continuatio prophetiæ. De onere dictum est superiùs. Iumenta Austri, periphrasis est tribus Iudæ (secundum Hieron.) eorum maximè, qui respuebant consilium Ieremiæ. Est enim in Australi plaga tribus ista Iudæ deserto contigua, per quod pergitur in Aegyptum. Recètè autem iumenta appellat, quia cõtempto veri Dei imperio ad Aegypti simulachra confugerunt, spem habentes in Pharaone. De talibus iumentis sermo est psalm. 48. Homo cùm in honore esset, non intellexit, & comparatus est iumentis &c. Simpliciter & sine figura dixisset propheta: Onus tribus Iudæ, id est, pondus malorum & miseriarũ, quod imminet populo duarum tribuum, & aperiens eorum miseriam, ait: *In terra tribulationis & angustiæ*) quod periphrasis est deserti & eremi vastissimæ, per quam iter est à Iudæa in Aegyptum. Sensus est: In terra in qua necesse est viatorem pati famem, sitim, & alia incommoda. *Leæna & Leo ex eis*) scilicet egredientur, & significat per hoc propheta, viatorem etiam à feris impetendum, & non tantùm fame ac siti afflictum iri. Istud propterea dicit propheta, vt illos deterreat ab hoc itinere & consilio, & potius audiãt consilium Ieremiæ. Diuus Hiero. paulò aliter legit, hoc modo: Leo & Leæna, deinde quod sequitur, ex eis, cõiungit cum sequentibus hoc sensu: De leone & leæna nata est vipera & regulus siue serpens volans. Ad hunc modum legunt etiam Haymo, Thomas, Lyranus, Dionysius. Et quia contra naturam rerum est, vt de leæna nascatur vipera, idcirco figuratè hæc accipiunt, vt hoc sit quod communi prouerbio dicitur, Ex malis ouis mali cornui. Accipiunt enim per leænam metaphoricè ciuitatẽ Ierusalem, & per leunculos ipsius ciues, ex quibus nascuntur viperæ & serpentes volantes, id est, malorum parentum peiores liberi. Priorem distinctionem legunt Robertus Stephanus, & exemplaria [illegible] bræa, quæ hodie in manibus sunt. Et licet bona sit expositio Hieronymi, altera tamen simplicior est, secundum quam sensus est: Quòd non solum feras, sed etiam venenata animalia videlicet viperas & serpentes patientur.

Portantes super humeros &c.) Est aliud onus seu potius irrisio. Sensus est: Suscipitis laborem frustraneum & damnosum, quia effertis diuitias in asinis & camelis ad populum, qui prodesse non poterit. Hoc apertè ideo dicit, vt eos deterreat ab itinere. Illud quod sequitur, *Superbia tantùm est*) hunc habet sensum: Aegyptus regni tantùm habet vocabulum & absque viribus superbiam, & ideo fallimini sperantes in Aegypto. Quiesce ergo & remane in solo patriæ vestræ, ne fugias in Aegyptum. Hebræi pro quiesce, paulò aliter legunt, si vera sint puncta substrata, hoc modo: Fortitudo eorum mansio siue quies, id est, fortitudo istorum fugitiuorum in hoc est, quòd maneant: si velint sibi bene consultũ, maneant & non descendant in Aegyptũ. Hoc modo exponit Rabbi Dauid in commentarijs, & Rabbi Abrahã, vt refert Pagninus in voce Rahaph. Hoc loco nonnullum argumentum est, prophetiam istam referendam ad tempus Ieremiæ, vt patet expendenti caput quadragesimum secundum Ieremiæ, & conferenti cum hoc loco.

NVnc ergo ingressus scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo in testimonium vsque in æternum. Populus enim ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.

NVnc ergo ingressus scribe ei super buxum, &c.) Tradit Hieronymus, & ante eum Hebræi, hæc ita accipienda quasi præcipiantur Ieremiæ non Esaiæ, nec mirum hoc videri debet cuipiam, cùm in prophetis vnus sit spiritus, & apud Dominũ omnia iuncta sint tempora. Sensus ergo iste est: Tu Ieremia quandocunq; tandem nasceris scribe eis, vt cùm vaticinium viderint rebus expletũ, malis suis edocti, discant audire prophetas. Nostra exemplaria ferè habent (ei) sed malè: legendũ est enim (eis) pluraliter, vt referat Iudæos, & sic legit Hieronymus, Haymo, & Hebræi. Pro buxo, quod lignum est imputribile, Symmachus vertit tabulam, Scribe eis super tabulam latissimam, & diligenter edisfere, vt nulla sit difficultas lectionis: Sic Hieronymus. Alij accipiunt, vt præcipiãtur hæc Esaiæ, & probabiliter, quia sequitur, In die nouissimo, id est, cùm prophetia ista fuerit rebus expleta (explebitur autem nõ statim, sed in die nouissimo) tunc intelligẽt verum esse sermonem prophetarũ. Hoc loco aliud est argumentum, prophetiam hanc longissimi esse temporis.

Populus enim ad iracundiam prouocans est, &c.) Sensus est: Populus iste Iudaicus, populus rebellis est, rebellione sua prouocans me ad iracundiam, filij mendaces sunt, fingentes se velle obtemperare præceptis meis, & nihil minus cogitantes: Patet hoc Ieremiæ 42. vbi dicunt, Cadat oratio nostra in conspectu tuo. *Qui dicunt videntibus*) id est, prophetis Ieremiæ & alijs, nolite nobis vaticinari quod nolumus, nolite nobis interdicere viam Aegypti, nec quæ recta sunt prædicetis, sed loquimini quod nobis placet, vt pergamus in Aegyptum. *Videte nobis errores*) Quid nobis ingeritis quod non libenter audimus? quid monstratis nobis viã, per quam ingredi nolumus? quid frequenter ingeminas auribus nostris, hæc dicit sanctus Israel? cesset à nobis hæc prædicatio: Talis erat populus Iudaicus tempore Ieremiæ, imo talis fuit semper etiam tempore Moysi. Eprobrat itaq; eis vetus peccatum & antiquam rebellionem. Ista etiam locum habent in multos hodie Christianos, illos nimirum qui remissè ac delicatè viuentes fauent adulatoribus, non ferunt austeros concionatores: Illi si non verbis, saltem vita & factis dicunt, nolite videre nobis quæ recta sunt, nec gehennæ flammas comminemini, sed promittite nobis regna cœlorum, vt post luxurias & delicias pandatur nobis paradisus. Quid ingeritis nobis toties, hęc dicit sanctus Israel, conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, cesset à nobis hæc prædicatio. Viã posuit pro vitę modo, quod frequens est in scripturis. Pro eo autẽ quod nos habemus, cesset à facie nostra sanctus Israel, Septuaginta transtulerunt apertius, auferte à nobis verbum Israel.

Viam vitæ frequenter ponitur pro vitæ modo.

PRopterea hæc dicit Dominus noster sanctus Israel. Pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumniam, & in tumultum, & innixi estis super eo, propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso. Quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli, contritione prænalida, & nõ inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.

PRopterea hæc dicit Dominus &c.) Quia, inquit Dominus, reiecistis verbũ, quo iussi vos manere in Iudæa, & sperastis in calumnia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nia,scilicet Aegyptiorum, id est, quia fiduciam habuistis in Aegyptijs, qui verè sunt calumniatores, & innixi estis super tumultu eorum siue superbia. *Propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens*) id est, sicut murus interruptus minans ruinam: quod periculi est in talibus muris, hoc periculi est in hac vestra fiducia: sicut illi subito ruunt & homines opprimunt,sic veniet vobis repentina contritio. Additur(requisita) quia cùm quis videt murum aliquem minari ruinam, nec videt causam eius,statim requirit causam,hoc est quod dicit, requisita. *Et cõminetur sicut conteritur lagena figuli &c.*) Omnibus illis verbis nihil aliud significat quàm internecionem,ac si dixisset: semel & in totum peribitis. Quando enim ita frangitur lagena, vt non remaneat vel testa ad hauriendam aquam ex fossa, tunc tota contrita est: Sic vos,cùm iueritis in Aegyptum persequente illuc vos Nabugodonosor,vsq; ad internecionem peribitis.

Q Via hæc dicit Dominus Deus: sanctus Israel. Si reuertamini,& quiescatis,salui eritis. In silentio & in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis,& dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus. Ideo fugietis. Et super veloces ascendemus. Ideo velociores erũt,qui persequentur vos. Mille homines à facie terroris vnius,& à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis,et quasi signum super collem.

Si reuertamini & requiescatis &c.) Id est, si errorem praui consilij relinquatis, & maneatis in Iudæa, nõ Babyloniorum sed mea præcepta metuentes, salui eritis, id est, nihil vobis accidet mali à Babylonijs.Pro isto verterunt Septuaginta, Cùm reuersus ingemueris,saluus eris. Hic putamus desumptã tritam illam sententiam, In quacunq; hora ingemuerit peccator,omnium iniquitatum eius non recordabor,quę alioqui in tota scriptura non inuenitur.

In silentio & in spe erit fortitudo vestra) Silentium appellat quietem,hoc sensu: Nearripiatis iter istud laboriosum, quiescite & permittite Deo curam de vobis, ipse potest vos paucos contra multos superiores efficere,sperate tantùm & fidite illi. *Et noluistis*) Quod dicitur (noluistis) valdè pro Hieronymo facit, videlicet quòd habuerint speciale mandatum ne irent in Aegyptum, Ego iussi per prophetam meum Ieremiam, ne iretis in Aegyptum, sed remaneretis in solo patriæ vestræ,& noluistis,contempsistis præceptum meum, dixistis, nequaquam manebimus, sed ad equos fugiemus Aegyptiorũ. Hinc patet argumentum Oecolampadij,cuius in principio capitis meminimus, cùm exponeremus illud, & non ex mẽ, esse ideptum.

Ideo fugietis) Est allusio ad verba ipsorũ: Vos dixistis,ad equos fugiemus,Ideo fugietis,id est,verè fugietis,sed à militibus impulsi & profligati. *Et super veloces ascendemus*) Hoc est, vos speratis in equis velocibus, sed multo velocior erit miles, quẽ ego dabo vobis hostem, Chaldæi qui persequentur vos vsq; in Aegyptum,è quorum manibus non poteritis effugere.

Mille homines à facie terroris vnius &c.) Sensus est: Totus vester grex fugiet territus per quinq; tantùm ex hostibus vestris. *Donec relinquamini quasi malus nauis*) Hæc similitudo dupliciter explicatur. Hieronymus autem hoc modo: Quomodo fracta nauis,& compage eius dissoluta, sola arbor quæ dicitur malus,in monte remanet pro signo.Sic pro signo atque vestigio vix vnus aut alter ex vobis remanebit ad Dei potentiã demonstrandam. Quæ expositio, vt melius intelligatur, sciendũ nautis moris esse fracta nauigia erigere malum super montem seu locum maris arenosum, in signum alijs nautis, ne & ipsi in eundem locum impingant, & naufragium patiantur. Quemadmodum ergo constat rarissimas esse huiusmodi arbores in signum erectas super locum excelsum, ita rari vos eritis & pauci. Alij hoc modo exponunt. Quàm raræ arbores sunt in syluis, quæ non inciduntur, sed seruantur in vsum huius, vt inde mali fiant: & rursus, quàm rarę sunt arbores,quæ seruantur, vt sint signum viatoribus, tam eritis vos rari & pauci. Prior expositio magis placet, & iucundè intelligitur à nautis.

P Ropterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur, parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Ierusalem. Plorans,nequaquam plorabis, misereberitur tui. Ad vocem clamoris tui statim vt audierit,respondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem arctum,& aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum,et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum,post tergum monentis. Hic est via ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram neq; ad sinistram.

Propterea expectat Dominus &c.) Pro (Domino) quæ vox bis ponitur hic in Hebræo, est nomen tetragammaton, & refertur hæc Haymo ad superiora, hoc modo: Quia imminent vobis tam grauia mala, ideo Dominus, magnus inquam ille Dominus, cuius nomen est ineffabile, expectat vos, & potentem contrahit manum, vt misereatur vestri, si quando fortè cõuertamini. Quia

dis inquit Hieronymus clementia Dei, vt expectet nostram pœnitentiam. Alij verò referunt ad posteriora, hoc modo: Quia Deus iudicij Dominus est,propterea expectat vt misereatur vestri. Iam difficultas est de contextu: videtur enim istud requirere consequentia textus: Ideo expectat Dominus,vt misereatur vestri, quia Deus misericordiarum est, & non quia Dominus iudicij est.Nam iudicium terret sicut & iustitia. Ad intelligendum ergo hunc locum legite Dominum Iohannem Turnout libro 3. de ecclesiasti. dogmat vbi doctissimè tradit ex scripturis voces has, iudicium & iustitia,interdum rei lętæ vocabula esse, & iudicium facere, complecti præstare promissa,& ita sensus est: Quia Deus, est magnus ille Dominus, qui nihil absq; iudicio facit, qui fidelis est & verax: propterea expectat, iam perderet vos, sed non patitur iudicium eius, non patitur promissio eius & veritas: Vt sit talis sensus qualis est ad Romanos 3. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit, id est, nunquid hoc effecerunt Iudæi sua incredulitate, vt Deus non præstet sua promissa? Absit, est autem Deus verax,sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis &c.

In dictis siue promissis semper inuenietur Deus iustus & verax, etiam si homines iudicent eum interdum fallacem, atq; hoc est quod dicit propheta, Quia Deus iudicij Dominus.

Et ideo exaltabitur &c.) Id est, fides eius in promissis testatior fiet apud omnes, atq; illustrior: hoc enim modo intelligitur magis veritas Dei, dum videlicet non obstantibus etiã enormibus peccatis,pręstat quod promisit,& quia Deus iudicij dominus est, semper implens promissa: propterea beati omnes qui expectant eum, id est, beati qui non abijciunt fiduciam in Deo,propter tumultum bellorum, qui sperant se liberandos freti promissione facta ad Abraham, Isaac & Iacob in nomine Emanuelis, Qui sperant quòd liberabuntur à peccatis & inferno,illi sunt beati. Hoc sensu etiam Abacuc dixit, Veniens veniet & non tardabit, & ideo istus ex fide viuet.

Populus enim Sion habitabit &c.) Quia propheta meminit promissionis & fiduciæ in Christum, pergit iam & facit transitum à typo ad spiritum, quanquam illum hoc loco non agnoscant Iudæi: referunt enim ipsi hæc ad tempora, quando de Babylone in Iudæam reuersus est populus sub Sorobabel & Iesu pontifice. Sed, vt rectè annotat Hieronymus, omnes promissiones quæ excedunt typum, ad Christum pertinent & eius Ecclesiam, secundum quem sensus est: Populus Sion non quidem ille typicus, sed verus,id est Christianus populus quondam captiuus, iam liberatus passione Domini, habitabit in Ierusalem, non quidem in terrena Ierusalem, & typica, sed cælesti, id est, Ecclesia Dei. Transit itaq; propheta à typo ad spiritum,sed ita transit,vt subinde respicere videatur, & alludere ad rem quæ typũ ecclesiæ gerat: Et ideo ad vtrunque flectendus est oculus, & ad typum videlicet & ad rem per typum significatam.

Plorans nequaquam plorabis &c.) Hoc excedit redemptionem sub Cyro factam, vt patet ex Esdra & Neemia, & pertinet ad eos, qui hodie accipiunt in cordibus consolationẽ promissionis in Christo, quibus Spiritussanctus dat testimonium quòd sint filij Dei.

Ad vocem clamoris tui &c.) Hoc ideo dicit propheta,vt si contingat incidere in angustias,si(vt fumus homines)cõtingat peccare,non desperemus,sed clamemus ad Deum,& exaudiet nos.

Et dabit vobis Dominus panem arctũ &c.) Difficultas hic est, quid intelligat per panem arctum & aquam breuem. Videte caput vltimũ. 3. libri Regum, vbi de Michæa Rex Israel precipit ministris suis,mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ. Illum locum cum hoc conferte: Nam ibi sunt eadem verba in Hebræo, quæ hic apud Esaiã, & vtraq; vox Hebræa, quarum alteram interpres hic vertit arctum, & alterã breuem, significat tam affligere & premere angustijs quàm coarctare & constringere, iuxta hæc sensus erit iste: Dabit vobis Dominus panem angustiæ vel tribulationis, siue dabit vobis panem arctè & illiberaliter. Verùm quia valdè inconsequens videtur esse iste intellectus, propterea Hieronymus interpretatur de pane siue de verbo euangelico recapitulante,vt sensus sit: Pro lacinioſa lege dabitur vobis lex charitatis Dei & proximi, quia verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram.

Et non faciet auolare &c.) Hæc non ad typum, sed ad rem significatam pertinere videntur. Doctorem intellige Christum, de quo dicitur in euangelio, Hic est filius meus dilectus,ipsum audite. Item paracletum, item doctorem talem, qualis est Hieronymus,Augustinus, & reliqui qui docent catholicam fidem. Sensus est: Ego aliquando comminatus sum vobis famem verbi Dei, hoc nõ erit,sed ego dabo vobis panem, dabo vobis doctrinam, ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi: verus doctor, qui intelligat & teneat verũ scripturæ sensum, non auolabit à te, sed tecum permanebit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et erunt oculi tui videntes &c.) Sensus est: Doctor ille, quem ego dabo vobis, videlicet spiritus sanctus, familiariter aget vobiscum, videbitis eum, audietis eum dicentem vobis: *Hæc est via, ambulate in ea*) Qui student quotidie emundare conscientiam pectoris: qui nocte dum omnia silent, effundunt corda sua ante Deum, illi experiuntur quod hîc dicitur, illorum Dominus aperit aures, vt audiant ipsum tanquam magistrũ, sicut in Iob scribitur cap. 33.

Et non declinetis neque ad dexterã &c.) Hęc dicit, quia in vtraq; parte in rebus pertinentibus ad salutem, quicquid supra modũ est, in vitio est: non oportet nimium securos esse, neq; nimium diffidere, sed sequi scripturam & Ecclesiam.

ET contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & dispherdes ea sicut immundiciam menstruatæ. Egredere dices ei, Et dabitur pluuia semini tuo, vbicunq; seminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis. Pascetur in possessione tua in die illo agnus spacioſe, & taurꝰ tui, & pulli asinorum qui operantur terram, commixtum migma comedent, sicut in area ventilatum est.

ET contaminabis laminas sculptilium &c.) Sensus est: Idola, quæ nunc pro dijs colitis, ita iudicabis immũda, vt mulieris menstruatæ sordidissimo sanguini compares, & tanquam menstruum semel omnia abijcies.

Egredere dices ei) scilicet idolo. Sensus est: Omnia idola, non solùm lapidea, aurea, & argentea, conflata vel sculpta repudiabis, & à te longe remouebis, verumetiam philosophica, Peripatetica, Stoica, & id genus alia, quæ sunt in anima, vt sunt opiniones falsæ de natura deorum, ex animo depones.

Et dabitur pluuia) scilicet post idola reiecta & longè remota: Nisi enim vitia recesserint, virtutes non subeunt. Pluuiam autem appellat gratiam Sancti spiritus: Semen verò, verbum doctrinæ: Terram, corda hominum: panem, frugem terræ, fructum verarum virtutum, quas anima suscepto semine, id est, verbo euangelij & cœlesti pluuia irrigata profert.

Pascetur in possessione tua &c.) In voce agnus duplex est figura, videlicet enallage siue heterosis numeri, & metaphora. Significat enim homines simplices sine fraude & dolo, mites & innocuos, illi pascentur spacioſe, id est, latissima habebunt pascua in Ecclesia. Idem dicit Saluator apud Ioannem capite 10. Per me si quis introierit saluabitur & egredietur & ingredietur, & pascua inueniet. Vocem autem Hebræam אלה eleph, quam hîc vertit tauros, aliàs ferè vertit boues: Vt Prouerbiorum 14. & psalm. 8. & alijs. Item vocem Hebræam עיר air, quam hîc vertit pullos asinorum, suprà in hoc eodem capite vertit iumenta, Super humeros iumentorum. Significat autem pullum non solùm asini, sed omnium iumentorum, quemadmodum apud Græcos πῶλος, & loquitur propheta de illis tauris siue bobus, de quibus Paulus scriptum illud Deuteronomij, 1.Cor.9.d Non alligabis os boui trituranti, interpretatur, dicens: Nunquid de bobus cura est Deo? Sensus ergo est: Apostoli & apostolici viri, qui operantur & colunt terram, illam nimirum de qua dictum est, Dei agricultura estis,

Commixtum migma comedent) Id est, Apostoli & apostolici viri suauissimè reficientur, videntes ad prædicationem suam conuerti gentium populum, & multos ex Iudæis, quorũ conuersio tam gratus erit ipsis cibus, quàm est iumentis mundum migma, siue migma purgatum à paleis. Migma autem Græca vox est à miscendo dicta, sicut & Hebræa: Nam בלל balal miscere significat: hinc בלל belil, quod vocabulum hoc loco ponitur, & secundum Rabbi Dauid in libro Radicum, significat pabulum quodlibet mixtum, modò non sit palea. Vnde multùm aberrant, qui hoc loco exponunt migma, id est, hordeum pariter cum palea mixtum, quòd eos docere potuerat, vel illud quod sequitur: *Sicut in area ventilatum est*) cuius secundum Hieronymũ sensus est iste: Sic de area comedent, vt fuerit ventilatum, ne quid videlicet in cibo eorum admixtum sit palearum. Migma

ET erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riui currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cùm ecciderint turres. Et erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septemplicitꝛ sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.

ET erunt super omnem montem &c.) Iudæi, vt sunt carnales, ad literam hæc accipiunt hoc sensu: In ipsis montibus, contrà quàm natura comparatum est, erunt fluuij. Et interfectos multos & turres ruentes referunt ad tempora Romani imperij, cùm esset felix & florens: Istud fiet cùm Romani perierint, & eorum potentia fuerit deleta. Sed quia fatuum est hoc commentum, ideo figuratè seu spiritualiter omnia intelligenda sunt: Per montes enim intelliguntur alti in virtutibus: per riuos currentium aquarum, aquæ illæ viuæ, de quibus apud Ioannem capite

capite 4. & 7. per interfectos, impij: per turres, potestates, principes aeris huius. Et quia excedunt typum, ideo ad Christum referenda sunt, hoc sensu: Veniente Christo per omnes montes & colles, id est, apostolos & apostolicos viros, & omnes qui verè esuriunt & sitiunt iustitiam, current aquarum viuentium flumina, & interficientur multi, superbi quiq; & arrogantes, & magni in isto sæculo, non quidem vt non sint, sed vt nõ tales sint quales antè fuerunt: & turres cadent, id est, omnis humana philosophia & omnis altitudo extollens se aduersus scientiã Dei peribit. Istud partim impletum est per Christũ, & partim implebitur in die iudicij: De vtroque enim aduentu loquitur.

Et erit lux lunæ sicut lux solis &c.) Hæc videntur pertinere ad finem mundi. Qui autem hæc referunt ad tempora Syri, confugiunt ad hyperbolen, qualis est suprà cap. 13. Obtenebratus est sol, id est, tanta erit calamitas, vt sol videatur eis obtenebrescere & occidere. Ita è contrario ipsi hîc exponunt. Vide Moysen Aegyptium in libro Perpl. capite 30. Hieronymus verò refert ad diem iudicij, cùm expectatio creaturæ expectans reuelationem filiorum Dei, liberabitur à corruptionis seruitute: Tunc luna solis habebit splendorem, & sol clarius lumen accipiet. *In die qua alligauerit vulnus &c.*) Id est, cùm abstulerit Deus omnem lachrymam, & præscierit omnem corruptionẽ & mortalitatem, cùm nihil erit tristitiæ & miseriarum.

ECce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans. Spiritus eius velut torrens inundans, vsq; ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frenum erroris, quod erat in maxillis populorum.

ECce nomẽ Domini venit de longinquo &c.) Quanquam nonnulli Iudæorum hæc interpretentur, vt pertineant ad Sennacherib & eius exercitum ab angelo percussum, omnino tamen verisimile est prophetam respicere ad diem iudicij: tum quia dicit, de longinquo, id est, longo pòst tempore venire nomen Domini vt perdat gentes: tum quia inducit Tophet, quam gehennam hoc loco ipsi etiam Hebræi interpretãtur. Per nomen Domini, non tam Deus ipse significatur quàm maiestas, potentia & bonitas eius. Sic psalm. 19. Protegat te nomen Dei Iacob. Et quia mentio hîc est furoris & indignationis diuinæ, annotandum est quòd id, quod in nobis est signum passionis, etiã in Deo nomine illius passionis vocatur: Vt punitio, quæ in nobis est signum iræ, furoris, & indignationis, in Deo etiam nomine irę, & furoris appellatur, cùm tamẽ Deus ab huiusmodi passionibus planè immunis sit & liber. Et hoc est quod dicunt interpretes, scripturam quæ Deo tribuit iram, furorẽ & huiusmodi passiones, loqui de Deo ἀνθρωποπαθῶς.

Quomodo Deo attribuantur passiones.

Labia eius repleta sunt indignatione &c.) Istud intelligitur ex capite decimo quinto Matthæi, vbi scribitur quòd Dominus his qui à sinistris erunt dicet, discedite à me maledicti in ignem æternum.

Spiritus eius quasi torrens inundans &c.) Id est, quàm terribile est flumen inundans, tam terribilis est Dei indignatio. Sicut enim flumen suffocat eum, ad cuius collum peruenerit: sic iudiciũ Dei neminem impunitum abire patietur.

Ad perdendas gentes in nihilum &c.) Id est, omnes qui gentilibus cultibus dediti sunt, & vitijs inclinati. Et frenum erroris vocat potestatem dæmonis, qua velut freno ori immisso regebat peccatores ad suam voluntatem & in omnem ducebat errorem. Frenum erroris.

CAnticum erit vobis, sicut vox sanctificatæ solennitatis, & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini, ad fortem Israel. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis deuorantis. Allidet in turbine, & in lapide grandinis.

CAnticum erit vobis &c.) Antithesis est. In die iudicij perdentur omnes, qui iam non student religioni: qui verò hoc faciunt illis contingent omnia: Tunc inquit sanctis, qui meis iussionibus obeditis, erit canticum, *Sicut nox sanctificatæ solennitatis*) Sic enim legendũ est, vt patet ex Hebræo, quanquam exemplaria nostra constanter legunt, vox. Et Lyranꝰ dicit in Hebræo haberi, nox, sed pressoris indiligentia factum est, vt positum sit, vox. Et alludit propheta vel ad noctem de qua Exodi 12. Nox ista est obseruabilis Domini, vel quamuis noctem intelligit, à qua Iudæi festa sua læta auspicabantur. Sed prius est vehementius, & sensus est: Quã læti eratis in exitu de populo barbaro in liberatione de Aegypto, dicentes, in mari rubro submerso Pharaone, cantemus Domino &c. tã læti eritis in hac liberatione, quando omnis mortalitas auferetur, & quidquid tristitiæ materia esse posset. Et secundũ hanc expositionẽ, in sanctificata solennitate antonomasia est, pro solennitate maximè sanctificata. Exod. 12. f Comparatio.

Et lætitia cordis &c.) Sensus est: Tanta tũc erit vobis lætitia, vt imitemini eos, qui ad templum primitiua portantes, & in Dei torcularia deferentes munera, pergunt cum tibijs, cordis gaudia demonstrantes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et auditam faciet Dominus &c.) Id est, notam faciet potentiã vocis suæ. *Allidet in turbine &c.*) Per hæc, quæ nobis terribilia sunt, significat propheta, quòd modo terribili & supplicio horrendo perdet impios Deus.

A voce enim Domini pauebit Assur, virga percussus, & erit transitus virgæ fundatus, quã requiescere faciet Dominus super eum in tympanis, & citharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos. Præparata est enim ab heri Tophet à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulfuris, succendens eam.

A *Voce enim Domini pauebit Assur &c.*) Si in voce, Assur, non agnoscas typũ, tunc figuratè intelligere oportet Diabolum vel quemuis hominem malum. Sicut in Sardanapalo intelligimus mollem & quemuis luxuriosum. Sensus ergo est: A voce Domini pauebit diabolus virga diuinæ sententiæ percussus, similiter & quiuis malus & impius. *Et erit transitus virgæ fundatus*) Sensus est: Nequaquã eum virga percutiet, ac eam rursus leuabit, & more cædentium finem faciet verberandi, sed quasi fundatam & alta radice defixam in pœnis eius faciet permanere. Significatur ego perpetuitas supplicij: Et notandus est hic locus contra Origenem, qui diabolo & damnatis dat pœnitentiam: In tympanis & citharis & in bellis præcipuis siue in bellis memorabilibus expugnabit eos scilicet impios, id est, triumphali quadam pompa hoc faciet, expugnabit videlicet impios, & perpetuis cruciatibus adiudicabit:

Tophet. *Præparata est enim ab heri Tophet*) Id est, gehenna. Sic exponunt tam Hebræi quàm Latini, & propria significatio huius vocis habetur 4. Regum capite 23. vbi scribitur, quòd erat locus in valle filij Ennon, vbi Iudæi filios suos ac filias consecrare solent idolo Moloch per ignem. Ab illo ergo loco sic infami ac contempto infernus nomen accepit, vt dicatur Tophet & Gehenna præparata ab heri, id est, à præterito tempore tam longiuquo quàm propinquo, ac si dicas, iam quidem pridem hoc est præparatum. Vtitur eodem vocabulo Saluator in Euangelio: Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.

A rege præparata est &c.) Id est, ab ipso Deo, qui simpliciter & absolutè Rex est. Hebræi legunt non à rege, sed regi, in datiuo: præponitur enim ei nota datiui casus, & secundum illam lectionem sensus est: Præparata est Tophet ipsi regi, id est, diabolo & angelis eius.

Nutrimenta eius ignis &c.) Hoc dicit propheta, non quòd fomes Gehennę verè ligna sint, sed vt significet ignem illum nunquam extinctum iri, sed semper arsurum, ac perpetuò subijciantur ligna. Et quoniam de camino & fornace ignis ardentis nomen sumpsit, seruat metaphoram, vt flatu & spiritu voluntate Domini hanc succendi dicat, vt acriora faciat tormenta, subijcit, de torrente sulfuris, quod flammas excitat.

CAPVT XXXI.

VAE *qui descendunt in Aegyptum auxilium in equis sperantes: & confidentes fiduciã super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt.*

CAput istud refert Hieronymus ad eosdem, ad quos præcedens caput, nempe ad reliquias captiuitatis Iudææ, vt continuatio prophetiæ capite trigesimo cœptæ: In fine tamen capitis reuertitur ad tempora Sennacherib, & planè ad Sennacherib pertinet finis capitis: vnde & populum ad decem tribus pertinere videtur. Comparatio. sub Ozee auxilia postulantes ab Aegypto contra Assyrios, ab ipsis Assyrijs superati sunt. Vide caput 17. quarti Regum.

Væ qui descendunt in Aegyptum &c.) Loquitur propheta decem tribus, non tam quia auxilium petierint ab exteris, quàm quia hoc fecerint neglecto Deo, spem & fiducia ponentes in rebus quæ absque Deo subsistere non poterant, in equis nimirum, quadrigis & hominibus.

Ipse autem sapiens adduxit malum: & verba sua non abstulit, Et consurget contra domum pessimorum: & contra auxilium operantium iniquitatem, Aegyptus homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non spiritus.

Ipse autem sapiens &c.) Id est, Dominus, cuius sapientiæ non est numerus, adduxit malum super decem tribus, & verba sua, quæ per prophetas locutus est, non abstulit, id est, minas suas vult habere effectum: vnde sequitur: *Et consurget contra domum pessimorum*) id est, consurget contra tribus Israel vitulos aureos adorantẽ, & abiectis fiducia in Aegyptijs sperantem. *Et contra auxilium operantium iniquitatem*) id est, contra Aegyptios auxilium pollicentes decem tribubus, per quod ipsæ in iniquitate confirmantur.

Aegyptus homo & non Deus &c.) Hoc dicit propheta vt abducat decem tribus à hac confidentia. Sensus est: Aduertere debent qualis sit Aegyptus, homo est, id est, fragilis est, & equi eius caro & non spiritus, &

dictus homo qui ponit carnem brachium suum, sicut dicitur Ieremiæ 17. In Deo, qui spiritus est, & non in carne ponenda est fiducia.

Et Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator: & cadet cui præstatur auxilium: simulq; omnes consumentur, quia hæc dicit Dominus ad me, Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, cùm occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion: & super collem eius, Sicut aues volantes, sic proteget Dominus exercitum Ierusalem, protegens & liberans, transiens & saluans.

Et Dominus inclinabit manum &c.) Sensus est: Dominus extendet manum suam ad puniendũ, & corruet auxiliator, scilicet Aegyptus, & Israel cui præstatur auxilium cadet: *Simulq; omnes consumentur*) id est, tam Israel quàm Aegyptij, tam profugæ quàm auxiliatores pariter trucidabuntur. Ita tractabit Dominus decem tribus, sed secus aget cũ populo duarum tribuum, qui non abiecit fiduciam. Vnde sequitur:

Quia hæc dicit Dominus ad me, Quomodo &c.) Sensus: Quemadmodum leo nihil moratur multitudinem pastorũ, si fameat, aut amor catulorum eum trahat, sed conscius virium suarum inuadit gregẽ, nec dimittit propter occurrentes pastores: Ita Deus nihil moratur multitudinem exercitus Sennacherib, descendet vt prælietur non contra Sion, sed super montem Sion contra aduersarios illius, vt illum defendat contra Sennacherib, tantùm sperate in Domino. Diuus Hier. hęc refert ad tempora Cyri, quando soluta captiuitate populus reuersus est in Ierusalem, & cœpit reædificare templum.

Sicut aues volantes, sic &c.) Adhibet propheta aliam comparationem eodem pertinentem hoc sensu: Quomodo aues, vt defendant suos nidos, superuolitãt, & siue serpentem siue hominem viderint, auesq; alias ad pullos suos accedere, oblitæ imbecillitatis suæ rostro pugnant & vnguibus: Sic Dominus protegetur Ierusalem, hoc est, quàm sunt sollicitæ aues pro pullis suis, tam sollicitus est Deus pro vobis, tantùm committite illi curam vestri.

Conuertimini, sicut in profundum recesseratis, filij Israel. In die enim illa abijciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum, & cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non a facie gladij, & iuuenes eius vectigales erunt, & fortitudo eius à terrore transibit, & pauebunt fugientes principes eius, dixit Dominus cuius ignis est Sion, & caminus eius in Ierusalem.

Conuertimini &c.) Hæc est vera sapientia. Sensus est: Sicut omnibus studijs estis auersi à Deo, ita omni studio reuertamini, abijcite idola & adorate Dominum, & adhęrete illi. Hic Hieronymus recedit à sua expositione, & transit ad Sennacherib, sicut & Haymo ipsius abbreuiator.

Et cadet Assur) hoc est, Assyriorum exercitus. *In gladio non viri*) Angelum significat propheta, à quo centũ octoginta milia Assyriorum vna nocte deleta sunt. Quæ historia ex cap. 19. quarti Regum nota est. *Et fugiet*) videlicet Sennacherib territus subita clade sui exercitus. *Iuuenes eius*) id est, fortissimi eius vectigales erunt, primũ Chaldæis, deinde Medis & Persis, qui Chaldæorum regnum expugnauerunt. *Et fortitudo eius*) scilicet Assyrij domini terrore transibit atque præteriet, omnesq; principes eius, qui effugere poterunt, pertimescent. Tradunt Hebræi decem tantùm viros ex tam numeroso exercitu euasisse.

Dixit Dominus cuius ignis est in Sion &c.) Notatio est sacrificij. Sensus est: Dominus cui sacrificia & holocausta offeruntur in Ierusalem, hæc dixit, & facere decreuit. Lege caput 6. Leuitici.

CAPVT XXXII.

ECce *in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt. Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate: sicut riui aquarum in siti: & in vmbra petræ prominentis in terra deserta.*

EXponunt quidam istud caput de Rege Ezechia aut Iosia, & sic omnia interpretantur quasi pertineant ad ciuilem aliquam conditionem, qualis expectatur in Rege publico: Verùm nimis humilis est iste sensus præterquàm quòd parum probabilis apud exercitatum in scripturis. Alij autem referũt ad Christum & eius Ecclesiam, quæ expositio digna est homine docto & verè Christiano, non solùm quòd magnas habeat consolationes conscientiarum, sed etiam quia inprimis conuenit cum reliquis scripturis. Simillimus enim locus est in Psal. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Nam vtrobique regnum Christi proponitur, sed ita, vt aut miscere, aut certè alludere videatur Spiritus sanctus ad historiam alicuius regni, vel Salomonis, vt in Psalmo, vel regni Ezechiæ, vt hoc loco. Sed quæ sunt in Psalm. illo & hoc loco maiora sunt, quàm vt possint conuenire Ezechiæ aut Salomoni. Dicit ergo propheta: Psal. 71. a

Ecce

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecce in iustitia regnabit Rex) Vocabula hęc, iustitia & iudicium, in scripturis sunt mirabiliter & variè obuia, & de rebus quas non docet nos nostra ratio, aut philosophia Aristotelis, vel Platonis, sed sola fides: & sunt in maximis delitijs habenda, vtpote ex quibus petenda est consolatio cõscientię. Quorum nominum exactam expositionem legite apud dominum Turnout in lib. de cap. & redemp. generis humani, & lib. de eccl. dog. Est autem iudicium actus mentis decernentis, quod iustum est: Iustitia verò est rectitudo voluntatis agentis conformiter iudicio mentis. Et quia Deus ab æterno decreuit, & à lapso homine promisit dare gratiam & misericordiam: idcirco in sacris literis vocabula hæc, dum Deo tribuuntur, frequenter sic accipiuntur, vt iucundæ rei nomina sint, & complectãtur quicquid misericorditer Deus facere decreuit, & promisit erga humanũ genus propter Christum. Sensus ergo huius, In iustitia regnabit Rex, est ille quem suprà dedimus, exponentes illud capitis 11. Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: Cuius sensus est: Pauperes, id est, homines vsuris peccatorum oppressos & agnoscentes miseriam suam iudicabit Deus iustitia non quidem reddendo eis quod facta eorum merentur, sed quod iustitia sua, id est, veritas & misericordia eius requirit, id est, absoluet eos à peccato & calumniatore Diabolo in sua iustitia.

Iudicium. Iustitia.

Et principes in iudicio præerunt) Sensus est: Populus Christianus habebit principes non quales erant Pharisæi, sed veros principes, discernentes verum cultum à falso, verã doctrinam à falsa.

Et erit vir sicut qui absconditur &c.) Notis his similitudinib⁹ exprimit Propheta talem animi fiduciam erga Deum, qualem expressit cap. 12. & quam experiuntur veri filij Dei, qui gaudent in beneficijs Dei & mysterijs Christi, & ei⁹ meritis. Sensus ergo est: Quàm suauiter acquiescit is, qui est sub tecto tempore tempestatis, tam suauiter acquiescet spiritus hominis verè Christiani in Christo, nõ etiam obstantibus omnibus malis, peccato, diabolo, inferno, morte, & alijs quæ nobis alioqui terrori esse possunt in hoc sæculo. Addit propheta & aliam similitudinem dicens:

Comparatio.

Sicut riui aquarum in siti &c.) Sensus est: Qui verè Christianus est, gaudens in Christo, & studens pro sua virili se retinere in vera Ecclesia & doctrina Christi, tale quid patietur in affectibus, quale patiuntur viatores, qui longo itinere defatigati nanciscuntur fontem, quo sitim leuant & restinguũt: aut petram eminentem, sub qua captent vmbram sole ardente. Quod ergo sunt riui aquarum viatori sitienti, aut vmbra petræ ver

Alia comparatio.

sanți in campo sole ardente, hoc est Christo homini verè Christiano, maximè dum cogitat, in quo malo sit malus Christianus, dum cogitat, quas tempestates patiuntur Iudæi, hæretici, & infideles, & recipit se in Christum per quem agnoscit se ab omnibus his liberatum.

NOn caligabunt oculi videntium: & aures audientium diligenter auscultabunt: & cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè. Non vocabitur vltra is qui insipiens est, princeps, nec fraudulentus appellabitur maior.

NOn caligabunt oculi videntium &c.) Si velis hoc de regno Ezechiæ exponere, senties frigus, maximè cùm peruenieris ad illa verba, Lingua balborum velociter loquetur, quod non potest conuenire illi tempori. Confer hunc locum cum illo, qui est capite 29. vbi dicitur: Et audient surdi verba libri &c. ibi est verus sensus hui⁹ loci, digito spiritu prophetico.

Non vocabitur vltra &c.) Hæc mirabilia fortia sunt si intelligantur de regno Christi. Sensus est: Nabal aliquis, & talis stultus, qualis fermo est Matth. 23. Stulti & cæci, quid maius est, aurum an templum? &c. Item stultus & insipiens, qui sic viuit, quasi non sit Deus, & qui audet fingere ex suo capite noua circa cultũ Dei, quales sunt hodie hæretici: Huiusmodi stulti ait Esaias, non debebuntur magni in regno Christi: Pharisæi hactenus fuerunt habiti magni, possent esse erunt. Vox Hebræa Nabal, quam nostri interpres nunc insipientem, nunc stultum vertit, significat non simpliciter stultum, sed talem in quo stultitia cum impietate coniuncta est. Sic sanè capitur Deut. 32. Hæc reddis Domino populo stulte & insipiens. Et infrà, In gente stulta irritabo eos. Et primo 14. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Item 2. Reg. 13. vbi soror Samonis ad Ammon loquitur, & erit vnus de stultis. Et Iob. 2. Quasi vna de stultis es. Omnibus his locis in Hebræo cuta es. Omnibus his locis in Hebræo est bal. Alia autem vox, quam interpres vertit, princeps, propriè significat voluntarium & liberalem, quomodo apud Terentium in Andria dicitur, Pro eo quòd facit bas liberaliter. Ab hac significatione ducitur ad significandum magnates, quos imprimis decet liberalitas. Sic psal. 118. Melius est sperare in Dominum, quàm sperare in principibus. Psal. 112. Vt collocet eum cum principibus populi sui. Et in illo loco psalmi, Spiritu principali confirma me. Quibus locis in Hebræo est eadem vox quæ hic ponitur, videlicet נדיב nadib. Sensus ergo prophetæ est iste: Qui falsa

opinione hactenus magni habiti sunt, quales erant Scribæ & Pharisæi & Deuterotæ, desinent tales haberi: vt eò pertineat, quòd illud quod habetur cap. 29. Peribit sapientia à sapientibus, quod de Pharisæis maximè intelligitur: In Pharisæos etiam maximè competunt quæ sequuntur.

STultus enim fatua loquetur: & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem: & loquatur ad Dominum fraudulenter: & vacuam faciat animam esurientis: & potum sitientis auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt, Ipse enim cogitationes concinnauit, ad perdendos mites, in sermone mendacij, cùm loqueretur pauper iudicium. Princeps verò ea quæ digna sunt principe cogitabit, & ipse super duces stabit.

STultus enim futura loquetur) Pharisæus frigidos cultus pro veris cultibus adseret, & pro vera doctrina Pharisaicas traditiones: *Et cor eius faciet iniquitatem &c.*) Istud peculiariter comperit in Pharisæos hypocritas. Sẽsus est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me: *Et vacuam faciet animam esurientis*) hoc in eis reprehendit Saluator apud Mathæum, Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, ipsi enim non intratis, nec alios sinitis introire: sic faciebant animam esurientis inanem. Neque solùm ad Pharisæos hæc pertinent, sed etiam ad omnes, qui relicta Catholica Ecclesia, in qua regnauit Augustinus, Hieronymus & cæteri patres, confingunt nouas doctrinas, qualis est Philippus, Buce. Cal. & cæteri hæretici. Rursus & ad eos: qui videntes pulcherrimam Ecclesiæ societatem, quæ hactenus durauit, nolunt relinquere Ecclesiam, sed quia sunt indiligentes, & non dant diligenter operam scripturæ, sit vt frigidè concionentur in pagis & oppidis, & ridicula sæpe, pleraque, qui non didicerunt beneficia & merita Christi, & virtutem fidei, quæ omnia si diligenter explicarentur, non ita amarent homines pecuniã & libidinem, & longè maiori fiducia resurgerent à peccatis, ad hos etiã pertinet hęc scriptura. Tales sunt de quibus Paulus ait ad Timotheum: Qui penetrant domos vniuersas, & captiuas ducunt mulierculas.

Fraudulenti vasa pessima sunt &c.) Vasa Hebraico more dixit pro armis & instrumentis, & intelligitur locus iste facile ex Euangelio Ioannis, vbi ad Nicodemum aiunt Pharisæi: Scrutare scripturas, quia à Galilæa propheta non surgit. Et ad eos, qui dixerant, Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur, nunquis autem ex principibus credidit in eum? Sic concinnabant conciones ad perdendos mites, hoc est, ad abducendos homines à Christo in sermone mendacij. Tales etiam erant, de quibus loquitur Paulus ad Rom. vlt. Rogo vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam accepistis, faciunt, & per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentum, id est, sriuolis quibusdam rebus promittunt hominibus regnum cœlorum. Maximè autem in Pharisæos competit, quod sequitur:

Cùm loqueretur pauper iudicium) Hoc est, cùm rem ipsam & saluberrimam doctrinam adferet Christus, ipsi Pharisæi falsam adferent, ridicula proponent, & conciones suas mirè concinnabunt ad perdendos mites & innocentes. Confer cum hoc loco illum, qui est capite 29. huius prophetæ, Arguentẽ in porta supplantabant. Et cum illo, qui est psal. 87. Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. Secundum hanc expositionem, in paupere antonomosia est, pro insigni illo paupere, qui est Christus. Potest etiam in paupere esse enallage siue heterosis numeri, vt pauper accipiatur pusillus ille grex à Christo electus, de quo Apostolus in priori epistola ad Corinth. Nonne quæ stulta sunt mundi & contemptibilia elegit Deus? 1. Cor. 1.

Princeps verò ea quæ &c.) Antithesis est. Cùm hæc illi cogitabunt, cùm stulti stulta proferent, tũc princeps quę digna sunt principe cogitabit. Princeps, id est, ingenuus, qualis erat Paulus, Augustinus, aut similis, cogitabit ea quæ digna sunt, id est, ingenua & principalia, id est, ea quæ ad veram doctrinam pertinent, non declinabit neque ad dextram, neque ad sinistram: *Et ipse super duces stabit*) Ad verbum in Hebræo est, super principalia stabit, hoc est, incumbet toto animo veræ & ingenuæ doctrinæ. Est enim hoc loco eadem vox, quam mox quinque verbis transtulit, dicens: *Ea quæ digna sunt principe.*

MVlieres opulentæ surgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum. Post dies & annum, & vos conturbabimini confidentes. Consummata est enim vindemia, collectio vltra non veniet. Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos, & confundimini, accingite lumbos vestros. Super vbera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili.

MVlieres opulentæ surgite &c.) Hic malæ rei prophetia est. Hieronymus autem per mulieres intelligit maiores vrbes Iudeæ, quod placet studiosis Hebraismi: Vel synagogas vel matronas diuites illi⁹ populi, vt sit talis sensus: Filiæ Ierusalẽ nolite flere super

Universidad de Deusto
Biblioteca

me, sed super vosmetipsas flete, & super filios vestros. Per filias intelligit easdem matronas vel ciuitates minores, quod frequens est in Iosue, & in præcedentib⁹ de hac phrasi dictum est. *Confidentes*) vox est ambiguæ significationis tam enim in bonum quàm in malum in scripturis accipitur. Hic autem in malum accipi videtur, hoc sensu: Quæ confiditis in rebus vanis.

Post dies enim & annum &c.) Hocantè dixit propheta, in modico & breui. Sensus est. Futurum est, vt breui conturbemini. *Consummata est enim vindemia*) Id est, defecit vindemia. Commentarius Hieronymi in hunc locum sic habet: Post vltimam vastitatem, quæ sub Vespasiano & Tito Adrianoque accidet, non erit alia, sed semel euertetur vrbs vestra, vt non sit expectanda alia captiuitas, omnes auferentur, nec remanebũt botri in vinea populis, qui deinceps colligendi sint. Vnde prouocantur ad planctum, & iubẽtur nudare pectora, & accingere lumbos suos, eò quòd regio quondam desiderabilis, & vinea fertilis, de qua scriptũ est Hiere. 2. Ego plãtaui te vineam fructiferam &c. Romano vastante deleta sit.

Exuite vos & confundimini &c.) Istud vult dicere propheta: Est satis causæ cur paretis vos ad pœnitentiam & fletum. *Super vbera plangite*) Vbera per metonymiam dixit pro
Matth. 14. b filijs. Pertinet hoc ad eas, quæ pariebant, de
Marci 13. c. quibus Saluator in Euangelio: Væ prægnantibus in illis diebus.

SVper humum populi mei spinæ & vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis. Domus enim dimissa est, multitudo vrbis relicta est, tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas, vsque in æternum. Gaudium onagrorum, pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso.

SVper humum populi mei, &c.) Sensus est: Terram Iudæam quæ repromissionis terra est, spinæ replebunt & vepres (per quod significatur maxima vastitas & solitudo) quanto magis alias ciuitates, quę plenæ sunt
Luc. 6. d. gaudio, & quæ illud Euangelij consequentur, Væ vobis qui ridetis nunc quoniam plorabitis.

Domus enim dimissa est &c.) Exponit propheta quod mox dixerat, Super humum populi mei. Istud idem Saluator in Euangelio prædicit: Relinquetur inquit domus vestra deserta. *Tenebræ & palpatio factæ &c.*) Sensus est: Quæ sunt sanctissima in Ierusalem, vt adyta templi, palpabiles tenebræ possidebunt, & redigentur in speluncas. Qui hodie vertunt ex Hebræo, hoc modo transferunt, Arx & munitio fuerunt siue redactæ sunt in spelũcas. Hebræi autem pro tenebris & palpatione habẽt אפל opel & בחר, bachan, quas duas turres in Ierusalem fuisse arbitrantur excelsas atque firmissimas, quæ his appellatur nominibus. Quarum vna videlicet quam interpretatur tenebræ siue nubilum, quod vsque ad nubes erigeret caput. Altera vero bachan probamentum & firmitas, hoc est (vt Symmachus vertit) inquisitio, eò quòd in contemplando culmine eius oculi fallerentur.

Gaudia onagrorum &c.) Sensus est: Pascua Iacobi 2. d.
quæ hactenus gregum fuerunt, postea
runt onagrorum pascua, in quibus videlicet
oblectent sese onagri. In onagris videtur
esse hyperbole, vt significetur maxima vas
tas: aut figuratè capi, vt significet feros ho
mines & Dei notitiam non habentes, id est,
Gentiles. Sic Hie. & vtrunque probabile.

Donec effundatur &c.) Sensus est: Dura
ra est hæc vastitas, seu verius relictio syna
gę, donec ex carnali fiat spiritualis: cum
per nos effusus fuerit spiritus sanctus,
restituetur Ierusalem, non quidem illa
na, sed vera Ierusalem, id est, Ecclesia Dei.

ET erit desertum in Charmel & Charmel saltum reputabitur: & habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charmel sedebit. Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

ET erit desertum in Charmel &c.) Ex
loco patet, quid capite. 29. propheta
gnificauerit per Libanum: Nam quòd
ratè ibi Libanum dixit, hîc desertum
etiam figuratè, sed non tam remotè. Et
mox vertit solitudinem, dicens: Habitabit
solitudine iudicium, in Hebræo idem
est, quod hic vertit desertũ. Significat
propheta, quòd solitudo Gentium ver
in diuitias Israel, & quòd Israel repu
in Gentes id est, quòd gentiles acci
ram doctrinam, & Iudæos vera doctri
stituet.

Et habitabit in solitudine iudicium &c.)
nomina, iudiciũ & iustitia, hîc homi
tribuuntur, in principio verò capitis
tia Deo tribuitur. Quomodo autem
hæc tribuat hominibus, inquirat stud
Imprimis hoc constat, ipsum non loq
iustitia ciuili, qualis est apud philoso
morales, sed loquitur de iustitia scrip
rum, quæ cùm duplex sit (Altera aut
quæ est sine operum meritis, qua vid
ex impijs iusti efficimur: Altera verò
quæ est iustitia vitæ, qua nimirum fid
iustificati præstamus opera recta) inq
dum est num propheta de vtrauis loqu
an de altera tantùm: & quidem poster
stitia, quæ operum est, videtur hîc
iustitiæ intelligenda, propter (iudicium

additum. Significat itaque propheta fore vt in ecclesia sint pij, qui discernant inter opera verè bona & falsa, & bona amplectantur repudiatis falsis: Hoc enim dabitur Ecclesiæ, vt sciat quibus rebus verè colatur Deus, nimirum fide, spe & charitate, oratione & sacrificio, & cæteris. Duplicem hãc iustitiam, fidei nimirum & operum, cùm agnoscunt nobiscum & Lutherani, videndum est an eodem modo de ea sentiant. Catholici autem Apostolum Iacobum secuti dicunt quòd Abraham consequutus sit aliquam iustitiã ex operibus & operum meritis, similiter & Raab, verùm non eam de qua Paulus in epi-
stola ad Ro. qua ex impio quis efficitur iu-
stus, sed qua ex iusto fit magis iustus. Iustificari ergo apud Iacobũm, est in iustitia per fidem accepta magis ac magis proficere. Vocatur hæc secunda iustitia, quæ operum est, à Lutheranis obedientia inchoata, præterea spiritualis & noua vita, & fatentur necessariã esse, nec sufficere Iustitiam fidei, eam mereri etiam corporalia & spiritualia bona post hanc vitam. Itaque paulò modestius iam loquuntur quàm ante viginti annos, quando dogmatizabant omnino damnabilia esse iustorum opera: Iam aliud docent, sed nondum sic docent quomodo Catholici, Aug. Hieron. & cæteri. Negant enim ipsi propter hanc operum iustitiam dari vitam æternam, quæ secundum ipsos eo modo contingit, quo prima iustitia id est, gratis absque vllis operum meritis: Cuius contrarium constanter tenet & docet Ecclesia. Dissentiunt præterea adhuc in alijs quibusdam, verùm quia hæc non pertinent ad hunc locum supersedemus: Nam hoc loco id tantùm docetur, quòd opera, quæ præstantur à iustificatis, sunt veri nominis iustitia siue opera iustitiæ propriè dictæ.

Et erit opus iustitiæ pax) Opus iustitiæ de qua dixit, erit pax, id est, si quis fuerit verè & bona fide obediens legi & mandatis Dei, postquàm iustitiam consequutus est ex operib⁹ iustitiæ, pacem consequetur, pacem inquam non ciuilem istam, sed illam quæ exuperat omnem sensum, quæ est conscientiæ ac spiritus. Peccata, vt ex scripturis constat, diuidunt inter Deum & hominem: quare sublatis peccatis, redit pax & concordia spirirus cum Deo. Itaque pax effectus est primę iustitiæ: est nihilominus etiam effectus secũdæ iustitiæ, id est, iustitiæ operum, quemadmodum hoc loco dicit Esaias. Sicut enim ex operibus auctior fit iustitia: ita ex operibus iustitię pax magis ac magis persicitur.

Et cultus iustitiæ silentium) Eandem hæc verba sententiam habent, quàm præcedentia. Sensus est: Eiusdem iustitiæ nimirum operum effectus erit silentium siue quies. Sic enim alibi eandem vocem vertit Hieronymus. Vox autem Hebræa, quam noster interpres cultum vertit, ambigua est ad cultũ & ad opus quoduis: Vnde Hieron. 2. cap. Exodi, opera vertit, dicens: Ascendit clamor eorum ab operibus. Quare & hoc loco vertere potuisset, Et opus iustitiæ silentium, id est, si quis fuerit obediens legi & præstiterit opera iustitiæ, spiritus ipsius valde suauiter requiesceret in Christo:

Et securitas vsque in sempiternum) Id est, magna aliqua fiducia erit effectus huius iustitiæ. Excutiat hîc studiosus, quatenus ingenui istide quibus loquitur propheta, hoc est, qui ex animo obediunt legi, acquiescere possent in memoria vitæ bene actæ. Dicunt Lutherani nõ licere opera nostra opponere iudicio Dei, quod neque catholici dicunt, quia nouo modo hoc dictum est, & sonat ne scio quid superbum: Verùm dicunt catholici hominem Christianum magno animo esse posse, & propter opera iustitiæ sperare mercedem & coronam, id est, vitã æternam.

Et sedebit populus meus &c.) Omnium iudicio etiam Ethnicorum pulcherrima res est, sibi bene conscium esse & animum habere pacatum: Verùm hoc illis solis contingit, qui secundum verbum Dei student quotidie expurgare conscientias suas. Locus iste imprimis consolatorius, sed monendus est lector, ne statua: illam securitatem de remissione peccatorum propter Christum quam Lutherani, ita quòd excludat omnem metũ de venia consecuta: Non enim certi esse possumus, quam diu agimus in hac mortali vita, de vera & perfecta cordis conuersione ad Deum quæ in iustificatione est necessaria. Securitas autẽ hæc de qua loquitur propheta, non statim adest post conuersionem, sed post multos annos in obedientia trãsactos, sed nunquam tanta est vt simus sine omni metu, quia etiam Augustinus, qui tot annis iã sanctè vixerat, sollicitus erat, cùm iam esset moriturus.

GRando autem in descensione saltus, & humilitate humiliabitur ciuitas, Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.

GRando autem in descensione saltus) Est antithesis, hoc sensu: Securitas hæc magna, de qua hactenus locuti sumus, continget in Ecclesia Dei: E regione in saltu id est, apud eos qui non recipiunt Christum in propria venientem, erit vindicta & ira Dei. *Et humi-* Per grandinem, tonitrum & similia in scripturis Dei ira significari.
liate humiliabitur ciuitas) hoc est, vehementissimè humiliabitur ciuitas id est synagoga Iudaica. Grando significationem habet irę diuinę, quod est frequẽs scripturę vt per grandinẽ tonitru & similia, Dei irã indicet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Additur iam epiphonema totius negotij suauissumum & sensu plenum: Quia ego dixi tam magnifica & insignia de promissis dandis in ecclesia Christi: idcirco

Beati qui seminatis super omnes aquas) Qui retinere hîc cupiunt literam, accipiunt istud quasi sit notatio maximæ vbertatis, ita vt possint mitti boues & asini in ipsa frumenta. Sed secundum verum sensum apostrophe est ad Apostolos & doctores Euangelij, ad Paulum, Franciscum, Dominicum & similes. Beati estis ò vos Apostoli, cæteriquè doctores, qui seminatis verbum Euangelij super omnes aquas id est, populos immittentes pedem bouis & asini id est, mittentes boues & asinos, id est, prædicatores in agrum Dominicum.

CAPVT XXXIII.

VAE qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cùm consummaueris depræda-tionẽ, deprædaberis. Cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris.

ESaias, vt ex præcedentibus patet, & maximè ex tractatu qui cœpit capite septimo, serè vbi prophetat de Christo & eius regno, miscet historiam rei temporalis, & ita miscet vt difficile sit iudicare, vbi tantùm de re gesta & temporali loquatur, & vbi tantùm de spirituali. In hoc capite, si quis voluerit seruare historiam, non facile reperiet exitum: rursus qui perpetuo tenore voluerit exponere caput hoc, de rebus pertinentibus ad Christum & eius ecclesiam, etiam difficulter inueniet exitum. In superiori autem cap. obscurius allusit propheta ad regnũ Ezechiæ, nimirum in mentione Regis duntaxat: In hoc verò capite apertius alludit, in mentione videlicet deprædatoris & angeli, dicens: A voce angeli fugerũt populi: quod videtur pertinere ad exercitum Sennacherib per angelum extinctum: sicut & alia quędam, vt illa, Concipietis ardorem &c. Verùm non ita certò pertinent ad Sennacherib, vt non possis dubitare. Dicit ergo propheta

Væ qui prædaris &c.) id est, Tu Sennacherib quia omnia misces deprædationibus in regno Ierusalem, paulò pòst & ipse deprædaberis extincto exercitu tuo diuinitus per Angelũ: Sennacherib, vt ex libris Regũ constat, deprædabatur totam Iudæam, primùm decem tribus, deinde duas reliquas, præter Ierusalem.

Et qui spernis &c.) Istud ad contemptum Dei pertinet. Sensus est: Qui spernis tam Deum quàm homines, & ipse sperneris scilicet à filijs tuis: Ab illis enim occisus est. Verba hæc facilia sunt quãdo cõstat de quo sit sermo: siue sit sermo de Sennacherib, vt exponunt qui retinent literam tam nostri quàm Iudæi, siue sit sermo de diabolo, vt Hieronymus pretatur. Non enim verisimile est pronomen (qui) indefinitè poni pro, quicunque.

DOmine miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. A voce angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersæ sunt gẽtes, Et congregabũtur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cùm fossæ plenæ fuerint de eo. Magnificatus est Dominus quoniam habitauit in excelso.

DOmine miserere nostri) Verba hæc sunt prophetæ inuocantis Dei auxilium in illo periculo, Ecce Sennacherib parat aduersus nos obsidionem, tu Domine miserere nobis. *Te enim expectauimus*) id est, in tua spe rauimus auxilio. Verbũ hoc, expectauimus significat expectationem cum spe contectam & spem cum assiduitate, quasi dicens propheta: Expectauimus auxilium tuum, nõ desinimus sperare. Brachiũ noto scripturarũ more pro fortitudine ponitur. Quod aũt additur (in mane) Hebraismus est, nam latinè diceremus, maturè siue tempestiuè. Sicut in Psalmo, In matutino interficiebã omnes peccatores terræ, id est, in regno meo mane & omni mora ablata omnes impios interficiebã. Et alibi: Dominabuntur eorũ in matutino, id est, maturè, breui erit quod dominabuntur eis. Vbi nos habemus, brachium nostrum, Hebræi habent, brachia eorũ, & hoc modo legit etiam Hie. in Psalmo qui adiunctus est commẽtarijs: Tunc extenditur ad hostes, hoc sensu, Esto brachium eorum, id est, preme eos & contere.

A voce angeli fugerũt populi) Videtur propheta de illo angelo loqui, qui percussit nocte 185. milia in exercitu Sennacherib. Ita sensus est: Populi ab angelo percussore, & si fugerũt, attoniti ad tantum miraculum.

Et ab exaltatione tua &c.) Apostrophe est ad Deum. Sensus est, gentes istæ quæ obsidionem parabant aduersus Ierusalem, fugerũt, dum tu exeris vires tuas: Hoc significat. Ab exaltatione tua. In hac significatione propemodum inuenitur exaltare in scripturis prophetis, in psalmis. Pro angelo, in Hebræo est המון hamon, & putant Hebræi, quemadmodum in cõmentarijs refert Hie. hoc loco nomen esse proprię qualitatis, id est, Gabrielis quo significant duo habere nomina: Et alterum est quod hoc loco ponitur, habere etymologiam populi. Deduci autem potest vox Hebræa המון hamon à radice המה quæ est, sonare, tumultũ & strepitũ facere, quia tumultum significat, & sic vertit Hie. Amos. Deduci etiã potest, ab המה hamah, id est multiplicare & augere, vnde

Bruchus.

mon multitudo est, atque hoc modo vertit Hieron. capite quinto huius prophetæ, dicens: Et multitudo eius siti exaruit. Eodẽ loco etiã vertit populum, ibi: Et descẽdent fortes eius, & populus eius. Eadem vox ponitur cap. 13. vbi etiam per multitudinem vertit, dicens: Vox multitudinis in montibus. Et Genesis. 17. Et eris in patrem multitudinis gentiũ, siue vt nos habemus, multarum gẽtium. Quare mirum est Hie. hoc loco vertisse angelum, cùm nulla sit in voce huius rei significatio, nisi simpliciter secutus sit traditionem Hebræorũ, quibus sine certis argumentis credere, puerile est: Symmachus aũt reliquit vocem Hebręam non versam, dicẽs: A voce hamon fugerunt populi. Reliqui vertunt, A voce nũcij vel multitudinis fugerũt populi. Si ergo legamus à voce multitudinis, sensus erit, quòd populus Iudaicus fuga salutem sibi quęsierit ad tantam multitudinẽ hominum & militum Sennacherib exterritus, tunc quod sequitur: Ab exaltatione tua &c. aduersatiuè accipiendũ est, hoc sensu: Sed dũ tu domine Deus exeris vires tuas, etiam gentes quæ venerunt cum Sennacherib territæ sunt & dispersæ, ad quarum multitudinem ipsi Iudæi primùm fugiebant.

Et congregabuntur spolia &c.) Similitudo hæc valdè iucundè ab ijs agnoscitur, qui habitant in partibus orientalibus, à nobis aũt non item, qui ignoramus quomodo colligatur bruchus. Est aũt bruchus genus vermis, diuersum à genere locustarũ, non multùm tamẽ dissimile, maximam calamitatem adferens frugibus, vnde & nomen accepit. Dicitur enim bruchus à βρόχω, id est, comedo: Nascitur autem tãta multitudine in partibus orientalibus, vt cogantur exire rustici & colligere, eò quòd omnia vastẽt, collectos verò in foueis reponunt ac vendunt. Est itaque sensus: Quanta multitudine rusticus populus colligit bruchos, tanta multitudine colligentur spolia militum Sennacherib. *Magnificatus est Dominus &c.*) Etiam istud pertinet ad exercitum Sẽnacherib, hoc sensu: Dominus in exercitu isto per angelũ cæso valde ac mirabiliter magnificatus est, quoniam ipse est habitator excelsorum, ac si dicat propheta: Nõ est mirũ quòd magnificatus sit dominus, quoniã habitator est excelsorũ.

IMpleuit Sion iudicio & iustitia: & erit fides in temporibus tuis, Diuitiæ salutis sapientia, & scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius, Ecce videntes clamabunt foris: angeli pacis amarè flebunt. Dissipatæ sunt viæ: cessauit transiens per semitam: irritum factum est pactũ: proiecit ciuitates: non reputauit homines, Luxit, & elanguit terra, confusus est libanus, & obsurduit. Et factus est Saron sicut desertum: & concussa est Basan, & Carmelus.

IMpleuit Sion iudicio &c.) Hic videtur esse transitus. Si retinere velis literam, sensus erit iste: Dedit eis Regẽ, qui rectè constitueret iudicia publica. Verùm si cętera scripturę loca inspiciantur, dubium non est, quin ad Christum istud pertineat, maximè cùm præcedẽti capite & cap. 29. dixerit propheta terrenam Ierusalem iustitia & iudicio destituẽdã. Sensus ergo est. Impleuit Dominus Sion, id est, Ierusalem, non quidem illam Iudaicã, sed veram, id est, Ecclesiam, cuius terrena Ierusalem typus fuit. Iudicium & iustitiam intellige quo modo in præcedẽti cap. vbi dicitur: Habitabit in solitudine iudicium &c.

Et erit fides in temporibus tuis) Vox fidei quando Deo tribuitur, vel Christo, non ita accipitur quomodo apud Paulum in epistola ad Rom. sed planè quomodo Stoici accipiunt, nimirum pro virtute, qua id fit quod dicitur. Sensus ergo est: Eo tẽpore cùm Christus veniet, præstabitur reuera quicquid Abrahæ vnquam promissum est. Potest etiam non incongruè fides hoc loco accipi, vt homini tribuatur, vt ea intelligatur, de qua frequens adeo mentio est Paulo in epistola ad Romanos, vt sensus sit: Eo tempore non dubitabitur, sed erit vera ac firma fides. Quod aũt ad lectionem attinet, nonnulla exẽplaria habẽt (suis) sed corrupte: Nam in Hebręo est (tuis) Item (tuis) est in exemplaribus correctioribꝰ: Et Haymo vtranq; lectionẽ refert & interpretatur, sed prę ferre videtur, tuis.

Diuitiæ salutis sapientia &c.) Hebraico more dictum est. Latinè autẽ diceremus: Diuitię salutares sunt sapientia & scientia, id est, erit aliquando ille status inter homines, vt vulgares diuitię non habeantur diuitię, sed verę diuitiæ positæ erunt in sapientia & scięti a & in timore Domini, qui thesaurus sapientiæ est, siue in quo timore thesauri sapientiæ continentur.

Ecce videntes clamabunt &c.) Redit propheta rursus ad historiã. Exactè autẽ dicere, qui sunt hoc loco videntes, difficile est, eò quòd nõ habemus similia loca in scripturis. Siquidẽ vox Hebræa, quæ hic ponitur, rarissima inuentu est, & nusquam in tota scriptura præter quàm hoc loco (quod sciam) ponitur. Hanc Hebæi tempore Hier. angelos vertebant, & interpretatur Hier. angelos hoc loco præsides tẽpli Salomonis. Hebræi aũt nostri interpretantur nuncios & legatos ab Ezechia missos, quales erant Eleachim & Sobna. Diuus Thomas verò videntes indefinitè accipit, hoc sensu: Quicunq; videbunt talẽ multitudinẽ quę venit cum Sẽnacherib &c. Haymo videntes antonomaticè accipit pro Apostolis. Lyra videntes speculatores interpretatur. Dio. Charth. angelos sanctos intelligit. Aquila. Sym. Theod. vocem Hebræã in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

terpretantur,apparebo eis, extremam in ea syllabam diuidẽtes,quod similiter facit Rabbi Adon.& Ioseph Rimhi exponens, ostendam eis,id est, Israelitis scilicet afflictiones, vt clament foris.Porro in scripturis frequenter eadem res duobus nominibus exprimitur,atq; ita ex angelis, siue legatis pacis,qui noto scripturarum more angeli dicuntur,intelligim⁹ prius, videlicet qui sint videntes. Huic accedit quòd clamare per synonymiã respondet verbo flebunt: Nam vox hæc quę in Hebræo ponitur videlicet צעק tsaak, significat non simpliciter clamare,sed calamitatis vocem edere,quomodo clamamus malis pressi. Sensus itaque est:Insignes legati mittentur,sed (proh dolor)redibunt tristes, dicentes non esse speciem vllam pacis aut salutis.

Dissipatæ sunt viæ &c.) Ista per imitationem accipi possunt,vt videlicet referat propheta verba legatorũ narrantiũ quæ viderãt apud hostilem exercitum. Sensus est: Omnia itinera deserta siue desolata sunt,nusquã videtur viator,pacta quæ Sennacherib inierat cũ Ezechia facta sunt irrita.Historia refertur in.4.li.Reg.*Luxit & elanguit terra*)Id est, destructa est,& desolata terra Iuda:*Confusus est libanus &c.*)De libano superius aliquoties dictum est: Saron aũt omnis iuxta Ioppẽ Liddamq; appellatur regio,in qua latissimi fertilesq; campi tenduntur. Basan quoque trans Iordanem regio est,quam duæ & dimidia tribus possederunt. De Carmelo etiam in præcedentibus dictum est. Videtur autẽ propheta quatuor Iudææ terminos & loca quondam fertilia studio ob oculos posuisse, vt ex his sic afflictis, æstimari totius regni summa posit.Nam horum quatuor locorũ vnus ad Orientem situs est, vnus ad Occidẽtem,vnus item ad Meridiem, & vnus ad Septentrionem,ac si dixisset propheta: Totum regnum Iuda afflictum est, siue ad Orientẽ spectes,siue ad Occidentẽ,siue ad Meridiem oculos flectas,siue ad Septentrionem respicias. Et hucusq; verba prophetæ per mimesin siue imitationem accipiẽda sunt: Quod si nõ placet vt mimesin habeãt,accipe vt sint verba ꝓphetæ reddentis causam illius quod dixerat:Ecce videntes clamabunt foris.

Saron.

Basan.

NVne consurgã dicit Dominus:nunc exaltabor,nunc subleuabor, concipietis ardorem,& parietis stipulam,spiritus vester vt ignis vorabit vos, & erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.

NVne consurgam dicit Dominus etc.)Id est, hoc regnum sic disperatum ego subleuabo manu mea, consurgam ad delendum exercitum Sennacherib: *Nunc exaltabor*) & ostendens quare exaltabitur,subiungit. *Concipietis ardorem &c.*)Sensus est:Ego efficiam vt omnia hostium studia in nihilum decidant. Videtur autem alludere propheta ad illud psal.Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Quæ verba mutuatus est Dauid ex cap 13.Iob, cuius fine sic scribitur: Concepit dolorem & peperit iniquitatem,& vterus preparat dolos.Eadem verba ponuntur capite.26.huius prophetæ: Concepimus & quasi parturiuimus,& peperimus spiritum salutis. Translata autem sunt à noto parturientium more & vtuntur eis Hebræi quoties significare volunt studium ad rem aliquam. Dicit ergo propheta,vos magno studio molimini & operati in hoc estis,vt perficiatis quod animo concepistis,sed quid tandem parietis? Concepistis ardorem siue (vt Pag.vertit)quisquilias, id est,præparatis vobis materiam magni ignis,collegistis stipulam, & breui succendetis vestro malo: *Spiritus vester vt ignis vorabit vos*)Spiritum posuit pro animi propositum, hoc sensu: Quod concipitis & proponitis hoc euertet vos.

Et erunt populi &c.) Sensus est:Populus iste erit,quod esse solet ignis siue cum incendium,id est, erit nihil. Alludere videtur propheta ad exercitum Sennacherib disuinitus exustũ. Populus iste hoc erit, quod sunt spinæ ad incendium collectæ.

AVdite qui longe estis,quæ fecerim, cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas.Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante,aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitijs & loquitur veritatem,qui proijcit auaritiam ex calumnia,& excutit manus suas ab omni munere,qui obturat aures suas ne audiat sanguinem & claudit oculos suos,ne videat malum: ipse excelsis habitabit,munimenta saxorum sublimitas eius.Panis ei datus est,aquæ eius fidelis. Regem in decore suo videbunt,& oculi cernent terrã de longe,Cor tuũ meditabitur timorem.

AVdite qui longe estis &c.) Inuitat propheta ad aduertendum miraculum:*Conterriti sunt in Sion peccatores*) scilicet nõ tantum ad hostes, sed etiam ad miraculum hoc grãde.Nam ita ferè natura comparatum est vt qui sibi male cõscij sunt, maximè ipsi terreantur.Legite caput.17.Sapientiæ. *Possedit tremor hypocritas*) hoc est, quorum non erat rectum cum Domino Deo. Sic hodie titulum gerũt Christiani, & non verè Christiani, illi maximè terrentur pore belli, pestis,aut famis.

Quis poterit habitare &c.) Verba sunt phetæ siue Dei ad hypocritas. Quod dicit,cum igne deuorante,periphrasis

est, hoc sensu:Quis hypocrita,aut aliquis sibi malè cõscius audebit se coniungere Deo, qui sic vno nutu perdere potest tantum exercitum? Tacitè alludit ad exercitum igne consumptum, & inde occasionem sumpsit illius periphrasis, quæ magnam habet gratiam,quando hoc aduertitur, quod occasionem dederit periphrasi. Eiusdem rei periphrasis est, quod sequitur:*Cum ardoribus sempiternis &c.*) Proponit propheta Deum terribilem,vt vel hoc modo redeant ab hypocrisi ad synceritatem,ac si diceret: Quod contigit impijs in hoc miraculo, hoc continget aliquando omnibus hypocritis.

Qui ambulat in iustitijs &c.) Respondet ad quæstionem propheta, ac si dicat: Est quidem formidabilis,sed non est illis formidabilis,qui ipsi placere studeant,cum Deo habitare poterit qui ãbulat in iustitijs. Ambulare quemadmodum aliquoties diximus, in scriptura ferè nihil aliud est quàm præstare tenorem vitæ.Sensus est: Qui in tenore vitæ suæ hoc agit,vt virtutem præstet,ille poterit habitare cum domino Deo.*Et loquitur veritatem*)Hieron.legit veritates in plurali,& ita interpretatur: Qui inquit non vna vice sed iugiter loquitur veritates. *Qui proijcit auaritiam ex calumnia*)id est,quæ colligitur ex oppressionibus & miserijs. *Qui obturat aures suas,ne audiat sanguinem*)id est,quamuis oppressionem innocentis. Quibus ista sunt cordi, illis Dominus non est formidabilis, sed est illis mitis pater, tales habitabunt in excelsis,id est,id est,securissimè habitabunt,non torquebit illos cura iudicij aut inferni. Qui enim in excelsis habitant,videntur magis se curi & tuti ab hostiũ incursibus. *Panis ei datus est &c.*)Ex pane & aqua concipiũtur omnia,quæ ad victum pertinent.Sensus est:Nihil illis deerit.Aquas fideles appellat perennes & stabiles.

Regem in decore suo videbunt &c.) Hic difficultas est an literam retinere liceat,hoc est, an de Ezechia Rege hæc interpretari oporteat, an de summo Rege nimirum Christo. Sensus est:Qui ambulant in iustitijs & veritate,qui exigunt rationem vitæ suæ ad regulas diuinas,illorum oculi videbunt Regem in decore suo,& cernent terram de longe,id est, terram longinquam, quæ non continebitur muris, sed licebit etiam ad longinquũ exspatiari. Quod hic vertit Hier.de longe, capite 4.Ieremię,terram longinquam vertit, dicens: Auditum est in Ierusalem custodes venire de terra lõginqua,vbi eadem vox est in Hebræo,nisi quòd ibi in singulari ponatur, de terra longinquitatis:hic verò in plurali,terram longinquitatum. Quomodo etiam ponitur apud Ieremiam cap. octauo: Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinquitatum:Quo loco cùm vocem Hebræam vertat Hierony. terram longinquã, mirum est ipsum idem non fecisse hoc loco.Primùm,cùm hic sit incommodum, terram de longe,id est,terram lõginquam, vel longo tempore expectatam, quæ est terra viuentium,videlicet ipsum cœlum.Quem sensum accipit Hieronymus Nam siue ita exponas,siue hoc modo: cernent terram de longe,id est, in cœlo positi despicient terram. Quem sensum etiã proponit Hieronymus: Neutrum tamen habet Latina consuetudo, neque Græca, neque etiam Hebræa, neque demum vsus scripturæ. Si autem haberetur in Latino vel Hebręo, Despiciẽt de sublimi, probabile esset,quod dicit Hieron.iam verò nihil est,quod inuitat ad eam expositionẽ. Lyra autẽ hoc modo exponit: OEliachim (nã ad eũ hęc verba refert)ex ædibus tuis in edito Sion monte,vnde bona pars terræ Iudææ conspici potest, videbis terram de longe.Sed istud non habet auctoritatem. Præterea literam Mem in voce Hebræa מרחקים marhakim,nõ esse positam loco præpositionis מן min,sed esse vocem heemanticam satis constat ex capite.10. huius prophetæ, Calamitatis de longe venientis. Et cap. 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo. In quib⁹ locis aliter pũctuatur.Sẽsus igitur est: Videbũt terram longinquam id est,submotis vndique hostibus,quolibet licebit excurrere, etiam ad extremas orbis partes:non amplius metu hostili contineberis in vrbe, sed poteris liberè ambulare quouis.

Cor tuum meditabitur timorem) Verbum, meditari,in scripturis admodum frequens est, loco cuius Hebræi habent הגה hagah. cuius vocis significatio latissimè patet,nimirum ad omnes omnino rerum omnium actus & officia propria,atque in quibus vnaquæque res studio quodam assiduo versatur,ponitque curam,exercitium & operam. Hanc vocẽ Septuaginta interpretes ferè exprimunt per verbum μελετάω,quod est verbum studij cum assiduitate. Significat enim μελετάω,Græcis sicut & meditari Latinis,studiosè & seriò se exercere in re aliqua.Et quoties homini tribuitur, satis respondet significationi vocis Hebrææ, vt in Psalm. Dolos tota die meditabantur,hoc est,in ea re ponebant studium,totique hoc mihi molieban-tur.Satis etiam respondet cùm tribuitur certis hominis partibus,vt:Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.Et prouerb. 16. Mens iusti meditabitur obedientiam. Et hoc loco: Cor tuum meditabitur timorem, id est frequẽter & de industria & certo studio istum affectũ timoris exercebis,memor magnitudinis periculi,in quo obsessa vrbe versaberis, & miraculi

Meditari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illius quod diuinitus accidit: dedito ſtudio hæc reuocabis ad memoriam, vt diſcas timere me. Eſt enim cordis actus meminiſſe præterita, & inde concipere metum, ſpem &c. Sic prouerb. 8. Veritatẽ meditabitur guttur meum. Et alio in loco: Lingua mea meditabitur iuſtitiã. Linguæ propria officia ſunt, loqui, & prædicare: in qualibꝫ actibus qui multus eſt & frequens, eius lingua dicitur meditari. Sic os iuſti meditabitur ſapientiã, id eſt, ſæpius ac ſeriò ſapientiam loquetur, & alijs annũciabit. Magis adhuc reſpondet, cùm tribuitur rebꝫ rationis expertibꝫ, vt, Meditabor vt columba. Columbæ autem proprium eſt gemitum pro fletu edere, illumq; ſæpius repetere, atq; ad repetitionem reſpexit propheta hoc ſenſu: Ego in gemendo talem me præſtabo, qualem videmus columbam, quæ ſine fine gemitum iterat. Quo loco alij vertunt garrire, in quo verbo etiam ſignificari volũt frequentiam: Sed plenius verterent, ſi dicerent, garriendo gemere, id eſt, frequenter gemere. Alibi apud Eſaiã leoni tribuitur vox Hebræa, vnde & Hieron. rugire vertit: Facit enim ꝓpheta leonem incubantem prædę, & ſuo rugitu hoc ſedulò agentem, ne præda ſibi eripiatur. Quod ergo videtis leonem facere, quando nactus eſt prædam, & timet ne ſibi eripiatur, dum ſæpius rugit, ita & vos facietis. Idem Hieron. capite octauo Eſaiæ vertit ſtridere, quia ibi tribuitur Pythonibꝫ, qui ſtridentin incãtationibus ſuis. Pſal. 89. à Septuag. meditandi verbum etiam inanimatis tribuitur: Animi noſtri ſicut aranea meditabuntur. Quod nec Cicero, nec Quintilianus elegantiori figura poſſet dicere: Significat enim Dauid tale aliquod ſtudium, quale ſolet adhibere aranea quando texit telam, quod ſane magno facit ſtudio, ſine omni tamen fructu & non eſt opere præciũ. Tales inquit ſunt animi noſtri, hoc eſt, quicquid moliuntur homines tanto tempore vitæ, tale eſt ac ſi aranea texat telã, id eſt, vaniſſima eſt vita noſtra. Eſt etiam alibi in pſalm. vbi vox Hebræa clamare ſignificat: Non clamabunt in gutture ſuo.

VBi eſt literatus? Vbi eſt legis verba ponderans? Vbi eſt doctor paruulorum? Populum imprudentem non videbis, populum alti ſermonis, ita vt non poſſis intelligere diſertitudinem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia. Reſpice Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ, Oculi tui videbunt Ieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternũ, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus deus noſter, Locus fluuiorum, riui latiſſimi, & patentes, non tranſibit per eum nauis remigum, neque trieris magna tranſgredietur eum, Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos.

VBi eſt literatus? &c.) Quod Hieron. vertit literatus, Septuaginta interpretes verterunt grãmatici, Vbi ſunt grammatici? Vbi ſunt conſiliarij? Paulus primæ epiſtolæ ad Corinth. capite. 1. cùm ex Eſaia citaſſet hoc teſtimonium, Perdam ſapientiam ſapientum &c. addit: Vbi eſt ſapiens? vbi eſt ſcriba? vbi eſt inquiſitor huius ſæculi? alludens ad hoc Eſaiæ locum, quæ alluſio poſita eſt in vnius tantùm voce. Nam quod Hieron. diuitis vertiſſe literatum. ſi dicamus Paulum ad hunc locum reſpexiſſe: cùm literatus vox generalis ſit, ſcriba verò ſiue γραμματεὺς, qua vocem vtitur Paulus, nomen eſt eruditionis ſeu profeſſionis Theologicæ apud ſcriptores noui teſtamenti vbique prę terquàm actorum. ac ſi nũc dicas doctor, baculaureus, &c. Dicimus autem apud ſcriptores noui teſtamenti: nam Græcis ciuilis nominis res eſt γραμματεῦσι, eorum videlicet qui conſcribunt actiones publicas: Vnde Demoſthenes ſubinde de Aeſchynẽ vocat contumelioſe hoc nomine, eò quòd nihil aliud quàm actiones publicas ſcriberet. Apud Septuag. verò ciuile vocabulũ eſt, nũc theologicum. Caeterum de Paralip. cap. 24. Rurſus Heſter cap. 3. Hieronymus verò hoc loco, & omnibus alijs locis ſemper eſt vnum & idem vocabulum. Apud Hebræos videlicet סוֹפֵר Sophẽr. Addit eruditionem quoque theologicam hoc loco videtur in Eccleſiaſtico, vbi ſic dicitur: Si videris virum ſapientem, mane ad illum, & ſit per faciem ſcribæ imponent honorem.

Legis verba ponderans) Pro iſtis tribus verbis in Hebræo vnica vox eſt nimirum ſchokel, id eſt, ponderator. Senſus eſt: In maximo periculo, quãdo parabat Sennacherib obſidionem aduerſus Ieruſalem, quid faciebant literati? quid faciebant Scribæ & Doctores legis? non præſtabant ſe tales, qui prædicabant prius, hoc eſt, quod dicit, vbi eſt literatus, id eſt, vbi ſunt illi qui multa ſolent prædicare?

Populum imprudentem non videbis) Duobus his tantùm ſignificatur peregrinus populi, & poſſunt hæc accipi vt habeant ſenſum ſiue imitationem ſermonis literarum, qui ſic ſolent dicere: Vos Iudæi non videbitis exercitum Sennacherib, & militem peregrinum, non eſt vobis ab illo periculũ. Poſſunt etiã ſimpliciter accipi vt ſpectent Eſaiæ, & promiſsionẽ habeãt hoc ſenſum: Timetis à populo peregrino, ab exercitu Sen-

nacherib, non videbitis eũ intra mœnia veſtra. Vbi noſtra exemplaria habent, populũ imprudentem, Hie. & Haymo legunt populum impudentẽ, & vterq; ſic interpretatur. Verba autem Hier. ſunt: Populum impudẽtem videbis, id eſt, populũ Philoſophorum & oratorum mundi, qui applaudant ſibi in eruditione & ſapientia ſæculari. Verba verò Haymonis ſunt iſta: Populum impudentem vocat Platonem, Ariſtotelem, cæteroſq; gentium philoſophos, qui inuerecundè miſcuerunt falſa veris. Et vocem Hebręam Hieron. nuſquam refert ad imprudentiã, ſed alicubi vertit impudentiam, vt Prouerb. 21. Procaciter obfirmat vultum, quod eſt impudentiæ non imprudentiæ. Quare omnino mendum eſſe videtur in libris noſtris, qui habẽt imprudentem.

Populum alti ſermonis &c.) Populum alti ſermonis vocat populum peregrinę linguę. De diſertitudine ſiue balbutie, vt alij vertũt, dictum eſt in cap. 28. circa illum locum: In loquela enim labij &c.

Reſpice Sion &c.) Hactenus ferè retinuimus literam, hîc autem ſalua pietate non licet: Transfert enim propheta ſermonem à terrena Ieruſalẽ ad aliam, nimirum cœleſtẽ, id eſt, Eccleſiam. Sion poteſt eſſe vel accuſatiui caſus vel vocatiui. Si autem accuſatiui caſus eſt, tũc propheta appellat iuſtum, hoc ſenſu: Quicunque credis Chriſto, quicunq; ambulas in iuſtitijs, reſpice iam ciuitatem Sion, qualis ſit ciuitas noſtra Sion, id eſt, Eccleſia, quæ eſt ciuitas ſolẽnitatis: Nam Chriſtiano quiuis dies ſolennitas eſt, & ſabbatũ.

Oculi tui videbunt Ieruſalem &c.) In ſuperiori capite omnia triſtia prædicantur de terrena Ieruſalem: non igitur locus iſte ad illã pertinet. Quod autem ſequitur, Habitationem opulentam, tabernaculum &c. apoſitoriè additur, hoc ſenſu: Videbunt ipſam Ieruſalem tabernaculum, quod transferri non poterit. *Nec auferentur claui eius &c.*) Significatur ſempiternitas tabernaculi, id eſt, Eccleſiæ Chriſti. Metaphora autem deſumpta eſt ab ijs, qui moturi ſunt tentoria, illi eximunt clauos & paxillos, quibus in terris figuntur. Senſus eſt: Semper erit ſtabile hoc tentoriũ, Eccleſia Chriſti non auferetur, ſicut lex Moyſi & ſynagoga. Ab eiſdem ſumitur metaphora de funiculis, qui ſoluuntur vel etiam interdum rumpuntur, quãdo mouentur, vel ventorum impetu cadunt tentoria. *Quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus &c.*) Confer hunc locum cum cãtico quod eſt cap. 12. huius ꝓphetæ, in quo multa ſunt ſimilia. Senſus eſt: In hac Eccleſia Dominus magnificè agit, in hac oſtendit diuitias ſpirituales, in hac dat hominibus dona ſua & chariſmata ſpiritus. Quod autẽ ſequitur, *Locus fluuiorum &c.*) appoſitoriè additur hoc modo: In Ieruſalem iſta erit Dominus, qui eſt locus fluuiorum & riui latiſſimi, ipſe Dominus erit nobis riuus, fluuius & fons vberrimus. Pertinẽt iſta omnia ad chariſmata, quæ ſunt in Eccleſia, & qui ſtudent purè credere & placere Deo, illi experiuntur quod hîc dicitur, illi ſentiũt ſe refici & quaſi habitare in amœniſsimis fluuiorum locis. Legite pſalmum 22. Dominus regit me &c.

Non tranſibit per eum nauis &c.) Senſus eſt: per hunc locum, qui eſt ipſe Dominus & eius Eccleſia, non tranſibit nauis remigum, neque trieris magna. Duabus iſtis metaphoris, videlicet nauis remigũ & trieris magnæ, ſignificatur poteſtas aduerſa, nimirum princeps tenebrarum ipſe diabolus. Senſus ergo eſt: Per Ieruſalem ſpiritualem, quæ eſt Eccleſia, non tranſibit diabolus ſic vt dominetur quemadmodum ante natum Chriſtum, per quem iam eiectus eſt foras.

Dominus enim iudex noſter &c.) Legite pſal. 9. vbi dicitur, Peciſſem iudicium & cauſãm meã &c. Nam de illo iudicio & iuſtitia intelligitur locus iſte, hoc ſenſu: Ipſe Dominus ſumet partes iudicis inter diabolũ & genus humanũ, & iudicabit pro genere humano, & ſententiam feret cõtra diabolum, hoc eſt quod dicit, Dominus iudex noſter.

Dominus legifer noſter) Senſus eſt: Præſens præſentibus oſtendet voluntatem patris ſui, nõ quemadmodũ olim per Moyſen, ſed nobiſcũ ipſemet ãbulabit: *Dominus rex noſter*) Id eſt, ipſe gubernabit nos ſpiritu ſuo ſancto, non per Dauid aut cæteros: *Ipſe ſaluabit nos*) Nam Samſon, non angelus, ſed ipſemet ſaluabit nos.

LAxati ſunt funiculi tui ſed non præualebunt. Sic erit malus tuus, vt dilatare ſignũ non queas, Tunc diuidentur ſpolia prædarũ multarũ, claudi diripient rapinam, nec dicet vicinus, elangui, Populus qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas.

LAxati ſunt funiculi tui &c.) Eſt ſenſus hic aduerſarius, ac ſi diceret ꝓpheta: Hactenus læta dixi de cœleſti Ieruſalem, nunc è regione triſtia dicam de terrena Ieruſalẽ. Quædam exemplaria hoc loco habent, Sed non præualebunt. Hie. legit, Et non præualebũt. Alij verò legunt ſine omni coniunctione, & in Hebræo diſſolutũ eſt. Sumpta eſt autem locutio à tentorijs ruituris, quorũ funiculi laxantur: Et ſignificatur quòd tẽtoriũ ſynagogæ nõ ſit futurum perpetuũ. Et quod dicit, Non præualebũt, hũc habet ſenſum: Rũpentur funiculi & non poterunt ſuſtinere tentorium, id eſt, caſura eſt ſynagoga.

Sic erit malus tuus &c.) Notatio eſt & admodum iucunda, quam etiam ipſe Plato admiratus fuiſſet. Simpliciter autem & ſine figura

Universidad de Deusto
Biblioteca

gura dixisset, malus tuus erit inutilis adaugationem, hoc est, habebis quidem malũ in naui, sed talem vt non possis expandere velum: Per quod significat propheta synagogam & terrenam Ierusalem casuram.

Tunc diuidentur spolia &c.) Id est, vbi ceciderit synagoga, tunc diuidentur spolia multarum prædarum, tunc qui habebantur claudi, id est, Gentium populus & cultores idolorum diripient ista spolia, id est, charissimata patribus promissa, hoc est, intrabunt in possessionem patrum, Abraham, Isaac & Iacob. Similem locũ habet capite 32. Cor stultorum intelliget scientiam, vbi & alium adhuc locum annotauimus. Ex quorum triũ locorum collatiõe facile intelliges quod hic dicitur. *Nec dicet vicinus, elangui*) Id est, nemo dicet se egrotum, omnes sortes erunt in Christo.

Populus qui habitat &c.) Quod dicit, Auferetur ab eo iniquitas, eo modo intellige, quo dixit Dauid, Beatus vir cui nõ imputauit Dominus peccatum. Auferetur ergo non per obseruationem legis Mosaicæ, sed propositis ijs & obseruatis, quæ proponit Euangelium, id est, per gratiam Christi.

CAPVT XXXIIII.



Accedite gentes, & audite, & populi attendite, audiat terra, & plenitudo eius, orbis & omne germen eius, quia indignatio Domini super omnes gentes, & furor super vniuersam militiam eorum, Interfecit eos, & dedit eos in occisionem, Interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorum ascendet fœtor.

NOn esset omnino inutile hîc breuiter repetere, quod annotatum est capite 12. & 24. nimirum Esaiam pro consuetudine habere, vt post multa bona vel mala particularia enarrata, veniat ad generalia. Capite enim 28. prædixit Samariæ sua mala: deinde cap. 29. 30. 31. 32. vaticinatur de malis, quæ ciuitati Ierusalem euentura sunt, nisi quòd in fine capitis 32. spiritu prophetico aliquid misceat de Christo: Præterea capite. 33. Sennacherib sua mala enunciat, vbi interim etiam Christi meminit. Quæ ergo acciderunt huic aut illi genti in superioribus capitib⁹, illa hoc capite dicuntur aliquando euentura toti orbi. Continet ergo caput istud vaticinium de interitu omnium gentium seu nationum, & de cõsummatione sæculi, quæ est futura in die iudicij: Hoc modo interpretatur Esaiam Hierony. Alij vero omissa authoritate Hieronymi, putant hoc capite prędici mala præterita certæ alicuius Gentis, videlicet Idumęæ, sed an rectè, est studiosi inquirere. Pro Hieron. facit, quod indeterminatè, Gentes, terra, orbis, & omne germen eius, iubeantur accedere & audire. Nisi hoc soluamus ex idiomate scripturæ, quod Hieronymus annotauit cap. 13. huius prophetæ, vt propheta loqui prophetam de illa terra, de qua in præsentiarum mentio est, præsertim cùm ita specialiter de Idumęa agere videatur. Verùm vtra harum expositionum magis probabilis sit, optimè videbitur ex ipso contextu.

militia cæli.

Accedite Gentes &c.) Gentes & populi in hoc differunt, quòd Gentes ferè semper accipiantur pro incircuncisis: populi verò pro circuncisis, frequenter tamen discrimen istud non in scriptura confunditur. Vt in psalm. Annunciate inter Gentes gloriam eius, & in omnibus populis mirabilia eius. Vbi eiusdem rei & eiusdem multitudinis hominum propè copiam repetitio est. Loca autem vbi Gentes ad incircuncisos tantùm pertinent, habes aliquot citata à Paulo, in epistola ad Romanos scripta, capite 15. Hoc verò loco nihil refert quomodo accipiatur.

Audiat terra &c.) Istud pro Hieronymo facit: Nam cùm ex psalmis desumptum sit, generalem videtur habere sensum, licet in psalmis Dauid per similem formam omnibus loquitur.

Quia indignatio Domini &c.) De militia actum est capi. 24. & propria huius vocis significatio est Gene. 2. cap. Perfecti sunt cœli & omnis ornatus eorum. Quod hîc non vertit, ibi dixit ornatum. Alij vertunt exercitum. Hieron. dicit vocem Hebręam egnificare fortitudinem. Septuag. verò runt, Super numerum eorum. Est autem vox, quæ toties obuia est in veteri to, quamq́ue noster interpres modò tum vertit, modo non vertit, dicens, Dominus sabaoth.

Interfecit eos &c.) Hæc si simpliciter piantur, pertinere videntur ad illud scribitur Math. 24. Consurget gens sus gentem, id est, incident grauissima la, plurimi interficientur. *Interfecti proijcientur*) hoc est, tam multi interfecti vt sepeliri nequeant. Idem significat hoc quod sequitur: *Et de cadaueribus ascendet fœtor*) Quanquam Hier. istud pretetur de malitia & peccato.

Tabescent montes à sanguine eorum. & tabescet omnis militia cælorum: & conuoluentur sicut liber cœli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & quasi defluit ficus de ficulnea. quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus, ecce super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ ad iudicium.

Tabescent montes à sanguine &c.) sublimes virtutes & angeli, qui gentibus præsidebant tabescent. Sic nit Hieronymus, sed nihil vetat quo simpliciter accipiamus montes, ho

Non solùm in locis campestribus, sed etiam in locis montosis iacebunt interfectorum cadauera, quorum sanie montes tabescent & sanguine defluent.

Et tabescet omnis militia &c.) Militia autẽ cœlorum est sol, luna & congegratio astrorum, quæ in modum exercitus aptè disposita sunt. Hæc tabescent eo sensu, quo dixit Petrus: properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent, nimirum propter insolitas alterationes. Vel eo modo intellige, quo suprà capite. 13. expositũ est: Stellæ cœli & splendor eorum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol &c. quod per hyperbolen expositum fuit, quia omnia tam tristia fore dicebamus, vt etiam sol qui suo lumine omnes lætificat, tristis videretur.

Et complicabuntur sicut liber cœli) In cœlis & in libro Dei, vt ex scripturis constat, delicta nostra scribuntur. Quod ergo dicit propheta, complicabuntur sicut liber cœli, hũc habet sensum: Non scribentur vltra hominum delicta. Sic Hiero. cuius verba sunt: Et hoc considerandum, quòd non dicat interire cœlos, sed replicari siue cõplicari quasi librũ, vt postquã õnia peccata aperta fuerint & relecta, cõplicentur, qui prius aperti fuerãt, vt nequaquã scribãtur in eis vltra delicta multorum. Vide cap. 7. Danielis: Libri aperti sunt &c. Aliter exponit Lyra, nimirum hoc modo: Complicabuntur sicut liber cœli, id est, nõ exercebunt vltra ethnici in cœlis astronomiam suam, posthac non legent in astris quid futurum sit. Aliter adhuc exponit Carthusianus, hoc modo: Non patebit amplius introitus in regnum cœlorum, sed clausa erit ianua. Adhuc aliter exponit Oecolampadius hoc modo: Præamaritudine conuoluetur ipsum cœlum. In hac tanta expositionum diuersitate sollicitum esse oportet lectorem de vero sensu, ad quem inueniẽdum multum iuuabit locus qui est in Apocalypsi capi. 6. vbi sic scribit: Sol factus est niger sicut saccus ciliciꝰ, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderũt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur, & recessit cœlum sicut liber inuolutus. Quo loco eisdem planè verbis vtitur Apostolus, Iohannes, quibus Esaias hoc loco secundum Septuaginta: Cœlum inquit recesit sicut liber qui conuoluitur. Est enim præsentis temporis, estque in voce, complicabuntur, metalepsis, & ex proprio verbi significato aliud intelligitur. Sensus est: Complicabuntur sicut liber cœli, id est, desinet notus hic cœlorum vsus, non aliter quàm libro vti desinimus, cùm ipsum complicamus seu claudimus: Definet inquam notus hic cœlorum vsus, quia tunc electis suis Christus erit sol, luna, stellæ & omnia. Atque istud simpliciter Saluator in Euangelio dixit: Cœlum & terra transibunt, non quidem abolitione sui, sed immutatione. Verbum autem Hebraicum גלל galal, quod noster interpres transtulit complicare, significat deuoluendo siue conuoluendo remouere & loco tollere: sicut cùm vsi sumus libro, iubemus eum tolli & remoueri. In ea significatione manifestè ponitur Genesis capite. 28. Moueamus lapidem de ore putei. Et Iosue. 5. Hodie abstuli à vobis opprobrium Aegypti. Istud etiam facit ad metalepsim, atque istud significatur in Apocalypsi, cùm dicitur: Recesit cœlum: Nã ad verbũ est, remotũ est cœlum, in voce passiua. Vnde mirum est Erasmũ vertisse, recesit. Quod aũt remotũ est, eius vsus desinit, vt vsus mẽsę desinit quãdo mẽsa remota est. Alius locus est psal. 101. ex quo loco iste optimè intelligi poterit: Et velut opertorium mutabis eos: Pro mutabis apud Septuaginta est ἀλλάξεις, quo verbo vtũtur hoc loco Esaiæ, & vertendum erat, conuolues siue complicabis eos. Significat enim Dauid hoc idẽ futurum de cœlis, quod dicunt Esaias & Apocalypsis. Sensus est: Iam quidem expandis cœlos ad vsus mortaliũ, tunc verò, id est, in fine sæculi cõuolues eos & complicabuntur, hoc est, erit tunc alius vsus cœlorum. Hoc loco verbum Græcum propriè trãslatũ est. Est enim ἀλλαγήσονται. Ex istis duobus locis, Psalmi videlicet & Apocalypsis, licet certi aliquid colligere in hoc loco Esaiæ, hoc nimirum quod diximus.

Et omnis militia eorum defluet &c.) Istud Saluator in Euangelio simpliciter dixit, Stellæ cadent de cœlo. Quomodo etiam verterunt Septuaginta, dicentes: Astra defluent in similitudinem foliorum. Militia cœli, vt iam semel atque iterum diximus, est ornatus cœli, in quo inter cętera stellæ sunt.

Quoniam inebriatus est &c.) Exponit Hie. In cœlo id est in aere, qui consuetudine scripturarum cœlum vocatur. Sensus itaque secundum eum est: Inebriatus est gladius meus contra potestates tenebrarum harũ, quarum sedes in cœlo est siue in aere, quemadmodum scribitur. 6. capit. in epist. ad Ephe. Istud autem an probabile sit, ex alijs scripturarum locis inquirendum est. Dicit autem Hiero. consuetudine scripturæ cœlum poni pro aere, de quo nulli dubium est: verùm an in huiusmodi phrasi id habeat consuetudo scripturæ (quia Hieronymus non docet) oportet expendere. Aliter Lyra interpretatur, In cœlo, hoc modo: In ordinatiõe cœlesti euaginatus est gladius meus ad effusionẽ sanguinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanguinis:Nec iste videtur esse sensus prophetæ.Dionysius verò Chartusianus interpretatur,In cœlo id est, in dæmonibus habitantibus in cœlo aereo. Estque eadem expositio cum Hieron.Oecolampadius dicit,inebriatus in cœlo id est de cœlo maior ira descendit in Idumæam. Vt ergo in tanta expositionum varietate habeatur verus huius loci sensus, aduertendum est, quòd litera ב beth apud Hebræos dum seruit,ferè accipitur pro præpositione, in. Interdum etiam (annotante Pagnino)pro,ad & vsq; quemadmodum in psal.35.Domine in cœlo misericordia tua,id est, vsque ad cœlum misericordia tua,id est misericordia tua amplissima est & maxima, vsque ad cœlum protenditur, quem sensum planè iudicant verba psalmi sequentia, & veritas tua vsque ad nubes.Cœlum enim & nubes eiusdem rei nomina sunt,sicut etiam misericordia & veritas.Idem intelligitur ex eo quod mox sequitur,Iustitia tua sicut montes Dei, id est, maxima est iustitia tua & excellentissima. Hebræi enim cùm volunt aliquid eximij significare dicunt אל el,quod Deum significat: Vt Psal.79.vbi de vinea ex Aegypto trãslata Dauid loquens,Operuit(ait)montes vmbra eius,& arbusta eius cedros Dei,id est, cedros altissimas.Sic hoc loco, Inebriatus est in cœlo gladius meus,id est,tanta erit vindicta siue vltio, quam sumam in consummatione sæculi,vt etiam ad cœlos vsque pertingat, id est, maxima futura est vltio & imprimis horrenda.

Ecce super Idumæam descendet) Subauditur,gladius meus: *Et super populum interfecti onis meæ*)id est super populum quem destinauì interfectioni.Sic dicitur in Psalmo:Aestimati sumus sicut oues occisionis, id est, ad occisionem deputatæ.

GLadius Domini repletus est sanguine,incrassatus est adipe, de sanguine agnorum, & hircorum,et de sanguine medullatorum arietum, Victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom,Et descendent vnicornes cum eis,& tauri cum potentibus, inebriabitur terra eorum sanguine,& humus eorum adipe pinguium,quia dies vltionis Domini.

GLadius Domini repletus est sanguine &c.) Instituit hîc conuiuium epulare, quale est in festis & oblationib⁹, & adhibet agnos & hircos & medullatos arietes.De medullatis autem suprà dictum est,cap.25.Hæc omnia figuratè accipiuntur, & per agnos, hircos,arietes, homines intelliguntur, hoc sensu:Qui iam facillimè & in delitijs agunt, illi tunc interficientur & grauissimis pœnis punientur.

Victima enim Domini in Bosra &c.) Quod Hebræi Edom, Græci Idumæam vocant, & nomina hæc Edom siue Idumæa & Bosra frequẽter obuia sunt apud prophetas, habentque plurimum negocij, non solùm hoc loco, sed & alibi, capite. 63. huius prophetæ: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Magna profecto difficultas est,quid iuxta certum sensum prophetæ accipere oporteat per Edom & Bosra, mrximè cùm neget Hierony. Bosram in Idumæa esse,eius enim commentarius sic habet:Bosra, iuxta Iesum & Ieremiam, non in Edom, ideſt,Idumæa,sed in terra Moab inuenitur. Si ergo diuersa sunt loca,quare ꝓpheta hæc coniungit? Ascendit ergo Christus de duobus locis? Sic Hieremiæ.49. Ad Idumæam hæc dicit Dominus exercituum,nunquid non vltra sapientia est in Themam? Sumpsit ibi Hieremias prophetiam contra Idumęam,& inter reliquas ciuitates numerat etiam Bosram.Quare est ibi facta mentio Bosræ, si non est in Idumæa? Respondent quidam ideo adiungi Bosram, quia rex Iobab olim Idumęæ oriundus, fuit ex Bosra. Sed quid hoc ad rem? Item Amos 1. Super tribus sceleribus Edom,& super quatuor non conuertam eum, mittam ignem in Themam,& deuorabit ędes Bosræ,id est, quia Idumæi, qui ducũt genus ab Esau, durissimè se exhibuerunt in captiuitate Babylonica erga fratres suos Iudæos, quibus ratione germanitatis subuenire debebant: Idcirco mittam ignem in Themam, quæ est Idumæorum regio, & deuorabit ędes Bosræ. Quorsum hîc Bosra,si non est in Idumæa? Respondet ad hoc Hieron. Bosram figuratè positam pro Idumæa,propterea quia munita erat, & firmissimis circumdata muris.Nam Bosra si ad radicem spectes,significationem habet quasi à muniendo. Et Hieron. pro sua sententia confirmanda citat locum Esaiæ:Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Vbi etiam annotat Hieron. in Commẽt. pro loco aliquo firmato accipi, vt sensus sit: Quis est iste qui venit de Bosra,id est de ciuitate aliqua munita: & intelligit ibi Ierusalem, hoc verò loco orbem terrarum Domini voluntate solidatum.Accipitur igitur secundum Hieron. Bosra, non vt sit nomen propriæ qualitatis: sed pro quouis loco firmato: ac si quis dicat Babylonem ad literã accipi pro loco confuso, sicut apud Petrum Ecclesia quæ est in Babylone electa, id est iuxta literam ecclesia quæ est Romę. Et in Apocal.17.& 18.Babylon magna accipi videtur iuxta literam pro orbe, quia agit de consummatione sęculi:Et hęc figura species est metonymię, sicut dicimus Demeam, quemuis tristem significantes, & Mitionem pro

pro quouis commodo & hilari. Sic quoque in nomine Bosræ est significatio rei munitę. Alij verò dicunt nomen Bosra aliquando appellatiuum esse, aliquãdo proprium. Cõmentarius Lyræ habet etiam in Idumæa esse quandam Bosram, quod negat Hieronym⁹. Esse autem in Moab Bosram quandam certum est ex capite 48.Hieremiæ.Quod verò dicit Hieronymus secundum Iesum inueniri Bosrã in Moab,hoc non est nisi in capite vicesimoprimo Iosue, vbi scribitur esse in tribu Manasse.Et sit Bosra in Moab:difficultas adhuc est, cur in generali mentione de consummatione sæculi meminit particulariter Bosrę & Moab,cũ in orbe tot sint aliæ nationes.Respondent quidam prophetam hoc facere quasi exemplificando: Sed fortassis probabilius est,vt vtroque nomine Bosræ & Edom per tropum intelligatur orbis terrarum, secundum illam figurã, quam in primo capite Amos vtcũq; explicat Hieronym⁹ & plenius in Ioele capite vltim.vbi etiam in tractatu generali mentio fit Aegyp. & Idum. cùm dicitur Aegyptus in desolationem,& Idumæa in desertum perditionis.Super quem locum dicit Hieronymus, Aegyptum & Idumæam potius qualitatem rei significare,quàm propriam rem,vt nomine Aegypti intelligatur quidquid obscurũ est,& nomine Idumæę quidquid terrenum est,cruentum,& sanguineum.Habet hoc etiam proprietas linguæ Latinæ, quemadmodũ cùm dicim⁹, inexplicitosq; Platones, significamus potius qualitatẽ hominis quàm ipsum hominem.

Ex his quæ annotauimus constat Hiero. aliter in Ioele,& aliter in Amos,aliter quoq; super 63. caput Esaiæ tractare nomina hæc Bosram & Idumęam: In Abdia verò Idumęam simpliter accipit, nec agnoscit figuram. Idem facit in Ezechiele capite 35.Hebręorũ autem magistri per Idumæam intelligunt Romam & Romanum imperium,& similiter per Bosram.Sed quomodo,an iuxta literam,an aliter,hoc non explicant. De qua re vide Hieronymum super vltimum caput Ioelis,vbi reprehendit liberam illam Iudęorũ mentiendi licentiam. Summa autem dictorum hunc spectat,vt sciamus prophetam hoc loco intelligere non illam Idumæam & Bosram recti nominis & specialis,sed figuratam & generalis nominis Idumæam, id est, orbẽ hunc crassum & terrenum,sanguineum, & solidatum, in consummatione sæculi periturũ. Et si quid aliud est in etymologia nominis Bosrę & Idumæę,quod vt exactè intelligatur, legantur commentaria Hieronymi in Ioelem & Amos, & conferantur loca vbi non est opus agnoscere hanc figuratam Idumæam,sed vbi propriè accipiatur. Itẽ conferantur loca vbi sunt similes figuræ, vt apud Apostolum Petrũ: Ecclesia quę est in Babylone electa.Et in Apocalyp. Cecidit cecidit Babylon illa magna.Et alibi apud hunc prophetam: Audite verbum Domini principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei vestri populus Gomorrhę: Nõ enim loquitur ibi Sodomitis aut Gomorrhæis, sed Iudæis. Rursus capite 30. Pauebit Assur virga percussus: Assur intelligitur ad literam non Assyriorum Rex, sed diabolus & quiuis impius.Rursus cap.25.Triturabitur Moab sub eo. Et quæ ibi similia dicta sunt ex Augustino: Item conferantur loca ex profanis auctoribus,qualia indicauimus,quę similes habent figuras, ex quibus ille locus facilè intelligi potest. Quod ergo dicit propheta, Victima Domini in Bosra &c. hunc habet sensum:multi interficientur in orbe terrarum. Sic suprà, Ecce super Idumæam,id est, super orbẽ terrarum descendet gladius meus. *Apocal.6.* *Esaiæ 1.* *Esaiæ 30.*

Et descendent vnicornes &c.) Secundum Hieronymum sensus est:Etiam reges & principes terræ occidentur. Similis vsus vnicornium est in Psal.22.Salua me ex ore leonis,& à cornibus vnicornium. Est autem vnicornis fera asperrima, quam negant capi viuã, cuius descriptionem habes apud Plinium in octauo libro Naturalis historiæ cap. 22. ex quo intelligere potes,quare Esaias potentes, Reges ac principes cõparet vnicornib⁹. Similem etiam vsum taurorũ habes in Psal. 21. Tauri pingues obsederunt me. Dicit ergo in genere istud propheta: in consummatione sæculi nemini parcetur, siue nobilis quis fuerit, siue ignobilis,pro qualitate criminis punietur à Deo. *Quia dies vltionis Domini &c.*) Exponunt quidam hoc modo: Nemo miretur quòd Deus non parcet orbi, quia nec populo suo Sion parcet. Iudæi verò hoc modo:Hæc quæ hactenus dixi cõtingẽt in exordio Romani imperij, quia est dies vltionis Domini, qui vlciscetur quod in Iudæam Romani commiserunt.

ANnus retributionis iudicij Sion, Et conuertentur torrentes eius in picem,& humus eius in sulfur,& erit terra eius in picẽ ardẽtem,nocte et die,non extinguetur in sempiternũ. Ascendet fumus eius à generatione in generationem,desolabitur in sæcula sæculorum. Non erit transiens per eam, & possidebunt illam Onocrotalus,& Ericius, & Ibis & Coruus habitabũt in ea.Et extendetur super eam mensura,vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem.

ANnus retributionis) Quo retribuetur Romanis malum suum sicut in Psal. Et retributionem peccatorum videbis, hoc est, pendent peccatores pœnas meritas atq; debitas:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Litas: *Iudicij Sion*) Quia sumet Dominus partes iudicis pro Iudæis contra Romanos. Sic exponũt Iudæi, & sunt loca similia. Threnorum. 3. Iudicasti Domine causam animæ meæ: Et rursus Hieremiæ. 5. Ecce ego iudicabo causam tuam, & vlciscar vltionem tuam. sed iuxta Hieronymum & rei veritatem subitò transit propheta à mentione generalis excidij futuri in consummatione sæculi ad mentionem Hierusalẽ, quòd videlicet ipsi Sion reddetur malum suum, vt sensus huius Iudicij Sion, iste sit: Ad iudicandum Sion, hoc est, ad vindicandum, sicut Hieremiæ. 2. Pastores præuaricati sunt in me, & prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola secuti sunt: propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, siue (vt alij interpretantur) iudicabo vos, hoc est, vindicabo. Annus ergo iudicij retributionis Sion, est annus ad sumendam vindictam de Sion siue de terrena Hierusalem.

Et conuertentur torrentes in picem &c.) Omnia hæc valde figuratè dicta sunt, & habent partim hyperbolen, partim metaphoram. Saluator autem in Euangelio istud simpliciter dixit, Et relinquetur vobis domus vestra deserta. Similiter Danielis. 9. Ciuitatem dissipabit populus cum duce venturo. Et quod statim sequitur apud Danielem, Et finis eius vastitas, & vsque in finem perseuerabit desolatio: Hic verò dicitur: Et erit terra eius in picem ardentem nocte & die &c.

Et possidebunt illam Onocrotalus &c.) Est hoc loco synecdoche. In summa autem significatur maxima vastitas & desolatio illius loci & regni Iudaici.

Et extendetur super eam mensura &c.) Per mensuram & perpendiculum propheta metaphoricè significat sententiã Domini, hoc sensu: Certa sententia definiuit Dominus apud se ista facere.

NObiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erũt in nihilum. Et orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia. Onocentaurus, et pilosus clamabit, alter ad alterum, Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam Ericius, et enutriuit catulos, et circũfodit, et fouit in vmbra eius, Illuc congregati sunt milui, alter ad alterum.

NObiles eius non erunt ibi &c.) Secundum Hieronymum sensus est: Apostoli non versabuntur ibi cùm ista fient, sed potius Regem nimirum Christum inuocabunt.

Et occurrent dæmonia, onocentaurus) Id est, phantasmata, qualia in desertis morari solent: & omnibus his in summa significatur maxima vastitas & desolatio.

REquirite diligenter in libro Domini et legite, vnum ex eis non defuit, alter alterũ non quæsiuit, quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & Spiritus eius ipse congreganit ea, & ipse misit eis sortem, & manus eius diuisit eam illis in mensuram, vsque in æternum possidebunt eam, in generatione & generationem habitabunt in ea.

REquirite diligenter &c.) Id est, vos qui hæc lecturi estis apud me, diligẽter versate librum Domini, & maximè librũ Deuteronomij, vt aduertatis has maledictiones esse prædictas non à me sed ab ipso Moyse, quidquid ibi prædictum est fore, hoc fiet vobis.

Alter alterum non quæsiuit) Ad verbum est, vnũquodq; istorum nõ deerit: Nihil eorum quę à Moyse prędicta sunt posset hodie desiderari, quia õnes pœnæ sunt eis præsentes.

Quia quod ex ore meo procedit ille mandauit) Id est, Dominus ille iam olim per Moysen hæc scribi iussit.

Et ipse misit eis sortem &c.) Sensus est: Prædictis animalib⁹ ac feris sorte data sunt loca in Iudæa, Dominus voluit illa habitare ibi.

CAPVT XXXV.

LAetabitur deserta, et inuia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinãs germinabit, et exultabit lætabũda, et laudãs. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron, Ipsi videbunt gloriã Domini, & decorem Dei nostri, Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis, Confortamini, nolite timere.

LAetabitur deserta) Est hic metaphora valde iucunda & supra modum læta, veriq; nominis Euangelij: propterea multùm refert vt certò constet lectori, quò oporteat referri. Si dixisset propheta hoc modo: Lætabitur Iudæa prius neglecta, vel hoc modo: Lætabitur gentilitas hactenus inculta atque neglecta, certus esset sensus, & lætissimum esset Euangelium Iudæis vel gentibus. Vel si dixisset hoc modo: Lætabitur cœtus eorum, qui Christum in propria veniẽtem receperunt, siue Iudæi fuerint, siue gẽtiles. Nunc verò quia figuratis vtitur verbis, natæ sunt expositiones variæ. Quare vt auferantur opiniones interpretantium & certi aliquid habeatur, inspicere oportet circunstantias huius capitis, & cõsulere loca similia, quæ multa sunt. Pro (deserta) autem in Hebræo est מדבר midbar, quam vocem Septuaginta verterunt eremum, vnde mirum est Hieronymum

nymum vertisse desertum substantiuè. Proprius autem huius vocis vsus est in Exodo, vbi dicitur: Ibimus iter dierum trium in desertum. Et secundum quosdam in Psal. Pinguescent speciosa deserti, hoc est, in locis priùs infrugiferis erit vbertas frugum. Figurati verò nominis & occulti sensus desertum habes apud hunc prophetam capite 41. Ponam desertum in stagna aquarũ, quo loco habet certam metaphoram, vt constat ex circumstantijs: Similiter & hoc loco, quia nõ agit propheta de corporali deserto. Loca autem, ex quibus colligi licet, quò pertineat hæc metaphora, sunt Esaiæ capite 32. Et erit desertum in Charmel. Rursus 41. 44. 51. 61. Nam prophetiam, quæ scribitur capite 61. Spiritus Domini super me &c. Et ædificabuntur deserta à sæculo, Christus apud Lucam exponit & ad se refert, quòd suo tempore haberetur ratio colẽdi illa deserta, quæ semper fuerunt deserta, hoc est, ipsam Gentilitatem, cui non erat anteà notus Deus.

Luc. 4.

Varietas lectionis.

Quòd ergo dicit propheta, Lætabitur deserta, hunc habet sensum: Illa maximè parte orbis terrarum, in qua vixerunt hactenus sine cultu Dei, fient participes verę sanctimoniæ & gaudij, quod est in spiritu sancto. Sic Hierony. per desertũ intelligens ipsam Gentilitatem. Alij autẽ intelligunt synagogam, quæ cùm deserta fuisset in captiuitate Babylonica, accepit consolationem in Christo, quem per fidem recepit: Sed facile est videre, quòd in hac interpretatione nihil est solidi, quòd videlicet Iudæi accipiant consolationem, quia pauci Apostoli accipiunt. Natura autem metaphoræ maximè cõuenit interpretationi Hieronymi, quia nos Gentiles verè eramus sine cultu Dei.

Quod sequitur, *Inuia*) etiam substantiuum est inuium, & capite 41. Hieronymus vertit terrã in uiam, quæ est terra ariditatis, in qua non est ros cœlestis gratiæ, nihil fidei, spei, & charitatis. In Ieremia verò vertit terram sitis.

Et exultabit solitudo &c.) Metaphoræ istæ exultandi, florendi, germinãdi valde agnoscuntur in cordibus sanctorum hominum, in quibus est iuge conuiuium, & securitas conscientiæ, & vera pax in Christo.

Gloria Libani data est ei &c.) Huic videlicet deserto, id est, ipsi gentilitati data est gloria Libani. De Libano dictum est capite 29. Item de Carmelo. De Saron verò dictum est capite 33. Significat autem propheta fore, vt transferatur ad Gentilitatem etiam hoc instrumentum sanctimoniæ, quod hactenus fuit in Iudæa. Vide Paulum in epistola ad Romanos scripta: Quorum adoptio est filiorum & gloria & testamentum & promissa. Hæc gloria, & hæc dona cœlestia transferentur ad Gentilitatem.

Ipsi videbunt gloriam &c.) Isti, ad quos pertinet istud Euangelium, videbunt id quod tam magnificè promissum est Abraham, Isaac & Iacob. De illo enim decore loquitur propheta, de quo in Euangelio Saluator, cùm ait: Multi Reges cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: Videbunt inquam promissum Messiam.

Confortate manus dissolutas &c.) Est apostrophe ad Apostolos, qui mittendi erant ad Ecclesias gentium, his præcipitur, vt manus in gentibus dissolutas confortent, ac genua debilia roborent, quod fit proposito Christo & eius Euangelio.

Dicite pusillanimis &c.) Istud erat Apostolorum dicere: Non est, ô Gentiles, quòd desperetis vos pertinere ad filios Abrahæ, estis verè filij Abrahæ, si recipiatis Christũ, quòd hactenus polluistis vos omni flagitiorũ genere, non oberit vobis, tantùm suscipite Christum per fidem: quòd nati estis parentibus idololatris nihil obstabit, Hoc eritis Deo, quod fuit Abraham, Isaac & Iacob.

ECce Deus noster vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.

ECce Deus noster &c.) Hic sermo difficultatem habet: nam, vt videtur, dicere debuerat, Ecce Deus vester adferet Euangeliũ. & propterea, qui sequuntur Iudaicum Cõmentarium, de quo dictum est in superiori capite, possunt habere argumentum, quasi dicat propheta: Ierusalem multa quidem mala patietur, sed Deus sumet pœnas de inferentibus mala. Verus autem sensus iste est: Vos, ô Gentes, secundum naturam Dei estis creati ad imaginem ipsius, sed venundati estis peccatis vestris, & possessi hactenus à diabolo, iam autem eruimini à iugo illius, non permittetur ei amplius, quod hactenus in vos permissum est ei, Christus sumet partes vindicis contra diabolum, & asseret vos in libertatem. Lege Psalmum 71. Deus iudicium tuum Regi da, vbi inter cætera dicitur: Humiliabit calumniatorem, id est, diabolũ, qui opprimebat vos vsuris peccatorũ. Et ex illo Psal. locus iste facillimè intelligitur.

Deus ipse veniet &c.) Emphasis est in pronomine (ipse) Sensus est: Non mittet Gedeonem aliquem, non Angelum, quod facere solet, sed ipsemet in sua persona: sentietis multò plura benignitatis argumenta, quàm Iudæi hactenus senserunt.

Tunc aperientur oculi cæcorum &c.) Tunc,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando videlicet præstabuntur hæc læta, aperientur oculi cæcorum. Quæstio hic est, quales oculi accipi debeant, corporales ne, an mentis oculi, an potius vtriq;. Certè Saluator in Euangelio de corporalibus intellexit, cùm apud Lucam loquitur discipulis Iohannis: Euntes renuntiate Iohanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant. Sed apertius (inquit Hieronymus) hodie impletur in gentibus, quæ priùs cæcæ erant, per infidelitatē in lapides & ligna impingentes, deos illa arbitrātes, surdæ ad verba legis, mutæ ad laudem Dei, & inter idola diuersis erroribus claudicantes: atque ita de vtrisque oculis intelligenda est hæc prophetia. Luca 7.

Quia scissæ sunt in deserto aquæ &c.) Hæc particula facit pro sensu spirituali superioris loci, de oculis videlicet fidei apertis, quia loquitur propheta, nō de aquis corporalibus, sed de charismatibus spiritus sancti: de quibus etiam aquis sermo est in Euangelio Iohannis 4. & 7. Sensus est: Idcirco aperientur oculi cæcorum, quia scissæ sunt siue eruperunt in deserta quondam gentilitate aquæ, id est, diuersæ gratiæ spirituales.

Et quæ erat arida) Ipsa videlicet gentilitas, quæ non habebat aquas vitales, erit in stagnum, & sitiens, scilicet eadem gentilitas erit in fontes aquarum, id est, habebit fontes aquarum salientium in vitam æternam.

IN cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur vivor calami, & iunci, & erit ibi semita, & via sancta vocabitur. Non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita, vt stulti non errent per eam.

IN cubilibus &c.) In draconibus metaphora est. Sensus est: in mentibus hominum ethnicorum, in quibus priùs regnabant dæmonia, iræ, inuidiæ, contentiones & cæteræ pestes huiusmodi, orietur vivor calami & iunci, id est, herbæ suaues, id est, erunt ibi fides, spes, charitas, ac gaudium in spiritu sancto. *Et erit ibi semita & via*) Id est, doctrina veræ fidei & veræ religionis, qua homines inoffense vjuent. *Non transibit per eam pollutus*) Id est, res hæc, siue doctrina Euangelij & fidei requirit integros animos & incontaminatos. Nō satis erit vobis Iudæis, vbi Christus venerit, præstare cæremonias, sed oportebit præstare puritatem spiritus.

NOn erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint, & redempti à Domino, conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorū. Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.

NOn erit ibi leo &c.) In fine huius capitis est transitus à beneficijs & bonis, quæ contingunt Christifidelibus in hoc sæculo, ad illa bona quæ contingent in futuro sæculo: sed vbi incipiat iste transitus, non est omninò certum. Quod autem dicitur, Non erit ibi leo, significatur studium mititatis & mansuetudinis, quod conuenit Euangelio. Sensus est: Immanes huiusmodi affectus nō erunt in his, qui vera fide receperunt Euangelium. Hieronymus verò per leonem intelligit diabolum, per malam autem bestiam, eius satellites.

Et ambulabunt qui liberati fuerint &c.) Hic est certus transitus, quia maiora sunt quàm contingunt in hoc sæculo. Sensus est: Qui redempti fuerint in sanguine, venient in Sion cœlestem, ibi erit perpetuitas lætitiæ, & fugiet dolor & gemitus.

CAPVT XXXVI.

ET factum est in quartodecimo anno regis Hezechiæ, ascendit Sennecherib rex Assyriorum super omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. Et misit rex Assyriorum Rapsacen de Lachis in Ierusalem, ad regē Hezechiam in manu graui, et stetit in aquæductu piscinæ superioris, in via agri fullonis.

Et egressus est ad eum Eliachim, filius Helchiæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioah filius Asaph, à commentarijs. Et dixit ad eos Rapsaces: Dicite Hezechiæ, Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum.

Quæ est ista fiducia, qua confidis, aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manū eius, & perforabit eam: sic Pharao rex Aegyti omnibus, qui cōfidant in eo.

ET factum est in quartodecimo anno &c.) Historia, quæ ab hoc capite vsque ad caput 40. ptenditur, magna expositione opus non habet, pleniusq; in 4. lib. Regum, capite 18. & 19. & 20. refertur: Quare non est diu immorandum, sed leuiter percurrendū. Et videtur propheta hanc interposuisse non tam Iudæorū sui temporis causa, quàm eorum, qui venturi erant, vt intelligerēt ipsius vaticinia nō esse somnia & vana, sed vera oracula. Lachis autem ciuitas est in tribu Beniamin Ierusalem proxima. Manum grauem vocat numerosum exercitum. De Eliachim autem, qui erat super domum, dictū est capite 22. De voce verò (scriba) dictum est capite 33. hoc loco autem ciuile nomen est, non

non theologicum. Quod autem sequitur à commētarijs, Lyra exponit, vt hoc sit quod cancellarius Regis.

QVòd si responderis mihi, In Domino Deo nostro confidimus, nonne ipse est, cuius abstulit Hezechias excelsa, & altaria, & dixit Iudæ, et Ierusalem: Coram altari isto adorabitis? Et nunc trade te Domino meo, regi Assyriorū, & dabo tibi duo milia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum, & quomodo sustinebis faciem iudicis vnius loci, ex seruis Domini mei minoribus?

Quòd si confidis in Aegypto, in quadriga, & in equitibus: & nūc nunquid sine domino ascendi ad terram istam, vt disperderem eam? Dominus dixit ad me, Ascende super terram, & disperde eā. Et dixit Eliachim, & Sobna, & Ioah, ad Rapsacem: Loquere ad seruos tuos Syrā lingua: intelligimus enim ne loquaris ad nos Iudaice, in auribus populi, qui est super murum.

QVòd si responderis mihi &c.) Dubium est, an Rapsaces hæc per inscitiam sit locutus, an calumniosè: hoc enim non contra Deum, sed pro Deo fecerat Ezechias, vt idololatria & veteri errore destructo, iuberet Deum adorari in Ierusalem, vbi erat templum eius.

Nec poteris ex te præbere ascensores &c.) Istis verbis significatur non tam paucitas obsessorum, quàm paucitas virorum in re equestri peritorū, quod inde erat, quia mandauerat Dominus, ne Rex Israel vltra trecentos equites aleret. Vide caput 17. Deut.

Et quomodo sustinebis? &c.) Id est, quomodo poteris resistere fortitudini, & sustinere impetum ducis vnius loci? per iudicē enim intelligit ducem siue Satrapam, vt dicitur 4. Regum 18.

Loquere ad seruos tuos &c.) Istud propterea dicebant, quia timebant defectionem popularem.

ET dixit ad eos Rapsaces: Nunquid ad dominum tuum, & ad te, misit me dominus meus, vt loquerer omnia verba ista, & non potius ad viros, qui sedent in muro, vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum vobiscum? Et stetit Rapsaces, & clamauit voce magna Iudaicè, & dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. Hæc dicit rex: Non vos seducat Hezechias, quia non poterit eruere vos, & non vobis tribuat fiduciam Hezechias super Dominō, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas ista in manu regis Assyriorū. Nolite audire Hezechiam: hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnusquisque vineam suam, & vnusquisque ficum suam, & bibite vnusquisque aquam cisternæ suæ, donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ est vt terra vestra, terram frumenti, et vini, terram panum & vinearum, nec conturbet vos Hezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dij gentium vnusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? Vbi est Deus Homath, & Arphad? Vbi est Deus Sepharuaim?

NVnquid ad dominum tuum) Id est, Ezechiam Regem: *& ad te*, id est, ad eū qui vice Regis loquereretur, misit me dominus meus, vt loquerer omnia verba ista, & non potius, scilicet missus sum, ad viros, qui post paululum eò redigentur, vt præ rerum omnium inopia & penuria cogantur propria stercora deuorare & vrinam bibere?

Quod sequitur, *Facite mecum benedictionem*, hunc habet sensum: Gratificamini mihi hac in re.

Comedite vnusquisque vineam suam) Id est, vobis id permittetur, vt vnusquisq; vineam suam colat & exerceat, quemadmodum hactenus fecit, & alia quæ solet possidere.

NVnquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis est ex omnibus dijs terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalē de manu mea? Et siluerunt, & non responderunt ei verbum: mandauerat enim eis rex, dicens: Ne respondeatis ei. Et ingressus est Eliachim filius Helchiæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioach filius Asaph, à commentarijs, ad Hezechiam, scissis vestibus, & nuntiauerunt ei verba Rapsacis.

NVnquid liberauerunt Samariam? &c.) Tacitè significatur, quòd Samaria illos omnes deos coluerit: qui cùm non potuerint liberare Samariā, putat Rapsaces, quòd nec Deus Israel poterit populum suum liberare.

Et ingressus est Eliachim &c.) Significat se non posse ferre blasphemias Rapsacis.

CAPVT XXXVII.

ET factum est, cùm audisset rex Hezechias, scidit vestimenta sua, & obuoluitur est sacco, & intrauit in domum Domini. Et misit Eliachim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus, opertos saccis, ad Esaiā, filiū Amos, prophetam, & dixerunt ad eū: Hæc dicit Hezechias, Dies tribulationis, et correptionis, & blasphemiæ, dies hæc, quia venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi. Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rapsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ad blasphemandum Dominum Deum viuentem, & exprobrandum sermonibus, quos audiuit Dominus Deus tuus. Leua ergo orationem pro reliquijs, quæ repertæ sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ET factum est, cùm audisset rex Ezechias &c.) De sacco dictum est capite 20. Est autem habitus pœnitentium. Quod autem dicit Ezechias, *Dies blasphemiæ*, argumentum est magnæ pietatis ipsius erga Deum, quòd inter multa mala, quibus afficiebatur, hoc vel maximè ipsum angebat, quòd etiam Deus blasphemaretur.

Quia venerunt filij vsque ad partum &c.) Id est, sic affecti sumus, & tali tenemur dolore, quali mulieres in partibus difficillimis teneri solent.

ET venerunt serui regis Hezechiæ ad Esaiã, & dixit ad eos Esaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus, Ne timeas à facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. Ecce, ego dabo ei spiritum, & audiet nuncium, & reuertetur ad terram suam, & corruere eum faciam gladio in terra sua. Reuersus est autem Rapsaces, & inuenit regem Assyriorum præliantem aduersus Lobnam: audierat enim, quia profectus esset de Lachis, & audiuit de Taracha, rege Aethiopiæ, dicentes: Egressus est, vt pugnet contra te. Quod cùm audisset, misit nuncios ad Hezechiam, dicẽs: Hæc dicetis Hezechiæ, regi Iudæ, loquẽtes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Hierusalem in manu regis Assyriorum.

Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij gentium, quos subuerterunt patres mei, Gozan, & Haran, & Reseph, & filios Edeu, qui erant in Thalassar? Vbi est rex Hemat, & rex Arphad, & rex vrbis Sepharuaim, Ena & Ana?

ECce, ego dabo ei spiritum) scilicet aduersarium, *& audiet nuncium*) de rege Aethiopiæ inuadente regnum suum. *& reuertetur ad terram suam*) vt defendat eam contra Regem Aethiopum. *Corruere eum faciam gladio in terra sua*) Non quidem in hoc reditu, sed in secundo reditu, quando videlicet superato Aethiopum Rege, ascendet rursus in Iudæam, vt expugnet Ierusalem, & exercitu per Angelum percusso, reuertetur.

ET tulit Hezechias libros de manu nunciorum, & legit eos, & ascendit in domũ Domini, & expandit eos coram Domino, & orauit ad Dominũ, dicens: Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum & terram. Inclina Domine aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandũ Deum viuentem: verè enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras, & regiones earum, & dederunt deos earum igni: non enim erant dij, sed opera manuum hominum, ligni & lapis, & comminuerunt eos. Et nunc, Domine Deus noster, salua nos de manu eius, et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Deus solus.

ET tulit Ezechias libros de manu nunciorum &c.) Libros appellat literas regis Assyriorum plenas blasphemiarum. Sequitur oratio Ezechiæ:

Domine exercituum) Id est, ex cuius nutu pendet victoria & exitus militiæ. Rectè autem Dominum hoc loco sic appellat, quia iam erat in oppressione hostium & exercitus.

Qui sedes super Cherubim) Alludit ad propitiatorium, vnde Deus responsa dabat, quòd sedes Dei dicebatur, & erat inter alas Cherubim.

Et cognoscant omnia regna terræ) Id est, non mea nec populi mei salus me mouet, sed tua gloria, fac vt nomen tuum sanctificetur.

ET misit Esaias filius Amos ad Hezechiam dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sennacherib, rege Assyriorum, hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum. Despexit te, & subsannauit te, virgo filia Sion, post te caput mouit, virgo filia Hierusalem. Cui exprobrasti, & quẽ blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam? & leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel. In manu seruorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi in altitudinem montium, iuga Libani, & succidam excelsa cedrorum eius, & electas abietes illius, & introibo altitudinem summitatis eius, saltum carmeli eius ego fodi, & bibi aquam, & siccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum.

VIrgo filia Sion) Vocatiui casus est, & periphrasis tenerè amabilis, quam Deus vnicè amabat: solemus enim tenerè amare ipsas virgines.

Cui exprobrasti) Apostrophe est ad Sennacherib.

Et succidam excelsa cedrorum &c.) Id est, quicquid est insigne in terra Israel, possidebo.

Saltum carmeli eius ego &c.) Iactat potentiam suam. Et illud, *Exsiccaui vestigio pedis &c.*) hunc habet sensum: Etiam flumina omnia siunt vadosa, & mihi peruia virtute & opere militum meorum.

NVnquid non audisti, quæ olim fecerim eis? Ex diebus antiquis ego plasmaui illud, & nunc adduxi, & factum est in eradicatione collium compugnantium, & ciuitatum munitarum. Habitatores earum breuiata a manu contremuerunt, & confusi sunt, facti sunt sicut fœnum agri, & gramen pascuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam matureſceret. Habitatio tua tuam, & egressum tuum, & introitum tuum ego cognoui,

& insaniam tuam contra me. Cùm furores aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis, & reducam te in viam per quam venisti. Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.

NVnquid nõ audisti quæ olim fecerim &c.) Verba Dei sunt, & pronomen (ei) non additur in 4. libro Regum. Sensus est: An non audisti Sennacherib, quid olim fecerim huic genti?

Ex diebus antiquis ego &c.) Id est, ex antiquo decreto permisi vt colles, id est, Principes, qui antè inter se pugnabant, eradicarentur, & exciderentur multæ vrbes inuictæ. *Habitatores earum breuiata manu*) Id est, concisa potentia ipsarum contremuerunt. Vel (vt Hieronymus exponit) me contrahente manum, & non præbente solitũ auxilium, contremuerunt.

Ponam ergo circulum in naribus tuis &c.) Hoc fieri videmus in bubulis. Sensus est: Ad meum arbitrium ducam te quò volo.

Tibi autem) Ezechiæ hoc erit signum hoc anno, hoc est, primo anno recessus Sennacherib, comede quæ sponte nascuntur ex illis relictis seminibus, quæ cõculcauit exercitus. *In anno verò secundo pomis vescere*) Id est, arboreo fructu. *In anno autem tertio*) Circa cuius initium redijt Sennacherib, *seminate, et metite*) Quasi dicat propheta, tunc erũt omnia libera, tuta, & secura, fugato Assyrio & obsidione laxata.

ET emittet id quod saluatum fuerit de domo Iuda, et quod reliquum est mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum, quia de Ierusalem exibunt reliquiæ, & saluatio de monte Sion, zelus Domini exercituum faciet istud, propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non introibit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via, qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatẽ hanc non ingredietur, dicit Dominus.

ET emittet id quod saluatum fuerit &c.) Significatur istis verbis lætissimus futurus exitus & successus lætus, quòd videlicet omnia rursus florebunt.

Quia de Ierusalem &c.) Id est, qui ex duabus his tribubus non perierunt, exibunt de Ierusalem, ad quam metu confugerant: exibunt in quam de Ierusalem quisque ad propria sua.

Et saluatio) Id est, reliquiæ saluatæ. *Zelus Domini exercituum faciet illud*) Id est, vehemens ille amor & singularis erga populum suum Israel faciet istud.

EGo protegam ciuitatem istam, vt saluem eam, propter me, & propter Dauid seruum meum. Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum. Et egressus est, & abijt. Et reuersus est Sennacherib, rex Assyriorum, & habitauit in Niniue. Et factum est, cùm adoraret in templo Nesrach deũ suum, Adramelech & Sarasar, filij eius percusserant eum gladio, fugeruntque in terram Ararath, & regnauit Asarhaddon filius eius pro eo.

EX eo quòd dicit, *propter Dauid seruum meum &c.*) discimus, quòd intantum iustitiam diligat Deus, vt etiam posteros sanctorum hominum, illorum virtute tueatur. Ararath autem regio est in Armenia, campestris & incredibilis vbertatis. Ararath.

CAPVT XXXVIII.



IN diebus illis ægrotauit Hezechias vsque ad mortem. Et introiuit ad eum Esaias filius Amos, propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus, dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Hezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Hezechias fletu magno.

IN diebus illis ægrotauit Hezechias &c.) An Ezechias ante deuictos Assyrios, an post, inciderit in morbum, non est ita certum, & parum refert: quæ autem fuerit causa morbi, non etiam certò constat. Commentarius autem Hieronymi habet: Ne eleuaretur cor ipsius post incredibiles triumphos, immisit ei Dominus hunc morbum. Quod autem nõs habemus in nominatiuo, propheta, & in superiori capite prophetã, in accusatiuo, Hieronymus vertit in genitiuo, prophetæ, & sic interpretatur. Morbus Ezechiæ.

Dispone domui tuæ) Sensus est: compone res tuas familiares, & negotia regni tui. *Quia morieris tu & non viues*) Non vt est in dispositione diuina, sed vt est in causis secundis: spectando enim causas secundas morieris, hoc est, talis est hic morbus tuus, & tam grauis, vt humanitùs nõ possis euadere mortẽ.

Et conuertit Ezechias &c.) Nè lachrymas suas ostentaret astantibus siue assidentibus, cõuertit faciem ad parietem. Sic Hiero-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nymus. Alij dicunt illum faciem cõuertisse, vt versus templum oraret: non autem precatur vitã & annos plurimos, sed Dei iudicio quid velit præstare, dimittit. Quid autem sit ambulare, iam sæpiùs dictum est.

In veritate) Id est, sine hypocrisi: quod feci, ex animo feci. Quærunt hic interpretes, quorsum Hezechias commemoret suam sanctitatem. Commentarius autẽ Hieronymi sic habet: Iturus ad Dominum, narrat opera sua, quomodo ambulauerit coram eo in veritate & corde perfecto: Felix conscientia, quę afflictionis tempore bonorum operum recordatur. Istud contra Lutheranos notandum est. Commemorat ergo opera sua, vt in spem & fiduciam animũ erigat, quod eodem consilio fecit Hilarion Eremita iam moriturus: Egredere, iuquit, anima mea, septem annis Deo seruiuisti, quid times? Hieronymus in vita Hilarionis.

In corde perfecto) Secundum Hieronymum perfectionem cordis in eo dicit, quod idola & lucos euerterit, vt sit sensus: In rebus religionis & ad cultum tuum pertinentibus nihil, quod faciendum putabam, prætermisi, idola & lucos subuerti, integrè & ex animo hæc feci. Augustinus autem, In corde perfecto, interpretatur irreprehensibiliter, id est, sine crimine, interim multas maculas & veniales culpas contraxit Ezechias, sed per gratiam Dei lachrymis & alijs bonis operibus etiã incessanter ab eis sese mundauit. Non ignorabat Ezechias, quod scriptũ est: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et rursus: Quis gloriabitur mundum se habere cor? Secundum quandam itaque rationẽ iusti in hac vita perfecti sunt, quanquam interim etiam imperfecti. Indicauit vtrumq; Apostolus in epistola ad Philippenses scripta, Non quòd iam apprehenderim aut perfectus sim &c. Et mox: Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus &c.

Iustos aliqua ratione esse perfectos in hac vita.

Et fleuit Ezechias &c.) Quærunt interpretes, quid mouerit Ezechiam ad fletũ. Secundum Hieronymum, flet propter promissionem Domini ad Dauid, quòd ex semine illius nasceretur Messias, quam in se videbat per mortẽ perituram: nam eo tempore non habebat filiũ. Adfert & aliam causam: Iusti, inquit, quantumuis sancti morte terrentur propter incertum diem iudicij, & ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint. Istud contra Lutheranos notandum est, qui nullum admittunt in iusto timorem.

Causa fletus Ezechiæ.

ET *factum est verbum Domini ad Esaiam, dicens: Vade, & dic Hezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam. Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est. Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz, in sole retrorsum, decem lineis. Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.*

ET *factum est verbum Domini ad Esaiam &c.*) Flente Ezechia, priusquam egrederetur Esaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens: *Reuertere, & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui*) Inducitur autem Dauid propter promissionem ipsi factam de Messia, quam in se per mortem suam Ezechias perituram timebat.

Ecce ego adijciam ad dies tuos &c.) Ex hoc loco refutatur error Origenis, qui dicebat animas in corpore detentas propter peccata in altera vita commissa: nam si in corpore viuere condemnatio est, quomodo (ait Hieronymus) nunc Dominus donat pro beneficio, vt qui liberandus erat, adhuc quindecim annis viuat in carcere? Simulque fati quæstio soluitur atque necessitatis vincula & causarum, quòd nequaquam dies mortis singulis præstituta sit, sed voluntate Dei & ignotis mortalibus causis vel viuat aliquis vel moriatur, præsertim cùm & statuta mortis nunc necessitas differatur.

Et de manu Assyriorum eruam te &c.) Ex hoc loco habetur argumentum, quòd inciderit in morbum ante percussum exercitum Sennacherib per Angelum. Verùm soluit illud Dionysius Carthusianus, exponẽs hoc modo: De manu Assyriorum eruam te, & liberabo etiam in reliquum tempus vitæ: iam liberatus es de manu illius, etiam in posterum liberabo.

In horologio Achaz) Solent Reges ferè habere sua horologia. De horologio autẽ isto variè sentiunt interpretes: putant enim quidam lineas in eo ita distinctas fuisse, quòd vmbra solis tangens lineam, dimidiatã tantùm horam efficeret. Atque secundum istos dies hæc non fuit prolongata nisi decẽ horis, quinque videlicet in retrogressu solis ad Orientem, & quinque, quibus sol reuertitur est ad punctum, à quo regredi cœperat. Alij verò opinantur non dimidiatam, sed integram effecisse horam, secundum quos prolongata fuit dies ista viginti horis. Atque hæc est sententia Dionysij Ariopagitæ principis Theologorum, in epistola ad Policarpum, cui hac in re credendum est, vtpote qui instructus fuerit à Paulo Apostolo.

Scriptura

Scriptura Hezechiæ regis Iuda, cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua. Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi. Quæsiui residuum annorum meorum, dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium, Non aspiciam hominem vltrà, & habitatorẽ quietis. Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorũ. Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me. De mane vsque ad vesperam finies me. Sperabam vsque ad mane. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.

Scriptura Hezechiæ Regis &c.) Istud est titulus carminis quod sequitur, videlicet: *Ego in dimidio dierum meorum &c.*) Quod carmen hic scriptura appellatur. Narrat Ezechias, quid tempore prementis angustiæ imminentisq; languoris tacitè cogitarit: Dixi, inquit, in corde meo, Vadam ad portas inferi, hoc est, moriar. Quæ periphrasis hinc nata videtur, quòd illo tempore nondum pateret aditus ad regnum cœlorũ. *In dimidio dierũ meorum*) Quia iam erat trigintanouem annorum, quod est dimidium tempus vitæ humanæ. *Quæsiui residuum annorum meorum*) Id est, cùm essem trigintanouem annorum, credidi me planè moriturum. *Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium*) Sensus est: In templo illo publico non ita agam cum Domino Deo, quemadmodum hactenus egi. An autem terram viuentium vocet simpliciter eorum, qui viuunt hic corporali vita: an verò eorum, qui viuunt spe, fide, & charitate, ex scriptura non ita certum est.

Non aspiciam hominem vltrà &c.) Quasi dicat Ezechias: Posthac populus meus & ciuitas mea fruetur pace ab Assyrijs, & iam mihi moriendum est. Generatio mea, id est, vita mea ablata est & conuoluta instar tabernaculi pastoris. De conuolutione autem dictum est suprà, capite 34. vbi dicitur: Complicabuntur sicut liber cœli &c. Ipsi autem pastores quoties mutant sedes, conuoluunt tabernaculum suum & transferunt: hoc modo, ait Ezechias, mihi agendum est. Eandem sententiam habet versus sequens: *Præcisa est velut à texente vita mea &c.*) Id est, quemadmodum textor præcidit telam, ita in opinatõ, & præter expectationẽ est mihi moriendum. *De mane vsq; ad vesperam finies me &c.*) Id est, infra vnius diei spaciũ finies me, id est, tãtus est morbus hic, vt videar nõ posse vno die superuiuere. *Sperabã vsq; ad mane*) scilicet sequẽtis diei, hoc est, cùm nocte essem bona spe, mane cœpi desperare, prorsus decidit me morbus & vicit. *Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea*) Istud verum esse nouit, qui magnis febribus æstuat, cuius ignis internus in similitudinẽ leonis omnia corporis ossa consumit, nec putat se præ doloris magnitudine vltrà esse victurum.

DE mane vsque ad vesperam finies me, sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim? Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Sicut pullus hirundinis &c.) Ezechias gemitum suum clamori hirundinis comparat. De verbo autem meditandi dictum est capite 33. Sensus est: In similitudinem hirundinis & columbæ fletibus atque gemitibus dies noctibus iungebam, & à Deo solo, qui poterat subuenire: eleuatis in altũ oculis, auxilium præstolabar, atq; hoc est quod dicit, *Attenuati sunt oculi mei*) scilicet fatigatione, id est, sic respexi ad Dominũ, vt oculi mei fatigarentur.

Domine vim patior &c.) Significat vehementiam morbi. Sensus est: Domine, grauissimè affligor & crucior adeò, vt nequeam sustinere dolorem.

Responde pro me) Id est, suscipe patrocinium meum, non possum par esse dolori: & quia durius aliquid loquutus videbatur, dum diceret: Domine, vim patior, rursus in seueritatem conuertitur, & ait: quid dicam? hoc est, quid causabor cõtra factorem meum? potius erat patiendum quàm huiusmodi aliquid effari. *Aut quid respondebit mihi?*) qui fecit ipse quod voluit, hoc est, qui morbum hunc secreto consilio immisit mihi: Sustinenda ergo sunt quæcunque ipse decreuerit.

Recogitabo omnes annos &c.) Hieronymus aliter legit, hoc modo: Reputabo omnes annos vitæ meæ, sine pronomine, tibi.

Qui autem interpretantur, quod nos habemus, referunt ad affectum pœnitẽtis, hoc sensu: Ad memoriam reuocabo cum dolore omnia, quæ feci tempore vitæ meæ.

Commentarius verò Hieronymi hoc modo exponit: Cùm tribulationis tempus aduenerit, omne quod præteritum est, nihil adiuuat sustinentem. Vnde stulta Epicuri sententia est, qui asserit recordatione bonorum præteritorum mala præsentia mitigari: Ergo Ezechias reputare se dicit omnes annos regni sui, & omnia quæ interea acciderunt præsenti amaritudine superari, hoc est, tanta est hæc præsens amaritudo, vt pro nihilo habeam omnem præcedentem felicitatem regni mei. Prior sensus est quidem

pius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pius, sed pium adserre sensum non est satis pro reuerentia scripturæ.

Domine si sic viuitur &c.) Quia iam securus est, ait Hieronymus, nec patitur quæ refert de humano statu, philosophatur dicés: Domine si sic viuitur, hoc est, si talis est conditio hominis, si ad hoc sumus nati, vt huiusmodi patiamur, qualia passus sum.

Et in talibus vita spiritus mei) Hoc est, si vita, quam viuimus, versetur in talibus miserijs, permitto me tibi, corripe me tu quoties vis, sed tantùm viuifica me. Quia Hebræi carent futuro optatiui, eius vice vtuntur futuro indicatiui: Sic hoc loco, corripies & viuificabis, pro corripias & viuifices.

Ecce in pace amaritudo mea &c.) Sensus est: In media pace & tranquillitate reddita populo & ciuitati meæ patior amarissima, & limina mortis intraui: Sic Hieronymus. Potest & hic esse sensus: Ecce tristitia illa, quam passus sum, iam in pace est, versa est enim in gaudium. Ex ipsa phrasi colligi non potest, vter sensus sit probabilior.

TV autem eruisti animam meam, vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea: quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Viuens, viuens, ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, pater filijs notam faciet veritatem tuam. Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ, in domo Domini.

TV autem eruisti animam meam &c.) Tu Domine seruasti animam meam, ne periret, vel præsenti vitæ vel futuræ: proiecisti post tergum omnia peccata mea, ne illa tristis aspicerem, sed tuam misericordiam contemplarer, atq; hæc tu facis non motus meis meritis, sed gloria nominis tui. Vis à nobis laudari, & quia non est pulchra seu speciosa laus in ore peccatoris, proiecisti omnia peccata mea post tergum tuum, id est, condonasti ea & oblitus es, & eruisti animam meam ne periret.

Quia non infernus &c.) Id est, illi, qui in inferno sunt, non confitebuntur tibi. Confessio hoc loco non pro pœnitentia, sed pro gloria & laude accipitur: *Neque mors laudabit te*) Hoc alijs verbis in Psalm. dicitur: Non mortui laudabunt te Domine. *Non expectabunt qui descendunt in lacum*) Id est, Infernum, *Veritatem tuam*) quæ videlicet pertinet ad promissum Messiam, quem expectamus nos, non autem Inferi.

Pater filijs notam faciet veritatem tuam) Quasi dicat Ezechias: Tua refert Domine, vt gens Iudaica non semel pereat, alioquin quis narrabit posteris veritatem? Pater non faciet notam eam filijs: Ergo saluum me fac, & omnes qui in te credimus, vt tuo auxilio liberati, cantica laudis cantemus in templo sancto tuo omnibus diebus nostris. Verba hæc, Domine saluum me fac, quidam accipiunt vt sint Ezechiæ: alij verò putant esse orationem prophetæ Esaiæ.

ET iussit Esaias, vt tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus eius, & sanaretur. Et dixit Hezechias: Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini?

ET iussit Esaias &c.) Istud priùs legendum est, quàm scriptura Ezechiæ, quam nunc interpretati sumus: antè enim cataplasma vulneri impositum est, & prius signũ ab eo postulatũ futuræ sanitatis, quàm gratias ageret Domino, quod dicitur fecisse sanatus. Cæterùm quod signum datum sit, superior historiæ ordo narrauit. vide cap. 20. 4. lib. Regum, vbi consequentius ista leguntur. Vox autem Hebræa, quam noster interpres vulnus transtulit, secundum Iudæos non vulnus sonat, sed hulcus, quemadmodum in Commentarijs refert Hieronymus. Nam & Aquila, Symmachus, & Theodotio ἕλκος interpretati sunt, per quod morbum regium intelligi volunt, cui contraria putantur vel sumpta in cibo, vel apposita corpori quæcunque sunt dulcia. Ergo, vt Dei potẽtia monstraretur, per res noxias & aduersas sanitas restituta est. Alij verò non hulcus, sed apostema significari arbitrantur, quando tumens corpus cocto & putrescente pure completur, & iuxta artem medicorum omnis sanies ficcioribus ficis atque contusis in cutis superficiem prouocatur, ac per hoc non spernendam esse medicinam, quæ vsu constat & experimento, quòd & hanc fecit Deus.

CAPVT XXXIX.

IN tempore illo, misit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros & munera, ad Hezechiã. Audierat enim quòd ægrotasset & conualuisset. Lætatus est autem super eis Hezechias, & ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas suppellectilis suæ, & vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris suis. Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Hezechias, in domo sua, & in omni potestate sua.

IN tempore illo &c.) Hunc Merodach Baladan Hebræi putant patrẽ fuisse Nabuchodonosor Regis. Libros autem vocat literas ad Ezechiam missas. Secundum Hebræos ergo sensus est: Eodem anno quo supradicta, gesta sunt, Merodach Beladam pater Nabuchodonosor Regis misit literas & munera ad Ezechiam Regem.

Audierat enim quòd ægrotasset &c.) In Chaldæa namque, cuius præcipua ciuitas Babylon erat, periti erant Astronomi, qui cùm vidissent solis cursum commutatum, & causam inquirerent, fama per omnes volitante didicerunt hoc fuisse factum propter Ezechiam, qui ægrotasset & iterũ conualuisset. Misit ergo Merodach legatos suos ad Ezechiam, vt congratularentur ei, & plenius de portento quod acciderat, interrogarẽt. Vide caput trigesimũ secũdum li. secundi Paral.

Lætatus est autem super eis Ezechias) scilicet in aduentu legatorum Merodach, & in oblatione munerum, & in congratulatione sanitatis suæ. Lætat⁹ est autẽ inepte, ita quòd eleuatum sit cor eius in muneribus oblatis. Vide caput, 32. libri secũdi Paral. vbi sic scribitur: In legatione principum Babylonis reliquit eum Deus, vt tentaretur & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius. Et rursus: Non iuxta beneficia, quę acceperat, retribuit, quia exaltatum est cor eius.

Et ostendit eis &c.) Ostendit eis non solùm thesauros palatij sui, sed etiam templi, quod ex eo colligitur quia subiungitur: Non fuit verbum (quod iuxta Hebraicam consuetudinem pro re frequenter accipitur) quod non ostenderit in omni potestate sua. In potestate autem ipsius erant & thesauri templi, de cui⁹ valuis auri laminas iam antè tulerat. Quod autem peccauit in isto facto Ezechias colligitur facilè ex sequentibus, cùm dicitur: Ecce dies veniẽt &c. Ex quo iuxta leges quoque tropologiæ, discimus non mittendas margaritas ante porcos, nec sanctum dãdum canibus.

INtroiuit autem Esaias propheta ad Hezechiam Regem, et dixit ei: Quid dixerunt viri isti, et vnde venerunt ad te? Et dixit Hezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Hezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, viderũt. Non fuit res quam non ostenderim eis, in thesauris meis. Et dixit Esaias ad Hezechiam: Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui, vsque ad diem hanc, in Babylonem. Non relinquetur quicquã, dicit Dominus. Et de filijs tuis, qui exibunt de te quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Hezechias ad Esaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus est, Et dixit: Fiat tantùm pax, & veritas in diebus meis.

DE terra lõginqua &c.) Istud cum emphasi & supercilio legendum est, ac si dicat:

Tanti ego fio, vt venirent ad me de terra longinqua, de Babylone, quæ vrbs in toto terrarum orbe potentissima est. Est ergo hoc loco vana gloria & iactantia ipsius Regis.

Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt.) Alterum, videlicet de thesauris templi, vnde offensam verebatur, tacet.

Et de filijs tuis) id est nepotibus tuis, quos genueris non per te sed per alios, tollent & eunuchi erunt in palatio Regis Babylonis. Ex quo Hebræi volunt Danielem, Ananiam, Misael, & Azariam, qui fuerunt de regio semine, factos esse eunuchos, quos in ministerio Nabugodonosor fuisse non est dubium.

Fiat tantùm pax &c.) In his verbis reprehenditur Ezechias ab Hebræis (referente Hieronymo) quia non dixit imitatus Moysen, qui aiebat, Aut dimitte eis noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti, quasi contra humanitatem, aliquam videatur hic neglexisse curam populi. An autem istud approbet Hieronymus incertum est. Pax autem ad corpus, qualis est pax à bellis: veritas verò ad animum refertur: Sic quidam. Dionysius verò Carth. veritatem pro iusticia accipit. Sed rectè (ni fallor) intelleximus de veritate, quæ pertinet ad promissum Messiam, hoc sensu: Ego scio futurum Domine vt nascatur aliquando Messias, certus sum quòd non excidet promissum: multa quidẽ possunt interuenire, sed quidquid interuenerit, tu nihilominus præstabis promissum, si filij transferantur in Babylonem, tu possis eos restituere: hoc tantùm opto & cupio, vt veritas promissionis appareat populo eo tempore, quo ego viuo: vt appareat populo hoc promissum præstandũ, de quo fortè ambigerent, si ad alias terras transferrentur captiui.

CAPVT XL.

CONsolamini, consolamini, populę meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam, quoniam completa est malicia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis.

MAgna profecto res est & incomparabilis, audire à Domino, consolamini: & quia lætissimum est Euangelium, propterea in primis laborandum est, vt sciatur ad quos pertineat. Iudæorum autem quidam referũt ista ad finem præcedentis capitis, ad illa Ezechiæ verba, Fiat tantùm pax &c. hoc modo: Ezechias videtur securus de populo, & tantùm suam spectare commoditatem, cùm ait,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ait, fiat tantùm pax in diebꝰ meis, propterea Dominꝰ Deus suscepit curã vestri. Hęc dicit Deus vester, ecce Ezechias Rex vester deserit vos ac negligit, sed ego consolabor vos. Istud commentum non esse probabile, clarum erit ex sequentibus, quæ non quadrãt in populum illius temporis. Aduertendum est ergo captiuitatem humani generis sub tyrannide diaboli non semper simplicibus verbis, sed sub typis frequenter prophetas proponere. Quò fit vt quidam nimis propẽsi ad literam sæpe errent, vim inferentes literæ: Et rursus, alij nimis addicti figuris & tropis etiam errent, sine causſa & necessitate relinquentes literam. Et sicut captiuitatem, ita quoque frequenter redemptionem humani generis sub typis proponunt. Erat autem humanum genus sub diabolo captiuum, erant & Iudæi olim captiui sub Rege Babylonio, soluta est eorum captiuitas, item & humani generis. Hanc vtrauque captiuitatem & liberationem è captiuitate ita miscẽt prophetæ, vt sæpe nescias quò respiciant. Læta ergo quæ sequuntur etiam ab Hebræorum nonnullis ad tempora Messiæ referuntur: Intelligunt siquidem beneficia hæc maiora esse, quàm quæ conueniant liberationi è captiuitate Babylonica, videntes nimirũ sub beneficio Cyri maius aliquod beneficium nimirum Christi adumbratum esse. Habet itaque litera:

Consolamini, consolamini) Istud intelligunt quidam hoc modo: Hactenus fuistis in Babylone captiui, iam regno Babylonis succedet Rex alius, nimirum Cyrus, qui dimittet vos & soluet captiuitatem. Istud reijci non potest vt impium, si intelligatur vt typus, in quo aliquid aliud adumbretur, scilicet consolatio pertinens ad totum terrarũ orbem. Verùm an primò & immediatè de beneficio ad totum orbem pertinente potius accipiendum sit, ex sequentibus patebit.

Zach. 2. *Populę meus*) Quis sit iste populus interpretatur Zacharias, secundum Hier. cùm ait: Gaude & lætare filia Sion: quia ecce veniam & habitabo in medio tui, & confugient gentes multæ ad Dominũ in die illa, & erũt ei in populum. Totus itaque cœtus ille, qui crediturus est in Christum, hic nomine populi significatur, siue Iudæi sint, siue gentes, quod etiam patet capite primo Oseæ.

Loquimi ad cor Hierusalem) Idioma ait Hieronymus scripturarum est, qui mœrenti loquitur, & blandiens consolatur, dicitur ei loqui ad cor. Patet hoc 32. Gen. vbi de Sichen scribitur, quòd Dinę, quã corruperat, ad cor loquutus sit, & blanditus est illi, hoc est, humanitate & obsequijs studuerat auferre ei mœrorem. Sensus ergo huius, Loquimini ad cor Hierusalẽ, est iste: Proponite ipsi Hierusalem non tristia, non comminationes, non pœnas, sed læta & consolatoria: quia ego factus sum ei propitius & desii irasci. Sic Ozeæ. 2. cap. Post enumerata mala & in media ira Deus subitò ad misericordiam conuersus ait: Lactabo eam & loquar ad cor eius, & demulcebo eam.

Quoniam completa est malitia eius) Iudęus aliquis istud exponeret hoc modo: Non erunt amplius captiui, satis pœnarum dederunt. Sed Christianꝰ aliter interpretatur, hoc modo: Consummata est malitia eius, id est, remissio peccatorum facta est, Deus statuit misereri vobis & auferre peccata vestra. Apud Latinos vnũ exemplar est, quod pro malitia habet militia, neque ex commentarijs Hieronymi constat vtro modo sit legendum. Quidã autem ex Hebræo vertũt, Quia completum est tempus eius. Sed quia vulgata exemplaria habent malitia, non est temerè reijciendum.

Suscepit de manu Domini duplicia) Per duplicia nonnulli ex Hebræis duas intelligũt captiuitates, Babylonicam nimirum & Romanam, hoc sensu: Bis punita est Hierusalẽ pro tot peccatis infidelitatis & idololatriæ, semel per Chaldæos siue Babylonios, & semel per Romanos. Alij verò interpretes per duplicia intelligunt parentum peccata & filiorum, hoc sensu: Dominus puniuit tam parentum peccata quàm filiorum. ex Christianis autem nonnulli per duplicia accipiunt tormenta corporis & animæ, hoc sensu: Et iã cõpleta est castigatio eius pro peccatis õnibus. Verùm quia Euangelium est, hoc modo videtur intelligendum: Hactenus Hierusalem afflicta est malis, seruiuit sub tyrannide diaboli, iam liberauit Dominus, & non solùm liberauit sed & multis beneficiis affecit. Per duplicia ergo intelligimus & redemptionem siue liberationem à diabolo, & dona siue chrismata Spiritus, quæ largitur credentibus: idque pro omnibus peccatis suis, hoc est cùm nos peccatis nostris meremur mala ac supplicia, Deus Pater propter Christum reddidit hæc dona ac beneficia.

Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, et aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini loquutum est.

Vox clamãtis in deserto &c.) Huius vocis memores Scribæ & Pharisæi cũ audirẽt Iohannem in deserto docere populum, miserunt ad eum Leuitas & Sacerdotes, vt ex ipso interrogarent quis esset: cumq; assereret nec Christum se esse, nec Heliam, neque prophetam, tandem omnino scire volentibus quis

quis esset, ait: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, sicut dixit Esaias propheta. Vbi quærendum, an generali an proprio nomine vocem hãc ad se referat Iohannes, hoc est, an istud quod dicitur hîc apud Esaiam, vox clamantis &c. ad literam intelligere oporteat de Iohanne, an potius generalius accipiendum sit vt talis vox intelligatur & Petrus & Paulus & cæteri Apostoli & Apostolici viri. Quod autem additur, In deserto, docere videtur vocem hanc propriè pertinere ad Iohannem: ipse enim in deserto versabatur, vt dicat Propheta venturum magnũ prophetam, & illum versaturum non in vrbe, sed in deserto, atque ibi prædicaturum Euangelium. Quòd etiam possit aliter accipi videtur ex eo quod mox additur: Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri, Vbi solitudo figurata est siue Iudæi sint, siue Gẽtiles, siue vtrique. Illud autem, *Parate viam Domini*) idem est cum eo quod in Euangelio dicitur, pœnitentiam agite.

Omnis vallis exaltabitur &c.) His verbis in summa significatur expeditio & facilitas itineris: Futurum est coruscante Euangelio quod nunc prædico, vt iter, per quod ingredientur homines, facile sit & expeditũ, omnia illa impedimenta quæ erant in genere humano siue per peccata siue per legis difficultatem, tollentur. Omnis ergo vallis exaltabitur, id est, qui manent nunc peccatorũ pondere pressi, erigentur per Christi Euangelium: *Et omnis mons & collis humiliabitur*) hoc est, qui nimium sibi fidebant, desistent sibi fidere: *Et erunt prauа in directa &c.*) id est, Gentes asperę, distortæ & intractabiles feritate, discent mitescere ad Christi doctrinam, præbebunt se dociles formandosque ipsis Apostolis.

Et reuelabitur gloria Domini &c.) Id est, exhibebitur tale aliquod opus, per quod Dominus glorificabitur: edetur nobilissimum exemplum humanitatis & benignitatis Dei, quando prauа ista fient in directa, & aspera in vias planas: Tunc videbitur quàm bonus sit Dominus, quãdo spiritus Domini effundetur supra omnem carnem, quando in istis regionibus vbi colebantur Ioues, Mercurij, ligna, lapides, adorabunt Deum in spiritu & veritate: Tunc agnoscent omnes quod os Domini locutum est. In voce (caro) notatio est: Significantur enim omnes qui ad doctrinam Euangelij cor adferent carneum, id est, qui præbebunt se dociles.

Vox dicentis, clama. Et dixi. Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: quia spiritus Domini sufflauit in eo. Vere fœnum est populus. Exsiccatum est fœnũ, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.

Vox dicentis &c.) Hactenus autem proposuit propheta lætissimum Euangelium: quod verò iam dicit, non tam Euangelium est quàm philosophia, quam intellexerunt etiam Plato & Aristoteles. Commentarius autem Hier. super hunc locum sic habet: Reuera si quis fragilitatem carnis aspiciat, & quod horarum momentis crescimus atque decrescimus, nec in eodem statu manemus ipsumq; quod loquimur, dictamus & scribimus, de vitæ nostræ parte præteruolat, non dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni siue prata camporum. Qui dudum infans, subito puer: qui puer, repente iuuenis: & vsque ad senectutem per spacia mutatur incerta: & ante se senem intelligit, quàm iuuenem nõ esse se miretur. Pulchra mulier quæ post se adulescentulorum trahebat greges arata fronte contrahitur: & quæ prius amori, postea fastidio est. Quod & egregius apud Græcos scribit Orator, spem corporis aut tempore deficere, aut languore consumi. Hactenus Hieronymus. Sed quorsum hæc philosophia, quam etiam Gentilis intelligit? Quãtum colligere licet ex commentarijs Hier. ideo Esaias hanc philosophiam de fragilitate humanæ naturæ adducit: vt intelligant homines quòd suis viribus non possint ad hoc Euãgelium aspirare: vt agnoscant quod ex natiuitate carnali nihil habeant, quàm quòd sint fœnum, fieri tamen posse vt perpetuo maneant & immortales fiant, si videlicet Euangelium amplectantur & illud venerentur.

Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalẽ. Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.

Super montem &c.) Quod ad lectionem attinet, incertũ est, an legi debeat, quæ euangelizas, an qui euangelizas. Commentarius autem Hieronymi hoc modo habet: Præcipitur Apostolorum choro, vt ad prædicationem omnis carnis, quæ visura sit salutare Dei nostri, excelsa conscendãt, & de magnis dicturi in sublimibus commorentur. Porro Hebraicum exemplar & cæteri interpretes ponunt in genere fœminino, vt dicant: Quę euangelizas Sion, & quæ euangelizas Ierusalem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

salem. Quod verbum iuxta Græcos ambiguum est, vt posimus accipere vel eam quæ annunciat, vel eam cui annunciatur. Hactenus Hierony. Ex quo licet colligere quòd ipse legerit, Quæ euangelizas Sion, & ita iubetur Sion, vt annunciet verbum Dei & salutare eius: Vt Sion intelligatur esse vocatiui casus hoc modo: O tu Sion, quæ enangelizas, ascende super montem, ecce de te egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem: tu eris magistra orbis terrarum, docebis ea in quibus vera salus sita sit, quod Plato non potuit. Apud Hebræos, quæ euangelizas, est benoni siue formam habens benoni, id est, participij euangelizans siue euangelizatrix. Et quia res magna est, quæ nunciari debet, iubetur ascendere montem, vt facilius & à pluribus audiatur.

Dic ciuitatibus Iudæ &c.) Id est, dic reliquis ciuitatibꝰ istud quod iam sequitur: *Ecce Deus vester &c.*) id est, Deus ille totus expectatus & tam diu feruenti animo desideratus, iã adest, corporeis oculis eum videre licet, iam licet eum contrectare manibus: ipse suscipiet bellum contra mundi principem, id est, diabolum: ipse alligabit fortem & diripiet vasa eius, hoc est quod dicit, In fortitudine veniet.

Et brachium eius dominabitur) Id est, non dominabitur nobis amplius peccatum siue malum habitans in carne nostra, sed dominabitur in nobis brachium Dei, id est, fortitudo Dei & gratia illius. Gratia enim Christi sit quòd non dominetur in nobis peccatum: in omnibus illis turbinibus iræ, inuidiæ, superbiæ, ita agere, vt non obruamur, vt non vincamur, licet interdum maculemur, beneficium Christi est maximum & pulcherrimum.

Ecce merces eius cum eo) Id est, in promptu habet mercedem & in numerato: *Et opus eius cum eo*) Id est, facere erit ei maximè in promptu. Merces hoc loco ad vtrunque pertinet & ad bonum & ad malum hoc sensu: Qui per fidem Christum receperint accipient aliquid ab eo, nimirum vitam æternã: Similiter qui ipsum reijcient, etiam acceptu ri sunt aliquid nimirum æternam damnationem.

Sicut pastor gregem suum pascet) Istud imprimis pertinet ad euangelium, hoc sensu: Tam diligens erit erga homines, quàm est pastor erga agnos suos: quicquid præstat agnis pastor, hoc præstabit & hodie præstat Christus suis, portat eos in humeris, dirigit, pascit &c. Non dixit autem propheta, In brachio suo congregabit tauros, hircos & arietes, quibus per Ezechielẽ cõminatur, quòd lacte vescantur, & operiantur lanis, & infirmum conterant gregem: Sed dixit, agnos, id est, simplicem plebem & innocuum populũ Christianum. *Et fœtas oues ipse portabit*) per quas intelligit Hier. Apostolos & apostolicos viros, omnesque Ecclesiæ doctores, qui salutem pariunt plurimorum.

Quis mensus est pugillo aquas, et cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ? & librauit in pondere montes, & colles in statera? quis adiuuit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & quis instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ? & eruditum eum scientia? & viam prudentiæ ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: Et insulæ quasi puluis exiguus, & Libanus non sufficiet ad succẽdendũ, & animalia eius non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint. sic sunt coram eo, & quasi nihilũ, & inanæ reputatæ sunt ei.

Quis mensus est pugillo aquas &c.) Et hic philosophia est eaque physica. Diceret forte Gentes, Tu dicis ista, tu proponis nobis istud Euangelium: Est istud probabile quòd Deus ipse veniet & hæc faciet nobis? Propterea ne quis difficilem putaret esse vocationẽ Gentiũ, & quòd omnis caro videret salutare Dei: quòd ipse Dominus veniret in fortitudine, redderetq; vnicuiq; secundum opus suum: instarq; pastoris agnos foueret in sinu, & fœtas ipse portaret: describitur eius magnitudo, quòd nihil erit ei impossibile, & qui vniuersa condiderit, creatorque sit omnium, etiam hæc quæ cõparatione eorũ praua sunt, valeat perpetrare. Sic Hier. ac si dicat propheta: Non est Deo difficile hæc præstare, habitare in nobis, dare nobis spiritum suũ, per singula momenta regere nos: nõ est inquam ei difficile, propter ipsius magnitudinẽ. Magna quidem res est minimo digito quem vulgo gustatorẽ vocant omnẽ aquarũ vastitatem ponderare seu pugillo mensurare: Est præterea res magna tribus digitulis tantã molem ipsam videlicet terrã suspendere: Qui aũt hæc fecit, Dominus est, ipsi etiam facillimũ erit ex lapidibus facere filios Abrahæ, id est, ex Gẽtibus filios Dei. Propter hãc causam, hanc de magnitudine Dei philosophiã proponit propheta. Quod aũt pugillũ vocat, & palmũ, humanę consuetudinis vtitur verbis atq; mensuris, vt incomprehensibilẽ Dei potentiã per nostra verba discamus. Pro pugillo Aquila transtulit minimũ siue parũ digitum. Significat aũt palmus extentam manũ à pollice vsq; ad extremum digitum, quod si contrahamus manum, iam pugillus efficitur. Possit iam aliquis mirari, quare Deus hæc faciat, cur ipsemet veniat & portet fœtas in humeris? quare & tandẽ post tot elapsa sæcula venerit? quare Gentes à cognitione ipsius omnino alienas ad fidẽ vocauerit, Iudæis

dæis quibus legem dederat, quibus promissiones factę erant, reiectis? Hoc autem à nostra notitia absconditũ est, & nisi audiamus ab aliquo Dei consiliario, non possumus intelligere. Paulus in genere significauit in epistola ad Romanos scripta, cùm ait: Nolo vos ignorare fratres, quoniam ex parte contigit cæcitas in Israel &c. Ex illo loco intelligere possumus, quorsum propheta quę sequũtur dicat, videlicet: Quis adiuuit spiritum Domini, & consiliarius eius fuit? Ideo quemadmodũ diximus, propheta hæc proponit, vt desinat homo inquirere, quare ipsemet Deus hæc & his modis fecerit, quia hoc consilium non est notum hominibus, & longe ab eorum intellectu remotum.

Ecce gentes quasi stilla situlæ) Et hæc pertinent ad Dei potentiam intelligendam, & eodem consilio proponuntur quo alia. Commentarius autẽ Hier. sic habet: Omnes gentes quę non nouerunt creatorem suum, siue vniuersum mortalium genus ad cõparationem Dei quasi stilla situlæ sunt, & quasi momentum staterę, quod leui pondere in alteram partem declinatur. Pro puluere exiguo, in Hebræo est vnica vox, qua significatur leuissimus puluis, qui vento raptante sæpe in oculos mittitur, & sentitur potius quàm videtur. Democritus aũt & Epicurus huiusmodi pulueres atomos vocant: Theodotion verò & Sym. propter interpretandi difficultatẽ, ipsum Hebraicũ ponentes, dixerunt: Ecce insulæ sicut Dar, quod cecidit. Minutissima ergo frusta puluerisꝰ & pænè inuisibilia hoc verbo appellantur.

Et libanus non sufficiet &c.) Etiam ista pertinent ad magnitudinem Dei ostendẽdam, hoc sensu: Tantus est Dominus Deus, quòd omnia ligna Libani, & armẽta quæ in eo pascũtur holocaustis ipsius sufficere nequeũt: Deo nihil satis dignum potest offerri, tanta est eius magnitudo: simulq; hæc dicit, vt homines abducat paulatim ab idololatria.

Omnes gentes quasi non sint &c.) In Gentibus Hier. etiam intelligit Iudæos, hoc sensu: Omnes omnino homines sine exceptione sic sunt coram Deo quasi nõ sint. Quod Hebraice dictũ est, sicut & apud Paulum in priori epistola ad Cor. Elegit Deus ea quæ non sunt, id est, quę pro nihilo habentur, quæ in nulla sunt æstimatione. Latinè ergo dicere-mus hoc modo: Omnes homines ad Deum cõparati nullius sunt momenti, nullius æstimationis, imo nihil omnino.

Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid sculptile conflabit faber, aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum & imputribile elegit, artifex sapiens quærit quo modo statuat simulachrum, quod non moueatur. Nunquid nõ scietis? Nunquid nõ audistis? Nunquid non annunciatum est vobis ab initio? Nunquid non intellexistis fundamenta terræ?

Cui ergo similem fecistis Deum? &c.) Hoc dicit contra omnes idololatras, hoc sensu: Cùm tantus sit Deus, & tanta eius maiestas, quòd respectu magnitudinis eius omnes homines sint tanquam nihil, quomodo eum representare potestis imaginibus? Grata aũt esse debet gentibus hæc earum mẽtio, quod etiam in illo capite vbi Euangelium annunciatur de ipsis sermo sit, vt sciant etiã se pertinere ad Euangeliũ: Atq; irridet propheta stultitiam Gentium putantiũ hoc esse Deum, quod faber ærarius aut argentarius fecit. Nec sistere se potest: Fortè (ait) lignũ & imputribile elegit artifex sapiens, & quærit quo modo statuat, hoc est, laminis clauisq; compingat simulachrũ, ne moueatur & ventorum flatibus deijciatur. Hæc aũt dicit propheta, vt idolis reprobatis euãgelicæ doctrinæ paret viam.

Nunquid non scietis?) Pro quo alij legunt, Nunquid non scistis? Nunquid nõ audistis? idq; vt videtur ex commentarijs Hier. non aũt ex textu, qui habet, Nunquid non scietis? Verba autem Hier. in commentarijs hæc sunt: Ab initio naturali lege vos docui, & postea per Moysen lege scripta testatus sum, quòd nihil essent idola, & quòd creator mũdi ipse est Deus. Pro lectione aũt, quę habet, Nunquid non scietis? &c. aduertendũ verba futuri temporis apud Hebræos habere significationẽ modi potentialis, quare sensus iste erit: Nunquid non scietis? id est, nonne potuistis hoc facilimè aduertere? Nunquid audietis? id est, nunquid facile vobis fuerit audisse, quòd lapides nõ sint dij? Nunquid nõ annunciatũ est vobis ab initio? hoc est, nonne iã statim ab initio semper extitit veri Dei cognitio, nunquid illa per manus vobis est tradita iam inde ab Adam condito & lapso? *Nunquid non intellexistis fundamẽta terræ*) Id est, Vel hinc ex ipsis videlicet terræ fundamentis cognoscere poteritis non Iouem aliquẽ esse aut Mercurium qui eã fundauit, sed aliquid maius Ioue & Mercurio.

Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ. Qui extendit velut nihilum cœlos, expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandũ. Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint, iudices terræ velut inanes fecit. Et quidem neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum. Repente flauit in eos, & aruerũt, & turbo quasi stipulã auferet eos: Et cui assimilastis me, & adæquastis me, dicit sanctus?

Qui sedet super gyrum terræ) Instar regis ac principis & gubernatoris, atque ad totam terram collati homines sunt quasi locustæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuſtæ. *Qui extendit velut nihilum cœlos*) pro quo in Hebræo eſt: Qui extendit velut telã cœlos. *Et expandit eos &c.*) hoc eſt, quemadmodũ homines extendunt papiliones, ſub quibus agant: ita expandit cœlos Deus inſtar papilionum, ſub quibus agamus.

Qui dat ſecretorum ſcrutatores &c.) id eſt, ſapientes & magnos in hoc ſæculo, quos admiramur ob ſapientiam, aufert, perdit, & in nihilum redigit. *Iudices terræ*) velut Xerxem & innumerabilem eius exercitum, ac varios Reges terræ, quos & Græca & Barbara Roma naq; narrat hiſtoria, omnes hos deſtruxit & velut in nihilum redegit.

Et quidem neque plantatos &c.) Hoc modo legit Pellicanus & Rober. Steph. & Hebræi etiam pluraliter legunt. Senſus eſt: Principes & terræ Reges cùm maximi eſſe videãtur, & valde potentes in terra, tamen non ſunt plãtati neq; ſati, nec eſt radicatus in terra truncus eorum, facillimo vento ad Dei iuſſum ſubitò euerti poſſunt. D. Hier. tamen in ſingulari legit hoc modo: Equidem neq; plantatus neq; ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum. Nonnulla etiam exemplaria legunt: Equidem neq; plantato neq; ſato, neque radicato in terra trunco eorum. *Repente flauit in eos*) ſtatum vocat iuſſum Dei, tantũmodo iuſsit, volo perire hũc Regem & illũ, & factũ eſt, & quàm facilè & repentè ſtipula turbine & tempeſtate raptatur, tam facilè eſt Deo repentè euertere Reges & Principes.

Et cui aſſimilaſtis me? etc.) Cùm ergo tanta ſit potentia mea atq; maieſtas cui me ſimilitudini cõparatis? quo ſimulachro repreſentabitis me tam potentẽ, dicit ſanctus, id eſt, ipſe qui naturã ſanctus eſt, & à quo ſanctitatem habet, quicunque ſanctus eſt?

Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc? Qui educit in numero militiã eorum, et omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis et roboris virtutisque eius, neq; vnum reliquũ fuit. Quare dicis Iacob, et loqueris Iſrael, abſcondita eſt via mea à Domino, et à Deo meo iudiciũ meum tranſibit? Nũquid neſcis aut non audiſti, Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ non deficiet, neq; laborabit neq; eſt inueſtigatio ſapientiæ eius? Qui dat laſſo virtutẽ, et his qui nõ ſunt, fortitudinẽ et robur multiplicat. Deficient pueri, et laborabunt, et iuuenes in infirmitate cadẽt. Qui aũt ſperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ, aſſument pennas, ſicut aquilæ, current et nõ laborabunt, ambulabunt et non deficient.

Leuate in excelſum oculos etc.) Quaſi dicat, cur nõ potius ex creaturarũ magnitudine intelligitis conditorẽ? Si non creditis verbis, ſaltẽ oculis veſtris credite, illos cõſulite: conſiderate cœlũ & terrã, & ex cœlorum, elementorũ omniũ ſeruitute poteſtatẽ Dei cognitate. *Qui educit in numero militiã eorum etc.*) ſcilicet cœlorum. Educit aũt iuxta numerũ cœlorũ militiam, quia & ſol & luna & aſtra, quæ Abraham numerare nõ poterat, ipſi numerata ſunt, iubetque vt vnumquodq; eorũ ſuo ſeruiat officio, & certis temporũ ſpacijs abſoluat curſum ſuũ: Sol aũt vno anno, luci fer veſperque biennio, Luna verò ſingulis menſibus. *Et omnes ex nomine vocat*) id eſt, omnes ſtellas nominatim vocare poteſt, ſicut paterfamilias ſuos domeſticos: Quemadmodũ patriſamilias ad iuſſum obtemperant omnes qui ad familiam ipſius pertinẽt, ita ipſi Deo ſtellæ ad nutũ eius obtemperãt, tanta eſt magnitudo eius & virtus: *Neq; vnũ reliquum fuit*) id eſt, non etiã vel vnũ detrectat officium ſuum, ſed omnia ſeruiũt Deo ſuo ordine. *Quare dicis Iacob etc.*) Ecce hæc adeo nota ſunt, vt etiã barbaræ gentes intelligant, illæ ſciunt Deum nihil latere, & omnia illius arbitrio gubernari. Quare ergo tu Iacob, id eſt, duæ tribus, & itẽ tu Iſrael, id eſt, decẽ aliæ tribus, quæ iã captiuæ ductæ eſtis ad Aſſyrios, quare inquã dicitis, ad Deũ terrena nõ pertinẽt, nec conſiderat quid vnuſquiſq; noſtrũ gerat, cùm ſitis edocti à lege & ꝓphetis? *Et à Deo meo iudiciũ meũ tranſibit*) id eſt, Nõ eſt illi curæ ſiue iuſtè viuamus ſiue iniuſtè: Hactenus ſumus habitæ populus Dei, ecce iã opprimimur ab hoſtibus, Deus nõ liberat nos, nõ ergo illi cura eſt de nobis. Reſpondet eis ꝓpheta ſiue Dominus, cùm ait:

Nunquid neſcis) hoc eſt, nõ intelligitis ſaltẽ ſcripturis docentibus, quòd Deus eſt ſempiternus, qui creauit omnia? *Non deficiet neque laborabit*) vt intelligat tuũ iudiciũ: putatis Deo hoc operoſum eſſe de ſingulis iudicare? An iuſtè opprimamini ab hoſtibus, an iniuſtè, non eſt ei operoſum, in hoc non deficiet neq; laborabit. *Quia non eſt inueſtigatio ſapientiæ eius*) id eſt, tãta eſt ſapientia eius, vt nõ deficiat, aut per hoc quicquam diſtrahatur: Quin potius (nã per correctionẽ additur quod ſequitur) nõ ſolũ ipſe nõ fatigatur ſed etiã laſsis & defatigatis dat virtutem.

Et his qui nõ ſunt etc.) hoc eſt, qui in hoc ſeculo videtur eſſe quaſi nihil, virtutẽ, roburque multiplicat: Quicunq; aliquid poſſunt, Deo dante poſſunt: Quia aũt multi gaudent in ſanitate corporis, in fortitudine, in adoleſcẽtia, quaſi hæc eſſent perpetua, ſubiũgit & dicit quòd florens ætas cito deficiat, & corpora robuſta marceſcãt: *Deficient pueri*) id eſt adoleſcentes qui ſunt in primo ætatis flore, & iuuenes robuſtiſsimi per imbecillitatẽ deficient. Qui aũt ſperãt in Domino & eius miſericordiã ſemper præſtolantur, mutabũt fortitudinẽ. Si quis cõſcius ſuæ infirmitatis, quod nõ poſſet ſuperare mundũ, carnẽ, diabolũ, diſcat inuocare miſericordiam Dei, & illi confidere, quantumuis magna ingruat tentatio, & videatur maculari, tamen mutabit fortitudinem. Vide Paulum in epiſt. ad Eph. Renouamini ſpiritu mẽtis veſtræ. Et ad Coloſſ. Nolite mentiri inuicem. Quod illis locis intelligit Apoſtolus vocabulis renouãdi, iuuendi, expoliandi, exuẽdi, hoc intelligit Eſaias voce ſua mutare, id quod melius agnoſcetur ex locis cognatis quæ vbiq; multa ſunt. Et imprimis Geneſis. 35. Abijcite Deos alienos qui in medio veſtri ſunt, & mundamini & mutate veſtimẽta veſtra. Proprior deinde locus eſt Eſaiæ. 9. Sycomoros ſucciderunt ſed cedros imutabimus. Ipſi ciues Samariæ opibus ſuis confidentes nihil mouebantur minis prophetarum, dicebant: Si domos noſtras hoſtes ſubuerterint, nouas extruemus & quidem multo ſumptuoſiores: pro ſycomoris ex quibus iã ædificia noſtra extructa ſunt, vtemur lignis cedrinis. Eſt & alius locus apud Iob cap. 4. vbi vox mutare flexum habet: Si preciſum inquit, fuit lignũ, adhuc immutabit ſcilicet ſe, vel adhuc innouabit ſcilicet ſe, ita eſt ad verbũ, quod ad ſenſum trãſtulit Hier. rurſus vireſcet. Et cap. 29. Gloria mea ſemper innouabitur & arcus meus in manu mea inſtaurabitur, vbi ad verbũ in Hebræo eſt, & arcus meus immutabitur ſiue innouabitur, hoc eſt, vires meæ creſcent & augebuntur. Ex iſtis locis præſens hic Eſaiæ locus facilimè intelligitur. Mutabunt fortitudinem, hoc eſt, abijcient vetera, fragilia, humana, terrena, atq; pro illis accipient noua, & cœleſtia & ſpiritualia: & tale mutare eſt apud Eſaiam hoc loco: Non ſequentur quæ dictabit caro, ſed induent nouum quendã hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & veritate, eius gratia transferentur in ſupernaturalem fortitudinem.

Eph. 4. Col. 3.

Iol. 29.

Aſſument pennas ſicut aquilæ). D. Hier. quẽadmodũ ex eius cõmentarijs colligitur, hîc tranſitum agnoſcit ad illa bona, quæ in futura vita ſperamus, habet enim ſic: Crebro diximus aquilarum ſenectutẽ reuiuiſcere mutatione pennarum, & ſolas eſſe quæ iubar ſolis aſpiciunt, & ſplendorem radiorum eius poſsint micantibus oculis intueri pulloſq; ſuos an generoſi ſint hoc experimento probent. Significatur itaq; & ſanctos repueraſcere, & aſſumpto immortali corpore non ſentire laboré mortalium, ſed rapi in nubibus obuiam Chriſto. Sed nõ videtur neceſſariũ hũc tranſitum agnoſcere, quia poſſunt conuenire his etiã qui adhuc in mortali corpore moriantur, Paulo & cæteris ſimilibus.

CAPVT XLI.

Taceant ad me inſulæ, & gentes mutent fortitudinem. Accedant, et tũc loquantur, ſimul ad iudicium propinquemus. Quis ſuſcitabit ab oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe?

CAput. 40. 41. & aliquot ſequentia pertinent ad idem argumentum, quibus collatis multo melius intelligentur quæ dicuntur. Continent autem verum Euangelium & magnam conſcientiarum conſolationem: Verũ hanc tantã rem non vbiq; ſimpliciter proponit propheta, ſed adhibet obſcurum typum, quod mirãdum eſt, maximè quia in typum adhibet Cyrum Perſarũ Regem. Si autem Dauidem aut Ioſiam aut ſimilem aliquem in typũ adhibuiſſet, minus mirabile videri potuiſſet. Siquidem Cyrus etſi cõmendatus Rex fuerit, gẽtilis tamen fuit & alienus à corpore illo vnde Meſsias erat naſciturus: an verò ad magiſterium Danielis veram religionem ſuſceperit, poſtea expendetur. In hoc autẽ typum Chriſti geſsit, quòd de Iudæis bene meritus eſt, quos è captiuitate liberos emiſit, quemadmodum Chriſtus poſtea humanum genus. Hoc autem beneficium à Cyro præſtitum multo tẽpore poſt Eſaiam extitit, vt colligere licet ex. 2. lib. Paral. in cuius vltimo cap. ſic ſcribitur: Anno primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini, quem loquutus fuerat per os Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Regis Perſarum & laxauit captiuitatem. Prophetia autem ſiue ſermo de quo loquitur ſecundus liber Paral. habetur, 25. Ieremiæ, vbi prædicit populum Iuda in Babylone captiuum futurum annis. 70. Iam inter Eſaiam & Ieremiam fuerunt anni. 150. vnde mirandum prophetam Eſaiam his capitibus Cyrũ proprio nomine appellare, qui tanto tempore pòſt naſciturus erat. Sicut aũt in ſuperiori capite, ita & in hoc quædam ſunt, quæ etiã Plato & Cicero intelligerẽt, videlicet de vanitate idolorũ: Cùm iudicio naturali intelligi detur, impium eſſe & inſanum colere idola, expoſtulat Deus cum hominibus quare colant idola: An aute cum ſolis Iudæis expoſtulet, an potius cum omnibus terrarum nationibus, nõ ſatis certum eſt, & propterea diligenter inſpiciendæ ſunt circunſtantiæ, Dicit ergo propheta:

Taceant ad me inſulæ) Hoc eſt, attendant ali quantulum longè diſsiti in populis, ſint aliquantulũ in ſilentio & aduertant quæ dicã. Si propriè ad Iacob & Iſrael hæc pertinere dicamus, iſte erit ſenſus: Ego faciam teſtem cõtrouerſiæ, quæ eſt inter me & Iacob & Iſrael, aliquem Gentilẽ, an defuerim partib⁹ meis, an ipſi ſuis: Taceant inſulæ, hoc eſt, præbeãt ſilentium, dum ego expoſtulo cum populo meo de cultu idolorum. Inſulæ autem iucũdum vſum habent in ſcripturis, & non niſi ex ſcripturis petere oportet ſignificatum illarum, Cap. 11. huius prophetæ inſularum

Quid nomine inſularum intelligatur in ſcripturis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomine tota Occidétalis plaga significatur. Capite. 24. apertè nomine insularum significari intelliguntur remotissimi populi, vt infrà in hoc capite, cùm dicitur: Viderunt insulæ. Nam statim per interpretationem adijcitur: Timuerunt extrema terræ. Quicunq; autem Iudæi ad Occidentem & Septentrionem habitabant vsque ad fretum Herculis, phrasi scripturarum insulares vocantur. Vide quæ annotata sunt in cap. 24. super illud: In insulis glorificate nomen Domini. Et ca. 11. super illud: Et adijciet Dominus secúdò manú suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab insulis maris.

Et Gentes mutent fortitudinẽ &c.) Non est, hoc loco גוים goim, quam vocem interpretes ferè vertunt gentes, sed alia vox est in Hebræo, illa nimirum quę psal. 2. vertitur populi: Quare fremuerunt Gentes, hoc est iuxta Hilarium, Herodes & Pilatus, & populi, hoc est, seniores & Iudæorum principes meditati sunt inania? Atque hoc modo hîc vertit Pag. dicens: Populi mutent fortitudinẽ. Sensus ergo est: Deponant gentes pristinam imbecillitatem, & supernaturalem induant fortitudinem, ne per pristinam imbecillitatem non possint Dei audire sermonem: in hac enim re opus est diuina virtute & fortitudine supernaturali, alioquin nõ intelligẽt neq; recipient stultam crucis Christi prædicationẽ: Hunc sensum videtur dare Hieron. Forte nõ malè etiã hoc modo exponeretur: Gentes mutent fortitudinẽ, hoc est, arment se consilio & argumentis, ego proponã rem quam diligenter oportet expendere: Istud probabile facit quod infrà dicitur, Adferte si quid forte habetis, id est, si habetis fortia argumẽta adducite in mediũ: quasi instituta sit disputatio contra gentiles de cultu idolorũ, & postquã inuitauit insulas & populos, proponit iudicium & disputationem dũ ait:

Quis suscitauit ab Oriente iustum?) Hoc est, quis ex omnibus vestris dijs potuit præstare, quod ego præstiti in quodam iusto? Magnum hoc loco dubiũ est, quis sit iustus iste. Quidam enim significari putant Cyrũ Persarum Regem. Hebræorum aũt nonnulli de Abrahã dictũ putant. Quis suscitauit Abraham ab Oriente, hoc est, à Chaldæis, & vocauit vt suæ pareret iussioni, vt egrederetur de terra & patria sua in terram quam nesciebat, cui tradidit in manus Reges qui venerant contra Sodomã & Gomorrã? Sed quæ sequũtur, maiora sunt quàm quæ possint cõpetere in Abraham, vnde Hier. ad Christũ refert, hoc sensu: Quis talé aliquem doctoré misit vnquam in mundũ qualis est Christus? Iam quæstio est, quomodo Christus dicatur suscitatus ab Oriente. Quis aũt sit Oriens, Hie. hoc loco non interpretatur, sed circa finẽ aliquo modo insinuat, non tamen satisfacit. Haymo aũt hoc modo exponit: Ab Oriẽte, id est, Iudæa quæ consistit in partibus Orientalibus. Sed videndũ an Iudæa sit inter partes simpliciter Orientales magis quàm Aegyptus: quòd si non, cõmentarium Haymonis non est multum probabile. Deinde an in Iudæa facile agnituri sint, patriã suã hoc modo hîc appellari. An Iudæus hunc sensum hîc agnosceret: Quis suscitauit ab Oriẽte, id est, so lo vestro natali Messiã? Dionys. vero Carthusianus interpretatur, Ab Oriente, id est, è cœlo, secutus Hieron. & addit in cõmentarijs, imo ipse Christus Oriens appellatur apud Zachariã: Ecce vir Oriens nomen eius. Verùm ibi alia vox est in Hebræo nimirum צמח tsemah, quæ non ad plagam sed ad germen pertinet, vnde qui hodie vertunt ex Hebræo, hoc modo legunt: Ecce vir germen nomẽ eius. Hoc vero loco apud Esaiam in Hebræo est מזרח misrah, quod nomen plagæ est, vbi sol oritur, hoc est, talis est oriens hoc loco, qualis est in cantico Zachariæ: Visitauit nos oriens ex alto. Vbi Græcis est ἀνατολὴ, qua voce significatur regio ipsa seu plaga orientalis & ipsè sol oriens, & nomine solis siue orientis metaphoricè Christus, qui est sol iustitiæ, qui visitauit nos veniẽs ex alto. Thomas autem qui nomine iusti Cyrum intelligit, facile exponit Orientẽ, quia Persæ quorum Rex Cyrus fuit, Iudæis sunt Orientales. Ad hũc sensum etiam inuitat verbũ, suscitauit, quod hîc ponitur: Nam & illo vtitur secundus liber Paral. de Cyro loquens, Suscitauit Dominus spiritum Regis Persarum. Quare cùm maiora dicũtur quàm quæ cõpetere possunt in Cyrũ, intelligatur Christus relicto typo ipso videlicet Cyro, quod non est rarum in prophetis. Pro iusto autem in Hebræo est iustitia, quod Hiero. vertit iustum, hanc forte ob causam, quòd quæ sequuntur personæ magis conueniãt quàm rei: & idem puto sequutos Hebræos, qui etiam iustitiam iustũ interpretantur. Septuaginta tamen interpretes, qui hoc loco verterunt iustitiã, pergunt sic vertere quasi ad qualitatem pertineat. Legunt enim, Et vocauit eam, nõ eum. Sensus autem de Cyro talis est: Vos insulares vt intelligatis potentiam meam, & vos Iudæi qui diffiditis potentiæ meæ, & confugitis ad falsos Deos, quis effecit vt Cyrus Rex Persarũ à Iudæis alienus ita bene mereretur de Iudęis? Hoc vestra studia ò Iudæi efficere non possent, hoc neque dij vestri, ò Gentes præstare possent, solius Dei opus est, qui in rebus ita desperatis suscitauit spiritum Cyri à Iudæorum populo prorsus alieni, & vocauit eum vt sequeretur se, hoc est, vt pareret suæ iussioni, & bellum susciperet aduersus Babylonios.

Dabit

Dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit. Dabit quasi pulucrem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. Quis hæc operatus est, & fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et nouissimus ego sum. Viderunt insulæ & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt appropinquauerunt & accesserunt.

Dabit in conspectu eius Gentes &c.) Id est, vtetur facillimis & maximis triumphis: *Dabit quasi pulucrem &c.*) id est, omnia erũt illi facillima superatu: *Transibit in pace*) id est, euadet incolumnis: *Semita in pedibus &c.*) id est, non sentiet laborem viæ. Sumptum istud videtur ab ijs, qui tam leuiter calcãt terram, vt non appareat vestigium. Quæ hactenus dicta sunt, secundum literam competere possunt in Cyrum: habuit enim ille maximas & clarissimas victorias. Verùm longe pleniùs agnoscuntur in Christo & victoria verbi Dei, quemadmodum pulchrè exponitur in psalm. Dixit Dominus Domino meo &c. cùm dicitur: Dominus à dextris tuis, cõfregit in die iræ suæ Reges: Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum, hoc est, verbum Dei maximas faciet victorias: qui sunt superbi, auari, libidinosi, conterentur verbo Dei, non quidem vt nõ sint, sed vt tales non sint: hoc est, conterentur in eis superbia, auaritia, luxuria &c. & fient omnia plena fœlicicissimis cadaueribus.

Quis hæc operatus est &c.) Id est, Quis tam insignia præstitit, faciens perpetuum quendam generationum decursum, vt vnusquisque suo & debito veniat tempore? Est perpetuus quidam & vnus ciuitatis Dei decursus à primo Abel iusto vsque ad vltimum. De qua re vide Augustinum in libro de ciuitate Dei. Deus in sua familia voluit succedere sibi per generationes alios aliis: voluit vt suo tempore veniret Abraham, deinde Isaac, & postea tãdem voluit Christum esse in hac generatione: Hoc enim est vocare generationes ab exordio, facere vt succedãt sibi gẽtes in hac familia. Præterea voluit Deus vt suo tempore nasceretur Nabuchodonosor, qui Iudæos in captiuitatem duceret & quòd deinde in regnum eius succederet alius, & tandem veniret Cyrus qui laxaret captiuitatem Iudæorum. Quia autem scisitantis affectu dixerat, quis suscitauit ab oriente iustum? sibi ipse respondet, quòd Dominus Deus est, qui hæc operatur.

Viderunt insulæ) id est, Insulares & remotissimi populi viderunt hunc iustum sic suscitatum & hanc potentiam, & timuerunt: & exponens quid insularum nomine intelligat, subijcit: *Extremæ terræ obstupuerunt*) quod maius est quàm vt in Cyrum competere possit, & multo minus in Abraham, cuius victoriam non timuerunt insulæ. Quare verisimile est Spiritum sanctum nos hîc aduertere voluisse ad cogitandum maiores victorias. Intelligatur ergo locus iste de Christo, hoc sensu: Remotissimæ gentes etiam vltra mare sitæ intellexerunt Christum, audierũt prædicationem Euangelij, obstupuerunt ad victoriam verbi Dei, & adiunxerunt se fidei Christi. Sic in psal. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati scilicet ad prædicationem Euangelij, cùm hinc viderent peccatorum turpitudinem, hinc puritatem Euangelicam, & cesserunt victoriæ verbi Dei.

Vnusquisque proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet, confortare. Confortauit faber æraruius, percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens glutino, bonum est, & confortauit eum clauis, vt non moueatur. Et tu Israel serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi, Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & susceptit te dextera iusti mei.

Vnusquisque proximo &c.) In remotissimis istis insulis vnusquisque proximo suo dicet, recede ab idolis, omitte hæc vana, ausculta ad Matthæum, ad Lucam, & indue nouam fortitudinem, confortare in Christo. Alij verò ista ad Iudæos referunt, vt sit aduersatiua sententia, hoc modo: Gentes recipient Christum, sed nos tamen non sinamus nobis eripi idola, sub quibus nobis melius est: Vt describatur conspiratio eorum, qui colebant idola, aduersus Apostolos & prædicatores Euangelij, in ista conspiratione vnusquisque proximo suo auxiliabitur & dicet, confortare: Paulus iste conatur nobis auferre templa & euertere cultum idolorum & ipsa idola, resistamus fortiter: Ad hunc sensum inuitant quæ sequuntur:

Confortauit faber &c.) Hunc locum paulo aliter transferunt, qui hodie vertunt ex Hebræo, hoc modo: Confortauit faber lignarius artificem lenientem malleum ad percussionem bracteatum super incudem, dicens artifici, coniunctio bracteatum bona est, & confortauit singulam earum clauis ne moueatur. Vox autem Hebrea hoc loco generalis est ad omnem artificem, & est accusatiui casus, & præponitur ei (&) sed res non est adeo magni negotij vt multis egeat contentionibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et tu Israel seruus meus &c.) Hæc sunt Euangelij, & optimus huius loci cõmentarius est, legere sex capita sequentia, quæ ad idem Euangelium pertinẽt, & valde erigunt animum hominis Christiani. Animus enim humanus naturaliter deijcitur propter miseriã, quam in se quotidie experitur, adeo vt parum speret peruenturũ sed ad beatitudinẽ: sed contra tales desperationes oportet ex istis magnificis ꝓmissionibus concipere magnum animum & spem misericordiæ diuinæ erga se. De huiusmodi autem spe concipienda habetis insignem locũ Augustini in 13. de Trinitate, vbi expendit id quod habet Apostolus in epistola ad Rom. 5. Cõmendat autem charitatẽ suam Deus in nobis &c. Si sic Deus affectus fuit homini cũ adhuc malus esset & peccator, quanta spes cõcipienda est de misericordia Dei patris erga nos iam reconciliatos per Christũ? Istud est argumẽtũ, sex capitũ sequentiũ, quę ostẽdũt effectũ Dei patris plus quam paternum etiã erga peccatores. Dicit ergo, ꝓpheta, *Et tu Israel &c.*) Agnoscere oportet hic spiritualẽ Israelẽ, nõ aũt carnalẽ illũ. *Semẽ Abrahã*) id est, qui imitamini fidẽ Abrahæ: *Amici mei in quo apprehendi te*) Intelligendum videtur, In quo scilicet Abrahã: Sic quidam. Verùm quæ sequũtur, Ab extremis terræ, non satis conueniunt si hoc modo exponamus. Quare annotandũ voculam Hebræã ואשר ascher quæ hoc loco ponitur, significare interdum quia, & Græcis hæc phrasis est nota, vt in quo, ꝓ quia dicant. In voce autẽ apprehendi Hebraismus est: significat enim erranti & infirmãti porrigere manus adiutrices. Sensus ergo est: Ego spiritualẽ Israelem non in Iudæa tãtum, sed vbilibet agentem etiam in extremis terræ apprehendi & velut manu duxi, & esse volui in numero amicorum meorum.

Seruus meus es tu &c.) Hæc omnia dant significationẽ maximi affectus Dei erga peccatores: *Ne declines*) scilicet à veritate Euãgelij propter varia, quę possunt obuenire, quia ego sum Deus tuus adiuuans te.

Ecce confundentur, et erubescent omnes, qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui cõtradicũt tibi. Quæres eos, et non inuenies viros rebelles tuos, et erunt quasi non sint, et veluti consumptio hominis bellantis aduersum te, quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicens; tibi, Ne timeas, ego adiui te, Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel, Ego auxiliatus sum tibi dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel.

Ecce confundentur &c.) Hæc manifesta sunt & proinde expositione non indigent, sed hoc solum aduertẽdum quod vbi nos habemus, veluti consumptio hominis bellantis, Hier. & Hebræi pluraliter legunt hoc modo: Veluti consumptio homines bellantes aduersum te.

Noli timere vermis Iacob etc.) Istud intelligitur de spirituali Iacob, qui imitatur fidẽ & apprehendit, ꝓmisiones Israel & Iacob factas: isti dicitur noli temere: si quis excidat ab illis promissionibus, reuertatur ad Deũ patrem, quia benignus est. Vermis autẽ appellantur propter humilitatẽ & contẽptum, quia nondum apparuit quid erimus. Caussa autẽ quare non debeat timere, subditur cùm ait: Ego auxiliatus sum tibi & tota vita laborandum est Christiano, vt concipiat talẽ spẽ de Deo, & in illa semper magis ac magis crescat. *Qui mortui estis &c.*) qui habemini pro mortuis. *Redemptor tuus &c.*) In redemptore est typica alluso ad captiuitatem Babylonicam: *Sanctus Israel*) id est, ipsius Israelis.

Ego posui te quasi plaustrum triturans nouũ, habens rostra serrantia. Triturabis montes, & comminues, & colles quasi pulueres ponues. Ventilabis eos, et ventus tollet eos, et turbo dispergat eos, et tu exultabis in Domino, et in sancto Israel lætaberis. Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt, lingua eorum siti arruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel, non derelinquam eos.

Ego posui te etc.) Commentarius Hier. sic habet: Significat propheta his verbis, quòd prædicatio Euãgelica conterat aduersarias potestates & spiritualem nequitiam eleuantẽ se contra scientiã Dei quæ pro varietate superbiæ montes appellantur & colles. Paulus aliquis aut Petrus, hoc est, vir ecclesiasticus & Apostolicus turbabit & comminuet & quasi pulueré ponet, hoc est, pulsus euertet montes istos & colles, hoc est, superbos quosq; : Euertet inquam magno ipso rum bono (est enim non comminatio sed beneficij significatio) vt deposita superbia suscipiãt Euãgeliũ Christi in mãsuetudine.

Egeni et pauperes quæruntaquas etc.) Hoc est Gentium populus, qui non habebat legẽ & ꝓphetas, nec aliquem doctorem qui eis viã vitæ monstraret, quærit per varia philosophorum dogmata aquas salubres, id est, scientiã veritatis, & non inueniẽt, quia non fuit. *Lingua eorum aruit*) sine lege & propheti. Sic Hier. spiritualiter exponit de Gentibus, sed potest generaliter ad quosuis pauperes pertinere, ad pauperes inquã scripturarum, de quibus in superioribus aliquoties dictum est: cùm non contingeret illis veritas & gratia Dei vlla humana industria, Dominus Deus tantùm motus misericordia sua respexit illos & exaudiuit eos.

Aperiam in supremis collibus flumina, et in medio camporum fontes. Ponã desertũ in stagna aquarũ, & terram inuiam in tuos e-

quarum. Dabo in solitudinẽ cedrũ, & pinũ, myrtum, et lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, vlmũ, buxum simul, vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hæc, & sanctus Israel creauit illud.

Aperiam in supremis collibus &c.) Hæc dicta sunt de spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in Iesum Sic interpretatur Ioannes Euangelista cap. 7. In supremis collibus, id est, in illis locis, in quibus videntur homines semel destituti gratia (quia in supremis collibus non solent esse flumina) ibi erit abundans gratia, ibi erunt dona & virtutes spiritus sancti.

Ponam desertum &c.) Per desertũ significatur Gentilitas nostra, in illa erunt fluenta spiritus sancti, & postquam eruperint in deserto flumina, incipient nasci variæ arbores, cedrus, spina, myrtus &c. quę varietates arborum, diuersitatem virtutum significant. Pro spina in Hebræo est שטה schithah, & est genus arboris habens similitudinem spinæ albæ, vnde omnia ferè ligna arcæ & tabernaculi instrumenta facta erant, quæ appellatur sethim, quod lignum præter hoc quòd sit imputribile & leuissimum omniũ lignorum tã in fortitudine quàm in nitore soliditatẽ & pulchritudinem facile superat. Cedrus quoque & myrtus odoris optimi sunt & imputribiles.

Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus, afferte si quid forte habetis, dicit rex Iacob. Accedant, & nuncient vobis quæcunque ventura sunt. Priora quæ fuerũt, nunciate, & ponemus cor nostrum, et sciemus nouissima eorũ et quæ ventura sunt indicate nobis. Annunciate quæ ventura sunt in futurũ, & sciemus quia dij estis vos. Bene quoq; aut male (si potestis) facite et loquamur, et videamus simul. Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrũ ex eo quod non est. Abominatio est qui elegit vos.

Prope facite iudicii &c.) Hic omittit propheta Euangelium. Sensus est: Qui hactenus fuistis idolis dediti, venite & expendite an faciatis quod decet facere homines: hoc enim est, ꝓpe facere iudiciũ: venite in rẽ præsentẽ & cõferte rationes, adferte si quid forte habetis, hoc est, si habetis aliquid dignũ, si quod est verum & solidũ argumentũ pro idolis, in mediũ adducite. In Hebræis aũt ad verbum est: Adferte fortes vestros hoc est, idola vestra, quæ putatis fortissima. Deinde fit apostrophe ad idola ipsa, cùm subditur:

Priora quæ fuerunt nunciate) id est, dicite nobis vel præterita vel futura, & ex rerum euentibus vestram potentiã mõstrate: Certè de ruinis & abolitione templorũ nihil potuerunt prædicere: si ergo suum interitum ipsa idola nesciebant, quo modo aliena, vel mala vel bona potuerunt nunciare? Quod si aliquis obiecerit, multa ab idolis prædicta esse, hoc sciendũ quòd semper mendacijs iunxerunt veritati & sic sententias temperarint, vt si vel boni vel mali quid accidisset, vtrunque posset intelligi, vt est illud Pyrrhi Regis Epirotarũ: Aio te Aiacida Romanos vincere posse. Illud quoq; signum est, idola Deos non esse, quòd nec bene possint facere nec male: Non quòd idola vel dæmones idolis assidentes mala sæpe non fecerint, sed quòd nisi concessa eis fuerit potestas à Domino, hoc facere non possent.

Ponemus cor nostrum) Hebræa phrasis est, qua significatur intendere cyram circã rem aliquã. Sensus est: Nos afficiemur huiusmodi rebus, & multum erimus illis intẽti. cap. 1. Iob vertit Hier. considerare: Nunquid cõsideraſti seruum meum Iob, vbi ad verbum est: Nunquid posuisti cor tuum ad seruum meũ Iob? Et cap. 4. vertit intelligere: Et quia nullus intelligit, idcirco in ęternum peribit.

Ecce vos estis &c.) Hoc in priori epistola ad Corinthios scripta dicit Apostolus: Scimus quia nihil est idolũ. *Et opus vestrũ etc.*) hoc est, omnia vestra sunt plena mendacijs, nihil est veri, omnia sunt simulata.

Vscitaui ab Aquilone, et veniet ab ortu solis, Vocabit nomen meum, & adducet magistratus quasi lutũ, et velut plastes conculcans humum. Quis annunciauit ab exordio, vt sciamus, & à principio, vt dicamus, iustus es? Non est annuncians neq; prædicens, neq; audiens sermones vestros. Primus ad Sion dicet, ecce adsum, & Ierusalem euangelistas dabo. Et vidi, et nõ erat ex istis quisquam qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum. Ecce omnes iniusti, & vana opera eorum, ventus et inane, simulachra eorum.

Vscitaui ab Aquilone &c.) Est hîc varia lectio, & locus nõnihil obscurus est. Hier. autẽ hoc modo distinguit & interpretatur: Suscitaui ab Aquilone id est, excitaui populũ Aquilonarẽ id est, populũ Gentium: & ad hoc excitaui, vt credãt in eum, qui veniet ab ortu solis, hoc est, in Christum: De ortu autẽ solis siue oriẽte dictũ est in principio huius capitis: Nomine verò Aquilonis accipit totã plagam ethnicorum etiam si propriè non agebant in Aquilone, sed qua ratione id faciat non exponit hoc loco. Haymo verò hoc modo interpretatur: Gentes in Aquilone degentes suscitauit ab Aquilone non proprij nominis sed figurati, hoc est, à frigore iniquitatis suscitauit ad fidei calorem. Et Hier. super. 3. cap. Ieremiæ Aquilonem facit frigoris duritiem, cùm dicit: In diebus illis veniet domus Iuda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis, vbi prophetia est de temporibus Christi, ita quòd ad literam etiam Aquilo de toto mundo intelligatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

telligatur, in quo est durissimum frigus ad Christum. Alij agnoscunt hoc loco synecdochē talem, qualis est apud Matthæū: Multi ab Oriente & Occidente venient, vbi per synecdochen intelligi volunt totum mundum. Alia autem distinctio hæc est: Suscitaui ab Aquilone, deinde sequitur, *Ab ortu solis vocabit nomen meum*) & exponunt quidam ad hunc modum: Ab Aquilone, id est, de longinquo siue è cœlis. Et pro hac interpretatione facit locus qui est apud Iob cap. 26. Qui extendit Aquilonem super vacuum. Propheta autem Iob apud Chaldæos agebat, & eis regio Aquilonaris longissima est simul & latissima, ideo dicit Iob, qui extēdit Aquilonem tam longam scilicet plagam super vacuum, id est, rem nihili. Qui verò de Cyro Persarum Rege interpretantur, dicunt quòd Persia ad Ierusalem partim Aquilonaris est, partim Orientalis. Certè Darij Medi regnum magis vergit ad Aquilonē: Cyri verò ac Persarum magis ad Orientem. Et quia Cyrus possidebat imperium vsq; ad Babylonem, intelligi potest Cyrus excitatus ab Aquilone. Sic Ieremiæ capite. 1. Ab Aquilone pandetur omne malum, vbi de Chaldæa sermo est, hoc sensu: A Babyloniorū Rege seu Assyrijs subiectis pandetur omne malum. Et Iere. cap. 3. Vade & clama hos sermones contra Aquilonem: Reuertere auersatrix Israel. Iam enim decem tribus ductæ erant in Assyrios. In eadem significatione vocem hāc accipit Ioel cap. 2. cùm ait. Et eum qui ab Aquilone est procul faciam à vobis, hoc est, Nabuchodonosor & Reges Chaldæorum, Assyriorumq; populum procul faciam à vobis. Sic quoq; Zacha. cap. 2. Fugite de terra Aquilonis id est, de Babylone. Eandē vocem aliter accipit Daniel capite suo. 11. vbi Regem Syriæ appellat Regem Aquilonis, sicut Regem AEgypti Regem Austri. Et Syria Iudeæ etiā Aquilonaris est. Iste ergo Cyrus vocabit nomen, id est, inuocabit me & agnoscet pro vero Deo: *Et adducet magistratus quasi lutū*) id est, principes & potentissimos Reges adducet quasi lutum, & premet eos victoriis, & omnes sibi facillimè subdet. Istud intelligitur ex Herodoto, qui scribit Cyrum triginta annis fortunatissimis bellis vsum: Subiecit enim sibi Medos qui tum latissimè imperabāt, mox Crœsum, deinde reliquam Asiā, & Ionas, & Caras, & Lypsios, & postea Assyrios, in quibus est Babylon, qua expugnata laxauit captiuitatē Iudæorum. D. verò Hier. hæc de Christo exponens, per magistratus intelligit omnes superbos mundi principes, hos conculcabit, & subijcietur ei quemadmodū lutum figulo, vt faciat ex eis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.

Quis annunciauit ab exordio &c.) Quasi dicat: Hæc talia nullus dæmonum vel idolorū potuit annunciare, nemo prædicere potuit nasciturum aliquē in Perside, qui vinceret imperium Medorum, qui subijceret Asiam, qui expugnaret Babylonem: Nullus dæmonum prædicere potuit nasciturum Christū, & victoriam eius nunciare. Qui verò tale aliquid potuit prædicere, illi dici posset, *Iustus es*) hoc est, verax es. Et conuertens prophetā sermonem ad idola, ait: *Non est annunciās etc.*) id est, inter dæmones non est aliquis annuncians eiusmodi, qualia sunt de Cyro vel de Christo. Deinde sensu aduersatiuo subdit, dicens: *Primus ad Sion dicet*) quasi dicat: Cùm idola ista non possunt, ego istud faciā. Pro eo quod nos habemus, Ecce adsum, Hier. legit, ecce adsunt, & sic legendum est. Nam ad verbum in Hebræo est, Ecce ecce ipsi. Sensus est: Dominus qui simpliciter primus est, dicit ad spiritualem Sion, id est, ad Ecclesiam, ecce adsunt scilicet filij tui: *Et Ierusalem Euangelistam dabo*) id est, dabo ei aliquem qui hæc prænunciet.

Et vidi etc.) Non erat scilicet quisquā ex illis qui sequuntur cultum idolorum. Expro brat illis propheta quòd non adhiberēt animum ad audiendum hos sermones, quasi dicat: Ego hæc prædico, sed pauci admodū auscultabunt, & interrogati non dignabuntur respondere: Iudæis siquidem prædicatio Euangelij scandalum est, Gentibus verò stultitia, quarum tota religio est inanis, atq; hoc est quod sequitur: *Ecce omnes iniusti*) Omnes, hoc est, & Iudæi relinquentes Christum eiusque iustitiā & suam quærentes statuere: & Gentes idola, lapides & ligna colentes, omnes iniusti sunt & opera eorum vana.

CAPVT XLII.

ECce seruus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritū meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neq; accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet. In veritate educet iudicium, nō erit tristis, neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium, et legem eius insulæ expectabunt.

ECce seruus meus etc.) Iudæorum nonnulli hæc de Iacob interpretantur: Alij de Elia. Anne in Cyrum cōpetere possint, expendant studiosi. Certissimum autem commentariū habemus apud Matthæum cap. 12. vbi hęc de Christo interpretatur, & est cōtinuus sermo cum præcedētibus: Ecce seruus meus Christus, qui iuxta dispēsationē carnis assūptæ seruus erat, verū iuxta diuinitatē nō seruus sed æqualis patri. Apud Septuag. & Matthæū est, puer meus. Sunt autem voces Latinis, Græcis & Hebræis ambiguæ, quandoq; ad conditionem, quandoque ad familiam pertinentes.

Iudicium gentibus proferet) Iudicium in scriptura interdum est quo discernimus inter bona & mala, & tunc sensus est iste: gentes hactenus errauerunt, & nō potuerunt agnoscere verum, implicitæ erroribus circa cultum idolorum & alia multa, iste seruus meus Christus proferet verum iudicium, ponet Gentibus Euangelium, in quo discāt discernere verum cultum à falso. Est & aliud iudicium quod fit inter duos reos, quale est apud Ioannem cùm dicitur: Iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Si hoc modo accipiatur, sensus est: Ipse sumet partes iudicis inter diabolum & humanum genus, & feret sententiam pro humano genere contra diabolum.

Non clamabit &c.) In eadem significatione clamore vsus est Paulus in epistola ad Ephe. 4. Omnis amaritudo, ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur à vobis. Sensus ergo est: Christus secundum humanam naturam assumptam seruus meus non erit feroci ingenio ac impatienti, non erit amarus, non indignabitur: *Neque accipiet personam*) Ad verbum in Hebræo est, nō accipiet, siue non assumet, siue non leuabit. Hier. aūt de suo addidit, personam, fortè ideo quia verbum istud in hac significatione interdū inuenitur in scriptura sed aliquo addito, vt accipere faciem vel animam: In commentarijs tamen ostendit alium sensum, non accipiet personam in iudicio, siue non leuabit scilicet in altum vocem suam, vt sit interpretatio prioris.

Nec audietur vox eius foris) Sensus est: Nihil facie ad ostentationem & vanam gloriā. Significatur his omnibus rebus modestia & mansuetudo Christi. *Calamum quassatum non conteret*) Significatur humanitas Christi erga infirmos & imbecilles: quāquam aliquis est peccator, licet incipiat ruere in peccatū, non conteret eum, non abijciet sed nutriet. *Et linum fumigans non extinguet*) Qui vicini sunt extinctioni sua clementia seruabit. Cōmentarius autem Hier. super. 12. caput Matthęi sic habet: Qui peccatori nō porrigit manum, nec portat onus fratrum, iste calamum confringit quassatum: & qui modicam scintillam fidei cōtemnit in paruulis, hic linum extinguit fumigans: qui hodie non dat operam vt errantem quantum potest corrigat, ille calamum confringit quassatum.

In veritate educet &c.) Id est, verum Dei cultum & verum iudicium proferet: verum inquam cultum quo Deus pater gaudet & placatur. *Donec ponet in terra &c.*) Id est, omnia hęc scilicet modestiam & mansuetudinē & humanitatem præstabit, vt homines etiā Gentiles rectè iudicent, quod fit quando Dei voluntas impletur in cœlo & in terra.

Et legem eius insulæ expectabunt) Manifestius istud posuerunt Septuag. interpretes & post eos Euāgelista Matthæus, hoc modo: Et in nomine eius gentes sperabūt, quæ in scripturis insulæ appellantur, quia omni ex parte incursionibus persecutorum patent: Sic hoc loco Hier. in Esaiam. Ex quo commentario patet ipsum in insulis agnouisse metaphoram: Sed ex consuetudine scripturæ in præcedentibus aliud annotauimus. Expositionem huius loci tradit Hier. in epistola ad Algasiam quæstio. 2.

HAEc dicit Dominus Deus creans cœlos, et extendens eos. firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te, Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus, quæ prima fuerunt ecce venerunt, noua quoque ego annuncio, antequam oriantur audita vobis faciam.

HAEc dicit Dominus &c.) Hæc præmissa ne quis putet esse leuem promissionē, ego Dominus cœli & terræ omniumque rerum creator hæc prædico & promitto. *Ego Dominus vocaui te in iustitia*) In iustitia scilicet promissorum meorum promisi te Abrahæ & semini eius, impleui promissum: *Apprehendi manum tuam*) hoc est, porrexi manus adiutrices: *Et seruaui te*) Intelliguntur hæc de Christo secundum dispensationem carnis assumptæ, quemadmodum superius dictum est.

Et dedi te in fœdus &c.) hoc est, tu eris pacificator inter me & homines, per te ego reconciliabor humano generi, tu eris Gentibus lux: *Vt aperias oculos cæcorum*) Gentes cæcę sunt malè iudicantes de vero Dei cultu & de vera iustitia, hanc cæcitatem tu auferes: & omnes qui vincti sunt & conclusi in peccatis tu liberabis eos & solues. Quodque deinde infert, *Ego Dominus*) non excludit filium, sed idola, vnde sequitur, Gloram meam non dabo sculptilibus. Omnibus autem istis capitibus libenter propheta perstringit cultum idolorum, vt ex hoc etiam possit perspici quòd præcipuè respexerit ad vocationem gentium, quæ inter reliquas nationes potissimum deditę erant cultui idolorū. Dicit ergo: Ego Dominus, non

vestra

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestra idola,nomen(Dominus)mihi poprium est & peculiare, ego meapte natura Dominus sum:Cæsar & Gallorum Rex Domini quidem sunt,sed alieno beneficio: *Gloriam meam alteri non dabo*)id est, non patiar amplius gloriam & latriam seu cultum mihi debitum impendi idolis,dijsque Gentium,Ioui, Mercurio & cæteris , vt illi appellentur dij & Domini,amplius non feram.

Quæ prima fuerunt)Quæ olim per Moysen & prophetas prædixi futura, ecce venerunt, hoc est,sortita sunt effectum suum, quasi dicat:Non est cur dubitetis de promissis meis, hactenus ego præstiti,quæ promisi & futura prædixi. *Noua quoque ego annuncio*) Nunc prædico vobis nasciturum aliquando Christum filium meum, qui liberabit vos longè aliter quàm hactenus quisquam vos liberauit.

CAntate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. Qui descenditis in mare, & plenitudo eius, insulæ & habitatores earum. Lætetur desertum,& ciuitates eius,in domibus habitabit Cedar.Laudate habitatores petræ,de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam,& laudem eius in insulis nunciabunt.Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum. Vociferabitur, & clamabit,super inimicos suos confortabitur.

CAntate Domino &c.)Habetis canticum Deuteronomij, insigne quidem illud sed vetus, ego aliud proponam quod à vobis decantari volo, & est istud quod nomen Dei est gentibus notum & omnibus modis celebre, atque hoc est quod dicit:*Laus eius ab extremis terræ*)quod etiam hoc sensu accipi potest: Laus eius ab extremis terræ scilicet resultet,vt non canticum sit, sed exhortatio ad canticum & laudem.

Qui descenditis in mare &c.) Hæc pertinent ad vocationem Gentium. *Lætetur desertum*) De deserto dictum est est cap. 32. In textu autem Hier. non est lætetur, sed leuet desertum,& addit (vocem suam) Leuet desertum vocem suam.Proponit etiam nostram lectionem.Quod autem habet Hebraica veritas, leuet desertum scilicet vocem suam,tantùm valet ac si dicas,canat desertum,hoc est, Gentilitas deserta olim & derelicta cantet Domino.

Cedar. *In domibus habitabit Cedar*) Talem tropum apud Hebræos habet Cedar,qualem apud Latinos Scytha . Latini enim dum significare volunt agrestem & barbarum hominẽ, appellant eum Schythan: Sic apud Hebræos,p barbaris habetur Cedareni: Habitaui cum habitantibus Cedar,id est, inter agrestes & barbaros. Propria autem eius significatio est capite,21.huius prophetæ vbi dicitur:Auferetur omnis gloria Cedar.Propriè enim Cedareni sunt,qui descenderunt Cedareni ab Israele, qui inhabitabant solitudinem maximam , & tabernaculis vtebantur pro domibus.Cedareni ergo dicebantur qui in certis sedibus vagabantur. Sẽsus igituur est: Cedareni posthac non erunt vagi, sed certis domibus vtentur.Per metaphoram significãtur Gentes:Nos eramus vagi & à Deo alieni,vagabamur incertis sedibus dogmatum de natura deorũ, de immortalitate animæ, sed iam harum rerum habemus certam & firmam notitiam.*Laudate habitatores petræ*) Et hi sunt agrestes & barbari habitantes in medijs rupibus alienià communi viuendi ratione: Vos etiam Laudate Deum. *De vertice montium clamabunt*) Qui habitatis in montibus, ad quos non solet peruenire institutio humana , & vos clamate ad Dominum. Est hoc loco, licet prima fronte non videatur,maxima eloquentia,qua significat propheta Euangelio nullum locum fore inaccessum.

Ponent Domino gloriam &c.)id est, remotissimis populis, qui insularum nomine significãtur,Apostoli prædicabunt Euangelium,& gloriam Christi remotis & penitus abiectis idolis ponent ibi,& cultum Dei inferent.

Dominus sicut fortis egredietur &c.) Hoc est quod dicitur in Psal. Exultauit sicut gigas ad currendum viam.*Suscitabit zelum*) excitabit in se iram. *Vociferabitur & clamabis &c.*)id est, potenter deijciet aduersarios & hostes. Hostes autem intelliguntur idola & breuiter omnia vitia , quæ ad prædicationẽ Euangelij prosternentur apud illos, qui ptiè & magna cum diligentia audiunt & custodiunt Euangelium.Significatur ergo victoriam verbi Dei fore admirabilem in populo Christiano.

TAcui,semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, Dissipabo & absorbebo simul,desertos faciam montes & colles, & omne germẽ eorum exsiccabo.Ponã flumina in insulas, & stagna arefaciam. Et educam cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignorauerunt ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem,& prauа in recta. Hæc verba feci eis, et non dereliqui eos, Conuersi sunt retrorsum.Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili,vos dij nostri.

TAcui semper silui &c.)Multis iam sæculis permisi gentes in cultu idolorum & totalijs vitijs,quæ legere est in libris Ethnicorum,sed nunc visum est non amplius sinere: Loquar quidem,sed hoc modo loquar vt parturiens,id est, quemadmodũ is quem tenet sensus maximi & grauissimi doloris.

Dissipabo &c.)Hoc est,& montes & colles & omnia semel destruam,vt cuncta sint peruia Euangelio: & ne flumina possint obsistere prædicationi Euangelicæ, ego etiã flumina exsiccabo. Aliam huius loci expositionem vide apud Hieronymum.

Et educam cæcos &c.) id est,illos qui errabant in maximis rebus, ex quibus pendet tota salus & æterna salus, illos docebo veritatem Euangelij, quibus videlicet constet remissio peccatorum.

Hæc verba feci eis &c.) Est querimonia Domini. Sensus est: Dum ego ista præsto mundo, interea multi abierunt retrorsum, nolunt adhibere fidem Euangelio, sed eo relicto conuertuntur ad mundum.

Confundantur &c.)id est,qui in media hac luce Euangelica adhuc pergunt idola colere,confundantur vehementissimè.Iam idola consuetudine scripturarum non solùm sunt,quæ manibus hominũ fiunt, sed etiam queuis vitia.Qui ergo in media hac luce Euangelica colunt auaritiam, Venerem & cætera vitiorum genera,confundantur.

SVrdi audite, & cæci intuemini ad videndũ. Quis cæcus nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? Quis cæcus,nisi qui venundatus est? Et quis cæcus, nisi seruus Domini? Qui vides multa,nonne custodies? Qui apertas habes aures,nonne audies? Et Dominus voluit vt sanctificaret eum, & magnificaret legem,& extolleret , ipse autem populus direptus & vastatus.Laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerum abscondisti sunt. Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat , in direptionem, nec est qui dicat,redde.

SVrdi audite &c.)Id est,vos omnes qui addicti estis rebus huius sæculi caducis & perituris, qui excæcati estis peccatis vestris, aduertite parumper ad ea quæ ego propono:& ne quis putaret hoc quod dicitur,Surdi audite &c. ad gentium populum tantùm pertinere, qui prius surdus & cæcus fuerat, ipse propheticus sermo demonstrat,qui surdi & cæci intelligi debeant: Quis inquit cæcus nisi seruus meus?hoc est,populus ille Iudaicus cæcus? quia nondũ recipit eum qui in propria venit, qui est finis legis. Nuncios intelligit prophetas. *Quis cæcus, nisi qui venundatus est?*)scilicet peccatis.

Qui vides multa &c.)id est,qui habes prophetas plurimos per quos Dei mandata cognoscas,nonne custodies quæ tibi præcepta sunt? quasi dicat propheta: Ecce vos Iudæi qui habetis legem & prophetas putatis vos præ gentibus egregios,sed fallimini: legem habere, & legem legisse nihil est, sed legem obseruasse, hocaliquid est. Qui apertas habes aures,scilicet ex prophetis, nonne audies adhibendo fidem prophetis?

Et Dominus voluit &c.)Sensus est:Dominus hoc assiduè egit apud populum suum, vt magnificaretur peculiariter ab eo, sed populus ipse propter duriciã & cæcitatem primò vastatus est & direptus per Nabugodonosor, deinde virijs suis datus est in direptionem principi tenebrarum harum, & factus est in rapinam dæmonis & satellitum eius: quæ miserrima direptio est & vastitas, atque hoc est quod sequitur: Laqueus iuuenum omnes &c.

QVis est in vobis qui audiat hoc, attendat & auscultet futura? Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse est,cui peccauimus? Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu,& non cognouit, & succendit eum,& non intellexit.

QVis est in vobis &c.) quasi dicat Propheta:Ego velim saltem paucos esse in vobis,qui hæc diligenter pensent, nõ enim agitur de re parua,sed de æterna salute.

Quis dedit in direptionem? &c.)id est, Quoties carnalis ille Israel traditus est in captiuitatem, Dei consilio id factum est: idem fiet tempore Messiæ,tradetur principi tenebrarum in direptionem, quia peccauit Domino,& venientem in propria recipere noluit, nec eius Euangelium amplecti , atque hoc est quod sequitur: Et noluerunt in vijs eius ambulare &c.

Et combussit eum in circuitu , & non cognouit)scilicet causam pœnæ suæ, quòd idcirco punitus sit, quia peccauit Domino. Istud idem nobis hodie vsu venit, punimur bellis, caritate annonæ, alijsque malis multis premimur, & non intelligimus quòd propter peccata nostra illa patiamur. Si referas hæc ad captiuitatem Romanam, erit bonus sensus,sed sublimior,si generaliter exponas.

CAPVT XLIII.

ET nunc hæc dicit Dominus, creans te Iacob, & formans te Israel. Noli timere, quia redemi te , & vocaui te nomine tuo. Meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus , sanctus Israel,saluator tuus. Dedi propitiationem tuam Aegyptum,& Aethiopiam, & Saba pro te, ex quo honorabilis factus es in oculis meis,& glo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rioſus, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.

ET nunc hæc dicit Dominus &c.) Eſt ſermo perpetuus, & eiuſdem argumenti cum ſuperioribus: Et Iacob intelligitur, non carnalis ille, qui ſecundum carnem deſcendit à Iacob, ſed qui eſt ſecundum ſpiritum per fidem Iacob & Iſrael.

Noli timere &c.) Hebræi qui ad carnalem Iacob & Cyrum hęc referunt, hoc modo exponunt: Futurum eſt vt abducaris captiuus in Babylonẽ, ſed noli timere, ego redimam te per ſeruum meũ Cyrum. Sed rectius hæc agnoſcuntur in Chriſto & ſpirituali Iſraele, hoc ſenſu: Quamuis venundatus ſis peccatis tuis, tamen noli timere, ego redimam te dato filio meo. *Vocaui te nomine tuo, meus es tu*) Quod Iſrael vocatur populus Dei, hoc Deo authore factũ eſt. Iſto ergo ſignificatur quòd Deo eſt peculiaris cura illius populi.

Cùm tranſieris per aquas &c.) Nominibus iſtis certarum ſpecierum ignis & aquæ, fluminum & flammarum ſignificatur in ſumma per ſynecdochẽ quæuis perſecutio quorumuis hominum. Qui recipitis filium meum, nolite timere à quibuſuis perſecutoribus, impetu eorũ, & furore: nulli poterunt nocere vobis, quia ego ſaluator veſter.

Dedi propitiationẽ &c.) Hieronymus propitiationem accipit actiuè, hoc modo: Aegyptus erit propitiatio tua, id eſt, tu eam expiabis & redimes prędicato Chriſto, ſpiritualis Iſrael mittetur in Aegyptum, Aethiopiam & Sabam, & placabit ſeu reconciliabit Deo patri hæc regna prædicatione ſua. Sic quod ſequitur, *Et dabo homines pro te &c*) hunc habet ſenſum: Cunctorum hominum quibus prædicabis, ſalus tibi reputabitur: Sic Hiero. Verùm ſi verba ſpectemus, videtur omnino propitiatio accipi paſsiuè, & ſermo eſſe de precio, quo ipſe Iſrael redimitur hoc ſenſu: Dum ego conſtituam Eccleſiam Chriſti & ſpiritualem Iſraelem, vtar maximis victimis, mactabo pro te Aegyptũ, Aethiopiam & Sabam regna opulentiſsima. Nominibus autem horum regnorum, quæ opulentiſsima ſunt, ſignificat propheta rem maximam, rem primi pretij: Non parcam maximis ſumptibus dum redimo te: Sic quod ſequitur: *Dabo homines pro te*) id eſt, dum redimo te, non vtar ſanguine vitulorum, ſed homines mactabo pro te, tanti es apud me ô ſpiritualis Iſrael.

Propitiatio.

NOli timere quia ego tecum ſum, Ab Oriente adducam ſemen tuũ, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum: formaui eum, & feci eum. Educ foras populum cæcum, & oculos habet ſurdum, & aures ei ſunt. Omnes gentes cõgregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus.

AB Oriente &c.) Id eſt, ab omnibus mundi partibus congregabo ſpiritualem Iſraelem, & loquitur propheta de illa congregatione de qua apud Iohannem cap. 11. Ieſus moriturus erat pro gente, & nõ pro gente tantùm, ſed vt filios Dei, qui diſperſi erãt, congregaret in vnum.

Educ foras &c.) Educ foras populum antea quidem cæcum, ſed iam oculatum, ſurdum quondam, ſed iam auritum: Gentiles cæci quidẽ erant & ſurdi, ſed prædicato Euangelio facti ſunt oculati & auriti. Secundũ hunc ſenſum eſt læta prophetia. Alij autem interpretantur de populo Iudaico, cui oculi quidem erant & aures in lege & prophetis, ſed oculi cæci & aures ſurdæ, quia legentes prophetas non intelligebant, nec fidem eis adhibebant: Et ſi ſic exponatur, eſt commi-natio.

QVis in vobis annunciet iſtud, & quæ prima ſunt audire vos faciet? Dent teſtes eorum, & iuſtificentur, & audiant, & dicant: Verè vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi, vt ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis, quia ego ipſe ſum. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator. Ego annunciaui, & ſaluaui, auditum feci, & non fuit in vobis alienus. Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus, & ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud?

QVis ex vobis &c.) Rurſum perſtringit propheta idola: Quis dæmonum ſeu idolorum hæc prædixit, quòd prædicato Euangelio ex omnibus mundi plagis adducerentur & congregarentur filij Dei?

Dent teſtes) ſcilicet oraculorum ſuorum. *Et iuſtificentur*) id eſt, abſoluantur à calumnia, ex rerum euentibus probentur veri dij, quos teſtes eſſe volunt oraculorum ſuorũ: Audiant miracula & dicant ea, id eſt, annuncient ea cæteris, quod ipſi non poſſunt, hoc ego efficiam.

Verè vos teſtes &c.) Id eſt, oraculorũ meorum teſtes ſunt martyres & confeſſores tot & tam inſignes, ex quibus poteſt intelligi non eſſe rem ficticiam Euangelium. *Et ſeruus meus*) ſcilicet Chriſtus eſt etiam verus teſtis meus.

Ante me non eſt formatus Deus &c.) quaſi dicat: Relinquite idola veſtra, ego enim ipſe ſum Deus, non idola veſtra: ego annunciaui per prophetas futura, & ſaluaui genus humanum per Chriſtũ, non autẽ idola: Auditum feci

feci quod occultum erat, & non fuit in vobis alienus, id eſt, nullus alius inter vos iſta prædicere potuit.

Operabor, & quis auertet illud?) Senſus eſt: Nemo poterit prohibere vel auertere, quod ego facere inſtituo.

HAEc dicit Dominus, redemptor veſter, ſanctus Iſrael: Propter vos emiſi in Babylonem, & detraxi veſtes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes. Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſrael, rex veſter. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam.

Qui eduxit quadrigam & equum, agmen, & robuſtum. Simul obdormierunt, nec reſurgent, & contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt.

PRopter vos emiſi &c.) Senſus eſt: Ad laxandam captiuitatem veſtram, ô Iudæi, miſi in Babylonem Cyrum Perſarum Regem, & detraxi vniuerſos vectes, quibus concludebamini, & potentiam Chaldæorum, qui vos ceperunt. Eſt hoc loco typus, & ſub litera aliud ſignificatur quàm prima fronte præ ſe fert: mundus enim in maligno poſitus, Babylon eſt: Chaldæi autem, dæmones. Atq; hoc modo interpretatur Hieronymus, de re videlicet per typum ſignificata, habet enim ſic: Miſi filium meum in Babylonem & confuſionem huius ſæculi, *& detraxi veſtes vniuerſos*) Pro quo Theodotion ſortes interpretatus eſt. *& Chaldæos*) Id eſt, dæmones in his gloriantes, qui inſtar nauium inter idola fluctuabant.

Hæc dicit Dominus &c.) Intelligit Hieronymus de mari rubro, vel etiam de aquis Iordanis fluuij. Pro torrentibus alij vertunt vehementibus. Hæc dicit ille Dominus, qui fecit filijs Iſrael tranſitum in mari rubro rapidiſsimo flumine decurrente, ita, vt ſiccis pedibus tranſirent.

Qui eduxit quadrigam &c.) Qui ex Aegypto eduxit currus & equos, & totum exercitum Aegyptiorum, & Pharaonem Regem potentem demerſit in profundum, hoc eſt, quod dicit: *Simul obdormierunt*) Scilicet ſomno perpetuo, *& contriti ſunt & extincti quaſi linum*) Hoc eſt, in breuiſsimo temporis ſpacio, in puncto atque momento: linum enim necdum igne correptum pro leuitate ſubſtantiæ ſtatim extinctum in fauillam diſſoluitur. Dicit ergo: Ille ego ſum, qui diuiſi aquas maris rubri, & populum meum traduxi ſubmerſo Pharaone cum toto ſuo exercitu, huiuſmodi facinora ego præſtiti, quæ reliquarum gentium idola neq; quaquam poſſunt præſtare.

NE memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea. Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina. Et glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones, quia dedi in deſerto aquas & flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit. Non me inuocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſrael. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me. Non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me.

NE memineris priorum &c.) Id eſt, quæ olim feci quàm magna, tamen ad comparationem Euangelij parua ſunt: ne ergo ad illa priora reſpiciatis, ſed ad maiora reſpicite, videlicet ad filium meum datum vobis, & ad victoriam verbi Dei, & ad ſpiritum ſanctum miſſum in cordibus credentium clamantem, Abba pater: Hæc verè maxima ſunt & verè noua.

Ponam in deſerto viam &c.) Nequaquam in mari rubro faciam amplius viam, ſed in deſerto totius mundi aperiam: nec vnus fluuius erumpet de petra, vt olim tẽpore Moyſi, ſed multa flumina: & flumina intelligenõ quæ corpora, ſed animas ſitientes reficiant: Tunc quod nunquam factũ eſt, fiet, vt omnes beſtiæ, dracones, ſtruthiones glorificent me & collaudent. In his nominibus ferarum metaphora eſt, ſignificantur enim gentiles ſine legibus & ſine Deo viuentes, feritate morum beſtijs ſimiles.

Quia dedi in deſerto aquas &c.) In deſerta gentilitate dedi aquas, & ſermo eſt de illis aquis & fluminibus, de quibus apud Iohannem capite 7. & Eſaiæ capite 12. Hauritis aquas de fontibus Saluatoris, vt bibat populus meus electus, quem acquiſiui ſanguine meo; quem peculiariter aptaui, vt laudes meas virtutesque enarret.

Non me inuocaſti &c.) Beſtijs agri draconibus & ſtruthionibus inuocantibus me, tu Iacob nequaquam me inuocaſti, non obtuliſti mihi arietem holocauſti. Quod autem arbitraris te mihi arietes obtuliſſe & immolaſſe, ſcias eos à me non eſſe ſuſceptos, non mihi placuerunt oblationes tuæ, neque quæſiui eas de manibus tuis, atque hoc eſt quod dicit, Non te ſeruire feci in oblatione.

Non emiſti mihi argento calamum) Scilicet aromaticum, & omnia hæc ſic intellige, ſicut ſuprà capite 1. cùm dicitur: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus?

Plenus ſum &c.) Ibi prolixè dictum eſt de ſacrificijs Iudæorum. Si hæc referantur ad tempora Chriſti, nulla quæſtio eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VEruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul, narra si quid habes, vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui prævaricati sunt in me. Et contaminaui principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.

VEruntamen seruire &c.) Non me inuocasti Iacob, sed hoc potius fecisti, quòd laborauerim & cum nausea quadam sustinuerim opera vestra mala & polluta, adeò, vt coegeris me dicere: Laboraui sustinens.

Ego sum ipse qui deleo &c.) Si quis ad hunc versum tantùm respiciat, & non ad reliquam scripturam, is potest valde errare, quia si in sola Dei clemētia est remissio peccatorum, quod significare videtur particula ista, *propter me*: quorsum ergo baptizamur? quorsum agimus pœnitentiam? & cætera similia agimus? Ne hîc erremus, oportet respicere ad alias scripturas: Imprimis quòd Dei filius datus sit nobis, vt tollat peccata mundi, factum est nullo nostro merito vel alterius, sed sola patris voluntate, qui secundum beneplacitum suum voluit nobis misereri, cùm posset non misereri: Eramus omnes inimici Dei, placuit ipsi sua sponte simpliciter propter se exhibere nobis misericordiam, vt simus in laudem gloriæ gratiæ suæ, hoc est, vt agnoscamus hanc misericordiam esse spontaneam ipsius gratiam. Deinde quòd vitronea hæc ipsius gratia ad nos deriuata est, æquè sine nostro merito factum est & paterno & auito, sed non sine Christi merito, qui dedit propitiationem nostri non Aegyptios vel Aethiopas, sed benedictum suum sanguinem, cuius contemplatione pater dat nobis gratiam & peccatorum remissionem: Et quia pater & filius vnum sunt, bene dicit, *ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Vtramque rem mirabiliter expressit Paulus in epistola ad Ephesios capite primo: Benedictus Deus &c. Præter ea autem quæ præstitit pater & filius, Paulus in epistola ad Romanos fidem nostram requirit: Quem (inquit) proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius. Non ergo deriuatur gratia Dei in eos, qui filio credere nolunt. Verum quia hoc ipsum credendi opus non est à solo nostro libero arbitrio, sed à libero arbitrio adiuto dono patris trahentis (Nemo enim potest venire ad filium, nisi pater traxerit eum) gratuita bonitate patris credentes agnoscere debēt illud Esaiæ, Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me: Quia sic propter nostrā fidem deler, vt tamen propter se, quia fides illa est donum Dei. Deinde quòd nostrum credere tanti fiat apud Deum, vt propter illud deleat peccata nostra, hoc debemus bonitati & beneplacito paternæ voluntatis ipsius. Ipsum enim credere per se non est tanti, vt propter illud deleantur peccata nostra, quia, vt dicit Paulus, reputatur fides ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, id est, quòd per fidem remittantur peccata, hoc est gratiæ Dei, non quia fides hoc meretur. Similiter dicendum est de Baptismo: Abluit quidem Baptismus sordes peccatorum, sed hoc non habet nisi ex patris clementia propter merita Christi. Idem dicendum est de pœnitentia. Gratia ergo iustificamur, hoc est, sine vllis planè meritis nostris aut maiorum nostrorum, non tamen sine meritis Christi, quem quia pater gratuita sua bonitate & spontanea clementia misit in mundum ad delenda peccata, bene dicit propheta hoc loco, Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.

Reduc me in memoriam) Hæc dicuntur Iudæis: Cauete diligenter ne statuatis iustitiā vestram, sed discite agnoscere iustitiam fidei, & vt illam agnoscatis, proponam vobis aliquid, quo meritò debeatis moueri ad abijciendam spem iustitiæ vestræ, & ad misericordiam Christi confugiendum, reducite in memoriam patrem vestrum, siue ille fuerit Abraham, siue Iacob, siue Dauid: *Iudicemur simul*) Expendamus diligenter rem, si quid potestis inuenire, quo vos iustos statuatis, narrate & proponite in medium, illisq; tacentibus, contrà Deus ipse obijcit.

Pater tuus primus peccauit) Quasi dicat: Vt scias me misereri tui, non ob meritum tuum vel maiorū tuorum, sed propter meam clementiam, à parentibus tuis repetam atque maioribus, vt intelligas te à peccatoribus generatum. Pater tuus primus peccauit, siue is Adam siue Abraham sit, siue aliquis sequentiū (omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei) *Et interpretes tui*, hoc est, Moyses & Aaron, qui inter te & me medij loquebantur, *prævaricati sunt in me. Et cōtaminaui principes sanctos*) Id est, insignes tuos principes passus sum cōtaminari: immò ipsam stirpē Iacob dedi ad internecionē, ita quòd duo tantùm ex omnibus viris bellatoribus ingressi sunt terrā repromissionis. *Et Israel dedi in blasphemiā*) Id est, Israel passus sum incidere in peccatū blasphemiæ. Nemo ergo confidat in iustitia patrū: ex meritis enim eorū nemo iustificatur, sed opus est vitronea mea misericordia. Hęc autē Dei misericordia, vt dixi, multiplex est: Primò in solo patre, deinde in filio, deinde per fidē & Baptismū & pœnitentiam & alia multa, quæ ad deletionem peccati efficacia fecit eadem Dei misericordia.

Hic scribet manu sua Domino) Siue, vt Septuaginta transtulerunt, scriber in manu sua, Dei ego sum, vt nouo tyrocinio seruitutis Christi militem se glorietur.

Et in nomine Israel assimilabitur) Apud Hebræos actiuum verbum est: Et in nomine Israel assimilabit, scilicet se. Eadem vox habetur capite sequenti, vbi de Cyro loquens ait: Vocaui te nomine tuo, assimilaui te &c. Quo loco videtur Hieronymus verbum assimilare accipere pro typum gerere: Assimilaui te, id est, typum Christi mei te esse volui. Hoc verò loco sic habet: Gentium populus in nomine Israel assimilabitur, vt legem & prophetas & omnes spiritus sancti gratias, quæ populo Israel repromissæ sunt, accipiat. Vox autem Hebræa significat legere seu vocare quempiam non aperto, sed occulto nomine & tacito: quasi dicat propheta, Romanus non vocabitur Romanus, Brabantus non appellabitur Brabantus, sed Christianus, agnoscetur in eo aliud nomen tectius, quo gaudebit appellari se.

CAPVT XLIIII.



ET nunc audi Iacob, serue meus, & Israel, quem elegi. Hæc dicit Dominus, faciens, & formans te ab vtero, auxiliator tuus. Noli timere serue meus Iacob, et rectissimè quē elegi: effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob. Et hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israel assimilabitur.

ET nunc &c.) Omissis omnibus alijs, ex quibus sperari poterat iustitia, audi Iacob: Hæc dicit Dominus. Iacob hîc intellige quomodo priùs, non secundum carnem, sed secundum spiritum. *Ab vtero auxiliator tuus*) Sic Psalm. De vtero ventris matris meæ tu es protector meus. Significatur quòd mirabiliter adsit suis, & regat eos. *Noli timere &c.*) Quasi dicat, Ego rego te, oculi carnales hoc non vident, sed oculi mentis, ne ergo timeas. Quanquam autem Dominus regat suos, frequenter tamen labuntur, vt ipse solus iustificetur, & dicant omnes, Tu solus sanctus, nos immundi omnes: verùm propter lapsus huiusmodi quotidianos, quales sunt iustorum, non oportet abijcere animum, sed confidere & pergere in via iustitiæ, & post lapsum dicere quotidie, Dimitte nobis debita nostra.

Effundam enim aquas &c.) Tales aquas intellige, quales sunt illæ, de quibus apud Iohannem 4. & 7. Sitiens verò & arida intelligitur gentilitas. Quod autem sequitur, *Effundam spiritum meum &c.*) interpretatiuè dictum est: exponit enim, quid intelligat nomine aquarum.

Iste dicet &c. Significatur quod latissimè effundet spiritum suum sanctum inter eos, qui antèà non cognouerunt Deum, sed idola tantùm coluerunt: *hic dicet, Domini ego sum*, Non Iouis aut Mercurij. Commentarius autem Hieronymi sic habet: Alius dicet, Domini ego sum, qui iustitiæ opera in se esse confidit. Et infrà idem Hieronymus: Pro varietate meritorum alius dicet, Domini ego sum.

Nota hîc ex D. Hieronymo opera iustitiæ, & varietatem meritorū. *Et ille vocabit &c.*) Id est, dicet Deus Iacob miserere mei, non Iupiter.

HAEc dicit Dominus rex Israel, et redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet & annunciet, & ordinē exponat mihi. Ex quo cōstitui mihi populū antiquū, ventura et quæ futura sunt, annunciet eis, Nolite timere, neq; cōtrubemini. Extunc audire te feci, & annūciaui. Vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, & formator, quē ego non nouerim? Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorū non proderunt eis, ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neq; intelligunt, vt confundantur. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur: fabri enim sunt ex hominibus.

ET redemptor eius &c.) In nomine redemptoris alludit ad Cyrum, sed principaliter respicit ad redemptionem per Christum factam: & est hic sermo contra illius temporis idololatras, quo Esaias propheta ventura populo nuntiat, & arguit eos, qui Dei omnipotentis, religione cōtempta, simulachris ligneis inclinantur.

Ego primus & ego nouissimus) Id est, alij dij non sunt dij, ego sum Deus simpliciter primus & nouissimus: si quis est mihi similis inter reliquos deos, prodeat, & res gestas & præteritas iam inde ab orbe condito & homine creato exponat, quod cùm nō possint, certum est, non esse deos.

Extunc &c.) Id est, à priscis temporibus. Sic in cantico Zachariæ: Qui locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius. A principio ergo orbis conditi ego te feci audire, quæ ad veritatem pertinent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conuenient enim omnes. stabunt & pauebunt & confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est in prunis, et in malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ. Esuriet & deficiet, non bibet aquam, & lasseſcet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud vt runcina. Fecit illud in angularibus. & in circino tornauit illud, & fecit imaginem viri. quasi speciosum hominem habitantem in domo.

Succidit cedros, tulit ilicem, & querecum quæ steterat inter ligna saltus. Plantauit pinũ, quam pluuia nutriuit, & facta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis, & calefactus est, & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est Deum & adorauit. fecit sculptile, & curuatus est ante illud. Medium eius combussit igni, & de medio eius carnes coxit, & comedit, coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit: Vah, calefactus sum, vidi focum: reliquum autem eius Deum fecit, & sculptile sibi.

Curuatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.

Conuenient) Scilicet Plastæ ad consultandum in communi. *Paucbunt*) Quia timor primùm deos fecit.

Non bibent aquam &c.) Id est, in artifice tantus erit amor operis perficiendi, vt præ diligentia negligat curam corporis.

Nescierunt neque intellexerunt: obliti enim sunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant in corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, vt dicant: Medietatem eius combussi igni, & coxi super carbones eius panes, et coxi carnes, & comedi, et de reliquo eius idolum faciam. Ante truncum ligni procidam. Pars eius cinis est, cor insipiens adorabit illud, & non liberabit animam suam, neq; dicet, forte mendacium est in dextera mea.

Nescierunt neque intellexerunt) Quia videlicet consuetudine peccandi obscuratum est legẽ naturæ. Cætera quæ sequuntur facilia sunt, quemadmodum & priora huius capitis nullam habuerunt difficultatem. Ea autem quæ hîc dicuntur de idolis, Oecolampadius & Pellicanus referũt ad imagines Christianorum, & dicunt gentiles nõ fuisse adeò crassos, vt colerent lapides & ligna pro dijs, sed vim quandam diuinam illapsam & inexistentem lapidibus putabant. Sed Esaias planè asserit ipsos ligna pro dijs coluisse, quia dicit quòd artifex vnam partem ligni cõbusit, alteram verò fecit Deum suum.

Quemodo Christiani colant imagines.

Deinde falsum est Christianos similiter colere imagines tanquã illis aliquid numinis ineſſet, sed vtuntur imaginibus tãquam vocibus significatiuis: quemadmodum enim audito nomine Iesu, aperimus caput, vel genu, vel caput inclinamus, & nomẽ hoc suauiter illabitur animo nostro sine omni idololatriæ periculo: Ita similiter quòd caput aperimus, vel caput inclinamus, aut quòd genu flectimus ante imagines tanquam significatiuas Christi vel sanctorum, est sine omni periculo idololatriæ. Quod autẽ Pellicanus pro se adducat commentarium Ambrosij super primum caput epistolæ ad Romanos, imprudenter facit, & falso mendacio conatur imponere simplici lectori, quia apertè loquitur Ambrosius de imaginibus Ethnicorum, quas pro dijs colebant, vt patet penitius introspicienti contextum ipsius Ambrosij.

Memento horum Iacob & Israel, quoniam seruus meus es tu.

Formaui te, seruus meus es tu Israel, non obliuiscaris mei. Deleui vt nubẽ iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.

Reuertere ad me, quoniam redemi te. Laudate cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus, iubilate extrema terræ. Resonate montes laudationem, saltus & omne lignum eius, quoniam redemit Dominus Iacob, & Israel gloriabitur.

Memento horum Iacob) Cùm hæc ita se habeant, & idola scias esse figmenta hominum, ne obliuiscaris, ô Iacob, creatoris tui, tibique ipsi iniuriam facias, vt incurreris operibus manuum hominum.

Deleui vt nubem iniquitates tuas) Exoriente scilicet Christo, per quem soluuntur iniquitates, sicut nebula & nubes dissoluuntur per calorem solis.

Laudate cœli &c.) Omnia ad lætitiam prouocat. Tantum & tam magnum est beneficium Christi redemptoris, vt meritò omnia iubilent: & ne putaret Deo difficile redimere Iacob, describitur in sequẽtibus eius potentia.

HAEc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero. Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens signa diuinorum, & hariolos in furorem vertens. Conuertens sapientes retrorsum, & scientiã eorum stultã faciens. Suscitans verbũ serui sui, & consilium nunciorum suorum complens. Qui dico Ierusalem, habitaberis, & ciuitatibus Iudæ, ædificabimini, & deserta eius suscitabo. Qui dico profundo, desolare, & flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Hierusalem, ædificaberis, & templo, fundaberis.

Ego sum faciens omnia) Etiã Iouem, quem vos ex homine Deum fecistis. *Extendens cœlos solus*) Non excluditur filius, sed idola & omne

& omne id quod non est Deus. *Irrita faciens signa diuinorum*) Maximè in aduentu Christi. *Conuertens sapientes retrorsum*) Philosophos videlicet, cum quibus negocium erat Paulo.

Suscitans) Id est, rebus explens verbum serui sui siue pueri sui, hoc est, Christi. *et consilium nuntiorum* scilicet Apostolorum, qui voluntatem magistri sui gentibus nuntiabant, *complens*.

Qui dico Ierusalem) Quæ destruenda est à Babylonijs, *habitaberis*) scilicet post 70. annos in ciuitatibus Iudæ &c.

Qui dico profundo) Id est, regno Babylonico, vbi est velut abyssus potentiæ & opum, desolaberis per Cyrum Persarum Regem, & *flumina tua*) Id est, Regum & Satraparum potentiam arefaciam, id est destruam.

Qui dico Cyro) Nominatim eum vocat, qui multò post nasciturus erat, non quidem in Iudæa, sed in gente longissimè disita, quod magna admiratione dignum est. *Qui dico templo &c.*) Significat destructionem templi per Babylonios siue Chaldæos, postquam iterum erat ædificatum tempore Cyri Regis Persarum.

CAPVT XLV.

HAEc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conterã, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum.

HAEc dicit Dominus &c.) Apud Iudæos regnaturi perfundebantur vnguento, & quia hoc erat insigne apud eos regiæ potestatis, Cyrum Christum suũ appellat prophetа, hoc est, vnctum Domini. *Cuius apprehendi dexteram*) Vt nullus fortitudini eius valeat resistere. De apprehensa dextera quid sit, dictum est suprà capite 41. etiam illo capite dictum est, quæ gentes subiectæ sint antefaciem Cyri, ex Herodoto. Legamus, ait Hieronymus, Xenophontis octo librorum Cyri maioris historiam, & de prophetiã Esaiæ cernemus impletam.

Et dabo tibi thesauros &c.) Hæc omnia faciam, vt cognoscas quòd dij, quos pater tuus coluit & auus, non sint dij, sed quòd ego sum Deus, qui multo antè tempore quàm nascereris, nomen tuum prædixi. Vnde Iosephus 11. libro Iudaicæ antiquitatis refert Cyrum legisse hanc de se prophetiam apud Esaiam, & Iudæos ideo quasi Deo familiares plurimum dilexisse. *Propter seruum meum &c.*) Istud de toto genere Israelitico intelligitur, & hunc habet sensum: Ego in Israele spectо bonum populi mei, illius causa ego omnia ista tibi conferam, tot insignes victorias & triumphos concedam. Capite 37. vbi dicitur, Propter me & seruum meum Dauid &c. tempestiuum quidem fuisset dicere, quid alijs propter alios Deus conferat, an propter sanctos Deus hominibus beneſaciat? sed hîc intempestiuum est, quia per hanc formam, Propter seruum meũ Iacob, Istud hoc loco tantùm significatur, nolo populum meum esse semper captiuum, propter illum liberandum dabo tibi has victorias.

ET vocaui te nomine tuo, assimilaui te, & non cognouisti me. Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus.

Accinxi te, & non cognouisti me: vt sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab Occidente, quoniam absque me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter. formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus, faciens omnia hæc.

Assimilaui te) Quid sit assimilare, dictum est superiori capite. Sensus est: Non contentus sum tanto tempore antè designare te nomine tuo proprio. Cyri videlicet, sed addam etiam appellatiua nomina, Messiæ scilicet & pastoris. Quod ergo capite præcedenti pastor appellatur, & in hoc capite Christus, id est assimilare Cyrum. Qui autem hodie ex Hebræo transferunt, vertunt cognominaui te, id est, præter nomen proprium addidi tibi cognomen. Eodem modo vertunt in præcedẽti capite pro eo quod habetur, Et in nomine Israel assimilabitur, dicentes: Et in nomine Israel cognominauit seipsum. Cum verò dicitur Ozeæ, In manibus prophetarũ assimilatus sum, longè alia vox est in Hebræo, & sensus illius loci est iste: Expressus sum variè per prophetas, nunc iratus, nunc blandus.

Accinxi te) Accingere est vires addere & potentiam. Frequens admodum in Psalmis est iste loquendi modus, vt: Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Et rursus: Accinctus potentia, qui profundũ conturbas &c. *Et non cognouisti me*) Scilicet cognitione certa, stabili ac perfecta. Cyrum non agnouisse Deum Israel, satis constat ex primo capite primi libri Esdræ. *Psal. 92.* *Psal. 64.*

Vt sciant hi &c.) Populi Iudaici captiuitas videtur esse perpetua, ego laxabo captiuitatem, & liberabo populũ meum, & quidẽ per illũ, de quo nemo cogitat: hoc quoq; beneficium

Universidad de Deusto
Biblioteca

præstabo Iudæis, vt discat Oriens & Occidens, id est, totus terrarũ orbis, quòd absque me nõ sit Deus alius: formans lucẽ & creans tenebras, id est, diem & noctem: faciens pacem, id est, otium & quietem: & creans malum, hoc est, bellum. Quòd populus Israel aliquando in pace vixit, hoc meum erat beneficium: rursus, quòd nunc detineatur captiuus, & hoc meum est opus. Ex interpretatione ista, quæ est Hieronymi, patet hunc locum nihil facere pro sententia hæreticorum, qui volunt Deum esse authorem malorum, quia malum hic capitur non vt opponitur virtuti, hoc est, pro vitio, sed afflictione & bello. Confunditur & illa hæresis, quæ duos facit deos, quorum alter lucem, alter tenebras cõdiderit: ille pacem, hic malum.

Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem, & iustitia oriatur simul. Ego Dominus creaui eum. Væ qui contradicit factori suo: testa de samijs terræ. Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est? Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis?

Rorate cœli desuper &c.) Est vehemens admodum & deuota apostrophe prophetæ optantis, vt diuinum beneficium & cœleste tot iam annis promissum, primo quoq; tempore exhibeatur: Tu tot ingentia promittis per iustum quendam, opto ista citò fieri, ne extrahas in longum. Sensus est: Vtinam cœlitùs iam exhibeatur hoc beneficium, & mittatur iustus iste. Est autem duplex huius loci expositio: quidam enim putant ea, quæ hic dicuntur, adhærere superioribus, & ad Cyrum referri, qui diuinæ iustitiæ fuit executor contra Babylonios: sed frigidus est iste commentarius, vnde Hieronymus ad Christum refert, & in Christum consuetudine scripturæ propriè competit nomen iusti, propter quod nomen Dionysius Carthusianus non vult hic agnoscere Cyrum, multò minus etiam agniturus, si vidisset vocem Hebræam significare iustitiam.

Aperiatur terra &c.) Pro Saluatore in Hebræo est salus. Hieronymus autem saluationem vertit eo consilio, quo dictum est capite 42. quia quæ subijciuntur, personæ conueniunt, & non rei. Sensus est: Etiam terra præbitura est operam suam in opere tam mirabili & natiuitate: nascetur quidẽ cœlitùs saluator iste, sed in terris: alij verò terram figuratè accipiunt pro virgine Maria, & sunt loca similia, capite 4. Et erit fructus terræ sublimis. Et Psalm. 84. Terra dabit fructum suum.

Ego Dominus creaui eum) Requirebat contextus, vt diceret eam scilicet iustitiam: verùm Hieronymus vertẽs eum, ad personam respexit. Est autem vox nomini respondentis prophetæ optanti, hoc sensu: Quod tu tantoperè optas, ego creaui, id est, ego creabo, & suo tempore certissimè præstabo, hoc est, mittam Christum meum. Sic Hieronymus, & addit: Non scandalizabitur ad nomen creaturæ, qui illum vermem ac seruum & germinatum esse legerit de terra.

Væ qui contradicit &c.) Iuxta veterum sententiam reprehenduntur hoc loco increduli, qui non credebant Cyrum nasciturum: item illi, qui nõ credebant Christum nasciturum: verùm ex ijs, quæ sequuntur, magis pertinere videntur ad calumniatorem, & ad eos qui dicebant: Quorsum opus est Cyro liberatore homine gentili? præterea tu promittis Christum nasciturũ: si hoc statuisti, cur tam diu differs? Samos insula est celebris nõminis apud Poetas: hinc Samia vasa, & in eadem significatione Samia substantiuum, de quibus Plinius, Samia vasa Romæ laudantur. Hieronymus autem hoc loco accipit non vt nomen certæ speciei, sed vt nomen sit generic ũ, pro quibusuis vasis fictilibus seu terreis, quemadmodũ apud Quintilianũ vasa Corinthia appellantur vasa quęcunque ex ære elegantia.

Numquid dicet lutum figulo? &c.) Sensus est: Quàm indignum est, si lutum exposcat cum figulo, & dicat illi: Quid facis? non recte facis: quàm hoc est indignum & absurdum, ita adhuc magis absurdum est, si quis cum Deo exposcat, quare tam diu differat Christum, quare ita sinat populũ suum trahi & captiuum abduci. *Opus tuum absque manibus est*) Phrasis est Hebræa, Latine autem diceretur, Opus tuum imperfectũ est.

Væ qui dicit patri &c.) Est altera similitudo eodem pertinens, hoc sensu: Quàm est absurdum, si patrem ac matrem calumniatur filius, cur in terram naturæ lege profusus sit? Ita absurdum est, si quis expostulet cum Deo modo iam dicto, cur videlicet tam diu differat mittere Christum.

HAEc dicit Dominus sanctus Israel, plasmates eius: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearũ mandate mihi. Ego feci terrã, et hominem super eam creaui ego. Et manus meæ tetenderunt cœlos, et omni militiæ eorum mandaui. Ego suscitaui eum ad iustitiam, et omnes vias eius dirigam. Ipse ædificabit ciuitatem meam, et captiuitatem meam dimittet, non in precio, neque in muneribus: dicit Dominus Deus exercituum.

HAEc dicit Dominus &c.) Hoc maximè agit ne recipiantur idola, & ipse solus Deus agnoscatur. *Plasmates eius*) Hoc est, Christi, secundum Hieronymum, non etiam reprobabile erit, si ad Israelem referatur.

Ventura interrogate &c.) Hieronymus hæc ita accipit quasi habeant irrisionem & amarulentiam, cuius verba sunt: Interroget me tesla, & futurorum secreta inquirat, & præcipiat mihi, quomodo adoptiuos filios, qui in meum filium crediturí sunt, regere debeam, quasi dicat, est vestrum mihi præcipere, quid facere debeã, quomodo debeam regere filios meos?

Et omni militiæ &c.) De militia dictum est in præcedentibus. Septuaginta autem interpretes verterunt, Omnibus stellis mandaui. Sensus est: Singulis stellis imperaui quo currerent ordine, & dierum ac mensium annorumque diuersa spacia complerent, id est, certam legem ac ordinem & motum eis præfixi. Commentarius verò Hieronymi in hunc locum sic habet: Illud quod scriptum est, Ego omnibus stellis præcepi, occasionem quibusdam tribuit, quòd astra rationalia sint, & animam sensumque habeant: neque enim (aiunt) præciperet, nisi intelligentibus, nõ recordantes quod in Iona scriptum sit: Præcepit Dominus spiritui cõburenti. Et rursus, Præcepit Dominus vermi matutino. Et quod in Euangelio Saluator ventis & mari imperauit, in quibus tamen nec sensum nec rationem esse conspicuum est. Hæc annotamus, ne quis offendatur in cõmentarijs Hieronymi, sicubi legerit astra animata, quia non suam ibi sed aliorum refert sententiam. Quamuis de hac re nulli iam sit dubium, olim tamen magna quæstio fuit, & primi philosophi penè omnes astra putauerunt animata. Vnde Augustinus 18. libro de ciuitate Dei, capite 4. refert Anaxagoram capitis accersitum, quòd dixerat solem esse saxum candens. Et libro 3. de Genesi ad literam, & in enchyridio capite 47. dubitat, an animata sint astra. Verum Damasc. libro 2. Theologicarum sententiarum capite 6. apertè docet astra inanimata esse, & declarat quo sensu intelligendæ sint scripturæ, quæ eisdẽ animã tribuere videntur.

Ego suscitaui eum &c.) Si hæc de Cyro interpretari velis, oportet particulariter intelligere iustitiam, vt hactenus dicatur suscitatus ad iustitiam, quia voluit eum Deus esse executorem diuinæ iustitiæ, & vltorem iniuriæ, quam intulerant Babylonum filijs Israel, sed probabilius est quòd ad Christum tantùm respexerit.

Ipse ædificabit &c.) Istud apertè non conuenit in Cyrum. Dedit quidem Cyrus Iudæis potestatem ædificandi ciuitatem: verùm post mortem suam priùs ædificata est sub Neemia, maximè quantum ad muros & portas. Quare ad Christum videtur magis referendum, qui ædificauit ciuitatem, id est, Ecclesiam suam super petram, quemadmodum scribitur apud Matthæum. *Matth. 19.*

Et captiuitatem &c.) Istud in Cyrum competere potest. Ipse siquidem beneficio Dei prouocatus soluit captiuitatẽ populi Israel: sed dubium non est prophetam ad Christum respexisse, qui non in precio neque in muneribus, id est, nullo merito nostro, sed in sanguine suo soluit captiuitatem humani generis.

HAEc dicit Dominus Deus. Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, & Sabaim viri sublimes, ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus: Deus Israel saluator. Confusi sunt, & erubuerunt omnes simul: abierunt in confusionem fabricatores errorũ. Israel saluatus est in Domino salute æterna. Non confundemini, & non erubescetis vsque in sæculũ sæculi, quia hæc dicit Dominus creans cœlos. Ipse Deus formans terrã, & faciens eam, ipse plasmes eius. Non in vanum creauit eam, sed vt haberetur formanti eam.

HAEc dicit Dominus &c.) Hoc est, quicquid opum sibi labores Aegyptiorum conquisierint, ad te transibit, quicquid opum etiam Aethiopiæ contigit per negotiationem ad te transibit, gentesq; Sabaim, quæ trans Aethiopiam est, & viri eius præcipui ad te transibunt. Nominibus istarum nationum, quæ habitant in extremis finibus terræ per synecdochen totus orbis intelligitur. Sensus ergo est: Totum terrarum orbem possidebis tibi deuinctum & tibi deuotũ. Similis synecdoche est in Psal. fundamenta eius in montibus sanctis, vbi nominibus Tyri, Babylonis, Aethiopiæ, Dauid vniuersum mundum significare voluit. Quantum autem colligere licet ex Herodoto, Iustino, & Orosio, Aegyptus nunquam agnouit Cyrum: sed Cambyses, qui ei successit, deuicit Aegyptum. Solus autem Xenophon dicit ipsum etiam Aegyptũ superasse: iuxta hunc ergo authorem, quæ hic dicuntur, quodammodò in Cyrum competere possent, nisi in eadem periodo adderetur, *Tantum in te est Deus*, quòd nõ in Cyrum, sed in Christum competere certum est, qui in Euangelio apud Iohannem ait, Ego & pater vnum sumus, qui Deus appellatur absconditus propter corporis assumpti sacramentum. Vehementer etiam hæc competunt in Ecclesiam: in ecclesia enim tantùm est Deus, id est, ibi verè colitur, & alibi nusquam.

Confusi sunt & erubuerunt omnes) Scilicet Scribæ & Pharisæi, simul abierunt in confusio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fusionem fabricatores errorum, qui in toto mundo disseminauerunt mendacium, vt Christum dicerent ab Apostolis furto esse sublatum: non tamen improbabile fuerit, si generaliter intelligatur.

Israel autem saluatus &c.) Hoc absque dubio intelligendum est de ijs, qui in spiritu sunt Israel, qui fidè & opera Patriarcharum imitantur. *Quia hæc dicit Dominus creans cælos*) Id est, propterea volo venire publicum Saluatorem non Iudæorũ tantùm, sed etiam gentium, quia propterea feci terram, non vt esset deserta, sed vt cultores mei habitarent in ea.

Ego Dominus, & non est alius. Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. Non dixi semini Iacob frustrà: Quærite me. Ego Dominus loquens iustitiam, annuncians recta. Congregamini, & venite, & accedite simul, qui saluati estis ex gentibus. Nescierunt qui leuant signũ sculpturæ suæ, & rogant Deum non saluantem. Annuntiate, & venite, & consiliamini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio? Extunc prædixi illud. Numquid non ego Dominus? & non est vltrà Deus absque me. Deus iustus & saluans, non est præter me.

Non in abscondito locutus sum) Sed in monte Syna, de excelso eius vertice, clara voce, quæ ab omnibus facile intelligi potuit & audiri, additis etiam tonitruis, loquutus sum contra idola. Hanc expositionem cùm retulisset Hieronymus, addit: sed melius, vt hoc dictũ de Euãgelica prædicatione credamus: Moyses enim vni tantùm populo locutus est in abscõdita solitudine: Apostolorum autem sonus in vniuersum orbem exijt, & verba eorum vsque ad terminos terræ peruenerunt.

Non dixi semini Iacob frustrà: Quærite me) Sed proposui maxima & æterna præmia: *Ego Dominus loquens iustitiam*) Id est, proferens legem Euangelij, quæ verè est lex iustitiæ, *Et annuncians recta*) id est docens in quibus rebus verè situs sit cultus Dei, quibus rebus constet remissio peccatorum.

Congregamini & venite &c.) Quia illi, ad quos peculiariter missus fuit, credere noluerunt, & indignos se iudicauerunt æterna salute, congregamini vos per fidem, de toto orbe venite & accedite me, qui saluati estis, id est, ad vitam prædestinati. Ex gentibus denique corripit eos, qui in errore pristino remanserunt, dicens: Nescierunt qui leuant, siue vt Septuaginta habent, portant seu circunferunt lignum sculpturæ suæ, id est, idolum sculptum, vt statuant illud in loco editiori. Sensus est, non intellexerunt sermones meos, neque prædicationem Euangelij, simulachrorum onere prægrauati, & sperantes in eis, in quibus nulla est salus. Quædam autem exemplaria legunt signũ, sed liguum omninò legendum est: nam sic habent Hebræi.

Annuntiate &c.) Vos, qui tantoperè addicti estis idolis, dicite: Quis dæmonũ istud annuntiare potuit, vt congregarentur & venirent ex gentibus plurimi, qui saluarentur? quasi dicat, nemo hoc potuit, & propterea non sunt dij idola vestra.

Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & nõ est alius. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet: Meæ sunt iustitiæ, & imperium. Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Dommo iustificabitur, & laudabitur omne semen Israel.

IN memetipso iuraui &c.) Id est, per memetipsum iuraui, quòd sententia oris mei & verbum, quod semel prolui in iustitia, nequaquam irritum fiet, sed reipsa complebitur. Verbum autem illud est: *Quia curuabitur omne genu*) Id est, non solùm natio Iudaica, sed omnes omninò mundi nationes prosternent se mihi: in hac quidem vita inchoatiuè, in futuro verò sæculo perfectè & integrè, ita vt hostes quoque mei vi coacti tanquam scabellum subijciendi sint pedibus meis.

Et iurabit omnis lingua) Hanc sententiam citauit Paulus in epistola ad Romanos, sed non eisdem verbis: pro eo enim, quod Esaias habet, *In memetipso iuraui*) ipse ait: Viuo ego dicit Dominus: & pro eo quod Esaias dixit, *& omnis lingua mihi iurabit*) Apostolus ait, Omnis lingua confitebitur Deo. Vidit siquidem Apostolus speciem pro genere positam, iurare pro colere, adorare, & agnoscere. Sensus est: Omnis creatura rationalis alicuius signi externi professione testabitur Christum esse verum Deum. Omnis autem lingua confitens Deo, dicet: Meæ sunt iustitiæ Euangelij, & meum est imperium Christi, non populi tantùm Iudæorum.

Ad eum venient) Id est, ad Christum venient omnes gentes, & confundentur omnes qui repugnant ei, siue qui separant se ab eo, siue Iudæi, siue Pagani. *In Domino iustificabitur*) Id est, per fidem Christi iustificabitur. *Et laudabitur omne semen Israel*) Id est, quicunq; fidem Israelis imitantur: illi enim æstimantur in semine Israelis, siue Iudæi sint, siue gentes.

CAPVT

CAPVT XLVI.

COnfractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulachra eorum bestijs & iumentis. Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem contabuerunt, & contrita sunt simul. Non potuerunt saluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit.

COnfractus est Bel &c.) In euersione regni Babylonici cõfractus & penitus destructus est Bel, quem Græci Belum, id est, Saturnum vocant, cuius tanta apud veteres fuit religio, vt ei non solùm hostias humanas captiuorum ignobiliumq; mortalium, sed & proprios liberos immolarent. Nabo autem & ipsum idolum erat Chaldæorum, quod interpretatur prophetia & diuinatio.

Bel.

Nabo.

Facta sunt simulachra eorũ bestijs &c.) hoc est, in prædã bestiarum & iumentorum exposita sunt.

Onera vestra &c.) Apostrophe est ad idola. Sensus est: Quæ vos ferebant ipsæ scilicet bestiæ & iumenta onerata erant nimio onere adeo vt lassarentur. Aliter autem accipit Hieronymus hoc modo: Hæc simulachra, quæ non possunt saluare portantes, nihil sunt aliud nisi onera sacerdotum deprimentia eos vsque ad lassitudinem.

Anima eorum in captiuitatem ibit) Istud si ad sacerdotes, hoc est, portantes feras, clarum habet sensum: si verò ad idola, intelligere tum oportet per catachresin, vt anima dicatur ipsum dæmonium idolum inhabitans, deinde per animam synecdochicõs ipsum idolum.

AVdite me domus Iacob, & omne residuũ domus Israel. Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua, Vsque ad senectã ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo.

AVdite me domus Iacob &c.) Ex eo quod sequitur, Cui assimilastis me? videntur etiam de carnali Israele hæc intelligi. Non enim spiritualis Israel comportat aurum, vt inde fiat idolum. Vnde intelligitur mirabilis Dei affectus & plus quàm paternus etiam erga peccatores: Audite me domus Iacob ego nondum abieci curam vestri, portamini à meo vtero, gestamini à mea vulua.

Non quòd ineffabilis Dei incomprehensibilisq; maiestas vterũ habeat aut vuluam, sed hæc dicit, quò nos affectum Dei per nostra verba discamus. Sensus est: Quod mater indulgens & affectibus amoris plena facit ergo fœtum suum, hoc ego presto vobis affectus: quanquã me offendistis, tamen ego gesto & gestare vos pergam, etiam vsque ad

Comparatio.

senectutem non meam sed vestram: Mater aliquando deponit curam filij sui, quando scilicet factus est vir, ego autem nunquam deponam curam vestri. Locus hic imprimis annotandus est, quia exprimit mirabilem Dei affectum erga peccatores.

CVi assimilastis me, & adæquastis, et comparastis me, & fecistis similem? Qui confertis aurum de sæculo, & argentum in statera ponderatis, cõducentes aurificem, vt faciat Deum, & procidunt & adorant, Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo, & stabit ac de loco suo non mouebitur, Sed & cùm clamauerint ad eum, non audiet, de tribulatione non saluabit eos.

CVi assimilastis me?) Quare putatis me talẽ esse, qualis est Iupiter aut Belus? *Qui confertis aurum de sæculo*) id est, de marsupio, vt fiat idolum: quæ insania est hæc? relicto patre sic vobis affecto transire ad idola, & cultum mihi debitũ illis impendere?

MEmentote istud, & confundamini, redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est vltra me Deus, nec est similis mei, annuncians ab exordio nouissimum, et ab initio, quæ nec dum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, Et locutus sum, & adducam illud, creaui, & faciam illud, audite me duro corde, qui longe estis à iustitia.

MEmentote istud &c.) Quòd vana scilicet sint idola, & proinde deserite illa quæ fecistis, imo fundamini, id est, estote fortes & fundati, ne rursus subitus idololatriæ turbo vos subuertat: Sic Hieronymus. Ex qua interpretatione patet ipsum legisse: non confundamini, sed fundamini. Dionysius quoq; Carthusianus legit fundamini, & interpretatur: Similiter & gloss. Lyra quidem legit fundamini, sed non interpretatur fundamini: Etiam Hebræi legunt, ita vt pene certum sit alteram lectionem nempe confundamini mendosam esse, cuius lectionis apud Hebræos solus Rabbi Ioseph meminit. Deducit enim ille vocem Hebræam ab אש esch, quod est ignis, & interpretatur hoc modo: Sitis rubei vt est ignis, quod ad confusionem pertinet.

Recordamini &c.) Conferte illud tempus, quo institutus est Deus ipse scilicet Bel, aut Nabo, cum illis antiquis sæculis, & videbis quòd ego sum Deus, & quòd non sit alius Deus præter me. *Annuncians ab exordio nouissimum &c.*) Ego solus sum, qui possum dicere quæ nascente mundo facta

sunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt,& quæ declinante mundo futura sunt, dicens, consilium meum stabit, id est, ego statui euertere regnum hoc Babylonis potentissimum, & certo certius euertetur: Sic non loquuntur dij gentium suis, ambigua enim sunt eorum responsa & fallacia.

Vocans ab oriente auem) Vide caput quadragesimum primũ, vbi de oriente dictum est. Nomine autem auis, Hebræi intelligunt Cyrum per metaphoram, propter velocitatem exercitus ipsius: Procul quidem abest à Babylone imperium Cyri, sed subito aderit exercitus eius, instar auis leuiter celeriterq; veniet contra Babylonem: *Virum voluntatis meæ*) id est, qui opere explet, quod hic prædico per prophetam.

Qui longe estis à iustitia) scilicet quauis, nõ solum ab illa quæ est per fidem, sed etiam à iustitia legis & operum.

PRope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.

PRope feci iustitiam &c.) Hîc omisso Cyro de Christo loquitur propheta, hoc sensu: iam appetit tempus quo ego re præstabo, quod illis antiquis patrib⁹ Abraham, Isaac, & Iacob tot retro sæculis promisi, mittam Christum, de quo dicit Paulus, quòd factus est nobis à Deo iustitia, redemptio: *Dabo in Sion salutem*) illam scilicet, quam per Messiam promisi, *& in Israel gloriam meam*, de qua Simeon loquitur, Et gloriam plebis tuę Israel. 1. Cor. 1.

CAPVT XLVII.

DEscende, sede in puluere, virgo filia Babylon, sede in terra, Non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis et tenera. Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam. Discooperi humerum, reuela crura, transi flumina, Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum. Vltionem capiam, & non resistet mihi homo.

DEscende sede in puluere &c.) Persequerat propheta in eo quod cœperat de Cyro, quòd Babylone expugnata liberaturus sit Iudæos ibi captiuos, & totus sermo verè tragicus est: Babylonẽ enim facit quasi Hecubam quandam, quæ à summa felicitate ad extremam deiecta est seruitutem & miseriam: vtiturq; metaphoris valde aptis, sed prima specie impudicis. Descende, inquit, sede in puluere hactenus maxima & nobilissima habita. *Virgo, filia Babylon.*) Vtrunq; nomen ad affectum mirè pertinet. Hactenus in delitijs ab omnibus habita es non aliter quàm puella adhuc viro incognita & intacta: hoc significatur in virgine: quodque est patri filia charissima, hoc tu eras orbi Babylon.

Non est solium &c.) Id est, euertetur solium regni Babylonis, quantùs illud videatur inexpugnabile. Appellatur autem Babylon filia Chaldæorum, quia à Chaldæis (inquit Hieronymus) condita est, illis siquidem regina in extructione vtebatur: quantùs respicere potuit propheta ad auctam postea Babylonem à Chaldæis: Sic suprà Tyrum vocat filiam maris, quia mare in Tyrum contulerat opes, & mari Tyrus debebat quòd omnium rerum copia abundaret atq; floreret: Vide caput trigesimum tertium. Dicere etiam possumus hic talem esse figuram, qualis est Ieremiæ cap. 46. vbi filiã Aegypti pro Aegypto Hebraica figura dixit. Et in Psal. filia Babylonis miseria, ipsa Babylon vocatur. De qua phrasi dictum est capite quinto.

Denuda turpitudinem tuam) Hebræorum turpitudo habet molle aliquid, siue sint cincinni mulierum, siue velamen aut vestimentum: Hieronymus in Canticis capite quarto vertit: Id quod intrinsecus latet. Est autem turpitudo in re Venerea, quæ videri nõ vult. Capite autem 6. vertit: Absque occultis tuis. Et in cõmentario suo vertit, taciturnitatem, secutus Symmachum, eò quòd ob verecundiam taceri debet. Alij verò aliter verterunt. Aquila autem vocem Hebræam reliquit nõ versam, propterea fortasse quòd in sacra scriptura turpitudinẽ sonaret. Propter hæc verba, Denuda turpitudinẽ tuam, Hebræi illud quod præcedit, *Tolle molam, & mole farinam*, figuratè accipiunt, quòd videlicet virgines Babyloniorum paterent libidini victorum Medorum atque Persarum. Similia loca sunt in scriptura. Iob 31. Scortum alterius vxor mea, & super eam incuruentur alij: quod ibi Hieronymus vertit, Scortum alterius vxor mea, ad verbum in Hebræo est, Molat alteri vxor mea. Quanquam illius loci & hic potest esse sensus: Si ego vnquam admisi adulterium, contingat hoc mihi, vt videam vxorem meam alterius ancillam. Rursus Threnorum 5. Adulescentulis turpiter abusi sunt, ad verbum in Hebræo est, Iuuenes ad molendum compulerunt. Quanquam circumstantiæ literæ hîc non ita inuitent sicut superiori loco ad Venerem, cùm rectè hoc modo intelligere liceat, Iuuenes ad vilia ministeria exercenda adacti sunt, Hieronymus autem modis prædictis vertens, secutus est Hebræorum explanationes, qui etiam illum locũ in capite 16. Iudicum: Samsonẽ clausum in carcere molere fecerunt, etiã ad Venerem referũt quod mirum est, cùm circumstantiæ literæ ad hoc nihil inuitẽt. Simplex verò sensus horũ verborum,

borum, Tolle molam &c. iste est: Nunc quidem regina es, & inter cæteras ciuitates potens, nobilis, & libera, verùm redigeris ad extremam seruitutem & miseriam. Veteres autem vtebantur molis manuarijs, & molendæ farinæ operi seruire apud eos erat extremæ seruitutis.

Transi flumina) scilicet in captiuitatem. Significat autem propheta Mesopotamiam, quæ Latinè à quodam terra inter amnes dicta est. *Reuelabitur ignominia tua*) Hanc quoque vocem ex obscœnis esse videas cap. 8. Exodi: fac eis femoralia linea, vt operiant carnem turpitudinis, id est, membrum turpe. Eadem vox est Genesis. 9. vbi Cham dicitur vidisse verenda patris.

REdemptor noster Dominus exercituum, nomẽ illius sanctus Israel. Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis vltra domina regnorum. Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum valde, et dixisti: In sempiternum ero domina. Nõ posuisti hæc super cor tuũ, neque recordata es nouissimi tui. Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, ego sum, & non est præter me amplius. Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito, in die vna. sterilitas, & viduitas.

REdemptor noster Dominus &c.) Loquitur propheta ex persona populi: Populus apud Babylonicos antè captiuus dicet, hæc fecit redemptor noster, cuius nomẽ est sanctus Israel. *Intra in tenebras*) hoc est, pudeat te tui: nam quos vehementer pudet, non ferunt lucem.

Iratus sum etc.) Populus meus apud te Babylon captiuus tenetur, hoc ideo est quia iratus sum ei, & corrigere volui, non autem perdere: Tu autem non posuisti eis misericordias, hoc est, durè tractasti & abusa es crudelitate tua, & plus plagarum imposuisti quàm mea vltio flagitabat. Magnum autem Babyloniæ crudelitatis indicium est ne senibus quidem pepercisse, quorum ætas etiam in hostibus venerabilis esse deberet. *Et dixisti, in sempiternum ero domina*) Istud superbiæ est. Sensus est: Inuicta sum & inexpugnabilis. *Non sedebo vidua*) hoc est, nunquam priuabor regno. *Non ignora bo sterilitatem*) hoc est, non ero sine examinibus populorum & maxima hominum frequentia.

VNiuersa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorũ tuorũ vehementem. Et fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti: Non est qui videat me. Sapientia tua, & scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, & præter me non est altera. Veniet super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet super te repente miseria, quam nescis. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosint tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum.

VNiuersa venerunt &c.) Obiecit propheta primò superbiam, deinde crudelitatem: nunc autem obijcit ei incantationes & auguria. Vox autem hæc, maleficia, pertinet ad præstigia, incantationes, & artes magicas: Vox vero Hebræa, quam noster interpres transtulit, duritiam, pertinet ad augumentum quantitatis & qualitatis. Sẽsus est iste: Quia tanti apud te fiunt incantatores, & tanti apud te valent, propterea venient in te tanta mala. *Et dixisti non est qui videat me*) hoc est, non agnosco numen.

Veniet super te malum, & nescies ortum eius) Non enim poterat arbitrari Babylon, quòd Persæ nullius antè fortitudinis ipsam regnãte Cyro superarent, & suæ subijcerent potestati.

Irruet super te calamitas &c.) Hoc capite decimo tertio dixit: Ego suscitabo super eos Medos qui argentum non quærant, nec aurum velint. *In quibus laborasti ab adolescentia tua*) hoc est, ab eo tempore, quo primùm cœpit florere regnum Babylonis.

STent & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarẽt ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos. Non liberabũt animam suam de manu flammæ, non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus, vt sedeant ad eum. Sic facta sunt tibi, in quibuscunq; laborauerας. Negociatores tui ab adolescentia tua vnusquisque in via sua errauerunt. Non est qui saluet te.

STent & saluent te augures cœli) pro quo Septuaginta interpretes habent, astrologi cœli, qui mathematici appellantur, qui ex astrorum cursu lapsuque siderum res humanas regi arbitrantur. Illud autem, *Non sunt prunæ*) Hebræi hoc modo exponunt: Nullã habent augures isti caloris scientiam, aut illuminantem sensum, qui possit eorum tenebras discutere, & frigus erroris expellere. Verum simplicior sensus iste erit: Augures isti ita semel consumentur, vt nullum relinquatur vestigium, vt ne prunæ quidem sint reliquę ex incendio, nec paruus quidem focus, quod tamen ferè videmus in reliquis incendijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Negotiatores tui ab adolescentia tua) Hoc est, cum quibus habuisti commercia vnicè & præcipuè, veusquisque in via sua errauerunt, hoc est, vnus ad orientem, alius ad occidentem: de huiusmodi enim errore intelligitur. Vel vnusquisque in via sua errauerunt, hoc est, te neglecta quisque sua commoda sequitur.

CAPVT XLVIII.

AVdite hæc domus Iacob: qui vocamini nomine Israel: & de aquis Iuda existis. Qui iuratis in nomine Domini: & Dei Israel recordamini, non in veritate, neque in iustitia, De ciuitate enim sancta vocati sunt et super Deum Israel constabiliti sunt, Dominus exercituum nomen eius.

AVdite hæc &c.) Idem est argumentum cum præcedentibus, tantùm transitus est per antithesin, hoc sensu: Prædixi hactenus Babylonijs sua fata: audite me nunc ex hac parte vos posteri Iacob, qui appellamini Israelitæ. *Et de aquis Iuda existis*) Exire vocabulum est originis. Aquis autem Hebræi vtuntur quemadmodum nos fonte. Sensus est: Qui ducitis originem ex fonte Iuda, siue qui oriundi estis ex patriarcha Iuda.

Qui iuratis in nomine Domini) tanquam eius cultores: *Et Dei Israel recordamini*) scilicet in assertione causarum vestrarum: *Non in veritate neque in iustitia*) quæ comites sunt iuramenti. De ciuitate sancta nomen trahitis, vt vocemini Hierosolymitę, & super Deum Israel innitimini tanquàm ipsius peculiaris populus. Hæc autem eò dicta sunt, vt ipsi tangantur quasi opprobrio: Geritis inquit magnos titulos, sed non respondetis illis titulis quos geritis: appellamini Israelitæ, Iudæi, habitatores vrbis Ierusalem, populus Dei, magna sunt vocabula, sed vobis cassa & inania, qui non respondetis rebus vocabulorum.

PRiora extunc annunciauit, & ex ore meo exierunt, et audita feci ea, repente operatus sum, & venerunt. Sciui enim quia durus es tu, et nervus ferreus ceruix tua, et front tua ærea, prædixi tibi extunc, antequam venirent indicaui tibi, ne forte diceres, idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandauerunt ista. Quæ audisti, vide omnia, vos autem non annunciastis.

PRiora ex tunc annunciauit) id est, à priscis temporibus. Sic in psalmis frequenter. A capite autem quadragesimo huc vsque sæpius inculcauit, quòd solius Dei sit futura prædicere.

Sciui enim quia durus es tu) id est, inflexibilis es, & frons tua ærea, id est, impudens nec sciens erubescere. Sensus est: Hæc tanto tempore antè prædixi, vt reuocarem vos à pertinaci studio idolorum, ad quod fuistis semper maximè propensi, vt cùm videretis rebus hęc expleta, reuerteremini ad merelictis idolis. Quod autem illis temporibus erat paganismus, hoc hodie est Lutheranismus. Sicut enim Iudęos olim ad paganismum inuitabat primùm sua vicinia, deinde falsa aliqua species melioris religionis, quia Babylonijs melius succedit, verisimile est eos habere meliorem Deum: Ita hodie fit vt à vera religione abducantur quàm plurimi, & abducemur facile nisi valde soliciti simus in Ecclesia catholica permanere: tanta est eloquentia, tantus est vbique fucus & mentita sanctitas eorum, qui à vera sanctitate exciderunt. Quare imprimis prodest videre, quid scripserit & tradiderit Ecclesia temporibus Apostolorum, quid deinde post illorum tempora vsque ad nos.

Quæ audisti) scilicet ventura *Vide omnia*) scilicet rebus expleta: *Vos autem non annunciastis*) Reprehendit in eis silentium: Vos qui legitis hæc in Genesi & Exodo, cur non annunciatis? Ita qui hodie instructi sunt antiquitate & doctrina catholica, qui sciunt quid iam inde ab initio crediderit & tradiderit Ecclesia, alijs hoc annunciare debent.

AVdita feci tibi noua ex tunc, & conseruata sunt quæ nescis. Nunc creata sunt, & non extunc, & ante diem: & non audisti ea: ne forte dicas, Ecce ego cognoui ea, neque cognouisti, neque extùc aperta est auris tua. Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. Propter nomen meum longe faciam furorem meum, & laude mea infrenabo, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.

AVdita tibi feci &c.) Hieronymus noua apponit præteritis, hoc sensu: Non antiqua & præterita nota tibi feci, sed noua & futura, vtpote de Cyro Persarum Rege, & euersione Babylonis &c. Commentarius autem Hieronymi sic habet: Non narro præterita, quibus sæpe potentia mea comprobata est, quomodo duxerim populum ex Aegypto, Aegyptios submerserim in mari rubro, terram promissionis tradiderim, & gentes vobis varias subiugauerim, sed noua quæ contra Babylonem facturus sum nuncio: Hactenus Hieronymus. Difficultas iam est in particula (ex tunc) quæ pertinet ad tempus multò antè elapsum, nisi forte dicamus mendum esse, & legendum, ex nunc. Certè

Certè Hebræis est מיעתה meatta, quod significat ex nunc: & non מיאז mear, id est, ex tunc, quæ particula ponitur in præcedentibus & sequentibus, & Septuaginta transtulerunt ἀπὸ τοῦ νῦν, id est, ex nunc vel à nunc: Nostra tamen exemplaria omnia constanter legunt ex tunc. *Et conseruata sunt &c.*) Id est, præter illa noua quæ nuncio, habeo adhuc quædam conseruata, quæ nescis. *Nunc creata sunt, & non extunc*) id est, non olim. *Et ante diem*) id est, paulò antè, id est recentia sunt & talia, vt ne similia quidem vnquam audiueris. *Ne forte dicas &c.*) id est, ne parui ea facias pro notis, vt dicas ista sunt nota. Huiusmodi autem propterea cælo, quia scio quid facies in posterum: *Quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te*) id est, ab initio vocaui te trangressorem.

Propter nomen meum &c.) Istud exponit ipse textus cùm ait, *Vt non blasphemer*) Populus Israel merebatur quidem supplicia propter idololatriam & Dei contemptum, sed hoc nō erat futurum ex honore Dei: Dixissent enim gentes, non Dei ira & vindicta sed nostrorum idolorum, populus hic interijt: Vt ergo non blasphemetur nomen meum, differam furorem meum. *Et laude mea*) id est, ad laudem meam, siue (vt Hiero.) ob laudem meam, id est, vt nomen meum agnoscatur & celebretur apud gentes: *Infrenabo te, ne intereas*) id est, Tu ruis in interitū, & videris quasi deuotus esse morti, ego non sinam vt intereas, infrenabo te, vt me quasi iumētum & effrenis equus sequaris inuitus: Sic Hieronymus.

Ecce excoxi te) scilicet per afflictiones & tribulationes, sed non quasi argentum, id est, non ad purum: In argento siquidem quando excoquitur, omnis scoria remouetur, hoc non factum est in te, tuo tamen vitio & malitia. *Elegi te in camino paupertatis*) Istud dupliciter exponitur. Refertur enim vel ad Aegyptum, vt sensus sit: Quum esses in Aegypto elegi te: vt caminus ignis perinde phrasis sit Aegypti: vel refertur ad Babylonem, vt sit prophetia futuri.

Propter me) Id est, propter nomen meum. *Vt non blasphemer*) id est, ne gloria mihi debita & propria transferatur ad falsos Deos: nō patiar vt idola æquentur mihi, hoc est quod dicit, *Et gloriam meam alteri non dabo.*

AVdi me Iacob, & Israel quem ego voco, Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cælos, Ego vocabo eos, & stabunt simul. Congregamini omnes vos, & audite. Quis de eis annunciauit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Chaldæis, Ego, ego locutus sum, et vocaui eum, adduxi eum, & directa est via eius, Accedite ad me, & audite hæc. Non à principio in abscondito locutus sum. Ex tempore antequam fierent, ibi eram: et nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.

AVdi me Iacob &c.) Videtur populus Israel valde obnoxius fuisse cultui idolorum eo tempore, quo scribebat hęc Esaias, ideo tam solicitè & tam diligenter inculcat maiestatē diuini numinis. Audi me Iacob, quem alio nomine etiam Israel vocat, quòd respicis ad idola gentium falleris, idola non sunt dij, illa nō fecerunt cœlum aut terram, sed ego: *Ego vocabo eos et stabunt simul*) Id est, præbebunt se paratos iussui meo, quemadmodum Dominus quando vocat ministrū, venit, & stat, vt audiat iussa Domini sui.

Congregamini omnes vos) siue Iudæi, siue gentes, siue Israelitæ, siue astronomiæ periti apud Chaldæos, & ad vnum omnes homines, *Audite, quis de eis*) id est, quis inter eos seu quis omnium Deorum quos colit gentilitas, hæc tanto tempore antè prædicere potuit de Iudæis abducendis in Babylonem, & reducendis per Cyrum?

Dominus dilexit eum) Haud dubium quin Cyrum significet, qui fecit voluntatem Domini contra Babylonem, & exercuit brachium suum id est, fortitudinem contra Chaldæos. *Ego ego locutus sum*) Quod illi non potuerunt prædicere, ego prædixi vobis per Esaiam: *Et vocaui eum*) scilicet nomine suo Cyrum multo antè quàm nasceretur: vel certè vocaui eum, id est, euocaui eum, & contra Babylonios excitaui, adduxi eum & directa est via eius, id est, successit ei in expugnanda Babylone.

Accedite ad me & audite hæc) Dubium est an propheta loquatur, an Deus ipse: Ex cap. autem. 45. videntur esse verba Dei vbi ex persona Dei eadem scribuntur, ex fine verò versus sequentis, cùm dicitur, Et nunc Dominus Deus misit me, videntur esse verba prophetæ, nisi ad personam Christi referamus. Si ergo sint prophetę, asserit suam auctoritatem: à principio inquit quo prophetiæ munus mihi iniunctum fuit, non in abscondito sed publicè loquutus sum.

Ex tempore antequam fieret &c.) Nonnulla exemplaria habent (fierent) in plurali numero, quomodo etiam exponit Dionysius, & commentarius ille qui asscribitur Thomæ. Versio autem Pagnini hoc modo legit: A tempore quo fuit prophetia, ego crā. Sed ille prophetiā, addidit de suo, quod imprimis cauere debemus in sacra scriptura, ne videlicet temere ei quicquā adfingamus. Quādo ergo legitur (fieret) in singulari, tūc sensus talis est: Antequam fieret res ista de qua loquor, antequam Babylon euerteretur, ibi eram, scilicet præsens spiritu, videns & con-templans

Universidad de Deusto
Biblioteca

templans rei gerendæ modum: & nunc Dominus Deus misit me, vt annunciem vobis venturum Persarum Regem, qui subruat Babylonem deleatque Chaldæos.

HAEc dicit dominus Deus redemptor tuus, sanctus Israel, Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia: gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendisses mandata mea, Facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris, Et fuisset quasi arena semẽ tuũ, & stirps vteri tui, vt lapilli eius. Nõ interiisset et non fuisset attritũ nomẽ eius à facie mea.

HAEc dicit Dominus redemptor &c.) Qui redemit te ex Aegypto, vel certè, qui futurus est redemptor tuus ex Babylone, sanctus Israel, id est, à quo Israel habet suam sanctitatem. *Vtinam attendisses mandata mea &c.*) Mirabilis est hęc prophetæ eloquentia, qua significare voluit plenissimam pacem & maximam iustitiam. Qui attendunt mandata Dei, illis contingit pax inexplicabilis & maxima mentis tranquillitas.

EGredimini de Babylone: fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate, auditum facite hoc, et afferte illud, vsq; ad extremum terræ. Dicite, Redemit Dominus seruum Iacob. Nõ sitierunt in deserto, cùm educeret eos. Aquam de petra produxit eis: & scidit petram, & fluxerunt aquæ. Non est pax impijs: Dicit Dominus.

EGredimini de Babylone) Auertit hîc prophetæ intentionem suam à Cyro & carnali Israele, & dirigit ad id quod typo significatur nimirum ad Christum & liberationẽ per eum factam. Nos autem illi sumus ad quos maximè pertinet ista exhortatio, Egredimini de Babylone &c.) vnde Babylon intelligẽda est nõ illa proprij nominis, sed altera cuius illa typus fuit, hoc sensu: Egredimini de regno diaboli, fugite à Chaldæis qui vos hactenus captiuos tenuerũt sub peccato.

Dicite, redemit Dominus seruum suum Iacob) id est, populum Christianum, omnes qui imitantur fidem Iacob, siue Iudæi siue gentiles, redemit inquam in sanguine filij sui.

Non sitierunt in deserto) Alludit propheta ad historiã Exodi quasi dicat: Deus qui tunc Iudæis præstitit maxima illa beneficia, è petra eis aquã educens &c. etiam facillimè nũc eadem præstabit, & præstat quotidie vbicunque sint pij, siue in Babylone, siue in Aegypto, siue in deserto, vbicunque locorum fuerint facile educit eis aquam de petra: aquam (inquam) non quæ corpus sed animam reficiat, de qua in Euangelio Matthæi: Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Petra autem erat Christus. Rursus vbicunq; fuerint impij, & quicquid illis cõtingit, fiant diuites, fiant eloquẽtes, magni, quicquid illis contingit, non est eis pax neque tranquillitas.

CAPVT XLIX.

AVdite insulæ & attendite populi de longe. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei, Et posuit os meum quasi gladium acutũ, in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me, et dixit mihi: Seruus meus es tu Israel, quia in te glorificabor. Et ego dixi: In vacuum laborani, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo.

AB hoc capite vsque ad finem libri est quasi vnus & perpetuus contextus de Christo, & ferè non adhibentur inuolucra quemadmodum in præcedentibus, sed proponit nudum Euangelium sine vllis allegorijs & obscuris tropis: Atque de hac parte verum est, quod scripsit Hieron. in epistola ad Paulinum, Esaias non prophetiam mihi texere videtur, sed Euangelium. Dicit ergo ex persona Christi:

Audite insulæ etc.) In præcedenti capite egi cum Iudæis, nunc autem conuerto sermonem ad vos gentes & quicunque insularum nomine, noto scripturarum more censemini. Insulę autem sunt ex lauticijs scripturarũ, & de ijs dictum est in præcedentibus, quanquam & hoc loco propheta satis indicet, quos appellet insulares, dum ait: Et attendite populi de longe, id est, qui longe habitatis in extremis videlicet terræ finibus. Latini autẽ hanc phrasin non agnoscunt, Teutones tamen eam imitantur in suo idiomate, cùm dicunt, populus de Italia. Sic & Hebręi loquũtur: Laudate Dominum de cœlis id est, cœlestes: de terra, id est, terrestres.

Dominus ab vtero vocauit me) Istud facile intelligitur ex Euangelio, vbi angelus Gabriel annunciat Ioseph de partu virginali, dicens: Et vocabis nomen eius Iesum. Quod autem sequitur, *Et posuit os meum etc.*) exprimit vim & energiam verbi Dei & concionũ Christi, quæ quanta fuerint apud eos, qui Christo fuerunt præordinati ad vitam, patet ex Euangelijs: Et quam habeant adhuc vim reliquiæ verborum Christi in scripturis nobis relictæ, experiuntur quotidie qui eas pio animo accedunt, & religiosè legunt.

In vmbra manus suæ protexit me) Significatur assidua & familiaris protectio, vnde Septuaginta verterunt, Sub protectione manus suę abscondit me. Est autẽ metaphora hæc scripturæ frequens, vt per vmbram significet protectionem. Illud quod sequitur, *Et posuit me sicut sagittam electam*) alij verterunt, Sicut sagittam tersam seu mundam: Vt possem etiam procul ferire non solùm eos, qui me audiunt, sed etiam illos qui procul sunt.

In pharetra sua &c.) Exponit illud quod mox dixerat, Sicut sagittam electam. *Et dixit mihi, seruus meus etc.*) Istud videri possit pertinere nõ ad Christum, sed ad totum populum, quia dicitur, Israel. Hieronymus tamen ad Christum refert, & dicitur Christus seruus, quia cùm in forma Dei esset, serui formam dignatus est accipere: Israel autem dicitur, quia natus est de semine Iudæorum: Sic quidem Hieronymus, sed videndum est, an istud habeat scriptura. Potest enim hoc loco ille esse tropus, quo nominibus proprijs nõ res ipsæ sed rerum qualitas significatur, vt cùm dicimus, inexplicitos Platones, significamus omnes qui similem cum ea quæ in scriptis Platonis est, habent difficultatem: Sic nomine Israel appellari possunt, qui vera simplicitate boni sunt, & in quibus dolus non est. Vnde de Natanaele dixit Saluator: Ecce verè Israelita. Alij causam accipiunt ex etymologia, illa autem quia in Christum competit, putant etiam & nomen in ipsum competere, quod significare dicunt idem quod vir videns Deum. Verùm si inspiciamus scripturam aliud significat: Prima enim litera in nomine Israel, est Iod, & non Aleph cum Iod, & propterea componitur non ab איש isch, quod est vir ראה raah videns, & אל el Deus, sed ex verbo scara quod significat dominari, & לא el, quod est Deus, quasi dicas, prævalens aut dominans Deo. Atque etymologia hęc exprimitur capite 32. Gen. cùm dicitur: Si contra Deum fortis fuisti. Quibus autem nullus tropus placet, aliter explicant nimirum hoc modo: Et dixit mihi id est, præcepit mihi, vt ego hæc dicam Israeli, videlicet: Seruus meus es tu Israel. Deinde quod sequitur, In te gloriabor, est vox patris ad filium, qui in Euangelio ad Christum loquitur, dicẽs: Hic est filius meus dilectus &c. *Et ego dixi &c.*) Hæc dicenti patri ad filium, respondet filius: Gloriaberis quidem in me pater, sed meo iudicio labores mei infructuosi futuri sunt, pauci Iudæorum attendent doctrinæ meæ, hoc est, quod dicit, *In vacuum laborani sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*) Fortitudinem vocat robur corporis, iuuentutem & ætatem virentem, quam per opera illa quæ in reuocando populo Iudæorum præstitit, consumpsit. Pauciss imi etiam sunt hodie, qui apud animum suum istud habent bene expensum, quot videlicet labores ipse sumpserit in concionibus suis, in precibus suis sanctis, in vigilijs, in ieiunijs, in passione: quo ardore, qua flamma & animi vehementia passionem adierit: quomodo non quieuerit quoad vsque totũ sanguinem suum effudisset. Hæc inquã sunt

paucis benè cognita, quia non tantum est ipsis otij, vt hæc perpendant, quod si facerẽ, mirum est si non vehementer inflammarentur traherenturque ad illum redamandum.

Ergo iudicium meum &c.) Sensus est: Ego feci id quod debui facere, nihil omnino prętermisi, & propterea totam causam hanc cõmitto patri meo, ille iudicet cuius sit culpa. Totam autem causam vocat iudicium. *Et opus meum cum Deo meo*) Opus suum vocat quicquid impendit redimendo homini, sudores, æstus, fatigationẽ, sitim, famẽ, cruciatus, passionem, deniq; & mortem. Septuag. aũt verterũt πόνον & μὸχθον, id est, labor & dolor.

ET nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eũ, & Israel non congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parũ est, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.

ET nunc hæc dicit Dominus formans.) Particula (Et nunc) vim habet penè illatiuam, hoc sensu: Quia ego commisi totum iudiciũ meum Domino, & nunc itaq; hæc dicit Dominus, formans me ex vtero sibi seruum vt reducam Iacob. Intelligitur autem istud de carnali Iacob, & idem est cum eo quod habet Paulus in epistola ad Romanos, vbi ait: Dico Iesum Christum ministrum fuisse circuncisionnis.

Et Israel non congregabitur) Sensus est: Ego quidem missus sum ad reducendum Israel, sed ille non reducetur. Hebręi autem legunt hoc modo: Et Israel ei congregabitur. Annotant enim ipsi quindecim loca in Biblijs, in quibus vocula לא lo, quæ alioqui semper significat non, ponitur loco pronominis לו lo id est, ei: & dicunt aliter scribendam, aliter legendam: scribendam quidem per aleph, sed legendam per vau. Verùm diligenter cauendum ne quis nimium illis tribuat: sunt enim carnales & non instructi egregijs discipulis. Quantum itaque ad præsentem locũ pertinet, cõsequentia requirit, vt sicut scribitur sic quoque legatur per aleph, vt significet non: Hoc enim est, In vacuum laborani & vanè consumpsi fortitudinem meam, Israel non congregabitur. Theodotion inquit, Hiero. Symmachus nostræ interpretationi consentiunt: Aquila verò seductus regula illa Iudęorum de quindecim locis, vertit, ei. Si qui sint autem Iudæorum, qui ista regula corrupti nõ sunt, & vident hæc ad Messiam pertinere, est quòd maximè terreãtur. Mirum est certè quòd magna Biblia per Robertum impressa in textu habeant, Ad eum congregabitur, cùm tamen Hier. in commẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tarijs doceat legendum esse non ei vel ad eum, sed, non congregabitur.

Et glorificatus sum &c.) Cùm ita malè succederet prædicatio mea, interea tamen glorificatus sum in oculis Domini, & meus tristem consolatus est, addidit mihi animos, hoc est, quod dicit, *Et Deus meus factus est fortitudo mea:* Addidit inquam mihi animos his verbis, Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, id est, nō in hoc volui te nasci vt solis Iudæis prodesses, sed volui te nasci toti orbi. Huius loci pulcherrimum habemus commentarium in Actis Apostolicis, vbi Iudæis Euangeliū repudiātibus Paulus & Barnabas constanter dixerunt: Vobis primùm oportebat loqui verbū Dei, sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes: Sic enim præcepit nobis Dominus, Dedi te in lucem gentium. Paulus ergo & Barnabas intellexerunt hæc sibi dicta ab Esaia. Feces autem Israel, sunt reliquiæ populi Israel: hoc enim vocabulum Hebræum sonat. Actu. 13.

HAEc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum, Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel, qui elegit te. Hæc dicit Dominus. In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Et seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terrā et possideres hæreditates dissipatas: vt diceres his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris, reuelamini.

HAEc dicit Dominus redemptor &c.) Refricat memoriam beneficij præstiti in Aegypto, quando eduxit eos per Moysem. *Ad contemptibilem animam*) Refertur istud ad Christum & ex anima intelligitur totum per synecdochen, hoc sensu: Ad eum qui est totus cōtemptibilis & prorsus abiectus. *Ad abominatam gentem*) Hieronymus omissa hic Hebraica veritate exponit versionem Thedotionis, quæ sic habet: Ad eum qui abominationi est Genti scilicet Iudæorum, quod in Christum apertè competit, Nam ter per singulos dies sub nomine Nazarenorū maledicunt ei in synagogis suis, quando dicunt preces. Vide Epiphanium lib. primo de secta Nazaræorum. Si autem retineamus quod ex Hebraica veritate vertit Hieronymus, ad abominatam Gentem, adhibenda est hoc loco regula Tichonij inter septem prima, de Christo & corpore eius Ecclesia, quod in scriptura sacra tanquam vna persona introducitur Christus & Ecclesia, cui quædam tribuuntur quæ tantùm in caput, quædam quæ tantùm in corpus competunt. Prius ergo ad caput, posterius verò ad corpus referendum est. *Ad seruum Dominorum*) id est, ad eum qui omnibus est seruus: Hoc autem & in caput & in corpus competit. Nam & Christus erat omnibus seruus, vt ipsemet testatur dicens, Non venio ministrari sed ministrare: & similiter Ecclesia seruit omnibus. Regula Tichonij.

Reges videbunt &c.) Sensus est: Quamuis Christus iam habeatur contemptus, vermis & non homo, & quamuis etiam Ecclesia iā sit contempta, futurum tamen est vt Reges consurgant & ei honores & reuerentiam deferant.

Hæc dicit Dominus in tempore &c.) Etiam hic locus referri potest partim ad corpus, partim ad caput. In tempore placito, id est, in tempore quo placuit mihi misereri humano generi, *Et in die salutis*) id est, quando visum est mihi exhibere salutem mundo exaudiui te, *Auxiliatus sum tibi.* Significatur tempus gratiæ. sic locum istum exponit Paulus in posteriori epist. ad Corinth. caput. 6. 2. Cor. Tempus inquit placabile, de quo loquitur Dominus apud Esaiam: Dies autem salutis est tempus præsens, quod iam ad finem decurrit: in hoc tempore decreuit Deus largiri misericordiam poscentibus: in hoc tempore piè viuendo salutem assequi licet, post istud verò tempus frustra quæretur reconciliatio, nec tunc Deus habebit aurem placabilem.

Dedi te in fœdus populi.) Istud ad caput pertinet scilicet ad Christum, hoc sensu: Misi te vt fœderes & reconcilies mihi populum, vt terrā idololatria occupatam & quasi obrutā suscites ab errore idololatriæ, vt possideas non Iudæos tantùm, sed vt gentes quoque dispersas, quas dedi tibi in hæreditatem, in vnum congreges: vt dicas his qui vincti sunt peccatis suis, aut potestate diaboli, exite de captiuitate: & his qui in tenebris sunt dicas, reuelamini id est relinquite tenebras gentilitatis & prodite ad lumen Euangelij.

SVper vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longe venient & ecce illi ab aquilone, & mari, & isti de terra australi.

SVper vias pascentur &c.) Sensus est: Vbi non solent esse pascua, ibi erunt pascua, cùm venerit Messias, etiam ipsæ viæ præbebunt vberrima pascua. Significatur autem hoc loco quòd erit maxima copia pabuli Dei, quodque nulla erit caritas aut verbi Dei annona.

Non esurient neque sitient) illa scilicet esurie & siti, quæ est verbi Dei: *Non percutiet eos æstus*

æstus & sol) id est, quicunque agnoscunt gratiam Christi, ij non adurentur sole, id est, quod soleat alioquin esse molestum illis, nō eritamplius molestum: *Ad fontes aquarum potabit eos*) Fontes de quibus loquitur, sunt in nouo & veteri testamento, Intelligentibus scripturas atque eisdem bene affectis nihil potest accidere, quod non leuiter ferant, quod per consolationem scripturarum non facile vincant & superent.

Et ponam omnes montes &c.) Id est, omnia impedimenta amouebuntur, nihil remorabitur eos qui præordinati sunt ad vitā: montes siquidem remorari solent viatores, similiter & valles, illi humiliabuntur, valles sublimabuntur, id est, omnia erunt expedita.

Ecce isti de longe venient &c.) Ponit quatuor plagas orbis, vt significet plenam Gētium vocationem. De longe, id est, ab Oriente, eo quòd Iudæi vergant ad Occidentem: A mari, id est, ab Occidente: De terra australi, id est, Meridie.

LAudate cæli, et exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. Et dixit Sion. Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei, Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui corā oculis meis semper. Venerūt structores tui destruentes te, et dissipantes à te exibunt.

LAudate cæli &c.) Est vehemens admodum apostrophe, qua omnia prouocat ad lætitiam, ac si dicat: tanti facio & pendo istud beneficium, vt merito putem cœlos ad lætitiam prouocandos, terram insuper & montes: *Quia consolatus est Dominus populum suum.*) Populum intellige generaliter, non Iudæos tantum, sed quoscunque qui præordinati sunt ad vitam, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus. *Et pauperum suorum miserebitur*) Pauperes sunt secundum scripturam, quicunq; principi tenebrarum obnoxij, agnoscunt hoc & quærunt liberationē per Christum liberatorem.

Et dixit Sion, dereliquit &c.) Hæc omnia tam magnifica dicta sunt dd Messia, totusq; terrarum orbis vocatur ad gratiam Euangelij & tamen interea adhuc quæritur Sion. Et cùm variè vsurpetur Sion in scriptura, quærunt hic interpretes quomodo accipiatur Sion. Commentarius autem Hieronymi sic habet: Non dubium est quin congregatio sanctorum, quæ prius fuit in Iudæis, ista cō memoret, & voce lachrymabili cōqueratur se esse desertam. Intelligit ergo Hier. nomine Sion Ecclesiam, non quidem totam sed partem, illam nimirum portionem, quę fuerat in Iudæa à primo Abel iusto vsque ad Ioannem Baptistam: quanquam eadem sit Ecclesia & eorum qui præcesserunt Christi aduentum, & eorum qui secuti sunt. Iam quæstio est qua ratione vocetur hic Sion, si hactenus Esaias fuisset vsus typo, nulla esset difficultas: sed quia in hoc capite sine medio typo de Christo loquitur, quæritur an hoc habeat scriptura, vt allegoriā agnoscat in vna dūtaxat voce. Pro maiori huius rei intellectu vide psalmū quadragesimū septimum, cuius initium est, Magnus Dominus & laudabilis nimis: in quo psalmo ista tria, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni, nomina sunt eiusdem rei & periphrasis Ierusalem. Rursus vide psalmum cuius initium est, Fundamenta eius in montibus sanctis: qui psalmus supra modum iucūdus est, etiam si quis non aliud spectet quàm sermonis delitias. Per abruptum enim illud exordium, cùm dicitur, Fundamenta eius &c. significatur animus illius qui scripsit hunc psalmū fuisse totus absorptus in id de quo tā abruptè loquitur cùm ait, Fūdamēta eius: cuius eius? certè Sionis: in montib⁹ sanctis, id est, in ꝓphetis, apostolis & apostolicis viris, Basilio, Hier. &c. Si in his psalmis non agnoscamus typū, quem subesse nō est verisimile, sed sine medio typo exponamus primò de Ecclesia, videndum est quo tropo in illis positum sit nomen Sion, id est, quæ sit figura quando nomē rei quę est typus, vsurpatur non pro typo sed pro ea re cuius est typus. Sicut quis sit tropus, quando apud Virgilium sceptrū ponitur pro ipso regno, & est metonymia: Sic in hoc capite eleganter Christus nomine Israel intelligitur. Seruus meus es tu Israel, eo quòd ille cuius erat hoc nomē proprium sit typus. Congregatio ergo illa sanctorum apud Iudæos à primo Abel iusto vsque ad Christi aduentum conqueritur & dicit: dereliquit me Dominus, videtur quòd Israel derelinquatur & tantum beneficium defertur aliò. Cui respondet Dominus naturali vtens similitudine: Si fieri inquit potest vt mater obliuiscatur sui in fantis, & ad partum viscerum suorum non flectatur misericordia, & ego obliuiscar tui: Plus aliquid dicam, etsi illa oblita fuerit vincens mentis duritia iura naturæ, ego tamen non obliuiscar tui.

Ecce in manibus meis descripsi te) id est, præsentissima mihi es, semper versaris in oculis meis & mente, & tui vsque sum memor. Describi autem in manibus, & esse coram oculis, eadem sunt. Sensus est: Nunquam deponam curam tui. *Venerunt structores tui*) id est, Apostoli & apostolici viri venturi sunt, per quos instaurabuntur quæ collapsa sunt, & Pharisæi & reliqui hypocri- Quid sit describi in manibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tæ destruentes te & dissipantes per traditiones suas, exibunt à te: Hactenus latuisti inter Scribas malos, nũc autem secernam eos à te.

LEua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos, quasi sponsa. Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longe fugabuntur qui absorbebant te, adhuc dicent in auribus tuis, filij sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spacium mihi, vt habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens transmigrata, & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta, & sola, & isti vbi hîc erant?

LEua in circuitu oculos &c.) Ad orientem videlicet & Occidentem, Septentrionẽ, & Meridiem, & vide, omnes isti venerunt tibi, id est, Germania veniet, Italia, Gallia veniet &c. Hæc autem dicuntur illi congregationi, quæ superius nomine Sion significabatur.

Viuo ego dicit Dominus) Quod iuxta vetus testamentum iurandi dicitur cõsuetudine. *Quia omnibus his veluti ornamento vestieris*) id est, quicquid habet docta Græcia, seruiet tibi: quicquid habet diues Italia, seruiet tibi: quicquid denique reliquæ habent nationes, seruiet tibi. *Et circundabis eos tibi qua si sponsa.*) supple circundat monile. Est autẽ magnifica & insignis gentium vocatio sicut & illa quæ est in psal. Fundamenta eius &c. cùm dicitur. Memor ero Raab & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ & populus Aethiopũ mihi fuerunt illic. Quibus certis nationum speciebus reliquæ significantur. Nunquid dicet Sion, præ admiratione: Ecce video nouam sobolem, homo & homo natus est in ea, hoc est, alius post aliũ adiunctus est Ecclesiæ: Dominus narrauit in scripturis, id est, in magnis illis catalogis scripta sunt omnium nomina, qui ad vitam præordinati sunt.

Psal. 86.

Quia deserta tua &c.) Id est, Tam multi adiungentur tibi vt tota Iudæa vel Syria eos capere nequeat. *Et longe fugabuntur qui absorbebant te*) nimirum Scribæ & Pharisæi, per quos factum est, quo minus congregatio illa poterat facere, quæ volebat.

Adhuc dicent filij &c.) id est, Apostoli & pauci illi ex Iudaismo cõuersi dicent, nimis angustus est mihi locus in Iudæa, fac mihi spacium, vt habitem latius, vt totum orbem mecum tua capiat latitudo: Tu autem lętitię magnitudinem non valens ore proferre, in corde tuo tacitè cogitabis & dices. Quis genuit mihi istos? hoc est quod habet psalmus, Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea? id est, rursus natus est homo, rursus natus est homo, & sic deinceps vsque in immensum, ita multi adiungentur congregationi fidelium per prædicationm Apostolorum.

HAEc dicit Dominus Deus. Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabũt: Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus super quo non confundentur qui expectant eum.

ECce leuabo ad gentes &c.) Est elegans occupatio. Respondet enim tacitè huic quæstioni, quomodo hoc fiet, vt tot ex Gẽtibus accedant congregationi fidelium? dicit ergo: *Ecce leuabo ad gentes manum meam*) in signis & prodigijs mirabilibus, quę facturus sum per Apostolos inter Gentes. *Et ad populum exaltabo signum meum*). Sine dubio signum primum & præcipuum est Euangelium, deinde totum verbum Dei, siue scriptũ, siue non scriptum, postremò vexillum crucis.

Et erunt Reges nutricij tui) Sensus est: Reges dabunt operam prouehendæ fidei: aliquis Constãtinus, aliquis Carolus magnus, & huiusmodi in hoc incumbent, totisque viribus studebunt vt fides propagetur.

Vultu in terra demisso &c.) Id est Reges isti & principes, item reginæ & terrarum dominæ magni facient Ecclesiam, fatebuntur se multum debere cõgregationi fidelium. Est significatio animi obnoxij.

Et scies quia ego Dominus) Et scies ex huius rei euentu quia ego magnus ille ingens & verus Dominus, qui certissimè præsto quæcunque promitto: & propterea non cõfundentur qui expectant promissa mea etiamsi in longum quandoque extrahantur.

NVnquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto saluum esse potest? Quia hæc dicit Dominus. Equidem et captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur. Eos verò qui iudicauerunt te, ego iudicabo, & filios tuos ego saluabo. Et cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabũtur. Et scies omnis caro, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

NVnquid tolletur à forti præda?) Est obiectio, Fortis iste & robustus diabolus intelligitur, qui omnes gentes suo subiugarat imperio. Dicit ergo Sion, quomodo? gentes captiuæ sunt, totum humanũ genus sub potestate tenetur diaboli, potest hoc fieri vt aliquis eripiat illi forti prædam? Respondet sequitur cùm ait: *Equidem & captiuitas à forti tolletur*) fortis iste quemadmodum diximus est diabolus, qui captiuum tenet humanum genus, sed eo fortior superueniet, ipse nimirum Christus, ille diripiet ei spolia.

Et cibabo hostes &c.) Istud significatio est atrocissimæ pœnæ. *Et sciet omnis caro &c.*) Redemptor absoluti nominis, non qualis in Aegypto aut Babylone, sed qui ab omnibus simpliciter redimat te.

CAPVT L.

HAEc dicit Dominus: Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, & non erat vir, vocaui te, & non erat qui audiret.

HAEc dicit Dominus, quis est &c.) In precedenti capite locutus est congregationi sanctorum vsque ad Christi aduentum: nunc autem illis omissis loquitur Iudæis, quià Christo vocati eum recipere noluerũt, & dicit: Vos qui reiecturi estis Christum in propria venientem, patiemini longum exitium & tam longum vt meritò positis suspicari matri vestræ datum libellum repudij. Per matrem autem synagogam intellige: in libello verò repudij, metalepsis est. Istud autem vult dicere propheta: Quare accusatis Deum iniustitiæ, quasi ipse duricia sua reiecerit matrem vestram, vos putatis libellum repudij à me datum matri vestræ: si hoc ita est, ostẽdite libellum repudij, vel si non potestis, dicite, quis est creditor meus, cui exigenti pecuniam cùm non haberem quod redderem, vos in debiti compensationem tradidi? Certè nec hunc ostendere poteritis. Quare non ego vendidi vos, sed peccata vestra, quæ nascens inueni apud vos, fecerunt vt permitterem vos abduci in exilium, & matrem vestram adulteram atque abire volentem, abire permiserim.

Quia veni & non erat &c.) Exponit peccata & scelera eorum: Veni scilicet in mundum assumpta carne, & nõ erat vir. Hebraicè hoc dictum est, Latinus autem diceret, non erat quisquam. Notat autem magnam eorum paucitatem qui conuersi sunt ad diuinas conciones Christi, & tales conciones Dei & hominis, quod est admiratione dignum. Vocaui: Venite ad me ões, qui onerati estis &c. Et alio loco: Si quis sitit veniat ad me: & non erat qui audiret me vocantem & tam blandè allicientem.

NVnquid abbreuiata, & parvula facta est manus mea, vt non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum.

Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.

NVnquid abbreuiata &c.) Significat hoc versu diuinitatem suam, quæ enim hoc loco commemorat sunt Deo propria, in sequentibus verò significabit humanitatem suã in opprobrijs. Sensus est: Quòdnõ audistis me vocantem, debet hoc alleribi impotiẽtæ meę aut imperitiæ meæ? non id dici potest, quia ego Deus sum, in quo nihil potest requiri aut desiderari. *Dei potentia.*

Hæc manus mea seu potentia, quam varijs modis ab initio orbis ostendi, est hæc abbreuiata, vt non possim redimere, siue ex captiuitate Babylonica siue ex captiuitate diaboli, siue ex quacunque alia?

Ecce in increpatione &c.) Habet vim coarguendi. Qui desertum potest facere mare, de illo non potest quisquam suspicari, quod ipse fuerit in caussa, quòd defectus ex ipso sit. Apud Hebræos autem futurum est plerumque modus potentialis, quemàdmodum apud Latinos optatiuus modus, & ad hunc modum quidam exponunt quod hîc dicitur: Ecce desertum faciam mare, id est, possum mare facere desertum faciam mare, possum pone re flumina in siccum, possum si libet indu ere cœlos tenebris, vt propter tenebras videantur quasi sacco operti. Diuus autem Hieronymus accipit quasi alleget præterita miracula, hoc sensu: Qui olim mirabilia illa feci in exitu filiorum Israel de Aegypto, etiam & nunc absolutè liberare possum: aliquando mare rubrum feci populo meo per uium, Iordanis fluenta exsiccaui, effeci tenebras palbabiles in Aegypto, & cætera nunc similia facere possum, aut maiora si velim.

DOminus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum nõ abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, et conspuentibus in me.

DOminus dedit mihi &c.) Est perpetua sententia & vnus contextus cum præcedentibus: hoc sensu: Non est etiam quòd requiratur in me sapientia, aut eruditio, aut aliud quicquã, quod doctrinæ cõparari potest, quia Dominus dedit mihi Christo vt homini linguã eruditã, vt sciã sustentare eũ qui lassus est, hoc est, qui nõ est erecto spiritu ad diuina. Nõ defuit inquit mihi cõmoditas ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas verbi, ità vt nec hac parte culpari possi m.

Erigit mane &c.) Mane istud repetiti m iuxta Hebraismum significat singulis n ane, hoc sensu: Quotidie iubet me auscult re horis matutinis, propterea non potuit mihi defuisse quicquam, quod in bono conci natore requiritur, cùm habeam tam doc tũ Magistrum. Quando autem istud contingit in concionatoribus, tunc optimè & pulch er rimè concionantur, multo melius quàm dum omnia ex libris hauriunt. *Dominus D'e us aperuit mihi aurem, ego autem non contradi co*) id est, quicquid ille mihi præcipit, hoc e.. go propono. *Retrorsum non abij*) id est, non refugi quo minus proponerem.

Corpus meum dedi percutientibus &c.) Iudæi quos offendit scandalum crucis, malũt hæc de Esaia interpretari quàm de Christo, sicut & præcedentia ab illa parte, Dominus dedit mihi linguam eruditam. Idem facit & Thomas, quod multum mirãdum est, cùm Christiani interpretes ad vnum fere omnes totum hoc caput de Christo exponant: Atq; in istis Christus agnoscitur homo.

Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam, vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me. Quis contradicet mihi? Stemus simul. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me, ecce Dominus Deus auxiliator meus. Quis est qui condemnet me? ecce omnes quasi vestimentum conterentur, & tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui sui? Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei?

Dominus Deus auxiliator meus) scilicet erit. Inter media ista mala, flagella, sputa, & cætera Dominus auxiliabitur mihi. *Ideo posui faciem meam vt petram durissimam*) id est, neminem reueritus sum neque Annam, neque Caipham, neq; quenquam aliorum. Ista autem fiducia est nobis imitanda & retinenda in fide catholica & in Christo.

Iuxta est qui iustificat me) Sẽsus est: Si quis putet me iustè cruci affixum esse, & aliquod fecisse peccatum, in promptu est, qui defendat me ab hac calumnia, qui tueatur causam meam, & iustam pronuncier.

Stemus simul) Significatur maxima fiducia bonę conscientię. *Quis condemnet?*) id est, quis ex vobis arguet me de peccato? *Omnes quasi vestimentum &c.*) id est, tam nobiles quam ignobiles, qui Christum in propria venientem non receperunt, tanquam vestimentum conterentur: Ego ait iam videor abiectus & contemptibilis, illi verò magni & in honore habiti, sed instar vestimenti conterentur, & tinea, id est, conscientia peccati eos paulatim consumet. Sic ferè Hieronymus.

Quis ex vobis timens Dominum &c.) Hieronymus posteriori loco legit, qui, non autem quis, & sic interpretatur: Quis ait inter vos timens Dominum & audiens vocem serui vel pueri eius, hoc est, Christi, qui Christus ambulauit in tenebris, quia non habuit speciem neque splendorem aut gloriam. Item Haymo legit (qui) & sic interpretatur: Qui scilicet filius Dei ambulauit in tenebris. Cõmentarius quoque Thomæ falsò asscriptus etiam legit qui. Lyra verò vtroque loco habet quis, sed verisimile est librum eius esse mendosum, quia ex commentarijs videtur posteriori loco (qui) legisse, hoc sensu: Quis inter vos timens Dominum, qui ambulauit in tenebris ignorantiæ, si crediderit verbis Christi? quasi dicat, nullus. Est ergo hic locus in biblijs nostris deprauatus, & pro quis legendum est, qui ambulauit in tenebris, hoc sensu: Quis est inter vos, qui non est hypocrita, aut deditus vitijs suis, sed timens Dominum, & audiens vocem Christi, qui hactenus ambulauit in tenebris, siue cui hactenus non fuit lumen?

Peret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis, de manu mea factum est hoc vobis. In doloribus dormietis.

Peret in nomine Domini) Facile recipiet me si abiecta spe huius mundi cõuertar ad Deum, & innitatur super Dominum suum. Quod autem sequitur, *Ecce vos omnes accendentes ignem*) habet vim aduersatiuam, hoc sensu: Ego quidem hęc propono, sed frustra propono, quia omnes vos accenditis ignem iræ meæ. *Accincti flammis*) id est, cupiditatibus inflammantibus me ad iram: Causa quare me in propria venientem non recepistis est, quia nimium dediti estis rebus huius mundi & vitijs, quia nimis indulgetis malis vestris cupiditatibus, ideo semper inflammatis iram patris mei in vos.

Ambulate in lumine &c.) Est irrisio. Pergite quando ita vultis, pergite inquam vt cœpistis, & manete semper miseri & perpetuo cæci. *In manu mea factum est hoc*) id est, hæc ęcitas propter vitia vestra me permittente vobis continget. Et ideo in doloribus vestris dormietis.

CAPVT LI.

AVDITE me, qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum. Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. Quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. Et ponet desertum eius quasi delitias, & solitudinem eius quasi hortum domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

AVdite me &c.) In superiori autem capite egit cum illis Iudæis, qui Christum in propria venientem non receperunt: hic verò illis omissis agit cum Iudæis credentibus, qui imitantur fidem Abrahæ, & ait: Audite me qui sequimini quod iustum est. Pro eo autem, quod iustum est, Hebræi habent vnam vocem צדק tsedek, id est, iustitiam. Sensus est: Audite me vos qui sequimini iustitiam, quæ ex fide est, & bona fide quęritis Dominum.

Attendite ad petram &c.) Hoc quia obscurè dictum erat, dicit clarius dum subiungit: Attendite ad Abraham patrem vestrum. Per petram itaque intelligitur Abraham, à quo tanquam ex fonte populus Israel quasi riuus deductus est: Per cauernam verò laci intelligitur Sara, de illius enim vtero tanquã de lacu egressi sunt Iudæi.

Quia vnum vocaui etc.) Istud est quod aspicere eos cupit in primis parentibus. Cùm Abraham inquit vnus esset, hoc est, sine liberis, vocaui eum, dicens: Egredere de terra tua, & benedixi ei, id est, varijs beneficijs sum eum prosequutus, & multiplicaui eum ita, vt proles eius facta sit numerosissima. Qui ergo sequimini iustitiam, ne scandalizet vos paucitas credentium & multitudo non credentium in vobis: ruinas has Dominus facile instaurabit: qui olim illa præstitit in Abraham & Sara, facile etiam præstabit in vobis paucis, vt vehementer multiplicemini & veris bonis locupletimini, & hoc est, quod ait propheta: Consolabitur ergo dominus Sion, & ponet solitudinẽ eius quasi hortũ domini, id est, paradisum voluptatis.

Attendite ad me populi &c.) Per populũ intelligunt quidam Gentium multitudinem, sed magis conuenerit, vt reliquiæ ex Israel credentiũ significẽtur, hoc sensu: Vos reliquiæ Iudæorum credentium tribus mea siue gens mea audite me, quia exiet à me lex: hactenus habuistis legem Moysi, & illa vsi estis tãquam pædagogo, futurum est vt exeat à me alia lex, lex Euangelij: Moyses desinet vobis esse doctor siue pædegogus, dabitur vobis alius doctor, ipse nimirũ spititus sanctus, ille præscribet vobis quid oporteat facere, ille suggeret vobis omnia quæ dixi, ille inuitabit vos ad preces & gemitus: qui hanc legem habent scriptam in cordibus suis, illi beati sunt & felices.

Et iudicium meum etc.) In vocibus, lex & iudicium, synonymia est, qualis est in psalmo, Beati immaculati in via. In quo psalmo, lex mandatum, & iudicij synonyma sunt. Hęc lex Euangelica, non in Iudæis tantũ, sed etiam super gentium populos requiesceret. Ne autem putaremus longo pòst tempore futurum quod promisit, infert:

Prope est iustus meus) siue (vt Hebræi habent iustitia mea, Christus enim à patre factus est nobis iustitia. *Egressus est saluator meus*) Hanc vocem Hieronymus aliàs vertit salutem, aliàs salutare, aliàs Iesum: & Septuaginta nunc σωτηρίαν, nunc σωτήριον, nunc σωτῆρα transferunt. *Et brachia mea populos iudicabunt*) id est, virtute mea populi iudicabuntur, illo nimirum iudicio de quo apud Ioannem, Nunc iudicium est mundi: Ego sumã partes iudicis inter diabolum & humanum genus, & feram sententiam pro humano genere contra diabolum, & humanum genus liberabo.

Me insulæ expectabunt) Quod nomine insularum gentes & remotissimi populi significantur in scriptura, iam crebro dictum est. Sensus est: remotissimi quiq; populi de quibus vix per famam aliquid audiuisti, requirent Christum, qui est brachium Domini, & in illo omnem salutis spem collocabunt, super illum innitentur, & in illo acquiescent. Hoc significatur per verba ista, expectabunt & sustinebunt: pauci quidem eritis ex Iudęis credentes, sed adiungentur vobis exteri populi quàm plurimi.

Leuate in cœlum oculos &c.) Est affirmantis. Cœlum videtur futurum perpetuum, terra videtur perpetua futura, illa immutationem patientur: verùm iustitia & salus mea promissa sine dubio firma erit. Similem locutionem habet Saluator in Euangelio cùm ait: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea nõ transibunt. Transibunt, non quidẽ abolitione sui, sed immutatione.

AVdite me, qui scitis iustum, populus meus lex mea in corde eorũ. Nolite timere opprobriũ hominũ, & blasphemias eorũ ne metuatis. Sicut enim vestimentũ, sic cõmedet eos vermis, et sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum.

Audite

Universidad de Deusto
Biblioteca

Audite me qui scitis iustum) Rursus in Hebræo est צדק tsedek, id est, iustitia. Sensus est: Vos reliquiæ Iudæorum qui recipietis Christum in propria venientem, in quorum corde lex mea est, nolite timere, nolite curare quid dicant homines: Iudæi siquidem, Scribæ, & Phrarisæi, & Ethnici ridebunt quidem expectationem vestram, Christum vestrum, & crucem illius: verùm vos ne moueamini illorum ignominijs, omnes illi etiamsi nunc maximi videantur, peribunt: salus autem mea, hoc est, Christus qui est salus mea & iustitia mea, iustificans in se credentes, & saluans salute æterna, in sempiternum erit.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum. Nunquid non tu percussisti superbum? vulnerasti draconem? Nunquid non tu siccasti mare? aquã abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam, vt trasirent liberati.

Consurge consurge &c.) Reliquiæ Iudæorum excitatæ verbo Domini, ipsum rursus excitare student, & quasi animum addunt brachio Domini: Brachium Domini consurge. Vox enim Hebræa est excitantis quasi cessantem. Sic in Psal. Exurge quare obdormis Domine.

Consurge sicut in diebus antiquis) Id est, sicut fecisti olim tempore Moysi. Generationes autem sæculorum idem sunt quod dies antiqui. Sicut fecisti in generationibus illis multò antè præteritis, sic ita & iam. Brachiũ autem metaphoram habet, et si quis tantùm consulat hunc locum, putabit in brachio Domini sussicere intelligere vires Domini & potentiam, & ita in genere tantùm agnoscet metaphoram: sed ex alijs scripturæ locis in brachio Domini etiam in specie metapho ra agnoscitur, vt significetur Christus. Sic capite. 53. huius prophetæ: Brachium Domini cui reuelatũ? Certè potentia illa, quam exercuit in Aegypto, vbique reuelata erat. Non ergo de illo brachio loquitur, sed de Christo.

Nunquid non tu percussisti? &c.) Hebræi codices istud (tu) habent in sœminino genere, & similiter verbum percussisti: An autem eam ob caussam, quia brachium apud eos sœminini generis est, hoc inquirendum est. Certè Pagninus non videtur hoc loco ideo agnouisse sœmininum, quia brachium est sœminini generis, sed alia ex caussa. Nam cùm in præcedentibus vocem Hebræam verterit brachium, tamẽ in consequentibus ita transtulit: Nunquid non tu es quæ excidisti Aegyptum? In Hebræo autem est illa vox, quæ ponitur in psal. 87. Memor ero Raab, vbi nomine Raab, Rabbi Abraham, & Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon, intelligunt Aegyptum quam à fortitudine & superbia sic dictam volunt. Vnde & Hieronymus proprium vocis significatum illo loco transtulit, dicens: Memor ero superbiæ Babylonis. Et hoc loco, Nunquid non tu percussisti superbum? peculiarem aliquem superbum intelligit per antonomasiam, ipsum videlicet Regem Aegypti: Sicut apud Virgilium in impio Aeneas intelligitur, cùm ait: Thalamo fixusque manebat Impius. *Vulnerasti draconem?*) Per draconem Pharaonem intelligit. vide caput. 27. cùm dicitur: Et occidet cetum qui in mari est.

Et nunc qui redempti sunt à Domino, reuertentur & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, Gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus. Ego, ego ipse cõsolabor vos. Quis tu vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnũ, ita arescet, & oblitus es Domini factoris tui? Qui tetendit cœlos, & fundauit terram, et formidasti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat & parauerat ad perdendum.

Et nunc qui redempti sunt etc.) Istud (nũc) non est in Hebræo, sed addit Hieronymus. In Hebræo autem ante (redempti) ponitur vau litera, quæ dum seruit à principio, ferè idem valet quod coniunctio copulatiua (&) interdum tamen similitutidinem denotat. Sensus ergo est: Quod tunc legimus factum mirabile, hoc idẽ nunc fiet, si tu exurrexeris: rursus interficietur superbus & draco, non quidem Pharao aut similis aliquis tyrannus, sed coluber ille tortuosus, serpens ille antiquus, diabolus nimirum, & liberabitur populus à tyrannide illius: & venient, qui redempti sunt, in Sion, id est, ad Ecclesiam laudantes & glorificantes Dominum. Quemadmodum enim tunc à tyranni de Pharaonis liberati cantabant Domino, dicentes, Cantemus Domino &c. Ita & nunc per te liberati multo suauius cantabunt in spiritu, dicentes, Benedictus Dominus in Israel &c.

Lætitia sempiterna super capita eorum) Ista ad eos pertinent, qui habent vnctionem spiritus, in quorum cordibus spiritus sanctus clamat abba pater: Illis est lætitia quodammodo sempiterna, & mirantur homines mũdo deditos nõ imitari se, & relinquere mundũ & concupiscentias eius: illis gemitus non est gemitus, illis dolor non est dolor, sed omnia vertunt in gaudium & gratiarum actionem, etiam cruces & afflictiones: Plenius tamen hæc implentur in cœlesti Sion, vbi non solùm dolor non erit, aut gemitus, sed nec vlla materia doloris.

Ego, ego ipse consolabor vos) Credentium populus

populus brachium Domini fuerat deprecatus, vt exercret potentiam: itaq; vel brachium Domini vel ipse Dominus respõdet, dicens: Ego ipse consolabor vos, non iam per prophetas, sed per filium meum. Vel si brachiũ Domini loquitur, sensus est: Egomet veniam & præsens præsentes consolabor, vt nihil sit cur timeatis ab hominibus.

Quis tu vt timeres &c.) In Hebræo rursus est sœminini generis, Quæ tu vt timeres. Si autem Latinè locutus fuisset Esaias, respicere potuisset ad animam, vel ad congregationem eorum qui veniunt in Sion. An verò huc respexerit, an sit gen⁹ pro genere, quod faciunt Hebræi, licentius quàm Latini, inquirant studiosi.

Vbi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vsq; ad internecionem, nec deficiet panis eius. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius: Dominus exercituum nomen meum. Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram, et dicas ad Sion, populus meus es tu.

Vbi nunc est? &c.) Vbi nunc sunt quos timebatis? siue Sennacherib, siue Nabugodonosor, siue quicunq; alij, iam perierunt. Oportet ergo timere eum qui perpetuo est, & solus saluare potest.

Cito veniet gradiens) Locum hunc aliter exponunt Hebræi, & aliter Latini, & hi rursus aliter & aliter. Gradiens autem iuxta Hebræam phrasin de eo dicitur, qui vsq; & vsque mutat sedem: ex eo verò qui mutat sedem seu locum per metalepsin intelligunt Hebræi captiuum, vt sensus sit: Festinabit Israel, qui nunc captiuus est, ad aperiendũ, id est, vt soluatur à captiuitate. Hieronymus autem de suo addit (viam) Hebræos autem sequitur Pagninus, cuius versio sic habet: Festinauit ligatus, vt solueretur, & non morietur in fouea, scilicet captiuitatis, nec deficiet panis eius.

Dionysius autem Carthusianus exponit hoc modo: Cito veniet gradiẽs, scilicet persecutor Ecclesię ad aperiendum viam, id est, vt aperiat tibi foueam mortis & te perimat, verũ non poterit prævalere, ita vt penitus deleat populum Christianum, & panis eius, id est, pœna eius non deficiat. An autem sit sensus probabilis, expendat studiosus. Dionysius vero Hieronymus hoc modo exponit, & est valde probabilis eius expositio: Cito veniet brachium Domini siue Christus gradiens & conculcans aduersarios tuos, vt aperiat tibi viam victoriæ contra draconem, vt aperiat tibi viam ad regnum cœlorum. Locutio autem desumpta videtur à duce & milite grassatore. *Et non interficiet vsque ad internecionem*, quia aliquot ex Iudæis saluabit: *& non deficiet panis eius*, id est, nihil deficiet ei ad vsum omnium quæ volet facere, quicquid molietur, habebit successum.

Ego autem sum Dominus &c.) Secundum Hieronymum apostrophe est Dei patris ad filium suum: Ego pater sum Dominus Deus tuus, qui cùm habeam potestatem & imperium totius maris, nullus draco mihi resistere poterit.

Posui verba mea &c.) Hæc exposita sunt in capite præcedenti. *Vt plantes cœlos &c.*) Non simpliciter sed figuratè dictum est, hoc sensu: Vt plantes cœlos, id est, Apostolos & Apostolicos viros, qui terrenis rebus omnibus abdicatis, conuersationem agent planè cœlestem: *Et fundes terram*, hoc est, cæteros Christianos terrena quidem tractantes, sed eis amore non inhærentes.

Et leuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius. Vsque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti vsq; ad feces. Non est qui sustentet eam ex omnibus filijs quos genuit, et non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs quos enutriuit.

Duo sunt quæ occurrerunt tibi. Quis contristabitur super te? Vastitas, et cõtritio, et fames, et gladius. Quis consolabitur te? Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.

Et leuare eleuare &c.) Hoc loco Ierusalem intelligi debet, non illa quæ venientem in propria recepit, ad quam in præcedentibus sermo fuit, sed illa quæ occidit prophetas, huic dicitur: Eleuare, eleuare, consurge, id est, expergiscere Ierusalem, & age pœnitentiam.

Quæ bibisti &c.) Nomine calicis in scriptura ferè significatur quicquid voluntate diuina obuenit hominib⁹, siue bonum illud fuerit, siue malum. Sensus ergo est: Quæ voluntate Domini durissima quæq; perpessa es. Quę autem sint ista durissima, an illa quæ passa est sub Nabugodonosor, an illa quæ à Romanis, an denique illa quæ adhuc hodie patitur à diabolo, hoc inquirendum est. Ex eo autem quod sequitur, Nõ est qui sustentet eam &c. videtur locus iste non posse intelligi de malis, quæ passa est sub Nabugodonosor, quia in captiuitate Babylonica & post captiuitatem habuit prophetas. Quare pertinet ad mala quæ passa est à Romanis, vel potius quæ vsq; hodie patitur, quod etiam sequentia indicant: ita tamen propheta significat hæc spiritualia, vt videatur alludere ad temporalia illa mala, quæ à Romanis

Universidad de Deusto
Biblioteca

passa est. Non est ergo qui sustentet eam ex omnibus filijs,id est,ex toto Iudæorum populo non continget illi vllus reuera sanctus institutor & doctor, non propheta, non Apostolus.

Duo sunt &c.) Duo dicit, & quatuor ponit,sed posteriora duo exponunt duo priora: Fames enim exponit vastitatem, gladius verò contritionem. Sensus est: Accidit me volente, primùm vt laborares fame,deinde gladio & quidem gladio cõterente. Famem autem,vt diximus,intelligimus nõ tam eam de qua apud Iosephum, quàm eam quæ est verbi Dei,vt sensus sit: Scriptura sacra,quæ solet vos pascere, erit vobis in scandalum, quemadmodũ dicitur in psalmo, fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Ad eundem modum intellige gladium.

Filij tui proiecti sunt,dormierunt) Illo videlicet duro somno,qui est mortis. *Sicut oryx illaqueatus*) Oryx animal est è caprarum genere: Iudæi autem voce Hebræa significari dicunt bouem syluestrem. Sensus est:Sicut bestia illaqueata, siue sicut ceruus apud nos lassatus & irretitus occiditur à canibus: ita filij tui passim occidentur non à Romanis tantùm,sed etiam morte spirituali, qua vsq; hodie occiduntur. Oryx.

IDcirco audi hæc paupercula, & ebria non à vino. Hæc dicit dominator tuus,Dominus,et Deus tuus, qui pugnauit pro populo suo. Ecce tuli de manu tua calicem soporis,fundum calicis indignationis meæ. Non adijcies vt bibas illum vltrà.Et ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt,& dixerunt animæ tuæ, incuruare, vt transeamus, & posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

IDcirco audi hæc &c.) Hieronymus vt retineat Hierusalem illã, quæ occidit prophetas, subintelligit hoc loco conditionalem, hoc modo: O Ierusalem, cui dixi eleuare, eleuare, consurge &c. quæ ebria iam es angustijs & non vino, si egeris pœnitentiam, auferetur à te calix furoris. Dionysius verò Carthusianus cùm illa superiora, Eleuare eleuare &c. exposuisset de Ierusalem,quæ occidit prophetas, hîc prophetã respexisse dicit ad illam Ierusalem siue ad illos Iudæos, qui futuri sunt in fine sęculi & tum conuertentur.Commodè tamen retineri potest eadem illa quæ occidit prophetas, hoc sensu: O Ierusalem quantumuis impia & sanguinea, nascetur tibi Saluator qui seruet eas oues quæ perierunt domus Israel, & in illis seruatis licet paucis exhibebitur tibi promissa salus.

Hæc dicit Dominator &c.) Hoc est,ille qui hactenus pugnauit pro te, non penitus deseret te, sed relinquet tibi semen, & in hoc semine exhibebit tibi quæ promisit.

Ecce tuli de manu tua &c.) Sensus est,à paucis illis ouibus domus Israel quæ saluabuntur,&ab ijs quæ fidẽ earum sequuntur, auferam calicem furoris. Ista magis vrgent ad cogitationem malorum spiritualium, quæ patiuntur à diabolo.

Et ponam illum &c.) id est, transferã iram meam in diabolum & ipsius corpus. *Et dixerunt animæ tuæ,incuruare &c.*) hoc est, qui abusi sunt te veluti mancipio durissimo, & multa ab eis passa es, sed liberabo te ab eis.

CAPVT LII.

COnsurge, consurge, induere fortitudine tua Sion.Induere vestimẽtis gloriæ tuæ Hierusalem,ciuitas sancti: quia non adijciet vltra, vt pertrãseat per te incircumcisus, & immundus.

COnsurge consurge &c.)Caput istud hæret adhuc cum præcedenti. Cui autem suprà dixerat,Eleuare,eleuare, consurge Ierusalem,nunc eidem loquitur, hoc est, loquitur populo Iudæorum qui occidit prophetas,& lapidauit eos,qui ad se missi erant,nec hoc satis fuit, sed etiam in filium Dei milit manus: Verùm post Christi resurrectionem conuersus est, & recepit fidem Christi. Illæ ergo reliquiæ Iudæorum, quæ saluæ factæ sunt,significantur hîc nomine Sion & Ierusalem. Isti Ierusalem nunc dicitur, Consurge,expergiscere, & agnosce miseriam tuam in qua versaris,sed non diu versatura:expergiscere & totam te compone ad lætitiam, & ad vera gaudia, quæ gaudia contingent tibi posthac perpetua. *Quia non adijciet vltra vt pertranseat per te incircumcisus & immundus*) id est, non passura es posthac tales dominos siue tyrannos, quales hactenus passa es. Est autem hoc loco tropus, aut heterosis numeri, vel antonomasia. Interpretes serè intelligunt heterosin numeri, vt incircumcisus ponatur pro incircumcisis,immundus pro immundis.Et refert D.Hieronymus nõ ad circumcisionẽ carnis aut præputium, sed ad incircumcisionem mentis, & ad operum immundiciam: vt incircumcisos & immundos vocet propheta, qui corporis voluptati & libidini seruiũt. Difficultas iam est, quomodo nõ transeant isti per Ierusalem, id est, Ecclesiã, cùm inter Christianos tot sint incircumcisi & immundi etiam inter capita Ecclesiæ? Difficultatem hanc expedire conatur Dionysius, cuius commentarius sic habet: Non istud de corporali commixtione & transitu intelligendum est, cùm vsque in finẽ sæculi mali bonis commisceantur, sed de spirituali vnione seu communione. Verùm cùm neque prius in Ecclesia, quæ ante Christi aduentum erat, mali bonis permiscebantur in spiritu, nõ satisfacit iste commentarius: sensus quidem pius est,sed non huius loci,quia excludit illum particula,vltra. Alij autem vrgent vocabulũ pertranseat,& hunc volunt esse sensum: Non adijciet vltra vt pertranseat,id est, de tuo numero transeat ab hac Ecclesia ad cœlestem incircumcisus & immundus. Verùm si consulatur vox Hebræa, nec ista videbitur verisimilis expositio:Illa enim significat simpliciter venire. Præterea si vox Hebræa hoc significaret quod isti volunt, obstaret adhuc particula vltra:quia nec ante Christi aduentum incircumcisus quispiã & immundus ingressus est regnum cœlorum. Quærendus est ergo alius commentarius. Pellicanus autẽ sic habet: Ierusalem hoc loco appellatur congregatio fidelium, qui spiritu sancto ipsos sanctificante aguntur, per hanc congregationem non vt ante per Syriacam, id est, terrenam Ierusalem transibunt incircunciſi & immũdi: quia quicunq; sunt mali, non sunt in Ecclesia, quanquã videantur esse in Ecclesia. Hic commentarius præter hoc quòd hæreticus est, nihil ad rem facit, cùm secundum ipsum Pellicanum, mali nec ante Christi aduentum fuerint in Ecclesia: & ita idem erit status ante & post Christum, quod non admittit particula,vltra. Vt autem ad verum prophetæ sensum perueniamus, aduertendum est prophetã hoc loco non id agere, qualis futurus sit populus sub Christo,bonus,an malus,an mixtus,sed qualia passurus est,& dicit Ecclesiam non passuram sub Christo quod pati solet ante Christum ab incircunciſis & immundis.Iam rursus difficultas est, quo sensu hoc verum sit, cùm Ecclesia Christi quæ cœpit in Ierusalẽ, & inde per totum terrarum orbẽ diffusa est, maximas sustinuerit tyrannorum persecutiones. Lyra autem vt hanc difficultatẽ euadat, refert ea quæ dicuntur hoc loco ad tempora Constantini, quando à tyrannis quies esse cœpit in Ecclesia. Et quod obijci poterat de Lycinio & Iuliano apostata, qui post Constantinum infestauerunt Ecclesiã, soluit hoc modo,dicens vocula (vltra) nõ semper ad perpetuitatẽ pertinere, sed interdum quoq; ad longum tempus. Adfert & aliam solutionẽ, quæ an satisfaciat expendat studiosus. Planus autem sensus erit, si dicamus hoc loco esse antonomasian, vt significetur illetotus incircunciſus & immundus nimirum diabolus:ille non habet nunc hoc iuris in fideles, quod habuisset, si fuissent ante Christum. Hic sensus exprimitur in psal. 88. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis nõ apponet nocere ei:quæ de Christo dicuntur, vt complectitur & caput & cor pus. Vbi Augustſæuit quidem inimicus sed non proficit, solet quidem nocere sed non nocet &c. Et in Euangelio Iohannis, Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

EXcutere de puluere, consurge, sede Hierusalem. Solue vincula colli tui, captiua filia Sion,quia hæc dicit Dominus.Gratis venundati estis,& sine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus. In AEgyptum descendit populus meus in principio,vt colonus esset ibi,& Assur absq; vlla causa calumniatus est eum.

EXcutere de puluere &c.)Sensus est: Expergiscere & surge è miseria in qua versaris, & captiuitate & vinculis peccatorum. Hæc autem dicuntur vt intelligamus hac in re opus esse nostro arbitrio, secundũ quod Augustinus air: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Alioqui in psal. confitetur ppheta Domino, Dirupisti vincula mea Domine, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Gratis venundati estis &c.) Qui vendidit, Deus est: cui venditi sunt, princeps est tenebrarum. Verùm si gratis, quomodo venditi? Ad hanc quæstionẽ respondet Augustinus lib.7.quæstionum super Iudicũ cap.17. Verbum autem Hebraicum מִכֹּר machar,significat vendere & tradere,naturalis tamen eius significatio est vendere, per flexum autem significat etiam tradere: studiosus proinde aduertat vbi vertendum erit vendere, & vbi tradere. Optimè autem per tradere vertitur in eo loco vbi dicit scriptura: Et vẽdidit eos in manu inimicorum suorũ. Et rursus: Ven. didisti populum tuum sine precio: quia illi quibus traditi fuerunt,impij erant, nec suo merito dominabãtur populo Dei. Sic & hoc loco: Sine precio venũdati estis,hoc est,ego semel addixi vos diabolo & peccato, scilicet permissiuè,sicut dicitur Deus induraſſe cor Pharaonis: & tradidi vos gratis, id est, sine precio, id est vt vilissimum populum abieci vos, & alteri addixi: *& sine argento redimemini*, synecdoche est,hoc est, sine precio redimemini,& addendũ est,vestro. Sensus est: Redemptio hæc quamuis sine precio vestro contigit, non tamen sine omni pretio, quia redimemini in sanguine meo. Psal.43.c

In AEgyptũ descendit populus &c.) Historia hæc est in lib.Gen.ca.47.De seruitute aũt quam seruiuit populus ille in Aegypto & liberatione tacet propheta, quia notæ erant: Et Assur sine causa calumniatus est eum, nõ quidẽ populum qui descendit in Aegyptũ, sed posteros illius populi. Loquitur autẽ de Sennacherib Assyriorum rege aut Salmanazare. Historia verò est in quarto Regum.

ET nunc quid mihi est hic, dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis. Dominatores eius miquè agunt, dicit Dominus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.

ET *nunc quid mihi est &c.*) Significat se nolle diutius pati captiuitatē populi sui, hoc sensu: Reuocate ad memoriā quōd aliquando captiui fuistis in Aegypto, & contigit vobis Saluator: Præterea passi estis ab Assyrijs, & similiter liberaui vos. Quid ergo nunc mihi hic est, id est, cùm ista fuerint typica, cùm fuerint imagines futurorum, certè ego præstabo quod significabant & liberabo populum meum, non quidē à Pharaone aut simili tyranno, sed à potestate principis tenebrarum. Vocula aūt (hic) nō pronomen est sed aduerbium loci. Inquirat studio sus an (hîc) apud Hebræos sic accipiatur interdum quomodo apud Latinos (hîc) cùm dicitur: Tu si hic fis, aliter senties, vt sensus prophetæ sit: Et nunc quid mihi agendum est hoc rerum statu?

Propter hoc sciet populus &c.) Quia iste est rerū status, quia sic captus est populus meus, & nomen meum blasphemauit, efficiam vt intelligat populus meus nomen meum: quod ego ipse, qui per prophetas hactenus tantùm locutus sum, & ipse nō adfui, nunc ipse præsens sim.

QVam pulchri super montes, pedes annunciātis et prædicantis pacem, annunciantis bonum. prædicantis salutē, dicentis Sion, regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem, simul laudabunt quia oculo ad oculum videbunt, cùm cōuerterit Dominus Sion.

QVā pulchri pedes annūciantis &c.) Thomas ita interpretatur quasi sint illi nūcij qui venerunt à Chaldæa, & nunciauerūt pacem restitutā à Syrijs populo Iudaico. Sed verus commentarius est apud Paulū in epistola ad Romanos scripta, cap. 10. vbi ad regnum Christi refert quod hic dicitur, & de Apostolis interpretatur: Quā pulchri super montes pedes annunciantis, id est, pedes annunciantiū, sic Paulus loco iam dicto. Sensus est: Quàm iucundum erit hoc nuncium Apostolorū, qui venient per montes, annunciantes & prædicantes pacem, pacē inquam illam qua humanum genus reconciliatū est Deo: prædicantes salutem illam ęternam, dicentes Sion (Datiui casus est Sion, additur enim ei in Hebræo litera lamed nota datiui) Regnabit Deus tuus: nō iam peccatū regnabit in vestro mortali corpore, neq; dominabitur vobis diabolus, sed regnabit ver⁹ Deus in vobis, per quem abijcietis affectus peccatorum, & sequemini ductū & imperium sancti spiritus.

Vox speculatorum tuorū &c.) Est metaphora Apostolorum, Isti præ nimio gaudio leuabunt vocē, quia oculo ad oculum videbūt, id est, præsentes præsentem Christum videbunt, cùm conuerterit dominus Siō, id est, cùm venerit illa plenitudo temporis, de qua Apostolus in epistola ad Galat. cap. 4.

GAudete & laudate simul deserta Hierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalē. Parauit Dominus brachiū sanctum suum in oculis omniū gentium, & videbūt oēs fines terræ salutare Dei nostri.

GAudete & laudate &c.) Ruinæ Hierusalem hactenus derelictę reparabuntur in hoc, quod non intelligentes prophetas illuminabuntur in vero prophetarū intellectu: & laudabunt Dominum, quia cōsolatus est populum suum consolatione illa æterna, de qua apud Lucam: Expectabat consolationem Israel.

Parauit Dominus brachium &c.) Per brachium Christū intelligit propheta, hoc sensu: Christum suum reuelauit Dominus per prædicationem Apostolorum. De brachio autem dictum in capite præcedenti.

REcedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. Exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. Quoniā non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis. Præcedet enim vos Dominus, & cōgregabit vos Deus Israel. Ecce intelligit seruus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.

REcedite, recedite &c.) Iudæi hūc locum hoc modo edisserunt: Qui hactenus captiui fuistis in Babylone, recedite de Babylone. *Pollutū nolite tangere &c.*) id est, ne efferatis idola eorum, & vos qui vasa, quæ Nabugodonosor capta Hierusalē tulerat, ferris, mundamini, quia sancta sunt: Quoniam nō in tumultu exibitis, nec in timore vt olim de Aegypto, sed cum pace & voluntate regis Persarū ipsius videlicet Cyri, in quo voluntas Domini apparuit, qui protexit & congregauit vos. Hos sequitur D. Thomas. Alijūt exponunt de imperio Romano, quia expectant futurū, vt tempore Messiæ liberati redeant in Hierusalem. D. verò Hiero. & cæteri interpretes Christiani ferè omnes vestigijs Pauli inhærentes nequaquam de Iudæis, sed de Apostolis iuxta consequentiam literæ interpretantur: quibus præcipitur vt recedant de Hierusalē, & in toto mundo Euangelium prædicent dicente Saluatore in Euangelio: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris &c. vt nequaquā cum Iudæis blasphemantibus maneant, in quorum necē Romanus paretur exercit⁹, sed pollutos derelinquant & separētur ab eis, & mundētur qui portant vasa Domini. Vasa aūt Domini intelliguntur hoc loco sacramenta nouæ legis & armatura scriptur arū: Vos, quibus incumbit officiū concionandi & sacrificia offerendi

ferendi in populo Christiano, mundamini.

Quoniam non in tumultu exibitis nec in fuga, quia non vt victi de Hierusalem, sed vt victores recedetis.

Ecce intelliget seruus meus) Exponunt quidam, Seruus meus, id est, populus Israel. Sed aliud exigit consequentia textus, est enim quasi sequentis capitis procœmium ad amouendum scādalum crucis. Thomas aūt cùm præcedentia omnia ad captiuitatem Babylonicam retulisset, hic Christum agnoscit. Sensus est: Ecce Christus seruus meus secūdum dispensationem naturæ assumptæ intelliget, id est, prudenter cum omnibus aget.

Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominū. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum. Quia quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt.

Sicut obstupuerunt &c.) Sensus est: Tu Christe eris aliquando admirationi, aliquādo despectui: obstupuerunt ad miracula tua nondum excæcati, dicentes: quis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Despexerūt consputum, flagellatum, coronatum &c. Sic inglorius fuit inter viros, hoc est, prę cæteris viris aspectus eius, & inter filios hominum, id est, præ filijs hominū. Vtroq; loco Hebręi habent Mem comparatiuū: Si ad alios homines illū compares, erit inglori⁹ & obscurus.

Iste asperget gentes &c.) Vox autē Hebræa significat aspergere, quomodo aspergimus ea quæ expiamus. Sensus est: Asperget Christus sanguine suo gētes multas. Aspergimur autem sanguine Christi in baptismo, vbi virtute sanguinis ipsius abluimur à peccatis.

Super ipsum &c.) Sensus est: Aliquando nō audebunt reges hiscere cōtra eum. *Quia quibus non est narratū de eo*) hoc est, quibus non contigit legere Moysen & prophetas, illi viderunt, id est, nos gentes qui tantùm legeramus Aristoteles & Platones, nos inquā videbimus eum per fidem, & audiemus eum.

CAPVT LIII.

QVis credidit auditui nostro? & brachiū Domini cui reuelatū est? Et ascēdet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & nō erat aspectus, & desideravimus eum despectum, & nouissimum virorum, Virum dolorū, et scientem infirmitatē. Et quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum.

QVis credidit auditui nostro?) In medio sermonis, cùm diceret inaudita, exclamat propheta: Quis inquit hæc credet? & filius iste cuius sanguine aspergentur gentes multæ, cui reuelabitur? Hanc scripturam citat Paulus in epistola ad Romanos, & S. Ioannes in Euangelio suo, cap. 12. Significat autem raritatem credentium ex Iudæis. De auditu dictū est cap. 28. de brachio verò ca. 51. huius prophetæ. Pergit deinde Esaias in sermone cœpto, dicens:

Et ascendet sicut virgultum coram eo) scilicet patre. Vox autē Hebræa יונק ianak significat sugere quomodo infantes sugunt vbera matrum: hinc participium יונק ionek, id est, lactens, quo nomine per metaphoram ipsi Hebræi teneram plantulā significant quasi adhuc lactentē. Illud ergo participium hoc loco ponitur, quod noster interpres virgultū transtulit. Ascendet itaq; Christus tanquam tenera plantula de terra sitienti. Est mirabilis metaphora seu potius allegoria: simpliciter autem propheta dixisset: Ipse talis prodibit vt videatur planè miser & verè pauper, sine præsidio amicorū & opum. Illa enim misera sunt virgulta, quæ proueniunt in terra sicca: & sicut in radice terræ sitientis nihil apparebit insigne, sic in Christo nihil apparebit magnificum, si illum æstimes ab ijs quæ in oculos incurrunt. Istius autem metaphoræ seu allegoriæ multùm obscuræ sequitur interpretatio & quidem dilucida.

Non est species ei, neq; decor, vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum &c.) Dionys. Charth. refert istud ad desiderium prophetarum: Istum talem, qui prima facie non videtur desiderabilis, prophetæ tamen desiderauerunt, iuxta illud Euangelij: Multi prophetæ cupiuerūt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Quod autem sequitur, Despectum & nouissimum virorum, in alia ponitur periodo & est nou⁹ versus apud Hebræos, quod volens indicare Pagninus ita transtulit: Despectus est & abiectus inter viros &c. Hunc locum refert Marcus Euangelista cap. 9. cum ait: Quomodo scriptum est de filio hominis, vt multa patiatur & cōtemnatur. Sensus est: Talem illum vidimus, despectum videlicet & nouissimum virorum, id est, infra omnes reliquos homines abiectissimum: virum dolorum: id est, totū doloribus obnoxium: scientem infirmitatem, id est, qui experientia didicit infirmitates.

Et quasi absconditus vultus eius) Exponit Hieronymus: Quia in humano corpore diuina potentia cælabatur. Pagninus autem ita transtulit: Abscōdebamus faciem ab eo, hoc est, pudebat nos illius.

VErè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse aūt vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Matth. 8. b 1. Pet. 2. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

stra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.

Verè languores nostros ipse tulit) Textus hic prima superficie ex illis est, de quibus Augustin⁹ elegãter de ciuit. Dei, lib. 18. cap. 28. cùm citasset locum apertum ex propheta Ozee, dixit: Hoc si velimus adhuc exponere, eloquij prophetici obtundetur sapor. Idem est de hoc loco, nihil potest dici apertius, quàm quod propheta hîc dicit: Verè languores nostros ipse tulit &c.

Et nos reputauimus eũ quasi leprosum) id est, immundum & à Deo percussum, id est, putauimus eũ pro suis peccatis percussum à Deo & humiliatum. Talis habitus est Christus à vulgo Iudæorũ. Sunt enim verba hæc incredulorũ ipse tamẽ non ꝓpter sua peccata sed ꝓpter nostra apeccta percuss⁹ est, atq; hoc est quod sequitur: Ipse aũt vulneratus est &c.

Disciplina pacis nostræ super eum) id est castigatio pro pace siue ad obtinẽdam pacem cum Deo pro nobis, fuit super eum, & propter nos ipse castigatus est.

Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium nostrorũ. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suũ. Sicut ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus coram tõdente se obmutescet, & nõ aperiet os suũ.

Posuit Dominus in eo &c.) Manifestius hoc trãstulit Pagninus, hoc modo: Dominus ad eum peruenire fecit pœnã omnium nostrum. Quod Apostolus Petrus dixit: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Hoc loco vno tantùm opus est commentario, quem tradit August. in librõ, vbi refellit articulos sibi falso impositos, estq; ille: Quod ad magnitudinẽ & potentiã precij attinet, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Verùm redemptionis proprietas penes illos duntaxat est, qui per fidem & fidei sacramentũ, id est, baptismum Christo coniunguntur: Poculum quippe immortalitatis, quod confectũ est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit. Quod duobus verbis in scholis dicitur Christus satisfecit pro omnibus quantũ ad sufficientiam, non autẽ quantum ad efficaciam. Vtrumq; autem expressit hîc Esaias, & prius quidem illis verbis, languores nostros ipse tulit, & sequentib⁹ vsq; ad illum locum, De angustia & iudicio sublat⁹ est. Posterius verò cùm dicit, In scientia sua iustificabit &c. cui similis est locus ille apud Matth. cap. 19. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum. Non autẽ pro omnibus, sed pro multis, ad significandum sanguinẽ Christi effusum in illis tãtùm efficacẽ esse, qui illo aspergun-

Quomodo Christus satisfecit pro omnibus.

guntur. Aspergimur autẽ sanguine Christi effuso, hoc est, vis sanguinis Christi effusi applicatur nobis per fidem, baptismum & alia ecclesiæ sacramenta, quanquam non æqualiter. Hinc est quòd relapsis, dum resipiscũt, pœnitentia iniungitur & satisfactio: non autem ijs qui baptisma suscipiunt. Iniungitur inquã satisfactio, nõ qua pro culpa & pœna gehennę satisfaciunt, sed qua pœnã temporalem, quæ peccato dimisso, & pœna æterna condonata frequẽter remanet, soluant & recompensent. De hac re vide D. Turnout de capt. & redemp. generis humani, fol. 236.

De angustia, & de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viuentium. Propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua, eò quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius, & Dominus voluit conterere eum in infirmitate. 2. Reg.

De angustia & iudicio &c.) Hęc sunt læta. Sensus est: Dura quidẽ, acerba & ignominiosa Christus passus est, verùm nunc liberatus est de prædictà passionis angustia & de iudicio. Iudicium autẽ hîc in malam partem accipitur, quemadmodũ cap. 22. secundi libri Paralip. cùm euerteret Iehu domum Achab, ad verbum in Hebræo est, cùm iudicaret de domo Achab, id est, cùm sumeret vltionem & vindictam. Rursus Psal. 9. Iudicentur gentes in conspectu tuo, scilicet ad malum. De huiusmodi iudicio Christus sublatus est, & omnino liberatus.

Generationẽ eius quis enarrabit?) Loquitur propheta de generatione diuina, vel etiã humana qua de virgine natus est. Siquidẽ modus ille, quo sibi vnitæ sunt in vtero virginis diuina natura & humana, inexplicabilis est. Alij autem exponunt generationem eius, id est, semen & posteritatẽ eius quis enarrabit? hoc sensu: Tanta Christo nascetur soboles & posteritas ex hoc passionis beneficio, vt iam præ nimia multitudine nõ possit narrari vel numerari, tam erit immensa & copiosa.

Quia abscisus est &c.) Quia semen mortuũ fuit in terra, ideo non mansit solum: Hoc autẽ significat esse abscisum de terra viuentiũ: quia abscisus est Christ⁹, id est, mortuus est, ideo semen eius erit immensum, & generatio eius siue posteritas numerari nõ poterit.

Propter scelus populi &c.) Frequenter inculcat propheta hoc Christi beneficium, vt illius perpetuo simus memores ad gratiarũ actionem & consolationem.

Et dabit impios &c.) Impios generaliter intellige peccatores siue ex Iudæis siue ex gentibus, quomodo ad Rom. 5. Quid, cùm adhuc infirmi essemus, Christus pro impijs mortuus est. Illi inquã impij dantur hîc pro sepultura, quod figuratè dictum est, simpliciter aũt ita dixisset: ipse lucrifaciet deo patri peccatores moriẽdo: quotquot erũt peccatores & recipiẽt Christũ, illos lucrifaciet patri.

Et diuites pro morte sua) Vide psal. 21. Manducauerũt omnes pingues terræ, & vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Et apud hunc prophetam: Reges nutritij tui erunt. Tales sunt hic diuites, huiusmodi ergo diuites, id est, præstãtes, Reges terræ morte sua Christus lucrifaciet patri suo.

Eò quòd iniquitatem non fecerit &c.) Vide D. August. in libro, vbi refellit articulos falsò sibi impositos, in respõsione ad primum articulum: Et lib. 13. de trinit. cap. 15. vbi sic habet: Sanguis Christi, quia ei⁹ erat qui nullũ omnino habuit peccatũ ad remissionẽ nostrorũ effusus est peccatorũ, vt quia eos diabolus meritò tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum meritò dimitteret, quẽ nulli⁹ peccati reum pœna mortis affecit. Ex quib⁹ Aug. verbis facilè intelligitur consequentia huius prophetiæ.

Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.

Si posuerit pro peccato animam &c.) Vox Hebræa non solùm significat peccatum, sed etiam oblationẽ pro peccato. Sic frequenter accipitur in Leuitico, vt cap. 5. cap. 6. rursus cap. 7. Hæc quoq; est lex delicti, id est, hostię pro delicto. Et mox: Vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & delictum, id est, victima pro delicto. In qua significatione etiam voce Latina vsus est Paul⁹ in posteriori epist. ad Corinth. cap. 5. cùm ait: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Sensus ergo huius loci est: Si ipse se sacrificauerit seu obtulerit se hostiam pro peccato, videbit semẽ longæuum. Vide psal. 21. Anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ei, annunciabitur Domino generatio ventura &c. Præpositio autem (pro) non est in Hebræo: ad verbum enim habetur, Si posuerit peccatum animam suam.

Pro eo quod laborauit &c.) Iterum inculcat passionem Christi ad maiorẽ vehementiam & memoriam. *Videbit & saturabitur*) id est, continget illi quod voluerit ipse: Sitiuit peccatorum salutẽ, continget illi: videbit ecclesias in toto terrarum orbe cõsurgere, & gentes relictis idolis amplecti Euangelium. Si quis posset sentire quàm fuerit cordi Christo eunti ad passionem salus omnium impiorum, tunc facilè intelligeret quid sit quod hîc dicitur, Laborauit & saturabitur.

In scientia sua) id est, adferendo Euangelium. Euangelium enim vocat scientiam. *Iustificabit ipse iustus*) Istud scilicet iustus, est proprium epitheton Christi frequens in Actis Apostolorũ. *Seruus meus multos*) id est, omnes qui præbebũt se dociles, qui obtemperabunt Euangelio. *Et iniquitates eorũ ipse portabit*) id est eorũ peccata ipse luet in carne sua, & satisfaciet pro eis: quicquid debuit dependi patri offenso secundum rigorẽ iustitiæ, id Christ⁹ dependit, siue id pertineat ad culpam siue ad pœnã: Pœna Christi par erat ad compensandam patris plenam iustitiam. Quare autem dictũ sit, Iniquitates multorum portabit, & mox, peccata multorũ tulit, cum pro totius mundi peccatis plenissimè Christus satisfecerit, suprà annotatum est.

Ideo dispertiã &c.) Ideo, hoc est, quia Christus cùm iustus esset, pro impijs in mortẽ animam suam tradidit: ideo dispertiam ei plurimos, non ex Iudæis solùm, sed etiam ex gentibus omnes omnino qui in ipsum creditури sunt. *Et fortium diuidet spolia*) id est, prædã diaboli, siue spolia dæmonũ ipse diripiet & tradet ac diuidet Apostolis suis: Petro, Iacobo, Ioanni dabit populũ circumcisionis. Paulo gentes inter Iernsalẽ & Illyricum positas: Apostolo Thomæ Indos, & sic de reliquis.

CAPVT LIIII.

Lauda sterilis quæ nõ paris, decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata locũ tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas, fõnes tuos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad lęuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Sapien 3. c. Luc 23. d Gal 4. d

Lauda sterilis quæ non paris &c.) Caput istud, quemadmodũ & præcedens, facile est: quando constat quæ sit persona, de qua vaticinatur Esaias. Quantum autẽ ad hoc caput attinet, ex epist. Pauli ad Gala. persona satis certa est. Inducit enim propheta quasi duas respublicas, seu duos hominum cœtus cum quorũ altero felicissimè agitur, cum altero verò pessimè. Hos autem duos cœtus proponit sub nominibus duarum mulierũ, quarũ altera est sterilis & solitaria sine viro: altera verò multa prole fœcũda & maritata. Iuxta Paulum autẽ in epist. ad Gal. 4. certum est hunc cœtũ cum quo bene agitur esse illũ qui beneficio Christi liberat⁹ est à seruitute legis Mosaicę, siue qui Christũ in propria venientẽ recepit: alium verò cœtum cum quo male agitur esse illũ, qui adhuc cõtinetur iugo seruitutis legis Mosaicæ. Porrò cœt⁹ recipien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pientium Christũ in propria venientẽ, complectitur duos populos, Iudæos videlicet & gentiles. Quatenus autẽ cõplectitur gentiles sterilis est, ꝓpterea quòd ante natũ Christũ nõ pariebat fœtũ suos Deo, sed diabolo.

Quod ergo dicit: *Laudasterilis &c.*) hunc habet sensum: Laudate Dominũ quicunq; venientẽ Christũ recipietis per fidẽ, & agnoscetis: hactenus vos gentiles celebrastis Iouẽ, Mercurium & cæteros, posthac vtemini meliorib⁹ hymnis. Deinde omissa illa metapho ra mulieris infœcundæ, eidem cœtui tribuit aliud metaphoræ nomen scilicet Desertæ, dicens: *Quoniam multi filij desertæ magis &c.* & bene quidem deserta, quia Deus passus erat tot milia hominũ gentilium perire. Hæc ergo mulier deserta habitura est plures filios, quàm ea quæ erat maritata, id est, Iudæorum synagoga. Maritus autẽ synagogæ iuxta scripturarum consuetudinem Deus erat, quem gentiles non cognouerãt. Si verò maritus synagogæ intelligatur lex Moysi iuxta Apostolum Paulum in epist. ad Rom. 7. Mortificati estis legi per corpus Christi, id est, desijstis esse obnoxij legi Moysi: Tunc cœtus credentium Christo nato est immaritatus quatenus gentiles cõplectitur, quia non habent legem, & quatenus Iudęos complectitur desistit habere maritum, quia Paulus, Petrus & similes per Christi beneficium reliquerant legẽ Moysi & erant iam sine viro. Hæc si bene concipiantur, omnino facilia sunt: si etiã non, maximæ erunt difficultates. Hoc autẽ imprimis diligenter aduertendũ est, Christi cœtum vtrumq; complecti populum & gentilium & Iudæorum. Quod autem ad grammaticam attinet & lectionem: Hebręa hodie ita habent, Lauda sterilis quæ non peperit.

Decanta laudẽ & hinni) Hinnitum posuit vt significaret magnitudinem gaudij. Metaphora autem desumpta est ab equis ad victoriam gestientibus. *Quæ non pariebas*) siue vt Hiero. habet in contextu suo, quæ nõ parturiebas. Rursus est præteritum tertiæ personæ apud Hebræos, quæ non parturiuit. Deserta hoc loco nomẽ est, quod non habet naturã verbi significans desolatã, mulierem viro carentẽ. Quasi dicas: Quoniã multi filij magis, id est, plures filij mulieris viro carentis, mulieris innuptæ, immaritatæ, solitariæ &c.

Dilata locum tentorij tui) Ex Paulo vt diximus, certum est prophetã ista dicere de cœtu credentium nato Christo, & liberatorũ per ipsum à seruitute legis. Significat autem his verbis Ecclesiã futuram amplissimã & quotaphora aurem sumpta est ab ijs, qui in bello siue alioqui in campis vtuntur tentorijs. Clauos autem vocat paxillos, quibus firmatur tentorium ne ventorum flatib⁹ dissoluatur.

Ad dexteram enim & ad leuã penetrabis) Id est, quoquo versus penetrabis & dilataberis licet iam sis paruus cœtus, & semen tuum, id est, soboles tua gentes hęreditabit etiam longissimè dissitas, & ciuitates desertas inhabitabit. Ante natum Christum Italia tota desolata erat, Gallia deserta erat & destituta Dei cultu & vera religione: has regiones & earum ciuitates nunc inhabitant Christiani: hoc prædicitur hîc futurum.

Noli timere, quia non confunderis, neq; erubescęs. Non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscęris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, et redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. Quia vt mulierem derelictam, et mœrentem spiritu, vocauit te Dominus & vxorẽ ab adolescentia abiectam.

Noli timere quia &c.) Istud dicitur illi parti cœtui Christianorum priorum, idẽ & nobis hodie dicitur, qui in Christum credimus: Etsi multi studeant vos confundere, siue caro, siue mundus, siue diabolus, siue Turca aliquis, siue hæreticus, nõ tamen fiet, confidite, ego vici mundum, diabolum &c. Expertis tentationem horribile est cogitare quantum possit in homine caro, mundus, diabolus, & propterea in nobis habemus vn de vehementer timeamus, freti tamen Christo non confundemur, quia spiritus ipsius adiuuat infirmitatem nostram. Hoc autem considerans propheta Dauid, In te Domine ait speraui, non confundar in æternum.

Non enim te pudebit &c.) Adolescẽtia gentilitatis fuit ab Abraham vsq; ad Christum, quę erat turpissima, & illis vitijs obnoxia, de quibus Apostolus Paulus in epist. ad Rom. cap. 1. & in alijs epistolis. Illorum autem vitiorum iam prorsus obliuiscetur & extendet se ad interiora adeoq; meliora: hoc curabit diligenter ne rursum fiat quod antè fuit.

Et opprobrij viduitatis &c.) Hoc loco difficultas est in voce viduitatis, quomodo gentes recipi possint vt viduæ, quis fuerit earũ maritus. Diuus autẽ Hiero. maritum earum facit legem naturalem, sed quam abiecerunt ab eo tempore quo cœperunt seruire idolis, & obscuratum est insipiens cor earum. Sed videndũ est an hoc habeat consuetudo scripturæ. Si autem respiciamus cœtum credentium siue Ecclesiam Christi ex ea parte qua complectitur Iudæos, iam facilis est intellectus: Vnde suprà annotauimus multũ referre, an cœtus hîc credentiũ Christo complectatur vtrumq; populum, an solùm Ecclesiã gentilium. Si itaq; cum D. Hieronymo cœtum credentium accipiamus ex ea parte qua gentiles complectitur, & non placeat expositio Hierony. de lege naturali, tunc in voce viduitatis agnoscere oportet catachresin, vt gentilitas vidua dicatur non quæ aliquando maritata fuerit & viro coniuncta, sed simpliciter innupta & immaritata.

Quia dominabitur tui, qui fecit te) id est, maritabit te qui fecit te, hoc est, Tu quæ hactenus fuisti innupta & immaritata, habebis virum tuum illum, qui fecit te. *Quia vt mulierẽ derelictã, & mœrentem spiritu vocauit te Dominus*) id est, Deus voluit tibi istud nomẽ esse, Mulier derelicta, antequã recepisses venientem in propria, eras mulier derelicta. Quod autem sequitur, *Vxorem ab adolescentia abiectam*, facit prò expositione Hieronymi, qui gentibus tribuit maritum.

Dixit Deus tuus, Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momẽto indignationis abscondi faciem meã parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Dixit redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas diluuij vltra supra terrã, sic iurau, vt non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent. Misericordia aũt mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nõ mouebitur.

Ad punctum &c.) Hoc loco eadẽ difficultas est Iudæis & Christianis. Iudæi autẽ, qui referunt hæc ad tempora Titi & Vespasiani, cõputant annos viduitatis suę accepto libello repudij, annos iam mille quingẽtos. Ex quib⁹ dum quæritur, quomodo ergo ad punctũ & in modico sint derelicti? Respondent quòd ad comparationẽ æternitatis totum hoc tempus paruum momentũ sit. Eodem modo cogimur & nos Christiani interpretari, quia cœtus hic credentium Christo nato multis annis fuit derelictus, scilicet à tempore Abrahæ vsq; ad Christũ. Sensus ergo est: Cũ recesseris in prima tua adolescentia à me ad idola, toto illo spacio, quod fuit inter Abrahã & Christum, derelicta fuisti & vidua: hoc tamẽ spacium computo tantum momẽtum, & reuera est tantum momentũ: quia posthac in ęternum mihi coniungeris, eris posthac vxor perpetua semper Christo coniuncta, nõ quidem merito tuo, sed mea clementia & miseratione.

In momento indignationis &c.) Idẽ repetit & inculcat vt hinc concipiam⁹ spem. Quod autem sequitur, *Sicut in diebus Noe istud mihi est &c.* hunc habet sensum: Quomodo propter hominum peccata inducto in mundum diluuio iurauí Noe nequaquam terris inducendum esse vltrà diluuium, & sponsio mea huc vsq; seruata est, nec vnquam irrita fiet: Sic iurauí Ecclesię meæ, nequaquam me iratum his fore, quorũ semel misertus sum: *Montes enim commouebuntur &c.*) id est, facilius mouebũtur montes & colles, quàm mea sententia cõmouebitur, quàm misericordia mea & fœd⁹, quo mihi recõciliatus est mundus, irrita fiãt. Hęc supra modũ expendenda sunt, & pinde expetenda, vnde multũ refert ad quos hæc pertineant: Pertinent aũt ad cœtũ credentiũ Christo & ipsum recipientiũ.

Dixit miserator tuus Dominus. Paupercula tempestate conuulsa, absq; vlla consolatione, ecce ego sternam per ordinẽ lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidẽ propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis, & in iustitia fundaberis.

Paupercula tempestate conuulsa) Adhuc loquitur ad Ecclesiã ex vtroq; populo congregatam, quam pauperculã vocat, quia antequam reciperet Christum, verè paupercula erat & tempestate conuulsa, quia inter varios idolorum errores sine ductore fluctuabat, & sine cõsolatione, quia nullus Moyses aut propheta, nullus ei consolator contigerat. Quod autẽ dicit, Ecce ego, emphasim habet, hoc sensu: Non Moyses, sed ego ipse fundabo te, ipse descẽdam, & ædificabo mihi in terris cœlestem Hierusalẽ. De lapidibus istis, quorum quia aliæ & alię sunt proprietates, à commẽtarijs varia traditur expositio, sed nihil in eis certi est, non tamen temerè reijcere licet, quia à grauibus authorib⁹ proponuntur. Id tamen vnum hoc loco certum est, in genere nomine certarum specierum per synecdochen intelligi vniuersitatẽ gratiarum: Sed quæ gratia hoc vel illo lapide significetur, hoc non itidẽ certum est. Hieron. autem per sapphirum, qui cœli habet similitudinẽ & supra nos aeris, intelligit eos qui tales sunt vt possint illud Aristophanis dicere cum Socrate: Scando aerẽ, solemq; despicio. Fũdabo ergo te in sapphiris, id est, in apostolis, qui terrena omnia contemnentes, conuersationem suam in cœlis habebunt. Per iaspidem verò, quo lapide omnia phantasmata fugari autumant, intelligit viros eruditione præclarissimos, qui possunt omnem altitudinẽ eleuantem se contra scientiã Dei destruere atq; conuincere, & mendacium subijcere veritati: Huiusmodi viri erũt propugnatores tui. Deinde per lapides sculptos, siue (vt Septuaginta verterunt) lapides crystallos, quibus nihil est purius, intelligit eos qui fidei sunt purissimæ: Hi erunt in foribus tuis, hoc est, propositi tui seu prælati. Per lapides denique desiderabiles intelligit reliquos lapides, id est, reliqua charismata spiritus. *Sapphirus.* *Iaspis.*

Vniuersos filios tuos doctos à Domino) Hic est locus Euangelicus ad gratiã Christi pertinens. Doctos hoc loco non est participiũ, sed nomen formæ, quale apud nos est eruditus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditus. Et ad verbũ est, doctos Domini, quod Septuaginta dixerunt διδακτους θεοῦ, quæ verba etiã habet Iohannes cap. 7. citans hoc prophetæ testimonium. Et Paulus Apostolus prioris ad Thes. cap. 4. nisi quod pro duabus istis dictionibus vnam compositã ipse faciat, dicens: Ipsi enim vos estis θεοδίδακτοι. Hiero. verò in commentarijs vertit discipulos Domini. Qui autem sint docti Dei, siue docti à Deo, insigniter explicat D. Augustinus contra Pelagiũ & Cœlestinum lib. 1. de gratia Christi cap. 12. 13. & 14. Sunt autem illi qui acceperunt gratiã, id est, in quorum mentibus venit spiritus charitatis, & duce charitate omnia faciunt. Vnde Paulus cùm dixisset ad Thessalonicenses de charitate fraternitatis, Nõ habemus necesse scribere vobis, ipsi enim vos à Domino didicistis, vt diligatis inuicem, vt autẽ probaret eos à Deo didicisse, subiunxit: etenim illud facitis in omnes fratres. Sic apud Ioan. 7. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Erit ergo cœtus credentiũ Christo, id est, illi qui secundum propositum vocati sunt sancti, hoc modo docti à Domino. Qui verò noluerunt quid fieri debeat, & non faciunt, illi non sunt docti à Domino.

Qui dicantur theodidacti siue docti à Domino.

Et multitudinem pacis) De pace hac vide in præcedentibus, cap. 9. & 12. Pax autem hæc de qua loquitur propheta, est pax spiritus, quæ fita est in consolatione cõscientiarum. *Et in iustitia fundaberis*) Istud est interpretatio superioris sententiæ, explicans qui sint lapides de quibus locutus est.

Recede procul à calumnia, quia nõ timebis, & à pauore, quia nõ appropinquabit tibi. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. Ecce ego creaui fabrum iuflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suũ, & ego creaui interfectorem ad disperdendũ. Omne vas quod fictũ est, contra te non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi, in iudicio iudicabis. Hæc est hæreditas seruorum Domini, & iustitia eorum apud me, dicit Dominus.

Recede procul à calumnia) D. Hiero. accipit istud tanquã mandatum, vt sensus sit: Ne facias calumniam seu iniquitatẽ. Sed sequentia indicant potius esse vaticinium, hoc sensu: Recede procul à calumnia, id est, ille magnus calumniator diabolus cũ toto corpore suo nihil in te virium habebit, sicut alibi de Christo legitur: Et humiliauit calumniatorem, id est, diabolum. Ab huius ergo calumnia cui hactenus fuisti obnoxia, iã procul eris, similiter & à pauore: nã Christo fretus eris boni animi, siue erit viuendum, siue moriendum, eris paratus ad omnia. Qui autẽ hoc modo nondum affecti sunt, & adhuc habent pauores humanos, nõ sunt docti à Deo, nec pertinent ad hunc cœtum integrè, pertinent tamen: & hi orare debent & assiduis precibus ambire spiritum Christi, per quem diffundatur charitas, quæ expellit timorem, illum inquam timorẽ qui pœnam habet, qualis est omnis timor inordinatus.

Ecce accola veniet) hoc est, Gentilis homo, qui alienus erat à me, & sine Deo in hoc mundo, veniet. *Aduena quondam tuus*) qui non erat de populo tuo adiungetur tibi per fidẽ, & ascribetur populo tuo, secundum illud Psalmi: Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea?

Ecce ego creaui fabrum &c.) Periphrasis est diaboli, ipse est faber iste qui in igne sufflat prunas, id est, incendia suscitat. Ne autẽ hic erremus adhibendus est commentarius D. Hiero. qui sic habet: Ego creaui diabolum omnium malorum artificem nõ necessitate naturæ, sed mentis arbitrio. Non ergo malus ipse creatus est. *Et proferentẽ vas in opus suũ*) qualia vasa fuerunt Simon & Elimas Magi Petro & Paulo resistentes: qualia vasa sunt etiam hodie hæretici omnes. Dicit ergo Dominus ad cœtũ credentium: Non te deijciat potentia diaboli, nõ est quòd timeas ab eo, quia ipse est creatura mea, ipse in manu mea est. Eiusdem diaboli periphrasis est, quod sequitur, *Interfectorem ad disperdendum*, hoc est quod dicit in Euangelio Saluator: Ille homicida erat ab initio.

Omne vas quod fictum est &c.) Istud hunc habet sensum: Quidquid ille molietur per vasa sua siue per malos homines, contra te, non habebit successum. Quæ autem sint vasa diaboli, sequenti sermone ipse propheta demonstrat, cùm ait: *Et omnem linguam resistentem tibi, in iudicio iudicabis*) hoc est, cunctos hæreticorum principes, & Iudæorum magistros, & mundi Philosophos, quos sæpe ille conflauerat, tuo iudicio condemnabis, perdens sapientiam sapientum.

Hæc est hæreditas seruorum Domini) Sensus est: Istud ego statui dare meis, vt in me vincant, hæc est iustitia eorum apud me.

CAPVT LV.

Omnes sitientes, venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absq; argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.

Omnes sitientes venite ad aquas) Est perpetuũ vaticiniũ de Christo. Proposuit inquit propheta in præcedentib⁹ Christum saluatorẽ & redẽptorẽ in sanguine suo, nũc supereſt vt agnoscatis eum & recipiatis. Quicunq; ergo sititis salutem vestram, venite ad aquas illas, de quibus superiori capite multis verbis disserui. Cum hoc autem loco conferte illum, qui est apud Iohannem cap. 7. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus & clamabat, dicens: Si quis sitit veniat ad me & bibat: qui credit in me quemadmodũ dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autẽ dixit de spiritu, quem accepturi erãt credentes in eum. Item cum illo loco qui est apud Matthæum 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Istud idem enim Euangelium quod illis locis proponit Saluator, hic ab Esaia proponitur. Quicunque inquit sititis iustitiam, quæ ex Deo est, & veram sapientiam, venite ad aquas. Quid autem sit istud sitire, explicat Augustinus in lib. de doct. Christ. cap. 7. Quicunq; videt se longissimè abesse ab his quæ proponuntur in scripturis, siue ea spectent ad charitatem, siue ad obedientiam, siue ad humilitatem, & cogitare incipit de mortalitate & iudicio futuro, non potest non vehementer cõcuti timore, modo verè credat iudicium Dei. Atq; hic timor inquit & illa pietas, qua non potest nisi credere, & credere authoritati librorũ sanctorũ, cogunt eum seipsum lugere. Nã ista scientia bonæ spei, hominem se non iactantem, sed lamentantẽ facit. Deinde explicat quo affectu, sedulis precibus impetret consolationẽ diuini adiutorij, ne desperatione frangatur, hoc est, quo nõ ita terreatur Dei iudicio, vt non magis consoletur auxilio Dei in scripturis, ppposito. Qui ergo hoc modo afficiuntur, videlicet timore, quo timent Dei iudicium, & pietate qua firma fide recipiunt ea quæ proponuntur in scripturis, veniant ad aquas: hoc est, quicunque agnoscunt se verè peccatores & filios gehennæ, ac vehemẽter cupiunt liberari à peccatis atq; gehenna, veniant ad Christũ. Sed dicit Christus in euãgelio apud Iohannem cap. 6. Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum. Quare ex illo loco apud Ioannem, & hoc loco qui nunc in manibus est, intelligimus gratiam & liberum arbitrium. Si enim opus non esset gratia Dei, non esset opus tractu: Et si non esset liberum arbitrium, frustra inuitaret nos propheta vt veniremus, dicens: Omnes sitientes venite ad aquas, hoc est, ad illum spiritum Euangelicum, quemadmodũ explicauit aquas Saluator, ca. 7. apud Ioan. vel generaliter ad omnia dona, quæ proposita sunt nobis in Christo.

Et qui non habetis argentum properate) Capite 52. cùm dicitur, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini, dictũ est in voce argenti synecdochen esse, seu speciẽ poni pro toto genere, sic & hoc loco. Sensus est: Qui nõ habetis vllũ preciũ, properate. Iam preciũ habet metaphorã meriti. Istud enim dicere vult, ppheta: Qui nõ habetis vlla merita bonæ vitæ, id est, qui hactenus pessimè vixistis, properate, nihil oberit vita mala præterita, tantũ venite. Venimus aũt ad Christũ & aquas istas nõ gressibus corporis, sed passibus animi, hoc est, fide & pijs desiderijs. Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 10. ostendit sine vllis bonis meritis nostris imò & præcedentibus malis meritis nostris Christum indebita largitate dona sua conferre. Eodẽ loco docet Augustinus, quòd postquam incorporati sum⁹ Christo, tũ sequuntur bona merita, pro quib⁹ datur vita æterna. Vt enim fides ait, qua scilicet credimus in Christum, & venimus ad Christum, per dilectionẽ operetur, Dei donum est: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Datus est aũt post Christi in cœlum ascensionẽ, sicut scriptum est: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Hæc dona inquit sunt merita nostra, quib⁹ ad summũ immortalitatis bonum & beatitudinẽ peruenimus.

Quomodo venimus ad Christum.

Venite emite absq; argento) Hoc loco catachresis est. Voce enim illa (emite) abusus est, quia non emimus nisi precio. Vide cap. 52. vbi dicitur, Gratis venundati estis. Sensus est: Continget vobis remissio peccatorũ gratis, credentibus in eum qui iustificat impiũ, & pœnitentibus vitæ malæ actæ. His enim modis venimus, fide nimirũ & pœnitentia: Et quamuis fide & pœnitentia impetremus remissionem peccatorum, non tamen meremur propriè. Possit tamẽ verbũ (emite) propriè sumi, hoc modo: Emite sed precio alieno scilicet sanguine Christi vinum & lac.

Vinum & lac) Duabus istis speciebus aut intelligitur totum genus illius cibi, quo alimur in Christo ad vitam æternã, aut vinum habet tropum illius cibi, qui est grandiũ in Christo, de quo Apostolus 1. ad Cor. 2. Sapientiã loquimur inter perfectos &c. Et lac habet tropũ illius cibi, qui est paruulorum in Christo, de quo idem eiusdẽ epistolæ cap. 3. & ad Hebræos cap. 5. Lac vobis opus est.

Quare appenditis argentũ, non in panibus, & laborem vestrũ non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite, & viuet anima vestra. Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles.

Quare appenditis argentũ? &c.) Sicut Latini pendere deflectunt à naturali sua significatione ad aliã non naturalẽ, quæ est soluere: Ita & Hebræi vocabulũ suũ flexerũt ad soluendũ. De voce aũt Latina vide in dictionarijs latinis. Simpliciter aũt hoc modo dixisset

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixisset propheta: Quare operá vestram insumitis in illis rebus, quæ nõ possunt valere ad remissionem peccatorum, ad salutem, ad vitã æternã? quare omne studiũ impenditis in legendo Cicerone? in euoluendo Platone? in perdiscendis Philosophorum placitis, quorum scripta non possunt explere legentis animum? Quare magnis precijs & labore assiduo comparare vobis studetis eas scientias, in quibus non sunt panes, & sudatis in illis in quibus nulla est saturitas sacris literis relictis? Generaliter autem reprehendit eos, qui impendunt laborem in rebus ad salutem non valituris.

Audite audientes me) Subaudiri hic debet particula aduersatiua, hoc modo: Quin potius audite me, & comedite bonum. Est heterosis numeri, bonum pro bonis: Comedite vera bona, quæ docentur & dantur per eum, qui est solus & verè bonus. Reliqua autem omnia relinquunt studiosos suos famelicos omnibus Philosophicis suis. Non potest Aristoteles aut Plato explere animũ hominis, nec quiduis aliud humanum: sed verbum Dei non vitiatum, creditũ, & præmansum ab Ecclesia, hoc facit.

Et delectabitur &c.) Istud partim hîc impletur, plenissimè verò in futura vita: Hoc adipe & hac pinguedine plena erat anima sancti Francisci: item anima sancti Bernardi: pleni sunt & filij Ecclesiæ: qui autem foris sunt, vacui sunt, nullus Bucerus, nullus Lutherus, aut Lutheranus experitur quod hîc dicitur: Et delectabitur in crassitudine anima vestra &c.

Inclinate aurem vestram &c.) Valde diligenter inculcat, & alijs atq; alijs verbis idem repetit: vnde intelligitur magnum desiderium Dei ad iuuandum nos: Quare præbeamus nos illius desiderio.

Et viuet anima vestra) illa nimirum vita, quæ scripturarum propria est, de qua Paulus in epistola ad Rom. cap. 8. Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax. Et rursus: Corpus mortuũ est propter peccatum, spiritus viuit propter iustificationem.

Et feriam vobiscum pactum sempiternum) Id est, secundum expositionem Hieronymi, Feriam vobiscum pactum non breuis temporis, vt erat Iudæorum, sed sempiternum & in perpetuum duraturum. De hoc pacto apertius Paulus in epistola ad Hebræos capite 8. & 31. Ieremias: Ecce dies venient &c. Quod autem sequitur, *Misericordias Dauid fideles*, interpretatio est huius pacti sempiterni, hoc sensu: Quod tam magnificè promissum est Dauidi, & misericorditer promissum est, hoc ego iam præstabo. Misericordiæ autem, de quibus hîc sermo est, describuntur psal. 88. qui psalmus egregium habet vaticinium æterni & noui huius testamenti siue pacti. Ad cuius psalmi verba variè etiam hîc alludit propheta. Primum in nomine, Misericordias: Nam dicitur ibi, Misericordias Domini cantabo. Deinde in fide siue veritate: nam dicitur ibi, In generatione & generationem annunciabo veritatem tuam, scilicet promissionum. Hoc ipsum vocabulum veritatis est, & hoc loco apud Esaiam Hebræum, quasi dicat propheta: Misericordias & fidem siue veritatem, quæ sunt in illo psalmo, ego iam præstabo. Item alluditur in voce, pactum. Dicitur enim in psalmo illo: Disposui testamentum electis meis. Et pro testamento Hebræis est ברית berith, quæ vox etiam hoc loco ponitur apud Esaiam. Rursum allusio est in voce, Dauid. Postremo in voce, Sempiternum. Nam dicitur ibi, In æternum misericordia ædificabitur, siue (vt Hieronymus vertit) sempiterna misericordia ædificabitur. Dauid autẽ hoc loco accipi potest, vel ille qui defunctus est filius Iiai seu Gessæ, vel ille rex Dauid qui adhuc viuit nimirum Christus: vt intelligamus misericordias promissas, aut defuncto Dauid, aut Dauidi figurati nominis seu Christo: Quemadmodum sumitur in Ozee cap. 3. cùm dicitur: Et quærent Dominum Deum suum & Regem suum Dauid, id est, Christum. Et apud Ezech. cap. 34. Suscitabo vobis pastorẽ vnum seruum meum Dauid, id est, Christũ. Nã dicta sunt hæc per multa secula iam dormiente Dauid. Quod autem ad lectionem attinet, nonnulla exemplaria hoc loco habent in singulari numero, Fidelis, vt referatur ad Dauid. Quo modo etiam legisse videtur D. Hieron. nam expositio eius sic habet: Qui idcirco appellatur fidelis, quia promissa compleuit. Verùm Hebræi in plurali habent, Fideles, & sic quoq; habet textus Hieronymi additus commentarijs. Item textus Haymonis: & pluraliter interpretatur Dionysius: Lyra quoq; affirmat libros correctiores sic habere: Septuaginta deniq; pluraliter habent. Quare videndum est, anne legendum sit in expositione Hierony. dicta, hoc modo: Quæ idcirco appellãtur fideles, quia promissa compleuerunt. Si autem non est mendum in commentarijs Hiero. sed vertit quomodo hodie eius habet expositio, dicendum est intellexisse ipsum (cùm peritissimus fuerit linguæ Hebreæ) numerum pluralem positum loco singularis, quæ phrasis Hebræis est familiaris. Nam apud Ezech. capite 46. pro eo quod nostra versio habet, Vitulum de armento immaculatũ, ad verbum in Hebræo est, Vitulum filium bouis immaculatos, vbi apertè pluralis adiungitur termino singulari, immaculatos pro immaculatum.

latum. Sic apud hunc, pphetam ca. 42. Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos & extendentes eos, p extendens eos. Et ita quamuis Hebraicè legeretur pluraliter, potuit tamen Hier. vertisse, fidelis, singulariter, secutꝰ illũ Hebraismũ: sensus tamen magis pertinet ad promissiones fideles quàm Dauidis fidelis.

Ecce testẽ populis dedi eum, ducem, ac præceptorẽ gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis, & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificauit te.

Ecce testẽ populis etc.) Ex hac particula patet, quod Dauid in superioribus pertine at potius ad Christũ, & non & alterum Dauidem veteris testamẽti Regem, hoc sensu: Dedi eum scilicet Dauidem non quidem prorij nominis, sed figurati, hoc est, Christum testem populis. Quod interpretatur Hieronymus de populis nationum. Verùm vox Hebræa magis pertinet ad quosuis populos, vt complectatur tam Iudæos quàm Gentiles. Sic Genesis. 27. Seruiant tibi populi, id est, vniuersi. Rursus psal. 7. Synagoga populorum circundabit te, vbi ad literam etiam de Hebræis loquitur.

Ducem ac præceptorem Gentibus) id est, præcipientem ac mandantem gentibus. Hoc loco in Hebræo eadem vox est, quæ ibi cùm dicitur: Testem populis.

Ecce gentem, quam nesciebas) Vox hoc loco posita in Hebræo propria est gentibus: Est enim גוים goijm, quare ad nos hæc pertinent. Sensus est: Ecce tu Dauid, id est, tu Christe vocabis gentem tuam, quam antea nesciebas, id est, quam non habebas pro gente tua & populo tuo. *Et gentes quæ te non cognouerunt*) Hæc intelliguntur ex capite 52. in cuius fine dicitur: Quibus non est narratum de eo, viderunt.

Propter Dominum &c.) Eodem modo locutus est Paulus in epistola ad Ephesios capite primo, cùm ait: Deus Domini nostri Iesu Christi. Et intelligitur hoc secundum humanam naturam Christi. *Quia glorificauit te*) De isto vide euangelium Ioannis capite 17. vbi dicitur: Et clarificaui, & iterum clarificabo eum.

Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti & panem comedenti, sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Quærite Dominum &c.) Iuxta Hierony. propheta monet populum sui temporis, hoc sensu: Moneo vos populares meos atque contestor dum tempus est agite pœnitentiam, quærite Dominum dum estis in corpore, dum datur locus pœnitentiæ, quærite inquam non loco sed fide. Sic Hierony. Potest tamen idem pertinere ad multo pòst futuros, quale est illud in cap. 49. In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui &c. quod interpretans apostolus in post. epist. ad Corinth. 9. Ecce nunc ait tempus acceptabile &c. Quasi dicat propheta: Qui iam viuitis & postea nascemini, attendite diligenter ad tempus illud placabile, ad diem illum salutis, id est, ad diem Christi, ne vos fallat neue prætereat, studete vos facere participes misericordiarum in Christo promissarum: neque hoc quempiã retardet, quod sibi conscius sit multorum peccatorum, tantũ relinquat antiqua peccata, & per veram pœnitentiã cõuertatur ad Dominum, & particeps erit huius beneficij & misericordiarum in Christo promissarũ quantumuis antè magnus peccator, & hoc est quod ait: Derelinquat impius viam suam &c.

Non enim cogitationes meæ &c.) Nemo inquit diffidat, p missis meis, vel incredulꝰ sit, quòd post tãta scelera impius tã repentè saluatur: nõ enim cogitationes meæ cogitationes vestræ. Cogitationes aũt vocat consilia & voluntates, & refert Hier. ad voluntatem saluandi. Sensus est: Quod iam inde ab Adã lapso promisi Ecclesiæ, quod iam inde ab initio statui saluare genus humanum, quod decreui in filio meo dare remissionem peccatorum omnibus credentibus & pœnitentiã agentibus, hęc mea consilia, promissa & decreta non sunt instabilia, sed certa sunt, firma, & perpetua: Vos vt homines promissi sæpe pœnitentes veterẽ nouella voluntate subuertitis, at ego non ita.

Quia sicut exaltãtur cœli à terra &c.) Vultis inquit scire diuersitatem mei vestriq; consilij, aduertite: Quantum loci cœlum distat à terra, tantum meę cogitationes à vestris seperantur. Addit & aliam similitudinem eodem pertinentem, dicens: Et quomodo descẽdit imber &c. Sic erit verbum meum &c. Loquitur autem de verbo promissionis suę, illud nõ reuertetur ad me vacuum, id est, irritum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritum non erit, sed opere complebitur, certò futurum est quod tam magnificè promisi de futuro Messia, de misericordia in ipso exhibenda credentibus & pœnitentibus.

QVia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini. Montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliuncula ascendet abies, et pro vrtica crescet myrtus. Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

QVia in lætitia egrediemini) non è Babylone, sed secundum verum sensum & consequentiam misericordiarum siue harũ promissionum, egrediemini inquam de lacu in quo non est aqua, id est, ex inferno inferiori, id est, ex laqueis diaboli, & in pace deducemini, quia cõtinget vobis gratia & pax in hac vita à Deo, quæ gratia deducet vos in cœlestem patriam.

Montes & colles cantabunt &c.) Significat magnam eorum felicitatem, qui recipiunt Christum in propria venientem, omnia congratulabuntur eis, montes, colles, &c. *Pro saliuncula ascendet abies &c.*) Hoc sine metaphora dixisset: pro malis erunt bona, & pro vitijs nascentur virtutes: Antequam essetis insiti Christo, passiones peccatorum operabantur in vobis & membris vestris illa etiã quæ turpe est dicere: postquam verò eritis insiti Christo, peccatum definet illa operari in vobis: pro illis nascentur longè alia & meliora, scilicet pœnitentia, admiratio Dei, pax & gaudium in spiritu sancto, pro iniquitate iustitia, pro luxuria temperantia &c.

Et erit Dominus nominatus &c.) Dionys. Lyra, Thomas accipiunt signum hoc loco quale est capite 11. huius prophetæ, vbi dicitur: In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum. Exponũt enim hoc modo: Dominus cuius nomen habebitur vbiq; celebre, erit in signum salutis, in quod ipsi electi omnes oculos suos conijcient. Sed sciendum est apud Esaiam Hebræum nõ esse hoc loco נס nes, quæ vox ponitur in capite vndecimo, de cuius significatione prolixè ibi dictum est: sed est נֵס oth, quæ significat tale signum, quale est in primo libro Regum capite secundo, cùm dicitur: Et hoc tibi signũ, vno die morientur ambo filij tui. Et in Genesi cap. 4. Posuit Dominus signũ in Cain, vbi apud Hebræos est נֵס oth, & de huiusmodi signo interpretatur locum hunc D. Hieronymus, cuius expositio sic habet: His qui de malo commutati fuerint in bonum, erit Dominus in nomen (Sic enim ad verbũ est in Hebræo) & in signum sempiternum: In nomen inquam, vt ex ipsius nomine appellentur Christiani: & in signum, vt crucis eius inurantur cauterio, quod non deficiet, nec vllo fine mutabitur. An autem istud intelligi possit de charactere, qui imprimitur nobis in baptismo & indelebilis est, expendat studiosus.

CAPVT LVI.

HAEc dicit Dominus. Custodite iudicium, & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea, vt veniat, & iustitia mea, vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud, Custodiens sabbatum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum.

HAEc dicit Dominus, custodite iudicium &c.) Conciohæc Esaiæ, similis est prædicationi Ioannis Baptistæ, cùm ait: Pœnitentiã agite, & appropinquabit regnũ cœlorũ. Monet siquidẽ vt præparẽt se aductui Christi, & loquitur non tantùm hominibus sui temporis, sed etiam multo pòst futuris, hoc sensu: Qui auditis me ista vaticinantem de Messia, vel qui postea lecturi estis apud me, & vultis vobis bene consulere, custodite iudicium & facite iustitiam, id est, præparate vos ad eius aduentum, præparate inquam custodiendo iudicium & faciendo iustitiã, hoc est, omnia illa præstando quæ pertinent ad vitam rectè agendam: alioquin regnum Dei in medio vestrum versabitur, & nõ prodesit vobis: ambulabit Messias inter vos, & non agnoscetis, nec recipietis. Vnde Ioannes in Euangelio cap. 3. post verba illa: Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem: assignãs causam huius, cur videlicet non receperint Christum in propria venientem, dicit: Erant enim opera eorum mala: vita mala facit vt nõ intelligamus scripturam & veritatem. Hinc apud eundem Euangelistam capite quinto ad Iudæos Saluator loquitur: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, nõ quæritis? Hæc est causa, quare tam multi hodie credunt hæreticis potius quàm Ecclesiæ & veritati, quia videlicet mala est ipsorum vita. Monet ergo Esaias auditores suos & lectores, vt præparent se Christo venturo, & modum præparandi præscribit, dicens: Custodite iudicium &c.

Quia iuxta est salus mea, & cætera.) Salus mea, id est, Christus promissus, & iustitia mea illa nimirum à qua dicor iustus, id est, verax in promissis, illa iam est in foribus. Quasi dicat: Ego promisi Christum meum & misericordiam in Christo omnibus pœnitentibus, exhibebo me iustũ, id est, fidelem

delem præstabo quod promisi, præstate etiam vos iustitiam, id est, vitæ integritatem, vt possitis agnoscere iustitiam meam. Ex his patet quòd aliter sumatur iustitia priori loco, dum hominibus tribuitur: & aliter posteriori loco, dum Deo tribuitur, quia posteriori loco accipitur pro fide & veritate.

Beatus vir qui facit hoc) id est, qui custodit iudicium, & facit iustitiam. Beati ergo qui hæc postea lecturi præparabunt se ad aduentum illius magni seminis nimirum Christi, vt non inueniat eos imparatos. Eadem autem hæc verba habes Psal. 150. Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. *Et filius hominis &c.*) Pro apprehendere Septuaginta interpretes habent verbum, quod significat mordicus tenere & amplecti, & hoc modo exponit Hieronymus hunc locum, dicens: Qui apprehendit vt non solum faciat quod præceptum est, sed stricta teneat manu: Vocabulo autem illi, quod habent Septuaginta, valde conuenit vox Hebræa huius loci, quia construitur cum beth adhæsionis, quomodo & aliàs fere construitur, quemadmodum videre est in thesauro linguæ sanctæ apud Pag. in voce hasph. Ad verbum aũt verteres Qui tenebit in hoc. Sẽsus est: Qui totus incũbet in hoc, vt ista præstet: cui vnicum studiũ erit, vt præparet se aduentui Saluatoris, custodiendo iudicium & faciendo iustitiam.

Custodiens sabbatum &c.) Dubium hîc est, an ex vna specie hac sabbati totam legem Moysi intellexerit, vt ad totius legis obseruationem, dum exspectatur Messias, illius temporis auditores moneat propheta: an potius intellexerit sabbatum spirituale non Mosaicum, id est, otium & quietem à vitijs, quod verisimile est, non solùm quia sic interpretantur commentarij, sed etiam quia sequitur: *Custodiens manus suas ne faciat omne malum*) quę particula, vt videtur, interpretatio est præcedentis, quia istud libenter facit scriptura. Custodiens ergo sabbatum, id est, qui feriatur à vitijs, ille beatus est: talis siquidem credet Christo, ac credendo cõsequetur maxima præmia, quæ à Christo proposita sunt in Euangelio.

ET non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo suo. Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, à filijs & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, & quod non peribit.

ET non dicat filius aduenæ) Est hîc occulta synecdoche: hoc sensu: Non dicat Græcus, Barbarus, aut Scytha, aut alius cuiuscũque tandẽ nationis aut sexus, Nõ sum semẽ Abrahæ, natus sum è gẽtibus barbaris, non pertinẽt ad me promissiones semini Abrahę factæ: ne dicat hoc, quia nõ est distinctio Iudæi & Græci &c. Vide cap. 10. epistolę Pauli ad Ro. Nõ est distinctio Iudæi & Græci &c. Et ad Gal. 3. vbi idem ferè dicitur quod hîc.

Et non dicat eunuchus &c.) In eunuchis (inquit Hieronymus) nequaquam illi intelligendi sunt, quos ardens Poeta describens ait: Nec non infelix ferro truncata iuuentus, Atque execta virum, sed illi qui seipsos castrauerunt propter regnũ Dei, quos dicit plus offerre Deo quàm offerant alij. Verùm õnibus bene expẽsis videtur magis generaliter intelligendũ, vt ad õnes pertineat, siue ad illos qui sic nati sunt, siue tales facti ab hominibus, siue qui seipsos castrauerunt propter regnũ Dei, iuxta legẽ Moysi, quæ habetur Exodi 23. Maledict⁹ sterilis qui nõ facit semẽ in Israel. Verùm nunc dicitur, Ne dicat eunuch⁹, ecce lignũ aridũ, quia non est Iudęus neq; Gręcus, seruus aut liber, masculus aut fœmina, vir aut semiuir, id est, eunuchus, sed omnes vnum sunt in Christo.

Quia hæc dicit Dominus eunuchis) id est, hominibus quantumuis iuxta sæculum abiectis, quantumuis infelicibus iuxta hunc mundũ. *Qui custodierint sabbata mea &c.*) Est hoc loco rursus verbum illud quod supra vertit, apprehendet, pro quo Septuaginta habent ἀντέχομαι. Sensus est: Qui toti incumbunt in hoc fœdus, & hoc omni amplectuntur fide, *Dabo eis in domo mea*) Sumere videtur locutionem de domo templi Salomonis, tamen de ea domo non loquitur propheta, sed de domo Ecclesiæ. *Et nomen melius &c.*) id est, pluris habebuntur quantumuis abiecti secundum sæculum quàm hactenus habiti sunt à me filij Israel. *Et nomen sempiternum dabo eis*) id est, dabo eis nomen filiorum Dei, quod nunquam peribit.

ET filios aduenæ qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos, omnem custodientem sabbatum ne polluat illud & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta & victimæ eorũ placebũt mihi super altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cũctis populis, ait Dominus Deus, qui cõgregat dispersos Israel, adhuc cõgregabo ad eum cõgregatiões eius. Mar. 21. b. Mat. 21. c. Luc. 19. g.

ET filios aduenæ &c.) Duabus istis speciebus, aduenæ & eunuchi, vt dictum est, cõplectitur totũ hominũ genus, qualescunque sunt qui adhærẽt Domino, & colũt eũ, omnes illi grati sunt ei: hactenus de domo Dei & templo Salomonis excluſi fuerũt eunuchi & aduenæ, post hac autem non erunt.

Omnem custodientem &c.) Sabbatum intellige vt prius. *Et tenentem fœdus meum*) Rursus est hic vox illa Hebræa cum beth ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæsionis. Sensus est: Omnes qui studosi sunt huius fœderis, & hoc retinent, nec sinunt sibi è manibus eripi. *Adducam eos in montem sanctum meum*) De hoc monte dictum est capite secundo huius prophetæ, cùm dicitur: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini. Sensus est: Adducam eos ad Christum. *Et lætificabo eos &c.*) Quia scriptura libéter vtitur verbis veterũ cæremoniarũ, & tamé aliter sentit, optimè hoc loco per domũ orationis intelligitur Ecclesia Christi: de Ecclesia Christi interpretantur Ecclesiastici expositores.

Holocausta & victimæ &c.) hic vtitur propheta verbis veterum cæremoniarum, & tamen aliud sentit: Intelligit enim sacrificium laudis & spiritus contribulati, vitulos labiorum &c. Istud autem imprimis doceri potest ex toto hoc cõtextu, quo hactenus vsus est, ppheta, quẽ certum est pertinere ad Christum & eius regnũ seu Ecclesiam: Deinde ex aliorum prophetarũ testimonijs, quæ multa sunt & cuiuis facile obuia, ex quibus constat prophetas libenter hoc modo loqui.

Quia domus mea &c.) Id est, non vni genti, nec vno Hierosolymæ loco, sed in toto terrarum orbe vocabitur domus mea, non quidem taurorum aut hircorum vel arietum, sed domus orationis. Saluator inquit Hieronymus hoc testimonio abusus est, seu potius paulò aliter vsus est, referens ad templum Salomonis, quod templum non propriè est hic domus ista, sed Ecclesia. Verùm quod de Ecclesia dicitur, hoc aliquo modo etiam pertinet ad templum illud Salomonis pro illo tempore legis. Matth. 21.

Quis congregat &c.) Alludere videtur propheta ad captiuitatem Babylonicam; sed quod hic dicitur verè pertinet ad generale totius orbis beneficium, quod colligere licet non solùm ex toto huius sermonis contextu, quem certum est ad Christum pertinere, verumetiam ex alijs scripturæ locis. Similis enim locus est apud Ioannem 11. Iesus moriturus erat pro gente, & non pro gente tantùm, sed vt filios Dei qui dispersi erant congregaret in vnum. Ex illo autem loco & loquendi modo, quo ibi vtitur Ioannes, intelligimus hìc Esaiam loqui non de Iudæis tantùm, sed etiam de gentibus, omnibusque omnino hominibus. Est & alius locus capite 11. huius prophetæ, vbi dicitur: Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ &c.

Omnes bestiæ agri venite ad deuorãdũ vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci õnes, nescierũt vniuersi, canes muti, nõ valentes latrare, videtes vana, dormiẽtes & amãtes somnia, & canes impudentissimi nescierũt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiã suã, à summo vsq; ad nouissimum, venite sumamus vinũ & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Vide supra

Omnes bestiæ agri venite &c.) Eodem consilio, quo superiora illa, Custodite iudicium & facite iustitiam &c. dicta sunt, etiam hæc dicuntur. Studet enim propheta eos præparare ad istud futurum beneficium per Christum exhibendum: & prius quidẽ studuit eos præparare per declinationem à malis & per bonam vitam, nũc & minas addit, dicens: Omnes bestiæ agri &c. cuius sensus est: Futurum est, vt quicunque non sunt audituri me, nec creduturi, vt eos deuorent bestiæ agri. Et intelliguntur illæ bestiæ de quib⁹ in Psal. 73. Ne tradas bestijs animas cõfitẽtium tibi. Alij autem Romanum intelligunt exercitum crudelem & ferocem.

Speculatores eius cæci &c.) Hoc est, Israel peritur⁹ est vitio suorũ superiorũ. Ipsi enim speculatores & superintẽdẽtes in causa sunt, vt veniãt bestiæ, & deuorẽt Israel. Per speculatores enim Scribas intelligit & Pharisæos, qui lõgè aberãt à verò scripturarũ intellectu, vnde & cæci appellãtur. *Videtes vana*) i. studia eorũ & cogitatiões versãtur circa vana, siue illa sint vanæ cæremoniæ, siue sint aliæres huius seculi vanę & inutiles. *Nescierunt saturitatẽ*) id est, semper alia & alia cõgregãt: Vel, nescierũt saturitatẽ, id est, nõ explẽtur voluptate, sed semper præparãt se ad alias & alias voluptates. *Ipsi pastores ignorauerũt etc.*) quãtũuis videãtur prudẽtes in reb⁹ huius seculi. Nihil aũt hìc difficultatis est, sed vidẽdũ cuiusne similis horũ inueniatur, qui est præfect⁹ curæ, nec studet intelligere, quod est Christi, quid videlicet Euangeliũ, quid Christianismus, quid iustitia fidei &c. Ad illũ hæc pertinẽt, qui videt populũ abire ad hæreses & alia vitia, & interim tacet deditus vino & voluptatibus: Ad illũ hæc pertinẽt, qui studẽt beneficijs congerẽdis, & quęrit quę sunt suæ, & nõ quæ Christi sunt: Ad illos denique hæc pertinẽt, qui in patrimonio Christi fecundũ seculum triumphant & bellos homũculos agũt, nihil interim cogitãtes de Ecclesia promouenda, de eleemosynis pauperibus irrogãdis &c. *Venite sumamus vinũ etc.*) Istud explicat id quod suprà dixerat: Nescierũt saturitatẽ. Illi speculatores, canes muti & pastores ineruditi, hoc solùm cogitant, quomodo nũc hic, nũc illic curabunt conuiuia, quomodo ingurgitabunt se vino, & explebunt voluptatibus. Verùm homini altari sacrificanti conuenit cogitandum est, vt omni modo effugiat prandia etiam amicorum: Non est enim decorum aut ciuile sacerdoti exhibere se latum in conuiuio, melius est vt cum gratia Dei abstineat ab huiusmodi, & habeatur ru-

tùr rusticus & inciuilis, quàm in talibus ciuilis.

CAPVT LVII.



Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. A facie enim malitiæ collectus est iustus. Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua.

Iustus perit) Durat adhuc præcedens concio: Dum speculatores, Scribæ, & Pharisæi, dum pastores & sacerdotes dediti sunt vino, & student ijs rebus quibus non debent studere, interim perit iustus. In voce autem iusti, Hieronymus & Hebræi putant esse antonomasiam, sed aliter ipse explicat, aliter illi. Hieron. siquidem Christum intelligit, qui eximiè iustus est: Hebręi verò ipsum Esaiam, vt de se prophetet quod à Manasse serra lignea secandus sit & diuidendus. Verùm præcedentia & etiam sequentia magis inuitant ad heterosin, vt iustus accipiatur generaliter pro hominibus iustis quomodo & Hebræorum nonnulli interpretantur.

Et nemo est qui recogitet &c.) In Hebræo autem ad verbum habetur hoc modo: Non est qui ponat super cor suum, id est, nihili faciunt si quis iustus inter tot impios patiatur. Verbum autem (perit) secundum Hieronymum, persecutionis magnitudinem & non substantiæ finem demonstrat.

Et viri misericordiæ colliguntur) Simpliciter dixisset, viri misericordiæ moriuntur. Similis autem phrasis est in. 4. Reg. cap. 22. vbi Iosiæ Regi dicitur: Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace. Sic etiam de Iacob dicitur: Appositus est ad patres suos, id est, mortuus est. Vt autem sciamus post hanc vitam restare aliam, non morimur, sed colligimur secundum scripturam. Illud autem, Viri misericordiæ, dictum est phrasi Hebræa, Latinus verò diceret, viri misericordes.

Quia non est qui intelligat) Ad verbum aũt est: Nõ intelligẽte, id est, nemine intelligẽte, siue non est qui intelligit. Sensus est: Dum supradicti pastores, canes muti, & alij impij sedent ad pocula, & audiunt quòd bonus aliquis aut iustus mortuus est, nihil sit ab eis, non mouentur semel, nec cogitant quidem de pietate eius.

A facie enim malitiæ &c.) Sensus est: Collectus est iustus vt mala⁹ seculi non videret, volui eum mori, ne videret mala huius vitæ. Sic. 4. Reg. post verba illa: Colligam te ad patres tuos, vt non videant mala oculi tui.

Veniat pax &c.) Ex Hieronymo apparet hìc mendum esse, interpretatur enim ipse pluraliter, requiescant, & sic habent Hebræa exemplaria, quod etiam annotauit Haymo. Legendum est ergo hoc modo: Veniat pax, requiescant in cubili suo, Deinde rursus singulariter: Qui ambulauit in directione sua, quod refert Hiero. non ad mox præcedens, Requiescant, sed ad illud, Veniat pax, scilicet iusto qui ambulauit in directione sua. Et suppositum illius verbi requiescant secundum cum est, viri misericordiæ. Eadem etiã particula videlicet, qui ambulauit in directione sua, referri potest ad verbum requiescant iuxta Heabraismum, quia solenne est Hebræis negligere numerũ, & ponere nunc singularem, nunc pluralem. Per cubile autẽ siue lectum intelligit requiem quæ datur bonis post hanc vitam. Sensus ergo est: Dum sic omnia turbantur, dum tumultuantur & insaniunt sacerdotes luxui, vino, & alijs rebus vanis dediti, interea veniet siue continget iusto, qui ambulauit in directione sua, id est, rectè vixit, vera pax, etiam cùm moritur, & æterna sede requiescet, tantum abest vt periturus sit.

Vos autem accedite huc filij auguratricis, semen adulteræ et fornicariæ. Super quem lusistis? Super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? Nunquid non vos filij scelesti, semen mẽdax? Qui consolamini in dijs, subter omne lignũ frondosum, immolantes parulos in torrẽtibus, subter eminentes petras. In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua. Et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Nunquid super his non indignabor?

Vos autem accedite huc &c.) Hic quasi certum est, prophetam loqui sui temporis Iudæis, quia populus Iudæorum nato Christo non erat obnoxius cultui idolorũ, quem hic reprehendit & vocat eos filios auguratricis, quod videlicet Hierusalem, quæ mater est audientium, diuinationibus & augurijs sit dedita: Semen verò adulteræ & fornicariæ, propter cultum idolorũ, quia Deo relicto sequi Deos alienos, secundum scripturas fornicari est & mœchari. Quarti Regum cap. 17. Fecerunt sibi statuas & fornicati sunt in eis, id est, cum eis. Et apud Hierem. cap. 3. Mœchata est in lapide & ligno. Vos ergo cultores idolorum & qui tantopere augurijs dediti estis, sequentes in hoc matrem vestram, accedite ad me, & audite quæ dicam.

Super quem lusistis?) D. Hieronymus hæc particulariter ad Christum refert. Super quẽ inquit lusistis cõspuentes faciem eius, barbamque vellentes? Et super quem dilatastis & aperuistis os, & linguam eiecistis, dicentes ei: Samaritanus es tu, & dæmonium habes, & postea in passione: crucifige crucifige

Universidad de Deusto
Biblioteca

talem: &, Vach qui destruis templum Dei. Secundum interpretationem verò cœpram intelligemus generaliter de ijs qui sedent ad pocula, & rident prophetas & concionatores eorum vitia arguentes.

Nunquid non vos? &c.) Quasi dicat: Si descenderetis in vos ipsos, intelligeretis facile vos non esse veros Abrahæ filios. *Qui consolamini in dijs &c.*) id est, qui delectamini in sacrificijs, quæ offertis dijs in lucis ac nemoribus. *Immolantes paruulos in torrentibus*) Istud facilè intelligitur ex capite 17. quarti Regum, & psal. 105.

In partibus torrentis &c.) Sensus est: Hoc habes pro summa religione, quòd in torrente fundas sanguinem liberorum tuorum: Dominus debebat esse pars tua, & pro sorte tua habuisti cultum idolorum.

Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti vt immolares hostias. Et post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum, quia iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum. Dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus. Dilexisti strati eorum manu aperta, & ornasti te regio vnguento, & multiplicasti pigmenta tua.

Super montem excelsum &c.) Metaphora est cubilis adulteri. Sensus est: Non solùm in lucis ac nemoribus, torrentibus & vallibus, verumetiam in montibus & collibus expleuisti adulteria tua, in exercēda videlicet idolatria: nec hoc sufficit tibi, sed & post ostium domus & retro postem posuisti memoriale tuum, id est, tutelæ simulachrum, vt tā intrans quàm exiens adorares illud, & nunquā obliuiscereris idololatriæ. Post ostia autem olim ponebant idola ad tuitionem ædium, quos lares appellabant, quibus ponebant suffitum, quod etiam faciebant Romani.

Quia iuxta me &c.) Facit se Deus virum Gentis Iudaicæ, & quasi vxorem adulteram arguit eam, atque confutat. *Dilatasti cubile tuum*) vt videlicet pateres pluribus amatoribus, id est, dijs & dæmoniis. *Dilexisti strati eorum manu aperta*) id est, vt nihil puderet, nec fornicationis cuperes abscondere turpitudinem, *Ornasti te regio vnguento*) Menda est hoc loco. Legendū est enim: Ornasti te regi vnguento. Ita autem legendum esse patet ex commentariis Hieronymi: Lyra quoque affirmat sic habere libros correctiores. Hunc autem Regem Hieronymus intelligit idolum Ammonitarum, quod appellatur Moloch, & in lingua nostra Regem sonat. Alii verò interpretantur de Rege homine, hoc sensu: Studuisti tibi cōciliare societates Regum & principum terræ Deo relicto. *Et multiplicasti pigmenta tua*) id est, varia ornamenta quæsisti vt & visu & odore prouocares adulteros.

Misisti legatos tuos procul, & humiliata es vsque ad inferos. In multitudine viæ tuæ laborasti, nec dixisti, quiescam. Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. Pro quo solicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.

Misisti legatos &c.) Sensus est: Non satis tibi fuit fornicari cum diis vicinarum Gentium, sed habuisti præterea studium fornicandi cum diis gentium longè positarū propterea misisti legatos tuos in Babylonē & Aegyptum vt & illinc adferrent idola. *Et humiliata es &c.*) id est, deiecta es ad maximam vilitatem, facta es turpissima: olim omnia summo decore regnauerunt in te, nunc planè descendisti in baratrum libidinum.

In multitudine &c.) Id est, multiplici cultu idolorum, & in multiplici fornicatione tua fatigata es, & licet fatigata, non tamen dixisti, quiescam: poteras faciliori negotio seruire Deo, nunc multo magis laborasti in falsis diis colendis. Loquitur autem Esaias Hierusalem illius temporis, vtante dictum est. Idem & nunc dici potest omnibus hoc seculum & eius vitia sequentibus. Vide cap. 5. Sap. Lassati sumus in via iniquitatis.

Vitam manus tuæ inuenisti) Sensus est: Id quod quærebas inuenisti, & acquisiuisti, scilicet honores, diuitias &c. quibus abundē habitis neglexisti Deum & hoc est quod ait: *propterea non rogasti.*

Pro quo solicita timuisti &c.) Id est, dum negligis me, cogeris multos alios valde timere, dum sequeris idola & alios Reges, multa incidunt quæ faciunt te vehementer solicitam: si me fuisses secuta ò Hierusalem, magnam sentires in te pacem cordis. *Quia mentita es*) dicens: omnia quæcunque locutus est dominus faciemus. Vide caput. 24. Exodi. *Neque cogitasti in corde tuo*) Ad verbum autē est: Non posuisti super cor tuum, id est, ea quæ proposueram tibi, nō fuerunt tibi cordi, putasti ea esse parua & nullius momenti. *Quia ego tacens &c.*) Sensus est: Hactenus dissimulaui peccata tua, & sic me gessi quasi non viderem, vt si non timore mei, saltem patientia ad me redires: Sed tu interim ingrata prorsus oblita es mei, nec agnouisti patientiam quam præstiti peccatis tuis.

Ego autem annunciabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi, cùm clamaueris liberent te congregati tui, et omnes eos auferet ventus, tollet aura. Ego

Ego autem annunciabo &c.) Hoc secundū Hieronymum per ironiam legendum est: Veluti si quis alicui in sceleribus deprehenso dicat, vide bona opera tua: Vel stulto, tu multum sapiens es. Sensus est: Quia hactenus tacui, & dissimulaui peccata tua, nec agnouisti patientiam meam, vt sic ad me redires, idcirco palam faciam quàm sis iniusta, & quàm sis operta vitijs & obruta ò Hierusalem.

Cùm clamaueris &c.) Abhuc obiurgat populum illum peccatorem, hoc sensu: Cùm clamaueris pressa angustijs ò Hierusalem, liberent te tunc congregati tui. Vox autem illa (congregati) complectitur omnes & Deos & Reges exteros, quibus coniuncti erant Iudæi, quibus innitebantur.

Omnes eos auferet ventus) Id est, leuissimo momento perdentur omnes, & dij & Reges, & synagogæ erunt velut puluis, quem proijcit vētus à superficie terræ, & hoc est quod dicitur in psalmo primo, Non sic impij, non sic, & cætera.

Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meū, et dicā: Viā facite, præbete iter, declinate à semita, auferte offendicula de via populi mei.

Qui autem fiduciam habet mei) Id est, qui sperat in me, hæreditabit terram illam, de qua in psal. Credo videre bona Domini in terra viuentium. *Et possidebunt montem &c.*) id est, cœlestem Hierusalem, quæ dicitur mons sanctus in epistola Pauli ad Hebr. 12. Quod autem de illa terra & de illo monte loquatur, & non de terra Iudæorum Palestina, patet ex sequentibus, quæ maiora sunt quàm vt conuenire possint populo Israel ex Babylone redeunti. Redit ergo propheta ad Euangelium & gratiam in Christo præstandam.

Et dicam) Vbi nos habemus, Dicam, Hebræa exemplaria nunc habent, Dicet, quomodo etiam Symmachum legisse ostendit Hieronymus. Variabant ergo tunc temporis Hebræi, quemadmodum & nunc. In tertia persona vertunt etiam Septuaginta, secundum quos sensus est: Qui hæreditabit terram & possidebit montem Dei sanctum, dicet: viam facite &c. non erit contentus propria salute, sed etiam ad docendum populū prouocabit cæteros. Secundum nostram autem translationem sensus est: Ego Dominus præcipiam Apostolis meis & Ecclesiæ doctoribus, & dicam eis: viam facite, præbete iter. Pro quo Hebræi habent: Eleuate eleuate. Sic Psal. 67. vbi dicitur: Iter facite ei qui ascendit super occasum, vbi ad verbum est: Eleuate eleuate ei, qui ascendit super occasum, & subauditur via, quæ in capite 62. huius prophetę exprimitur. Et putant quidam metaphoram sumptam ab ijs qui sternunt vias publicas: Alij verò sumptam putant ab ijs, qui præparant vias tollendo impedimēta, lapides & cætera, in quæ offendere posset homo aut iumentum. In hac autem sententia est Rabbi Dauid in commentarijs in lib. radicum. Vide Pagn. in radice salal. Sensus ergo est: Planam & expeditam facite viam contēdentibus ad regnum cœlorum. Confer hunc locum cum eo, qui est in capite 62. Præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides &c.

Quia hæc dicit Dominus excelsus, & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius, in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam.

Quia hæc dicit Dominus &c.) Proponit propheta potentiam eius, qui hæc magnifica promittit, ne quis desperet, sed exspectet promissa certò præstanda. *Et sanctum nomen eius*) id est, in quem nulla cadit mendacij suspicio aut vanitatis. *In excelso & in sancto habitans*) id est, secundum quosdam, in cœlo: Secundum alios verò, cum viris sanctis & altis in virtutibus. *Et cum contrito etc.*) Cùm habitet in istis altis, non tamen despicit humilia, habitat etiam cum contrito & humili spiritu. Istud inuitat nos ad fiduciā, sicut & præcedentia illa, per quæ maiestas Dei significatur, terrent nos. *Vt viuificet spiritum humilium &c.*) Omnes eramus in morte peccati, & vitam nemo restituere poterat, nisi ille apud quem est fons vitæ: propterea dignatur habitare cum homine contriti spiritus, vt viuificet illum.

Non enim in sempiternum litigabo) Sensus est: Meretur quidem genus humanum perpetuam irā, ego tamen non sustineo semper irasci peccatis eius: quia omnes sunt meum plasma, opus meum, & creatura mea, & hoc est quod sequitur: *Quia spiritus à facie mea egredietur*) Verba futuri temporis apud Hebræos plerunque potentialia sunt, & habēt vim mirabilem. Spiritus autē accipitur pro spiritu vegetatore atque agitatore corporis, hoc est, pro anima ipsa, hoc sensu: Spiritus qui vegetat & agitat corpus, à me egredietur & perpetuò egredietur, ita vt non ab alio quopiam: quemadmodum cùm dicimus, leo rugit, secundum proprietatem linguæ Latinę non intelligimus tēpus aliquod præsens, sed qualitatē aliquam leoni propriam. *Et flatus ego faciā*) id est, animas ego faciā, sicut in principio Geneseos: Inspirauit in faciē eius flatū siue spiraculū vitę, id est, animā.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm ergo ego sim creator animarum,& spiritus hominis à me egrediatur, non patiar in perpetuum perire hominem, nec semper irascar peccatis eius.

PROpter iniquitatẽ auaritiæ eius iratus fum, & percussi eum. Abscondi à te faciem meam,& indignatus sum. Et abijt vagus in via cordis sui. Vias eius vidit, & sanaui eum, & reduxi eum,& reddidi consolationes ipsi, et lugentibus eius. Creaui fructum labiorum pacem, pacẽ ei qui longe est, & qui prope, dixit Dominus, & sanaui eum. Impij autẽ quasi mare feruens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.

Supra. 48.d.

PRopter iniquitatem &c.) Auaricia hoc loco generale nomen est, vt patet ex comẽtarijs Hieronymi & voce Hebræa. Sensus est: Propter iniquitatem concupiscentiæ eius siue cupiditatis malæ inflammantis iratus sum. Illa autem, verba: A te faciem meam, nõ habent Hebræa, neque textus Hieronymi additus commentarijs. Textus quidem Lyræ habet, sed certum est, eum mendosum esse, quia in commentarijs suis subaudit me: Abscondi scilicet me &c. Hieronymus autem in commentarijs subaudit faciem: Abscondi scilicet faciem meam. Vnde verisimile est, hæc verba ex commentarijs Hieronymi, vel certè ex editione Septuaginta interpretũ in nostrum textum translata esse per negligentiam scriptorum.

Et abijt vagus &c.) id est, præceps in omne malum quocunque ducebat propensa voluntas carnis, eò iuit. Homo enim à Deo desertus, facit illa quæ legimus de Gentibus, quæ à Christo alienatæ horrenda perpetrabant & turpissima, sicut videre est in epistola ad Romanos capite primo.

Vias eius vidi etc.) Hic apertũ est euãgeliũ. Cùm essemus peccatores, impij, & inimici Dei, placuit Deo oculis misericordiæ respicere & mittere filium suum, & tradere eum in manus peccatorum, vt illius liuore sanaremur. *Et lugentibus eius*) qui sumus nos. Nam omnes eramus lugentes & miseri.

Creaui fructum &c.) Secundum Hieronymum, sensus est: Impleui quod pollicitus eram labijs, promiseram fructum aliquem, illum autem fructum iam creaui siue præsciui fructum labiorum, id est, prædicationis Christi & Apostolorum pacem. Potest & hic esse sensus: Creaui fructum labiorum, id est, precum ac orationum pacem, pacẽ inquam illam, qua animus hominis suauiter requiescit in Christo etiã in medijs malis & huius seculi fluctibus & turbationibus. Quicquid enim precando obtinere possimus à Deo, rectè vocatur fructus labiorum: Sicut secundum scripturam vituli labiorum, preces appellantur. Inter cætera autem quæ precando obtinemus, est ista.

Pacem ei qui longè est) id est, populo Gentili, qui non habebat legem Moysi, qua tanquam pedagogo duceretur ad Christum: *Et qui prope*) id est, Iudæis, quorum erat testamentum & legislatio, & cætera, quæ in epistola ad Romanos enumerat Apostolus. Locum autem hunc transcripsit Paulus in epistola ad Eph. cap. 2.

Impij autẽ quasi mare feruens) Sensus: Creaui quidem fructum labiorum pacem, interea tamen qui non confiduntin Domino, qui venientem in propria non recipiunt, sed relicto Deo sequuntur carnem & mundum, longissimè erunt ab hac pace Euangelij: erunt sicut mare feruẽs, quod nunquam potest quiescere, sed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad litora, atque iterum resorbentur, & in se frãcti lutum efficiunt, quod pedibus conculcatur: sic ipsi conculcabuntur: & concludens propheta caput istud epiphonemate ait: Non est pax impijs dicit Dominus, etiam quicquid illis obuenerit in hoc mundo.

CAPVT LVIII.

CLama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annũcia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogat me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt.

CLama, ne cesses) Hîc Esaias non propheta, sed cõcionatorem agit: nihil enim propriè de Christo vaticinatur, sed populũ in quo Christ⁹ erat nasciturus præparare studet ad illius aduẽtũ, quod idẽ fecit cap. 55. & 56. Cùm autem iam natus esset Christus, docereteque Iudæos, multi superuenerunt eum docentem: & in causa fuit, quia mala erat eorum vita, quomodo ait Saluator, vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis. Hoc ergo agit propheta, vt vitent mala opera, alioqui nõ essent agnituri Christum, nec ipsum recepturi. Clama, vox est Dei ad Esaiam, quasi dicat: Res memorabilis est, quam te enunciare volo, est quoddam peccati genus, quod isti homines non æstimant peccatum, & quia non habent pro peccato, putant omnia esse salua, si ieiunent, si sabbata

ta custodiant, & alia externa officia quæ lex præscribit faciant: propterea clama, ne cesses clamare. Ex quo patet, quòd res ista cordi fuerit spiritui sancto.

Quasi tuba exalta vocem tuam) siue iuxta Aquilam & Symmachum: Guttur tuum vertе in buccinã, quia res magna est, quam per te dici volo. *Annuncia populo &c.*) Quis autem sit iste populus, sequentia demonstrãt, videlicet: *Et domui Iacob peccata eorũ*) id est, posteris Iacob seu populo Israel. Apud Hebræos autem vtrunque est singulare, videlicet, Peccatum & scelus. Est quidem scripturę frequens enallage siue heterosis numeri, an autem ea figura sit hoc loco, quod putauit Hieronymus, an potius propheta significare voluerit certum aliquod peccati genus, ex ipso contextu patebit.

Me etenim de die in diem &c.) Ex hac periodo satis intelligitur, ipsum non agere de manifestis peccatoribus & iniustis, vt fornicatoribus, adulteris & cæteris, sed de alio genere hominũ peccatorũ, qui abstinent quidem à furtis, latrocinijs, adulterijs, & habent quoddam studium quærendi Deum, tamen toti displicent Deo. Quod autẽ dicitur, De die in diem me quærunt, quidam pertinere putãt ad curiosè studiosos, qui ideo studẽt, vt se ostentent, & non præstent opere quod sciunt: Sed quia sequitur: Quasi gens quæ iustitiam fecerit, magis pertinere videtur ad eos, qui quærunt facere. Est quoddã genus hominum, qui tenentur quodam studio bonæ vitæ, & tales se præstant secundum externam faciem, vt vita & operib⁹ videantur me quærere, hoc studium eorum displicet mihi, dicit spiritus sanctus.

Et scire vias meas volunt) Vox hæc (via) pertinet ad omnia illa quæ sunt in consilijs Dei. Cur Deus differat pœnas malorum: cur hos deserat, illos non: cur hoc præceperit, illud prohibuerit: & similia consilia diuina complectitur vox illa, via.

Quasi gens quæ iustitiã fecerit) Facere iustitiam, hîc est illa præstare quæ lex requirit. Sensus est: quasi gens quę legem præstiterit, & iudicium Dei sui non dereliquerit, id est, mandata & præcepta à Deo in lege præscripta fecerit. Eandem rem alijs verbis explicat propheta, dicens: *Rogant me iudicia iustitiæ &c.*) Vbi Hieron. Quasi fiducia bonæ conscientiæ iudicium postulant iustum, ac si dicant: Domine nos præstamus, legem tuam, tu tamen non præstas siue non facis iudiciũ, hostes opprimunt nos, tu tamen non defendis nos legem tuam præstantes, quando facies de persequentibus nos iudicium?

QVare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester.

QVare ieiunauimus &c.) Hoc loco conduplicatio est Hebraica. Nam humiliare animas, idem est quod ieiunare. Frequens autem est hæc phrasis in scripturis, præsertim in libris Moysi. Leuitici 16. In mense septimo affligetis animas vestras. Rursus capite 23. vbi eadem habentur verba. Et Numerorum 29. Decima dies mẽsis erit vobis sancta, & affligetis animas vestras. Simpliciiter autem dixisset, ieiunabitis. Dauid psãl. 34. vtramque formam in vnã confundit, dicens: Humiliabam in ieiunio animã meã. Similiter & Esdras: Prædicaui ieiunium, vt affligeremur corã Deo nostro. Ex istis scripturę locis discimus quid sit humiliare animam, & præterea quis sit finis ieiunij, videlicet vt non solùm subijciatur caro spiritui, sed etiam vt humilietur, id est, castigetur corpus, & sumatur vindicta de carne: hoc intelligimus ex ista Hebræorum periphrasi. Caput autem istud facile est diligenter inspicienti contextum, & obseruãti de quo hominum genere loquatur propheta. Prima quidem periodus docet res esse maximas quæ annunciandæ sunt populo. Secunda autem periodus habet, esse aliquos qui tenebantur studio aliquo bonæ vitæ, & acquiescebant in conscientia sua, nec sibi conscij erãt alicuius mali, tamen non placebant Deo, sed Deo prorsus exosi erant. Tertia verò docet, quales isti fuerint nimirum qui præstabant quidem externa legis opera, ea tamen quæ grauiora legis erant, relinquebant, videlicet iudicium, misericordiam, fidẽ, charitatẽ Dei & proximi, de quib⁹ apud Matth. 23. & apud Luc. 11.

Quid sit humiliare seu affligere animas.

Ecce in die ieiunij vestri etc.) Responsio est ad quæstionem superius obiectam, hoc sensu: Vos proposuistis quæstionem mihi, scire cupientes quare ieiunaueritis, & non respexerim ad ieiunia vestra, causa aũt hæc est: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Voce aũt Hebræa significatur non quæcunq; voluntas, sed illa quæ coniuncta est cum vehementi affectu & propensione animi: Sic Genesis 34. Amahat puellã valdè, vbi ad verbum in Hebræo est: Voluit in puellã, id est, valde ferebatur affectu erga illam. Talis est hoc loco voluntas. Sensus ergo est: Dũ ieiunatis nimium indulgetis libidini animi vestri in hoc quòd estis maximè propensi siue ad honorem, siue ad auaritiam, siue ad alia vitia, ac si iam diceretur nobis: In media quadragesima venamini beneficia magno studio, sectamini honores & cætera, ideo non respicio ieiunia vestra. Paulus autẽ in epistola ad Ephesios cap. 2. coniunxit

desiderium

Universidad de Deusto
Biblioteca

desiderium huic voluntati, dicens: In quibus & nos aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, id est, quò nos ducebat propensa libido carnis, facientes voluntatem carnis, id est, vehementer sequentes amorem & affectum carnis. Propterea ego non respicio ait ad ieiunia vestra etiam legitima, quia vos sequimini vestras malas propensiones & animi affectiones, quas deberetis mortificare.

Et omnes debitores vestros repetitis.) Debitores scilicet eos, qui non sunt soluendo, qui magna omnium rerum premuntur penuria: Alioquin absolutè licet repetere debitum.

Ecce ad lites & contentiones ieiunatis) id est, tempore ieiunij vacatis iurgijs & contentionibus. *Et percutitis pugno impiè*) id est, sine vlla misericordia vi repetitis debita vestra.

Nolite ieiunare sicut &c.) Hieronymus, Ne videatur reprehendere ieiunium quod ipse præceperat, docet quomodo sit ieiunandū, imò antequá hoc doceat, instruit quid declinare debeāt. Nō ergo hoc modo dicit: Nolite ieiunare, terminando ibi sententiam, sed addit, Sicut vsq; ad hanc diem, vt scilicet audiatur clamor vester in excelso: Clamorem autem intelligit pauperum, quos mirum in modum vexabant in repetendis debitis, nō habentes rationem paupertatis & penuriæ eorum, qui ita vexati & oppressi clamabant ad Dominum. Et quod hic dicit de vno genere operū, hoc intelligit de omnibus alijs.

NVnquid tale est ieiunium quod elegi? per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis ieiunium & diem acceptabilem Domino?

NVnquid tale est ieiunium quod elegi?) Ac si dicat: Ieiunium quod ego cupio non est tale, quod solùm est abstinentia à cibo, sed illud quod est coniunctum cum charitate proximi. Et patet ex cōsequentibus quod loquatur de ieiunio affligēte hominem. Sequitur enim: *Per diem affligere hominem animam suam*) & subauditur, solùm. Quare qui in quadragesima nihil cogitant de mutanda vita, de mortificandis affectibus malis & vitijs, sed satis habent quod ieiunant, illi errant & instruēdi sunt. Nihil enim prodest (ait Hierony.) vacuum portare ventrē, & ea facere quæ Deo displicent. Similis est commentarius Gregorij: Incassum per abstinentiā corpus atteritur, quando inordinatis moribus demissa mens dissipatur.

Nunquid contorquere quasi circulum caput? &c.) Quemadmodum faciunt superstitiosę mulierculæ, quæ etiam cum dolore capitis nimio ieiunare volunt vsque ad vesperam: Vel certè de ijs dicitur, qui capite in terram deflexo, quasi ostentant ieiunium suum. Vnde Pag. vertit: Nunquid vt curuet quasi iuncum caput suum? Et ita accipit Hieron. in commentarijs, cuius verba sunt: Non quærit Deus afflictionem solam, & animæ humiliationem per iniuriā corporis, vt instar circuli torqueat corpus, & colla submittat, ac tristis incedat, nec vt sacco quis vestiatur & in cinere dormiat, sed vt cum istis hæc faciat, quæ sequuntur:

Nunquid vocabis ieiunium?) scilicet accepta bile, hoc est, quod Deus acceptet & cui afficiatur? *Et diem acceptabilem Domino?*) Est illa vox in Hebræo, quæ supra cap. 49. In tempore placito exaudiui te. Ad verbum autem est: Diem voluntatis, siue diem beneplaciti aut beneuolentiæ Domino, id est, diem in quo Deus habet aurem placabilem ad exaudiendum.

NOnne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue cogitationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

NOnne hoc est magis ieiunium? &c.) Postquam docuit quale ieiunium reprobet, ostendit quale libenter acceptet: & quæ sequuntur iam ex ordine pertinēt ad charitatem proximi. Ergo abstinentia à cibo coniuncta his operibus est grata Deo. Dissolue inquit colligationes impietatis, hoc autem quid sit, exponit quod sequitur: *Solue fasciculos deprimentes*) Quos autem vocet fasciculos deprimentes, intelligimus ex versione Septuaginta quæ habet: obligationes violentarum cautionum. Significat cumulos syngrapharum, siue fasciculos chartarum in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno. Qui ergo habetis huiusmodi syngraphas, rumpite eas, & tunc acceptabit Dominus ieiunia vestra.

Et omne onus dirumpe) Hoc manifestius transtulerūt Septuaginta dicentes: Omnem scripturam iniquam conscinde. Et Symmachus: Et omnem cautionem falsam disrumpe. *Et carnem tuā ne despexeris*) id est, eos qui constant ex passibili carne, quemadmodum tu, ne despexeris. Pro isto autem Septuaginta verterunt: Domesticos seminis tui ne despexeris.

TVnc erumpet quasi lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et ante ibit faciem tuā iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tūc invocabis, et dominꝰ exaudiet te, clamabis, et dicet, ecce adsum, quia misericors sum, dominꝰ Deus tuus.

TVnc erumpet quasi &c.) Id est, quando illa non feceris quæ præteritus sermo narrauit, & ista præstiteris de quibus nunc dixi, tunc ieiunium tuum acceptabile erit, & erumpet quasi mane siue aurora lumen tuū: *Et sanitas tua citius orietur*) Est hic egregium dogma, per gratiam videlicet illuminari intellectum, & voluntatem sanari. Et notādus est hic locus, & vna cum illo qui est primo capite huius prophetæ, cùm dicitur: Lauamini, mundi estote, & objiciendus Philippo & alijs qui in negotio iustificationis omnia fidei tribuunt, operibus autem nihil. Certum enim est hunc populum impium fuisse, & tamen huic dicit Dominus, quando præstiteris illa opera iam memorata tunc erumpet quasi mane lumen tuum: infundetur tibi gratia, ad cuius infusionem soluentur tenebræ peccatorum tuorum, & illuminaberis in intellectu, & sanaberis in volūtate: vt qui prius impotens eras ad præstandum legem, iam valeas implere legem. Hoc tamen hic intelligendum est, quòd nullis operibus iustificationem præcedentibus mereatur homo iustificationis gratiam, quemadmodum nec fide: Sed sicut fide, ita & operibus ex fide procedentibus præparamus nos, ambientes gratuitam Dei misericordiam, id est, iustificationem, & remissionem peccatorum, quæ prorsus gratis datur.

Per gratiam illuminari intellectum, et voluntatem sanari.

Et anteibit faciem tuam iustitia) Hoc modo vt reuera possis vt iustus laudari, vtpote habens veram iustitiam, quam Esaias hic nostram appellat, & Paulus in epistola ad Ro. cap. 3. Dei iustitiam appellat. Vtranque autē appellationem explicat D. Aug. in lib. de spiritu & litera cap. 9. Dei quidem impropriè dicitur, nostra verò propriè, quia nobis inhæret: Dei autem non alio sensu quàm quia ipsius largitate nobis donatur.

Quæ dicatur nostra iustitia.

Et gloria Domini &c.) Gloria ista, illa est de qua Paulus in epistola ad Roman. cap. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, id est, gratia Dei iustificante & remittente peccata. In hoc enim gloria Dei sita est, quòd hominem indignum misericorditer iustificat, & impotentem præstare legem, potentē faciat ad præstandum legem.

Tunc inuocabis &c.) id est, vbi desieris facere voluntatem tuam, & præstiteris opera misericordiæ, de quibus iam dixi: tunc inuocā tem te exaudiet Dominus, senties eum tibi propitium esse: clamabis, & dicet, non quidem voce, sed opere: ecce adsum, id est, bene ficijs ostendet se præsentem.

SI abstuleris de medio tui cathenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest, cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies, Et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.

SI abstuleris etc.) Iterū inculcat quę prædixit, quia valdè obnoxij erāt vitio auaritię, & inhumaniter agebant cum proximis suis, & vtitur figuris longè à nobis positis, primò dicens: Si abstuleris de medio tui cathenam. Cathena autem ter hoc capite ponitur apud Esaiam Hebræum. Primò ibi, Solue fasciculos deprimentes, vbi in Hebræo ad verbum est, Fasciculos cathenæ. Secundò ibi: Omne onus dirumpe, ad verbum est, omnem cathenam dirumpe. Tertiò, hoc loco: Si abstuleris &c. Pertinet autē cathena ad omnia illa, quibus iniqui opprimunt alios, vt sunt illi qui miseros citant, excommunicant, aggrauant, & alijs mille modis iniustè opprimunt eos qui non sunt soluendo. Docet ergo prophe ta ciuiliter & humaniter cum hominibus agendū, quibuscum est nobis negotium. Vi de cap. 27. 28. Hierem. ex quibus facile intelligitur, quid sit ista cathena. Si ergo abstuleris de medio tui cathenam, hoc est, si desieris premere & vexare miseros, quibuscunq; tandē modis id agas: Hoc enim est auferre cathenā. Quare Septuag. primo loco verterūt: Tolle obligationes violentarū cautionū: Et secundo loco: omnē syngraphā iniquam conscinde. Magis quidē ad sensum quàm ad verbū transtulerunt, nec tamen plenè sensum expresserunt. Deinde dicitur:

Cathena.

Et desieris extendere digitum) Hier. de suo addit, Et desieris. Versio aūt Pag. habet: Vt non mittas digitum, qui etiam de suo addit illud, Vt non. Ad verbū verò est: Mittere digitū. Quid aūt sit mittere digitū Hebręis, nō satis constat. Pag. aūt ad eos refert, qui aliena auferūt, versio enim eius sic habet: Vt non mittas digitū in rē alienā. Sed illud, In rē alienā, non est in Hebræo Hier. aūt putat pertinere ad eos, qui alios rident, & eos digito demōstrāt. Septuag. verò referūt ad eos, qui in suffragijs dādis in electione magistratuū, facile digitos, quib⁹ animi cōsensum significāt extēdunt. Si ergo in creando magistratu nō sis leuis, non facilè extendas digitum, id est, manū. Habent enim Sept. χειροτονίαν, de cuius vsu vide Budæum in commentarijs linguæ Græcæ.

Et loqui quod nō prodest etc.) Pro eo, Quod nō prodest, in Hebræo vnica vox est, quam Hieronymus nunc idolum, nunc inutile, aliàs iniquitatem vertit seu iniustitiam. Si ergo desieris loqui iniquitatem, & effuderis esurienti animam tuam, in est, toto

corde

Universidad de Deusto
Biblioteca

corde pauperi subueneris, requiem tibi dabit, id est, Pacem & tranquillitatem mentis, suauiter acquiesces in Domino etiã in medijs malis & turbationibus: & ossa tua liberabit, id est, præcipuas animę vires, intellectũ, & voluntatẽ, rectè iudicabis de rebus ad religionem pertinentibus, & bene afficieris diuinis: *Et eris quasi hortus irriguus &c.*) id est, nunquam destituet te gratia Dei, quæ instar fluminis perpetuò irrigabit animã tuã.

Et ædificabũtur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis & generationis suscitabis: Et vocaberis ædificator sepium, auertens semitas iniquitatum: Si auerteris sabbato pedem tuum, facere voluntatẽ tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum dum nõ facias vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem, tũc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui, os enim Domini locutum est.

Et ædificabuntur in te &c.) id est, Quę iam multis sæculis fuerunt collapsa & deserta restituentur per te, id est, innocẽtia, fides & iustitia Abrahæ, Moysis, Dauid, cæterorũ virtus & laudes in te renouabuntur, quæ iã multo tempore fuerunt intermissa. *Fundamenta generationis &c.*) id est, Constitues exemplum quod pertinebit ad posteritatem multis sæculis. Istud patet in S. Franciſco & Dominico, quorũ pietatis studia adhuc fundata manent in posteris.

Et vocaberis ædificator sepium) Metaphora sumpta est à re rustica. Quando enim sepes est salua & integra, quæ intus continentur salua sunt & tuta: illa verò dissipata, frequẽter tolluntur quæ intus sunt. Scriptura autẽ transfert ad rempublicam Christianam siue ad Ecclesiam Dei, cuius sepes est vnitas fidei, dissipa eã & mordebit te coluber, id est, diabolus vel hæreticus. Sensus est: Id quod in te pertinebat ad fidẽ erat dissipatum, hoc per te instaurabitur. His ergo tribus figuris iam dictis significantur instauratores optimarũ rerum, studiorum videlicet pietatis, fidei, religionis &c. Pro eo autem quod sequitur, Auertens semitas iniquitatum, textus Hier. commentarijs additus habet hoc modo: Cõuertens semitas in quietem. Septuaginta verò habent: Et quiescere facies semitas de medio. Sensus est: Hoc modo fiet, vt vbique in sancta quiete agant homines.

Si auerteris à sabbato &c.) Per pedem affectum intelligit, hoc sensu: Si die sabbati cohibueris affectus tuos, & non indulseris illis, & vocaueris sabbatum delicatum, hoc est, si præstiteris mihi sabbatum tale, quale ego cupio: in quo videlicet quiescas ab illis, quæ vides à me improbari, nimirum à vitijs & malis affectibus: qualia sabbata Christianis esse debent omnes dies & nõ solùm Dominicus,

Tunc delectaberis super Dominum) id est, senties mirabilem incunditatem spiritus, & vehementer delectaberis in rebus ad Deum pertinentibus. *Et sustollam te super altitudinem terræ*) id est secũdum Hier. in cœlestem Ierusalem. Potest etiam pertinere ad præsentem statum, hoc sensu: Sustollam te super altitudinem terræ, vt scilicet magno animo despicias omnia terrena, & æquissimè feras etiamsi perpetuò hìc maneas miser & contemptus: quia frueris alijs delitijs & bonis, illis scilicet magnificis promissis Abrahæ, Isaac, & Iacob, & hoc est, quod subdit: *Cibabote hæreditate Iacob patris tui, os enim Domini locutum est*) Quasi dicat: Non est quòd addubites, certissimè præstabuntur, quia Dominus, qui fallere non potest, hæc locucus est, ac promisit.

CAPVT LIX.

Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestrra absconderunt faciem eius à nobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatetur.

Ecce non est abbreuiata etc.) Caput hoc plane cohęret præcedentibus. Ecce vos Iudæi quod hæc non contingunt vobis, quæ in præcedenti capite commemoraui, non est ex defectu Dei quasi ipse non possit, aut non velit ea præstare vobis. Sicut enim olim liberauit patres vestros ex Aegypto: ita & nunc vos saluare potest, vel ex Babylone, vel absolutè. Sed peccata vestra in causa sunt, illa quasi murus quidã in medio oppositus impediũt, ne hæc Dei magnalia ad vos pertingãt. Propterea audiendus est Ioannes Baptista clamans, pœnitentiam agite, & ita sentietis hæc Dei, p̃ missa. In hoc aũt tractatu, qui cepit à cap. 44. & ducat vsque ad finem libri, semper ante oculos habendum est, quòd sit perpetua p̃phetia de Christo nasciturο: intermiscet tamẽ frequenter conciones, quibus docet populũ vitia sua agnoscere & vitare, & hoc eo consilio, vt possit ab eis agnosci & recipi Christus. Quæ sint autẽ peccata de quibus supra generaliter dixerat, Peccata vestra ab-

stra absconderunt faciem eius &c. nunc in partibus explicat dicens:

Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine) scilicet innocentium, *Et digiti vestri iniquitate*) ex oppressione scilicet pauperum.

Non est qui inuocet iustitiam, neq; est qui iudicet verè, sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates, Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem, Ouа aspidum ruperunt, et telas aranеæ texuerunt, Qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum, Telæ eorum non erunt in vestimentum, neq; operientur operibus suis. Opera eorum, opera mutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

Non est qui &c.) Id est, Non est qui adhibet iustitiam in consilio. Huncautem esse sensum docet quod sequitur: *Neque est qui iudicet verè, sed confidunt in nihili*) id est, in ieiunijs, sabbatis & cęremonijs fide & charitate vacuis. Vnde in præcedenti capite dicunt: Quare ieiunauimus & non aspexisti? &c.

Conceperunt laborem &c.) Quod hìc vertit laborem, in psal. 7. & cap. 15. Iob vertit dolorem. Vox autem Hebræa naturaliter significat laborem non quemuis, sed talem, qualis est nitentium & eorum qui se fatigant laborando: Vnde ipsam vocem deflexerunt ad significandum defatigationem, quæ quia cum dolore plerunq; coniuncta est, vsurparunt etiã pro dolore: Postremo deflexerunt ad significandam peruersitatem siue iniquitatem, quòd ea dolorum sit causa, quomodo hìc verti poterat: Conceperunt peruersitatem & pepererunt iniquitatem. Quibus verbis significat propheta, quòd magno studio moliantur mala, & ingenti cum labore ea perficiant.

Ouа aspidum ruperunt &c.) Oua aspidum rumpere, hoc est quod Latini dicunt, Camarinam mouere, id est, sibi ipsi malum accersere. Sensus prophetæ est: Videntur sibi prudenter valde instituisse consilia sua, sed reuera aperiunt sibi fontem mali. *Et telas aranеæ texuerunt*) id est videntur sibi maxima præstitisse, sed omnia tam sunt inania, vt aranearum telæ.

Qui comederit de ouis eorum &c.) id est, qui acquieuerit consilijs eorum, morietur in anima. *Et quod confotum est &c.*) Latini hoc dicunt, Mali corui malum ouum. Sensus est: Pestiferum erit, quod ex huiusmodi ouis egredietur, id est, quod ex consilijs eorũ proficiscetur. *Telæ eorum &c.*) id est, Consilia siue opera secundũ consilia eorum facta non proderunt eis. Ac vt sciamus in telis opera significari, intulit propheta: Neq; operientur operibus suis, ideo autem non operientur, quia opera eorum opera inutilia.

Pedes eorum ad malũ currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem, Cogitationes eorum, cogitationes inutiles, Vastitas & contritio in vijs eorum, Viam pacis nescierũt, & non est iudicium in gressibus eorum, Semitæ eorum incurnatæ sunt eis, omnis qui calcat in eis ignorat pacem. Prouer. 1. d

Pedes eorum ad malum currunt &c.) Versus hos sequentes citat Paulus in epistola ad Romanos capite tertio, quod multi ignorantes, ex psalmo decimotertio desumptos putant, cùm in illo psalmo neque apud Hebræos, neq; apud Septuaginta, neq; in commentarijs Græcorum reperiantur, vt docet D. Hieronymus in proœmio 16. libr. comment. in Esaiam.

Vastitas & contritio &c.) Id est, omne studium eorum in hoc est, vt vastent, conterant & calamitate afficiant proximos. *Viam pacis nescierunt*) id est, nequaquam pacifici sunt, sed quæstus & auaritiæ causa omnia perturbant. *Non est iudicũ in gressibus eorũ*) Quemadmodum iustitia, ita & iudicium generali intellectu comprehendit omnem virtutem. Sensus est: Gressus eorũ peruersi sunt. *Omnis qui calcat in eis ignorat pacem*) qualis est animæ secum, & cum Deo.

Propter hoc elongatum est iudiciũ à nobis, & non apprehendet nos iustitia, Exspectauimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulauimus, Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus, Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui, Rugiemus quasi vrsi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus.

Propter hoc elongatũ &c.) Sermo est agnoscentium valdè peccata sua. Vnde videtur esse vox Iudæorum saluandorum. Iam non agnoscunt peccata sua, iam putant se præstare legem, & quasi fiducia bonæ conscientiæ dicunt, Quare ieiunauimus & non aspexisti? verũ tempus veniet quando agnoscent peccata sua, & tunc dicent, Propter hoc elongatum est iudicium à nobis, id est, propter iniquitates nostras elongatum est iudicium à nobis. Et quia sequitur, Exspectamus lucem &c. videntur hæc vocabula, iudicium & iustitia, hìc sumi quomodo in psalmo: Deus iudiciũ tuum Regi da, & iustitiã tuam filio Regis, vt sensus sit: Quia fecimus ea quæ præteritus sermo narrauit, propterea iudicium illud, quo Dei filius susceperurus erat causam nostram contra diabolum, elongatum est à nobis, & iustitia diuina tam magnificè nobis promissa non apprehendit nos, id est, effectus promissionum de Messia non apprehendit nos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæcitas Iudæorum.

Expectauimus lucem) Sermo est de cæcitate, quæ erat in Israel, quando Saluator versans inter eos, non tamen agnoscebatur ab eis, nec recipiebatur. *Impegimus meridie &c.*) Sensus est: In toto terrarum orbe sole iustitiæ rutilante & Christi Euangelio propagato nos impegimus, & incidimus in varios errores.

Rugiemus quasi vrsi &c.) Hieronymus interpretatur istud in malam partem, vt significetur feritas siue crudelitas Iudæorum rugientium contra Christum & humilem populum eius. Nos verò secundum interpretationem iam cœptam intelligemus de vehementi compunctione cordis & vera pœnitentia, secundum illud: Rugiebam à gemitu cordis mei, vt pertineat ad Israelem, qui post plenitudinem gentium saluus fiet. *Et quasi columbæ &c.*) Istud constat non esse animi crudelis, sed animi dolentis se destitutum. Pro eo autem quod nos habemus, Meditantes gememus, Hebræi habent, Meditantes meditabimur. Est enim eadem vox apud ipsos. Quid autē sit meditari, exactè dictum est cap. 33. vbi dicitur: Cor tuum meditabitur timorem. Est autem verbum magni studij, & conatus assiduiac perpetui. Sensus est: In gemendo tales nos præstabimus, quales videmus columbas, quæ sine fine iterant gemitum.

EXspectauimus iudiciū, & nō est: salutem, & elongata est à nobis. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis. Quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominum, & auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri, vt loqueremur calumniam & transgressionem, Concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij, & conuersum est retrorsum iudicium, et iustitia longè stetit, Quia corruit in platea veritas, & æquitas nō potuit ingredi, & facta est veritas in obliuione, & qui recessit à malo, prædæ patuit.

EXspectauimus iudicium &c.) Illud videlicet iudicium exspectauimus, quod facit Christus contra diabolum pro mansuetis terræ, id est, pro omnibus sibi obtemperantibus. Et expectauimus salutem, illam nimirum, quæ in lege promissa est.

Multiplicatæ sunt iniquitates &c.) Hæc est causa quare elongata est ab eis salus, & quæ sint illæ iniquitates & peccata, docet cū subdit: *Peccare et mentiri contra Dominum*) id est, contra Christum Saluatorem, quod satis manifestum est ex historia Euangelij: *Et auersi sumus ne iremus*) id est, ne sequeremur Christum. *Concepimus & loquuti sumus*) Secundū Hieronymum sensus est: Contempta Dei lege excogitauimus & ex corde nostro confinximus alias leges iniquas, videlicet deuteroses. *Et conuersum est retrorsum iudicium*) illud nimirum, de quo in psal. Deus iudicium tuum Regi da: Similiter & iustitia accipitur.

Quia corruit in platea veritas) Veritas illa generalis nominis, id est, ipsa lex & mandata Dei corruerunt apud Iudæos & apud nos. *Et qui recessit à malo, prædæ patuit*) id est, insidijs & persecutionibus, ita quòd nudarentur bonis suis, & eijcerentur è synagogis, sicut patet apud Ioannem Euangelistam de cæco illo, qui oculos receperat. Ioan. 9

ET vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium. Et vidit Deus quia non est vir, & aporiatus est, quia nō est qui occurrat, Et saluabit sibi brachium suū, & iustitia eius ipsa confirmauit eum, Induitus est iustitia, vt lorica, & galea salutis in capite eius, Indutus est vestimentis vlcionis, & opertus est quasi pallio zeli, sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis. Ephes. 6. 1. Thes. 5.

ET vidit Dominus) scilicet istud in populo suo, quem habuit sibi quasi peculiū, & displicuit ei, hoc est quòd dicit: Et malū apparuit in oculis eius. *Quia non est iudicium*) scilicet tale quo discernimus inter verum & falsum, bonum & malum.

Et vidit Deus quia non est vir) Id est, non est quisquam, nemo est qui faciat iudicium in populo isto. *Et aporiatus est*) Pagninus in textu suo vertit, Admiratus est, & in thesauro linguæ Hebreæ exponit, obstupuit. Vox autem Græca ἀπορεῶμαι, significat perplexum esse, & inopem consilij. Sensus est: Populum quem ego sic instituī, cui legem dedi, hic populus in vniuersum malus est, ita vt præ multitudine peccatorum obstupuerim, & quasi perplexus hæserim quidnam facerem.

Quia non est qui occurrat) scilicet mihi irato, cuperem aliquem virum iustū mihi irato occurrere, qui cohiberet me ab ira, sed nullus (proh dolor) est, omnes declinauerunt, & simul inutiles facti sunt. Pagninus vertit, quia nullus est qui oret. Vox autem Hebræa vtrunque significat, & occurrere & orare seu deprecari.

Et saluabit &c.) Est hoc loco mirabilis textus. Exspectabatur autem istud: Quia populus hic in vniuersum malus est, nec iustus quisquā, qui occurrat mihi irato, semel perdam populū hunc: Nunc verò præter talem exspectationem sequitur mirabilis Dei misericordia, & pro minis, morte, inferno, penitur salus, saluabit inquit sibi brachium suum, Istud autem opponitur illi, Non est qui occurrat. Sensus est: Solo suo brachio, nullo alio

lo alio adhibito saluabit hominem peccatorem. Eadem phrasis est in psal. 97. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit, saluabit sibi dextera eius, id est, nō adhibita humana opera, nullis hominum meritis adhibitis, sed sola gratuita sua misericordia saluabit genus humanum, nihil erit hominibus quod ipsis valere possit ad salutem, vnde ad ipsorū salutem contulit Deus suam potentiam, quam per brachium intelligit propheta.

Et iustitia sua &c.) Istud opponitur illi: Et aporiatus est, cuius vt diximus, sensus est: Obstupuit & quasi perplexus hæsit quid faceret: Dominū autem sic quasi perplexum confirmauit iustitia sua, non quidem iustitia vindicatiua, sed iustitia liberans in Christo. Sensus est: Quanuis populus iste sit totus peruersus, Dominus tamen liberabit eum, & in liberando vtetur iustitia, quam petet non ex ipsorum meritis, quæ nulla sunt, sed ex meritis Christi.

Indutus est iustitia &c.) Verbis his sequentibus significatur partim clementia Dei, partim ira seu vindicta. Qui autem præbebunt se mansuetos, qui obtemperabunt Euangelio, & recipient in propria venientem, in illos exercebit clementiam & misericordiam, propter illos dicitur, Et indutus est iustitia, quia videlicet reddet illis nō quidem quod ipsorum facta merentur, sed quod meretur obedientia Christi: Qui verò permanserint duri & obstinati, nolentes obtēperare prædicationi Euangelicæ, in illos exercebit vindictam & iram, & reddet eis quod ipsorum mala facta merētur, & hoc est quod subdit: Indutus est vestimentis vltionis &c.

INsulis vicem reddet, & timebunt qui ab occidente, nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius, Cùm venerit quasi fluuius violentus quem spiritus Domini cogit, et venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus, Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, & vsq; in sempiternum.

INsulis vicem reddet) De insulis dictum est in superioribus. Sensus est: Quia ipse omnium Dominus est, non solùm Iudæorum, sed etiam insularum, id est, gentiū vltra mare & flumina positarum, idcirco etiā illis vicem reddet: illis inquam qui nō præbent se dociles Euāgelio. *Et timebūt qui ab occidente*) id est, occidētales: *Et qui ab ortu solis &c.*) id est, orientales. Et loquitur propheta de timore casto & filiali, de quo in psal. Timor Domini sanctus &c. Et gloria illa intelligitur, de qua in epistola ad Rom. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.

Cùm venerit) scilicet Dominus vel gloria eius quasi fluuius violētus. Significatur exundantia gratiæ: veniet gratia non parte, sed toto & pleno fluuio, quem fluuium spiritus Domini cogit & agit. Vox autem Hebræa propriè significat fugare vel facere currere. *Et venerit Sion redemptor*) id est, Christus redimet Sion suo sanguine, & ne putemus omnem Sion redimi, signanter adiunxit, *Et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob*) Illud autē, In Iacob, phrasi Hebraica dictum est, pro agentibus in Iacob, vel pertinentibus ad Iacob. Ex capite autē 11. epist. Pauli ad Roma. vbi citat hoc testimoniū, discimus Sion hoc loco intelligendam illam, quę est in Palæstina, & Iacob carnalem Israelem, id est, populum Iudaicum, qui secundum carnem ab Israel descēdit, Et docet ibi Apostolus istud vaticinium nondum impletū, quanuis per Apostolos multi in Iacob crediderint, sed explendum futuro tempore, quando subintrante plenitudine gentium totus Israel saluus fiet, hoc est, tam ingens multitudo, vt propter eam, meritò totus populus Israeliticus possit dici restitutus seu redemptus.

Hoc fœdus meum cum eis) Ad verbum est: Ego hoc pactum meum cum eis, scilicet, feriam. Quod autem sit istud fœdus, pactum seu testimonium sequitur: *Spiritus meus qui est in te*) Si autem dixisset, Spiritus meus qui est in vobis, facile esset: Nunc verò quia mutato numero dixit, Qui est in te, aberrāt hic interpretes. Nonnulli enim referunt ad Esaiam, nonnulli ad Christum, aliqui ad nascentem Ecclesiam: Alij rursus ad totam Ecclesiam, quib⁹ obstat genus, nam (te) in Hebræo est masculini generis. Minus verò coactum videbitur, si dicamus prophetam ab omnibus illis, quos complectebatur (eis) ser monem dirigere ad vnumquenq; eorū qui sunt in illo grege saluandorum. Dicit ergo, Fœdus quod faciam tecum, istud est, *Spiritus meus qui est in te*, intellige autem spiritum sanctum, per quem infunditur charitas in corda credentium: *Et verba mea quæ posui in ore tuo*, id est, legem meam & præcepta mea fide præstabis, vita, & opere, & hoc beneficio istius spiritus. Prolixam autem hanc periodum, videlicet: Hoc fœdus meum cum eis &c. vsq; ad finem capitis, videtur Paulus abbreuiasse salua sententia, cùm dicit in epistola ad Rom. Et hoc illis à me testamentum cùm abstulero peccata eorum. Verba sunt quidem diuersa, sensus tamen idem. Hoc inquit eis testamentum à me, auferam peccata eorum. Vide cap. 31. Hieremiæ: Ecce dies veniunt &c. vbi eadem est prophetia. Rom. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT LX.



Vrge, illuminare Hierusalē, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autē orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui, Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, Filij tui de longè venient & filiæ tuæ de latere surgent. Supr.49.c

Vrge, illuminare Hierusalem) Difficultas hic est, quam propheta intelligat Hierusalem: an illam quæ occidit prophetas: an verò spiritualem Hierusalem, quæ est ciuitas credentium siue Ecclesia. Hieronymus autem in fine commentariorum superioris libri, vbi interpretatur illum versiculū, Cùm venerit Sion redemptor &c. talem tradit regulam: Quicquid repromissionum legimus & lecturi sumus ad Sion & Hierusalem, non generaliter ad omnes Iudæos, sed eos qui in Apostolis & per Apostolos electi sunt ex Israel, specialiter dici intelligere debemus. Secundum Hieronymum ergo Hierusalem intelligitur hoc loco, nō illa quæ occidit prophetas, neq; tota ciuitas credentium, sed parua illa quæ primùm de Iudaico populo collecta est Sion. Quòd autem ista intelligatur Hierusalem, probabile est, tum quia in sequentibus dicitur, Omnes isti congregati sunt &c. & rursus, Qui sunt isti qui vt nubes volant, vbi parua hæc collectio, id est, primitiua Ecclesia ex Iudæis congregata miratur ad se volare gentium multitudinem: tum quia perpetuus est sermo huius capitis cum capite superiori. Vnde solam compellat Hierusalem, cuius meminit in fine præcedentis capitis, cùm dicit: Veniet Sion redemptor &c. Quod autem sit perpetuus sermo de illa Sion siue Hierusalem, argumentū est quòd in Hebræo nō ponatur nomen Hierusalem hoc loco, sed tantùm dicitur, Surge, illumina, quia venit lumen tuū. Imò nec textus Hieronymi additus commentario, habet: & in Septuaginta positus, dicit obelo notandum. Verisimile autem est ex vsu ecclesiastico additum esse in libris nostris, propter planiorem sensum. Sensus ergo est: Surge ò Sion illa quam interpretatus est Paulus, & cuius mentio est in præcedenti capite, ò Ierusalem Iudaica surge & illuminare, quia venit lumen tuum, id est, Christus qui est lumē mundi, natus est tibi, & gloria Domini super te orta est: illa autem gloria, de qua in epistola ad Rom. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, quæ gloria sita est in misericordia & clementia Dei erga nos: qua gloria, illa magna contingunt credentibus, quæ nunquam contigerunt amatoribus sæculi, scilicet remissio peccatorum, adoptio filiorum Dei, vera iustitia, à qua iusti appellātur, & sunt verè credentes & implent legem. Alij verò putant hanc gloriam sitam esse in miraculis Christi.

Quia ecce tenebræ operient terram) Id est, futurum est, vt maximæ tenebræ operiant terram hanc Palæstinam. *Et caligo populos*) siue vt in Hebræo habetur, Iribus, quod propriè ad Iudæos refertur. Et significatur cæcitas illa, quam vsq; hodie patiuntur carnales Iudæi: Super te autem ò Sion credens orietur Dominus: & gloria eius, de qua ante dictū est, in te videbitur.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo) siue vt alij vertunt, ad lucem tuam, id est, tale lumē & talis splendor orietur in te Sion, in Ecclesia adhuc nascente, vt etiam gentes & earum reges nō dubitent se tibi adiungere: lumen Euangelij quod primùm in te orietur per Apostolos, deinde transibit ad gentes. Et explicans specialiter quomodo gentes ambulabunt in lumine isto, subdit:

Leua in circuitu oculos tuos) scilicet ad Orientem & Occidentem, Aquilonem & Meridiem. Loquitur autem paruæ illi congregationi Iudæorum credentium tanquam matri, cuius filij sunt gentes, quæ postea acceserunt ad fidem. Huicergo congregationi dicit, circumfer oculos, & vide, omnes isti congregati sunt tibi &c. Dicticōs enim demonstrat populos nationum. In eo autem quod sequitur: *Et filiæ tuæ de latere surgent*, verisimile est mendum esse, & pro surgent legendum sugent. Sic enim habet Hieronymus in suo textu, & in commentarijs ita interpretatur. Pagninus verò vertit: Filiæ tuæ iuxta latus tuum nutrientur. Alij autem, Filiæ tuæ iuxta latus souebuntur. Secundum nostram autem lectionem sensus est: Tam gentes remotæ quàm propinquæ adiungentur tibi, surgent ex latere, id est, ex propinquo.

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum: quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te: dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient: aurum & thus deferentes: & laudem Domino annunciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes in Nabaioth ministrabunt tibi. Offerentur super placabili altari meo: & domum maiestatis meæ glorificabo. Inundatio dicit. Madian. Epha. Cedar. Nabaioth.

Tunc videbis & afflues) Id est, cū ita turmatim ad te confluent vndiq; populi, tunc

tunc in modum fluuiorū, subitis aquarum vndis, id est, Gentium populis inundaberis adeò, vt mirabitur, & præ nimio gaudio dilatabitur cor tuum. *Quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*) Mare vocabulum est affine insulis. Complectitur autem omnes occidentales. Sensus est: Quicunque sunt Iudæis ad occidentem, confluent ad istam Sionem, non quidem ad terram illam Palæstinam, quæ tantam multitudinem gentium credentium capere non posit, sed ad Sionem illam Iudaicam, id est, Ecclesiam, quæ constat ex Petro, Iacobo, Apostolis, & cæteris ex Iudæis credentibus. Quod sequitur, *Fortitudo gentium venerit tibi*, interpretatio est superioris.

Inundatio camelorum &c.) Magnificè dictum est, significat enim ingentem camelorum copiam, hoc sensu: Toti greges camelorum & aliorum animaliū, venient in tanta copia, vt videantur te quasi cooperire. Dromedrarij autem dicti sunt à currendo, & putant quidam eiusdem rei nomen esse, cuius est camelus: Hebræi verò sua voce significari dicunt pullos camelorū. Madian autem & Epha regiones sunt trans Arabiam fertiles camelorum, totaq; prouincia, vt Hieronymus ait Saba appellatur. Quid autem significetur per aurum, an fides, an sapientia, an aliud: item quid per argentum & thus, incertum est. In genere quidem significatur quodcunq; optimum est: hoc sensu: Quod habet quæq; regio optimum, hoc offeret. *Et laudem Domino annunciantes*) Id est, agnoscēt se munere Christi iustos & implere legem, atq; de hoc maximè agent gratias Deo.

Omne pecus Cedar &c.) Cedar & Nabaioth filij sunt Ismaelis, ex quorū nominibus appellata est, ait Hieronymus, solitudo quæ frugum inops, plena est pecorum. Omne ergo pecus regionis Cedar congregabitur tibi, id est, ipsi Cedareni qui in scriptura vocantur Ismaelitę & vulgo Saraceni adiungēt se tibi, & populus Nabaioth suscipiet religionem tuam. Nominibus autem animalium per metaphoram ipsi homines significātur, quemadmodum suprà cùm dicitur, Inundatio camelorum &c. Annotandus est hìc commentarius Hieronymi, optimus ad intelligendum scripturas prophetarum, qui sic habet: Per familiaria nomina gentiū barbararū, quæ vicinæ sunt Israeli, totius mundi conuersio prædicatur, nimirum per synecdochen.

Offerentur super &c.) Id est, Erunt mihi victimæ imprimis acceptæ. *Et domum maiestatis meæ*) id est, Ecclesiam, in qua verè habitat Deus, glorificabo.

Qui sunt isti, qui vt nubes volant: & quasi columbæ ad fenestras suas? Me enim insulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè. Argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te, Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Apoc.21.c

Qui sunt isti, qui vt nubes &c.) Miratur Ecclesia de circuncisionis populo primum congregata volare ad se ex toto terrarum orbe gentium multitudinem. Sensus est: Quā densæ meant nubes per aera quando coguntur vento, quàm item densæ volant ad nidos suos columbæ imminente vel exorta tempestate: tam densæ confluent ad te turmæ nationum, vt dictura sis præ nimia admiratione, Qui sunt hi qui vt nubes volant? &c. Comparatio

Me enim insulæ expectant) Ne putes vicinos tantùm, Syros, & Moabitas, ad fidem Christi conuertendos, etiam remotissimæ insulæ quæ sunt vltra mare, id est, Gentes longissimè disitæ, quæ consuetudine scripturæ insulares appellantur, adiungent se Ecclesiæ: & ideo rectè dixi, quòd eo tempore quo ista implebuntur, erumpes in vocem admirationis, dicens: Qui sunt hi, qui vt nubes volant &c.

Et naues maris &c.) Id est, homines perpetuò in mari versantes, ad religionem alioqui ineptissimi, hi imprimis adiungent se fidei & religioni. *Vt adducam filios tuos de longè*) Id est, omnes ad vitā præordinatos, & quos ante tempora secularia proposui saluare, hi per fidem adducentur ad Sion, vbicunque terrarum fuerint, licet etiam in vltimis orbis finibus.

Argentum eorum &c.) Per tropum significat, quòd regna gentium, quicquid habent egregium, conuertent ad religionem Christianam, vt Græci sapientiam, Romani iustitiam, alij reuera aurum, & argentum, & similia.

Et ædificabunt filij peregrinorum &c.) Filij peregrinorum Hebraicè dictum est, Latinè autem diceretur, peregrini seu alienigenæ, id est, populi nationum ædificabunt muros tuos. *Et Reges eorū &c.*) Reges intelligi possunt proprij nominis Reges, quemadmodum & muri. Videmus enim, ait Hieronymus, Cæsares Romanos Christi iugo colla submittere, & ædificare Ecclesias expensis publicis: atq; aduersus persecutiones gentium atq; insidias hæreticorum legum scita pendere. Possunt etiam intelligi figurati nominis Reges, & sunt illi qui continentia, eloquentia, sanctitate principes sunt, & animæ imperio carnem subijciunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN indignatione enim mea percussi te: & in reconciliatione mea misertus sum tui, Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur: vt ingrediatur ad te fortitudo gentium: & reges earum adducãtur, Gens enim & regnũ quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.

IN indignatione mea &c.) Respicit in paruulo illo grege radicem & stirpem, id est, Iudæã totam: Illam passus fuerat Dominus esse absque prophetis mox à reditu Babylonis vsq; ad Christũ, quo tempore regnabant hypocritæ, Scribæ, & Pharisæi, homines quæ rentes suam gloriam, ignorantes iustitiam Dei, tradentes traditiones hominum, quod permittere, erat mirabiliter percutere Iudeã in indignatione. *Et in reconciliatione mea misertus sum tui*) id est, iuxta Paulum, secundũ propositum voluntatis meæ, siue in beneplacito voluntatis meæ. Vox autem Hebræa significat vltroneam illam misericordiam, clementiam, & voluntatẽ, qua Deus sponte per se non respectũ meritorum miseretur, & vult esse beneficus. Hunc gratuitum affectũ misericordiæ Septuaginta ferè expresserunt voce εὐδοκία, nouæ rei nouum vocabulum fingentes. Vide Hieronymũ in comment. super primum caput epistolæ ad Ephe. Eph.1.

Et aperientur portæ tuæ iugiter) vt omni tempore introitus pateat credentibus ad ecclesiam. *Vt ingrediatur &c.*) id est, quicquid insigne est apud gentes, hoc adferetur tibi. *Gens enim et regnũ quod non seruierit tibi, peribit*) perditione quæ impijs parata est. Quicunq; enim non agnoscent Ecclesiam, quicunq; nõ discunt captiuare intellectum suum in obsequium fidei, illi peribunt, Hæretici videlicet & Pagani, Schismatici &c. *Et gentes solitudine vastabuntur*) Quæ scilicet non seruierunt tibi Sioni. Quanquã autem initium huius prophetiæ respiciebat ad nascentem Ecclesiã, paulatim tamen progreditur ad prouectam Ecclesiã: Et omnia quæ hîc dicuntur, post primũ Saluatoris aduentum vsq; ad finem mundi ex parte expleta, & penitus explenda intelligenda sunt.

GLoria Libani ad te veniet: abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui, filij eorũ qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum: omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatẽ Domini Sion, sancti Israel, Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret: ponam te in superbiã seculorũ, gaudiũ in generationẽ, et generationem. Sup.75.g.

GLoria Libani &c.) Liban mons est Phœnicis celsis arboribus consitus, de quo dictum est cap.29. Conuertatur Libanus in Carmel. Et cap.35. Gloria Libani data est ei. Quid autem in specie significetur per abietem, buxum, & pinum, incertum est: In genere tamẽ significatur quod viri magno ingenio prædíti, instructiq; sapientia & philosophia, omnium deniq; rerum cognitione ornati, sapientiam suam, & philosophiã ardoremq; pectoris cõuertent ad vsum Ecclesiæ. Vir sanctus & eloquentissimus martyr Cyprianus & Hylarius, ait Hieronymus, excelsæ quondam in seculo arbores, ædificauerunt Ecclesiam Dei, quæ per locum sanctificationis significatur.

Et venient ad te &c.) Sensus est: Quibus Iudæa ante erat contẽpta, illi venient & proni adorabunt te Sionem. *Pro eo quod fuisti derelicta*) id est, bonis præfectis destituta, vt ante dictum est: Regnabant enim Scribæ, & Pharisæi, Annas & Caiphas, homines mali & auaritiæ dediti, gloriam suam & non Dei quærentes: *Et odio habita*) id est, exosa regibus exteris. *Et nõ erat qui per te trãsiret*) Quo significatur contemptus, quòd in nullo erat pretio: vel secundum Hiero. nõ erat qui tibi præberet auxilium: *Ponam te in superbiam seculorum*) id est, in magnificentiam siue in gloriam sempiternam, quomodo apud Virgilium: Hinc ope opulum latè Regem, bel loq; superbum, id est, nobilem & insignem.

ET suges lac gentium: & mamilla regum lactaberis, Et scies quia ego Dominus saluans te: & redemptor tuus, fortis Iacob, Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, Et ponam visitationem tuã pacem, & præpositos tuos iustitiam.

ET suges lac &c.) Pro illo, Mamilla regum lactaberis, Septuaginta transtulerunt, Diuitias Regum comedes. Sensus est: Quidquid egregium est apud gentes, vertetur in vsum & bonum tuum.

Pro ære afferam aurum &c.) Per tropum significatur, quòd fortitudo, qualis erat Romanorum, item iustitia, temperantia, quæ non habebant veram laudem apud Deum, posthac habebunt veram laudem ex fide & gratia Christi, erunt posthac veræ virtutes.

Et ponam visitationẽ tuam &c.) id est, eos qui visitabunt te, id est, præfectos tuos ponam pacem, non erit contentio neq; dissidium inter visitatores tuos & te, sed erit firmissima pax, & præpositos tuos efficiam vehementer iustos. Pagninus autem visitationem in malam partem accipit hoc sensu: ponam perfectos tuos, qui te opprimebant, pacem: Similiter in malam partem accipit præpositos, intelligens exactores. In qua significatione vocem Hebræam etiam accipit D. Hieronymus cap.9. huius prophetæ, cùm dicitur: Et sceptrum exactoris eius &c. Et capite 14. Subijcient exactores suos, vbi in Hebræo est eadem vox quę hoc loco. Quod autem hîc propositos vertit, verisimile est ipsum secutum Septuaginta, qui transtulerunt episcopos.

NOn audietur vltrà in terra iniquitas tua, vastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Nõ erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui, Populus autẽ tuus, omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram: germẽ plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandũ. Apoc.22.g. Apoc.21.

NOn audietur vltrà in terra iniquitas &c.) Istud autem erit quando absorptum erit in victoria regnũ mortis & peccati. Nam inter Christianos iã auditur magna iniquitas, & à die natiuitatis nostræ vsque ad diem mortis, luctus, lachrymæ, & miseriæ. Respicit ergo propheta statum vitæ futuræ.

Non erit tibi amplius sol ad lucendũ) Id est, in altero illo sæculo non vteris amplius beneficio solis per diem, neq; lunæ per noctẽ, sed Deus erit tibi omnia, ille te illuminabit, ab illo pendebis, & illo frueris.

MInimus erit in mille: & parvulus in gentem fortissimam, Ego Dominus: in tempore eius subito faciam istud.

MInimus erit in mille) Hieronymus accipit vt pertineat ad potestatem, & hoc sit, quod apud Lucã dicitur cap. 19. Tu esto potestatem habens super decẽ ciuitates. Et in Apoca. cap.2. Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes. Contra hanc autem expositionem est formula illa loquendi, Minimus in mille. *Et parvulus in gentem &c.*) Quæ magis ad propagationem pertinere videntur & sobolem, quemadmodum in Genesi dicitur de Abraham, quòd futurus sit in gentem magnam. Vnde Pagninus vertit: Parua familia erit in mille, & parua familia in gentem fortem. Secundum quam interpretationem respicit præsens sæculum, & loquitur de propagatione spirituali. Sic sanctus Franciscus minimus quidẽ fuit in mille, id est, multos propagauit in religione Christiana.

Ego Dominus in tempore) scilicet à me constituto & determinato subitò faciam istud. Pro, subitò faciam, Hebræi habent vnicum vocabulum quod significat facere accelerare.

CAPVT LXI.

SPiritus Domini super me eo quòd vnxerit me, Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer cõtritos corde: & prædicarẽ captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro, vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere: oleũ gaudij pro luctu: pallium laudis pro spiritu mœroris.

SPiritus Domini super me &c.) Principium huius capitis exposuit Saluator apud Lucam capite quarto, cùm ait: Hodie impleta est prophetia hæc in auribus vestris, quia ego Christus sum ille, de quo Esaias loquitur. Quod autem dicit, Spiritus Domini super me, intellige iuxta dispositionem naturæ assumptæ: nam secundum diuinitatem non erat super eum. Per Dominum hoc loco intelligit ipsum patrem.

Eo quòd vnxerit me) Qua autem re Deus pater vnxerit Christum, docet Petrus in Actis cap.10. vbi de Christo loquens ait: Quẽ vnxit Deus spiritu sancto & virtute. Vnctus est ergo plenitudine gratiæ. Quare Christus sit vnctus.

Ad annunciandum) id est, ad Euangelizandum mansuetis misit me. Mansueti autem secundum scripturam sunt, qui ad prædicationem Euangelij credunt, & obediunt verbo Dei, qualescunque antè fuerint. Contritos verò corde vocat eos, quorum conscientia tota cõtrita est, id est, turpitudine peccatorum vulnerata. Vnde Symmachus & Theodotion verterũt: Ad alliganda vulnera peccatorum. Idem autem est cum illo, quod in Euangelio dicit Saluator: Venit filius hominis quærere quod perierat. Alij verò contritos corde accipiunt illos, qui dolent de peccatis suis. In qua significatione ea voce vtuntur scholæ. Qui dicantur mansueti: & qui contriti corde.

Et prædicare captiuis) scilicet à diabolo. *Indulgentiam*) id est, libertatem siue relaxationem à captiuitate. *Et clausis*) scilicet in tenebris peccatorum. *Apertionem*) Quod manifestius Symmachus transtulit: Vinctis solutionem. Clausura autem hæc, est consuetudo peccatorum, *Vt prædicarem annum placabilem &c.*) Ad verbum autem est: Annum beneplaciti, siue annum voluntatis. Est autem illa vox in Hebræo quæ suprà in capite præcedenti, cùm dicitur: In reconciliatione mea misertus sum tui. Annus autem placabilis est, quo Deus pater vult beneplacito suo vti erga homines, id est, quo decreuit misericordiam suam exhi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

exhibere humano generi: non quia id merebatur humanum genus, sed quia libuit illi esse misericordem. *Et diem vltionis*) scilicet aduersus principem tenebrarum. Diabolus possidebat humanum genus & variè abusus est, iam sumet vindictam ab eo, iam princeps huius mundi eijcietur foras.

Vt ponerem fortitudinem &c.) Sion autem Palæstina intelligitur: Lugentes verò tales, qualis erat Simeon, & similes in Iudæa, qui deplorabant statum populi Israelitici, qui expectabant consolationem Israel per Messiam. Nonnulla exemplaria habent fortitudinem: Vt ponerem fortitudinem lugentibus. Nonnulla verò habẽt, consolationem. Sed neutrum est in Hebræo neq; apud Hieron. & ex comment. Haymonis patet redundare, & adiectũ esse ab indiligenti scriptore.

ET vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum, Et ædificabunt deserta à sæculo, & ruinas antiquas erigẽt, & instaurabunt ciuitates desertas, & dissipatas, in generationem & generationem, & stabunt alieni, & pascent pecora vestra, & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis, Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis.

ET vocabuntur in ea) scilicet Sion Palæstina. *Fortes iustitiæ*) id est, eximij in iustitia. Iam quidem regnant Scribæ & Pharisæi, sed futurum est, vt excitentur in ea insignes iusti, quos admirabitur mundꝰ, Petrus, Paulus, Iacobus, & cæteri Apostoli, quorũ conciones erunt admirabiles.

Et ædificabunt deserta à sæculo &c.) Adam habuit cognitionẽ promissionis Dei de semine mulieris, cuius virtute cõtereretur caput serpentis, hanc tradidit filijs suis, quam mali neglexerunt, & ita ventum est in magna peccata, idololatriam, neglectum Dei & veræ pietatis: Hæc sunt deserta quæ ædificabũtur, religio scilicet Dei iam diu intermissa & quasi abolita & studium pietatis. *Et ruinas antiquas erigent*) Ruina magna erat ignorantia promissionum Dei, & cultus idolorum.

Et stabunt alieni &c.) per alienos & filios peregrinorum gentiles intelligit, hoc sensu: Omnia cedent vobis in vestrum vsum, Paulus mittet vobis Titum suum, vel Clementem, vel alium quempiam ex gentibus, qui præsit gregi vestro, qui aratro fidei proscindat terram vestram, & vineã vestram excolat verbo doctrinæ. *Vos autem sacerdotes &c.*) Vos qui propriè pertinetis ad Sion Palæstinam, de quibus dictum est: Nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semẽ &c. id est, vos Apostoli vocabimini sacerdotes Domini, quod exponens Hiero. ait: quales erãt filij Dauid. 2. Reg. cap. 8. Sensus ergo est: Vocabimini primi & præcipui in populo Domini. Nam sic accipitur ea vox in loco à Hiero. citato, quod patet ex 1. lib. Paralip. Pro eo enim quod in lib. Reg. dicitur: Filij Dauid sacerdotes erãt, in 1. Paralip. cap. 18. dicitur: Filij Dauid erant primi ad manũ Regis. Sic Exod. 19. Eritis mihi in regnum sacerdotale, quo loco sacerdotale pro nobili vsurpatur, hoc sensu: Eritis in regnũ celebre & insigne. Vide comment. Caietani super illum locum, & scholiũ Antonij Fonseca in margine adiectum. *Fortitudinem gentium comedetis*) id est, quicquid est apud gẽtes insigne illo vtemini ad gloriam religionis. *Et in gloria eorum superbietis*) Non quidem ea superbia, quæ in vitio est, sed ea quæ pro potentia & magnificentia ponitur, Vnde & Septuag. transtulerunt: Et in diuitijs earum eritis admirabiles, quod Hiero. intelligit de diuitijs spiritualibus, fide, iustitia, continentia &c.

PRo cõfusione vestra duplici, & rubore, laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis, Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum, Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum, Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.

PRo confusione vestra duplici &c.) id est, vehementi, sicut Latini bis ineptũ dicunt, pro vehementer inepto. *Laudabunt partem suam*) Sic legit Hiero. & interpretatur, item Haymo, & vterq; simpliciter accipit quod præcessit: Pro cõfusione vestra duplici. Verba autẽ Hiero. sunt: Pro eo quod duplicem habetis confusionem, tam super populo Iudæorũ qui à Deo recesserat, quàm super nationibus quæ idolis seruiebãt, videbitis eos conuersos ad timorem Dei, laudare partem suam. Nomine aũt partis significat id quod continget eis per Christũ. Sensus est: Iudæi & imprimis gentiles per prædicationẽ Apostolorum ad Christum conuersi, agnoscent magnifice secum agi, vnusquisq; dicet, nollem mihi contigisse insigne aliquod regnũ pro parte sortis meæ.

Propter hoc &c.) Duplicia, id est, maxima quæq; & eximia. Sic cap. 40. Suscipiet de manu Domini duplicia. Et apud Ieremiam 16. Reddam primum duplices. Et cap. 17. Duplici contritione contere illos. Et apud Zacha. cap. 9. Duplicia reddam tibi, id est, valde insignia, æterna scilicet præmia. Figuratè etiã accipitur in priori epist. ad Timotheum:

um: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur, id est, valdè magno honore. Haymo autem simpliciter accipit, hoc sensu: In terra sua, id est, cœlesti Ierusalem possidebunt duplicia, & corporis immortalitatem, & beatitudinem animæ.

Quia ego Dominus diligens iudicium) id est, quod iustum est & rectum. *Et odio habens rapinam*) etiam si conferatur illa ad holocaustum. Rapina autem generale nomẽ est hoc loco ad omne peccatum: Quando Dei voluntate neglecta nostrã facimus, rapina est generalis nominis, & hanc odit Deus etiam in ieiunijs & holocaustis.

Et dabo opus eorum &c.) Istud opponitur hypocrisi Pharisæorum. Sensus est: Beneficio spiritus quem dabo eis, faciẽt opera sua bona fide, in veritate, & non in hypocrisi: & fœdus non breui tempore sed perpetuo duraturũ feriam cum eis. Fœdus autẽ hoc exprimitur apud Ierem. cap. 31. Ecce dies venient &c. Et apud Paulum in epistola ad Hebræos cap. 8.

Et scietur in gentibus &c.) Significatur quòd Apostoli & alij primitiuæ ecclesię fundatores futuri sint vehementer nobiles, & suprà modum vbiq; approbati, adeo vt qui vitam eorum & mores propè aspexerint, agnoscant eos esse verè Christianos, & semen a Deo electum & benedictum.

GAudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, Quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis, Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus.

GAudens gaudebo &c.) Hic mutatio est personæ. Hactenus enim locutus est Christus, nunc verò sermones eius excipit Ecclesia: illa post promissiones has dicit, Gaudens gaudebo. Est autem conduplicatio Hebraica, quæ facit ad auxesim, hoc sensu: Suprà modum gaudebo & exultabo in Domino. Hoc gaudium autem & hæc exultatio non potest exprimi verbis, sed sentiunt in seipsis qui verè sunt in Christo, & qui spiritu sunt in Ecclesia. Et lætitiæ causam exprimens ait:

Quia induit me vestimentis &c.) Induere & circundare apud Hebræos verba sunt copię & largitatis. Sensus est: Maxima salute & maxima iustitia donauit me Dominus, & hac iustitia fretus, fit vt audeam exultare etiam imminente morte, facit quidem natura suum affectum, sed spiritus Dei vincit naturales timores.

Quasi sponsum decoratum corona) Per ornamenta hæc significantur vera charismata spiritus sancti. Diximus autem vocem esse Ecclesiæ, & omnium eorum qui verè sunt in Ecclesia secundum spiritum: sed iam difficultas est, quomodo Ecclesia dicatur sponsus. Istud mouit Augustinum vt adhiberet in explicatione huius loci regulam Tychonij de Christo & eius corpore seu Ecclesia: Quod de ijs loquatur scriptura tanquam de vna persona. Vide Augustinum lib. 3. de doctrina Christiana cap. 31. Verùm Hieronymum istud nihil mouit, & sponsum & sponsam interpretatur de Ecclesia, cuius verba sunt: Ponit similitudinem duorum in Ecclesia agminum, perfectorum atq; incipientium: perfectos autem sponsi comparat pulchritudini, incipientes verò sponsæ assimilat ornatui.

Sicut enim terra &c.) Sensus est: Ea copia, largitate, & benignitate qua terra pluuijs irrigata profert germen suum, & cætera, Dominus germinabit iustitiam illius nominis, quæ polita est in præstanda lege: & hoc faciet non coram vna tantùm gente Iudaica, sed cunctis gentibus: sic quod gentes quæ antè idololatriæ deditæ erant, iam verè præstabunt legem, non quidem suis viribus sed gratia Dei adiutæ & spiritu Christi.

CAPVT LXII.



PRopter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius: & saluator eius, vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum: & cuncti reges inclytum tuum, Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

PRopter Sion non tacebo &c.) In præcedenti autem capite introducitur Christus loquens vsque ad illa verba, Gaudens gaudebo in Domino, quæ deinde sequuntur vsque ad finem capitis, ex persona Ecclesiæ dicuntur: iam verò in hoc capite est vox prophetæ exprimentis vehementem suum erga populum Iudaicũ affectum. Quod ergo dicit, Non tacebo, Hieronymus accipit non de docendo populo aut concionando vel scribendo, sed de precando, & Sion Palæstinam intelligit, hoc sensu: Iugiter precabor Dominum, vt tandem aliquando populo huic præstet magnas illas promissiones: clamabo & precibus iungam preces, nec quiescam à precando, donec

Universidad de Deusto
Biblioteca

donec egrediatur vt splendor iustus eius, id est, Messias Sioni promissus: egrediatur inquam à patre & nascatur in Iudæa, nec ibi concludatur, sed instar lampadis accendatur in toto terrarum orbe, & splendore suo illuminet mundum. Propterea sequitur:

Et videbunt gentes iustum &c.) Nomine gentium intelliguntur omnes illi, qui alieni sunt à Iudaismo. Sic ea voce perpetuò vtitur Paulus, & ferè vbiq; prophetæ, vt videlicet opponatur Iudæis. Homines ergo gentiles à verò Dei cultu alieni agnoscent Christum, & hoc est quod dicit, videbũt iustum tuum, nimirum per fidem. *Et cuncti Reges inclytum tuum*) Alludit ad locum psal. 101. Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam. Vocem autem Hebræam, quam ibi gloriam vertit, hic transtulit inclytum.

Et vocabitur tibi nomẽ nouum) Sensus est: Sion quatenus agnoscet venientem in propria, accipiet nomen nouum, quod nomen secundum Hieronymum est Ecclesia, quod os Domini nominauit Matthei 16. cùm dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hieronymũ autẽ sequitur Haymo, item Dionysius & Lyra. Verisimilius tamen est nomen hoc nouum positum esse, non in voce aliqua grammatica, sed in ipsa re, hoc sensu: Contiget tibi longè aliud quiddã, quam hactenus cõtigit, hactenus fuisti sub lege & timore, præstitisti quę legis sunt: posthac autem sub gratia eris, & amore omnia facies. Si cui istud nõ placet, intelligat nomen nouum, illud quod postea sequitur: Vocaberis voluntas mea in ea.

Et eris corona gloriæ &c.) Id est, in te apparebit summa quædam & regia aliqua gloria, & hæc gloria in tuto erit, quia in manu Domini. *Et diadema regni &c.*) Eundem sensum habet cum priori. Quando autem respicimus ad Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, quales Ecclesia multos habuit sæculis prioribus, & adhuc hodie habet viros Christo in totum deditos, & omnia contemnentes, tunc agnoscimus in ea esse coronam gloriæ & diadema regni: Quando rursus respicimus ad alios multos malos, tunc nõ apparet in Ecclesia corona gloriæ & diadema regni.

NOn vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, Sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata, Quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur, Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui, Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

NOn vocaberis vltrà derelicta) scilicet à Deo, sed vocaberis voluntas mea in ea. Voluntas hoc loco apud Hebræos est vocabulum affectus, cuius radix significat valdè amare, & vehementer aliquid velle: vt in hb. Genes. vbi nos habemus, Amabat puellam valde, ad verbum est, voluit puellam seu filiam. Est autem familiare Hebræis, vt ex multis vocabulis vnum conflent, quemadmodum dictum est cap. 8. huius prophetæ. Huius autem nominis, videlicet, Voluntas mea in ea, etymologiam ipse propheta explicat, dum ait: Quia complacuit Domino in te, id est, quia valdè te amat Dominꝰ, & vehementer tibi afficitur. *Confit.*

Et terra tua inhabitabitur) Difficile est istud exponere de terra Palæstina, de qua in Euangelio Saluator: Ecce relinquetur domus vestra deserta. Diuus autem Hiero. terram Palæstinã intelligens, hoc modo exponit: Terra tua quæ ante natum Christũ deserta erat, & per errores & falsa dogmata Pharisæorũ vitiata, iam nato Christo inhabitabitur, id est, ab erroribus & vitijs liberabitur per doctrinam Christi & Apostolorum. Addit deinde Hieronymus: vel sumamus de Ecclesia. Iam facilis est sensus, quia Ecclesia semper inhabitatur.

Habitabit enim iuuenis cum virgine) scilicet maritata. Est autem phrasis Hebræa hoc loco, Latinus verò diceret: Sicut iuuenis habitat cum virgine, ita habitabunt in te filij tui. Quomodo etiã transtulerunt Septuag. Pertinet autem istud ad illos, qui verè sunt in Christo, & qui spiritu sunt in Ecclesia, illi iucundissimè agent: & hoc significatur ista similitudine. Est enim iucundũ contubernium cùm adolescens ducit adolescentulã.

Et gaudebit &c.) Id est, Quemadmodum gaudet sponsus super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus. Iuxta phrasin enim Hebræam ista duo assimilantur.

SVper muros tuos Hierusalem constitui custodes: tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt, Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in terra. Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, Si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti. Quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabunt Dominum, & qui compartant illud, bibent in atrijs sanctis meis.

SVper muros tuos &c.) Hactenus prophetæ vox fuit, nunc verò introducitur persona Dei loquentis ad Ierusalem, hoc est, Ecclesiam maximè primitiuam & eam quę per Apostolos & in Apostolis ædificata est. *Tota die &c.*) Hier. hæc omnia interpretatur, nec meminit quidem concionum, quas tamen non

non excludit. Sensus est: Assiduè precabuntur pro bono Ecclesiæ, quod fecerunt Apostoli & eorum successores, & faciunt etiam hodie quicunq; sunt veri pastores Ecclesiæ. Præter hos Hieronymus etiam angelos facit custodes, quod est consentaneum alijs scripturis.

Qui reminiscimini &c.) Alloquitur doctores & custodes Ecclesiæ, hoc sensu: Vos qui reminiscimini & alios reminisci faciatis Domini, ne taceatis, id est, ne sileat oratio vestra, orate iugiter pro Catholica fide & totius reipublicæ Christianæ statu, & ne detis silentiũ ei, scilicet Domino, sed semper (vt sic dicatur) molesti sitis, opportunè importunè interpellando pro Ecclesia, exemplo mulieris viduæ apud Lucam: Tam diu autẽ deprecemini Dominum, donec ponat Ierusalem laudem, id est, donec eam celebrem reddat in terra, vt quaqua versum diffusa in omnium ore versetur.

Iurauit Dominus in dextera sua) id est, per dexteram suam. *Et in brachio*) id est, per brachiũ fortitudinis suæ, id est iurauit per Christum, qui est virtus Dei patris. *Si dedero triticum tuum &c.*) Est apoſiopesis. Intelligitur enim hoc aut simile quid: Quiduis mihi potius eueniat: Non habeat à vobis Deus. Et loquitur non de terreno tritico, sed de illo de quo in psal. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Sensus est: Posthac vos qui estis in Christo, non eritis obnoxij illis iniurijs & inimicis, qui omnia vestra solent deuorare, principibus videlicet tenebrarum: sed sine timore de manu inimicorum vestrorum liberati, seruietis Domino in sanctitate & iustitia. Duabus autem istis speciebus tritici & vini per synecdochẽ significatur quicquid paramus nobis spiritu fidei, siue id pertineat ad iustitiam, siue ad temperantiam, siue ad humilitatem &c. Illis enim operibus virtutum vescentur, qui sunt in Christo, & in præsenti & in futuro seculo.

Christi Corpus sumentes.

TRansite, transite per portas. Præparate viam populo, Planum facite iter, & eligite lapides: & leuate signum ad populos, Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ. Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo, Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino, Tu autem vocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta.

TRansite transite per portas) scilicet Domini, & loquitur ad custodes Ecclesiæ. *Præparate viam populo*) id est, omnibus qui cupiunt sese adiungere Ecclesiæ, illis planũ facite iter, & eligite lapides, id est, omnia impedimẽta tollite de via, vt absq; omni scandalo populus Ecclesiam Saluatoris introeat. Septuaginta autem manifestius istud transtulerunt, dicentes: Proijcite de via lapides.

Et leuate signum &c.) Signum huius loci expositum est capite vndecimo, vbi dicitur: Qui stat in signum populorum. Significat autem vexillum in altum erectũ, & in commune omnium oculis expositum. Sensus est: Leuate ad populos nationum signum Christi, id est, facite prædicatione vestra vt vbique ab omnibus hominibus Christus conspiciatur. Significatur ergo hic beneficium Christi nati non solùm pertinere ad Iudæos, sed etiam ad omnes nationes gentium, quod manifestius declarant sequentia. *Beneficium Christi nati non ad vnam tantùm nationẽ, sed ad omnes omnium hominum pertinere.*

Ecce Dominus auditum fecit) id est faciet: *In extremis terræ*) quod certè de gentibus dicitur. *Dicite filiæ Sion*) Promissus erat Sioni Saluator, illo iam nato propheta hoc significari vult in extremis nationibus terræ. Filia Sion, periphrasis est Ierusalem, quia ex monte Sion quasi nasci videbatur, quemadmodum superius dictum est. Et quamuis istud de terrena Ierusalem aliquo modo intelligi potest, Hieronymus tamen mauult interpretari de Ecclesia, cuius illa typus erat.

Ecce merces eius cum eo) Sensus est: In promptu ipsi erit reddere vnicuique iuxta opera sua: iustis quidem præmia, peccatoribus verò æterna supplicia. *Et opus eius coram illo*) id est, totus erit in præstando opere suo, id propter quod natus est, diligenter præstabit.

Et vocabunt eos) Ipsi Apostoli (secundum Hieronymum) & Apostolici viri vocabunt eos populum sanctum, vel etiam vulgo homines vocabunt eos populum sanctũ. Sensus est, Quicunque siue ex Iudæis siue ex gentibus ad vexillum seu signum eleuatum conuenerint in eandem fidem, illos reliquum vulgus & populus vocabunt & dicent populum esse sanctum, etiam alieni agnoscent eos sanctos esse, qui adiungent se Christo.

Tu autem vocaberis &c.) Tu autem Ierusalem filia Sion, tu ô ciuitas Palæstina, quæ multis sæculis quasi perdita fuisti, vocaberis ciuitas quæsita: verùm in paucis, quia reliquiæ tantùm in te saluæ fient, cæteri autem excæcabuntur. Si autem intelligamus istud de Ecclesia, tunc facilis est sensus, quia illa verè quæsita est per Christum.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT LXIII.

Quis est iste qui venit de Edō, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ, Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.

Quis est iste qui venit &c.) In hoc capite describitur triumphus Christi seu victoria, quā reportauit de hostibus suis, estq; non tam scriptura illius triumphi quàm pictura. Similis autem pictura est in Psalmo: Dixit Dominus Domino meo, Conquassabit capita in terra multorum, De torrente in via bibet &c. Sensus est: Tam copiosa erit effusio sanguinis inimicorum, vt sanguis effusus efficiat torrentem, de quo quis bibat: & quia tam insigniter triumphabit, propterea exaltabit caput. Talis res describitur in hoc capite. Potuisset autem propheta paucissimis verbis dixisse: Futurum est quòd Christus ille, quem prius dixi indigna multa passurum, aliquando glorioſissimè triumphet, sed maluit magnificè & pro dignitate describere: Quis est inquit iste qui venit de Edom? Edom autem nomen est regionis, in qua Esau regnauit, quā Græci Idumæam vocant, e litera in i mutata. Bosra verò ciuitas est in Moab. Constat autem ex scripturis Idumæos & Moabitas vehementer infestos fuisse Iudæis, & quasi perpetuos hostes. Vnde habemus prophetias contra Idumæos & Moabitas, quibus minatur Dominus vastationem. Iam verò difficultas est, quo modo depingatur hic Christus triumphans venire ex Edom & Bosra, cùm Bosra iuxta historiā non sit in Edom sed in Moab: ascendit ergo Christus ex diuersis locis? Propter notam & in scripturis celebratam, atq; in ore populi vulgatam inimicitiam Idumæorum & Moabitarū contra Iudæos, transnominauit propheta Edom & Bosram, hoc est, figuratè vsus est his nominibus ad designandum vel terrenam Ierusalem, quæ ab initio occidit prophetas, vel mundum qui vsq; inimicitias exercuit contra Deum. Simili tropo Apostolus Petrus vltimo capite prioris epistolæ suæ vocabulum Babylonis tribuit Romæ, Salutat inquit vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta: vbi Babylō significationem habet qualitatis, scilicet confusionis, qualis erat in proprio nomine Babylonis, & in ciuitate illius nominis. Talis tropus est & in Cedar, cū dicitur: Habitaui cum habitantibus Cedar, id est, inter Barbaros. Non quòd propria significatio huius vocis notet quosuis Barbaros, sed accipitur sic per transnominationē rei, siue per metonymiam. Quę figura etiam frequens est apud profanos authores, vt cùm volunt designare homines virulentæ linguæ, eos appellēt crocodilos, vel aspides, per transnominationem rei. Diuus Hieronymus cùm exponat Edom & Bosram pro mundo & Ierusalem, non tamen agnoscit vllam figuram, sed rationem petit ex ipsarum vocum etymologia. Commentarius autem eius sic habet: Quis est iste qui de terra cruentus ascendit? Edom quippe in linguam nostram & terrenus & cruentus exprimitur. Tinctis vestibus de Bosra? quod vel de Ierusalem accipimus, quæ firmissimis muris fuit antè circundata, in qua passus est Dominus: vel de inferno, qui firmissimis custodijs est munitus. Bosra enim interpretatur firma atque munita. Huic autem affine est quod habet Thomas & Lyra, Edom videlicet & Bosram apud Hebræos aliquando esse propria nomina, aliquando verò appellatiua. Quos sequitur Dionysius Carthusianus. An autē ista probabiliter dicantur, examinet studiosus. De Edom & Bosra vide plura in cap. 34. huius prophetæ. Proponit ergo propheta per interrogationem triumphum Christi, vt in illum oculos intendamus: Dionysius tamē Ariopagita cap. 7. cœlestis Hierarchiæ, dicit esse vocem angelorum admirantium ascensum Christi. Sic etiam intellexit Hieronymus. Triumphauit autem Christus sanguine suo virtute diuinitatis suæ, item iudicio suo, quia sumpsit partes iudicis & vicit. Pro illo autem, Tinctis vestibus, ad verbum in Hebræo est, rubefactus vestes. *Iste formosus*) Istud per interrogationem legendū est: Quis est iste formosus in stola? vel veste, vel ornatu, aut habiu. Vox enim Hebræa in genere significat quamuis vestē. Hieronymus autem volens exprimere picturam prophetæ, stolā accipit. *Gradiens in multitudine &c.*) De hoc verbo gradiens dictum est cap. 51. vbi dicitur: Cito veniet gradiens &c. Est autem eius qui non est contentus venisse ad locum, sed penetrat omnia. Miratur ergo propheta potentiam plus quàm humanam in Christo, in quo relucet diuina potentia. Respondet iam Christus: *Ego qui loquor iustitiam*) quæris vel quæritis qui sim, qui à terra tinctis seu cruentis vestibus ascendam, ego sum qui loquor iustitiam, id est, qui sententiam dico pro humano genere cōtra diabolum in æquitate. *Et propugnator &c.*) Videtur Hier. amasse hoc spectaculum, alioquin ad verbum vertere poterat: Et multus sum ad sāluandum. Est tamen vbi vox Hebræa etiam significat præfectos regis, siue viros in aula principis, vt primo capite Hester: proponens singulos de principibus suis, vbi ad verbum est, De multis suis, id est, de prioribus aulæ. Tale quid respexit hîc Hiero. vertendo propugnatorem. Eadem significatio placuit ei cap. 19. propugnatorem mittet ei.

Triumphus Christi.

Edom.

Quare ergo rubrum est indumentum tuū, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum, Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumēta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.

Quare ergo rubrum? &c.) Quod hîc vertit indumentum, suprà stolam transtulit. Sensus autem huius versus non est iste: Quare ergo sic es passus? sic indignè tractatus, & perfusus cruore tuo? Sed iste est sensus: Quare videris fudisse sanguinem aliorum? habitus tuus est talis, qualis est eorum qui calcant vuas, scilicet rubeus colore vuæ tinctus. *Torcular calcaui solus &c.*) Vos inquit rectè meministis torcularis, quia solus calcaui torcular. Est agentis non patientis, quasi solus passus sit Christus. Sensus est: Ego solus cōparaui mihi hanc victoriā, calcaui aduersarias potestates atq; cōtriui. Sic in Threnis Ieremiæ: Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Sion. vbi sensus est: Graue supplicium & grauem damnationem comparauit virgini filiæ Sion: Est enim accersentis alicui grande malum. *Et de gentibus non est vir mecum.* In Hebræo est עמים ámim, & proinde vox (gentibus) non opponitur Iudæis, sed complectitur vtrunque populum & totum humanum genus hoc sensu: Non est quisquā mortalium mecū, sed mihi soli debetur hoc beneficium, solus ego mea solius potestate vici Diabolum & illi coniunctos.

Aspersus est sanguis &c.) Loquitur de sanguine inimicorum, Diaboli videlicet & illi coniunctorum, non quidem quòd Diabolus habeat sanguinē, sed nomine sanguinis tropicōs victoriā significat. Depingit enim propheta Christum humano more cruentū redire domum instar fortis militis, quod facit ad magnitudinem triumphi Christi.

Dies enim vltionis &c.) Sensus est: Hactenus passus sum Diabolum & illi confœderatos regnare, post hac autem non patiar: redimam iam meos, & vindictā sumam de eis, qui mihi & meis sunt contrarij.

Circunspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & non fuit qui adiuuaret, Et saluauit mihi brachium meum meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi, Et conculcaui populos in furore meo: et inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.

Circunspexi & non erat auxiliator) Istud non est laborantis & subsidium petentis, sed sensus est: Circunspexi an inter angelos vel homines esset aliquis, qui succurreret orbi perdito, verùm nemo erat, omnes patiebantur perire orbem: ego verò hoc aduertens adhibui meum vnius brachium, hoc est quod dicit, Et saluauit mihi brachium meum, cùm non succurreret quisquā lapso homini, ego mea solius & beneficio auxiliatus sum ei. *Et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*) Sicut ira addit homini animos, ita de se humano more loquitur Christus, hoc sensu: Indignitas rei commouit me, vt ego adderem vires meas & liberarem populum meum.

Et conculcaui populum) Id est, inimicos meos: quicunque non præbent se Euangelio mansuetos, illos Christus conculcat in ira sua. *Et detraxi in terram &c.*) id est, quicquid valere poterat contra regnum Christi, siue hoc erat ex Philosophia, siue aliunde. Hæc autem Christi victoria magis intelligebatur tempore Apostolorum, quando tota & integra regna subijciebāt se Christo inuitis etiā omnibus qui studebant opprimere Ecclesiam.

Miserationum Domini recordabor, laudē Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus & super multitudinem bonorum domus Israel, quæ largitus est eis, secundū indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarū, Et dixit: Veruntamen populus meus es, filij non negantes, & factus est eis saluator, In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei eius saluauit eos.

Miserationum Domini recordabor &c.) Hic est finis picturæ triūphalis Christi. Iam verò vox est prophetę docentis quid pro tantis beneficijs sit faciendum: vt discamus gratias agere Deo, & nunquam obliuiscamur horum operum diuinæ misericordię. Miscere autem videtur vetera beneficia cum nouis. Agnosco inquit in omnibus operibus, quæ contigerunt circa Israelem, immensam Dei misericordiam: siue respiciam sæcula Moysi, siue sęcula Christi, video misericordias Dei mirabiles. Et exponit deinde propheta sigillatim misericordias, cùm subdit:

Et dixit) scilicet, Dominus. *Veruntamen populus &c.*) Sensus est: Quantumcunque à me exaltati, eorum plurimi spreuerunt me, tamen agnosco in Israele populum meum.

Filij non negantes) id est, quantumcunque hactenus ingrati fuerunt, tamen inter illos habeo filios germanos, qui mihi non mentiuntur. De alijs seu alienis autem dicitur in Psal. Filij alieni mentiti sunt mihi, vbi filij alieni intelliguntur viri generatione quidem Iudæi, sed vita & studio degeneres.

Et in omni tribulatione eoorum non est tribulatus) Hieronymus in hunc locum sic ferè scribit: Vbi nos interpretati sumus, Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

est tribulatus, in Hebræo est lo per Aleph aduerbium negantis, & pro non legi potest, & pro ipse, hoc sensu: In omni tribulatione eorum ipse est tribulatus. Admittit ergo hic Hieronymus regulam Hebræorum qua offendebatur in cap. 39. enarrans illud: Et Israel non congregabitur. Et quia Hieronymus liberum facit, vt intelligamus negatiuè, vel aliter, vtrunque sensum proponemus. Si igitur legamus affirmatiuè, hoc modo, In omni tribulatione eorum ipse est tribulatus, sensus erit iste: Sic affectus erat Deus populo Israhelitico, vt quicquid mali accideret illi, haberet acsi sibi accidisset. Si verò legam⁹ negatiuè, Non est tribulatus, sensus erit iste: Vidit Deus sæpe eos multis miserijs & calamitatibus afflictos, nihil tamen ex hoc commotus est, nec indoluit malis eorum. Iam affectus est Dei irati sicut prius affectus Dei propitij. Hieronymus tamen etiam in hoc sensu accipit in affectu amantis, quia ad tempus tantùm permisit eos affligi, vt sic eos erudiret, & nudatos suo auxilio, cogeret ad rogandum.

Et angelus faciei &c.) Sensus est: Tanti fecit Deus populum istum, vt daret angelum, qui præcederet castra eius, & de periculo liberaret. Historia autem huius habetur Esdræ. 14. Angelus autem faciei diuinæ dicitur, quia vsque videt etiam hic in terris faciem Dei.

IN dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos: & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi, Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt spiritum sancti eius, Et conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos, Et recordatus est dierum sæculi Moysi et populi sui, Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio maiestatis suæ, qui scidit aquas ante eos: vt facerent sibi nomen sempiternum: qui eduxit eos per abyssos quasi equum in deserto, non impingentem, quasi animal in campo. Descendens spiritus Domini ductor eius fuit, Sic adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ.

IN dilectione) qua scilicet dilexit Israelem, & in misericordia sua redemit eos, & ex Aegypto, & alias sæpe. *Et portauit eos*) quemadmodum nutrix infantem leuat & portat.

Cunctis diebus sæculi) id est, ex quo cœpit amare, semper amauit & benefecit populo.

Ipsi autem ad iracundiam prouocarunt) Non obstante singulari hoc amore & tantis beneficijs, ipsi malis suis factis ad iracundiã prouocarunt, *Et afflixerunt spiritum sancti eius*) Per sanctum autem Hieronymus Christum intelligit, hoc sensu: afflixerunt spiritũ Christi. Non tamen est necesse sic intelligere, potest enim etiam intelligi Moyses, iuxta illud Psalmi: Et vexatus est Moyses propter eos & exacerbauerunt spiritum eius. In quo Psalmo etiam Aaron scribitur sanctus Domini. Alij verò intelligunt spiritum sanctum, & legunt, afflixerunt spiritum sanctum eius.

Et conuersus est eis &c.) Etiam totum istud pertinet ad Dei misericordiam, quia sequitur, *Et recordatus est dierum Moysi &c.*) Debellauit autem eos non semel atque iterum sed sæpius, vt patet in libris Iudicum. *Et recordatus est dierum &c.*) id est, ipse Dominꝰ cùm debellaret eos, & traderet in manus hostium, recordatus est misericordiæ suæ, & agnouit eos rursum pro illis quorum patres habuit pro populo suo, & propterea non est passus totam gentem deleri. Potest & hic esse sensus: Illi quos debellauit, isti nomine collectiuo recordati sunt, vt populus recordatus sit dierum Moysi quantũ scilicet aberat ab illa dignitate, in qua erant filij Israel sub Moyse. *Vbi est qui posuit? &c.*) Ista Hiero. facit loquentem Esaiam: alij verò populum, qui recordatur dierũ Moysi id est, dierum priscorũ, vt seruetur eadẽ persona, hoc sensu: Vbi est illa Domini clemẽtia, qua quõdam populum suum cum ducibꝰ Moyse & Aaron deduxit per mare rubrum: vbi est inquam illa pietas Domini, quam olim prosequutus est populum suum, ponens in medio spiritum sancti sui, vel vt alij vertunt, spiritum sanctitatis suæ? Vel respexit ad Septuaginta senes, quos impleuit spiritu sapientiæ. Vel ad totum populum, qui tunc regebatur spiritualiter spiritu Dei. Si autem ad Septuaginta senes respexit, tunc sanctus intelligitur Moyses. Scribitur enim capite vndecimo Num. Auferens Dominus de spiritu qui erat in Moyse, & dedit Septuaginta viris.

Qui eduxit ad dexteram) id est, prosperè Moysen brachio maiestatis suæ, id est, magnifica & potente virtute.

Qui eduxit eos per abyssos &c.) Sicut equus in deserto, aut aliud iumentũ in plano cãpo non impingit: ita populus ille non impingebat nec in terra, nec in mari: nec mirũ quia Dominus ductor eius fuit. Per spiritũ autem Hieronymus angelum intelligit, qui ductor fuit populi Israelitici, sed non est necesse: potest enim intelligi ipse spiritus sanctus.

ATtende de cœlo, & vide de habitaculo sanctio tuo, & solio gloriæ tuæ, Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerũ tuorum, & miserationum tuarum? Super me continuerunt se, Tu enim pater noster, & Abraam nescuit nos, et Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster, et redẽptor noster: à sæculo nomẽ tuum, Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis? indurasti

indurasti cor nostrum ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos, tribus hæreditatis tuæ. Quasi nihilum possederunt populum sanctũ tuum, hostes nostri conculcauerunt sanctificationem tuam, Facti sumus quasi in principio, cùm non dominaveris nostri, neque inuocaretur nomẽ tuum super nos.

ATtende de cœlo &c.) Est oratio. Qui olim habuisti rationem populi tui, præstans ei tanta beneficia per Moysen, quare hunc iam negligis? attende de cœlo, id est, vide misericorditer in quibus versamur, & erue nos: *Vbi est zelus tuus?* Ille autem zelus intelligitur de quo Zacha. 1. cap. Zelatus est Dominus Sion & Ierusalem zelo magno, id est, prosequutus est Sion vehementi amore, non patiens eis ab hostibus inferri mala, vnde in consequentibus dicitur: Irascar super gentes quæ congregatę sunt aduersus eam in circuitu. *Multitudo viscerum tuorum*) id est, Tu amplius non exeris viscera tua erga populum tuum, non experimur misericordiam tuam.

Tu enim pater noster &c.) Non solùm in veteris maternis compegisti ossa nostra, sed & spiritum infudisti corporibus nostris: deinde ex omnibus populis nos elegisti, & voluisti peculiariter habere pro filijs tuis. Cùm igitur nos dignatus sis hoc nomine, ne quẽso obliuiscaris filiorum tuorum: quia Abraham pater noster secundũ carnem ignorauit nos, id est, non habet nos ãplius pro filijs suis: & ideo non habet pro filijs suis, quia videt non nos amari à te, interim quanuis offendimus, tu semper es pater noster, redemptor noster, hactenus redemisti nos nõ ex Aegypto solùm, sed aliàs sæpe: quare ergo nunc deseris populum tuum? *Quare errare nos fecisti de vijs tuis*) id est, à mandatis tuis & iudicijs tuis? Dicitur autẽ Deus facere errare & indurare, quos finit in errorẽ labi vel ab errore non retrahit, & quorum corda nõ emollit, nec duritiã aufert, non verò quòd in errorem aliquem inducat, vel duritiem immittat.

Conuertere) scilicet ab ira ad misericordiam. *Propter seruos tuos*) scilicet Abraham, Isaac, & Iacob, quorum vita & conuersatio tibi placuit. *Quasi nihilum &c.*) id est, hostes possederunt nos, & quasi nullo loco habuerunt populum tuum. *Conculcauerunt sanctificationem*) id est, templum sanctum tuum.

Facti sumus quasi in principio) antequam scilicet vocaremur in Abraham, & à gentibus distingueremur. *Neq; inuocaretur nomen tuum &c.*) De hac phrasi dictum est suprà capite quarto huius prophetæ, circa illum locum, Abraham nescivit nos &c. sciendum præter expositionem in contextu positam quæ Hiero. est, esse aliam apud sacræ scripturæ tractatores magis vulgatam, nimirũ hanc: Tu pater noster, Abraham ille ignorat quæ circa nos sunt, in quo statu sumus, in quibus versamur malis: similiter Israel: propterea ad te confugimus, tibi supplicamus, dicentes: Attende de cœlo &c. Ex qua interpretatione discimus causam, cur sanctorum vita sanctorum non fuerint implorata suffragia in veteri testamento. Legimus quidẽ per memoriam eorum Deo supplicatum fuisse, vt hoc capite, Conuertere propter seruos tuos &c. Et Exodi. 32. Recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruorũ. Item alijs multis locis. Verùm in tota scriptura veteri nusquam inuenimus eorũ à quoquam implorata suffragia: Causa est, quia ab humana cõuersatione seiuncti & in tenebris sedentes non percipiebant orationes & vota viuentium, quæ nunc percipiũt: vt qui cum Christo regnantes in verbo veluti in speculo clarissimè vniuersa intuentur, ea etiam quæ aguntur aut eueniunt in hac hominum vita, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxiliũ pertinet. Proinde nõ solùm per eorũ memoriã & merita iã Deo supplicam⁹, sed & eorũ implorам⁹ auxilia & suffragia. Quod autem Augustinus in lib. de cura pro mortuis agẽda ca. 15. ex hac Esaiæ scriptura cõcludat mortuos nescire quid agant viui, nihil distinguens inter tempus ante & post passum Christum, sed mortuorum nomine complectens etiam Petrũ, & Paulum, & cæteros post Christum mortuos, hoc sensu intelligit: Non sciunt naturali vi rationis, aut vsitato illo modo, quo homines humana cognoscunt. Qui sensus apertissimè patet legẽti tria sequentia capita apud Augustinum. Atque ad hunc vsitatum modum respiciunt qui hodie offenduntur ad sanctorum inuocationem. De hac autem re vide dist. 45. quarti Sentẽtiarum: Et qęust. 72. in fragmẽto quod adijcitur tertiæ parti Summæ Thomæ.

CAPVT LXIIII.

VTinam dirumperes cælos & descenderes, A facie tua mõtes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Cùm feceris mirabilia non sustinebimus. Descendisti, & à facie tua montes deflexerunt.

VTinam dirumperes cælos &c.) Secundũ Hieronymum est adhuc continua oratio huius & præcedentis capitis. Considerans autẽ populus vel Esaias magnificas illas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei promissiões in Messia, orat & vehementer cupit iam nasci Messiam, & beneficia olim promissa citissimè præstari: vtinam ait dirumperes cœlos & descenderes, id est, nascereris.

A facie tua montes defluerẽt) Montes quidem naturalis significationis non defluxerunt à facie Christi nati, sed alij montes improprij nominis, ideo hic tropus subest: Figuratè enim significantur regna superba & elata, & quicquid habet fastum, siue in doctrina, siue in potẽtia: & breuiter quicquid extollit se aduersus scientiam Dei. Sensus igitur est: Si tu nascereris ò Messia, à facie tua, id est, præsentia tua montes defluerent, id est, superbi philosophi, sapientes huius sæculi, tyranni & cæteri, illi crederent tibi nascenti. Significatur itaque mirabilis Christi potentia in possidendis, afficiendis, transmutandis hominum animis: sed ita significatur, vt alludatur interim ad rem aliquando factã, ad antiqua illa spectacula in monte Sina exhibita: vbi ostendere volens eximiam potentiam suam, adhibuit Deus tonitrua, fulgura, nubem, fumum, quemadmodum videre est in Exodo cap. 19. Dicit ergo propheta, si tu descenderes, tale aliquid heret spiritualiter & inuisibiliter in animis hominum, quale olim contigit corporaliter in monte Sina: quando propter fulgura, tonitrua, & densissimam pluuiam, & fumum, totus mons videbatur defluere & liquescere. Felices autem sunt & terq; quaterq; beati, qui sentiunt in se hanc Christi potentiam qui induti virtute ex alto facilè compescunt iram, inuidiam, superbiam, concupiscentiam &c. Qui verò adhuc molestè luctantur cum istis malis, vel qui sequuntur adhuc cupiditates suas, illis necdum fluxerunt montes, illi necdum sunt ita felices & beati: quare assiduè & ex animo rogare debent, vt occultam hanc Dei potentiã in scripturis promissam in se experiantur.

Ex quo innotescat Dei potentia.

Aquæ arderent igni) Est perpetua metaphora, aut si mauis, allegoria. Sensus est: Frigida pectora & in religione & pietate lãguida arderent calore ignis spiritualis: quibus solet esse nausea legere scripturas, gauderent lectione scripturarum: quibus solet molesta esse narratio de virtutibus & vitijs, libenter audirent talia, & imitarentur atq; vehementer inflammarentur.

Vt notum fieret nomen tuum &c.) Quemadmodũ tunc illo spectaculo in monte Sina exhibito valde innotuit apud omnes qui audierunt virtus, & potentia Dei (Nullus enim Iupiter tale quid vnquam præstare valuit) ita te nato notum fiet nomen tuum inimicis tuis. Inimici autem Christi sunt, qui seruiunt vitijs quibuscunq; : tales admirabuntur potentiam Christi regnantis in membris suis: admirabuntur Paulos, Anthonios, Augustinos, veram sanctimoniam & pietatem illorum hominum suspicient. *A facie tua gentes turbabuntur*) siue rectè & cum laude, siue cum vitio: Herodes enim turbatus est, sed cum vitio & magno suo malo: multi verò rectè turbati sunt, cum virtute & magno suo bono, agnoscentes se esse filios iræ. Gentes hoc loco quidam accipiunt, vt opponantur Iudæis: alijs verò magis placet, vt sit generale nomen complectens omnes homines.

Cùm feceris mirabilia &c.) Sensus est: Cùm veneris in propria, & patraueris illa mirabilia quæ scripta sunt in Euangelio, non sustinebimus, id est, non erimus pares, id est, maiora erunt quàm vt possimus ferre: non reddemur illis meliores, sed peiores. Diuus autem Hieronymus enarrans illud in præcedenti capite, Quare errare nos fecisti de vijs tuis? sic habet: Epistola quam scribit Paulus ad Corinthios, cùm ad vnius ciuitatis populum scribatur, pro varietate habitantium, id est, sanctorum & peccatorum nunc laudat eos, nunc corripit: ita præsens quoq; caput quòd omne ex populi deprecantis oratione contexitur vel iustorum intelligamus esse, vel peccatorum: & nunc laudare Dominũ nunc mouere Domino quæstionem, & culpam suam referre in Deum. Huius ergo regulæ, quæ est secunda inter septem regulas Tichonij, de quibus Augustinus institut. 3. de doctrina Christiana, oportet & hîc meminisse, quia secundũ Hieronymum perpetua oratio est huius & præcedentis capitis, & principium huius capitis proprium est piorum. Ista verò, cùm feceris mirabilia, ex persona dicuntur impiorum. Pulchrè autem quasi exauditi essent, qui suprà fuerant precati, vtinam dirumperes cœlos &c. iam inferunt: *Descendisti*) id est, verbum caro factum es, & habitasti in nobis, & ideo montes à facie tua defluxerunt, montes inquam illius nominis de quibus suprà dictum est.

A *Sæculo non audierunt, neq; auribus perceperunt. Oculus non vidit Deum absq; te, quæ præparasti expectantibus te. Occurristi lætanti, & facienti iustitiam, in vijs tuis recordabuntur tui. Ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipsis fumus semper, & saluabimur. Et facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et cecidimus quasi folium vniuersi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Sæculo non audierunt &c.) Illud (audierunt) pene impersonaliter ponitur: Nõ audierunt, id est, non est auditum à sæculis, id est, id est, ex quo Adam natus est, nemo vnquá audiuit neque vidit absq; te Deus, quæ præparasti expectantibus te, id est, non abijcientibus fidem. Erant enim inter Iudæos qui victi longa mora Saluatoris, desierant credere, illi non erant expectantes. Alij verò, vt prophetæ, & pij quiq;, quantumuis grauia paterentur, dura & molesta: expectabant tamen & manebant in fide Christi venturi: De illis autem hic sermo est, illi & horum similes per Christum accipiunt talia charismata spiritus, quæ nemo vnquam possit suspicari, & nemo illa scit nisi qui spiritu docente percipit, & hoc intelligitur ex eo quod dicit: Absque te Deus. Sic enim interpretatur Paulus in priori epistola ad Corinthios, capite secundo, vt intelligamus hæc pertinere non tantùm ad vitam æternã, quæ verè non cadit in sensum humanum: sed etiam ad illa dona, quæ in præsenti hoc sæculo per spiritum sanctum Christus suis largitur.

Occurristi lætanti &c.) Beneficiũ est Christi nõ tam nati iam quàm regnantis in membris suis. Fideles enim quorum mentes inhabitat spiritus sanctus, illi sunt qui hîc lætantur, illi læti faciunt iustitiam sine tædio & nausea non timore, sed amore: istis lætantibus occurrit Christus, id est, promouet conatus eorum & studia.

Ecce tu iratus es) Dum magna hæc & à sæculis inaudita præstas fidelibus & populis, nos interea Iudæi sentimus te iratum nobis. Secundum Hieronymum autem est hîc ordo præposterus: nõ quia tu iratus es inquit nos peccauimus, sed quia nos peccauimus, tu iratus es. Verùm non est id necesse, potest eniro seruari ordo, qui est in Esaia, hoc sensu: Tu iratus es nobis propter scelera nostra, & quia iratus es subtrahis nobis misericordiæ tuæ auxilia & præsidia: nos peccauimus, id est, prolapsi sumus in grauiora peccata: Vt peccata de quibus loquuntur intelligantur esse pœnæ præcedentium peccatorum.

Et quasi pannus mẽstruatæ &c.) id est, quicquid videmur habere iustitiæ, rectè panno menstruatæ mulieris, quo nihil immundius, comparatur: opera nostra, etiam illa quæ bona apparent, omnia polluta sunt. Diuus autem Hieronymus in hunc locum sic scribit: Considerandum hîc, quòd iustitia quæ in lege est, ad comparationem Euangelicæ puritatis, immunditia nominetur. Et confirmat istud varijs scripturarum testimonijs, & sic deinde concludit: Si quis igitur post Euangelium Christi & aduentum filij Dei, pædagogæ legis obseruat ceremonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa iustitia panno sordidissimo comparetur. Ex quo diui Hieronymi commentario, duo discimus: Alterum, nequaquam de Christianorum iustitia sermonem hîc esse: Alterum, ex persona populi, non Esaiæ, hæc dici, siue (quod eodem recidit) Esaiam hæc dicere in persona populi: quod tacente etiam Hieronymo ipsius prophetæ verba planè loquuntur. Nam illa: Ecce tu iratus es, certum est ad impios pertinere: non enim Esaiæ iratus erat Dominus. Ergo sequentia, facti sumus vt immundi &c. cùm in eadem persona dicantur, minimè Esaiam & bonos, si qui alij in illo populo erant, comprehendunt. Imo & illa quæ proximè sequuntur in eodem orationis corpore, Et cecidimus quasi foliũ vniuersi, planè indicant ab illo, Ecce tu iratus es, omnia in persona grauiter peccantium dici. Sensus enim est: Instar foliorum de arboribus cadentium, quæ ventus arefacta dispergit, defluximus per iniquitates nostras, & à facie tua flatu diabolico longè dispersi sumus. Hæc quàm non competant in Esaiam, nullus non videt: Quis enim audeat dicere, quòd iniquitates prophetæ, perinde vt ventus quidam, separassent eum à Deo quòd cùm sanctissimus esset, non inuocaret nomen Domini? Hæc ergo respiciunt populum Iudaicum impium: quare nihil agit Lutherus, ex hac scriptura statuere volens omne opus hominis etiam Christiani etiam iusti esse peccatum.

NOn est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te. Abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc Domine pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltrà memineris iniquitatis nostræ. Ecce respice, populus tuus omnes nos.

NOn est qui consurgat) scilicet de ruina iniquitatum suarum, & apprehendat seu teneat te per studium bonæ vitæ. *Abscondisti faciem tuam à nobis*) id est, nõ das amplius vllam significationem misericordiæ aut beneuolentiæ tuæ erga nos. *Allisisti nos in manu*) scilicet propter peccata nostra, quæ exercebamus, in quibus etiam adhuc sumus, nosq; strictos tenent. *Et nunc Domine &c.*) Docet quomodo debeant orare. Fatemur Domine quòd peccatis nostris iram tuam prouocauimus, non tamen desperare volumus, quia pater noster es tu, fictor, & plasmator formasti & possedisti nos: & quia formasti, scis fragilitatem nostram, lutum enim sumus & puluis: precamur ergo ne irascaris satis, id est, ne pergas valde irasci, sed magis respicias populum, qui aliquando tuus appellatus est, licet iam deseras nos, fuimus tamen aliquando populus tuus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est, domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionẽ ignis & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementer?

Ciuitas sancti tui &c.) Secundum Hieronymum propheta hic respicit ad captiuitatem, quæ fuit sub Tito & Vespasiano. Alij verò hęc Assyriorum & Babyloniorum temporibus putant esse completa. Ciuitas sancti tui, id est, sanctuarij tui. Alij autem vertunt: ciuitas sanctitatis tuæ, id est, ciuitas tua sancta & cultui tuo dedicata. Est ergo periphrasis Ierusalem, vnde per interpretationem additur: Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est, quæ omnia idem significant.

Domus sanctificationis nostræ &c.) id est, templum incendio vastante deletum est, ita vt nequaquam in eo offerantur victimæ, nõ pascha celebretur, nec quicquam aliorum fiat, quæ tu fieri præcepisti: sed omnia desiderabilia nostra facta sunt in ruinã. Et hinc patet, non de Christianorum, sed Iudaici populi iustitia in præcedentibus sermonem fuisse, atq; pro eo tempore quo in captiuitate positus fuit, nec templum accedere, nec secundum statuta legis Mosaicæ sacrificia potuit offerre: quo factum erat, vt cùm pristinis vti purificationibus minimè licuerit, totum immundum se putaret. Propter quod & in persona populi huius dixit propheta, facti sumus vt immundi omnes &c. nec voluit hanc querelã pro quouis tempore cunctis Iudæis accommodatã esse, ac multo minus Christianis. Exactam huius rei disputationem, videlicet, an omne opus hominis etiam iusti peccatum sit, vide R. off. contra assertionem Lutheri, art. 31. Cùm igitur hæc ita sese habeant, nunquid super his continebis viscera tua Domine, vt non impendas populo tuo misericordiam tuam?

CAPVT LXV.

Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi. Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ nesciebat me, et quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.

Quæsierunt me &c.) Ad orationem populi querimonijs mixtam respondet Deus vel Saluator, in tantùm non sum rigidus & crudelis, nec repello filios pœnitentes, vt etiam alienos, vt gentes quæ hactenus deditę fuerunt idolis ac vitijs, seruare velim: Quæsierunt enim me, id est, quęront qui antè non interrogabant. Sensus est: Futurum est, vt gentes quæ iam nihil de me cogitant, me quærant: & quæ iam non quærunt me, inueniant, id est, per fidem agnoscent & recipient inuitatę prędicatione apostolorum, & tractæ à patre meo cœlesti.

Ecce ego &c.) Est generalis notionis gens. Sensus est: Conuertar ad gentes, & relinquetur vobis Iudæis dom⁹ vestra deserta. Quod autem ad lectionem attinet, illa verba, Quæ nesciebat me, non sunt in Hebræo, neque apud Septuaginta, neque in textu Hieronymi, neque in commentarijs eius, neq; apud Lyram aut Haymonem, & in magnis biblijs Colonæi obelo prænotantur.

Expandi manus meas &c.) Principium capitis pertinet ad gentes, & continet earũ vocationem: ab ijs iam transit ad Iudæos, quos propter peccata dicit reijciendos: quę transitum significare volens Apostolus Paulus in epistola ad Romanos, post verba hæc ex propheta citata, sic scribit: ad Israel autem dicit, quasi dicat, Conuerso autem sermone à gentibus ad Israelem siue contra Israelem, dicit Esaias: Tota die expandi manus meas, &c. Est gestientis recipere in sinum, hoc sensu: Præbui me illis totum, cupiui illos redire ad me, & instar matris filios obuijs vlnis amplecti. Quidam autem hæc accipiunt, vt sint verba Christi iam exhibiti, hoc sensu: Ab initio quo veni in carnem, expandi manus meas ad Iudæos, id est, summa benevolentia & desiderio eos ad salutem inuitaui. Alij verò accipiunt vt sint verba Dei respicientis ad totum tempus ante actũ, hoc sensu: Ab initio quo cœpi eos vocare, & deduxi eos in Aegyptum, expandi manus meas, id est, cumulaui eos semper nouis beneficijs. Atque ita hæc prophetia paulatim impleta est, & finis fuit in Messia. Quòd autem dicit, Tota die idẽ valet ac si dicat, toto tempore. Vocem autem Hebræam quam Hieronymus hic vertit incredulum, alibi vertit contumacem.

Qui graditur in via non bona &c.) id est, qui neglecta lege suas sequitur affectiones & animi voluptates.

Populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meã semper, qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, qui habitant in sepulchris, et in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & ius profanum in

vasis eorum, qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi: quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me. Non tacebo, sed reddam & retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificauerunt super montes & super colles exprobrauerunt mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum.

Populus qui ad iracundiam prouocat me) scilicet peccatis suis, quæ facit in conspectu meo, & quidem iugiter. *Qui immolat in hortis*) Ista non videntur competere in Iudæos tempore Christi: nam eo tempore non fuerunt dediti idololatriæ. Respicit ergo antiqua peccata & antiquas historias, quæ describuntur in libris Regum & Paralip. *Qui habitant*) id est, resident in sepulchris & in idolorum delubris dormiunt. Istud pendet ex historia, vt refert Hieronymus: In locis huiusmodi stratis hostiarum pellibus incubare soliti erant, vt somnijs futura cognoscerent: nec hoc erant malorum fine contenti, sed porcorum quoq; carnibus contra legem vescebantur.

Et ius profanum) id est, sacrilegum. Loquitur autem de iure carnium suillarum, quod etiam in alterum diem reseruatum auidè deuorabant. Videtur esse synecdoche, hoc sensu: Omittunt totam legem præscriptam, & sequuntur mores ethnicos. *Qui dicunt*) scilicet illi, qui non simili ducitur errore, qualis erat qui credebat Esaiæ, tali dicebant, recede à me: illum putabant immundum, contactumq; eius fugiebant.

Isti fumus erunt &c.) Sensus est: Tales ardebunt, hic in concupiscentijs suis, & postea in gehenna perpetuò: ibi fum⁹ tormentorum eorum ascendet tota die, id est, in sæcula sæculorum.

Ecce scriptum est coram me) Hebraica phrasis est, nos autem diceremus hoc modo: Nõ ero immemor eorum quæ fecistis, non excident mihi. Similis phrasis est apud Ieremiam cap. 27. Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, id est, nunquam ibit in obliuionem, nunquam delebitur aut excidet è memoria.

Retribuam in sinum eorum) Hic quæri solet, quomodo iustè alterius peccata in alijs vindicentur. Ad hanc quæstionem respondet Hieronymus, item Augustinus libro sexto, quæst. 8. super Iosue, vbi sic scribit: Visibiles afflictiones hominum, quoniam his quibus ingerũtur, & obesse & prodesse possunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ suæ, quomodo iustè quibusque dispenset etiam cùm aliorum peccata in alijs videtur vlcisci: Pœnas verò quæ nõ nisi nocent, & prodesse non possunt, nullus Deo iudice pro alterius peccatis luit: qualis pœna est cæcitas mentis, desertio Dei, ignis gehennæ. Sed videndum est anne loquatur Esaias de hac inuisibili pœna, & significare velit populum Iudæorum partim propter peccata parentum reijciendum. Diuus Hieronymus super hoc caput, & apertius super caput decimũ octauũ Ezechielis respondet, peccata parentum puniri in filijs imitantibus, id est, qui existunt æmulatores paternorum scelerum. Verùm hoc vt videtur non est punire parentum peccata in filijs, sed magis ipsorum filiorum peccata. Res autem hæc pertinet ad distin. 31. secundi libri Sententiarum. Quod verò ad lectionem attinet, hoc modo legendum est: Ecce scriptum est coram me, non tacebo, sed reddam & retribuam in sinu eorum. Hic est integer versus, & est sextus huius capitis apud Hebræos. Sequitur iam alius versus:

Iniquitates vestras & iniquitates patrum vestrorum simul) scilicet reddam. Respicit autem ad Iudæos tempore Christi, dum dicit, Iniquitates vestras. Patres intelligit, qui erant ante captiuitatem Babylonicam, nam post captiuitatem Babylonicã vsq; ad Christum, non ita viguit idololatria in illo populo. Illud (primum) cùm dicitur, opus eorum primum, potest esse aduerbium, vt sit sensus: Iniquitates vestras, & pariter iniquitates patrum vestrorum, qui sacrificauerunt super montes & colles, reddam in sinum vestrum: verùm primũ remetiar in sinu ipsorum: exprobrauerunt mihi transferendo cultum meum ad idola, hoc ipsorum opus remetiar primùm in sinu ipsorum, id est, extendam pœnam & effundã eam in sinum ipsorum secundum mensuram iniquitatis huius. Potest etiam (primum) esse nomen, quomodo accipiunt Lyra & Dionysius, vt sensus sit: Opus eorum primum, id est, primò commissum, etiam hoc vlciscar. Prioris versus sensus est iste: Ecce scriptum est coram me, scilicet opus eorum, non tacebo, id est, non dissimulabo nec patiar inultum, sed reddam in sinum eorum, id est, vlciscar.

Hæc dicit Dominus. Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur ne dissipes illud, quoniam benedictio est. Sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. Et educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes sanctos meos. Et hereditabũt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi, & erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me.

Hæc dicit Dominus &c.) Post minas addit consolationẽ, sed valde exilẽ, vt meritò

Universidad de Deusto
Biblioteca

terreantur Iudæi hæc legentes. Abijciet quidem vos Deus, non tamen omnes omnino, seruabit enim quosdam, sed admodum paucos, quam paucitatem declarat similitudo adhibita. Quomodo ait si quis tempore maximæ siccitatis aut perpetuæ pluuiæ, in botro aliquo vel vua totius vitis quæ corrupta est, casu granum vnum reperiat illæsum, & dicat alteri, ne tangas illud sed dimitte vt crescat, quoniam benedictio Dei est, id est, donum Dei est quod in tanta acinorum copia solum hoc euaserit siccitatem: Sic de Iudæorum innumerabili multitudine paucos tãtum reseruabo & hoc propter seruos meos videlicet Abraham, Isaac, & Iacob, quibus promisi quòd non totum Israel reijcerem.

Et deducam de Iacob semen) Exponit similitudinem de grano & botro mox positam. Sensus est: De Israele assumam paruas reliquias, in quibus præstabo promissiones meas. Est idem cum illo quod ex hoc propheta in Epistola ad Romanos citat Apostolus, cùm ait: Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Et rursus cum illo, quod scribitur primo capite huius prophetæ: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen &c.

Et de Iuda &c.) Id est, de Iudaico populo educam vnum aut alterum, id est, pauciss imos, qui possidebunt montes sanctos meos. Ciuitas autem Ierusalem sita erat in pede montis Sion, & imminebat ciuitati alius mons, ad illos respiciens hoc loco alludit propheta cùm aliud intelligit. Sicut Ierusalem Iudaica habebat suos montes: ita cœlestis ciuitas Ecclesia Christi habet suos montes. Possidentem ergo montes sanctos meos, qui pertinẽt ad cœlestem Ierusalem, Iam ex montibus debemus accipere ipsam Ierusalem.

Et hæreditabunt eam &c.) Videbatur requirere consequentia, vt diceret, & hæreditabunt eos, scilicet montes: iam verò dicit, Eam, quod mirum est. Non enim præcesserit nomen aliquod fœminini generis, ad quod referri potest. Similis difficultas est in psalmo, Fundamenta eius in montibus sanctis. Cuius eius? non præcesserit antecedens aliquod. Sed sciendum prophetam loqui de ciuitate Dei siue de Ecclesia Christi tanquã de re aliqua nota. Hæreditabunt ergo eam, id est, istam Ierusalem notam, istam ciuitatem Dei sanctam & cœlestem, quæ est mater omnium nostrorum, quę semper est in oculis filiorum Dei, illam hæreditabunt electi mei, & serui mei habitabunt ibi siue respiciat Ecclesiã triumphantem, siue militantem, siue vtranque.

Et erunt campestria &c.) Hîc est amplissima consolatio, sed pertinet ad eos, qui verè sunt in Christo, non Iudæos tantùm, sed & gentiles, & ad omnes denique qui requirunt Deum, & venientem in propria recipiunt. Miscet autem ea quæ contingunt Christianis in hac vita, cum ijs quæ contingunt in futuro sæculo, vt sciamus vnam & perpetuam esse vitam Christianorum à prima hora baptismi vsque in æternitatem.

Gregibus ergo eo tempore contingent caulæ in medijs campestribus, non cogentur procul petere vnde pascantur. Est tropus, non enim de bobus est cura Deo.

Nos ergo sumus greges illi de quibus loquitur, hoc sensu: Populo meo contingent vberrima pascua in Ecclesia, nihil deerit eis, abundantissimè recipient consolationem spiritus: tam felix erit, quàm sunt felicia pecora quæ sunt in pascuis vberrimis. Pro campestribus in Hebræo est zaron, quam vocem Hieronymus capite trigesimo septimo, reliquit non versam, dicens: Et factus est zaron in desertum, vbi commentarius eius habet: Zaron omnis iuxta Ioppen Liddamque appellatur regio, in qua latissimi campi sertilesq; tenduntur.

Propria significatio est nomen regionis, vnde mirum est Hieronymum non hoc modo vertisse: Et erit Zaron in caulas gregum, maxime cùm in commentarijs huius loci sic scribat: Omnis regio circa Liddam & Ioppen apta est pascendis gregibus, respiciens ad illud quod est proprij loci nomen. Eadem etiam vox habetur capite trigesimo quinto, Gloria Libani data est ei decor Carmeli: Et propria eius significatio est primi Paralipo. capite vigesimo septimo, Armentis quæ pascebantur in Zarona. Hoc autem loco tropum habet, & talem, qualis est in tempe quam vocem profani scriptores vsurpant pro quibuluis locis amœnis. Ita Zaron quoq; hoc loco tropum habet vberrimi loci & valde fertilis, & sensus est ille qui in psalmo, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.

Et vallis Achor in cubile armentorũ) Quod hîc dicit cubile, suprà caulas extulit: Accubabunt armenta in valle Achor. Primo autem omnium semper respicienda est propria alicuius nominis significatio, deinde recurrendum est ad flexum, qui ex propria significatione melius intelligitur. Propria autem huius significatio est Iosue 7. vbi & ratio eius exprimitur: Ex eo nimirum quòd Achan, qui furatus erat de anathemate & spolijs Iericho, turbauerit populum, locus ipse in quo hoc accidit, Achor, id est, turbationis ac tumultus nomen accepit. Flexus vero eius est Ozee cap. 2. vbi Deus mirabiliter

liter in media ira recordatur misericordiæ suæ, & post verba illa, Visitabo super eam dies Baalim, quæ minas habent, addit: propter hoc ecce ego lactabo eam (sermo est de Ierusalem) & ducam eam in solitudinem (alludit ad exitum de Aegypto) & loquar ad cor eius, id est, consolabor eos vehementer in spiritu, & dabo illi hactenus neglectæ vinitores in eodem loco, id est, Apostolos & Apostolicos viros. Et vallem Achor ad aperiendam spem, siue ad ostium spei, iuxta illud: Ostium magnum mihi apertum est in Domino. Sicut antè allusit ad solitudinem: ita iam alludit ad vallem Achor, hoc sensu: Vallis Achor ademit illis quondam spem, & ibi turbatus erat Iosue & omnis exercitus, hanc ipsam vallem vbi hoc contigit, illis dabo ad aperiendam spem, siue pro ianua spei, id est, illa res quæ antè dabat eis causam desperandi, eadem iam dabit illis magnã spem, & aperiet ostium spei in Domino, & tam lætierunt, quàm erant tunc cùm egrederentur de populo barbaro. Ex illo ergo Ozee loco, iste facile intelligitur, hoc sensu: Quicquid hactenus coniunctim fuit cum tumultu & turba, erit in solatium: talis erit Christianismus, quòd populus spiritu Christi imbutus in ipsis passionum tumultibus, in medijs tentationibus, in valle Achor, suauiter acquiesset & accubabit, respiciens in Christum auxiliatorem, cuius virtute omnia illa forti animo tolerat & superat, ex quo sumit causam lætitiæ & gratiarum actionũ. Vallis ergo Achor tropus est omnium eorum, quæ nos turbant, siue diabolus sit, siue peccatum, siue caro aut mundus &c. Exponitis autem tropis agendum iam vnicuique est, vt his rebus afficiatur, quia in hoc verè est regnum Dei, quod non est esca & potus: sed iustitia & gaudium, & pax in spiritu sancto.

ET vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocaui, & non respondistis, loquutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis, & dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis. Et interficiet te Dominus Deus, & seruos suos vocabit nomine alio.

ET vos qui dereliquistis &c.) Hæc suprà dicta continget populo meo, quem vocabo ad promissiones hæreditandas: sed vos qui reliquistis montem sanctum meum, intelligit montem Palæstinæ seu montem Sion, & ex monte Sion ipsam Ierusalẽ totam, atque Ierusalem cultum veri Dei, qui erat aut esse debebat ibi. Sensus ergo est: Vos qui dereliquistis cultum & religionem veri Dei quæ hactenus fuit in Ierusalem, & facti estis idololatræ.

Qui ponitis &c.) Istud ponere tale est, quale Leuitici primo: Ordinauit illa sacerdos super ligna. Et capite sexto, ordinauit super illud holocaustum. Est eadem vox in Hebræo ibi, & hoc loco, quę licet interdum tribuatur rebus profanis, plerumque tamen est vocabulum cultus. Quicunque ergo ordinatis & extruitis fortunæ mensam ad cultum illi exhibendũ. Quæ autem fuerit fortuna Iudæorum, non satis constat. Rabbi tamen Moyses arbitratur vocem Hebræam significare stellam Iouis: Alij verò putant esse in genere Planetam, vnde quidam vertunt: qui ponitis Ioui mensam, alij: Qui ponitis exercitui cœli mensam. Sed nihil est certi, hoc tamen certum est, in genere pertinere ad idola. Hieronymus autem in hunc locum sic scribit: in cunctis vrbibus & maximè in Aegypto & Alexandria idololatriæ vetus consuetudo est, vt vltimo die anni ponant mensam varij generis epulis refertam, & poculum mullo mixtum, hoc modo vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc faciebant etiam Israelitæ, omnia simulachrorũ portenta venerantes. Vos ergo qui facitis ista, numerabo in gladio, Hieronymus ex parte totum ex gladio omne supplicium intelligit, neque enim omnis populus Israel gladio traditus est, sed pœnis, & cruciatibus, captiuitati, & vltimæ seruituti.

Pro eo quòd vocaui) multipliciter vocaui, & antequam nascerer, & postquam ipse veni, & noluistis audire. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: *Ecce serui mei comedent*) id est, pleni erunt spiritualibus delitijs, & vos vacui. Sunt autem pulcherrimæ antitheses, quæ in textu ponuntur, & putant quidam prophetam hîc respicere ad regnum cœlorum: Alij verò accipiunt ista, vt etiam pertineant ad præsens sæculum. *Et dimittetis nomen vestrum &c.*) Vt pro malorum exemplo vos habeant, & detestentur talia sustinere, & iurent sic: Si hoc aut illud egi, contingat mihi quod contigit Iudæis, quibus mensa versa est in scandalum: patiar maledictionem, quam ipsi patiuntur. Ieremias autem istud magis propriè dixit, capite vigesimo nono, vbi de Achab & Sedechia pseudoprophetis loquens, ait: Assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iudæ, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ est in Babylone, id est, sumetur ex eis formula detestandi ab illis qui in Babylone sunt Iudæis, vt dicant: ponat te Deus sicut Sedechiam et Achab, quos Rex Babylonis frixit in igne. Talis forma secundum Hieronymum est in hoc loco.

Et interficiet te Dominus &c.) Interficiet scilicet sub Tito & Vespasiano: & etiã aliter vt non habeas eũ scilicet qui dicit, ego sum vita. *Et seruos suos vocabit nomine alio*) Tempore Moysi serui Dei vocabantur Iudæi, Israelitæ, Ephraim &c. vt patet ex sacris literis: sub Christo verò vocabuntur alio nomine, appellabuntur Christiani, vncti &c. Sic Hieronymus. Verisimilius tamen est, prophetã respexisse potius ad rem quàm ad nomẽ, vt dictum est capite sexagesimo secundo vt sensus sit: Erunt alij homines, erunt noua creatura.

IN quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen. Et qui iurat in terra iurabit in Deo, Amen. Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis nostris. Ecce enim creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora. Et nõ ascendent super cor, sed gaudebitis, & exultabitis vsq; in sempiternũ in his quæ ego creo. Quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium, & exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea vltra vox fletus, & vox clamoris.

IN quo qui benedictus est &c.) Illud (in quo) non est in Hebræo, sed addidit Hieronymus de suo explicandi gratia, quia à Christo est tota hæc benedictio. Quicunq; ergo benedictus erit in terra, erit benedictus non in Baal, non in Iacob aut Israel, sed in Domino Christo Iesu: erit vnum ouile & vnus pastor, & in illo pastore & nullo alio benedicentur omnes.

Et qui iurat in terra &c.) Sensus est: Ipse iurans quicunq; erit inter rectè iurantes, iurabit in Domino, id est, non iurabit per Iouem aut Mercurium: sed in iuramento adhibebit Christum & nullum aliud nomen falsi Dei. Quæ sententia quemadmodũ & prior (Amen) signaculo comprobatur.

Quia obliuioni traditæ sunt &c.) Hic apertè transit ad futurũ sæculum. Nomine enim angustiæ propheta intelligit & complectitur omnia illa, quæ quouis modo nos iam hic premunt, etiam peccata secundum Hieronymum, qui exponens istud sic dicit: Obliuiscentur pristina mala, nõ obliuione memoriæ, sed bonorum successione, ac si dicat: tanta erit felicitas qua perfruentur electi, quòd omnia præterita mala pro nihilo ducent. Pergit deinde Hieronymus: licet posit & hoc dici, quòd in cœlo nouo & terra noua omnis conuersationis pristinæ memoria deleatur ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari. Quod non acceptatur à doctoribus scholasticis. Et Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 14. ex scriptura Apocalyp. Et libri aperti sunt &c. docet quòd etiam iusti videbunt post resurrectionem facta sua priora & errores præteritos: & quia agit ibi Augustinus dogmatisten, ideo pluris est faciendum quod ibi dicit, quàm quod Hieronymus in commentarijs, in quibus frequenter aliorum refert sententias.

Ecce ego creo cœlos nouos) Nouos intellige secundum qualitates, non secundum substantiam. Non enim penitus abolebuntur cœli, qui nunc sunt: sed commutabuntur in melius. Idem dicendum de terra. *Et non erunt in memoria priora*) Huius duplex est expositio. Altera quidem est: Vita prior, siue mala priora non erunt in memoria. Altera vero: Cœlum prius & terra prior non erunt in memoria: atque hæc videtur propria huius loci, maximè si respiciatur ad locum Esaiæ capite quadragesimo tertio, Ne memineritis priorum &c. Sensus est: Cœlum & terra, quæ iam admiramini, non erunt semel comparanda cum illis cœlis & illa terra, quæ erunt post resurrectionem, omnia post resurrectionem erunt multo præstantiora. Ad hunc sensum etiam inuitat quod sequitur,

Et non ascendẽt super cor) Cui similis locus est apud Ieremiã cap. 3. Arca testamenti non ascendet super cor. Sensus est: Veniet tempus, quando pro Moyse veniet & succedet Christus, & pro lege Euangelium: illo tempore Iudæus qui est in Christo, non tangetur desiderio legis aut Moysi. Sic hoc loco: Non ascendẽt super cor, id est, non æstimabitis illa, nõ tangemini desiderio priorum, non mirabimini cœlum & terram quæ modò sunt, vbi videritis nouos illos cœlos & nouam terram.

Quia ecce ego creo Ierusalem &c.) Istud pertinet ad tempus resurrectionis, quo tempore ciuitas Dei Ierusalem, quæ sursum est, nõ erit aliud quàm exultatio, & populus eius nihil aliud erit quàm gaudium: *Non audietur in ea vltra vox fletus*) Quo quispiam hic [illegible] sanctior est, eo vberius flet videns in quàm [illegible] malo corpore habitet, quoties labatur, & quàm parum in iustitia promoueat: proinde ad cœlestem Ierusalem, ad Ecclesiam triumphantẽ in cœlis hæc referenda sunt. Augustinus de ciuitate Dei lib. 20. cap. 17. tractat similem locum ex Apocalypsi, Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus &c. vbi habet sententiam quam iam annotauimus de fletu sanctorum in terra. Cùm autem propheta

pheta dicit (vltra) non vult significare aliquando ibi fuisse voces fletus, sed considerat hanc quæ in terris est, ad illam cœlestem Ierusalem, quæ sursum est, tanquam vnam ciuitatem, & tanquam vnum corpus, & ita significat quòd luctus qui hìc est, non erit ibi.

NOn erit ibi amplius infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, & peccator cẽtum annorum maledictus erit. Et ædificabunt domos & inhabitabunt, & plantabunt vineas, et comedent fructus earum. Non ædificabunt, et alius habitabit, non plantabunt, & alius comedet. Secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt.

NOn erit ibi amplius infans &c.) Sensus est: Non erit ibi quisquam numerans multos dies vitæ, & tamen infans, infans inquã sensu. *Neque erit ibi senex, qui non impleat dies suos*) Quicunque hìc vitam transigunt in ocio, sequentes concupiscentias suas non implent dies suos, etiam si pertingãt ad dies Mathusalem: Quia iuxta scripturam ætas senectutis vita immaculata. Eiusmodi ergo infantes, & eiusmodi senes non erunt in cœlesti Ierusalem. *Quoniam puer centum annorum morietur*) id est, homo centenarius interim tamen puer sensu morietur, scilicet morte æterna. *Et peccator centum annorum*) id est, senex non implens dies suos, maledictus erit.

Et ædificabunt domos &c.) Ista videntur esse præsentis sæculi, & quia iuxta literã multi sancti ædificant domos & non inhabitant, ideo oportet agnoscere hìc tropum. Sensus est: Quicunque serui Dei ædificabũt & plantabunt hìc in Christo, illis fruentur in futuro: Qui dant operam, vt omnia bene succedant in Ecclesia Dei, siue adhibeant preces, siue consilia, siue laborem concionandi, illi ædificant domos, quas iugiter inhabitabunt, & plantant vineas, quarum fructum comedent, quia opera eorum sequentur eos: Sic ædificabat & plantabat Apostolus Paulus in priori epist. ad Corinth. capite tertio.

Non ædificabunt & alius &c.) Videtur propheta respexisse ad maledictiones illas, quæ sunt Deut. 28. vbi inter cæteras maledictiones ponuntur & istæ duæ. Sensus est: Seruis meis, id est, istis vocatis gentibus & Iudæis, qui sunt in Christo, non contingent maledictiones illæ Deuter. non dico corporales sed spirituales, quæ pertinent ad bona spiritus. Et eius quod dixerat rationem reddens ait:

Secundum enim dies ligni &c.) Secundum Hieron. est periphrasis æternitatis, hoc sensu: populus meus erit maximè diuturnæ vitæ, perpetuò & in sempitenum viuet. Respexit autem propheta ad lignum vitæ, de quo in principio Geneseos, vnde non simpliciter dixit, secundum dies ligni, sed secũdum dies illius ligni: additur ei voci in Hebræo ה notificationis, quod exprimere volentes Septuaginta interpretes verterunt: Secundum dies ligni vitæ. Idem habet translatio Chaldaica.

Et opera manuum &c.) Est hìc varia lectio. Lyra enim in commentarijs legit: Opera manuum eorum inueterabũt electis meis. Cuius lectionis meminit & Haymo, & est in textu addito commentarijs Hieronymi, nisi quòd pro inueterabunt ibi est veterascent. Alij verò legunt: opera manuum eorum inueterabunt electi mei, id est, facient vetusta, In actiua significatione. Etiam huius lectionis meminit Haymo, & Hieronymus in cõmentarijs agnoscit: An non tibi videbitur inquit quotidie inueterare opera sua, qui præteritorum oblitus in futura extenditur? Sic Septuaginta iuxta quod eos citat Hieronymus: opera eorum inueterascere facient electi mei. Et vocabulum Hebraicum hoc loco positum, est coniugationis piel, quæ apud eos transitiua est. Et ne quẽpiam remoretur pronomen (eorum) sciendũ est Hebræos non distinguere inter pronomina reciproca & nõ reciproca, quemad modum Latini faciunt. Opera ego manuũ suarum inueterabunt electi mei. Præter duas has, est & tertia lectio, quæ illud electi mei, iungit cum sequentibus hoc modo: Opera manuum eorum inueterabunt siue inueterascent id est, perpetua erunt. In qua significatione vox hæc capitur apud Terentium in prologo Hecyræ: Nouas qui exactas feci vt inueterascerent, ne cũ scriptura poeta euanesceret, inueterascerẽt id est, vt essent perpetuę. In contraria tamen significatione frequenter ea voce vtitur scriptura, vt, cœli sicut vestimentum veterascent, id est, non erunt perpetui, intellige secundum qualitates, quas nunc habent. Deinde legunt, Electi mei non laborabunt frustrà, quæ lectio est in magnis biblijs Colinæi anno 1541. impressis, & in exemplari pergameno quod est in bibliotheca nostra, & scriptum est ante annos trecentos: & apud Septuaginta interpretes in exemplaribus Græcis quę hodie in manibus sunt, quanquam Latina editio à D. Hieronymo citata aliter habeat.

Electi mei non laborabunt frustrà, neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. Eritque, antequam clamem, ego exaudiam adhuc illis loquentibus, ego audiam. Lupus & agnus pascentur simul & leo & bos

Universidad de Deusto
Biblioteca

bos comedent paleas, & serpenti pulvis panis eius. Non nocebunt, neq; occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

Electi mei non laborabunt frustra) sed fruentur aliquando meritis suis, quæ iam hîc comparant. *Neque generabunt &c.*) Qui secundum carnem generant, in conturbatione generant, etiam si non cogitét perturbationem, quæ est ex cura sobolis educandæ: electi autem mei, qui secundũ spiritum generabunt, non in perturbatione sed in pace & gaudio spiritus generabũt: Sic per Euangelium Paulus multos genuit Christo.

Quia semen benedictorum &c.) id est, electi mei sunt noua creatura, sunt de cœlesti Adam: conuenticula eorum non sunt collecta de sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo: & licet adhuc multæ sint quas communes habent cum alijs, & multæ reliquiæ terreni Adam, tamen retinent nouam creaturam, & propterea non sunt de mundo. *Et nepotes eorum cum eis*) id est, nati natorum seu posteritas eorum.

Consolatio eorum qui sunt in Christo.

Erit ij; antequam clament &c.) Est magna consolatio eorũ qui sunt in Christo. Significatur enim promptissima Dei exauditio, qua promptus est & paratus omni tempore exaudire preces nostras.

Lupus & agnus pascentur simul &c.) Tropis istis significatur & exprimitur conditio regni Christi. Sunt figuræ valdè iucundæ, & cap. 11. huius prophetæ à nobis expositæ, vbi eadem hæc verba ferè omnia habentur, exceptis his: *Et serpenti pulvis panis eius*) id est, serpens nequaquam aliorum nutrietur interitu, sed terram siue puluerem quasi panem comedet. Similes autẽ tropi sunt apud Virgilium Ecloga 4. vbi describit aureũ sæculum, quod intellexit ex carmine Sybillæ.

CAPVT LXVI.

HAec dicit Dominus, Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

HAec dicit Dominus &c.) Redit prophetа ad Iudæos, & hoc potissimum agit, vt abducat eos à carnali amore templi, & studio legis & religionis Mosaicæ. Respicit enim tempora Christi, hoc sensu: Vos carnales Iudæi, qui tanti facitis templum Salomonis, qui dicitis, templum Domini, & reside-

tis in sacrificijs vestris à Moyse vobis præscriptis, audite, hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, id est, cœlum & terram ego impleo: Istud enim & nihil aliud significatur ista hypothesi.

Quæ est (ergo) domus ista, quam ædificabitis mihi?) Verba futura apud Hebræos, sicut frequenter dictum est, habent quiddam potentiale, Quam ædificabitis, id est, ædificare poteritis, acsi dicat: cùm tantus ego sim, vt omnia impleam, cœlum & terram, non moror templũ Salomonis, aut aliud quodcunque, quod à vobis mihi extrui posit, aut manibus hominũ fieri: omne huiusmodi templum minus est maiestate mea, & propterea non delector templo manu facto, quasi templũ manu factũ per se mihi placeret. Quod autem per se mihi placet, non est templum, sed spiritus pauper & contribulatus, vt homo cognoscat bona fide miseriam suam, in qua natus est, & illa agnita quęrat liberari, & hoc est quod dicit:

Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum) Ad sensum hoc dixit Hieronymus, ad verbum enim est: Nisi ad pauperem. Qui autem sint pauperes scripturarum, iam sæpe dictum est. *Contritum spiritu*) Non est illa vox, quæ est cap. 61. Vt mederer contritis corde. Et psal. 146. Qui sanat contritos corde. Secundum illas autem scripturas, fornicatores, adulteri, superbi, & breuiter quicunque in anima grauiter vulnerati sunt, & mole peccatorum toti cõfracti, dicuntur contriti corde. Alia est vox apud Hebræos hoc loco posita, quæ deducitur à radice כהה caha, id est, dolere, contristari, infirmari. Contritum ergo spiritu hoc loco, id est, dolentem & humiliantem se propter peccata agnita, & animo dolentẽ: vt non sufficiat quiuis dolor sed vehemens, qui totum hominem humiliet & conterat. Huius loci vox est psal. 108. Et compunctum corde mortificare. Compunctum corde, id est, cui ex animo dolet, quòd vulneratus est. *Et trementem sermones meos*) id est, agnoscentem ex Euangelio prædicato quæcunq; dicuntur de malis in se esse, & propterea tenentem sermones meos.

QVi immolat bouem, quasi qui interficiat virum. Qui mactat pecus quasi qui excerebret canem. Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in vijs suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. Vnde & ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant, adducam eis, quia vocaui, et non erat qui responderet: loquutus sum & non audierunt. Feceruntq; malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.

Qui

QVi immolat bouem &c.) Venit iam ad sacrificia Iudæorum. Vos Iudæi residetis in sacrificijs à Moyse vobis præscriptis, audite iudicium meum de sacrificijs vestris: Qui immolat bouem, ita habetur apud me, quasi qui interficiat virum: *Qui mactat pecus*) etiam à Moyse præscriptum, vt arietem, *Quasi qui excerebret canem*) id est, pari loco habetur apud me, quasi qui occidat & immoler canem, quod animal secundum legem immundum est, & abominabile. *Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat*) quod lege prohibitum erat. *Qui recordatur thuris*) id est, qui thura succendit secundum legem Moysi. *Quasi qui benedicat idolo*) Quia hîc respicit tempora Christi, per quem abolita est lex: ideo hoc loco non est ea difficultas, quæ primo capite, vbi reijcit sacrificia Iudæorum lege Moysi adhuc habente statum & vigorem suum, quod quo sensu intelligendum sit, ibi dictum est.

Hæc omnia) scilicet immolare bouem, mactare arietem, offerre sacrificium, & succendere thura, quæ post legem abolitam ita habeo quasi homicidium: & oblationem canis, & sanguinem suillum, & idololatriã, hæc inquam omnia illi elegerunt in vijs suis: præscripta quidem fuerunt à Moyse, sed non vt perpetuò seruarentur. Quare cùm exercerentur ab ipsis iam finem habente lege Moysis, rectè dicitur, elegerunt in vijs suis quia suam non Dei sequebantur voluntatem offerendo ista.

Vnde & ego eligam illusiones eorum) siue dum patiar dominari illis Scribas & Pharisæos homines superstitiosos: siue dum per Rom. exercitum faciam totam Gentem excindi, & per totum terrarum orbem dispergi. Quod posterius magis probabile est, quia sequitur:

Et quæ timebant, adducam eis) excidium videlicet & captiuitatem. Causam autem tantorum malorum subijcit cùm ait: Quia vocaui ego, scilicet Christus, & non erat qui responderet, id est, qui ad prædicationem meam conuerteretur. Vide caput præcedens, vbi eadem habentur, & caput. 50. Vocaui & non erat vir.

AVdite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius. Dixerunt fratres nostri odientes vos, & abijcientes, propter nomen meum. Glorificetur Dominus, & videbimus, in lætitia vestra, ipsi autem confundentur. Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequã parturiret, peperit antequam veniret partus eius, peperit masculum.

AVdite verbum Domini &c.) Alloquitur Apostolos & cæteros, qui ex Iudæis crediderunt. *Dixerunt fratres vestri*) Iudæi ex eadem vobiscum Gente generati. *Odientes vos* &cætera) Crux Christi Iudæis erat scandalum, ideo reijcebant Christum crucifixum, & Apostolos crucem CHRISTI prædicantes. Verba autem quæ dixerunt, ista sunt.

Glorificetur Dominus) id est, proferat ipse Iesus, qui se dicit filium Dei, in apertum gloriam suam, & videbimus in lætitia vestra, ac si dicant: Vos promittitis vobis magnos triumphos in Christo, videamus eos, vt in lætitia vestra agnoscamus gloriam Christi vestri.

Ipsi autem confundentur) Huiusmodi Iudæi talia dicentes confundentur, nec longe abest tempus confusionis, ecce iam sonat vox populi de ciuitate, id est, iam auditur fremitus militaris obtinentis ciuitatem Ierusalem. Nam radix vocis Hebręæ, quam noster interpres vertit populum, significat fremere militariter. Alij autem hoc modo exponunt: Et in vrbe & in templo, tam sacerdotum & Leuitarum quàm vulgi ignobilis, mulierumque ac puerorum vlulatus auditur, loquitur de expugnatione vrbis Ierusalem per Titum & Vespasianum quasi iam præsente, per quos Dominus reddidit retributionem inimicis suis, id est, Iudæis inimicis crucis Christi.

Antequam parturiret peperit) Est mirabilis mixtio, miscet malis bona. Eadem hæc Sion, quæ patietur illa mala iam dicta, afficietur prius magnis beneficijs & bonis sed tantùm in paucis, nimirum in Apostolis & illis coniunctis. Suppositum autẽ verbi (parturiret) est ciuitas Sion, vel Ierusalem, nullum enim aliud nomen præcessit. Significatur ergo hoc ænigmate partus nõ operosus, sed extemporalis & facilis. Habes autem operosi nixus expressionem verbis Ezech. cap. 37. huius prophetæ: Dies tribulationis, inquit, quia venerunt filij ad partum, & non est virtus pariendi, id est, talis est status noster, qualis est mulieris, quæ meditatur edere fœtum, & non potest, id est, versamur in maxima angustia. Aliud verò significatur hoc loco. Antequam parturiret peperit, id est, extemporaliter sine labore peperit masculum. Masculus accipitur indeterminatè, vt patet ex sequentibus. Quod autem significatur his verbis, istud est: Futurum est, vt subitò sine longo ministerio plurimi ex impijs efficiantur pij, & coniungantur ecclesiæ per prædicationem Apostolorum, qui exiuerunt de Sion: futurum est, vt totus terrarum orbis audiat verbum Christi, & renascatur in filios Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna: aut parietur gens simul, quia parturiit, & peperit Sion filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus.

NVnquid parturiet terra in die vna?) id est, semina, quæ gremio suo suscepit terra, proferet illa subito in auras, intra spacium vnius diei? aut parietur vnica vice tota aliqua gens? quasi dicat: non habet hoc naturalis ordo rebus inditus: quomodo ergo credibile est, quòd Sion tam subitò pariet filios suos? Ex isto loco patet, quòd masculus, quando dicitur, Peperit masculum, indeterminatè pro quibuscunque natis accipiatur. Quomodo autem subitò pepererit filios, patet ex Actis cùm Petro prædicante vno die conuersi sunt tria milia, item altero die quinque milia &c. Respondet autem in sequentibus Dominus, fiet istud non humana, sed mea virtute. *Nunquid ait qui alios parere facio, ipse non pariam?*) Hactenus pepererunt homines, libet etiam mihi Deo parere, & libet magnificè parere, vt pręadmiratione dicat Sion: Homo & homo natus est in ea.

LAEtamini cum Ierusalem, & exultate in ea, omnes qui diligitis eã. Gaudete cum ea gaudio, vniuersi qui lugetis super eã, vt sugatis et repleamini ab vbere cõsolationis eius, vt mulgeatis, & delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hæc dicit dominus. Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantẽ gloriam Gentium, quam sugetis.

LAEtamini cum Ierusalem &c.) Ad numerosum istum partum lætari iubet omnes, qui diligunt Ierusalem, & gaudere qui lugent super eam, inter quos lugentes erat Simeon ille iustus, qui expectabat consolationem Israel.

Gaudete cum ea &c.) Quia Ierusalem puerperam fecit, perstat in metaphora, vt fugatis inquiens & repleamini ab vberibus consolationis &c. per quæ significare voluit maximam cõsolationẽ, quam percipiũt in Ecclesia, qui ex animo & totos se dedunt Deo. Nulla autẽ est hic difficultas, sed tantùm videndum est, an pertineant hæc ad Ierusalem præsentis sæculi an verò ad alteram. Sunt enim transitus valde occulti in prophetis, & & quia post consolationem in hac vita, Dominus interdum immittit maximũ horrorẽ & metum, & deiectionem spiritus ex memoria peccatorum & inferni, videri possint affluentes hę delitiæ non esse præsentis sæculi.

Ecce ego declinabo super eam &c.) Hũc locum tractat Augu. lib. 20. de ciuit Dei, cap. 21. & refert ad futurum sæculum. Verba autem eius sunt: Quod dicit, Declinabo super eam quasi fluuiũ pacis, abundantiam illius pacis significat, qua maior esse non potest, hac vtique in fine rigabimur: Etiam in hoc sæculo declinat Dominus fluuiũ pacis, non quidem totum fluuium, sed tantùm particulam eius. Quare secũdum analogiam huius sæculi etiam de præsenti Ierusalem interpretari possimus.

Et quasi torrentem &c.) Pro Augu. sententia facit caput vigesimum primum Apocalypsis, vbi sic scribitur: Ciuitas nõ eget sole & luna, & nox non erit ibi, & adferent gloriã & honorem Gentium in illam. Pro sententia verò Hier. qui refert ad præsens sæculum, facit cap. quinquagesimum huius prophetæ, vbi multa dicuntur de Gloria gentium, secundum quem sensus est: Totus terrarum orbis deuoluetur ad Ierusalem id est, ad Ecclesiam credentium, & quicquid insigne est apud gentes cedet in bonum eius.

ADvbera portabimini, et super genua blãdientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, in Ierusalem consolabimini. Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt & cognoscetur manus Domini seruis eius, et indignabitur inimicis suis.

ADvbera portabimini) Si autẽ referamus ad præsens sæculum, pertinet ad homines planè spirituales, qualis erat Bernardus, qui portabatur ad vbera, & delectabiliter fouebatur super genua. Commentarius verò Aug. qui refert ad futurum sæculum, sic habet: Post labores erumnarũ, curarumq; mortalium consolabimur tãquam paruuli eius, in humeris genibusq; portabit, rudes enim nos, & nouos blandissimis adiutorijs insolita nobis illa beatitudo suscipiet. *Quomodo si cui mater blandiatur &c.*) Propheta non habuit maius aliquid, quo explicaret dulcedinem cõsolationis cœlestis Ierusalem, quam istam comparationem de matre & filio sumptam. Sensus est: Cõtinget vobis in illa Ierusalẽ, quę sursum est, maxima consolatio atq; talis consolatio, qualẽ blandissima mater exhibet filio tenerrimè adamato. Etiã in hoc sęculo Deus dignatur blandiri suis, & loquitur illis ad cor, vt sentiant tale aliquid inter orandũ, inter contemplandũ, & etiam inter gemendum, quod verbis exprimere nõ possunt. *Videbitis &c.*) Non expressit quid videbunt, sed haud dubiè quin Deum & omnia illa, quæ nunc nõ videmus: credentes aũt ea pro modulo capacitatis humanę longè minus quàm reuera sunt, atque incomparabiliter minus. Sic fere Aug.

Et ossa vestra &c.) Quoniam dixit: gaudebit cor vestrũ, ne putaremus illa bona Ierusalem

salem ad nostrum tantummodo spiritum pertinere, & ossa inquit vestra, vt herba, exorientur, vbi resurrectionem corporum struxit, velut quod non dixerat reddens. Ossa ergo vestra, quæ iam arida sunt, vel putrefacta, tunc in resurrectione velut herba germinabunt: vt non solùm spiritus, sed & corpus exultet glorioſum. Si autem referamus cum Hier. ad præsens sæculum, tunc ossa intelligũtur illa, quæ cap. 58. Ossa tua liberabit. Require ibi expositionem.

Et cognoscetur manus Domini) Potẽtia Dei, quam hic manum vocat, maximè cognoscetur in futuro sæculo ab electis Dei: Interim in hoc quoque sęculo agnoscitur à sanctis, vt videre est in libris cõfessionum Aug. vbi legimus malũ quod habitat in carne, & ducit ad quæuis turpia mirabiliter cognitum fuisse Aug. antequam esset in Christo: cùm verò iam esset in Christo, & regeretur spiritu Dei aguouit in se mirabilem Dei potentiam in vitijs superandis, & passionibus illis edomandis.

QVia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius reddet in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flãma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino. Qui sanctificabantur & mundos se putabant in hortis post ianuã intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem, simul consumentur, dicit Dominus.

QVia ecce Dominus &c.) Explicat quod mox dixit, Indignabitur inimicis suis. Ista etiam Hier. refert ad iudicium futurum. Ignis autem intelligitur ignis conflagratorius. Significatur enim aduentus Domini futurus horribilis, quasi turbo siue tẽpestas quadrigæ, id est, currus eius. Commentarius autem Hieron. sic habet: Hæc vniuersa narrantur, non quòd Deus aut currus habeat, aut quadrigas, aut equorum velocitate portetur: sed quomodo in solio sedere dicitur, quando assumit habitum iudicantis, sic quãdo ad vindictam venit, vt debellet aduersarios suos, in habitu victoris & triumphantis ostenditur. Aug. verò per currus intelligit angelicas potestates, quarũ ministerio multa peragentur tempore resurrectionis.

Quia igne Dominus diiudicabit &c.) Repetitio est ciusdem sententiæ. Valde enim cordi fuit Esaiæ, hæc nobis proponere, ne in otio securè viueremus. Quod autem ad lectionem attinet nonnulla exemplaria habent diiudicabit: sed ex commentarijs Hierony. Haymonis, & Lyræ constat legendum esse, iudicabitur, passiuè, Sensus est: Dominus agnoscetur iustus iudex per ignem, quo inuoluet impios, & per gladium quem exeret contra omnem carnem. Caro autem accipitur sicut in Genesi: Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est id est, totus carnalis. Per gladium verò intelligit supplicium. Quicquid (ait Hieronymus) pungit, & percutit, & torquet, & cruciat, in scripturis sanctis gladius appellatur, quo vulnerabuntur siue interficientur, qui Dei non fecerunt voluntatem. *Quid per gladium.*

Qui sanctificabantur &c.) De hortis dictum est capite 1. circa illum locum, Et erubescitis super hortis, Vbi commentarius Hieronymi. Significat autem loca voluptatum, lucos, & nemora. Et capite 65. Qui immolant in hortis, Vbi commentarius Hieronymi. Ne quid deesset sacrilegio, immolabant in hortis, iungentes idololatriæ luxuriam, & sacrificijs voluptatem. In commentarijs verò huius loci sic habet: In locis delitiarum & voluptatum, id est, in hortis amœnissimis baptisteria exstrubebãt, adulteria & omnem libidinum turpitudinem simplicibus aquis abluere se putantes. Ex his discimus Iudæos in hortis duo exercere solitos, nimirum idololatriam & luxuriam. Hieronymus hîc non meminit idololatriæ, secundum quem sensus est: Post Venerem quam exercent in hortis, sanctificant se id est, abluunt se ibi post ianuam intrinsecus, & aquis illis simplicibus mundari se putant, vt rectè adaptetur illud Pœtæ, Et noctem flumine purgant. Lyra verò qui meminit idololatriæ, sic exponit: Qui sanctificãt se id est, qui in hortis post ianuã intrinsecus immolant idolis hostias, quibus oblatis mundos se putant. Quod autem ad lectionem attinet, nonnulla exemplaria habent: post ianuam intrinsecus. Sed ex commentarijs Haymonis & Lyræ constat legendum esse: post vnam intrinsecus, & non, post ianuam. Et subauditur secundum Lyram, porta seu clausura: sec undum alios verò, piscina. Illud autem (intrinsecus) ad verbum est, in medio. Sensus ergo est: Post vnam scilicet portam siue ianuam vel post vnam piscinam in medio scilicet horti existentem. Aliter verò Haymo, cuius commentarius sædior est, quàm vt hic debeat recitari. Sensum autem quem proponit, videtur arripuisse ex verbis Hieronymi in hunc locum. sic scribentis: Nec alicui videatur incongruum, si quæ geruntur turpiter, Vt ibi est videre.

Qui comedebant &c.) Est hoc loco synecdoche, certis enim his speciebus intelligitur quicquid impiè contra legem Moysi fiebat. Isti prævaricatores consumentur, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

suprà dixit, interficientur, ibi. Et multiplicabuntur interfecti à Domino, quæ interfectio & consumptio est mors secunda, iuxta Augustinum, quæ semper durabit.

EGo autem opera eorum, & cogitationes eorum venio vt congregem, cum omnibus Gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam, & Græciam ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam.

VEnio vt congregem) scilicet opera eorum ad pœnam, vt ea velut in theatro toti orbi spectanda præbeam: & non eorum scilicet Iudæorum tantùm cogitationes & opera sed & omnium qui impiè egerunt, cuiuscunque tandem Gentis aut nationis seu linguæ. *Et venient*) scilicet assumptis corporibus, & videbunt gloriam meam, id est, me gloriosum in nubibus venientem cum potestate magna & maiestate, cuius humilitatem in primo aduentu conspexerunt & contempserunt.

Et ponam in eis signum &c.) Figurata locutio est. Res cui cauterio inustum est signum, facile ab alijs dinoscitur: & isti agnoscentur ab electis & confundentur. Sensus autem talis est, qualis est in libro Sapientiæ: venient in cognitionem peccatorum suorum timidi, & traducent eos ex aduerso iniquitates eorum. Longe aliter exponit ista Augustinus, enarrans editionem Septuaginta, cuius interpretationem qui velit videre legat caput 21. lib. 19. de ciuitate Dei.

Et mittam ex eis &c.) Commemoratis ijs qui per hoc iudicium consumentur, recapitulat ab initio gratiam noui testamenti, à primo Saluatoris aduentu vsque ad vltimũ iudicium perducens finiensque sermonem. Mittam ex eis qui saluati fuerint, id est, qui ex Iudæis euaserint iram Dei, id est, semen & reliquias populi Iudaici, nimirum Apostolos qui venientem in propria receperunt: illos mittam ad gentes, vt prædicatione sua eas conuertant, & enumerans singulas, in mare ait, & Africam. Mare autem intelligitur mediterraneum, quod Iudæis notissimum erat. Sensus ergo est: Apostolos & apostolicos viros mittam ad accolas maris mediterranei & Lydiam, id est, Lydios mittendarum sagittarum peritissimos hoc est quod dicit, Tenentes sagittam. Est enim constructio congrua quidem secundum sensum, non autem secundum vocem. Alij verò istud Tenentes sagittam, volunt esse non epitheton Lydiorum, sed quartum membrum, & significari alios à Lydijs, Cappadoces vel Thraces. *Et ad insulas longe*) id est, ad remotissimos populos, de quibus Iudæi vix per famam aliquid acceperunt.

ET annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Hierusalem, dicit dominus, quomodo si inferant filij Israel munus, in vase mundo, in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus, quia sicut cœli noui, & terra noua quæ ego facio stare coram me dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.

ET adducent omnes fratres) id est, omnes præordinatos ad vitam siue Iudæi sint, siue gentes. Per equos autem, quadrigas, lecticas, mulos, & carrucas intelligit adiutoria diuina. Adducent eos per cuiusque generis ministeria Dei, vel angelica, vel humana. Sic Augustinus sic & Hierony. Simpliciter verò & sine tropo dixisset: Deus per paucos Apostolos exhibebit varia ministeria inter gentes, per quæ ipsæ gentes adducentur ad fidem, & ad montem sanctum Domini Ierusalem, non illam quæ occidit prophetas, sed illam quæ in sanctis fidelibus iam diffusa est per terras, id est, ad Ecclesiam.

Quomodo si inferant & cætera) Sensus est: Qui adducentur per Apostolos, erunt tam grati Deo, quàm erat munus oblatum tempore legis Moysi adhuc stantis & vigorem suum habentis.

Et sumam ex eis) scilicet gentibus ad fidem conuersis sacerdotes, Augustinus intelligit proprij nominis sacerdotes, quales ab Episcopis ordinantur.

Quia sicut cœli noui &c.) Quemadmodum homo ministrum suum facit stare coram se, vt ad nutum seruiat: ita cœli & terra stant ad nutum coram me Deo. De nouis autem cœlis & terra noua in superioribus dictum est. Isti cœli qui modò sunt, mutabuntur: illi verò cœli noui erunt perpetui.

Sic stabit semen vestrum & nomen vestrum) id est, vos Apostoli mei, & qui per vos credituri sunt. Paulatim occultè transit propheta ad aliud sæculum futurum.

ET erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho. Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.

ET erit mensis &c.) In futuro sæculo erit mẽsis ex mense. In mense autem duplex est tropus, primò enim ex mense intelligitur primus dies mensis: deinde ex primo die mensis intelligitur qualitas ipsius diei. Primus dies mensis vt patet ex libris Moysi multùm celebris erat apud Iudæos. Vide ca. 20. primi libri Reg. Ecce calendæ sunt crastino die, ad verbum est, Ecce mensis cras. Voluit significare cras esse festum, quale est primo die mensis. Sic quarto Regum cap. 4. Hodie non sunt calendæ vbi ad verbum est, Hodie non est mensis. Sine tropo autem dixisset propheta: Erit perpetua ibi solennitas, & perpetuus sabbatismus.

Veniet omnis caro) In istis mensibus & sabbatis veniet omnis caro. Non est intelligendum quòd veniet sicut nos venimus ad templum diui Petri, vel vt olim venerunt ad templum Salomonis, sed veniet, id est, aderit in regno cœlorum omnis caro, non quidem simpliciter omnis caro, quia impij non erunt ibi, sed ex quauis carne siue Gẽte aliqui homines. *Et egredientur*) non quidem loco sed scientia, id est, isti qui in regno cœlorum celebrabunt sabbata, scient & contemplabuntur tormenta damnatorum, & ea quæ aguntur in inferno: Sic August. sic & Hieronymus. Scholastici tamen putant, quòd & loco egredientur. In voce autem (cadauera) allusit ad id quod antè dixerat, Multiplicabuntur à Domino, alioquin cadauer non appellatur, nisi exanimis caro, corpora autem damnatorũ erunt animata.

Vermis eorum non morietur) Vermis iste & ignis ab alijs atque alijs aliter atq; aliter exponuntur. Alij quippe vtrunque ad corpus, alij vtrunque ad animam retulerunt. Alij rursus propriè ad corpus ignem, vermem verò tropicè ad animam: quod ait Augustinus credibilius esse videtur, & hanc Augustini sententiam amplectũtur scholastici. Habet ergo vermis tropum malæ conscientiæ: damnati agnoscent semper se malè egisse, semper erunt malè conscij sibi suæ nequitiæ. Ignis verò sine tropo intelligendus est, quia reuera erit corporalis ignis, an autem eiusdem speciei cum nostro igne, disputatur in quarto libro Sententiarum.

Et erunt vsque ad satietatem) id est, vsque ad fastidium & nauseam, non quòd in sanctis nausea erit aut fastidium, sed hoc modo significare voluit fœtorem cadauerum, id est, eorum qui erunt in inferno, alioquin ex consideratione pœnarum ipsorum damnatorum electi lætabuntur, approbantes diuinam iustitiam, & agnoscentes quas pœnas euaserint. Terminauit autem Esaias prophetiam suam ad id ad quod sæculum terminabitur, nimirum ad extremum iudicium.

FINIS ESAIAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN OMNES D. PAVLI ET QVORVNDAM ALIORVM APOSTOLORVM EPISTOLAS EXPLICATIO F. ADAMI SASbout Delphij.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM D. PAVLI AD ROMANOS SCRIPTAM.

Aug. in li. expositionis inchoatæ super epi. ad Rom.

IN epistola quam ad Romanos scripsit, hanc potissimum secundum Augustinum versat Apostolus quæstionem: Vtrum Iudæis solis Euangelium Domini nostri Iesu Christi venerit propter merita operum legis: an verò nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venerit iustificatio fidei, quæ est in Christo, vt non quia iusti erant homines, crederent in CHRISTVM, sed vt credendo iustificati, deinde iustè viuere inciperent. Quæstio hæc nata est ex schola Iudaizantium, quorum duplex fuisse genus in nascentis Ecclesiæ primordio, ex Actis Apostolorum discimus. Alterum quod arbitrabatur gratiam Euangelij peculiariter Abrahæ posteris promissam, non esse propagandam ad Gentes prophanas, simulachrorum ac dæmonum cultui deditas. Alterum quod non arcendas putabat, sed legis oneribus subijciendas, vt per legem purgatæ atque exercitatæ hoc modo gratia Euangelij dignæ efficerentur, & fides in Christum ipsis accedente lege esse posset salutaris, perinde quasi Christus opus haberet adminiculo legis Moysaicæ, & tanquam Deus statuisset per Christi fidem ad salutem perducere eos, qui aliunde quàm per Christum fuissent iustificati. Docet igitur Apostolus omnibus venisse Euangelium, non Iudæis solùm, verumetiam & Gentibus, ostendens gratuitum Dei donum esse iustificationem, nec ex lege, sed per fidem in propitiatorem, quem annuntiat Euangelium, contingere homini prorsus absque omni operum merito, dignitate, qualitate siue commendatione. Atque hic est huius epistolæ status, ad quem referenda sunt vniuersa ab exordio epistolæ vsque ad caput 12. vbi omissa disputatione de iustificione, siue de gratia & operibus, transit ad locum moralem. Ita vt duæ sint huius epistolæ partes: Altera dogmatica, cuius argumentum iam recitauimus. Altera ethica, varia complectens de virtutibus & moribus præcepta, quæ suo loco explicabuntur. Hæc de argumento epistolæ. Scripta est autem post vtranque ad Corinthios, quod manifestum est, partim ex hac epistola, partim ex illis quæ ad Corinthios scriptæ sunt. Siquidem in vtraque ad Corinthios, ipsos

De hoc genere Iudaizantium est mentio Actorum 11. De hoc genere multa refert. Luc. Actu. 15. & 21.

2. Cor. 16. 2. Cor. 18. & 19.

ipsos Corinthios hortatur Apostolus, vt in pauperes Hierosolymitanos ostendant munificentiam suam, atque vt in eorum subsidium curent collectam esse pecuniam aliquantam in id tempus, quo Hierosolymam profecturus sit. De qua pecunia vt iam collecta sic scribit Romanis: Nunc igitur proficiscor in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Achaia & Macedonia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Vnde manifestum relinquitur, istam post illas esse scriptam. Eam autem ob causam primo loco (vt habet Augustinus in epistola ad Sixtum) collocata est, quòd gratiam illam commendet, quæ caput est & fundamentum atque initium gratiarum à gratia fidei exordiens.

Cap. 15.

Aug. epi. 105. ad Sixtum.

FINIS ARGVMENTI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EPISTOLAM AD ROMANOS EXPOSITIO.

F. ADAMI SAS-
BOVT DELPHII.

CAPVT PRIMVM.

PAulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei (quod antè promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnē, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secūdum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri, per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus estis & vos vocati. Iesu Christi) omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vobis & pax à Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.

INitium huius epistolæ vsque ad eum locum, Primùm quidem gratias ago, præter ellcipsin id est, defectum, hyperbatō, id est, sensus perturbationem habet. Qua figura non hoc solùm loco sed aliàs frequenter vtitur Paulus, propter mirabilem sibi occurrentium rerum earumque diuersissimarum copiam. Ordo verborum est iste: Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euāgelium Dei, omnibus qui sunt Romæ dilectis scilicet scribit salutationem, hoc modo, gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo. Reliqua quæ interiecta sunt, perturbant orationem, atq; obscuriorem reddunt, quare per parenthesin legenda sunt, quemadmodum in textu annotauimus.

Paulus) De nomine Pauli multa passim disputantur. Sed satis constat gentilitium illi fuisse ab infantia nomen Saul, siue Saulus: quod plausibile habitū est in tribu Beniamin, ob primum in gente Israelitica regem electum à Domino. An autem cum hoc nomine & Pauli vocabulum ab initio possederit, quia ciuis Romanus fuit, apud quos gratius fuit nomen Pauli quod censet Origenes: An verò à conuersione sua ex Iudaismo ad Fidē Christi, sic primum dici cœperit, vt cum religione mutata, & nomen intelligatur commutatum, quod putat Ambrosius: An denique ob Sergium Paulum proconsulem, quem primùm ex gentibus Christo lucrifecit, hoc nomen reportarit, quæ sententia Hieronymi est & Augustini: An aliam ob causam sic fuerit appellatus, planè incertum est ex scriptura: Et quia incertum est, nulla dictarum iam opinionū reijci potest vt quæ omnes & singulæ magnos habeant autores. Quod autem Erasmus contra sententiam Hieronymi adfert ex cap. 13. Actorum, Apostolum Paulum vocatum antequàm conuertisset Sergium Paulum, facilè soluitur per anticipationem figuram literis sacris multùm familiarem. Et (vt pro sententia Hieronymi aliquid dicatur) non sine ratione est, quod Lucas quum in præcedentibus capitibus vsque ad eum locum vbi historiam de Sergio Paulo describit, Apostolum perpetuò Saulum vocasset, post proconsulem Christo lucrifactum semper Paulum, & nunquam Saulum vocat. Iam quæ de huius nominis etymologia hoc loco traduntur ab interpretibus æquè vt illa quæ de appellatione disputantur incerta sunt. Si quidem alij illam petunt ex Hebræa lingua, alij ex Græca, alij ex Latina. Si origine Græcum est nomen Pauli, etymologia eius non est petenda ex Hebræa lingua, quod faciunt ij qui dicunt significare mirabilē vel electum: Neque rursus ex Latina, quod faciunt illi qui dicunt significare modicum vel pusillum. Si verò origine Latinum vocabulum est, etymologia peti non debet ex Græca lingua, quod faciunt, qui volunt significare quietem. Multò minùs ex Hebræa & Græca, vt illi qui dicunt significare os tubæ. Quare cum lateat à quo fonte descendat vocabulū Pauli, Hebræone an Græco an Latino, incerta sunt omnia quæ de etymologia eius disputātur. Secus est de nomine SAVL, quod constat origine Hebræum esse, & sonare expetitum à radice SCHAAL, quod est petiuit, postulauit siue commodauit. Ambrosius tamen qui inquietudinem significare contendit, respexit (vt verisimile est) ad fontem Græcum. Nam radix Hebræa nihil huiusmodi significat. Apud Græcos autem Σαλεύω est quatio, fluctuo: Σάλος commotio, tumultus propriè maris. Cui voci si addas literam vnam videlicet ι iam habes nomen Saulus. Sed satis hac de re.

Hieronim. epi. ad Philemonem. August. lib. 8. confess. ca. 4. Ex priore, inquit, Saulo Paulus amauit vocari, ob tam magna insigna victoriæ.

Seruus Iesu Christi) Aliud est seruus, aliud minister: seruus enim addictitius est, minister non item. Nominat ergo se seruum Iesu Christi, vt profiteatur se totum esse huius Domini, illius tantùm negotium agere, præter hunc nihil se nouisse, præter hunc seminhil prædicare, nihil spirare vel viuere. Vocabulum (Iesus) origine Hebræum est (Christus) verò Græcum, huius ratio exprimitur Act. 10.

Act. 10. Quem vnxit Deus Spiritu Sancto & virtute: illius verò Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populū, &c. De hoc nomine vide Reuchlin in libro de verbo mirifico, vbi mira de eo scribit.

Vocatus) hoc loco vt ex Græco patet, non participium est, quasi ita dictus aut appellatus, sed nomen absolutum idem valens ac si dicas vocatiuus, siue vocatione Apostolus. Istud adijcit vt intelligant Romani ipsum nō abijsse, nec sponte se huc ingessisse, sed accitum esse à Christo in Apostolatum.

Apostolus) Notandum hìc nomen (Apostoli) in scriptura non tantùm ministerij siue officij vocabulum esse, sed præter ministerium complecti dignitatē & primatū, quod manifestū est ex cap. 12. prioris epistolæ ad Corinth. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, &c. & cap. 4. ad Ephe. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos. Ex quibus locis discimus non tam latè patere ipsum nomen Apostoli, quàm alio quin pateat eius etymologia, quæ exprimitur Ioannis. 13. Non est Apostolus maior eo, qui misit illum. Quæ ratio vtique in Septuaginta illos, quos designauit Dominus Lucę. 10. ad Euangelicæ prædicationis munus competit, non tamen nomen Apostoli secundum vsum quem habet in scriptura, vt quod solis duodecim à Saluatore peculiariter inditum est Lucæ. 6. & postea in paucos alios translatum: vt in Paulum & Barnabam, qui Act. 14. Apostoli dicuntur: & Iacobum fratrē Domini Episcopū Hierosolymitanum, de quo ad Galat. 1. Aliū Apostolorū vidi neminē, nisi Iacobum fratrē Domini: fuit enim hic extra numerū duodenariū, alius à Iacobo Alphæi, & Iacobo Zebedæi. Nomen Apostoli Paulus etiam tribuit Epaphrodito. 1. cap. ad Philippenses, vbi videndū, an nominis tantùm, an etiam rei per nomen significatæ communicatio fiat. Cùm igitur inter ministros, quos ad ædificationē corporis Christi in Ecclesia Spiritus sanctus instituit, primū & dignissimum locum secundū Paulum Apostoli obtineant, facile intelligere est, quænam cōpetat illis potestas: nimirum non nudum verbi ministerium, sed præterea authoritas prohibendi, præcipiendi, legesq; ferēdi. Et proinde inualidū est hoc Caluini argumentū. Apostoli nomine suo potestatem sibi præ se ferunt, qui quum legati dicuntur, liquet ipsis & eorum successoribus, non aliam fuisse potestatem, quàm enunciandi quod erat in mandatis. Inualidum, inquam, est hoc argumentum, ex eo quòd iam ostensum est, non totam vocis significationē etymologia cōprehendi, quod non in hac solùm voce, sed in alijs quoque quàm plurimis agnoscere est: vt in nomine dictatoris, item consulis, Episcopi, &c. Vult me (ait Cicero in Epistola ad Atticum lib. 7.) Pompeius esse, quem tota hæc Campania & ora maritima Episcopum habeat, ad quem delectus, & summa negotij referatur: Hìc (Episcopus) nomen dignitatis est, quam tamen non includit eius etymologia. Non enim hoc habet ratio nominis huius, vt eum significet penes quem sit summa rerum, sed absolutè inspectatorem. Verùm demus vt in nomine Apostoli nihil aliud includatur, quàm in ipsius etymologia, quod falsum est, minimè inde licebit inferre, quòd infert Caluinus: videlicet penes ipsos non aliam fuisse potestatē, quàm enunciandi quod erat in mandatis. Non enim duodecim illi à Domino electi, Paulus, item & Barnabas, solùm Apostoli fuerunt, sed præterea pastores & Episcopi: adeoque omnia episcoporum & pastorum officia ipsis competunt, inter quæ sunt regere, præcipere, ordinare, &c. Attendite (ait Apostolus Act. 20.) vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: Sanè potestatem excommunicandi, & tradendi Satanæ vendicauit sibi D. Paulus: Authoritatem item condendarum legum, vt ex ipsius Epistolis patet: maximè ex priori ad Corinth. capite 11. Sed dixerit quispiam, si nomen hoc (Apostolus) præter ministerium conuoluit secum dignitatem, & mandandi, prohibendique authoritatem, quomodo à catholicis passim dicitur, ipsos Apostolos in Apostolatu fuisse pares, cùm non eadem, quantum ad præcipiendum, ipsis fuerit potestas, sed maior penes Petrum quàm cæteros. Dicendum parem quidem fuisse Petri cum alijs potestatem Lucæ. 6. vbi Apostolus instituitur, sed præcipua illa, & excellens authoritas, atque honoris prærogatiua multò post concessum munus Apostolicum ipsi contigit: nimirum post Christi resurrectionem, cum Ioannis vltimo dictum est: Pasce oues meas, quibus verbis cæterorum quoque Apostolorum, quibus vsque ad hoc tempus par fuerat, caput institutus est.

Segregatus in Euangelium Dei) Hoc verbo (segregratus) significare vult se non temere vocatum ad Apostolici muneris functionē, sed delectum ac selectum. Græca enim est ἀφωρισμένος: ἀφορίζειν autem est non solùm separare, sed etiam adhibito iudicio seponere ac secernere. Segregatus ergo velut eximium quoddam & electum organum ad munus Euangelij prædicandi. Euangelium autem est annūciatio læta de Christo, quod ipse qui tot retro sæculis promissus est, & variè præscriptus in prophetis, iam demum exhibitus sit orbi, & venerit ad liberandum populū suum, nō Iudæos solùm, sed omnes

omnino

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino credentes, à tyrannide diaboli, & gratuitò illos reconciliandum Deo, quem offenderant. Hoc Euangelium quia Deus notum fecit(non enim humana ratio deprehendit illud) & diuulgandum præcepit per Apostolos toti orbi, idcirco Dei appellauit.

Quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo.) Quæ superiùs exposita sunt pertinent ad commendationem personæ scribentis, quæ autem hîc sequuntur ad commendationem rei de qua agitur,videlicet Euangelij,quòd variè commendat, & primò quidem ab antiquitate: Euangelium,inquit,cuius iam memini, res antiqua est, iam olim multò antequam exhiberetur, illud promisit Deus. Promisit autem non per vulgares homines, sed per prophetas, nec per quoslibet prophetas, sed per eos, quos ad vaticinium ipse afflauit, hoc est, quod dicit (*suos*) ne quis suspicetur vates gentilium. Atq; hæc promissio ne excideret tractu temporis, curauit eam descriptam esse in scripturis, non quibuslibet, sed in scripturis sanctis,id est illis, quæ solæ immunes sunt ab omni falsitate, & errore. Ista etiam non parum faciunt ad commendationem Euangelij,maximè autem ad eam rem facit quod sequitur, (*De Filio suo*) vtique naturali,verò, ac proprio. De huius regno ac imperio est Euangelium istud.

Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem) Istud adijcit, vt intelligant Romani quid sentire debeant de Filio isto. Factum esse dixit interpres,pro eò quòd est esse cœpisse. Laurentius Valla potius vertendum fuisse putat,genitus, aut natus. Vox enim Græca γένομαι cuius participio hîc vtitur Apostolus, significat & fieri & nasci. Semen autem metaphoram habet: sumitur enim pro posteritate: Caro verò synecdochen: nam pro humana natura ponitur, cuius altera tantùm pars est caro. Sensus ergo est: qui iuxta humanam naturam ortum cœpit ex posteritate Dauid, id est, qui homo factus est ex Maria virgine. Pronomen (ei) non est in Græcis codicibus, neque Chrysost.in commentarijs vllam mentionem eius facit, nec Theoh.nec Oecu.Latini tamẽ cõstanter legunt & eorum glossæ interpretantur,vt hoc sit, quod ad gloriã nominis eius. Vide Thomam in 3.parte quæst.16.art.7.vbi disputat,An vera sit propositio,homo factus est Deus.

Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis) Aliter Græci,aliter Latini hunc locum interpretantur. Græci vocem Pauli quam interpres noster vertit,prædestinatus est, accipiunt vt idem valeat quòd declaratus, hoc sensu: Ipse qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, quem proinde constat verum fuisse hominẽ declaratus est,ostensus, manifestatus & probatus est fuisse Filius Dei. Primò per mirabilem illam potẽtiam,quæ apparuit in operibus ipsius id est, miraculis eius, hoc est quod dicit(*in virtute*) id est,per virtutem siue potentiam.Nam (in)pro (per) familiare est Euangelicis & Apostolicis literis. Virtutem pro potentia sumi hoc loco manifestum est ex Græco. Est enim δύναμις et non ἀρετή.Secundò demonstratus est fuisse Filius Dei,ex spiritu per quem dedit sanctificationem,id est,(vt planiùs dicatur) Ostensus est Filius Dei,ex eo quòd ex se potuit dare Spiritum sanctum,& remittere peccata,nõ quo modo sacerdotes,sed sua authoritate, & propria virtute seu potestate, atq; hoc est quod dicit(*secundum spiritum sanctificationis*) Præpositio(secundum)est obiecti siue materiæ, in qua res hæc,qua patefit, diuinitas Christi versatur.Tertiò & postremò ex eo quòd more cæterorum hominum mortuus quidem nõ tamen à morte potuit detineri,sed deuicta & concultata morte surrexit suapte virtute, & se vitæ restituit, hoc est quod sequitur,

Ex resurrectione mortuorum I.Ch.D.N.) Vbi notandum tria hæc, resurrectio,resurrectio mortuorũ,resurrectio ex mortuis phrasi scripturę idẽ valere. Quare dicere potuisset, ex resurrectione Iesu Christi à mortuis vel ex resurrectione Iesu Christi, qui sermo planior fuisset non tamẽ absq; omni incõmodo propter genitiuũ Iesu Christi,qui adijci videtur quasi alius fuisset Filius Dei, alius Iesus Christus. Verùm licet nobis incommodus videatur sermo,Hebręis tamẽ vsitatissimus est,qui elegãter vice pronominũ proprijs nominib⁹ vtũtur:Vt fecit Moyses sicut præcepit Dominus Moysi,quod Latin⁹ dixisset,sicut præcepit ei.Hoc ferè pacto Græci hũc locũ interpretãtur.Latini aũt ad hunc modũ exponũt, Qui Filius Dei quatenus fact⁹ ex semine Dauid secundũ carnẽ prædestinatũs est,definitus,&ab ętenro decretus est fore Filius Dei, habẽs immensam illã & diuinam virtutẽ secũdum aliã naturã nempe illam, quæ ipsi in se sancta omnis sanctitatis fons est.Ita vt prædestinatio siue decretũ Dei referatur ad personã illam quæ est Filius Dei, tãtùm rationem humanæ naturæ. Quod aũt ille homo sit Filius verus Dei in virtute secundum spiritũ sanctificationis,id patefactum est ex resurrectione ipsius à mortuis.Secundum hanc interpretationem illud (*in virtute*) refertur ad *Filium Dei*) non autem ad id quod præcessit, (*prædestinatus*) Et præpositio (in) significationẽ habet beth ב Hebraici quod interdũ est comitis quemadmodũ etiã hîc vertit Erasmus.

Erasmus,loco (in)substituens(cum),Filius Dei cum potentia,id est,pollẽs virtute.Istud autem (*Secundum spiritum sanctificationis*)co hæret illi,quod proximè præcessit, videlicet in virtute,vel Filius Dei in virtute.Et accipitur spiritus non pro persona, sed pro natura spirituali,quemadmodum Ioannis 4. Spiritus est Deus:Et posterioris ad Corinth. 2. Dominus est spiritus. Hæc satis aptè hærent cum præcedentibus. Ista verò (ex resurrectione mortuorum) nec commodè iungi possunt cùm verbo, prædestinatus, neque cum Filio Dei,neq; cum ijs quæ sequuntur, in virtute secundum spiritum sanctificationis. Quare vt constet sententia, intelligunt ferè Latini interpretes verbum vnum: nempe patefactum seu manifestatum. De hac Latinorum interpretatione vide Tho.3. parte quæst. 24.art. 1. & 2. Vtra autem harum expositionum probabilior sit, difficile est pronunciare. Erasmus Græcorum præfert, tum quòd nihil in ea salebræ occurrat,tum quòd ad amussim quadret instituto Pauli. Verùm diligentius singula perscrutanti probabilior fortasse videbitur, licet difficilior sit Latinorum expositio.Nam vox Græca ἀφορίσας,cuius participio hîc vtitur Apostolus, licet inter cætera significet declarare,ostendere,in ea tamen significatione nusquam reperitur in scripturis, sed frequenter in alia,quam noster reddidit interpres,quæ est destinare, decernere, definire vel præfinire. Vt Actor.2. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum interemistis, & cætera. Rursus capite.10.Quia ipse constitutus erat à Deo Iudex viuorum & mortuorum. Rursus.17. capite,Definiens vel (vt vertit Erasmus) præfiniens statuta tempora, & cætera.In quibus vbique est vocabulum huius loci. Et quemadmodum vox simplex ὁρίζω, sic et composita προορίζω in hac duntaxat significatione reperitur in sanctis literis.Loca in promptu sunt. Actorum.4. fácere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri:Prioris ad Corinth. capite.2. Loquimur sapientiam Dei in mysterio quam prædestinauit,siue (vt vertit Erasmus) præfinijuit ante sæcula Deus in gloriam nostram:In epistola hac capite 8. Quos præscijt, hos & prædestinauit, & cæte.Ad Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei. Præterea Dionysius Areop. cap.5.de diuinis nominibus dicit προορίζειν vocabulum peculiare esse Theologiæ, quo nomine ipse sacram scripturam intelligit. Quare huius vocabuli significatio non nisi ex Theologia est petenda. In qua autem significatione,ea voce vtitur scriptura, ex locis iam adductis patet. Quicquid post titulum Pauli hactenus explicuimus, ad commendationem Euangelij pertinet,quod tũc temporis laborabat inuidia nouitatis. Vnde tacita vsus antipophora dixit, multis retrò sæculis illud promissum, non à quouis, sed à Deo: nec per quoslibet, sed per prophetas & hos quidem Dei: nec id quibuslibet instrumentis,sed in scripturis sanctis. Deindè velut definiens Euangelium adiecit, de Filio suo,qui factus est ei, &c. geminã Christi in vna hypostasi naturam mirabili verborũ emphasi describens.In qua descriptione Dauid potiùs meminit quam Abrahæ,licet & huius filius fuerit Christus secundum carnem, vt hac ratione ad lectionem psãlmorum,in quibus iucundis admodum tropis, atque magnificè regnum siue imperium Christi expresit Dauid,ipsos Romanos prouocaret.

Per quem accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus) Hic rursus redit ad commendationem suæ personæ vel potiùs officij,quod mira commendat epithasi. Non enim seruum se tantùm dicit Iesu Christi, sed præterea Apostolum, nec quauis ratione Apostolum, sed vocatione, hoc est, accersitum ad Apostolatum: nec accersitum modò, sed veluti electum vas, & eximium quoddam organum seposítum, ac segregatum in munus Euangelij prædicandi. Segregatum autem non per quemuis, sed per eum quem annuntiat Euangelium, hoc st, per Iesum CHRISTVM verum Deum & verum hominem. Nec vt vnius tantùm gentis Apostolus sit, sed gentium absolutè omnium, hoc nempe est quod dicit, per quem accepimus gratiam & apostolatũ ad obediendum fidei in omnibus gentibus: Quibus verbis studet Apostolus conciliare sibi fidem,& authoritatem apud Romanos.Gratia nonnunquam beneficium significat,quod confertur gratuitò: nõnũquam fauorem, nõnunquam obligationẽ beneficij. Quam verò significationem hîc habeat, declarat id quod sequitur,(*Et apostolatum*) Est enim epexegesis,quæ scripturis familiaris est,quia coniunctio (&) tantundem valet, ac si dicas,id est. Sic Chrysost.cuius verba hæc sunt,Non nostræ virtutis est opus,quòd apostolatum gerimus: non enim multis laborum conatibus hanc dignitatem sortiti sumus, sed velut gratiam gratis accepimus.Cui commentario ex diametro repugnat annotatio Erasmi, quæ sic habet: Pro apostolatu nos semel duntaxat vertimus apostolici muneris functionem, ne quis dignitatem Paulo significari putet, Vt enim ἐπισκοπὴ est ipsa functio episcopatus, sic et ἀποστολὴ apostolat⁹.Hactenus Erasmus, cuius authoritas nõ tãti apud nos esse debet atq; Chrysostomi ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi: neque ipsius tantùm Chrysost. sed & Origenis, qui eodem planè modo quo ille apostolatum interpretatur, quorum vterque in lingua Græca doctissimus fuit. Atque vt rationem illam: Vt enim ἐπισκοπὴ etc. à fundamento penitus euertam, aliud ostendam. Legimus enim psal. 108. Et episcopatũ eius accipiet alter, vbi Septuaginta interpretes habẽt ἐπισκοπήν: qua voce certum est ipsos non functionem tantùm episcopatus, sed ipsum quoq; episcopatum, hoc est, authoritatem, potestatem, dignitatem, siue præsulatum significare voluisse. Id autem certum est ex voce Hebræa illius loci, quæ præfecturam siue prępositurã designat. Sensus ergo est: gratuito munere Christi sortiti sumus apostolatũ seu authoritatẽ illam supremã prædicandi Euangelij, vt in omnibus gentibus obediatur fidei: obedire fidei, phrasi scripturæ credere est, eò quòd non curiosis ratiocinationibus, sed simplici obedientia, & tacita auscultatione accipiatur fides.

Pro nomine eius) Istud secundum Ambros. refertur ad (*apostolatum*) hoc sensu: Accepimus apostolatum per Christum, ipsius loco & nomine eius, vel (secũdũ Theophil.) pro gloria nominis eius & fama diuulganda. Erasmus autem ne cogatur agnoscere hyperbaton vertit, super nomine eius, quod etiã admittit præpositio ὑπὲρ qua vtitur Paulus. Secundum quem sensus est: Accepimus apostolatum in hoc, vt in omnibus gentibus obediatur fidei, quæ est de nomine ipsius id est, vt omnes vbique gentes credant in Christum.

In quibus estis & vos vocati Ie. Chr.) id est, inter quas gentes, vel quarum de numero estis & vos Romani. Istud autem adijcit, ne mirentur quòd ad ipsos scribat, quos alioquin nunquam viderat. Atque admonens eos beneficij, Vocati inquit estis Iesu Christi id est qui vocatione Dei gratuita venistis ad fidem, non vestris meritis. Hactenus totus sermo suspensus fuit, nunc redditur altera pars, cùm dicitur:

Omnibus qui sunt Rome dilectis Dei, vocatis sanctis) Hæc duo vocatis & dilectis, apud Græcos non participia, sed nomina sunt, ac si dicat, amicis Dei vocatione sanctis, ne suis studijs putent se venisse ad sanctimoniam, atque ob id à Deo dilectos. Ipse enim dilexit nos cùm adhuc peccatores essemus: & quia dilexit, vocauit & iustificauit. Vocabulum (sanctus) anceps est in scriptura. Significat enim & eum qui sanctitate præditus est, & eum qui per Baptismum semel sanctificatus est, etiam si à sanctitate iam exciderit. In posteriori significatione vocem hanc accepisse videtur Chrysost. hoc loco, nam dicit: Sanctos vocat omnes credentes. Inter credentes autem siue Christianos, qui tunc Romæ erant, non dubium est fuisse plerosque, quia sanctitate in Baptismo percepta iam exciderant.

Gratia vobis & pax à Deo Patre & D. N. I. C.) Loco eius quo Latini dicunt salutem, & Græci χαίρειν vel διπράτειν id est bene agere: Apostolus hac forma vtitur: Gratia vobis & pax à Deo Patre. In qua formula desideratur verbum, quod supplere possimus ex epistolis B. Petri, in quibus est eadem hæc formula adiecto verbo. In priori siquidem epistola est, multiplicetur: in posteriori verò, adimpleatur, atq; idem vtroq; verbo significatur, quod ex Græcis patet in quibus eadem vox est vtrobique. Vocabula autem hæc, gratia & pax quid significent, non aliunde discere oportet quàm ex scriptura, in qua peculiarem habent vsum: & quidem vocabulum gratiæ variè est obuium. Est vbi significat fauorem, vt Lucæ primo: Inuenisti gratiam apud Deum. Est rursus vbi significatio hæc non sufficit, vt Ioannis. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est, quo loco gratiam opponit Legi. Lex quidem demonstrabat peccatum, non auferebat, præscribebat quid faciẽdum esset, sed vires quibus id quod præscriptum erat præstari posset, non suggerebat. Hæc per Moysen tanquam famulum administrata est: at verò gratia qua mundamur à peccatis, qua sortes sumus & præstamus quæ præscribit lex, non per Moysen sed per Iesum Christum data est, & orta, Data quidem vt per authorem, orta verò vt per mediatorem. Gratia autem hæc charitas est. Illa siquidem mundat cor, illa mentem sanat, illa roborat spiritum, illa facit vt iustificatio legis verè per nos impleatur. Non igitur externus tantùm fauor Dei erga nos nomine gratiæ significatur vt hodie volunt Luterani, sed donum residens in anima, quo anima imbuta est, quodque à plenitudine gratiæ Christi in ipsam derivatum est. Neque solida est illa differentia, quam quidam statuunt inter vocabula χάρις et χάρισμα, quòd illud fauorem, hoc verò donum à fauore illo profectum significet: quia vox qua vtitur hic Euangelista Iohannes est χάρις. Atque in hac significatione non inuenitur ea vox apud scriptores ethnicos, sed ppria est scripturæ sicut & res per ipsam significata, hancque significationem habet hic apud Paulum, secundum interpretes veteres. Et quia gratia noui testamenti est, etiam pax nõ alia intelligenda est quàm noui testamenti. estque illa, qua animus acquiescit in Christo, confidens Patrẽ sibi propitium esse propter Filium, in quem credidit, cuiusque voluntatem facit. Antequem quidem creditum, non habebat in quo

quo poterat quiescere, sed terrebant omnia, mors, infernus, &c (Hæc pax incognita fuit philosophis: nota est autem omnibus Christianis, ijs, inquam, quibus per Christum remissæ sunt iniquitates, & tecta peccata, iuxta sententiam Apostoli, 5. capite huius Epistolę: Iustificati inquit ex fide, pacem habemus ad Deum per Iesum Christum. Verùm aliter hi, qui iam primò conuersi sunt ad Deum, aliter illi qui multis iam annis summa cum diligẽtia in diuinis præceptis se exercuerũt, & vitam excoluerunt, eam pacem habent. Nam hi (nisi aliud cum eis agat diuina dispensatio) clarè admodum in se percipiunt quod. 8. cap. huius Epistoęl scribitur: Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quòd sumus filij Dei? Illi verò valde obscurè. Hæc annotauimus, vt obiter indicemus quanam re augeatur in homine pax hęc Euãgelica, multiplicetur siue adimpleatur: nimirum obedientia, & obseruatione mandatorum Dei. Quod docet Esaias. 23. cùm ait: Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Vbi sermo ipsi est præcipuè de iustitia vitæ, vt ex præcedentibus liquet, id est, de iustitia quam præstamus in operibus nostris, remissionem iam consequuti de peccatis per Christum. Sensus est: si quis fuerit verè & bona fide obediens legi, si præstiterit opera iustitię, & fecerit ea quæ placita sunt Deo: is obediẽtia sua, & hac sua iustitia consequetur insignem quandam pacem, continget ei singularis quædam tranquillitas spiritus, siue quies, siue silentium. Perueniet inquam is ad magnam aliquam fiduciam, adeo magnam, vt dici ea merito possit securitas, & quidem securitas in sempiternum: quæ nunquam tamen in hac vita tanta est, vt reddat animum hominis absque omni prorsus metu, Nam & B. Hylar. cuius vitam descripsit Hieronymus D. Augustinus post multos annos in obedientia transactos, soliciti erant, cùm iã essent morituri. Sequitur in Esaia. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta. Nõ igitur vulgaris est salutatio hæc Apostoli, qua gratiam & pacem precatur Romanis, & dona hæc magis ac magis optat eis augeri, cùm pax de qua loquitur, exuperet omnẽ sensum, & beati pronunciẽtur in scriptura, quorum remissæ sunt iniquitates, quod est gratiæ. Beati item pronuncientur qui sunt factores legis, quod & ipsum est gratiæ. Et gratia est (vt semel dicatur) quicquid de plenitudine Christi tanquam membra accipimus. Secundum hanc generalem significationem ad gratiam pertinet etiam & pax. Ad uertendũ præterea in hac salutatione quòd non hoc modo dixerit Apostolus, gratia vobis & pax à Deo patre per Iesum Christũ, sed hoc modo, à Deo Patre & Iesu Christo. Qua loquendi formula indicauit apertè Christum esse Deum. Nam largiri hęc dona, solius Dei est. Aduertẽdum est & hoc, quòd proprium epitheton Christi apud Paulum est Dominus: nimirum quòd à Tyrannide diaboli per mortem suam ipse nos exemerit, sibique asseruerit. Expositio tituli, epistolam aggrediamur.

PRimùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio Filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei, veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam.

QVærit hic Origenes quum Paulus dicat (*primùm*) quæ pars huic respondeat? quæ sit secund. Quæ quæstio nos torquere non debet, cùm (annotante etiam Erasmo) absurdum non sit, in principio cuiusque argumenti primùm dicere, etiam si nihil propriè reddas. Sensus est: vt hinc epistolam exordiar, Gratias ago Deo meo, & cæt. Officium suum modestè Romanis inter salutandum commendauerat, nunc in exordio testatur singularem suum ergo eos affectum, quo illorum animos sibi conciliet. Vt enim fide opus est doctori apud auditores & authoritate, sic & beneuolentia, hoc est, vt afficiantur ei auditores, diligant amentque. Significat autem quanta charitate eos complectatur, pro quorum felicitate tanquam pro sua gratias agit Deo, quem suum vocat, non quòd communis non sit Deus, etiam Romanorum, sed quo declararet se totum Deo addictum esse, atque hunc præ cæteris sẽ colere. Et quia per Christum tanquam mediatorem omnia dona à Patre proueniunt, idcirco adiecit.

Per Iesum Christum) Causa autem gratiarum actionis est fides eorum, nec ea solùm: sed & quòd illorum fidei fama totum orbem peruaserit, & circumquaque diffusa sit. Ad hunc modum simpliciter intelligit Chrysost. quod dicitur: (*quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.*) Alij tamen id dictum interpretãtur hyberbolicè, pro eo quod est in multis partibus mundi. Iam quo credant ex animo proficisci quod dicit, adhibet iuramentum. (*testis inquit mihi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aug. lib. 1. de sermone Domini in monte, explic. illud. Ego autem dico vobis non iurare omnino.

Valla in c. 4. Matth.

est Deus) De qua forma sermonis vide Augustinum de sermone Domini in monte, libro. 1. Tantundem valet ac si dixisset, iuro per Deum, siue testem inuoco Deum.

Cui seruio in spiritu meo) Seruio Græcè λατρεύω, vnde λατρεία vox Latinis etiam sic vsitata ac notæ significationis, quã Græci deductam putant ex λά, quæ particula in compositione auget, et τρέμω, quod est treme re siue metuere. Quare rectè Ecclesiastici scriptores eam accommodarunt ad significandum cultũ, qui propriè Deo debetur, quod summa cum reuerentia ac tremore exerceri oporteat illum actum. Et frustra fatigat se Valla, qui vt inscitiæ arguat Theologos, ostendere conatur, principes linguæ Græcę, quorum authoritate nitimur in verborum significatione, nihil distinguere inter λατρεύω et δουλεύω: λατρεια et δουλεία. Exemplum adducit ex. 3. lib. Xenophontis de Pædia Cyri: Et ne ex gentilibus solùm exempla adduxisse videatur, adfert ex Mose quoque. Nam vbi nos habemus in Leuitico: Omne opus seruile non facietis in eo. Græci habent λατρείτον. Et rursus: De semine tuo non dabis seruire principi, Græcis est λατρευειν. Frustra inquam se, fatigat, quia semper licuit, & iam inde ab initio id sibi iuris, vendidicarunt disciplinarum authores, vt (quò sua commodius traderent) voces quasdam sibi proprias & peculiares facerent. Nec Augustinus cum de vocabulo λατρεία disputat. 1. cap. libr. 10. de ciuit. Dei, hoc agit, vt doceat quæ sit natiua eius vocis significatio, sed quem vsum habeat potissimum apud Ecclesiasticos, & ferè vbique in sacra scriptura. Cui igitur seruio id est, quem colo (*in spiritu meo*) Est ablatiuus instrumẽti vel modi, cui iuxta proprietatem sermonis Hebræi adiecta est præpositio (in). Latinus diceret, quem colo spiritu meo. Quia enim spiritus est Deus, spiritu colendus est. Colitur autem spiritu, quando fide, spe, & charitate colitur, (nam hæ res sunt spiritus) vel certè operibus ex fide, spe, & charitate procedẽtibus. Quòd apertè insinuauit Apostolus dum adiecit: (*In Euangelio filij eius*) prædicando Euã gelium quod est de filio ipsius, quod vtique ex maxima faciebat charitate. Hinc facile colligere licet, quis dicatur carnalis cultus: nimirum qui exhibetur exterius quibusdam cęremonijs, ritibus, & obseruantijs (siue ad nouam legem illa pertineant, siue ad veterem) fide, spe, & charitate vacuis. Et quemadmodum ille cultus Deo longè gratissimus est, ita hic molestus, quod nouerunt illi qui legerunt prophetas, præcipuè Esaiã. Cùm igitur præcipuo quodam cultu, ait Apostolus, seruiam Deo, promouendo pro omni virili gloriam ipsius per Euangelij prædicationem, nequaquam illum testem citarem, si falsa præsumerem. Quod autem diuini nominis iureiurando vobis affirmo, istud est.

Quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper, &c.) Quis satis miretur pectus Pauli? cùm in memoria saltem aliquem perpetuò circumferre, non possit fieri nisi ex maxima dilectione: In precibus verò habere & sine intermissione habere: perpendite quanti sit affectus, quamque vehementis amoris? Conandum nobis vt similes induamus affectus, vt de aliorum felicitate, tanquam nostra gratias agamus, & in precibus nostris Deo commendemus hos etiã, quos nunquam viderimus. (nunquam enim Romam viderat Apostolus, quum hanc scriberet epistolam) nec semel aut iterum id faciamus, sed sine intermissione. Quid sit autem sine intermissione orare: explicat Augustinus libro de hæresibus ad Quoduultdeum, hæresi. 57. secundum quem eo loco sine intermissione orat, qui nullo die intermittit certa tempora orandi. Illa verò aduerbiorum & conjunctionum congeries (*si quo modo tandem aliquando*) secundum Oecumenium, mirum quoddam exprimunt desiderium ac studium festinandi. Sensus est: assiduè Deum precans, in omnibus orationibus meis semper vos Deo commendo, orans, vt iuxta ardentissimum animi mei votum placeat ipsi, meum ad vos iter dirigere.

Desiderio enim videre vos) Nec alterius rei gratia inquit desidero videre vos, quàm vt aliquod vobis spirituale donum impartiar, quo confirmem vos, ac in fide roborem. Sciebat enim Apostolus aliam esse viuæ vocis energiam, aliam scripturę. Animaduertere est hoc loco mirum Pauli artificium. Quum enim dixisset.

Ad confirmandos vos) videns eo dicto offendi posse Romanorum animos, & fortè dicturos, quid? an vacillamus? vt tua lingua simus fulciendi? statim mitigauit, & veluti expositione correxit, quod dixerat, verbum confirmandi vertens in consolandi: nec hoc contentus, adiecit (*simul*) quasi non minus ipse egeret illorum consolatione, denique subiunxit fidei communionem hoc sensu. Cupio vobis præsens esse, vt per mutuam fidei collationem & communicationem vtrinque consolationem capiamus, ego à vobis, & vos vicissim à me. Quo dicto se submisit, qui prius quodammodò sibi magisterium vendicarat.

NOlo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum vsque adhuc) vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus, Græcis ac barbaris

barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis, euangelizare. Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit.

NOlo autẽ vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos) Ne quis vestrũm inquit vanum arbitretur quod dico, videlicet iam olim desiderio me teneri videndi vos, cùm hactenus non venerim, scire vos volo, quòd negotia aliarum regionũ in impedimento fuerint, hoc est, quod dicit (*prohibitus sum vsque adhuc*) id est prępeditus. Hunc esse sensum patet ex capite penultimo huius epistolæ.

Vt aliquem fructum habeam in vobis) Rursus hic desiderij sui & propositi causam assignat, vt prorsus amoliatur suspitionẽ, quòd non cupiditate videndorum locorum, au curiositate antiquitatum Romanorum ve-t nire optet ad vrbem. Non hæc inquit me trahunt, sed aliud: nimirum vt ex vobis etiam fructum aliquem Deo reportem, quemadmodum ex cęteris gentibus. Ad quod etiam si me non impelleret meus erga vos amor, cogit tamen officium. Nam debitum mihi incumbit Euangelij prædicandi, tum Græcis tum barbaris, cùm sapientibus, tum insipientibus. Epexegesis est: Græcos inquit intelligo sapientes, barbaros verò insipientes. Sapientes autem vocat doctrina aliqua imbutos: Insipientes verò rudes & crassos, atque ab omni cultu eruditionis alienos. Hocq; notandum, quòd Græcos, quos hic barbaris opposuit, aliàs ferè Iudæis opponit, vt mox: Iudæo primùm & Græco: vbi ea vox complectitur etiam barbaros. Nam idem valet quod ethnicus siue gentilis.

Ita quod in me promptum est & vobis qui Romæ estis euangelizare) Particula (*ita*) inferentis est, hoc sensu: Et propterea quantum in me est promptus sum, vel promptitudo animi mihi adest, etiam vobis qui Romæ estis euangelizare.

Non enim erubesco Euangelium) hactenus insinuatione captauit beneuolentiam, nũc transit ad ipsam rem, de qua tractatio erit vsque ad caput duodecimum: Tametsi inquit mundus aspernetur Euangelium tanquam rem inanem & stultam, non tamen me pudet illius, id est, Euangelicæ prędicationis. Causam subdit: dicens.

Virtus enim Dei est in salutem omni credenti) Grandis locutio est, similis illi: Virtus peccati lex. Virtus autem pro potentia: salus verò sumitur vt complectatur, & eam quæ præsentis temporis est, quæ sita est in remissione peccatorum, & eam quæ futuri: sensus est: Euangelium ex diuina potentia in credentium animis secretiùs operante efficax est ad præstãdum salutem, id est, iustitiam & vitam æternam cuiuis credenti. Vel quod eodem recidit, per Euangelium Deus exerit potentiam suam in cordibus credentium, iustificando eos, & producendo ad vitam æternam. Potest quidem ipse remittere peccata, & saluare absque verbo: sed per verbum placuit ei efficacem esse, per verbum inquam Euangelij auditum & creditum. Hoc modo sententiam istam interpretatur Apostolus prioris ad Corinthios capite primo. Quid sit autem credere in hac disputatione, ex alijs locis scripturæ discendum est, præcipuè capite septimo Ioannis: Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Scriptura quam eo loco respicit Saluator habetur. 2. Paral. cap. 16. vbi sic scriptum est: Oculi Domini comtemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem ijs, qui corde perfecto credunt in eum. Corde autem perfecto credunt, qui non solùm fidem adhibent illis, quę dicuntur in scripturis vel aliàs diuinitus reuelãtur, sed præterea omnes animæ vires accommodant, vt faciant quod habet fides, siue quod requirit fides, vel quod ea præscribit. Atque hoc modo accipitur à Paulo credere, videlicet vt sit ad auditum verbum commoueri, & tota animi adhæsione complecti id quod dicitur.

Iudæo primùm & Græco) Istud difficultatẽ facit, cùm in eadem hac epistola dicatur, nõ est distinctio Iudæi neque Græci. Chrysostomus facilè euadit dicens (*primùm*) ad tempus referendum, vt sit tantùm honor ordinis. Iudęis siquidem primùm prædicatum est Euangelium, deinde gentibus. Verùm plus videtur habere Apostolus cap. 11. & 15. nimirum quod gentes ex quadam misericordia sunt admissę ad gratiam, quę Iudęis erat quasi ex hæreditate. Nam illorum patribus peculiariter erat promissus Christus, vnde alij hoc loco (primùm) interpretantur potissimùm. In iustificatione interim, modo communis sit fides nihil plus gentili habet Iudæus, id est, tantundem gentilis accipiet atque Iudæus. Pleniùs de hac re dicetur in expositione illius: Dico autem Iesum Christum ministrum circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum & cætera. Euangelium igitur virtus Dei est in salutem omni credenti, non Iudæo tantùm, sed Iudæo simul & Græco, potissimùm tamen Iudæo, vtpote cui peculiariter promissum erat Euangelium. Additur probatio.

Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem,sicut scriptum est.) Hæc propositio benè obseruanda est, vt & præcedens, quia in ea arx est totius causæ, & status rei tractandæ. Ambrosius & Origenes iusticiam Dei intelligunt, qua ipse Deus iustus est. Verùm aliter hic, aliter ille explicat. Nam Origenes illam significari putat iustitiam, qua Deus vnicuique reddit quod meretur: Ambrosius verò illâ, à qua Deus iustus dicitur, hoc est, verax in promissis. Vtraque interpretatio licèt alibi locum habeat, hîc tamen minùs congruit. Certissimus commentarius est apud Augustinum in libro de spiritu & litera capite nono & vndecimo locis. Et rursus apud Chrysostomũ in hunc, & apud Theoph. qui omnes iustitiam Dei interpretãtur, non qua ipse iustus est, sed qua induit hominem dum iustificat impium. Atque hunc solidum esse commentarium patet cõfideranti, tum filum orationis Paulinæ, tum similia loca scripturę, quæ multa sunt. In primis ad Ro. 3. Iustitia Dei per fidẽ Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum: Deinde ad Rom. 10. Iustitiam Dei ignorantes & suam quærentes statuere &c. Item ad Philip. 3. Quæ ex Deo est iustitia in fide &c. Sensus ergo est: Iustitia Dei, id est, ea quam ex lege sibi falsò pollicebantur Iudæi, & viribus liberi arbitrij Philosophi, illa inquam iustitia ad quam ipsi non peruenerunt, quã Deus gratis donat credenti, quæque apud Deum valet, & valebit in extremo iudicio, illa reuelatur, id est, patefit in Euãgelio vel per Euangelium. Hæc iusticia duo complectitur, remissionem peccati, per quod subiectus erat homo iræ Dei: & rectitudinem animi per Spiritum sancti donationem effectam, qua sit vt mens antè inuisa & exosa iam placeat Deo, & potens sit exercere opera verè bona, verè sancta, quę scilicet accepta sint Deo, & apùd Deũ promereantur, inchoatam iustitiam augeant & perficiant. Hanc iustitiam Dei, Apostolus vbique operibus detrahit, & tribuit fidei. Vnde & nunc dicit, (*Ex fide in fidem,*) quam clausulam veterum ferè commentaria iungunt cum iusticia, hoc sensu: Iustitia Dei patefit in Euangelio, iustitia inquam quę est ex fide in fidem. Alij eam referunt, ad verbum (reuelatur) hoc sensu: Iusticia Dei, quæ prius in lege & prophetis erat tecta, retegitur & palam prædicatur, docturque in Euangelio contingere ex fide in fidem, id est, ex fide cuiusuis ætatis. Similis phrasis est, qualis illa ex æuo in æuum: ex generatione in generationem, id est, omnibus generationibus. Alij istud dicunt ex fide patrum, in fidem filiorum, ex fide prophetarum in fidem Euangelistarum, ex fide veteris legis in fidẽ nouæ legis, quæ omnia eadem sunt. Non errabis etiam à vero sensu Pauli, si iusticiam intelligas, non eam solùm quam nunc diximus, qua scilicet ex impio quis iustus sit, quam nulla omninò præcedunt merita: sed eam præterea qua iustus sit prouectior in iustitia, quã scholastici docendi gratia secũdam vocant: alterã verò primã siue inchoatam iustitiam, vt ex fide in fidem hunc habeat sensum: Ex fide iustificãte primò in fidem alentem, exercentemque ac perficientem primam iustitiam. Nam quemadmodum Augustinus in lib. de fide & operibus acturus de secunda iustitia, aliquot capitibus agit de prima iustitia: Sic & in hac epistola Apostolus sermonẽ instituens de prima iustitia, subindè miscet vtramq;. Hoc certè loco iustitiam ex fide in fidẽ commodè exponi (vt cõplectatur omnem eã quę valet apud Deum) discere licet ex testimonio Abakuk, quod in confirmationem suæ sententiæ adducit Apostolus, hoc nimirum.

Iustus autem ex fide viuit) Quod testimonium quum palam loquatur de ea iustitia, qua ad vitam æternam tandem peruenitur, cõstat omnem iustitiam complecti quæ hominem apud Deum commendat. Proinde & Apostoli sententia, quæ per ipsum sulcitur, rectè sic accipitur: Ex hoc quoque testimonio prophetæ discere licet, quomodo accipiatur fides à Paulo in hac disputatione. Non enim simplex est eius vocis vsus in scriptura. Interdũ siquidem vsurpatur pro credulitate seu persuasione, qua assentimur his, quæ à Deo, vel per scripturas, vel per Ecclesiam reuelata sunt, sine vlla hæsitatione, siue promissiones sint, siue comminationes, siue aliæ quæuis narrationes. Sic ad Hebræos vndecimo liquet accipi fidem, cùm dicitur: Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei: Item eodem cap. Credere oportet accedentẽ ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit &c. Itẽ in priori ad Corin. cap. 1. Nunc manent fides, spes, charitas. Vbi quum fides distinguatur à spe aut fiducia, necesse est, vt accipiatur pro notitia. Sic in Actis cap. 8. Credo filiũ Dei esse Iesum. Atque hæc propria significatio vocis esse videtur, qua vsus est Paulus videlicet πίστις, quam Laurentius valla deducit à πέπεισμαι, id est, persuasus sum vel persuasum habeo, vnde Dea persuadẽdi, quam Ennius Suadam vocat, Horatius Suadelam, à Græcis πειθὼ appellatur: Et sicut πίστις propriè significat credulitatẽ seu persuasionẽ, sic vox opposita ἀπιστία, impersuasibilitatem significat. Verùm quoniam ijs quibus fidem adhibemus, vel quæ certò nobis persuademus vera esse, si modò bona sint vel vtilia, veluti si sint promissiones, affectum & cor accommodare solemus, & eorum spem & fiduciam in nobis concipere, translatum est vocabulum fidei ad significan-

gnificandam fiduciam erga promittentes: In hac significatione sæpe obuium est in sacris literis. Sanè Matthæi nono sic accipitur, vbi iubet Christus Paralyticum illum confidere. Tertio accipitur fidei vocabulum vt hæc omnia complectatur, nempe assensum illum firmum mentis, quo quis certò persuadeat sibi verissima esse, quæ sacræ literæ docent siue promittunt: & fiduciam ex Dei Omnipotentis bonitate, quam scripturæ reuelant, conceptam nõ sine spe, hoc est expectatione promissorum. Sic accepisse videtur Paulus Fidem ad Roman. quarto & ad Hebræos vndecimo. Explicans enim illis locis fidei naturam ac vim, passim à fiducia ad credulitatem: rursus à credulitate ad fiduciam delabitur, quo facilè subindicat se nomine fidei vtrumque complecti. Certè scriptura quam ex Abakuk citat: Iustus ex fide viuet: spem & fiduciam complectitur. Quod vt manifestum cuadat, oportet euoluere caput primùm & secundum Habakuk, qui in initio primi capitis sumit sibi personam eius qui murmurat aduersus iudicia Dei, cuius murmuris causa est captiuitas duarum tribuum, & prosperitas Nabugodonosor regis Babyloniorum impij, vsque ad illa verba. Aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur &c. Vbi ad querelas causantis sue murmurantis prophetæ, vox Domini respondentis inducitur. Nabugodonosor, inquit, quem nunc vides florere, cuius potestati & cæteræ per circuitum gentes subiugandę sunt, tantùm ruiturus est posteà, vt si quis prædixerit quod futurum est, pro rei magnitudine videatur incredibile. Quod audiens propheta & intelligens idcircò ipsum contra Iudam accepisse potestatem, vt corripiat eum, non autem interficiat, & post correptionem ipse quoque puniatur, in blandimentorum verba prorumpit & ait: Nunquid nõ tu à principio Domine Deus meus, &c. Verùm statim rursus redit ad antiquam quærimoniam. Quare non respicis super gentes, &c. Cur pateris ab impio Nabugodonosor opprimi populum Iudaicum, qui opprimẽte se iustior est? quod prosequitur vsque ad finem capitis. Iam caput secundum inchoat hoc modo: Super custodiam meã stabo, &c. quæ metaphora sumpta est ab excubitoribꝰ. Significat autem se auidè expectare responsionem. Cui respondet Dominus: Scribe visum, qui licet procul adhuc sit tandem, tamẽ apparebit, nec fallet: Si diutiùs opinione extrahatur, ne desperes, expecta patiẽter, quia haud dubiè veniet, certissimè liberabitur populus è captiuitate, qui incredulus fuerit huius sponsionis, non erit recta anima eius in semetipso, hoc est, non erit iustus in conspectu meo. Iustus autem ex fide sua viuet, id est, sustinebit se & perdurabit spe liberationis futuræ. Cùm igitur hoc loco propheta nomine fidei & persuasionem siue assensum firmum mentis & fiduciam siue spẽ comprehenderit, certum est Apostolum quoq; (dum ait: Iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidẽ) sic accepisse fidem, vt vtrumque complectatur. Nec detorsit Apostolus, sed proprie vsus est vaticinio prophetæ, ad suæ sententiæ confirmationem. Nam licet cortex literæ proponat captiuitatem populi Iudaici sub rege Babyloniorum, & liberationem quæ facta est per Cyrum: non tamen ille precipuus sensus est, sed alius qui latet sub cortice literæ, qui est de captiuitate humani generis sub tyrannide diaboli, & liberatione quæ facta est per Christum. Scribe (inquit) visum. Iam populus meus captiuus tenetur à diabolo, eruam eum, quodque dico certissimè præstabo, propterea si in longum extrahatur promissio, nemo desperet: si quis fluctuare cœperit de veritate promissionis, & diffidere, propterea quòd vltra desiderium suum diutiùs extrahatur, non erit recta anima eius in semetipso, non perdurabit rectè agẽdo, sed relicta probitate sensim delabetur ad vitia: Iustus autem ex fide sua viuet, ex confidentia promissionis tandem adimplendę perseuerabit in bona vita, cui* initium per fidem propitiatoris promissi, & spem pridem adeptus est, Quia hæc sub inuolucro allegoriarum proposita sunt in prophetis, hinc eadem reuelari dicuntur in Euãgelio id est, quasi detracto velo retegi & aperiri. Iam scrupulus est, si liberatio hæc à tyrannide diaboli per visum significatur, cùm hoc non nisi rectè fiat, & obscurè admodũ, quo modo quod sibi præceptum erat, impleuit ,ppheta: Explana eũ super tabulas, id est, plano sermone scribe, vt sine vllo impedimento lector eam possit percurrere. Similis scrupulus est in Esaia, vbi dicitur. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, id est, cui assueuerũt homines, quodque iubetur planè scribere, adeò obscurè proponit, vt ex mille vix vnus intelligat. Ait enim sic: Spolia detrahe, festina prædari. Cui scrupulo ibi satis factum est à nobis. Dictum est enim ipsum stilo familiari scripsisse, verùm his qui assueuerunt consuetudini prophetarum, ac longo vsu exercitati didicerunt, quo consilio textant narrationem huius aut illius historiæ, captiuitatis aut liberationis, quique aliunde sciunt, quid sit res Euangelij. Non improbabiliter fortasis etiam dici posset, quòd visus ille primo, id est, absque medio typo ad Christum pertineat, vt sit trãsitus, quod videtur placuisse Hieronymo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nymo,& ad tranſitum inuitat quod dicitur: Et adhuc viſus procul, & rurſus: Apparebit in fine. Quę nonſatis conueniunt liberationi è captiuitate Babylonica. Cæterum in hac annotatione, qua ex teſtimonio Abakuch. dicimus fidem in diſputatione Pauli de iuſtificatione accipi, vt complectatur non ſolùm credulitatem: verumetiam fiduciam in Chriſtum propitiatorem: aduertẽdum nos longè diſsidere à Lutheranis, qui ipſi quoque fidem explicant fiduciam. Etenim iſti Paulum accipiunt de fide ſiue fiducia ſpeciali, eam ſic definiunt, quæ diſcuſſa ex animo omni fortitudine ac hæſitatione mentem prorſus ſecuram reddit & certam, quòd acceperit remiſsionem peccatorum, & iuſtitiam conſecuta ſit, vſque adeò, vt ſi vel parum ſubdubitet mens, aut trepidet, ne non ſit ad huc fortaſsis iuſtificata, ad diabolum pertinere dicant, & non ad Deum. Multùm inquam ab his diſsidemus, ſcientes generales promiſsiones in ſcriptura factas, non iubere quempiam de ſingularibus eſſe ſecurum. Quanquam enim ſcriptum ſit, iuſtitia Dei per fidem Ieſu in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, nuſquam tamen ſcriptura mei aut tui nominatim meminit. Quare quum ea demum fides iuſtificet, quæ coniunctam habet veram cordis conuerſionẽ: vera autem ſui conuerſio nemini citra diuinam reuelationem cognita ſit, aut eſſe queat: ſequitur neminem poſſe certò aut omnino de ſe ſtatuere, quòd remiſsionem peccatorum acceperit, & iuſtitiam adeptus ſit quũ de nemine ſcriptura pronunciet, quod ritè credat, de nemine inquam nunc temporis in terra degentium. Quare cum fide iuſtificante ſiue fiducia, quæ generalibus tantùm promiſsionibus Dei innitur, conſiſtere poteſt religioſus quidam metus ac trepidatio: non quidem quæ naſcatur ex incredulitate aut diffidentia erga Deum promittentẽ: ſed ex conſcientia noſtræ imbecillitatis, qua fieri poſſet, vt nondum eſſemus ad Deum legitimè conuerſi, quando tamen id maximè crederemus. Quare rectè admonet Sapiens: *Eccleſi. 5.* De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Iã multa dicta ſunt de teſtimonio Abakuk, nondum tamen planè eſt explanatum. Quare ſciendum ipſum tribus in locis eſſe citatũ ab Apoſtolo. Primò hoc loco, ſecundò ad Galat. cap. 3. Poſtremò ad Heb. 10. Et quia in epiſtola ad Gal. poſitum eſt cum ſuo contrario, optimè ex eò loco colligitur, quiſnã ſit ipſius intellectus: nimirum quod iſte: Iuſtus ex fide, & non ex lege vel operibus legis viuet, & iuſtificabitur apud Deum. Iam difficultas eſt, quomodo iuſtitiam, maximè eam quam ſecundam appellant, detrahat operibus cùm ſuprà dictum ſit, hominem quire-

miſsionem peccatorum adeptus eſt, promereri apud Deum ſuis operibus augmentum ſiue incrementũ iuſtitiæ. Difficultas hæc facilè ſoluitur, dum penitius inſpicitur textus Pauli. Nam eo loco ſicut & in hac epiſtola diſputat de operibus legis quatenus ſunt legis opera, id eſt, quatenus fiunt citra ſpiritum fidei. Palã enim de lege ibi pronũciat, quòd ipſa non ſit ex fide. Etcertè operibus hoc modo conſideratis qualiacunque illa fuerint, omnis omnino iuſtificatio adimenda eſt, tã ea, qua ex impio fit pius: quàm ea, qua pius fit prouectior in pietate. Opera enim ſine fide facta nec remiſsionem peccatorum efficere poſſunt, nec iuſtum magis iuſtũ. Vna iã reſtat adhuc difficultas, videlicet, quo pacto hoc teſtimonium ita citetur à Paulo: quomodo neque apud prophetam ſecundũ Hebraicam veritatem, neque apud Septuaginta interpretes reperitur. Siquidem Hebræi hoc modo legunt: Iuſtus ex fide ſua viuet, Septuaginta hoc modo: Iuſtus ex fide mea viuet. Cuius diuerſitatis rationem in commentarijs ſuper. 2. cap. Abakuk inquirens Hieronymus, arbitratur Septuaginta interpretes lapſos elementorum ſimilitudine. Nam vaſ. ¶ litera cùm eſt appendix dictionis, vim habet huius pronominis ſui vel eius. Iod. ¶ item adiecta fini dictionis vim habet pronominis mei. Quare quum duo hæc elementa apud Hebræos menſura tantùm diſtent, inter ſe putat ipſos (quod facillimè accidere poteſt) pro ¶ legiſſe ¶. Verùm ſiue ex fide ſua legamus: ſiue ex fide mea, in nullo ſenſus variatur. Quare magis credendum eſt de induſtria ac ſtudio hoc modo vertiſſe Septuaginta, vt hinc diſceremus gratuitum Dei donum eſſe fidem. Porrò vtrumque pronomen Paulum omiſiſſe opinatur Eraſmus, ſiue quòd huiuſmodi pronomina paſsim ſolent ſubaudiri, ſiue quòd Romanis nota eſſet editio Sept. & ob id ab ea diſſentire nolle: Neque rurſus Hebraicam ingerere, quam neſciebant. Legendum autem, viuet, vt ſit verbum futuri temporis, & nõ viuit in preſenti, manifeſtum eſt non ex Græcis ſolùm exemplaribus, ſed etiam ex Hebræis, quæ ad vnum ferè omnia habent verbum futuri temporis.

Habac. 2.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, et iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notũ eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus et diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens

Tit. 2.

Galat. 3.

inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnẽ impietatem, &c.) Poſt captatam in exordio beneuolentiam, ſub nomine Euangelij cœpit Apoſtolus cõmendare fidem, & poſuit generalẽ propoſitionem, in qua eſt veluti ſtatus epiſtolæ, hanc videlicet: Iuſtitiam Dei non ex lege, ſed ex fide contingere, quam latiùs volens exponere, aſſumit in initio propoſitionem aliam, quam illi priori ſubſternit, quæque ad illam principalem viam aperit, hanc videlicet: Per Euangelium probat omnes eſſe peccatores, iniuſtos, & impios, ac proinde in ira Dei conſtitutos, eamque propoſitionem per partitionem, primùm de gẽtibus, deinde Iudæis explicat, in qua explicãda per duo immoratur capita. 1. & 2. Tandẽ poſt medium. 3. cap. redit ad principalem diſputationem, videlicet: Iuſtitiam per fidẽ eſſe. Si enim totũ humanum genus iræ Dei obnoxium eſt, certè nemo ſibi polliceri debet, ſeſe propter vitę innocentiam Deo acceptũ eſſe, ſed agnoſcere cogitur, opus eſſe Dei irati reconciliatione, ad quam quum peruenire nequeat merito iuſtitiæ operum ſuorũ, (vt quæ nulla eſt) cogitur confugere ad Dei iuſtitiam, ipſius clementiam & miſericordiam, quam aſſerit Apoſtolus apprehendi ſiue obtineri per fidem. Hũc ordinem & progreſſum diſputationis Paulinæ benè aduertere, eſt loco multorum commentariorum. Porrò vt intelligas quomodo in Euangelio reuelatur ira Dei, opus eſt vt ſcripturam noui teſtimenti obiter percurras. Lege igitur cap. tertium Ioannis, eam inquam partem cap. quę continet diſputationem Saluatoris cum Nicodemo. Lege etiam eiuſdem cap. finem: Qui incredulus eſt non habet vitam æternam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Lege præterea concionem Petri, quam deſcribit Lucas. Act. 3. Pœnitemini & conuertimini vt deleantur peccata veſtra, vt cùm venerint tempora refrigerij. &c. Cõcionem itẽ Pauli, quam habuit ad Athenienſes Act. cap. 17. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nũc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, rurſus Petri alteram concionem, Act. 10: Præcepit nobis populo prædicare & teſtificari vſq; ad finem cap. Alteram item Pauli corã Agrippa habitã Act. 26: Vt conuertãtur à tenebris ad lucẽ, & de poteſtate Satanæ ad Deum, &c. Ex collatione horum locorum agnoſces perpetuã Euãgelij vocẽ eſſe õnes peccaſſe, & egere pœnitentia, atque iram Dei manere ſuper omnes, niſi per fidem Chriſti liberentur. Quare Euangelium longè aliter reuelat iram Dei, quàm illud de ſex hydrijs lapideis quarum ſingulę capiebant metretas binas vel ternas, cuius ſemel duntaxat meminit, idque per occaſionem. Sumitur autem ira hoc loco pro vindicta, phraſi hebraica, & interpretatur Chryſoſt. de ira extremi iudicij, ſimiliter Theoph. & Oecum. Et pro ea interpretatione facit quod additur: (*De cœlo*) Quæ particula licet videri poſſet alicui referenda ad verbum (reuelatur) legenti tamen cap. 4. prioris ad Theſſal. & poſterioris epiſtolæ primũ caput, in quibus eadem particula inuenitur, omnia videntur referenda ad iram Dei, vt ſit ſenſus: Ingens illa ira Dei, ſiue grauis illa vindicta, id eſt, pœna æterna, ſiue perpetuum ſupplicium, quod exacturus eſt Deus inflãma, deſcendens de cœlo, cum angelis virtutis ſuæ, tempore iudicij, illa inquam ira reuelatur ſiue pateſit per Euangelium. Vocula (enim) nequaquam tranſilienda eſt: indicat enim nobis Paulum hoc modo ratiocinari. In Euangelio reuelatur ira Dei ſuper omnes omnino homines, ergo reuelatur in Euangelio iuſtitia Dei ex fide in fidem. Quæ ratiocinatio mira videri poſsit verùm elegantiſsima, & ſuauiſsima, ſed ſupplendæ ſunt medię conſequentię, hoc aut ſimili modo: Vox Euangelij perpetua eſt, iram Dei manere omnes omnino homines, quotquot ex carne nati ſunt, vbique ſonat & inculcat Euangelium omnes eſſe peccatores: ergo nullus adferre poteſt ſuam iuſtitiam, ergo confugiendum eſt ad Dei iuſtitiam, ergo per Euãgeliũ cõſtituens omnes ſub peccato, pateſit Dei iuſtitia, dãnata omnium hominum iuſtitia. Vocabula illa, impietas & iniuſtitia ſuper omnes, variè à diuerſis exponuntur: verum diligenter conſideranti ſcriptum Pauli, maximè probatur cõmentarius ille, qui interpretatur impietatem, quicquid committitur cõtra cultum Dei ſiue religionem: iniuſtitiam verò omnia reliqua peccata, quæ quocunque modo committuntur. Veritatem Dei vocat, veram quam de Deo habuerunt notitiam: illa cùm in intellectu ſit, per prauam voluntatem quaſi captiua tenetur, dum non ſinitur in opus prodire, quod tamẽ maximè geſtit: vſque enim inuitat & ſolicitat metẽ ad ſtudiũ virtutis. (*In iniuſtitia*) idem eſt, quod per iniuſtitiam, & intelligitur generalis nominis iniuſtitia. Senſus eſt: Ira Dei reuelatur de cœlo cõtra illos, qui prauitate ſuæ voluntatis efficiunt, ne veritas de Deo habitat exeat in opus, in verum Dei cultum & inuocationem, id eſt, qui nouerunt quid ſit agendum, nec agunt corrupti prauis affectibus. Periphraſis eſt philoſophorũ hos potiùs depingit Apoſtolus prætermiſſo vulgo gẽtiliũ, tũ quòd vulgi improbitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarè incurrebat in oculos omnium, quare opus non erat reum peragere peccati, tum quòd procliue cuiuis sit colligere, quale vulgus gentilium fuerit, si declaretur ei ipsos philosophos (qui puriorem profitebantur vitam) impios omnes fuisse & iniustos. Quomodo autem veritatem Dei in iustitia detinuerint, latè explicat in sequentibus, ostendens primò ipsos non ignaros fuisse veritatis: *Quod notum est*)*inquit*) *Deo*) hoc est, quod Deo sciri cognoscique potest. Est enim in Deo ad quod nulla humanæ mētis imaginatio posit vllo modo pertingere, *Manifestum est in illis*) quòd nouè dictum est, pro, apud illos siue inter illos, sensus planior fuisset, si omisisset præpositionem (in) quod in sequenti sententia fecit:

Deus enim illis manifestauit) Deus inquit illis manifestauit: nimirum dum admirandum condidit opificium, vnde facilè posset cognosci, & simul admirabilem quandam vim illis inseuit, cuius vigore ex rebus conditis deuenire possent in ipsius notitiam Id enim est quod ait:

Inuisibilia ipsius) id est, æterna eius potētia, quę nec posit lāguescere, nec deficere, & diuinitas, quòd scilicet sit summè sapiēs summe bon⁹, summè iustus. Hæc quæ corporeis oculis cerni non possunt, conspiciuntur animo (*à creatura mundi hoc est*) ex ipsa mundi creatione, dum intelliguntur (*per ea quæ facta sunt*) id est, per opera siue res creatas, in quibus extant quædam diuinitatis vestigia. Magister in primo libro sententiarum dist. 3. à creatura mundi interpretatur ab homine, secutus in hoc D. Bernardum. Vtranque interpretationem admittit vox Græca. Sicut enim κτίσις apud Græcos, sic et creatura apud Latinos vox ambigua est, significans vel creationem ipsam id est, creandi siue condendi actum, vel rem creatam. In prori significatione accepit interpres Augustini, vt videre est in lib. 8. de ciuit. Dei capite 9. vbi sententiam hanc hoc modo citat. Inuisibilia enim ipsius à constitutione mundi per ea quę facta sunt, &c. Ne autem quempiam remoretur illud (quoque) Sempiterna quoque eius virtus, &c. quæ particula epexegesin habet: exponit enim inuisibilia, sciendum est Græcis esse (que) hoc modo, Sempiternaque eius virtus siue potestas & diuinitas. Coniūctio autem (que) frequentissimè seruit expositioni non ita (quoque.)

Ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum) Illud (ita) in multis exemplaribus non reperitur, vnde verisimile est redūdare, imò nulla Græca habent: sed simpliciter legunt, vt sint inexcusabiles, siue in hoc vt sint inexcusabiles. Et post Chrys. admonet Theophil. (vt) hoc loco non causam, sed consequentiam denotare. Sensus est: In hoc Deus indulsit eis sui cognitionem, vt cognitum colerent: quod si id non facerent, certè vt nihil haberent, quod prætexerent suę impietati. Deum autē glorificare vt Deum, est eum cultum Deo adhibere, qui ei debetur, seipsum Deo totum addicere, expectare ab ipso vno omnia, omnia huius gratia facere, in omnibus actionibus huius gloriam intendere, de propria nihil cogitare. Gratias verò agere est, quicquid habemus agnoscere à Deo nobis prouenisse, hincque ipsum laudare & vbique prædicare. Quòd autem interpres vertit (*in cogitationibus suis*) Græcè est διαλογισμοὺς quæ vox significat non simplicem cogitationem, sed cogitationem rationcinantis, expendentis atque dijudicantis. Hi ergo quibus vnicum studium erat inquirēdi Deum, euanuisse dicuntur in cogitationibus suis id est, vani facti, eò quòd contenti inquisitione, & quam inquirendo adepti erant, cognitione, animum non intenderūt actioni, quæ inquisitionis & cognitionis est finis. Sic qui hodie multa disputant de Deo, nec tamen hoc agunt, vt tota animi adhæsione illum complectantur, in eiusque amore magis ac magis in dies proficiant, euanescūt in cogitationibus suis & disputationibus sue dialogissimis, & timere debēt, ne hoc ipsis eueniat, quod philosophis, hoc est, ne deferantur à Deo & delabantur in errores maximos & probrosas cupiditates. Sequitur enim (*& obscuratum est insipiens cor eorum*) id est, mens eorum verè imprudens varijs falsarum opinionū tenebris inuoluta est. (*Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, Et mutauerunt &c.*) Illud (enim) nō est apud Augustinum in li. de spiritu & litera, nec est in Græcis voluminibus, nec in vetustis latinorum plerisque. Sensus est: Qui quum putarent aut profiterentur se sapientes, stulti euaserunt, imò eò stultitiæ vel potiùs eò dementiæ progressi sunt, vt gloriam incommutabilis Dei transtulerint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, hoc est, in simulachrum repręsentans mortalem hominem, imò in simulachra volucrum, quadrupedum & serpentum. Res hęc petenda est ex ijs qui scribunt de dijs Aegyptiorum aliarumque gentium, de quibus multa Origenes in libris contra Celsum: Certè Aegyptij apud quos maximè viguit studiū sapientiæ, non solùm Isim, & Osyrim siue Seraphyn, sed præterea crocodilum, canem, hricum, simiam, accipitrem & eiusmodi alia venerati sunt, atque ad harum rerum imagines siue idola, gloriam immortalis DEI, ipsius cultum & honorem traduxerunt. Alius commentarius est in annotationibus Erasmi, qui vt intelligatur, sciendum est, iuxta ipsum vertendum fuisse in auferendi casu, non accusandi, hoc modo. *In similitudine imaginis*) Quod ita dictum est, inquit, quasi dicatur per assimulationem imaginis, vt sensus sit: Mutauerūt gloriam Dei figurando sibi imagines, quibus putabant se verùm Deum, qui incorporeus est, exprimere. Tales erāt aduersus quos disputat Paulus in Act. 17. arrepta occasione ex inscriptione altaris, quæ habebat: Ignoto Deo, vbi post multa sic tandem infert: Genus ergo cùm sumus Dei, non debemus existimare auro & argento, aut lapidi sculpturę artis, & cogitationis hominum, diuinum esse simile. Commentarius iste bonus est, non tamen præferri debet priori, multo minùs sic āplecti, vt alter omnino reijciatur, quod fit ab Erasmo, cuius verba sunt. Non sentit Apostolus illos vertisse gloriam Dei in imaginem hominis, sed aliter sensisse de Deo quàm oportebat, quum illi cui simile nihil est in rebus corporeis, affingerent imaginē hominis, Quod ipse quum statuat ex lectione Græca, consulendi hîc sunt Græci interpretes Oec. Theop. Chrysost. qui omnes ad eundem modum interpretantur, quo Latini, nihil moti prępositione, ἐν, qua sciunt frequenter abuti Paulum pro εἰς, hoc est (in) vsurpare pro (ad)

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierūt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in sæcula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est cōtra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, &c.) Ex hoc loco Augustinus contra Iulianum capite 3. lib. 5. & de natura & gratia cap. 22. efficaciter docet, quædam sic esse peccata: vt etiam sint pœnæ peccatorum. quæ doctrina duplicem habet scrupulum: Alter est, quod videtur Deum facere auctorem peccati. Quum enim omnis iusta peccati pœna irrogetur à Deo vindicante peccatum, consequi videtur: vt si Deus peccata vindicet peccatis, auctor sit peccati. Alter est, quòd cum pœna omnis sit contraria voluntati, non videtur fieri posse, vt peccatum quod voluntarium est, habeat rationem pœnæ. Igitur hæc Pauli doctrina sic explicanda est quemadmodum habet Augustinus in libro de prædestinatione sanct. capite 10. vt Deo tribuatur iudicium, id est, iusta vindicta, sed non peccatum. Porrò quo modo id fieri posit, duplicicer explicant doctores. Magister enim explicat peccatum esse pœnam peccati, non quidem secundum suam naturam, quatenus habet rationem culpæ à voluntate liberè admissæ: sed secundum effectum, puta corruptionem naturæ, & reatum æternæ mortis. Verùm secundum hanc explicationem omne peccatum, etiam peccatum primi hominis dici posset pœna, quod alienum est à sententia Pauli, & Augustini ex Paulo hoc statuentis, cùm ille in 1. libro retractationum cap. 17. apertè asserat quædam peccata esse, quæ non sunt pœnæ, & manifestè id ipsum tradat super versum Psalm. 17. Supercecidit ignis &c. Quare aliter explicat D. Thomas dicens: peccatum habere rationem pœnæ, non quidem secundum suam formam & naturam (nam sic consideratum ex electione proficiscitur liberè à voluntate) sed secundum suam causam ex qua oritur: putà subtractionem diuini beneficij, quo seruabatur homo ne rueret in peccatum, hoc enim occulto & seuerissimo Dei iudicio (quemadmodum Augustinus ait) vindicatur peccatum, dum Deus offensus peccatis præcedentibus subtrahit beneficium suæ gratiæ, quo subtracto, partim impulsu dæmonis, partim sua infirmitate labitur quis in omne genus peccati. Propter hanc autem subtractionem gratuitæ præseruationis (quam & efficit Deus, & quæ pœna quædam est & supplicium peccatorum) peccatum, quod ex ea committitur, non solùm peccatum est, sed & supplicium. Quod autem Augustinus contra Iulianum lib. 5. cap. 3. & rursus de gratia & libero arb. cap. 21. scribit, Deum tradere peccatores in praua desideria, non solùm deferendo, sed compellendo, & inclinando voluntates illorum in malum, intelligendum est, non quasi Deus velit irrogare vel immittere malitiam, sed quòd iusto iudicio vindicans, non solùm non apponit gratiam, qua cohibeantur malæ voluntates, sed etiam ponit occasiones & offendicula, ad quæ grauiùs impacturi sunt, suo tamen vitio, videlicet vertentes occasiones quibus emendari debuerant, in occasiones peccandi, sicut in Pharaone videre licet: aut quia voluntatem ex se inclinatam ad malum flectit, vt in certos homines suam malitiam exerceat, sicut præcepit Semei, vt malediceret Dauid. Quòd autem non sentit Au. Deum esse auctorē malarum voluntatū, in illis locis quibus sententias illas posuit, expressit manifestis verbis: Facit (inquit lib. quinto

Thomas in prima 2. quæst. 87. art. 2.

2. Reg 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinto contra Iulianum ca. 3.) hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solum in corporib⁹ hominum, sed & in cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed vtitur eis vt voluerit. Solidus ergo & plenus huius loci commentarius est iste: Quia ipsi gloriam Dei, siue ea quæ Deú verè faciunt gloriosum, videlicet rerum omnium creatorem, earumque gubernationẽ, &c. attribuerũt idolis, idcirco seuero, sed tamen iusto suo iudicio tradidit illos Deus in fœdas cupiditates, non quidem in eas protrudendo ipsos inuitos, sed permittendo eos sponte sua illuc eundo in illas ruere, defluendo ipsos beneficio suæ gratiæ, quo concupiscentias suas intus mitigarent, quo & ipsas occasiones cupiditatesque inflammantes arcerent, imò subministrando eis oportunitatem & occasiones, ad quas ipsæ concupiscentiæ ardentiùs erant inflammandæ. Tradidit ergo eos, vt cedant desiderijs, quæ suggerit cor corruptum ex peccato originali, vt vincantur, trahantur, possideantur denique facultatem habeant ea opera perficiendi, vnde sequitur.

In immundiciam) nempe vt dehonestent corpora sua fœda libidine, quisque apud se. Erasmus putat Apostolum sensisse de masculorum mutuo inter ipsos stupro. Quare *in semetipsis*) interpretatur inter se: Tradidit eos in immundiciam, vt inter se contaminent & dedecore afficiãt corpora sua. Verùm quia mox facturus est mentionem huius Zodomiæ Apostolus, magis placet prior interpretatio, vel ea quam habet Augustinus, qui immundiciam interpretatur turpem libidiné sed vsitatam, vt sint gradus quidam.

Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium) Repetitio est causæ ob quam tradiderit eos Deus in concupiscentias fœdas. *Veritatem Dei*) id est, hoc quod verè est Deus ipsam videlicet diuinitatem, vel attributa pulcherrima Dei, quæ de ipso verè prædicantur, vt esse creatorem, gubernatorem &c. *Mutauerunt in mendacium*) id est, attribuerunt idolis siue simulachris. Idolum mendacium vocat, quia specie mentitur hominem vel aliud animal, cùm interim nec viuat, nec sentiat, *Et coluerunt*) id est venerati sunt sicut veneramur res numine ac maiestate plenas. Græcè enim est ἐσεβάσθησαν. *Et seruierunt*) id est, peculiarem illum cultum exhibuerunt. Nam Græcè est ἐλάτρευσαν. *Creaturæ potius quàm creatori*) Hoc Hilarius. 12. de tri. Paulò aliter, sed pulchrè hoc modo extulit. Seruierunt creaturę prętrito creatore *Qui est benedictus*) id est, laudandus & prædicandus in sæcula. Adiectum *Amen*) confirmantis est, verè ipse laudandus est in sæcula.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ) Quia nimirum seruierunt creaturæ prætermisso creatore. *In passiones ignominiæ*) Hebraismus est id est in passiones ignominiosas siue dedecorosas & infamiæ plenas. Omnes enim solius naturæ instinctu huiusmodi vitia abominantur. Erasmus vertit in cupiditates ignominiosas. Laurentius in affectus probrosos. Vtrunque (vt in annotationibus illorum videre est) offendit vocabulum passionis, quod tamen Augustino. l. 9. de ciu. Dei. cap. 4. multum placuit, cum interim non ignoraret, qua voce Cicero exprimeret, qua item Quintilianus rem, quam Paulus πάθη hîc appellat.

Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum &c.) Explicat hîc passiones ignominię (in quas Deo vindicãte prolapsi sunt) esse portentosam libidinem, mutuum fœminarum inter ipsas coitum, mutuum masculorum inter ipsos stuprum. Fœminę inquit eorum transmutauerunt vsum corporum, qui est secundum naturam in abusum, qui prorsus repugnat naturæ, naturæ inquã non solùm qua homines sumus, sed etiam qua animalia sumus, vt sciamus vitium hoc plus quàm bestiale esse. Simile & masculi eius quæ secundum naturam est coniunctionis obliti, per mutuam sui appetentiam execrandis libidinibus æstuarunt. Nec solùm huiusmodi naturæ aduersis libidinibus æstuarũt, appetentes se mutuo abuti, sed pro suis libidinibus verè se abusi sunt, mutuo fœditatẽ ipsam vehemẽti ac pertinaci nisu monstrose perpetrantes. Nam apud Paulum est non ἐργαζόμενοι, id est, operantes: sed κατεργαζόμενοι, in qua voce præpositio κατὰ præposita (vt annotat hoc loco Oecumenius) intentionem ac pertinaciam designat.

Et mercedem quam oportuit) quæ conueniens erat, quæ illis debebatur qui tales essent, præmium dignum erroris id est, idololatriæ *In seſe*) id est, in suis corporibus *Recipientes*) Mirè siquidem congruebat, vt qui relicto verò Deo, subdiderant se ficticijs dijs, ligno & lapidi, ipsi fœdis libidinibus subijcerentur cõtra omnem naturæ ordinem. Vbi nos habemus mercedẽ Græci habẽt ἀντιμισθίαν vocabulum significantius, quasi pensationẽ dicas siue recompensationem, ac præmij retributionem seu mercedem meritis respondẽtẽ. Significat apertè quod suprà annotatũ est: videlicet quædam flagitia esse huiusmodi, vt non solùm ipsa sint scelera, sed etiam scelerum pœnæ.

ET sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni

tos omni iniquitate, malitia fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

ET sicut non probauerunt Deum habere in notitia) Similis est phrasis qualis illa: Sicut in cœlo & in terra, vbi iuxta ideoma Hebręi sermonis subticetur (ita) Sicut in cœlo & ita in terra. Secundum Ambro. sensus est: Quemadmodum non probauerunt, quòd Deus agnosceret & sciret omnia: vel secundum Græcos. Quemadmodum non probauerũt, id est, non curauerunt Deum habere in agnitione, eum in omnibus intendere, ei se totos consecrare, quem natura demonstrabat, ita tradidit eos Deus in reprobum sensum, id est, reprobam mentem, talem quam nemo meritò probare posset, quæ meritò omnibus displiceat, in mentem inquam contemptibilem, qualis est mens quæ deprauati prorsus est iudicij & peruersi. Græcorum interpretatio videtur esse germana huius loci, quanquam & alteram admittunt verba Pauli.

Vt faciant ea quæ non conueniunt) id est, quæ ipsos facere dedecebat. Post commemoratum vitium illud, quod & turpe est dicere, recensetmulta alia vitia, quibus ipsos obnoxios fuisse liquet ex vita Diogenis & Plutarchi, imò omnem prauitatem apud ipsos semel obtinuisse apertè pronunciat, inquiens.

Repletos omni iniquitate &c.) pro iniquitate Græcè est ἀδικία id est, iniustitia, quæ generali sua significatione omne vitium complectitur, cuius membra sunt quæ deinde subijcit. *Malitiam*) vocat studium nocendi, quando adhibito labore molimur malum alterius aliquẽ, Græce enim est πονηρία. *Fornicationẽ*) intelligit generalis nominis scortationem, vt etiam adulterium complectatur. *Auaritia*) huius loci est, quum quis sibi plus vsurpat, quàm ius est, aut potiores partes fraudatis etiam cæteris occupat, aut saltẽ occupare studet, siue in diuitijs, siue in honoribus, siue in alijs quibusq; rebus. Est enim πλεονεξία quæ vox deducitur à πλεονέκτης: πλεονέκτης verò à πλεονέχω id est à plus habendo. Interpres noster alibi rapinam vertit alibi fraudem, de qua voce vide D. Hieronymum super Epist. ad Ephes. cap. 4. vbi exponit illud: In operationem immunditiæ omnis, in auaritia, & rursus illud: Auaritia nec nominetur in vobis. *Nequitiam*) appellat peruersitatem, cùm quis data opera malè agit, & incõmodat proximo, vel inferendo quod lædat, vel negligendo vel etiam impediendo, quod prosit, quodque illi debetur. Græcè est κακίαν alioqui nequitia magis ad libidinem & luxuriam pertinet, quòd hæc vitia hominem perditum & nihili declarent. *Malignitatem*) intelligit morum asperitatem ac difficultatem. Græcè enim κακοηθείαν. Pro *Deo odibilis*) Græcis vnica vox est significans & quibus Deus inuisus est & quos habet Deus inuisos: posteriorem significationem expressit noster interpres. Theophylactus in commentarijs suis vtranque proposuit. Oecumenius priorem amplexus est, addens de ea & non de altera sensisse Paulum. Ad eundem modum intellexit Cyprianus, qui in Epist. 4. primi libri legit, Deo abhorrentes Græcam vocem θεοστυγεῖς actiuè accipiens et nõ passiuè. *Contumeliosos*) vocat feroces, & per vim alios opprimentes, id est, iniuriatores. Nam Græcè est ὑβριστὰς. *Superbos*) id est, spiritu inflatos. *Elatos*) Cyprianus vel eius interpres vertit, iactantes sui. Græcè est ἀλαζόνας. Plautus ἀλαζόνα vocat gloriosum, vitiũ est per excessum veritatis, apud Aristotelẽ contrario morbo laborant, quos Græci εἴρωνας appellant. Siquidem hi dissimulant quod sunt, illi verò præ se ferunt & ostentãt quod non sunt.

Inuentores malorum) id est, qui repertis flagitijs sceleribusque contenti non sunt, sed nouas quotidie viuendi perditè, aliosque lædendi rationes excogitant. Quod sequitur. *Parentibus non obedientes*) vel immerigeros, eiusmodi est, vt nemini se possint subijcere, nemini obediant, qui parentibus, subesse non possunt: sed pro suis tantùm cupiditatibus viuunt modis omnibus peruersis. *Insipientes*) deest, omni veri rectique iudicio destitutos, quos & ratio cohibet homini peculiaris, & sine qua homo definit esse homo. *Incompositos*) Theophyl. de illa compositione interpretatur, quæ est in pactis, incompositos appellans qui non seruant conuenta siue pacta. Græce est ἀσυνθέτους. *Sine affectiõe*) Græcè est vnica vox ἄστοργους: στοργὴ autem affectum illum pietatis aut charitatis significat, quo parentes tanguntur erga liberos, & vicissim illi erga eos, quo frater erga fratrem, cognatus erga cognatũ. Vnde qui eò processerunt in vitijs, vt ad hos quoque communes affectus & ad ipsum naturæ sensum obsurduerint ἄστοργοι vocãtur. *Sine fœdere*) id est, ab omni prorsus societate hominũ, & cõiunctiõe abhorrẽtes, erga neminẽ iure necessitudinis vtẽtes, vel certè implacabiles, irrecõciliabiles, vbi semel fuerint offensi, vtrunque admittit vox Græca ἄσπονδος. *Immisericordes*

Universidad de Deusto
Biblioteca

miſericordes) quos nulla quamlibet miſeranda hominum mala tangunt.

Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent) pro iuſtitiam Græcis eſt non δικαιοσύνη, id eſt, iuſtitia, ſed δικαίωμα quam vocem frequenter verſam habemus iuſtificationes, Pſal. 118. Pertinet non modò ad leges ſcriptas, ſed etiam naturaliter inditas. Senſus eſt: Cùm ſcirent quid Deus ipſos agere, & à quibus ipſos abhorrere vellet, (*non intellexerunt*) id eſt, non perſuaſerunt ſibi efficaciter, non ſeriò apud ſe cogitauerunt, non poſuerunt (ait Ambroſius.) in animo, quòd qui ea quę enumerata ſunt, vel illis ſimilia agunt, digni ſunt morte ſcilicet æterna: nec ſolùm, qui talia agunt verumetiam qui conſentiunt agentibus, vel palàm laudando vel conſilium præſtando cùm improbare debent, vel certè tacendo. Ex qua interpretatione patet indoctè agere Stapulenſem & immeritò ſugillare veterem interpretem. Quomodo inquit iuſtitiam Dei cognoſcentes, non intellexerunt quòd qui talia agunt digni ſunt morte? pugnat profectò iuſtitiam Dei cognoſcere & hoc ipſum non intelligere. Quare reiecta noſtra lectione, aliam ipſe amplectitur, quæ ſic habet: Qui cùm iuſtitiam vel decreta Dei cognouerint, nempe quòd qui talia agunt, digni morte ſint: non ſolùm eadem faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus, id eſt, approbant malefacta, ſiue patrocinantur vitijs aliorum, id eſt, authores ſunt alijs vt eadem faciant. Vt ſit amplificatio enumeratæ peruerſitatis. Et hæc lectio eſt in Græcis codicibus, qui hodie habentur in manibus quique habebantur temporibus Chryſoſt. Theophil. Oecu. vt ex commentarijs ipſorum patet, in quibus nõ ſolùm hoc modo legunt: ſed & eam lectionem interpretantur. aſſerentes facere leuius eſſe, quam cõſentire, propterea quòd illud ſæpenumero vel caſus eſt, vel infirmitatis: hoc verò vel peſtilentiſsimę adulationis, vel deploratiſsimę malitiæ. Indicat interim Oec. in ſcholijs ſuis locum hunc à nonnullis etiam aliter legi ſolere, & certè aliter legit Origenes, qui & ipſe Græcus fuit, nimirum ad hunc modũ. Qui quum iuſtitiã Dei cognouiſſent, quod qui talia agunt digni ſunt morte, nõ ſolùm qui faciunt illa, ſed & qui conſentiunt facientibus. Quæ lectio licet diuerſa ſit à noſtra: in hoc tamen conuenit, quod dicat leuius conſentire, facere grauius. Et quia oratio inabſoluta eſt, non ibi finit caput Origenes, vbi nos finem facimus, ſed connectit ei principium capitis ſequentis. Hæc notanda ſunt vt ſciamus olim variaſſe Græca exemplaria vnde fieri potuit etiam quædam habuiſſe illa duo verba, quæ noſter interpres poſuit videlicet (non intellexerunt) & hoc veriſimile eſt maximè, cum & Cyprianus epiſtola. 4. primi libri, & Ambroſius in commentarijs huius loci ea legant. Cui accedit quòd exemplar Græcum quod apud nos eſt, non typis excuſum, ſed ſcriptum (quo vſus eſt olim noſter Amãdus) illi legat. Nam inter ἐπιγνόντες et ὅτι expreſſe habet poſitum ὁ οὐκ ἔγνωσαν id eſt, non intellexerunt. In cæteris conuenit cùm impreſsis. Habemus igitur hîc triplicem lectionem Græcam: Prima eſt, quam proponit Cryſoſtomus, ſecũda quam Orig. proponit, tertia quam hoc exemplar ſcriptũ, quæ diuerſa eſt à lectione Cryſoſt. & Origenis. Nam ad verbum ſi interpreteris, ſic habet: Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quòd talia agentes digni ſunt morte: non ſolùm ea faciunt, verumetiam conſentiunt agentibus. In qua tamen lectione vehementer dubito, num indiligentia ſcribæ prætermiſſus ſit articulus ὅτι. qui ſi addatur hoc modo μόνον ὅτι et rurſus ἀλλὰ ὅτι, prorſus habebitur noſtra lectio, quę ob hoc nobis magis probatur quòd planè ſtringat omnes, ipſum etiam Socratem, & alios qui purioris vitæ apud Gentiles habebantur. Nam quod dicit Apoſtolus ſecundum hanc lectionẽ tale eſt: Sit ita quòd multi eorum non fuerint Zodomitæ, quod non admiſerint vniuerſa illa quæ diximus, omnes tamen digni ſunt morte cùm vt minùs conſenſerint.

CAPVT II.

Propter quod inexcuſabilis es ò homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condẽnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem, in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ò homo, qui iudicas eos qui talia agunt & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contẽnis? ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundũ autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorẽ & incorruptionẽ quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione & qui non acquieſcunt veritati, credũt autem iniquitati ira & indignatio,

PROPTER quod inexcuſabilis es ò homo omnis qui iudicas.) Initium huius capitis quidam inferri putant ex omnibus quæ capite præcedenti ab illo loco. Reuelatur enim ira Dei &c. huc vſque dicta ſunt. Alij inferri putant ex præcedentis capitis fine, hoc modo. Quia

Quia dignè eſt morte quiſquis vel facit modò dicta vitia, vel ſaltem conſentit facientibus, nullam prorſus habes excuſationem ò homo, quiſquis iudicas, ſiue Iudęus es & iudicas gentes, ſiue gentilis es & iudicas Iudæos, & eis exprobras peccata. Iudæi ſiquidem gentes præ ſe contemnebant tanquam idololatras. Gentes econtra Iudæos, quòd ipſi habentes optimas leges & veri Dei cognitionem, nihilo tamen eſſent meliores. Quare vtriuſq; populi reprimere volens ſuperbiam, vniuerſaliter ait, nihil habes quo excuſas te, quin agnoſcas te dignum morte quiſquis iudicas ſiue quiſquis es qui tibi placens condemnas alios mortis æternæ, propter peccatum aliquod.

In quo) græciſmus eſt: latinè hoc modo dixiſſet, eo ipſo ſiue hoc ipſo quo pronuncias alterum morte dignum, teipſum pronuncias condemnatione dignum: (*eadem enim agis quæ iudicas,*) tametſi iudicando alium, ſimulas te non conſentire malefactis ea ipſa tamen facis ob quæ aduerſus alterum pronuncias ſententiam: Eadem agis vel opere vel certè affectu, quia quòd abſtines à peccatis, facis timore pœnæ, non amore iuſtitiæ. Sic Auguſtinus de ſpiritu & litera. Alij legũt (qui) non (quæ:) eadem enim agis qui iudicas, id eſt, ſimiliter peccas ſiue hoc peccato ſiue alio. Hæc lectio eſt in Græcis exemplaribus quæ hodie habentur in manibus. Cupit Apoſtolus omnibus perſuaſum, eos peccare mortaliter, qui non habent cognitionem Chriſti: de gentibus probauit in primo capite: de Iudæis idem eſt mox oſtenſurus.

Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt) Pro vocula (enim) Græci habent (autem) eodem modo habet Ambroſius. Senſus eſt: ſcimus autem quòd Deus iudicans, non ſequitur ſpeciem rei, & coniecturas more hominum, qui arcana cordis non vident, nec ea quę clàm ipſis fiunt: nec rurſus per gratiã & fauorem iudicium peruertit more iniquorum iudicum, ſed fert iudicium ſecundum merita & dignitatem operum. Loquitur Apoſtolus de iudicio extremo. Sic enim interpretatur Oecum. exponens hæc verba, & Ambro. exponens illa: Effugies iudicium Dei.

Exiſtimas autem hoc ò homo qui iudicas eos qui talia agunt & facis ea, quòd tu effugies iudicium Dei?) An tibi hoc perſuades quòd tu non ſubijcieris eius iudicio? vt iuxta dignitatem factorum tuorum recipias iuſtam retributionem, & pro malefactis ſimilem cum eis quos iudicas, luas pœnam? Emphaſin habet quod additur (Dei) Iudicium non hominis quem poſſit latère quod malefit, aut ſi cognitum habet, caret plerunq; poteſtate, ſed Dei, quem nihil latere poteſt, quiq; poteſtatẽ habet ſuper omnes, nec timet quempiam.

An diuitias bonitatis eius & patiẽtiæ et longanimitatis contemnis? &c.) id eſt, An ſpem aliquam impunitatis tibi polliceris ex Dei bonitate? Falleris ſi ita exiſtimas. Vocabulo (diuitiarum) ferè vtitur, quoties ingentem rei cuiuſpiã vim & copiam ſignificare vult. Porrò bonitatis Græcè eſt χρηστότητος quã vocem in eadem hac periodo benignitatem vertit, ac illud eſt proprium eius ſignificatum. Benignitas autem ab Ariſtotele definitur: Virtus qua quis ſponte omnium vtilitati expoſitus eſt. Diuitias ergo bonitattis Dei, id eſt, abundantem Dei benignitatem, qua ſponte accumulat in te beneficia ſua, & potentiam qua te & malam vitam tuam tolerat, & longanimitatem qua diu differt pœnam diuq; expectat emendationem & correctionẽ: Quas bonitatis & patientiæ & longanimitatis diuitias contemnunt, qui recuſant eis vti legitimè: nimirum ad vitæ emendationem quemadmodũ id explicat quod ſequitur:

Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.) Apud Græcos participium eſt, ignorans, quomodo etiam pleraq; exemplaria Latina habent. Coniunctione (quoniam) interpres ferè abutitur pro quod. Benignitas Græcè eſt χρηστὸν adiectiuum nomen, vnde τὸ χρηστότης de qua voce iam dictum eſt. *Adducit*) ad verbum eſt agit, id eſt, allicit & inuitat. Senſus eſt: An diuitias bonitatis eius contemnis, ignorans quòd benignitas Dei non promittit impunitatem tibi ſcelerum tuorum, ſed ad pœnitentiam te inuitat & prouocat: Hic primùm ponenda eſt nota interrogationis, non poſt verbũ contemnis, quia quæ ſequuntur ab ipſo dependent, ſecus eſt ſi legamus, ignoras.

Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ) Impœnitens Græcè eſt ἀμετανόητον, quaſi dicas immœnitibile, nec eſt ſimplex vox apud Græcos, ſed pronomẽ compoſitũ, tibijpſi quod eſt ſignificantius. Miratur Eraſmus cur interpretem vox Græca theſaurizas tantopere delectet, cùm dicere potuerit, colligis, recõdis, reponis: ſed nulli dubium eſt ſignificantiùs dici theſaurizas quàm recondis. Senſus eſt iſte: Secundum durum & ferreum cor tuum pœnitere neſcium, quodq; nulla Dei beneficentia emolliri poteſt nec ad pœnitentiam flecti ſiue adduci, accumulas & coacervas tibi ipſi vltionem, quæ tandem vniuerſa deprometur, & more theſauri in te effundetur, in die iræ ſiue vindictæ, hoc eſt in eo die, quo impij, qui diuinam bonitatem contempſerunt, iuſtitiam & vltionem Dei tandem experturi ſunt, non autem miſericordiam eius (*& reuelationis iuſti iudicij Dei*) id eſt, quo manifeſtabitur iuſtum Dei iudiciũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod interim latet apud homines: Hic patet de quo iudicio sit priùs loquutus. Græci ferè diuidunt hæc interposita coniunctione, hoc modo: reuelationis, & iusti iudicij. Secundum quam lectionem tribus notis significauit eundum diem. Imprimis vocat diem iræ, quòd tunc misericordiæ nullus erit locus: deinde reuelationis, quòd ibi omnia nuda & aperta erũt, quæ nunc latent: Postremò iusti iudicij, quòd iustè pro cuiusq; meritis pronunciabitur sententia, quę nunquam retractabitur. Ad Colossi. capite 3. & in posteriori ad Thess. epistola cap. 1. sunt simi lia loca de iudicio Dei.

Qui reddet vnicuiq; secundũ opera eius) Abusus est interpres pronomine (eius) loco reciproci. Sensus est: qui retribuet præmium vnicuiq; pro factorum suorum meritis, con ditione, & qualitate: (*his quidẽ qui secundum patientiã boni operis*) subauditur, sunt, id est, his qui in benefactis perseuerant, & ob nulla mala deserunt vitam bonam. Vox enim Græca ὑπομονὴ vtrumque complectitur, et perseuerantiam & patientiam) reddet gloriã quæ perpetua sit, & honorem, qui nunquã intercidat, & incorruptionem, id est, veram tum animæ tum corporis immortalitatem, si tamẽ benefactis suis in quibus iugiter, nõ obstantibus etiam malis quæ patiuntur perseuerãt, ambiant vitam æternã, hoc est quod dicit (*quærentibus vitam æternam.*) Hic sensus est in commentarijs Oecumenij annotantis hoc loco hyperbaton esse, & in commentarijs Ambrosij, & in doctissimis illis commentarijs Gregorij super librũ Iob, vbi exponit illud: Indica mihi si habes intelligentiã super quo bases terræ solidatæ sunt. Theophylactus verò Chry. & Orig. priores illos accusatiuos gloriam, honorem, incorruptionem, referunt ad verbum quærũt, vel (vt legunt quædam exemplaria) ad participium quærentibus, accusatiuos verò, vitam æternam, ad verbum præcedens reddet, vt sensus sit: His qui hic perseuerant in rectè factis, & illis quærunt gloriam reportare apud Deum in extremo iudicio, & honorem & incorruptionẽ corporum, reddet vitam æternam. Hunc sensum expressit versio Erasmi, quæ sic habet: Qui redditurus est vnicuiq; iuxta facta sua, his quidem qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: illis verò &c. Alterũ sensum expressit in sua translatione Faber, quæ sic habet: Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius, ijs quidẽ qui per patientiam boni operis quærunt vitam æternam, gloriam & honorem & incorruptibilitatem: illis verò &c. Sed rectiùs noster interpres qui sic reddidit, vt nec hũc, nec illum excluserit sensum, neq; textum Pauli qui vtrumque admittit in vllo strinxit.

Gregor. in 38. capite. 1. Iob. 4.

Ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati.) Qui sunt ex contentione, græcismus est, id est, contentiosis, sicut suprà, ijs qui secundum patientiã boni operis, pro perseuerantibus in bonis operibus. Nam verbum sunt, quod hic expressit interpres, neque hoc loco est apud Paulum, neq; superiori. Sensus est: ijs qui disceptant & pertinaciter defendunt Moysen sufficere, qui occupati sunt circa genealogias & res futiles. Et qui non acquiescunt veritati, vel reijcientes verã doctrinam, vel iuxta illam non instituentes vitam. Prius ad Iudęos pertinet, istud ad vtrosque & ad Iudæos & ad gentes. Potest tamen & prio generaliùs accipi hoc sensu: Qui contentiosè & quod malè sentiunt, & quod malè agunt defendunt. Quod sequitur (*credunt autem*) oppositum est ei, quod iam dixit acquiescunt, Græcè magis apparet ea ἐναντίωσις siue contrarietas in vocibus ἀπειθοῦσι et πειθομένοις, id est, non obtemperantibus et obtemperantibus. *Ira et indignatio*) Erasmus hoc supplet per verbũ veniet. Oecumenius ex superioribus repetit verbum, redderetur, quod est probabilius. Hoc loco diligenter annotandum est, non solùm dicere Apostolum: qui retribuet vnicuique vitam vel supplicium: vitam benefacienti, supplicium malefaciẽti: (Qua sententia significaretur qualibusnam personis daretur vita æterna, scilicet bene operantibus) sed addit Paulus & exactè affirmat, quòd retribuet vitam bonũ facientibus, idq; secundum opera. Quę sententia planè continet bene operantibus retribui vitam æternam, habito respectu ad opera vel iuxta conditionem operum. Vetus Lutheranismus est, nullum esse meritum operum, quippe quòd nulla sint, quæ nõ sunt labe aliqua conspersa. Sic docuerunt ante annos trigesimos, nunc aliud docent: nimirum operibus quidem reddi præmia, nõ tamen vitam æternam, quam dicunt prorsus gratis contingere, quemadmodum gratis contingit prima iustitia. His obijciendus est locus iste & ille qui est in posteriori Epistola ad Thess. cap. 1. Vt digni habeamini. Conantur quidem illi eludere hanc scripturam, sed frustra: secundum opera, ait Melanthon, id est, secundum fidem quam indicant opera, sed nemo non videt extortam esse expositionem. Caluinus, secundum, inquit, hic consequentiam & ordinem factorum non causam significat, vt sensus sit: post opera dabit vitam, sed nusquam sic accipitur præpositio secundum. Eiusdẽ generis est, quòd dicunt hac Pauli sententia non aliud significari, quàm qualibus personis sit danda vita æterna, sed iam dissimulant præpositionem secundum.

cundum. Affingunt & alias interpretationes huius sentẽtiæ, sed tales, vt prorsus ostendant se conuictos per hunc locum, adeò illæ improbabiles sunt.

Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicunq; enim sine lege peccauerũt, sine lege & peribunt: et quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum.

ILlud (*Iudæi primùm & Græci*) hunc habet sensum citra delectũ tam Iudęi quàm gentilis, præcipuè tamen Iudęi, vt cui primò oblata est gratia Euangelij, cui & maiora exhibita sunt beneficia, quare & primas habebit in pœnis, si nõ obtemperauerit Euangelio: Græcè est repetita coniunctio: Iudæiq; primum & Græci, quæ solet esse formula tribuendi plura ex æquo. (*Gloria verò & honor & pax*) id est, omnium bonorum tranquilla & secura possessio cuiuis operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Hic maximè locum habet, quod annotat Chrysostomus in præcedenti capite: nimirum quòd illud (primum) sit tantùm honor ordinis.

Non enim est acceptio personarum apud Deum) id est, secundum merita factorum iudicat, non secundum personam, id est in iudicando nõ respicit, an Iudæus quis sit, an gentilis: an Rex, an agricola, vt hunc, quia Iudæus suscipiat, etiam si malæ sit vitæ: illum licet rectæ vitæ abijciat & condemnet, quia gentilis: sed ipse est omnibus idem, & æquus iudex. Personarum acceptio, quam Græci composita voce προσωποληψίαν vocant, vitium est iustitiæ distributiuæ oppositum: Contingit autem quoties præter conditionem & personarum dignitatem fit retributio præmiorum. Quare quum affirmet Apostolus Deum in iudicando non esse acceptorẽ personarum, sequitur præmium quod datur ijs qui bene vel malè operati sunt, esse debitum & non omnino gratuitum. Per iustitiam enim distributiuam non distribuuntur præmia, nisi quæ secundum conditionem personarum sunt debita. Ex hac quoque sententia Apostoli discimus iustitiã diuini iudicij accipiendam esse secundum rationem iustitiæ distributiuæ id est: Deum in reddendis debitis hanc seruare proportionem & rationem, vt pro bonis bona, quamuis multo præstantiora, pro melioribus meliora, pro optimis optima retribuat. Et quia acceptio personarũ tantùm reperitur in præmijs quæ sunt debita: sequitur Deum non esse acceptorem personarum, quando è duobus indignis alterum eligit, alterum relinquit: alteri dat gratiam, alteri negat.

Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccauerũt, per legem iudicabuntur.) De lege scripta intellige hoc sensu: Quicunque non accepta lege Mosaica peccauerunt siue malè operati sunt, sine lege peribunt, id est, condemnabuntur, sed non iuxta legis exactionem. Et quicunque in lege peccauerunt, id est, habentes legem, cõdemnabuntur iuxta legem quam acceperunt. Illa enim futura est illorum accusatrix.

Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabũtur) Sicut præcedenti capite ostendit peccata gentilium: sic deinde hoc capite Iudæorum, quos omnes docet variè peccasse. Quicunque inquit legem acceperunt, nõ hoc ipso apud Deum habentur iusti, quòd sciant legem. Nõ enim cognitio, sed obseruatio legis, hominem apud Deum commendat: hoc significat illud, (*sed factores legis*) id est, qui eam factis exprimunt, qui faciunt quæ præscribit lex: illi iustificabuntur apud Deum. Difficultas hîc est, quomodo hæc sententia cõstet cum ea, quæ habetur tertio capite. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Augustinus in libro de spiritu & litera cap. 26. exponens hunc locum, iustificabuntur inquit ita dictum est, ac si diceretur, iusti habebuntur siue deputabuntur: & adfert locum simi lem ex cap. 10. Lucæ: Ille volens iustificare seipsum, id est, pronunciare siue declarare se iustum. In qua significatione etiam accipitur apud Matth. 11. Iustificata est sapientia à filijs suis, id est, pronunciata est esse iusta, calumniantib⁹ eam interim Iudæis. Alijs item locis, tum noui, tum veteris testamenti, frequenter in hac significatione obuium est iustificare. Atq; secundum hanc acceptionem vocabuli facile est intelligere conciliationem istarum sententiarum. Quia altera quæ habet, ex operibus legis neminem iustificari, accipienda est de iustificatione, qua ex impio quispiam fit iustus: Altera quę hoc loco habetur, factores legis iustificabuntur, de acceptatione diuina qua eum qui iam iustus est, propter obseruationem legis acceptat ad vitam. Potest difficultas hæc & aliter expediri, vt dicamus apud Paulum obseruationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem legis, siue opera legis bifariam accipi: Altero modo vt fiunt citra fidē ab eo qui nondum credit, & iuxta hunc modum pronunciat Apostolus de operibus legis, quòd ex eis nemo iustificabitur apud Deum: Altero modo vt sunt ex fide facta ab eo qui credit. & iuxta hunc modum pronunciat de eis Paulus, quòd qui ea fecerint, iustificabuntur apud Deum. Quod & diuus Iacobus adstruit disputationem de operibus ex fide factis ita concludens: videtis, inquit, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm. Deinde propositio nouo exemplo eandem rem inculcans: Similiter inquit & Raab meretrix suscipiens nuncios, &c. Quòd autem Ambrosius interpretatur, factores legis esse qui credunt in Christū, non est plena interpretatio: nec vult ipse sua illa interpretatione nullam esse operum iustitiam, sed hoc tantùm vult, quòd nemo verè præstet legem, nisi qui credit in Christum.

Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.) Quidam hæc ad gentes à fide alienas referunt, quibus fauere videtur quod dicitur: (*naturaliter*) id est, natura duce, quod propriè conuenire videtur in gentes: legis tantum naturæ doctrina instructas. Secundū quos sensus hîc est: quod dixi, eos qui sine lege peccauerūt, id est, gentiles perituros siue condemnādos à Deo iusto iudice, id non ita accipiendum tanquam gentes in gentilitate degentes, omnis prorsus legis expertes sint: nam ex eo quòd agūt ea quæ legis sunt, conuincuntur habere legem ab authore naturæ menti impressam, quæ dictat eis hoc esse turpe, hoc non esse turpe: hoc amplectendum, illud fugiendū. Verùm cùm Apostolus primo capite ostenderit gentes variè peccasse, & naturæ legem violasse, ne secum pugnare videatur, malunt alij hæc accipere de gentibus ad fidem Christi conuersis: & sanè quum in consequentibus dicat Apostolus præputium, id est, gentilem incircuncisum apprehēdere fructum circumcisionis, si modo legis præcepta faciat: de circumcisione autem testetur prodesse ipsam ad vitam, si lex obseruetur, prorsus quæ hîc dicuntur, accipienda videntur de gentibus conuersis. Alioqui enim quomodo verum erit, quòd præputium, iustitias legis per naturæ vires præstans, fructum circumcisionis percipiat? id est, salutem & vitam assequatur? Præterea cùm de circumcisione cordis, quam in fine capitis præ Iudæis gentibus tribuit, dicat Apostolus illam Deo probari: Deo autem non probetur nec commendetur circumcisio cordis, quæ ex fide non procedit, omnino non nisi de gentibus conuersis locus hîc intelligi posse videtur. Sed & Augustinus de spiritu & litera capite 26. hoc modo ratiocinatur. In primo capite Apostolus dum commendat Euangelium ait: virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco, quo nomine gentilem intelligit: Et rursus in hoc secundo capite, gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco, de gentibus credentibus loquitur, ergo & in hac sententia: Cùm enim gentes & cætera, in qua prosequitur, quòd antea generaliter dixerat, gloriam tribuendam omni operanti bene, tam Iudæo quàm Græco: illas gentes intelligit quę ad Euangeliū pertinent. Sensus ergo est: illi demum habebuntur iusti apud Deum, & tales declarabuntur in die iudicij, qui legem factis hic exprimūt siue Iudæi fuerint siue gentiles. Nam & si lex in tabulis descripta his data non sit, habent tamen illam in cordibus suis descriptam, quod declarans, cùm ea inquit, quæ legis sunt, id est, cùm totam legem Moysi ea parte qua continet præcepta vitæ, id est, decalogū totum naturaliter, id est, natura duce præstent, natura inquam per gratiam sanata. Sic Augustinus in libro de spiritu & litera: Eiusmodi non habentes pędagogiā legis scriptæ sibi ipsis sunt vice legis, qui ostendunt, id est, vita sua arguūt opus legis inscriptum esse cordibus suis, id est, vim legis, & præcepta legis. Siquidem homini ingenita est notitia de agendis, siue iudicium quo discernere possit inter honestum & inhonestum. Verùm notitia hæc peccato & peccandi consuetudine vehementer obscurata est, & magna licet non omni ex parte deleta, quærursus illustratur per gratiam. Dum igitur sine legis æternæ pędagogia, ea quæ legis sunt faciunt, planè declarant notitiā se habere mentis impressam, de ipsius legis operibus (*testimonium illis reddente conscientia ipsorū*) Græcè est *συμμαρτυρούσης*, id est, simul testificante, quod significantiùs dictum est. Sensus est: huic testificationi qua vita & factis testantur se habere legem, attestatur & conscientia eorum quæ intus dijudicat ea quæ facta sunt, num rectè: an secus sint facta: Intellige rursus de conscientia sanata.

Et inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.) Ad hunc modum habent quædam exemplaria: alia tamen habent: & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. Si prioris modo vertit interpres, ad imitationem Græcorum locutus est, qui ablatiuo carentes, eius loco genitiuo vtuntur: explicat autem quæ sit testificatio eorum conscientiæ. Pro cogitationibus Græcè est *λογισμῶν*, id est, ratiocinationibus siue disceptationibus quæ adhibētur in examine, quod intus peragit

agit ratio siue mens dum diiudicat id quod factum est. Accusantibus ac etiam defendentibus, vocabula sunt forensia. Sensus est: Cō scientia hæc in hoc apparet, quòd cogitationes eorum facta quędam accusant vt mala: quædam defendūt & excusant vt bona. Cogitationem enim eorum aliæ sibi sumunt partes accusatoris, aliæ Rei. Atque hoc quidem cōscientiæ testimonium cum ratiocinationibus vel accusantibus, vel etiam defendētibus præcipuè futurū est in extremo iudicio: tunc maximè aperiet se vis illa accusatrix & excusatrix, quando iudicabit Deus ea, quæ nunc occulta sunt apud homines.

Secundum Euangeliū meum, per Iesum Christum) id est, secundum totam prædicandi rationem, qua hactenus sum vsus docēs & inculcans apud omnes futurum iudicium. Paulus vt ex Actis patet & eius epistolis libēter in hoc argumento versatus est, quum nusquàm non diem extremi iudicij inculcat. Alij (*secundum Euangelium meum*) interpretantur secundum Euangeliū Lucæ (Per Iesum Christum,) huic enim dedit Pater omne iudicium. Quomodo iudicaturus sit De us occulta hominum, declarat Augustinus de ciuit. Dei libro 20. cap. 14. & lib. 22. cap. 29. vbi dicit quod cogitationes omniū singulis patebunt.

Si autē tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege et gloriaris in Deo, & nosti voluntatē eius, et probas vtiliora instructus per legem, cōfidis te ipsum esse ducem cæcorum lumen eorum, qui in tenebris sunt: eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est: Circumcisio quidem prodest, si legem observes: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.

Si autē tu Iudæus cognominaris, et requiescis in lege &c.) Postquam ostendit nihil deesse, quo minùs salui fieri possint, modo legem factis exprimant: aggreditur illam partem. Non enim auditores legis, &c. Ita quidem gentes, ait, citra legis pædagogiam natura duce fecerunt, quæ lex præscribit: Si verò tu Iudæe, etiā scriptæ legis nomine tibi places, quomodo id præstas per legē, quod gētes citra legē? Si tu Iudæus cognominaris, id est, si tibi places honorifico illo Iudæi nomine, & requiescis in lege tanquam in qua habeas omne bonum, & gloriaris in Deo quasi tu illi sis peculiariter dilectus, dicens: non fecit taliter omni nationi, & nosti voluntatem eius, id est, à quibus abhorrere & quæ amplecti te velit, instructus, id est, initiatus siue institutus per legem. Græcè est *κατηχούμενος*. *Κατηχεῖν* autem voce sonare est, hinc vox composita *κατηχεῖν*, id est, voce eruditre, quomodo olim tradebantur mysteria, quòd nefas erat ea scriptis committere, vnde qui ad eum modum docebantur, catechumeni dicebantur.

Et probas vtiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum &c.) Id est tanquam certò explorata habens: comprobas, quæ in bonis sunt meliora siue præstantiora: confidis etiam per legem, sic te esse institutum, vt possis ducatum cæcis præstare, & prælucere eis qui in tenebris ambulant: & doctorem esse rudium. Annotat Chrysostomus & post eum Oecumenius: Iudæos sibi solitos peculiariter arrrogare nomina magistri, doctoris, &c. Et putant Paulum studio quasi per mimisin vsurpasse voces istas, ducem, eruditorem, magistrum, quibus ipsi se appellabant, sicut gentiles: siue prozelitos nominabant cæcos, infantes, insipientes, quasi proprio quodam nomine:

Habentem formam) Græcè est *μόρφωσιν*, id est, formationem. Sensus est: Confidis te esse ducem & eruditorem, ac doctorem tanquam qui per legem habeas rationem siue formulam qua alios erudire, & illorum vitam formare possis.

Qui ergo alium doces te ipsum non doces.) Hîc priori sententia quæ inabsoluta manserat, alia periodo absoluitur. Qui ergo per legem per quam instituendi formandique rationem habes, alterius vitam formas, tuam ipsius vitam secundum legis doctrinam non instituis: Chrysostomus & alij plerique per interrogationem legunt, alij verò enunciatiuè, vt annotat Oecumenius.

Qui prædicas non furandum, furaris) si non re ipsa, saltèm animo: si non opes, saltèm famam & honores.

Qui dicis non mœchandum, mœcharis) Intellige rursus, si non re ipsa, saltèm voto animi. Nam quòd te contines, id agis non amore virtutis, sed metu supplicij.

Qui abominaris idola, sacrilegium facis) Id est, ea quę Dei sunt, violas, vel si à sacrilegio abstines, facis id metu supplicij. Sic Augustinus: aliter Chrysostomus hoc modo: Res idolo sacras, vel Dæmonibus immolatas attingis, nec ab ijs abstines propter auaritiam.

Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras) id est, qui apud homines te iactitas de lege Deo auctore data, Deum

Universidad de Deusto
Biblioteca

auctorem legis, per transgressionem legis ignominia afficis,

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes sicut scriptum est) Nomen enim Dei per vos, id est, propter vos & vestram transgressionem blasphematur, id est, maledictis afficitur inter gentes, dum dicitur: Deum Iudæorum non esse verum Deum, qui tales habeat cultores.

Sicut scriptum est) Origines refert istud ad Esaiam apud quem capite 52. sic scribitur: Quoniam ablatus est populus meus gratis: dominatores eius iniquè agunt dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Duo illa verba (inter gentes) ex editione. 70. hoc loco addita sunt. Hieronymus hunc apud Esaiam edisserens, indicat ad Ezechielem referri posse: Apud quem cap. 36. sic scribitur: Et ingressi sunt ad gentes & polluerunt nomen sanctum meum, dum diceretur, populus Domini est iste, &c

Circumcisio autem &c.) pergit Apostolus, ne fortè inquit blandiaris ob circumcisionem in carne susceptam: putans ad salutem satis tibi esse, quòd circumcisus sis: scias circumcisionem quidem prodesse, si legem serues: si verò præuaricator legis fueris, nihil plus proderit tibi, quòd circumcisus sis, quã quòd incircũcisus esses, hoc est, quod dicit: (circumcisio tua præputium facta est) Est autem præputium pellicula illa, quæ glandem genitalis organi tegit, quam Iudæi ex legis mandato amputabant, vnde & hoc nomen accepit apud Latinos. Loquitur autem Apostolus dum dicit (circumcisio quidem prodest) de circumcisione secundum eum statum, quem habuit dum lex adhuc vigebat.

Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura est præputiũ legẽ consummãs, te qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifesto Iudæus est: neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis in spiritu, nõ litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?) Si circumcisio prodest cum legis obseruatione, non autem sine ea: Igitur si præputium, id est, præputiatus seu gentilis incircuncisus, sicut apud Terentium scelus pro sceleste: Iustitias legis custodiat, sermonem hunc mutuat' est Apostolus ex capite decimo & trigesimo Deuteronomij: ad verbum est, iustificationes legis, id est, quæ lex præscribit ea parte qua naturalis est: nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? id est, an non talis reputabitur apud Deum tanquam circumcisionis fructum percepturus?

Et iudicabit id, quod ex natura est præputium legem consummans, te, qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es?) Nonne præptium, id est, gentilis natura & origine incircumcisus iudicabit, id est, condemnabit te, qui per literam & circumcisionem, id est, qui habens legem literis descriptam & circumcisionem manu hominis in carne tua aptatam: præuaricator es legis? Sensus iste significantiùs exprimitur in Græco.

Non enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circumcisio) Hic ponendũ est comma, est phrasis Græca. Sensus est: non qui manifestus est Iudæus, id est, quem secundum carnem constat propagatum esse ex Abraham, vel qui externa legis officia præstat tantùm, is verus Iudæus est: nec manifesta circuncisio, quàm oculi contemplantur, quæ est in particula carnis, ea est vera circuncisio:

Sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est) Sensus est: Ille demum verè Iudæus est per spiritum inhabitantem, qui intus clamat Abba pater: Iudæus qui mandata legis in affectu cordis habet is verus est Iudæus, ad quem pertinent promissiones Abrahæ & patrib' factæ. Illa quoque demum est circumcisio, in qua cordis vitia resecantur non cuticula carnis: ea inquam vera est circumcisio, quam Deus probat: & lex Moysi quoq;, sed spiritualiter intellecta, hoc est, quod dicit (in spiritu) id est, secundum sensum spiritualem legis, nõ secundum sensum literalem, qui de carnis circuncisione agit. Sic Augustinus in libro expositionis quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos. Vel in spiritu, intelige per spiritum effecta: Sic August. de spiritu & litera cap. 8. Verba eius sunt: Circumcisionem cordis, puram ab omni illicita concupiscentia voluntatem, quod non fit litera docente & minante, sed spiritu adiuuante atque sanante. Vtraque interpretatio bona est: priorem facile intelliget, qui legerit tractatum Cypriani de ratione circumcisionis, qui pulcherrimus est: In illa inquit parte corporis in qua est voluptatum seminarium, & libidinis officina, iussa est aptari circũcisio, vt semper memores propriæ sectionis, ad cohibendos refrenandosque turpitudinum affectus seu appetitus vigilarẽt. Quæ spiritualis & interior circumcisio laudatur, non ab hominibus, qui ea tantùm vident quæ in oculos incurrũt, sed à Deo, qui inspector est cordium, apud illũ habet laudem & habebit in extremo iudicio.

CAPVT

CAPVT III.

Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multùm per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit: est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris:

Quid ergo amplius Iudæo est, &c.) Hactenus docuit omnes obnoxios esse iræ Dei, tam Iudæos, quàm gentes, hoc modo viam parans ad generalem propositionem, in qua status est epistolæ, videlicet: Iustitiã Dei ex fide esse, & non ex operib'. Hoc iam sequens caput quantum ad proprium scopum Pauli attinet pro magna parte omitti posset. Tractat enim obiectionem ex dictis in superiori capite emergentem, & ex illius solutione aliam rursus exurgentem obiectionem, atq; ex illius rursus solutione aliam. Prima obiectio hæc est: Si ea demùm vera est circumcisio, quæ spiritu constat non litera: Rursus si citra circumcisionem eam, quę litera constat ad salutem valet legis obseruatio: citra verò legis obseruationẽ non prodest ad salutem circumcisio, quæ in carne est: Quid ergo Iudæus habet eximij, quo præcellat gentes? aut quæ vitilitas circuncisionis? Respondet Apostolus: Multùm prorsus est Iudæo, quo præcellat. Primùm quidem, quia credita siue commissa sunt illis eloquia Dei. (Primùm) hic ordinem sermonis potiùs significat: quàm præcipuè. Porro quod noster interpres vertit eloquia, Græcè est λόγια, quæ vox secundum Hesichium significat numinum responsa, vaticinia, oracula. Quare secundum proprietatem vocis, pertinebit istud ad prophetas. Septuaginta tamen interpretes, quos libenter imitatur Paulus, vocem hanc generaliter vsurpant, vt pertineat ad totam legem, cùm alijs in locis, tum præcipuè in psal: Beati immaculati in via, vbi frequenter obuia est, imo in Psal. 18. tribuitur etiã nostris eloquijs cùm dicitur: Et erunt vt complaceant tibi eloquia oris mei. Eloquia ergo Dei, id est, scriptura veteris test. quæ docet in quibus rebus situs sit verus Dei cultus, & quæ continet magnificas promissiones nominatim Iudæis factas, ipsorum fidei commendata est & commissa. Sed dices, non omnes crediderunt Dei eloquijs: quid tum? nunquid incredulitas eorum fecit vt non præstiterit promissa sua Deus? Græci codices & plerique Latinorum habent, verbum futuri temporis (euacuabit) hoc sensu: Quia plerique non crediderunt, num putabimus propterea Deum nõ præstiturum promissa sua? Fides accipitur, hîc, quomodo à Stoicis pro veritate, qua præstatur id, quod promissum est. Absit, sermo abominantis est.

Est autem Deus verax: omnis homo mendax) Deus est verax in promissis, omnis verò homo mendax, quantũ ex se & sua natura, id est, quatenus sibi permissus, non illustratus fide, aut gratia stabilitus. Quare nihil agit Lutherus quod ex hoc loco statuere conatur, omne opus hominis etiam iusti peccatum esse, quod minimè hinc licet colligere, etiam absolutè intellecta sententia, quum multum diuersa sint, mentiri & mendacem esse: nec necesse sit mentiri semper eum qui mendax est.

Sicut scriptum est: vt iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris) Pars hæc sumpta est ex psal. 50. & putant quidam respexisse Dauidem ad promisionem sibi factam de perpetuitate regni sui: quum autem iam peccasset, metuebat, ne Deus auferret æternitatẽ sceptri promissi, hinc orat: Miserere mei Deus &c. (vt iustificeris) id est, iustus & verax pronuncieris in sermonibus, id est, promissis, quibus promisisti æternitatem regni in semine meo: (Et vincas cùm iudicaris) esi epexegesis: coniunctio enim (&) accipitur interpretatiuè pro id, est, explicatur id quod immediatè præcesit. Vincas cùm iudicaris) obtineas victoriam litis. Nam iudicãt homines te non præstiturũ promissa propter peccatũ à me admissum, vincas iudicio hominũ, vincas inquam præstando promissa. Alij respexisse ipsum putãt ad ꝓmissionẽ de remissione peccatorum factã cuiuis pœnitenti, hoc sensu: Miserere mei Deus, &c. Vt iustificeris in sermonibus tuis, hoc est, vt ꝓmissiones tuæ veræ inueniãtur, quib' ꝓmisisti cuiuis pœnitenti veniã & remissionem peccatorũ, Vterque sensus bonus est, & bonorũ auctorũ. Nonnulli partẽ istã: (Vt iustificeris in sermonib' tuis) referunt ad id quod immediatè præcesit, scilicet: Tibi soli peccaui. Quos si sequamur, accipere oportet coniunctionẽ (vt) non vt finẽ denotet, sed euẽtũ siue cõsequentiã & ordinẽ rei. Nõ enim hoc sentit Dauid, ideo se peccasse: vt De' appareret iustus, sed hoc cõsequutũ, vt dũ ille peccare nõ desinit, elucescat Dei iustitia, qui peccãti quoq; ꝓmissa præstet. Notandũ hîc duplex esse genus diuinarum promissionum: Alterum certę dispositionis, quod nec propter peccata hominum mutatur: Aliæ sunt promissiones quæ respiciunt qualitatẽ & conditionem hominum, illæ variãtur secundum conditionẽ & merita hominũ, de quibus hîc non est sermo. Prioris

Universidad de Deusto
Biblioteca

generis erat promissio Christi nascituri, ex semine Dauid, & perpetuitatis regni ipsius. Quia verò dixerat peccata hominum adeò promissiones Dei non abolere, vt ipsius iustitia hîc quoque magis illustretur, nascitur quæstio tertia, quam his verbis proponit.

SI autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? secundum hominem dico. Absit, alioquin quomodo iudicabit Deus hũc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & non (sicut blasphemamur. & sicut aiunt quidem nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? quorum damnatio iusta est.

SI autem iniquitas nostra, iustitiã Dei) à qua videlicet iustus dicitur, id est, verax in promissis, magis illustrem reddit, quid dicemus? censebimus ne iniquum esse Deum, quivlciscitur peccata & vindictam infert?. Ira pro vindicta frequens est apud Paulum

Secundum hominẽ dico; absit, alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?) Hanc obiectionem ex persona carnalis hominis propono, cui istud fortassis videri possit, sed absit vt iniquus sit Deus: alioquin quomodo iudicabit hunc mundum? Deducit ipsam quæstionem ad absurdum, & eam nõ tam soluit quàm abrumpit, & quia obscurius proposuerat, visum est illi eandem denuò proponere.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius) Si inquit veritas Dei per meũ mendacium in gloriam ipsius excellit & notior illustriorq; facta est, vt quid ego adhuc tanquam peccator iudicor punior & condemnor, & non potius beneficijs afficior? (Abutitur sua persona pro quauis alia) & quid, vel cur non faciamus mala vt veniant bona, vt illustrior fiat veritas Dei & eius gloria, sicut blasphemamur, id est, veluti malè & falsè de nobis loquuntur quidam, qui rectè a nobis dicta calumniantur iniquè, & sicut aiunt nos dicere dum hoc prædicamus, vbi abundauit iniquitas, superabundauit & gratia: (quorum damnatio iusta est) id est, qui adhunc modum loquũtur, damnatione digni sunt, & pœnas dabunt æternas nisi recipiscant. Si peccatum ex se & sua natura cederet in gloriam Dei, vtique peccandum esset & iniustus esset Deus vlciscens peccatum. Nunc non ex natura peccati istud prouenit, sed ex Dei sapientia & virtute, qua nouit etiam malis bene vti. Vide Augustinum in Ench. cap. 46. & sequẽtibus, & in opere quod de ordine conscripsit.

QVid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: Venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infœlicitas in vijs eorũ, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.

QVid ergo? Præcellimus eos? Nequaquã) Ad quæstionem in principio capitis positam: Quid ergo amplius est Iudęo? respondet multum per omnem modum, quia credita sunt eis eloquia Dei. Qua responsione videns Iudæos efferri posse contra gentes, rursum obijcit sibi: Quid ergo? quia gẽti Iudaicæ credita sunt eloquia Dei, num propterea præcellit cæteras Gentes? Respondit, nequaquam. Ante dixit præcellere eos, hic negat, non sunt tamen contrariæ istæ sententiæ, quia dum negat præcellere, respicit negotium iustificationis: In hoc inquit negotio, quo agimus de iustificatione apud Deum, non præcellunt Iudæi Gentes, vt possint gloriari aduersus gentes de iustitia apud Deum: Sensum hunc indicant planè quæ sequuntur.

Causati enim sumus Iudæos et Græcos omnes sub peccato esse) Causati sumus. Græcè est προῃτιασάμεθα, id est, ante probauimus, vel causis ante redditis ostendimus Iudæos & Græcos siue Gentiles omnes sub peccato esse, id est teneri reos peccati, & obnoxios esse iræ diuinæ & æternæ damnationi. De gentibus ca. 1. de Iudæis. 2. cap. istud ostẽsum est.

Sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam) Redit rursus ad probationem eiusdem, quod ipsum facere putat Chrysostomus maximè propter Iudæos, quibus nondum satis persuasa erat sua impietas, hinc adfert testimonia ex lege ipsorum desumpta. Primi versus vsque ad (Sepulchrum patens, &c.) adducti sunt ex Psalmo. 13. in quo duplex describitur populus: Alter qui impius sit (nam vox Hæbræa quam noster interpres vertit insipiens, significat stultitiam cum impietate iunctam) Alter pius, qué appellat plebem Dei, quem impius ille populus pro ludo habet affligere, & tanquam escam panis deuorare. Istud animaduertendum est, vt sciamus generales illas sententias quæ sequũtur: (Non est iustus quisquam: Non est intelligens: Non est requirens Deũ: Omnes declinauerũt, non est qui faciat bonum,

num &c.) de certo hominum genere scriptas esse, & non ad omnes pertinere. Sensus est: In isto stulto populo, qui nullum existimat esse Deum non est iustus quisquam, in hoc certo hominũ genere non est qui faciat bonum, &c.

Sepulchrum patens est guttur eorum) hoc testimonium desumptum est ex Psal. 5. Sensus est: fœtor est in ore ipsorum, non nisi spurca & obscœna, & pestifera ipsorum sermo spirat. Sepulchrum enim patens, tetrum fœtorem exhalat & pestiferum.

Linguis suis dolosè agebant) id est, sermonẽ suum omnem composuerunt ad decipiendum. Certum est hæc à Dauide non dicta in totum genus humanum. Nam Psalmus iste quintus continet deprecationem iusti contra iniustos. Certam etiam hominũ partem respiciũt versus qui sequuntur, quod ex inspectione locorũ, vnde desumpti sunt, manifestum euadit.

Venenum aspidum sub labijs eorum.) Id est, letale venenum & præsentaneum sub labijs illorum, hic versus scribitur psal. 139. Sensus est: verbis suis quasi felle & veneno præsentissimo tinctis instar serpentis virus suum in quemlibet emittentis, homines necare student.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est) Istud desumptum est ex psal. 9.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem) Istud testimonium desumptum est ex cap. 59. Esaiæ.

Contritio & infelicitas in vijs eorũ, & viam pacis non cognouerunt) id est, omne illorum studium in hoc potissimum versatur, vt conterant & calamitate afficiant proximos, & nequaquam seruent concordiam cum fratribus.

Non est timor Dei ante oculos eorum) significatur fons omnium malorum esse, neglectus timoris Dei: Vnde hunc versum, quem ex psal. 35. adduxit, postremo loco collocauit. Ne quis autem miretur de hac testimoniorum citatione, sciendum D. Hieron. in præfatione 16. libri commentariorum suorum in Esaiam admonere, versus istos. Sepulchrum patens est guttur eorum, & cæteros quos hactenus exposuimus, non pertinere ad Psal. 13. cùm neq; in Hebræis voluminibus, neq; in editione Septuaginta interpretum legantur, & addit quòd ij qui artẽ contexendarum inter se scripturarum Apostoli nesciebant, cùm aptum quærerent locũ, vbi assumptum ab eo testimonium ponerent, quod absq; authoritate in scriptura positũ non putabant, in psal. 13. transtulerint. Præterea ne cui negotium faciat, quòd diximus sententias illas: Non est iustus quisquam: Omnes declinauerunt, &c. tantùm ad certum hominum genus pertinere, sciendum generalem propositionẽ ad quam probandam assumuntur. videlicet Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, non ita accipiendam, tanquã omnes omnino perpetuò sub peccato essent, propter perpetuam naturæ corruptionem, vt vult Lutherus: sed quòd omnes tam Iudæi quàm Græci citra vllam exceptionem sub peccato sint & maneant, nisi gratia Dei per fidem mediatoris, quem annunciat Euangelium, indè eripiãtur, hoc est, generalis propositio, quam in primo & secundo capite Apostol', se probasse asseruerat, intelligitur de Iudęis in Iudaismo, & gentibus in paganismo de gentibus, id est, de ipsis vel solis naturæ viribus, vel sola legis pædagogia subnixis, non autem de gentibus & Iudæis ad Christianismum euectis. Atq; hoc modo intellectã propositionem rectè probant scripturæ ab Apostolo citatæ, de certo genere hominum duntaxat scriptæ. Iam ne dicat Iudęus ad impias tantùm gentes, & nõ ad se has scripturas pertinere, addit Apostolus.

SCimus autem quoniam quæcunq; lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: Galat. 2. d
quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim, cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis.

QVæcunq; lex loquitur) intellige generatim, nõ facta vlla mentione speciatim huius aut illius gentis, ijs qui in lege sunt loquitur & ad eos, quibus lex data est, pertinent. Lex hoc loco complectitur totum vetus testamentũ, & non tantùm libros Moysi siue Pentateuchum: Sicut & Ioannis 15. Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Alibi diuiditur vetus testamentum in legem, psalmos & prophetas: vt Lucæ vltimo capite. Alibi diuiditur in legem & prophetas, vt Matth. 22.

Vt omne os obstruatur) non modò gentiũ, sed & Iudæorum, vt nec Iudæus nec gentilis gloriari quoquo modo audeat de iustitia apud Deum. Aperit quo consilio hactenus vtriusq; populi peccata commemorarit.

Et subditus fiat omnis mundus Deo) Subditus Græcè est ὑπόδικος, id est, obnoxius siue obligatus ad pœnam luendam: Vocabulum est forense compositum ex præpositione ὑπὸ, id est sub, et δίκη quod et crimen significat & causam, & vindictam siue pœnã. Qui autem veniaIiter tantum peccat, nõ dicitur hic Paulo ὑπόδικος. Proinde commentarius ille (quamuis doctorum hominũ, qui sententias illas suprà citatas. Non est iustus quisquã: Non est qui faciat bonum) ad hunc modum

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum exponit) ſupple, quin peccet in aliquibus ſaltem venialiter: non eſt ſatis exactus. Pauli enim ſententia eſt, omnes facere reos gehennæ citra beneficium Chriſti, nec meminit Paulus niſi grauiſsimorum peccatorum ſuperiùs.

Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo) huius duplex eſt expoſitio. Prior eſt: ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro, quia nemo eſt qui facit legem: ſed omnes ſunt tranſgreſſores legis. Altera eſt: ex operibus legis etiam ſi ipſa præſtentur: non poterit aliquis iuſtificari apud Deum. Hoc modo intellecta ſententia, quomodo non pugnet cum illa, quæ eſt in ſuperiori capite: Factores legis iuſtificabuntur, ibi dictum eſt. Sunt qui per legis opera hîc intelligunt iudicialia & cęremonialia, quòd illa legi Moſaicæ propria ſint, quos ſi ſequamur: ſcire debemus, nullum prorſus diſcrimẽ eſſe inter hæc & moralia quantum ad præſens negotium attinet. Cùm enim iuſtificatio de qua hîc ſermo eſt, prorſus ſit gratuita, æquè ad eam efficiendã inualida ſunt moralia, atq; cęremonialia. Quare omittere potuiſſet Apoſtolus genitiuum legis, & abſolutè dixiſſe, ex operibus nõ iuſtificabitur omnis caro: Verùm adijcere voluit, vt magis vrgeret Iudæos, qui in lege ſibi data acquieſcebant, tanquam illa vim haberet iuſtificandi. Alij opera legis accipiunt, non ſolùm ea, quæ legi Moyſi propria ſunt: verumetiam ea, quæ communia habet cum lege naturæ. vt ſenſus ſit: Ex merito operum legis, non tantùm cęremonialis, verumetiam decalogi, non iuſtificabitur omnis caro, id eſt, nullus homo iuſtificabitur apud Deũ. Hæc ſententia eſt Aug. cap. 8. de ſpiritu & litera.

Per legem enim cognitio peccati) non quòd ante legẽ prorſus lateret peccatũ, ſed quòd legem naturæ peccandi conſuetudine obſcuratam: ipſa lex Moyſi reformauit quodque peccata oſtendat non impunè fieri. Sed quæret quis, quomodo valeat hęc cõſequentia? Per legem eſt cognitio peccati: ergo ipſa eſt ineſficax ad iuſtificandum. Dicendum abſolutè non valere, niſi addatur (tantùm) quod ſubaudiendũ reliquit Apoſtolus hoc modo: Per legem eſt cognitio tantùm peccati, id eſt, lex in hoc tantùm data eſt, vt demonſtret peccatum, nõ vt vi ſua aut merito operum quæ præſcribit, aboleat peccatum.

Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege & prophetis) Poſtquam oſtendit Apoſtolus omnes tã Iudæos quàm Græcos eſſe reos iræ Dei, & ne Iudæos quidem ab ira Dei poſſe liberari per legem ſiue legis opera: tantum abeſt, vt gentiles per ſolam naturæ legem, redit iam ad ſummam & potiſsimam propoſitionem, quæ eſt ſtatus totius diſputationis, dicens: Nũc, id eſt, tempore Euãgelicæ prædicationis, iuſtitia Dei, non quidem qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cum iuſtificat impium. Hæc iuſtitia, quæ priùs erat obſcurè tradita in lege & prophetis manifeſtatur, id eſt, reuelatur & palam docetur eſſe, ſiue contingere ſine lege, id eſt, abſq; vllo merito operum legis, nõ ſolùm cęremonialis, ſed & naturalis, teſtificata à lege & Prophetis: Legentes enim diligenter libros Moyſi & Prophetarũ comperiunt in illis iuſtitiam hanc eſſe traditam. Alium commentarium habet Auguſt. in libro de ſpiritu & litera cap. 9. Lex ait dum iubet & minatur & neminem iuſtificat, ſatis indicat dono Dei iuſtificari hominem per adiutorium ſpiritus, dum oſtendit homini infirmitatẽ ſuam, ſatis monet alio nimirum ad Dei miſericordiam eſſe confugiendum. Sententia ergo Auguſtini hoc loco eſt, iuſtitiam hanc teſtificatam eſſe à lege, ipſo facto & reipſa. Iuxta priorem verò ſententiam teſtificata eſt teſtimonijs legis & prophetarũ: Vterq; inſignis eſt commentarius. Nam & re & verbis iuſtitiam Dei comprobant lex & prophetæ.

IVſtitia autem Dei, per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum: nõ enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſsionem præcedentium delictorũ, in ſuſtentatione Dei ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ipſe iuſtus, et iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.

IVſtitia autem Dei &c.) Eſt inculcatio eiuſdem perinde ac ſi dixiſſet. Iuſtitia inquam Dei per fidem Ieſu Chriſti, ſicut ſuprà: Nunc iuſtitia Dei ſine lege, id eſt, quæ eſt vel contingit ſine lege. Hæc iuſtitia in Iudæos pariter, quibus data eſt lex, & in gentes, quibus non eſt lex data, peruenit in omnes omnino qui credunt in eum, qui credunt inquã non quomodo dęmones, nullo amico erga creatorem affectu: verùm tali fidei motu atque impetu, cum quo coniunctus ſit creatoris amor non fictus, & voluntas non dubia, mandatis eius in poſterum obtemperandi, ac peccatis omnibus, propter quæ tollenda ille mortuus eſt, renunciandi, anteaque acta deteſtandi. Hæc eſt fides quæ dicitur Paulo iuſtificare, de qua dictũ eſt in primo capite. Non eſt enim diſtinctio inter gentes & Iudæos, quantum attinet ad negotium iuſtificationis: omnes enim peccauerunt, nec liberari poſſunt à peccatis niſi per miſericordiã Dei, hoc eſt quod dicit: (*& egent gloria Dei*) id

id eſt, iuſtitia Dei qua gratis iuſtificat impium quam vocat gloriam Dei per metonomyam, quia facit vt à nobis ipſe glorificetur. Chryſoſtomus exponit paulò aliter hoc modo: Omnes carent ſiue deſtituuntur gloria Dei, quam pro vita iuſtè acta Deus reponit: Paulus habet ὑστεροῦνται quod ad verbũ ſonat poſteriorantur, quaſi non aſſequentes quod optabant.

Iuſtificati gratis) id eſt, ſine vllis operum meritis (*per gratiam ipſius*) id eſt, gratuitam Dei bonitatem, *per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*) id eſt, quæ facta eſt per Chriſtũ. Græcè eſt ἀπολυτρώσεως quæ propriè redemptio eſt captiui perſoluto pro capite ipſius pretio, quod vulgus (vt ait Eraſmus) ranſoen appellat: quamuis igitur gratis iuſtificati ſumus, id eſt, abſq; vllis noſtris meritis, non tamen abſque vllis omnino meritis, quia non abſq; meritis Chriſti. Magno enim conſtitit Chriſto hæc noſtra iuſtificatio: nimirũ pretio ſanguinis. Verùm ſi pretio, quomodo ergo gratuita Dei bonitate iuſtificati ſumus? videntur enim hæc inter ſe pugnare. Hactenus gratuita Dei bonitate, quia quamuis iuſtam pro peccatis ſatisfactionẽ exegerit, gratis tamẽ redemptorem & ſatisfactorem ipſe nobis miſit, atque hoc eſt quod explicat in ſequenti particula: (*Quem propoſuit propitiatorem*) quem ſine vllis noſtris meritis gratuita ſua bonitate propoſuit mediatorem, reconciliatorem, pacatorem inter ſe & humanum genus per fidem. Si velimus huius gratuiti doni participes eſſe, oportet adferre fidem, ac vt ſciamus qualem fidem, addit: (*In ſanguine ipſius,*) id eſt, qua credimus ipſum pro peccatis noſtris expiandis, effudiſſe ſanguinem ſuum, nec hoc ſolum, ſed qua confidamus præterea, Deum Patrẽ propter ſanguinem filij ſui effuſum, nobis quoque fore propitium, quantumuis perditè hactenus vixerimus, modò ex animo reſipiſcamus & pœniteamus. Dictum eſt in principio capitis, fidem, quæ iuſtificat impium, complecti fiduciam, & ſine fiducia nõ obtineri remiſſionem peccatorum.

Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ) id eſt, vt declaret ſe eſſe iuſtum & veracem in promiſsis: Sic Ambroſius. Aliter Auguſtinus, hoc modo: Vt patefaceret, & manifeſtaret orbi quam ipſe probat & efficit iuſtitiam, qua gratis ſine vllis meritis præcedentibus iuſtificat impiũ. Hic commentarius probabilior eſt propter præcedentem locum: Nunc autem ſine lege iuſtitia &c.

Propter remiſsionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei) Id eſt, propter remiſsionem eorum delictorum, quæ hactenus ſunt admiſſa à primo peccato Adæ. Dicit autem (*præcedentium,*) vt ſignificet deinceps non eſſe viuendum peccatis ſed iuſtitiæ. Hactenus in mundo regnauerunt peccata, at nunc mortuo Chriſto haud quaquã amplius peccandum eſt. Iſtud videtur inſinuare particula, præcedentiũ, alioqui Chriſtus mortuus eſt non ſolùm propter peccata, quæ ſub priori teſtamẽto commiſſa ſunt, ſed etiam quæ committentur vſq; ad finem mundi. Sed nimis ingratus eſt, & duræ mentis, qui poſt tale exemplum humanitatis exhibitum, & ſanguinem filij Dei effuſum nõ reprimit ſe, & continet à peccatis. Chryſoſtomus remiſsionem hîc accipit non condonationem, ſed talem qualis eſt cùm dicimus, membra omnia eſſe remiſſa, id eſt, victa & ſoluta, & abſq; robore. Intelligit ergo tabem animi, per quã mentis harmonia ſoluta eſt. Quùm videret mundum peccatis tabefactũ, ſolutum & mortificatum, atq; paralyticum, exhibuit propitiatorem qui ſanaret hanc tabem. Eadem expoſitio eſt in commentarijs Theophylacti. Et ne cui noua videatur, ſciendum eſt apud Paulum non eſſe ἄφεσιν qua voce ferè vtitur ſcriptura, quando nominat remiſsionem peccatorum, ſed πάρεσιν cuius ſignificatũ optimè explicat Budæus in commentarijs linguæ Græcæ. Ipſa inquit defectio & languor, & virium corporiſq; extenuatio et tabes πάρεσις dicitur. Ambroſii textus pro remiſsione (poſitum) habet. Propter poſitum præcedentium delictorum: & ne putemus mendoſum eſſe codicem, interpretatur: propterea quòd decreuiſſet mundo ſemel remittere peccata. Eodem modo legit Auguſtinus in libro de ſpiritu & litera cap. 13. Eraſmus ſatis mirari nequit hanc lectionem, cùm Græcè non ſit πρόθεσις: ſed πάρεσις. verum Budæus explicans ſignificata verbi παρίημι, vnde πάρεσις præterlaxare, condonare, tabefacere, dicit ſignificare dimittere, quale eſt quũ dicimus, non poſſum hoc in animum demittere, vel inducere, quomodo vtitur Plato in Phædone. Si ſequamur Chryſoſtomũ & Theophylactum, quod additur: (*in ſuſtentatione Dei*) referre tum poſimus ad (*remiſsionem*) hoc ſenſu: Exhibuit Deus propitiatorem Chriſtum ad ſanandam tabem præcedentium delictorum, quam tolerauit hactenus. Si verò remiſsionem accipiamus condonationem, (*In ſuſtentatione Dei*) pertinet ad præcedentia peccata, quæ ad id vſq; tempus, quo Chriſtus eſt propitiator exhibitus, Deus pater patienter tolerauit & pertulit.

Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ,) repetit iſtud propter particulã, (*in hoc tempore*) quam volebat adiectam, cùm quicquid peccatorum eſt, ſuam nactum eſſet plenitudinem & maturitatem. Cùm iam ſatis ſuperque exploratum eſſet, neq; per naturalem cognitionem,

neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque per legem Moysi tabem hanc peccatorum sanari posse, tum potissimùm Deus propitiatorem istum exhibuit, vt patefaceret orbi & manifestaret iustitiã suam: Istud significat particula (*in hoc tempore*) & explicans quod dixerat, ad ostensionem iustitiæ suæ, ait, (*vt sit ipse iustus &c.*) Sensus est: exhibuit propitiatorem istum in hunc finem, vt ipse agnoscatur in se esse iustus, nec solùm in se esse iustus, sed etiam author esse iustitię alijs, ijs inquam qui ex fide sunt Iesu Christi, id est, qui abiecta omni spe legis, & meritorum omni fiducia, per Christum, quem ex Euangelio cognoscunt propitiatorem, humili & compuncto corde supplicant sibi ignosci, quod malè admiserint.

VBi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei: Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorũ Deus tantùm? Nonne & gentium? Imò & gentium, quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.

VBi est ergo gloriatio tua? Exclusa est &c.) Cùm hæc ita se habent, cùm nõ minùs tu ò Iudæe obnoxius sis iræ Dei, quàm gentilis, ppter peccata, & æquè opus habeas propitiatore Christo, atq; gentilis: vbi est quæso gloriatio tua? quãnam habes causam gloriandi aduersus gentilem? Dicens verò (*exclusa est*) simul ostendit quomodo excluſa sit, vel per quid: nimirum, per legem fidei, non autem factorum. De discrimine legis factorum, & legis fidei, eruditissimè differit Augustinus in libro de spiritu & litera, capite 13. Est autem lex factorum non omnis ea, quæ facta aliqua præscribit. Nam hac ratione Euangelica quoq; lex, factorum lex esset: Præscribit enim ne concupiscas &c. Sed ea est propriè factorum lex, quæ facta præscribens, non largitur spiritum gratiæ adiuuantem, per quem fiant facta & opera, quæ præscribuntur: sed tantùm cõminatur supplicia transgressoribus, & proponit præmia obseruantibus. Lex verò fidei est, quæ fidem præscribit qua impetratur spiritus charitatis, per quem fiunt opera legis. Efficit enim in mente spiritus, dilectionẽ mandatorum legis, quæ vincat carnis dilectionem. Per legem ergo Euangelij, quæ palàm tradit, fide iustificari hominem, exposa est gloriatio tua.

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis) Ambrosius illud, (*arbitramur*) interpretatur pro certò habemus. Oecu. Dicimus itaq;. Græcè est λογιζόμεθα, id est, colligimus, Et loco (enim) est ἀν, id est, ergo. Ex disputatione ergo hactenus habita & argumentis in medium adductis colligimus, definimus, & concludimus (Nam arbitrari pro putare nimis remissè dictũ est) iustificari hominem, non dicit Iudæum, aut eum qui sub lege est: sed hominem commune videlicet ipsius naturæ ponens nomen, quo toti orbi salutis portum adaperiat. Iustificari, id est, apprehendere remissionem peccatorum siue iustitiam, quam vocant primam, per fidem siue fiduciam in Christum propitiatorem, non quidem inanem illam & elumbem fidem siue fiduciam, qualis est in ijs, qui adhuc retinent affectum peccandi, sed per fidem qualem iam sæpe diximus, quæ seriò inuitat & corrigit affectus: iustificari inquam per fidem sine operibus, id est, absq; vllo merito operum legis non tantùm ceremonialis, verùm etiam naturalis siue decalogi, imò absq; merito illorum operum, quæ ad obtinendã iustitiam necessaria sunt, vt sunt detestatio peccati, dolor, propositũ melioris vitæ, conuersio cordis ad Deũ &c. sine quibus fides nihil prodesse potest, sicut nec illa quicquam absq; fide. Imò quod dicit Apostolus, per fidẽ iustificari hominem, nequaquam ita accipiendum est, tanquam per meritum fidei daretur homini iustitia siue remissio peccatorum, vt docuerunt Pelagiani, dicentes fidẽ in nobis effici nostris viribus audito Euangelio, & per eam nos mereri iustitiam Dei: sed accipiendum est quasi dixisset, iustitiam Dei dari peccatori credenti propter misericordiam in Christo promissam: vt fides intelligatur tantùm dispositio, per quã mens cœlitus attracta, sufficienter ex Dei bonitate habetur disposita, præparata, & tanquam aptata, vt fiat ei applicatio meritorum Christi, & ex meritis Christi applicatis accipiat remissionem peccatorum, iustitiam & gratiam. Ex his & illis quæ antè dicta sunt de iustitia, facile est iudicare, num interpretatio illa, quæ sententiã istam Apostoli de fide charitate formata accipit, rectè mentem Pauli explicet: Etenim cùm fidem iustificare nihil aliud sit in proposito, quàm fidẽ apprehendere iustitiam: & fidem apprehendere iustitiã nihil aliud sit, quàm hominem per fidem peruenire ad iustitiam, vt exponit Apostolus capite nono huius Epistolæ. Cumq; iustitia ipsa quam apprehendere dicitur fides, sit vel ipsa charitas, vel imprimis complectatur charitatem planè consequi videtur, non explicandam hanc Pauli sententiam de fide charitate formata, alioquin hæc efficeretur Pauli sententia: Arbitramur hominem per fidẽ charitate formatam peruenire ad charitatem, quæ explicatio absurda est. Idem intelligendum est de illa interpretatione, quę per fidem synecdochẽ

chẽ accipit perfectam obedientiam, id est, vniuersas virtutes. Accipienda est ergo Pauli sententia de fide, vt concipitur nondũ charitate formata, sed tamen tanta vt per eam tãquam sufficientem præparationem diuinitùs suffectam, impetretur spiritus iustificans mentem per charitatis infusionem. Atque hæc est Augustini doctrina in epistola ad Anasta. de commendatione charitatis, vbi apertissimè hanc rem explicat: fides, inquit, quæ est à spiritu, impetrat spiritum largiorem: spiritus largior diffundit charitatem: charitas implet legem. In libro quoque de spiritu & liter. non semel interpretatur fidẽ iustificare, quia fides per humilem deprecationem impetrat spiritum charitatis & dilectionis, quo fit, quod lex præscribit.

An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gẽtium? imò & Gentium, &c.) Putatis vos Iudæi quòd Deus pro creaturis suis, quibus curã suam impendit, vt prouehat ad salutem, habeat solos Iudæos? Nonne & Gentium? ne putes ò Iudęe in hac generali humani generis tabe sananda & in iustitia sua communicanda, Deum te solùm respexisse. Istud enim beneficium non est vnius gentis, sed omnium, (*quoniam vnus est Deus qui iustificat circumcisionem.*) id est, Iudæos (*& præputium*) id est, Gentes (*per fidem*) Inter præpositiones, ex & per, nihil discriminis est hoc loco.

Legem ergo destruimus.) id est irritam facimus seu abolemus? (*per fidem*) id est, per doctrinam hanc, qua docemus absque vllis operibus iustificari hominẽ per fidem: (*absit*) haud quaquam abolemus legem, sed stabilimus & firmamus, id est, efficimus vt lex stet & retineat robur suum & auctoritatem, dum eius legitimum & ostendimus & docemus officium, atque à fidei officio eius officium separamus siue decernimus, docentes per legem esse cognitionem peccati: per fidem verò iustificationem.

CAPVT IIII.

QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credẽti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Psal. 31.a

Cum vt. b. Galat. 3.a. Iacob. 2.d.

QVid ergo dicemus inuenisse Abraham? &c.) Tractat hîc Apostolus quæstionem alteram in tertio capite propositam, videlicet: Quæ vtilitas circumcisionis? quæ ad hoc vsque caput mansit insoluta, & videtur Apostolus captasse transeundi oportunitatem, dum in superiori capite post verba illa: an Iudæorum Deus tantum, &c. mutatis nominibus dixit: qui iustificat circumcisionẽ ex fide, & præputium per fidem. Sensus est, si vnus omnium est propitiator, & per fidem iuctificat Deus, tam præputium quàm circumcisionem, id est, tam Gentes quàm Iudæos etiam absque circumcisione, quid eximij vel prerogatiuæ dicemus inuenisse, siue consecutum esse Abrahamum? Hebraismus est sicuti ibi: Inuenisti gratiam apud Deum, & addendum, ex circũcisionis opere, & alijs præclaris factis. Obiter enim Paulus agit etiam de operibus Abrahæ, quamuis præcipuè de circumcisione:

Patrem nostrum secundum carnem) id est, secundum carnalem propagationem: alioquin secundum vocationem siue fidem, pater est communis & Iudæorum & Gentium, *Alij secundum carnem*) referunt ad *Inuenisse*) & interpretantur quid dicemus ipsum consecutum per carnalem circumcisionem? vt sit hyperbaton.

Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum) (Enim) hoc loco non causale: sed asseueratiuum est more Hebraico. Sic enim Psal. 76. Memor ero operum Dei, quia memor ero, &c. Sensus est: sanè si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, id est, laudem insignis viri, viri insigniter iusti, sed apud homines, nõ apud Deum, qui non habet pro insigni, nisi cuius radix & tabes mentis sanata est per fidem Christi. Alij interpretantur, gloriam, id est, gloriationem, habet quod glorietur & iactet se. Græcè est nomen verbale.

Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam) Secundum Augustinum inducit Apostolus exẽplum de iustificatione Abrahæ, ad probandam principalem propositionem 3. cap. positam. Arbitramur enim iustificari hominẽ per fidem sine operibus &c. Argumentatur Apostolus hoc modo. Abraham qui nobis in hac re ceu typus est, forma, siue exemplar, non ex operibus, sed ex fide iustificatus est, ergo ex fide iustificatur, quicunque tandem iustificatur, & non ex operibus. Cuius

August. in præfatione Psal. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

argumentationis antecedens explicat dupli ci argumentatione in hunc modum: Si Abraham ex operibus iustificatus non habet gloriam apud, Deum: at eum gloriam habuisse apud Deum palam testatur scriptura, quæ dicit eum credidisse Deo, & id ei imputatum ad iustitiam: Igitur falsum est antecedens prioris argumentationis: Abraham fuisse iustificatum apud Deum ex operibus.

Porro si non ex operibus fuit iustificatus, sequitur eum ex fide iustificatum, quod scriptura Genesis testatur, quæ asserit ipsum credidisse, & ob id iustificatum apud Deum. Arguit igitur Apostolus à destructione consequentis prioris argumẽtationis, ad destructionem antecedentis. Sic explicat argumẽtationem Apostoli Augustinus in præfatione Psal. 31. Quare post verba illa: habet gloriam, sed non apud Deum, subintelligendum est, sed hoc falsum est, siue quod eodem recidit, habet autem gloriam apud Deum.

Non pugnat autem iste locus cum eo, qui est apud Iacobum, videlicet: Abraham ex operibus iustificatum esse, quia Paulus loquitur de operibus factis sine fide: Iacobus autem de operibus ex fide factis ab ipso iam iustificato. Quod dili genter annotauit Augustinus in præfatione psalmi iam dicti, in qua totum hunc locum exactissimè excutit. Indoctè igitur faciunt Lutherani, qui ex hac Pauli sententia omnem promiscuè operum iustitiam reijciunt. Et quanquam in textu Genesis solùm proposita est iustificatio pij: voluit tamen scriptura ex ea nos venire in cognitionem iustificationis impij, per hanc aut similem consequentiam: Si Abraham non per vires liberi arbitrij, sed per gratiam fidei iustificatus, id est, auctior factus est in iustitia: ergo multò magis per gratiam fidei & non per vires liberi arbitrij initium iustitiæ adeptus est. Aptè proinde Paulus ad probandam principalem propositionem de iustificatione impij capite 3. positam, adduxit testimonium Genesis, quod de augmento iustitiæ agit, & non de iustificatione impij: propterea quòd eadem sit ratio, (quantum ad præsens quidem negotium attinet,) de augmento iustitiæ, & de prima iustitia. Sed dices, quomodo fides Abrahæ iam iustificati imputata est ad iustitiã, cùm actus siue fidei motus ex charitate procedens, promereatur incrementum iustitiæ? Dicendum, gratuitum esse iustitiæ incrementum, si respiciatur ad primã causam, vnde ipsum proficiscitur, tametsi debitum sit, si respiciatur ad operationem hominis post gratiam acceptam, cooperantis diuinæ gratiæ: atque hoc est quod Augustinus, iustorum bonam vitam, siue iustorum meritum appellare consueuit gratiã Dei & gratuitum Dei donũ: sicut & Apostolus, vitam æternam vocat donum, quem admodũ explicat Augustinus capite. 8. & 9. de liber. & gratia ad Valentinũ. Cùm igitur Apostolus ageret aduersus eos, qui suis operibus omnia tribuebant, & neque in iustificatione impij, neque in bona vita gratiam Dei agnoscebant, vtrumque docet esse gratuitum. Iam restat adhuc vna difficultas quo modo Apostolus ad disputationem de iustificatione impij, quam docuit contingere per fidem in Christum, propitiatorem citet scripturam Genesis, quæ non videtur loqui de fide in Christum, sed de expectatione rei corporalis, nimirum posteritatis, habet enim textus sic: Suspice cœlum, & numera stellas si potes, & dixit ei, sic erit semen tuũ, deinde sequitur: credidit Abraham Deo. &c. Ad hanc difficultatem respondet D. Tur nout in libro de captiuitate & redemptione humani generis folio. 299. secundum impressionem Louanien sem primam dicens: quòd fides, de qua Genesis loquitur, non solùm erat de re corporali, puta de carnali posteritate, verumetiam de vno aliquo semine, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ. Sic enim habet capite 12. Genesis: Faciamque tẽ in gentem magnam, & post pauca sequitur: Benedicentur in te omnes familiæ terræ, hoc est, sicut scribitur capite 22. benedicentur in te omnes nationes terræ. Qua re videtur etiam promissio, quæ scribitur capite 15. intelligenda de posteritate multiplicãda secundum numerum stellarum, per semen, in quo essent benidicendæ omnes nationes terræ, Quod si contendas, (cùm illo capite non fiat mẽtio illius seminis, quod est Christus) textus tantùm loqui ad literam de carnali posteritate, præsertim cùm Apostolus in sequentibus tantùm vrgeat, fidem de corporali posteritate: Qui cõtra spem (in quiens) in spem credidit, &c. Respondere licet ad propositam difficultatem, fidem de qua loquitur Genesis, tametsi non esset de Christo vt obiecto, innixam tamen fuisse fidei vel fiduciæ de Christo: vel si de eo nondum acceperat expressam reuelationem, certè innixam fuisse misericordiæ Dei paratæ hominibus. Et similiter sentiendum est de alijs quibusuis promissionibus corporalibus, quod fides quæ circa illas versabatur, Deo placuit, sed in illis in quibus erat fides siue fiducia misericordiæ diuinæ.

Ei autem qui operatur, merces nõ imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum) id est, ei qui facit opus aliquod, per cuius conditionem dignus efficiatur mercede, merces illa non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum scilicet rependitur: Non

Non enim conuenit repetere verbum, imputatur, nisi secundum catachresin intellectũ.

Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, &c.) Consequentia sermonis requirebat, vt diceret: Credenti iustitia imputatur per fidem, nunc mutata orationis forma dixit, hdem imputari ad iustitiam, quòd sic euidentiùs fortasis explicetur iustitiã esse gratuitã. Sensus est: Credenti iustitia non rependitur tanquam merces debita, sed imputatur, id est, gratuitò confertur per fidem. *Secundum propositum gratiæ Dei*) id est, quòd fides apprehendat siue consequatur iustitiam, id habet non ex vi sua aut valore, quasi digna sit ipsa, propter quam donetur iustitia, sed ex gratuita Dei ordinatione, ex beneplacito eius & proposito. Hic apertè videmus gratiæ & bonitati Dei adscribere Paulum, quòd per fidem fiat applicatio meritorum Christi ad efficiendam iustitiam. Et quanquam Græci codices, qui hodie habentur in manibus, non habeant particulam: *Secundum propositum gratiæ Dei*) illa tamen planè continetur in clausula illa: *Imputatur ad iustitiam*) quæ necessariò ita accipienda est, vt opponatur clausulæ membri oppositi: Merces imputatur vel potiùs rependitur secundum debitum. Præterea cùm opponat Apostolus hîc operantem credenti, palam est intellexisse eum, non illum operantem qui ex fide operatur: nam is credens est, sed eum qui citra fidem operatur, quique sibi persuadet, quòd operibus suis posset iustificari apud Deum. Aduersus hunc igitur ratiocinatur Apostolus ex testimonio Genesis in hunc modum: Si ex operibus posset quisquam iustificari apud Deum, is ex debito & non ex gratia iustificaretur apud Deum: At verò scriptura Genesis palam testatur, iustitiam apud Deum esse imputatitiam siue indebitam: Pronunciat enim de Abraham non solùm quòd iustificatus est apud Deum, sed quòd iustitia est illi imputata per fidem, quod est, eam fuisse indebitam & gratuitam: Igitur non potest ex operibus suis iustificari apud Deum.

Quod dicit Apostolus: *Ei qui operatur, &c.*) perinde est ac si dixisset, si quis ex operibus iustificaretur apud Deum, huic iustitia non imputaretur à Deo, sed tanquam debita redderetur.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus) Quemadmodum Genesis ita & Dauid explicat beatitudinem hominis in hoc consistere, quòd Deus accepto illi ferat, id est, imputat (est enim eadem vox apud Paulum quæ suprà) iustitiam sine operibus. Hinc discimus de qua iustitia Apostolo sermo sit in hac disputatione: nimirum de ea quæ posita est in remissione peccatorum, siue qua ex impio quis iustus efficitur. Secundò discimus, quod in præcedentibus, vbi iustitiam hanc asscribit fidei & detrahit operibus legis, opera legis accipiantur non solùm illa, quæ legi Mosaicæ propria sunt: verumetiam ea, quæ communia habet cùm lege naturæ: Nam absolutè hîc ait, sine operibus. Discimus tertiò de eadem iustificatione esse sermonem in Psalmo & Genesi. Hoc enim indicat particula, *Sicut, &c.*) vnde & suprà annotauimus Paulum in testimonio Genesis etiam intellexisse & aspexisse iustificationem impij, idque ex iustificationis ipsius pij natura. Testimonium Dauid sic habet:

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata.) Beati & proinde iusti apud Deum, quorum remissæ sunt, &c. Primò hîc notandum, quod Paulus hoc testimonium applicat generatim omnibus hominibus natis ex Adam, siue relapsi sint, siue non: Nullis enim indicat sperandam salutem, nisi quibus remissa sunt peccata. Secundò notandum verbum, remittuntur, quod excludit meritum maximè autem verbum, imputare, quum illud præcipuè vrgeat Paulus.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.) Hanc clausulã Lutherani producunt contra satisfactionem pœnitentium. Argumentantur hoc modo. Remissio peccati est, non imputatio peccati. Igitur remissio peccati non requirit vllam pœnam, vel satisfactionem: Nam de quo Deus pœnam sumit, illi adhuc imputat peccatum, quia imputat ad pœnam. Kursus si satisfactione inquiũt, aboleatur peccatum: igitur falsum est Deum non imputare peccatum. Nam non imputare peccatum, est gratuitò condonare, non propter vllum opus. Has falsas & impias calumnias Lutheranorum excludunt catholicorum commentaria, dum ex fidei regula, quæ tum ex scripturis, tum ex certissimo vsu totius Ecclesiæ orantis pro defunctis indubitatũ dogma de satisfactione continet, interpretantur hanc clausulam de non imputatione ad reatum æterni supplicij, non autem de non imputatione ad pœnam temporaneam.

Beatitudo ergo hæc, in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiã. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio, vt sit pater omniũ credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circumcisionis, non ijs tantùm qui sunt ex circumcisione, Gen. 17. b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed ijs qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Nō enim per legem, promissio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: Lex enim iram operatur: Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.

BEatitudo ergo hæc) cuius meminit Psalmus. 31. quæ consistit in remissione peccatorum, & proinde in iustificatione, ad circumcisos tantùm pertiner, an etiam ad præputiatos? Capitur (ergo) nō illatiuè sed concomitatiuè. Verbum (manet) addidit interpres de suo: Ad verbum enim est, beatitudo ergo hæc in circūcisionem, an etiam in præputium scilicet competit seu deuenit. Iam dictum est quòd Abrahæ imputata sit iustitia per fidem. In quo statu imputata est ei? cùm esset in circumcisione, an cùm esset in præputio? non est ei imputata cùm esset in statu circumcisionis, sicut palam liquet ex libro Geneseos cap. 15. & 17. sed cùm non dum esset circumcisus. Præter interrogationis gratiam multum lucis adfert dilemma, cuius altera parte reiecta, alteram euincit, quo genere argumentandi nullum est vel apertius, vel violentius.

Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio) Est antiphorasi: Abraham iustificatus est per fidem cùm esset adhuc incircumcisus, cur ergo & circumcisus est? Respondet: Accepit signum circumcisionis, id est, circumcisionem, Est locutio qualis illa: virtus prudentiæ pro ipsa prudentia. Signaculum Græcè est σφραγίδα quæ vox signum est notam impressam significat, priori loco σημεῖον, id est, signum quo aliud significatur. Dicitur autem circūcisio signaculū iustitiæ fidei, quod ipsa obsignaret & clauderet ad tēpus iustitiā fidei, quæ suo tēpore, aduenīēte scilicet Christo, esset patefacienda. Sic Origenes qui attendit officium sigilli esse claudere siue velare: Aliter Theophylactus: Signaculum iustitiæ fidei, id est, sigillum quo Deus obsignabat Abrahę iustitiam, & tanquam certissimam & verisimam testificabatur: Sicut quod volumus testificari certum ac firmū, solemus signo aut nota impressa obsignare. Signaculum inquam iustitiæ, quam per fidē consecutus erat, quam fides præ se tulit in præputio, vel potiùs quæ iustitia est, siue fuit, vel erat (nullum enim verbum est apud Paulum) *In præputio*) id est, quam habuit præputiatus. Ex hoc loco discimus, circumcisionem non habuisse vim iustificandi, siue (vt scholæ loquuntur) efficiendi iustitiam ex opere operato: sed tantùm signum fuisse, quemadmodum reliqua veteris legis sacramenta. Sic certè hoc loco Ambrosius: Non habet circumcisio aliquid, sed est signum tantùm. Et Oecumenius: Data est circumcisio, non vt iustitiam efficeret, sed vt sigillum esset ac signum iustitię. Item & Tertullianus contra Iudęos multis rationibus probat circumcisionem non habuisse vim iustificandi. Sunt quidem aduersus hanc sententiam non pauci scrupuli de circumcisione paruulorum. Rursus de sententijs Aug. Greg. Bedæ, quæ circumcisionem videri possent eximere numero reliquorum sacramentorum veterum, & peculiariter ei tribuere vim iustificandi. Horum sententiæ citantur à Magistro in. 4. sententiarum dist. 1. Augustt. sententia sumpta est ex cap. 11. lib. 1. de nupt. & concup. ad Valerium: verùm illo loco non affirmat Augustinus circumcisionem valuisse ad sanctificationem siue ad purgationem, quemadmodum citauit Magister, sed ad significatinem purgationis, veluti & in præfationem Psal. 75. palam de circumcisione testatur. Patres nostri, inquit, multi sancti & circumcisionem carnis habebant, propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis propter ipsam fidem.

Vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur, &c.) Ob id cùm præputiatus esset iustificatus est Abraham, vt sit pater omnium credentium, per præputium, id est, in præputio suo manentium, vt etiam ipsis fides imputetur ad iustitiam: *Et sit pater*) scilicet & accepit circumcisionem, vt sit etiā pater. *Circumcisionis*) id est, circumcisorum, Est autem pater non his solùm, qui circumcisionem habent, sed & his qui sectantur vestigia fidei, quam habuit in præputio, id est, quam habuit cum esset præputiatus. Est repetitio eiusdem, nisi hoc modo legamus: & sit pater circumcisionis, ijs, qui non tantùm ex circumcisione sunt, sed qui etiam sectantur vestigia fidei &c. quomodo legunt Græci, secundum quàm lectionem duos inter Iudæos facit ordines: Alterum eorum qui nihil habent Abrahæ, nisi quòd circumcisi sunt, & horum negat esse patrem: Alterum eorum qui præter circumcisionem etiam fidem illius imitantur, horum demum patrē vult esse Abraham.

Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius vt hæres esset mundi, sed per iustitiā fidei) Probat quod præcesit, videlicet Abraham esse patrem omnium credētium etiam præputiatorum, & iustitiam per fidem contingere, non per circumcisionem, aut legē, aut legis opera, idque ex promissione Abrahæ facta quæ scribitur Genesis. 12. & 22. Nā quod illis locis dicitur. In te vel in semine tuo benedicentur omnes nationes terræ, interpretatur hic Paulus quasi dixisset: In semine tuo eris hæres mundi. Erasmus in versione sua addidit de suo, contingit: Non enim per legem promissio Abrahæ contingit &c. quod non est faciendū in scriptura, nisi vbi constiterit de sensu. Hic autem incertū est an conueniat contingit. Nam alij malunt cōtingit, alij (cōtinget) volūt intelligi: sicut & promissionem variè accipiunt. Alij enim intelligunt propriè, vt hoc sit, quòd vulgo significat. Alij accipiunt pro reipsa, de qua est promissio, quod non est infrequens in scriptura. Sic sanè sumitur ad Galatas 3. Vt pollicitationem, id est, promissionem spiritus accipiamus per fidem: Et ad Heb. 6. Et hæreditabunt promissiones: Rursus cap. 10. Reportetis promissiones: Et cap. 11. non semel, sed sepius in hac significatione vsurpatur. Præterea notandum, quod quamuis iuxta rei veritatem, & Augustinum in lib. de spiritu & litera, circumcisio non pertineat ad legem: tamen Paulus pro eodem hîc habet circumcisionem & legem: & sic de ea agit, quasi pars esset legis. Omissa autem interpretationum varietate, hic videtur esse sensus Pauli. Non enim facta est promissio illa vulgatissima Abrahæ & semini eius, tanquā quæ esset præstanda & adimplenda per legē, non requirit obseruationem legis tanquam conditionem aut causam, per quam impleatur: sed ex fide dependet, atq; hoc est quod sequitur *Sed per iustitiam fidei*) id est, quæ hoc ipso præstaretur, quòd credentes assequerentur iustitiam per fidem.

Si enim, qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio) Id est, Si illi demum hæredes sunt promissionum, siue ad Abrahæ promissionem pertinent, qui legis obseruatores sunt: sequitur res absurda videlicet quod fides sit res nihili, & quòd abolita sit promissio, quòd in totum careat effectu, vt quem nemo consequatur per legem: quod probat ab effectu vel euentu legis *Lex enim iram operatur*) adeo lex eos quibus data est dignos non facit, qui hæreditatem accipiant promissam Abrahæ, vt magis obnoxios reddat vindictæ diuinæ, dum per literam iubendo, & non per spiritum adiuuando, auget concupiscentiam, per quam fiat eius transgressio, & ex transgressione obligatio ad luendam pœnam: sic Augustinus varijs in locis. Pertinet ergo sententia ad eos qui carent spiritu gratiæ, quo carnalis peccati libido & concupiscentia superatur. Quod notandum est propter Lutheranos, qui scripturam hanc ita accipiunt quasi hæc esset eius sententia: Lex semper accusat, & semper reos peragit etiam iustificatos propterea, quòd quæuis legis obseruatio in hac mortali vita inchoata tantùm sit impura, & contaminata. Augustini interpretationem planè confirmant aliæ Pauli sententiæ: Peccatū occasione accepta, &c. Et 1. ad Corinth. 15. Virtus peccati, lex. Pergit deinde Apostolus & probat quod dixerat: Quod lex (inquit) iram operetur, vel hinc patet, quòd eos, quibus data est, reos faciat præuaricationis, cuius non erant futuri rei, si legem non accepissent. Nam vbi non est lex vlla præscripta, vel constituta: ibi non potest reperiri transgressio, & contra: vbi est lex constituta, ibi est legis transgressio. His ita constitutis, infert Apostolus.

Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini: non ei qui ex lege est solùm: sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, qui contrà spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli & arena maris. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.

I*Deo ex fide*) argumentatur per locum à diuisione, hoc modo: Necesse est aut per legem præstari promissionem, aut per fidem, non præstatur per legem, vt iam ostensum est: ergo per fidem.

Vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini) Explicat quid sit ex fide esse promissionem siue hæreditatem iustitiæ, nimirum secundum gratiam, id est, secundum liberalitatē Dei, cui innititur fides. Est igitur expletiuè additum istud à Paulo. In hoc autem voluit Deus promissionis impletionem esse gratuitam, vt esset firma, rata, & efficax, quæ certò & infallibiliter præstaretur omni semini, id est, omnibus Adæ posteris.

Non qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ) Erasmus vertit: non ei tantùm quod, vt pronomen (quod) referatur ad semen. Explicat hîc per partes quod dixerat. *Omni semini*) non ei tantùm qui vel quòd ex lege, id est, non Iudæo tantùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, id est, Gentili, qui non habet originem cum Abraham communē, sed fidem: *Qui est pater omnium nostrum*) & Iudæorum & Gentilium, pater inquam imitatione fidei: *Sicut scriptum est*) in Geneſi capite 17. *Patrem multarum Gentium posui te*) id est, certò constituam siue ponam te: more enim prophetico præteritum positum est pro futuro. Quod sequitur, *Ante Deum*) non est in Geneſi, sed additum est, à Paulo explicandi causa. Ante Deum, id est, non testibus hominibus, sed Deo, qui fidem interioris hominis intuetur, cùm homines tantùm exteriorem circumsionem intueantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex qua Abraham patrem faciunt. Chrysost. Theophylactus & Græcorum scholia ad hũc modum interpretantur. Ante Deum, id est, ad exemplum Dei: exemplar enim ex aduerso oppositum reddimus. Sentit ergo Paulus secundum istos, quemadmodum Deus non est Deus huius aut illius nationis tantùm, sed communis omnium: sic & Abraham fore patrem omnium credentium.

Cui credidisti) Tu cui loquor: Nam refertur non ad Abraham, sed ad eos quibus scribit Paulus. Græci codices habent, cui credidit, quomodo etiam legit Augustinus, vt pertineat ad Abraham.

Qui viuificat mortuos) id est, qui potest resuscitare mortuos seu vita defunctos: Vel secundum alios, inualidis ad generandum præbere potest vigorem generandi. Est tertius commentarius qui mortuos interpretatur peccatores.

Et vocat ea quæ non sunt: tanquam ea quæ sunt) Non esse dicuntur Paulo, quæ contempta sunt: contra verò, esse quæ magna & eximia sunt. Sésus est: qui homines nullius pretij, contemptos & abiectos, quales sunt Gentes à Dei cognitione alienæ vocat, Abrahæ filios, sicut eos qui ab Abraham secundum carnem sunt propagati. Est alius commentarius qui isto significari putat exactam Dei cognitionem, etiam earum rerum quæ nondũ exiſtunt, sed pòst futuræ sunt. Sicut in psal. 146. Omnibus eis nomina vocat, id est, stellarum omnium distinctam habet notitiam.

Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum Gentium, secundum quod dictum est ei) Hæc pertinent ad Abraham, sicut præcedentia ad Deum. *Qui contra spem*) scilicet naturæ, id est, cùm natura non suggereret ni si causam desperandi, tamen credidit in spẽ, siue in spe, vel sub spe, intellige promissionis diuinæ, id est, sub spe quam in animo ipsius pariebat promissio diuina, credidit inquam se fore patrem multarum Gentium, secundum quòd dictum ei fuerat Genes. 15 *Sic erit semen tuum.*)

Sicut stellæ cœli, & arena maris.) Istud non habetur in Græcis codicibus, neque apud Chrysosto. in commentarijs, neque apud Theophylactum Græcum neque apud Ambro. neque in plerisque vetustis exemplaribus latinis. Vnde verisimile est additum esse à quopiam cupiente sensum reddere dilucidiorem: Retulit enim Paulus verba Dei, stellas cœli ostendentis Abrahæ.

Et non infirmatus est in fide). i. haud debili tatus est in fide, sed sustinuit & perseuerauit credere posthabitis desperandi causis, quas suggerebat natura, quæ causæ iam sequuntur, videlicet.

Nec considerauit corpus suum emortuum cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ) Nec inquit considerauit corpus suum emortuum, id est, præsenio ad generandum inualidum & impotens, vt qui iam annum ætatis ageret. 99. nec emortuam, id est, effœtam vuluam Saræ. Vuluam vocat non hoc quod vulgus accipit, sed matricem qua concipitur fœtus, quæ quum destituitur vi attrahendi, ac retinendi semen, mulier efficitur sterilis. Hic quæritur quomodo dicat Apostolus Abrahę corpus emortuum siue effœtum, cùm postea sustulerit liberos ex Cetura. Respondet Augustinus in quæst. super Gen. lib. 1. capite 35. hactenus emortuum fuisse, vt citra opem diuinam non posset gignere ex anu, qualis erat Zara, quamuis ex iuuencula bene, vel integræ ætatis muliere, qualis erat Cetura. Alij putant Abraham illo tempore absolutè impotentem fuisse ad generandum: verùm per fidem illam, qua sic firmiter credidit Deo promittenti, datam fuisse ei virtutem gignendi, non solùm ex Zara, sed etiam ex quauis muliere alia. Hæc sententia Thomæ magis placet, sicut prior Erasmo.

IN repromissione etiam Dei nõ hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriã Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, Quia reputatum est illi ad iustitiam sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christũ Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram

IN repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, &c.) Id est, non disquisiuit hæsitando & diffidendo, *Sed confortatus est*) id est, inualuit fide. *Dans gloriã Deo*) id est, tribuens ei quiduis: *Plenissimè sciens*) istud explicat quid sit Deo tribuere gloriam, plenissimè inquit & certissimò persuasus, Deum præstare posse quicquid promittit etiamsi naturæ vires superet

Ideo & reputatum est illi ad iustitiam: Non autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, &c.) Quia tam robusta fuit fides eius, ideo hoc quod tam firmiter credidit, reputatum est illi ad iustitiam: Scriptum est aũt istud: videlicet, quòd fides imputata sit illi ad iustitiam, non tantùm propter ipsius laudem & commendationem, videlicet vt ipsius iustitia celebraretur apud omnes: verumetiam propter nos, vt nos

vt nos quoq; haberemus formam iustificationis, & sciremus quòd sicut illi fides imputata est ad iustitiam, ita nobis quoque imputabitur, si credamus in eum, qui suscitauit Iesum, &c. Ex hoc loco discimus consilium Spiritussancti fuisse, Abrahamum proponere nobis vt parabolam, typum, exemplar, & paradigma, ad quod componamus vitam nostram, & ad quod intueamur legentes Genesin: & nisi hoc modo legatur hysto ria Bibliorum, non erit maior eius vtilitas, quàm si legatur Titus Liuius, aut alius quispiam Ethnicus.

Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram) Hæc non ita accipienda sunt, quasi mors Christi, remissionis peccatorum: resurrectio verò iustificationis, id est, nouitatis vitæ causa sit meritoria. Constat enim Christum resurrectione sua nihil meruisse, vtpote qui tum erat extra statum merendi: sed accipienda sunt, quò ad posteriorem partem, de causa exemplari tantùm, hoc sensu: Qui scilicet Christus traditus est in mortem, partim vt merito passionis suę aboleret delicta nostra, partim vt formam nobis præberet & exemplar moriendi veteri vitæ: & resurrexit, vt resurrectionis suæ exemplo efficeret in nobis iustitiam siue rectitudinem vitæ, id est, vt ex hiberet nobis formam resurgendi iuxta animam ad nouitatem vitæ, quemadmodum ipse iuxta carnem resurrexit ad gloriam vitæ immortalis: Ita ferè interpretes. Verùm ex capite 15. prioris ad Corinthios vbi attribuit Apostolus non modò iustificationem sed etiam remissionem peccatorum ipsi resurrectioni, dum inquit: Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris, simplicior huius loci potest dari intelligentia, vt videlicet abolitio peccati & iustificatio attribuatur morti Christi tanquam causæ sufficienti: vtpote qui tantùm dependit in carne sua, quantum peccatis nostris debebatur. Sed resurrectioni tribuatur consequutio remissionis peccatorum & iustificationis: vtpote per quam ad fidem perducti sumus qua fit virtutis passionis & mortis Christi nobis applicatio. Vt sensus sit: Resurrexit propter iustificationem nostram, id est, vt eius resurrectione adduceremur ad fidem, vel vt per eius resurrectionem fides nostra confirmaretur: & sic iustificaremur

CAPVT

CAPVT V.

IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua, stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per D. N. I. C.) Absoluto eo quod proposuerat, videlicet per fidem esse iustitiam, transit ad bona, quæ consequuntur gratiam iustificationis. Græci codices qui nunc versantur in manibus legũt, habemus, non habeamus: quam lectionem interpretatur Ambrosius. Chrysost. tamen & Theophylactus legunt habeamus, quæ lectio est in nostris exemplaribus latinis. Vtraque bona est. Si legamus, habeamus, sensus est: Ostendi hactenus omnes absque fide Christi sub peccato esse, & ira Dei, rursus ostendi reatum peccati aboleri, iram Dei euitari per fidem: Iustificati ergo, id est, iustitiam fidei consequuti, pacem habeamus, id est, simus tranquillo animo, non timeamus pueriliter aut fœmineo timore damnationem. Chysostomus & Theophylactus aliter interpretantur, hoc modo: Cùm iam semel simus per fidem iustificati, ne amplius peccemus, verùm pacem conseruemus cum Deo, persistentes in iustitia semel accepta. Consulenda sunt alia scripturæ loca: Similis locus est Ioann. 16, Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. Et Actuum. 9. Ecclesiæ per totam Iudæam, &c. pacem habebant, id est, tranquillè viuebant: Hæc magis inuitant ad priorem interpretationem, vt exhortetur ad tranquillitatem spei siue fiduciæ. Secundũ Ambrosium verò qui alteram lectionem exponit: sensus est: Iustificati ex fide habemus Deum placatum nobis, & reconciliatum, quem priùs propter peccata habebamus infensum? Et quia huius pacis auctor est Christus, ideo subdit, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*) vel secundum alteram lectionem, habeamus pacem, id est, tranquillitatẽ animi freti Christo Iesu. Locum hunc valde vrgent Lutherani, contendentes omnino legi debere, habemus, & pacem interpretantur conscientiam prorsus securã. Ex qua interpretatione deinde statuere conantur dogma illud de fide speciali, cuius in principio meminimus. Quibus opponendus est com-

Amb. in cons positione. 1. cap. circa particulam iustus ex fide viuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentarius Ambrosij, qui pacem hoc loco interpretatur, reconciliationem inimicitiæ: quo modo intellecta sententia nihil pro ipsis facit. Præterea ex certitudine diuinarum promissionum simul cum fiducia aút vitæ bene actæ, aut certè contriti iam cordis nascitur in mente pax & tranquillitas, & consolatio vera conscientię, etiamsi dum in hac carne viuitur, non adsit infallibilis certitudo de iustificatione mentis, quam ipsi requirunt. Quare neque de pace, id est, tranquillitate mentis intellecta sententia, pro fide ipsorum speciali facit.

Per quem habemus accessum per fidem in gratiã istam) Variãt hic exẽplaria latina, Quædã enim habent (&) quẽadmodũ & Græca, quę etiã loco habemus, legũt habuimus. Per quẽ & habuimus aditum in gratiam istam scilicet iustificationis, per fidem tanquam per organum siue instrumentum, quo virtus sanguinis effusi, siue mortis Christi ad nos deriuata est. Valde aduertendum est illud (&) quod in nostris exemplaribus ferè non additur: habet enim vim similtudinis & argumenti, quasi dicat: Sicut per Christum consequuti sumus gratiam iustificationis, quod maximum est beneficium: ita per eundem speremus euasuros nos damnationem. Si enim cùm inimici essemus, recõciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius: *In qua stamus*) id est, constanter perseueramus: nec vllis huius vitæ aduersitatibus ab ea dimouemur,

Et gloriamur) id est, propter spem siue de spe, quasi dicat, gloriamur ex hoc, quòd speramus nos tandem consequuturos gloriam Dei: Genitiuum filiorum, non habent Græca, nec meminit in commentarijs suis Chrysost. nec Ambro. nihil tamen officit, imò dilucidiorem reddit sensum. Gloriamur ob spem, id est, ob certam expectationem ipsius gloriæ, quæ est parata & communicabitur filijs Dei.

Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus) Non solùm inquit ob spem immortalitatis nobis promissę gloriamur, quãtumuis multa nobis obueniunt aduersa: verumetiam gloriamur de ipsis, quas sustinemus, afflictionibus, vt quæ non parum conducant ad spem in nobis roborãdam, quod probat deinde per gradationem, quæ Græcis climax dicitur.

Scientes (*inquit*) *quòd tribulatio*) siue afflictio. *Patientiam operetur*) Nõ quòd afflictio causa effectiua sit patientiæ: sed quia occasio est & materia exercendæ patientiæ: *Patientia verò*) quæ est afflictionum voluntaria toleratio, *Probationem*) operatur, id est, reddit eum qui affligitur probatum & exploratũ, & cognitum sibi quanti faciat Deum & cœlestia: *Probatio verò spem*) id est, spei vigorem: sic Chrysosto. alioqui præcedit spes: facit ergo in nobis vigere spem, siue coroborat & confirmat in nobis spem, Quienim iã experientia didicit, quòd ob nulla aduersa dimoueri valeat à studio virtutis, vehementer erigitur in spem vitæ cœlestis. Annotandus est hic locus contra Lutheranos, qui dicũt spẽ siue fiduciã solùm niti diuinis promissionibus. Docet enim apertè locus iste, quòd nitatur etiam testimonio bonæ vitæ, vnde Chrysosto. in hunc locum. Nihil inquit adeo bonorum spem præstat, atque bonam habere conscientiam: *Spes autem non confundit*) spes huiusmodi per afflictiones explorata atque vegetata non confundit, id est, non solet, vel non est nata confundere, vt sit propria passio spei, & talis est locutio, qualis est cum dicimus, leo rugit.

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis) Hìc difficultas est: num charitas Dei sit, qua nos diligimus Deũ, an qua nos diligit Deus. Melanchthon qui causam spei ponit, solam Dei promissionem non opera, non admittit hic alium commentarium quam illum, qui de charitate posteriori modo accepta Paulum interpretatur: Cui opponendus est Augustinus, qui in lib. de spiritu & litera capite 32. sic scribit: Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Sicut dicitur iustitia Dei, qua nos iusti eius munere efficimur. Sensus ergo secundum Augustinum est. Spes non confundit, non afficit pudore non frustratur nos, nec fallit, quia per Spiritum sanctum cõmunicata est nobis charitas, qua diligamus Deum, & nostra erga eum dilectione promereamur, & eum nobis deuinciamus, vt non posit non præstare quod promisit. Pro hac interpretatione facit vox diffusa, vel vt Græci habent, effusa, quæ etiam retinuit impetum Chrysostomi, vt non auderet omnino dilectionẽ Dei accipere, qua ipse nos diligit, quamuis eò esset propensior, vnde vtranque miscet. Photius apud Oecu. in scholijs apertè interpretatur de nostra dilectione: Similiter Origenes in suis commentarijs. Ambrosius verò habet solùm illum alterum sensum, de charitate, qua nos diligit Deus: Sed hic iam remoratur vox diffusa, quam exponit quidam, id est, potenter ostensa, sed non est simplex intelligentia, valde tamen probabilis est illa ex positio propter sequentia. Vt quid enim, &c. Illud enim, seruit huic expositioni, & ad eãdem inuitat quod dicitur: Cõmendat charitatẽ suam Deus, &c. Secundũ hanc, sensus est: Quòd spes nostra non frustretur nos, patet ex charitate Dei erga nos, quàm in hoc palàm ostendit, quòd copiosè per Spiritum sanctum, qui datus est nobis tanquam pignus hæreditatis, effudit in nos dona sua, quibus palam restatus est, se bene velle nobis & præstiturũ nobis quod promisit.

Vide q.d. 2. ad 3.

VT quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secũdum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis, nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Nõ solùm autẽ, hoc sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christũ, per quem nunc reconciliationem accipimus:

VT quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est?) Illud, *Secundum tempus*) referunt quidam ad infirmos, sed omnino probabile est pertinere ad. *Mortuus est*) ad quod refert Hier. in epistola ad Algasiã quæst. 7. Vt sensus sit, illum idoneo tempore, & à Patre præscripto, mortem oppetijsse. Hunc sensum probabilem valde facit, quod aliàs sæpe dicat scriptura, Christum definito tempore mortuum: præterea quòd Græcè sit non κρόνῳ, sed καιρῷ, quę vox significat oportunitatem & articulum temporis. Chrysost. hanc particulam non attingit in commentarijs suis: Theophyl. & Græcanica scholia interpretantur quomodo Hieron. oportuno destinatoque tempore ipsum mortuum. Infirmos vocat per extenuationem, quos mox impios, & paulò pòst peccatores appellat, & inimicos. Sẽsus est: vt quid, vel ad quid Christus, quum adhuc peccatorum & scelerum languoribus premeremur, pro nobis impijs tempore statuto mori voluit? subaudiendũ est: nisi vt declararet & testificatissimũ redderet suum erga nos amorem singularem. Vel hoc modo intelligendum est: Ad quid Christus pro nobis impijs voluisset mortem oppetere, & per mortẽ suam nos iustificare, nisi voluisset certã & infallibilem esse spem nostram, quantum ad Deum pertinet? Sic Erasmus in annotationibus, qui hic subaudit, ne confundar spes.

Vix enim pro iusto quis moritur: Nam pro bono forsitan quis audeat mori) Hiero. in epistola ad Algasiam quæst. 7. iustum accipit abstractiuè pro iustitia. Chrysost. verò pro homine iusto. Vix quemquam reperias, qui pro iusto homine liberando, mortem oppetere audeat. Dixi autem vix, quia forsitan possit aliquis reperiri, qui pro bono, id est, homine viutute prædito, sustineat mori. Inter iustum & bonũ hoc loco nihil est discriminis.

Commendat autem charitatem suam Deus in nobis) id est, declarat Deus insignem fuisse vim amoris sui erga nos: *Quoniam cùm adhuc, &c.*) Variant hic latina exemplaria: quædam enim habent (quoniam si) alia verò non habent (si) quemadmodum nec Græca, & verisimile est redundare, & legendum, quoniã, vel quòd cùm adhuc peccatores essemus &c. vt hæc particula pendeat à superioribus, hoc modo: Fortasis erit qui pro bono sustineat mori, quòd vtique magni amoris esset indicium: attamen Dei erga nos charitas in hoc insignis est, & humanam vincit quantumuis magnam, quòd pro impijs & indignis, filiũ suum vnicum mori voluit: deinde periodi nota interiecta sequitur: Multò magis ergo nunc. Hæc distinctio est in nostro exemplari impresso per Simonem Colinæum. *Ira*) huius loci est illa, de qua in. 2. cap. sermo fuit: Sẽsus est: salui erimus in extremo iudicio à vindicta diuina, quæ tum semel effundetur in peccatores.

Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo) Argumentatur à minore ad maius. Verba aperta sunt nec expositione egent: *In vita ipsius*) id est, per vitam ipsius Christi. Hæc omnia adducit Apostolus, vt declaret spem non confundere, quantum est ex parte Dei. Locum hunc tractat Augustinus libro de ti. 13. cap. 10. vbi est valde insignis. Docet enim ibi, alio quidem modo Deum potuisse liberare genus humanum, sed miseriæ nostræ sanandæ conuenientiorem alium non fuisse, nec esse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit (inquit) ad erigendam spem nostram, &c. Vide illum locum.

Non solùm autem) scilicet salui erimus ab ira, atque ob id gloriamur, sed & gloriamur in Deo, vt in Patre, qui nos tam eximiè amat, quasi dicat: non solùm habebimus illo tempore Deum non iratum iudicem, sed amantem Patrem.

PRopterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, et per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri: Sed non sicut delictum: ita & donum. Si enim vnius delicto, multi mortui sunt, multò magis gratia Dei et donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iustificationem.

Propterea

Universidad de Deusto
Biblioteca

Au.lib 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 9. Similis locus est epist. 89. quæstio. 3.

Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c.) Est hic noua periodus, & velut nouum caput. Sensus est: quia diximus de sanatione tabis per Christum, veniemus ad primordia huius mali, vt beneficium Christi illustrius fiat. Istud significat vox (propterea) Est autem sermo inabsolutus: pars quæ supprimitur hoc modo reddenda est. Sicut per vnum hominem venit iustitia in mundũ, & per iustitiam vita, & ita in ões homines vita pertrãsiuit: intellige quatenus in ipso renati sunt. Quæstio hic magna est, quod peccatum accipiendũ sit in verbis Pauli, cùm dicit: Sicut per vnum hominem peccatum, &c. Erasmus in annotationibus suis putat sermonis proprietatẽ & seriem, tenoremque disputationis Paulinæ molliùs quadrare, si de peccato per imitationem accipiatur. In contraria sententia est Augustinus, qui solidissimis rationibus penè euincit, locum hunc non posse intelligi, nisi de peccato originis. Si inquit de peccato per imitationẽ, loqueretur Apostolus, non per hominem, sed per diabolum diceret, peccatum intrasse mundum, Præterea in comparatione quam hoc loco facit Apostolus, opponit Adam & Christum inter se tanquam diuersarum ac contrarium rerum fontes ac principia: Adam quidem peccati & mortis, Christum verò iustitiæ & vitæ, Sed certum est iustitiam & vitam per Christum introisse, non solùm vt iustitiæ exemplar: igitur & peccatum per Adam, non solùm vt typum, formam, & exemplar introisse intelligendum est: sed per ipsum vt principium, per quod transfusum est in posteros & propagatum peccatum. Adhæc si imitationem intellexisset Apost. & non propagationem, in consequentibus haud dixisset: iudicium ex vno in condemnationem sed iudicium ex multis in condemnationem, sicut dixit: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem: Quam rationem prolixiùs Augustinus prosequitur in Epistola ad Hylarium, quæ est numero. 89. In libro verò. 4. contra duas epistolas Pelag. capite 4. explicat, vnde descenderit Apostolus ad hanc disputationem de peccato originis. Docet enim ibi exordium huius disputatiõis sumptum ab eo loco. Si enim cum inimici essemus, &c. quod ibi dixerat, reconciliatos nos Deo per Christum: hic aggreditur explicare per comparationem, in qua ad radicem & fontem negotium deducit. Rationes autem Augustini, tanti fecit consilium Mileuitanum, vt definiret non aliter intelligendum quod habet Apostolus (Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum) quàm de ingressu peccati per propagationem. Porrò quodnam sit istud peccatum quod per propagationem ingressum, omne genus humanum peruasit, explicatur in. 2. sententiarum. Quã *Lib. 2. sententiarum dist. 30.* tùm ad præsentem locum attinet, satis est annotasse, non esse ipsius Adę inobedientiam, sed illam veluti causam esse huius, quod erudite explicauit Augustinus lib. 2. ad valerium de nupt. & concup. cap. 28. Dicit ergo Apostolus: *Sicut per vnum hominem*) id est, per inobedientiam vnius hominis Adæ videlicet. *Peccatum*) quod originale dicitur, *Intrauit in mundum*) id est, transfusum est in humanum genus, *Et per peccatum mors*) id est, mortalitas siue moriendi necessitas iuxta corpus, nec illa solùm, sed & mors quæ est damnatio æterna: *Et ita*) id est, cùm mors tanquam effectus peccati introierit in mundum, in vniuersum genus humanum transisse intelligẽda est quemadmodum & peccatum, vniuersum genus humanum peruasit, *In quo*) non quidem peccato (Nam apud Græcos ἀμαρτία nomen fœminini generis est) sed in quo scilicet vno homine, omnes peccauerunt tanquam in fonte siue principio totius generis humani, quia in lumbis erant, quando peccando naturam vitiauit: Sic Augustinus. Posteros ergo Adæ peccasse in Adam, non est aliud, quàm eos natos ex Adam accipere naturam vitiatam, & prima illa iustitia destitutam, in qua iustitia fuit cõdita. Intelligere autem oportet quod dicitur: *In quo omnes peccauerunt*) sub hac aut simili additionis formula, id est, quantum est ex ratione propagationis propter diuam Virginem, quam piè credimus non incurrisse hoc peccatum: de Christo verò non est quæstio, quia licet fuerit in lumbis Adæ secundum corpulentam substantiam, non tamen ibi fuit secundum rationem seminalẽ, quod quid sit, explicat Turnout lib. 1. de gratia & libero arbitrio, pagina, 189. Erasmus hic annotat Græcè haberi non ἐφῳ, id est, in quo, sed ἐφ᾽ ᾧ, id est, eo quòd omnes peccauerunt, vel in quantum, vel quatenus omnes peccauerunt, Sic ipse. Verùm licet particula hæc ἐφ᾽ ᾧ interdum sit causalis nulli tamen Græci hoc loco eam sic accipiunt. Oec. in scholiis apertè exponit ἐφ᾽ ᾧ, id est, in quo. s. Adam. Sed & accepta vt sit causalis, optimè consistit cum interpretatione Augustini, qui exponit hunc locum de ingressu peccati per propagationem. Nã sensus erit: Mors in omnes transijt in quantum vel eò quòd omnes peccauerunt in vno illo homine peccante, id est, eò quòd ex ipso omnes traxerunt naturam vitiatam & spoliatam rectitudine in qua condita erat.

Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset) Vsque ad legem, id est, & legem quidem lata: vt (vsque) summatur inclusiuè, id est, ne

est, ne lex quidem efficere potuit potuit abolitionem peccati huius. Sic (Augustinus, secundum quem apostolus totum legis tempus annumerat vsque ad finem legis, scilicet Christum: Secundum hunc, ibi: (peccatum autem, &c.) est noua periodus: alij accipiunt vt sit incisum tantùm, & exponunt hoc modo: Erat quidem ante legem latam peccatũ istud in mundo, verùm non imputabatur, non habebatur siue non æstimabatur peccatum, nec imputabatur ad pœnam, cùm lex non esset: sed tum demum cœpit agnosci, & haberi peccatum, & imputari vbi legis doctrina tradita est. Lex pro lege Moysi accipitur: Peccatum intelligitur originale, de quo in præcedentibus sermo fuit: & licet ante legem non latuerit Noë, Abraham, & similes: licetque id indè ab initio semper à Deo fuerit imputatum, nihil tamen hoc vel illud aduersatur huic loco: Nam tantùm hîc negat Apostolus peccatum hoc non fuisse cognitum mundo, id est, hominibus secundum naturæ rationem tantùm viuentibus, à quibus sicut non reputabatur peccatum, ita nec ad pœnam imputabatur.

Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen) (Sensus est: Quanquam agnitum vulgò non fuerit peacatum istud ante latam legem Moysi, iam indè tamen ab initio mox à lapsu Adæ regnauit mors, id est, (secũdum Augustinũ in Epistola Hyl. (imperium & dominium obtinuit in mundo, trahens homines ad condemnationem, quæ vtique non regnasset, si nõ fuisset in mundo peccatum. Quòd hîc, vsque ad Moysen, antè dixit, vsque ad legem, est metonymia, regnauit (inquam) etiam in eos:

Qui non peccauerunt) Augustinus de peccatorum meritis & remissione lib. 1. capite. 11. rursus epistola 89. inducit duplicem fuisse huius loci lectionem, vnam: Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui peccauerunt, &c. sine negatione: Et hanc lectionem interpretatur Orig. & Ambrosius, & bonas annotationes in hunc locum habet D. Turnout lib. 1. de gratia & libero arb. Alteram quæ est in nostris codicibus additam negatione, quam & habebant exemplaria tempore Augustini, quam & Theoph. Oecum. & Chrysost. habent & interpretantur, ne quis suspicetur mendum esse: Regnauit ergo mors etiam in eos qui non peccauerunt propria voluntate, hoc est quod dicit: *In similitudinem præuaricationis Adæ*) Periphrasis est infantium.

Qui) scilicet Adam *Est forma futuri*) id est, figura seu typus CHRISTI venturi.

Primò hîc aduertere oportere participium futuri non referri ad tempus quo hæc scribebat Paulus, sed ad Adam qui præcesserit Christum, cuius typum gerebat. Tale est & illud in Epistola ad Colosse. Quæ sunt vmbra futurorum, Secundò aduertendum (quẽ admodum annotat Origenes & hunc secutus Ambrosius) iuxta genus constare similitudinem. Vt enim ab Adam quiddam dimanauit in omnes, ita & à Christo, non autem iuxta speciem, quia ab illo mors & peccatum: ab hoc vita & iustitia. Vnde Augustinus dicit Adam typum Christi fuisse à contrario, & ea ratione est disimilitudo maxima, quanta est inter vitam & mortem. *Ad Colos. 2.*

Sed non sicut delictum, ita & donum) Ne quod dixerat Adam typum gessisse Christi, sic acciperetur, quasi per omnia Adam similis fuisset Christo, continuò subiecit disimilitudinem opponens peccatum Adæ gratiæ Christi: & demonstrans hanc illius delicto multò potentiorem esse, & efficaciorem. Non sicut delictum inquit, id est, non sicut Adę inobedientia scilicet deriuauit in genus humanum effectum suum: ita & donum scilicet à Christo vel per gratiam in homines deriuatum est.

Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.

Si enim vnius delicto multo mortui sunt) Si enim vnius delicto, id est, per vnius Adæ inobedientiam, multi, id est, omnes ab eo propagati, reatum mortis incurrerunt: *Multò magis gratia Dei*) id est, gratuita remissio peccati, siue gratuita reconciliatio cum Deo.

Et donum) id est, diuinæ Spiritus sancti dotes per gratiam vnius hominis Iesu Christi tanquam causam, copiosè dimanarunt in omnes ex ipso renatos. Disimilitudo ergo quam ponit Apostolus inter Adam & Christum, siue inter Adæ delictum & gratiam Christi hæc est: Quòd delectum Adę inuexerit reatum vnius mali & supplicij nempe mortis: gratia verò Christi conciliauit genere humano copiosam & exuberantem gratiã apud Deum, & effecerit in hominibus exuberantia Dei dona. Potest etiam delictum accipi, non actuale Adæ peccatum: sed originale, quod nobis inhæret, vt opponatur dono, quod Græcè est χάρισμα, hoc sensu: Non sicut delictũ quod ab Adã in nos transfusum

est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,ita donum se habet, quod per Christum siue per gratiam Christi in nos deriuatum est:Si enim vnius delicto, id est, peccato quod ab vno sumpsit origenē,& aliud & aliud numero in diuersis est, multi mortui sunt,&c.Annotat Augustinus phrasin scripturæ non permittere,vt dicamus Adam esse mortuum delicto diaboli, quod tamen imitatus est,vnde concludit non esse sermonem hic de imitatione.*In plures*) dixit Apostolus pro eo,quòd est in multos,&(in multos)accipiendum est,vt hoc sit,quod in omnes,quemadmodum ex hoc ipso textu conuincitur,cùm postea dicitur:Sicut per vnius delictum in omnes homines.

Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum.)Est hic duplex lectio,quędam enim exemplaria Latina habent peccatum: Alia verò habent peccantem, sed parum refert vtrū hoc aut illo modo legamus.Sensus est: Non sicut vnum Adæ peccatum,vel non sicut per vnum qui peccauit scilicet ingressa est mors: ita & donum,id est,non eodem modo venit donum,quod deinde declarat: *Nam iudiciū mortis ex vno*) scilicet peccato (quemadmodum id rectè colligit Augustinus ex membro oppositio) progressum est; *In condemnationem*)donum verò (nam eadem vox est apud Paulū quę suprà)non ex vno , sed multis delictis in iustificationē progressum est, hoc est,deriuatum est donum Christi ad expiandum non vnum illud Adæ delictum: sed multa illi vniab Adæ posteris addita. Vrget Augustinus hunc locum,vt suprà annotatum est,contra interpretationem de imitatione peccati.

Si enim vnius delicto) id est, propter vnius Adæ inobedientiam, *Mors regnauit per vnū*) Significat enim delictū Adæ,sic esse causam mortis,vt etiam mors per ipsum Adam in posteros deriuata siue propagata sit ratiōe peccati ab ipso tranfusi. *Multò magis abundantiā gratiæ,*) id est,remissionis tam peccati,quod in ipsis pinxit Adam, quàm aliorum peccatorum quæ ipsi addiderunt:nec solùm exuberantiam gratiæ, sed & diuinorum donorum ac iustitiæ accipientes,nimirum: *Credētes regnabunt in vita per vnum Iesum Christū.*) Orationis contextus requirebat,vt diceret: multò magis vnius Christi gratia,vita regnauit per vnū, sed nunc pro gratia Christi,quæ opponitur delicto Adæ,posuit gratiæ Christi effectus:& pro regno vitæ,regnum hominum in vita,vnde ratiocinatio hæc in specie perturbatior est.

Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines,&c.)Quemadmodū inquit per inobedientiā Adę in omnes homines ab ipso per rationē seminalem ducentes originem scilicet peccatum tranfusum est,quod quidem peccato damnationis rei effecti sunt: sic & per vnius videlicet Christi iustitiam, in omnes homines ex ipso per fidem, vel fidei Sacramentū, quod est Baptismus, renatos scilicet donum deriuatum est siue transfusum, ad efficiendam in eis iustificationem vitæ. Augustinus alibi negatiuè interpretatur, hoc sensu:In neminem peruenit iustitia vitę, nisi ex vnius Christi iustitia.Similis est ille locus apud Ioannem: Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Sicut enim per inobedientiam,&c.)Idem Apostolus inculcat alijs,imò fere eisdem verbis:*Sicut per inobedientiam vnius hominis*) nimirum Adæ,*Peccatores*) id est, peccato obnoxij,*Constituti sunt multi*)id est,omnes omnino, qui carnalem ab ipso ducunt originē per rationem seminalem.*Ita & per vnius obedientiam*)nimirum Christi:iusti constituentur multi,id est,omnes omnino, qui per fidem vel fidei Sacramentū ex ipso iuxta spiritum renascētur. Diligenter notādum,quod dicit per vnius inobedientiam constitutos esse multos peccatores, propter eos qui dicunt in paruulis non esse aliquid,quod verè sit peccatum, sed ipsos nasci obnoxios tantùm pœnæ peccati. Notandus etiam locus hic contra illos, qui negant infantes baptizandos,propterea quòd fidem non habeāt, vel quòd vsu rationis non vtantur, vt consentire queant. Docet enim apertè hic Apostolus, quòd sicut per Adæ inobedientiam citra omnem mentis ac voluntatis actionem seu motū,ratiōe solius generationis, quam ducunt ex Adam,peccatores constituuntur paruuli: ita per Christi obedientiam iustos ipsos effici citra omnē mentis assensum, vel voluntatis consensum, ratione solius regenerationis qua ex ipso renascuntur.

Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia: vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.

Lex autem subintrauit vt abundaret delictum.)In hoc capite diligenter aduertere oportet hæc tria videlicet:peccatum & mortem eius sociam, gratiam,& legem, quæ per prosopopœiam inducit Apostolus tanquā personas, & quia præcipuæ partes sunt gratiæ & peccati,legis verò minùs præcipuæ & quasi secundariæ:ideo ipsam dicit non intrasse, sed subintrasse, quemadmodum in comœdijs id videmus, vbi personæ quædā obiter tantùm introducuntur.Regnum autem peccati longum valde fuit, nempe ab Adam vsque ad Christum:à Christo verò,id est, eiusdem aduentu in carnem, vsque in

perpetuum regnum gratiæ protenditur. Porro lex regnauit à Moyse vsque ad Christum tantùm,neque id vt persona primas agens. Fictionem istam siue prosopopœiam, & regna hæc, peccati videlicet, gratiæ & legis in Paulo aduertere facit,vt viuaciter intelligamus caput istud. Lex ergo subintrauit,id est,obiter ingressa est,qua ingressa vires cepit concupiscentia, hoc est, quod dicit:*Vt abundaret delictum.*) Nam(vt) euentū signat non causam,id est,ostendit quid data lege euenerit,non quid lex effecerit.Lege ingressa hoc euenit,vt delictum illud quod per Adæ inobediētiā ingressum erat in mūdum, copiosiùs fructificaret, non quidem imperio legis, sed vitio hominis. Ita enim sunt ferè ingenia mortalium, vt prohibitio inflammet libidinem peccandi, secundum illud Poetæ: Nitimur inuetitum semper cupimusque negata,donec desiderium illiciti operis vincat dilectio iustitiæ per spiritum gratiæ in mente effectum.

Vbi autem abundauit delictum superabundauit & gratia &c.) Sensus est,vbi occasione legis ad summmum malorum ventum est, postquam inundauerunt delicta in mundo, inundauit & gratia, vehementer & supermodum exuberauit misericordia & benignitas Dei: vt sicut regnauit peccatum in mundo pertrahens homines, non ad mortem tantùm corporalem,verumetiam æternam:ita gratia & misericordia Dei per iustitiam, quam effecit in mēte hominis, regnet in vitam æternam per Iesum Christum tanquam mediatorem, qui sanguine & morte sua eam gratiam conciliauit hominibus apud Deum.

CAPVT VI.

Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abūdet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? an ignoratis fratres quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu,in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cū illo per baptismum in mortem,vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris:ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Quid ergo dicemus? manebimus in peccato, &c.) Est occupatio: dixerat in præcedentis capitis fine:vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Non intelligentes dicere poterant,peccemus ergo,& peccata adijciamus peccatis,vt exuberet in nobis gratia: Hanc impietatis insaniam excludit Apostolus hoc sexto capite dicens : Quid ergo dicemus? absit. Peccatum hoc loco fomes est. Manere in peccato, est manere sub dominatu somitis, obedire seu obtēperare eius desiderijs : vtitur Paulus verbo (absit) quoties absurditatem significare vult.

Qui enim mortui sumus peccato) Sensus est, qui desijmus esse in regno peccati, & ei semel renunciauimus, quomodo adhuc eius suggestioni obtēperabimus? hoc est, quod dicit *Viuemus in illo*) Aliter accipitur mori vel mortuum esse peccato ad Ephe. 2. Cùm essemus mortui peccatis, id est, per peccata seu propter peccata conuiuificauit. &c. vbi ablatiui casus (peccatis) : hic verò datiui casus.

An ignoratis fratres quicunque baptizati sumus in Christo) id est, baptismo efficaci per Christum. Non enim sentit de formula Baptismi. Græci legunt in Christū Iesum, id est, qui sic sumus baptizati, vt in Christū simus coaptati, & insiti in corpus eius mysticum *In morte*) vel vt Græci legunt, in mortem, id est, in assimilationem siue cōfigurationem mortis ipsius,*Baptizati sumus*) quæ quidem assimilatio in hoc sita est, quòd dum baptizamur, morimur vitæ peccati, sicut Christus mortuus est vitæ mortali.

Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum) id est, per baptismi cęremoniam. Ipsa siquidem inuersio sub aqua quæ fit in baptismo, exprimit sepulturam Christi: Addit (in mortem) vt discrimen ponat inter Christi sepulturam, & illam qua nos sepelimr mystice in baptismo, quia hæc non præsupponit nec prærequirit mortem, sed ipsam effi cit.

Vt quomodo Christus surrexit) Sensus est: Ideo per baptismum semel sumus mortui peccato, vt Christo commortui, atque vna consepulti cum illo, vt quomodo ipse resurrexit ad vitam immortalem per gloriam, id est, diuinam virtutem Patris, quæ in hoc illustris facta est, quod mortuum ipsum vitæ restituit.

Ita & nos in vitæ nouitate ambulemus) id est, postquam semel mortui sumus veteri vitæ, non relabamur ad eam, sed pergamus in noua vita, quam adepti sumus in Baptismo, hoc est, faciamus opera illi vitæ consentanea Theo.particulam illam (per gloriam Patris) interpretatur vt hoc sit, quod per diuinam virtutē suam siue per ipsum, quia Christus, ait, gloria Patris est. Ad eundem modū exponit Theodoretus in scholijs apud Oecumenium.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati vt vl- Heb.12.a 1.Pet.2.a Ephe.4.a Gall.3.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

trà nõ seruiamus peccato. *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo, scientes, quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autẽ viuit, viuit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidẽ esse peccato, viuẽtes autem Deo in Christo Iesu.*

Si enim complantati facti sumus &c.) Alludit ad insitionem seu incorporationem plantæ. Sensus est: Si tanquam surculi quidam insiti sumus Christo per baptismum, sic vt similitudinem mortis eius in nobis habeam*: erimus & cõplantati siue insiti, vel ingenerati, *Similitudini resurrectionis eius*) quæ similitudo resurrectionis posita est in nouitate vitæ. Diligenter obseruandæ sunt hæ Pauli sententiæ: Baptizari nos in mortẽ Christi, quod secundum Augustinum & Ambrosium nihil aliud est: quàm baptismo nostro nos repræsentare mortem Christi, in quantum in eo morimur iuxta peccati rationem, sicut ipse iuxta rationem corporis mortuus est. Rursus: Per baptismum nos cõsepeliri Christo in mortem, quod nihil aliud est, quam aquæ nos immergi in eum finem: vt efficiatur in nobis mors peccati. Rursum per Baptismum nos complantari similitudini mortis Christi, quod nihil aliud est, quã per baptismũ nos incorporari Christo, sic ut ex morte illius tanquam è radice similem quãdam mortem hauriamus. Ex quibus perspicuum efficitur. Sacramentum baptismi non esse signum tantùm iustificationis, quæ vel per fidem præcedentem sit facta, vel per fidei motum in baptismo excitatum impetretur, quemadmodum volunt Lutherani: sed esse tanquam organum quoddam diuinitus institutum, per quod vel ad quod adhibitum Deus operetur remissionem peccati, quam neque fidei neq; pœnitentiæ motus vt plurimùm efficere potuisset. Dicimus vt plurimùm, quia est si des quædam tam vehemens & ardens: vt ante sacramentum adhibitum, remissionem efficiat peccatorum, vt eruditissimè docet Augustinus. Verùm hæc in paucis admodũ inuenitur. Quod autem obijciunt ex Tertulliano de Pœnitentia: neminem debere baptizari, nisi qui antè fuerit corde lotus, nihil officit huic doctrinæ, imò magis eam stabilit. Nam lotionem intelligit non eam quæ corpus mundat à peccatis, sed pœnitentiam ex fide ortam, quæ hactenus lauat mentem & purgat, quod ipsi vitia & sordes peccatorum displiceant: non autẽ quòd sordes auferat: nam hoc aperte dicit, esse munus sacri baptizmatis. Ad eundum modum intelligendum est, quod eodem libro docit, mortem peccatorum debere præcedere baptismum. Siquidem per mortem intelligit renunciationem peccatorum siue pœnitentiam.

Aug. in Enchir. cap. 51. Ambrosius in hunc locum.

Aug. de bapt. cõtra Donat. l. 4 cap 22. & sequentibus Tertul in lib. de Pœnitentia, circa medium libri.

Hoc scientes quòd vetus homo &c.) Multa ait Ambrosius innectit & iterat: vt baptizatos doceat deinceps non debere peccare. Hoc scientes quod vetus homo noster) id est, vetus illa vita, qua secundum peccati desideria viximus, & vetustas omnis per peccatum Adæ inducta, cruci affixa est simul cũ Christo in baptismo, id est, morificata est, idque in eum finem: vt abolito corpore peccati, deinceps non seruiamus peccato. Totam peccatorum massam, congeriem & vniuersitatem, corp° peccati appellat, vel ipsum certè corpus peccatis obnoxium & ad peccata inuitans, vt sit phrasis Hebræa. Quod corpus aboletur, non quidem vt prorsus non sit: sed vt non vigeat, id est, vt non valeat exerere vires suas, vnde adiecit Apostolus (vt vltra non seruiamus peccato) quod prioris expletiuum est. Seruire peccato est, ei consensum præbere, vel accommodare membra ad exequendum id, ad quod inuitat cõcupiscentia siue peccatum.

Qui enim mortuus est) scilicet peccato siue vitæ peccati iustificatus est, id est, absolutus prorsus est ab ipsius vitæ officijs, abactionibus vniuersis, quas peccatum durante sua vita exercebat. (Si autem mortui sumus cum Christo) si quo modo Christus iuxta corpus: ita nos iuxta peccati rationem mortui sumus, confidimus, quòd etiam instar ipsius viuemus, scilicet vitam ab omni peccato purã, hoc est, quòd in nouitate vitæ quã semel adepti sumus in baptismo, perseuerabimus.

Scientes quòd Christus resurgens à mortuis deinde non moritur, mors illi vltrà non dominabitur) vel vt Græci legunt, dominatur. Geminatione ista Apostolus exprimere voluit quàm nihil amplius possit mors in Christũ. Nam quòd mortuus est Christus, mortuus est peccato, id est, ad peccatum humani generis expiandum, ad quod cùm vnica mors ipsius sufficientissima fuit, semel duntaxat mortuus est, (quod autem viuit) iam à morte excitatus (viuit Deo) id est, conformiter Deo, id est, vitam viuit immortalem.

Ita & vos existimate) Græcis est verbum cogitantis, & res à cogitatione potissimùm pendet. Sensus est: Ita & vos reputate, id est, considerate & præ oculis habete, vos ipsos mortuos semel esse peccato in baptismo, & nouam ibi vitam vos adeptos: qua viuitis Deo, id est, ad similitudinem Dei, vel secundum Deum in Christo Iesu, id est, per Christum Iesum, eius meritis hoc acceptum ferre debetis.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Sed neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra, arma iustitiæ Deo: peccatum enim vobis nõ dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.

Non ergo regnet peccatum,) id est, fomes, qui peccatum hîc dicitur per Methonymiam, quia peccati effectus est, & ad peccatũ sollicitat. *In vestro mortali corpore*) quod per peccatum moriendi necessitati addictũ est, *Vt obediatis*) præbendo consensum concupiscentijs eius. Explicat quid sit regnare fomitem, non solùm non regnet per consensum in vobis. *Sed neque exhibeatis*). i. accommodetis *Membra*) corporis vestri *Peccato*) .i. fomiti huic *Arma*). i. instrumenta, quibus armetur ad operandum iniquitatem.

Sed exhibete vos Deo) .i. consecrate mentẽ vestram Deo, sicut & dignũ est. quia ex mortepeccati ad vitam gratiæ ipse vos suscitauit, hoc est quod dicit, *Tanquam ex mortuis viuẽtes*) Nõ solùm mentẽ vestrã consecrate Deo, sed & prębete illi membra vestra arma, quibus pugnetis aduersus spirtuales hostes, ad exercendam iustitiam. Membra nostra arma vocat, quia his vel iustitiæ vel peccato militamus. Et facile præstare potestis ea ad quæ vos adhortor, (*quia nõ estis sub lege*) id est, sub statu & conditione legis: Status legis erat iubere tantùm, & nihil præbere auxilij, quo hoc quod iubebatur præstari posset, sed estis sub gratia. i. sub statu & conditione gratiæ, quæ non tantùm iubet quid fieri oporteat, verũ etiam vires addit, quibus id quod iubetur præstari possit, nec id solùm, sed & perpetrata à nobis ante peccata delet, & vires fomitis frangit, atque debilitat.

Quid ergo? peccabimus quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratias autẽ Deo, quòd fuisti serui peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, serui facti estis iustitiæ.

Quid ergo? est occupatio. Quia dixim° Baptizatos non esse sub lege, num putabimus id circo ipsos quasi non obnoxios legi seruandæ licenter peccare posse? & impunæ ad veterem vitam relabi? (Absit) hoc inquit absurdum est. *An nescitis quod cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? siue peccati quod ducit ad mortẽ siue obedientiæ erga Deum, quæ ducit ad iustitiam? Gratias autem ago Deo*) quòd cùm fueris olim serui peccati, iam tota animi propẽsione addixeritis vos in eã formam doctrinæ, quam præscribit Euangelium. Addit (in quam traditi estis) vt significet nõ sine diuina virtute id effectum esse. Traditos autem vos esse in formam doctrinæ Euangelicæ, & illi ex animo obedisse, non aliud est, quàm liberatos siue manumissos a peccato, in seruitutem iustitiæ vos esse translatos. Quare absurdum fuerit non persistere vos in hac seruitute, sed ad priorem, quæ seruitus peccati est, vos relabi.

Rom. 6 a fin. ad

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.

Humanum dico propter infirmitatem, &c.) Exhortatio est ad studium virtutis, cui præfationem præmittit, qua extenuat id quod postulat. Sensus est: Agnoscens infirmitatem carnis vestræ, humaniter vobis loquor, minùs exigo quàm postulat dignitas & causa rei, cùm dicere possem quod scriptum est Baruth. 4. Reg. Sicut fuit sensus vester vt erraretis a Deo, decies tantùm iterum conuertentes requirite eum, humaniorem instituo exhortationem. *Sicut exhibuistis*). i. quanto studio exhibuistis membra vestra ad seruiendum immunditię, & omni generi vitiorum, hoc est, quod dicit *Et iniquitati ad iniquitatem*) Ita nunc .i. tanto saltem studio exhibete nunc membra vestra ad seruiendum iustitiæ. Generale nomen est hoc loco iustitiæ complectens omnem virtutem vt studio virtutum dediti, magis ac magis indies proficiatis in sanctitate & puritate vitæ, hoc est quod dicit *In sanctificationem*) Et certè si cum animis vestris cogitetis, quã iniqua sit collatio status peccati cum statu iustitiæ, quæ illius turpitudo, & huius dignitas, quam pernitiem adferat peccatum: rursus quam vtilitatem pariat iustitia, cùm in præsenti, tum in futuro, haud pigebit tãtùm studij insumere in obsequium iustitię, quantùm peccato olim impendistis.

Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ) Datiui casus est iustitiæ, vt patet ex Græco. Sensus est: Exempti fuistis a pulcherrimo statu iustitiæ.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructũ vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors: gratia autẽ Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVem ergo fructum habuistis tunc) hoc est cùm essetis dediti vitijs? Cœpistis aliquem syncerum ac solidum fructum ex illis. Certè nunc non aliũ fructũ capitis ex illis, quam erubescentiam. Erubescentia fructus est quem parit peccatum: vnde illud Demosthenis: Non emo tanti pœnitere. De quo dicto vide Aulum Gellium noctium atticarum lib. 1: cap. 8.

Nam finis illorum mors est) finis ad quem tandem adducit seruitus peccati, mors gehennæ est. *Nunc vero libtrati*) id est manumissi à peccato, seruiautem facti iustitiæ qua qua seruitur Deo, habetis fructum vestrum sanctitatem, & puritatem vitæ, finem verò vitam æternam. Est pulcherrima antithesis status iustitiæ & status peccati, quæ mirè facit ad ingenerandum animis nostris amorem iustitiæ & odium peccati. Huic similis est illa sententia apud Græcos iactata, quam refert Aulus Gellius, cap. 1. lib. 15. noctium Atticarum, quam & in hunc modum latinè reddit. Si per laborem honesti quippiam egeris, labor abit, honestum manet: Si per voluptatem turpe feceris quippiam, quod suaue est abit, quod turpe est manet.

Stipendia enim peccati mors.) Quod merces laboranti, hoc militanti stipendium est. Sensus est: Id quod rependit Deus his qui militauerunt peccato, est mors Gehennæ. *Gratia autem Dei*) id est, gratuitum donum Dei, est vita æterna. De hac sententia doctissimè disserit Augustinus in Epistola ad Sixtum præsbyterum, quæ numero est. 105. Item in l. de gratia & lib. arbit. à cap. 6. vsq; ad cap. 11 Gratis inquit datur vita æterna, non quia ex meritis non datur, sed quia gratis data est gratia bona vitæ, cui datur. Sicut ergo dixerat Apostolus (*Stipendia peccati mors,*) sic dicere poterat stipendia iustitiæ, vita æterna, & hoc consequentia requirebat. Sed vt indicaret fontem bonæ vitæ, & vnde proficiscantur operum merita, quibus tanquam debita merces redditur vita æterna, dixit (*Gratia Dei vita æterna.*

CAPVT VII.

AN ignoratis fratres (scientibus enim legem, loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

AD explodendum eorum errorem qui asserebant Christianis licere quicquid liberet duo, in 6. cap. proposuit argumenta: Alterum, Christiani sunt mortui peccato, eique semel vale dixerunt, ergo non est ijs ad peccatum redeundum. Alterum erat: Christiani ex professo semel se addixerunt iustitiæ: ergo licentia hæc peccandi ab ijs quàm longissimè abesse debet. In hoc 7. cap. redit ad prius argumentum, fusè explicans, Christianos mortuos esse peccato & legi. Nam hæc duo coniuncta sunt, quia peccatum alumnus est legis. Dicit ergo.

An ignoratis fratres, &c.) Si nondum intelligitis Christianos non debere peccare, ostendam id per rem vobis notissimam. Ignorare prorsus non potestis fratres (*nam scientibus legem loquor.*) Appellat eos fratres defertque eis scientiam legis. Vtroque benevolos reddit, vt veritati quam docebat æquiores essent. Quod dicit (*scientibus legem loquor*) de lege naturæ, & ciuilibus legibus, non de lege Moysi intelligendum vt quidã putant, moti hac ratione, quòd magna pars in Ecclesia Romana gentiles essent. Sed omnino verisimile est, Apostolum de lege Moysi loqui. Quare ad scrupulum aliorum respondendum, quòd tunc in Ecclesia Romana plurimi fuerint Iudæi, quemadmodum testantur acta Apostolorum, atq; ideò legis doctrinam haud latère potuisse ipsos etiam Gentiles, qui Romæ erant credentes: cùm enim haberent libros legis, vtiq; eos legebant. Quod dicit eos minime ignorare, istud est (*legem in homine dominari quanto tempore viuit*) suppositum verbi (*viuit*) quidam faciunt legem, alij hominem. Et sunt coniecturæ valde probabiles pro hac sententia. Nam Apostolus in sequentibus semper ad hominis personam refert verbum (*viuit*) nunquam ad legem. Præterea ostendens baptizatos liberos esse à legis dominatione, pro ratione adfert ipsos esse mortuos. Posteriorem hanc sententiã amplectitur. Aug. lib. 83. quæst. 66. priorem Origenes. Quæ adeò placuit Erasmo vt etiã in versione sua eam expresserit. Sensus est: Lex ius habet in hominem, ac potestatem, & auctoritatem exercet, quo ad viuit homo, non post mortem.

Nam quæ sub viro est mulier, &c.) Ex vnica lege probat, quod in genere de lege dixerat. *Quæ sub viro est mulier*) id est, mulier maritata, mulier obnoxia viro, id est, quæ coniunx est, et sub potestate viri, Græcè est ὑπανδρος vnica dictio, quasi dicas subiugalis (*viuente viro alligata est legi*) s. maritali. Amb. legit in ablatiuo, alligata est lege, id est per legẽ, ita vt ius in eam habeat lex coniugij, & auctoritatem suam in eam exercere valeat. Est tertia lectio quam proponit Eras. in versione sua: viuenti viro alligata est lege. Hæc lectio auferendi casũ habet (*lege*) dandi verò quæ præcedit. Sed in ablatiuo legendũ esse (*viuente viro*) ex hoc apparet, quòd mox subijciet Apostolus (*Si mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri*) id est, qua sub potestate viri degere cogebatur. Cùm hæc ita se habeant, (*igitur viuente viro iudicabitur adultera, si fuerit cum alio viro*) id est, si commisceatur cum alio viro, vel si nubat alteri viro. Est hebraismus? similem locum annotauit Aug. ex capite 22. Leuiti. Et filia sacerdotis si fuerit viro alienigenæ, pro eo quod erat: si nupserit viro alienigenæ.

ITaq; *fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo: cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legẽ erant, operabantur in mẽbris nostris, vt fructificarent morti, nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.*

ITaq; *fratres mei & vos mortificati estis legi*) id est perinde vos habetis respectu legis, ac si essetis mortui.

Argumentatio Apostoli, si ad formam redigatur, talis est. Lex non habet ius in hominem, nisi dum ille viuit: vos autem non viuitis, sed mortui estis: igitur lex in vos ius non habet siue dominatione. Maior (*scientibus legem*) est per se nota. Probat tamen eam per inductionem particularis legis, coniugij videlicet. Minor nititur communicatione seu communione Christi: Quidam, quod dicit Apostolus (*mortificati estis legi*) interpretantur de lege ceremoniali, hoc sensu: Mortificati estis legi Moysi ea parte qua ceremonias præscribit, quæ per corpus Christi, id est eius mortem completè perdiderũt vim obligandi. Sed hunc non esse sensum Apostoli, hoc loco, indè patet, quòd ad legem, cui mortuos dicit ipsos baptizatos, pertinere asserat præceptũ: Non cõcupisces. Sed & caput præcedens, cui quasi perpetua serie coninnctum est hoc 7. cap. nihil de abrogatione legis ceremonialis agit. Quare nec hoc loco id tractatur, alioquin Apostolus nouũ aggrederetur hîc argumentũ. Sed id tantum tractatur, an credentes sint sub legis dominatione. Lex ostendebat peccatum, & hac ratione abundare faciebat peccatum, per occasionẽ tamen perq; peccatũ reos tenebat, condẽnabat, & accusabat. Hoc ergo definit Apostolus, credentes mortuos esse legi, quò ad hũc effectum legis, quantũ ad ius & potestatẽ accusandi, dãnandi, puniẽdi idq; per corpus Christi, quia per mortẽ Christi quã pertulit in corpore suo, cuius participes effecti sumus in Baptismo, delicta præterita per quæ reos nos tenebat lex, & supplicijs suis obstrictos, deleta sunt: & per eiusdem mortem donatus est nobis spiritus charitatis, quo deinceps ea quæ iubet lex, præstamus, quibus præstitis, deuitamus reatum suppliciorum legis. Mortificati ergo estis legi dominanti per corpus Christi. s. oblatum in cruce. Sic ad Ephes. Soluens inimicitias in carne sua, (*vt sitis alterius*) tanquam mariti. Eadẽ verba sunt quæ ibi, fuerit cum alio viro. Annotatum est Hebraismum esse. Vt iungamini alteri, nempe (*ei qui ex mortuis resurrexit*) Periphrasis est Christi, multùm faciens ad rem. Ex illa enim dat intelligendum, & illis quoqne resurgendum esse ad nouitatem vitæ, vt patet ex cap. 6, huius Epistolæ. *Vt fructificetis Deo*) Alludit ad vxorẽ cuius modò meminit, quæ parit viro suo. *Cũ enim in carne essemus*) id est, cùm nulla ex parte essemus participes effusi spiritus, cùm viueremus sub statu legis. Similis locus est in cap. 3. ad Gal. Sic stulti estis vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummamini, vbi nomine carnis legem significauit. *Ad Ephes. 2.*

Passiones peccatorum) id est, affectus mali & vitiosi (*quæ per legem erant*) id est, quæ excitabantur occasione legis, quia lex vetabat tantùm hos motus, non addebat gratiam, sine qua nitebamur in vetitum: (*operabantur*) id est, vim, energiam, vigorem, efficaciam occultam habebant (*in membris nostris*) idq; significat vox Græca, qua vtitur Paulus (*vt fructificarent morti*) æternæ.

Nunc autem soluti sumus à lege mortis) id est lex desiit in nobis esse efficax, lex desijt nũc dominari in nobis, quia vetus homo mortuus est, & crucifixus in Baptismo. Legem Moysi vocat legem mortis, quia per occasionem adducebat mortem: (*in qua*) s. lege vel in cuius legis dominatione, tanquam captiui, & rei suppliciorum ac pœnarum legis detinebamur: Soluti autem sumus lege, nõ vt ex lege viuamus, non vt faciamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

quicquid lubet: sed in hoc soluti sumus (*ita vt seruiamus nouitati vitæ*) cuius author Spiritus sanctus est, & non in vetustate vitę quã egimus sub lege Moysi, quæ litera fuit iubens tantùm & minans. non sanans, nec iuuans infirmitatem hominis, non abolens vetustatem vitæ, sed magis fouens.

Exod. 20. c. Deut. 5. d.

Q *Vid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.*

Capite. 6.

Hoc cap.

Vid ergo dicemus?) Quia in superioribus duriùs quædam visus est dixisse in legem. (*Vt peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, quasi incitet ad peccatum lex. Rursus: Soluti sumus à lege mortis: Rursus: Passiones peccatorum quæ per legem erant. Rursus: In vetustate vitæ.*) Hinc subijcit mitigationem dictorum. Quid ergo dicemus de his vel ad hęc, quæ de lege dicta sunt hactenus? Lex peccatum est: lex digna nec est reprehensione: Est ne lex mala: Impropriè sumitur pecactum. (*Absit*) Abominantis est. Lex non est peccatum, sed per legem cognitio peccati est. Id enim quod verè peccatum est (*vt exempli gratia, concupiscentiam vxoris aut rei alienæ*) non cognoui esse peccatum nisi per legem. s. Moysi, quæ vetat hanc concupiscentiam: cùm Exod. 22. dicat: Non concupisces. Vel si in plerisque id quod peccatum est, nouerim esse peccatum, tamen magnitudinem reatus, quatenus videlicet Deus punit peccatum æterno supplicio gehennæ, non cognoui, nisi per legem. Non igitur lex quæ vetat peccatum, peccatum est, id est, causa peccati, adeoq; digna reprehensione.

Occasione accepta peccatum, &c.) Hic est interpretatio eorum, & emollitio, quæ suprà visus est dixisse duriùs. Sensus talis est: Quæ suprà dixi de lege Moysi, videlicet quòd fuerit lex mortis, quòd abundare fecerit delictum, siue quòd passiones peccatorum excitabantur per legem intelligere oportet, non quòd lex per se illa effecerit, sed per occasionem: Per occasionem tantùm lex pernicioſa mihi fuit, per occasionem inquam non datam: sed acceptã à concupiscentia sine fomite: fomes (*nam hũc intelligit nomine peccati occasione accepta ex mandato legis*) genuit siue effecit in me omnem concupiscentiam, id est, omnis generis concupiscentiam seu superbiam: motus videlicet iræ, libidinis, superbiæ, vanæ gloriæ, &c. Vel omnem concupiscentiam id est vehementissimam concupiscentiam. Vt (*omne*) pertineat ad intensionem. Magis inquit nunc excitor & vehementius inflamor ad peccandum, quàm notitia peccati nondum habita per legem.

Sine lege enim, &c.) i. Ante datam legem Moysi, peccatum mortuum erat. Vocula (*enim*) si causam dicat immediate præcedentis, tunc peccatum intelligendum est fuisse mortuum, quia non sic exerebat vires suas qnia minùs incitabat & incendebat animũ, quàm lata iam lege. Si verò causam dicat eius quod paulò altiùs præcesserit, videlicet peccatum non cognoui nisi per legem, tũc hic erit sensus: Ante legem Moysi datam, peccatum mortuum erat, i. latebat, occultum erat, nec apparebat hominibus virus, tanquam in densissimis ignorantiæ tenebris sepultum: Sic August.

E *Go autem viuebã sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatũ reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitã, hoc eße ad mortẽ.*

E *Go autem viuebam sine lege*). I. Moysi, viuebam aliquando, transfert in suã personã Apostolus quod vult intelligi de quouis alio, qui ante legem vixit. (*Sed cùm venisset mandatum*). s. in notitiã hominũ lata iam lege (*peccatum reuixit.*) Istud opponitur ei quod suprà dixit. Peccatum mortuum erat. Vnde iuxta duplicẽ expositionẽ ibi traditã, & istud interpretandũ est, vt sit vel iste sensus. Peccctũ reuixit. i. exeruit. vires suas, cum priùs esset, quasi sopitum. Istud optimè intelligitur, dum cogitamus id quod frequenter in nobis experimur, quomodo videlicet fomes etiã menses aliquot quandoq; in nobis lateat, & deinde magno impetu exurgat resuscitando nos ad inhonesta. Alter sensus est. Peccatũ reuixit. i. emicuit, apparuit, vixit olim in notitia primi parentis, successu temporis obliuioni datum est, lata lege cœpit reuiuiscere in notitia hominum.

Ego autem mortuus sum) Cùm fomes per legẽ excitari & reuiuiscere cœpit per occasionẽ, tum ibi ego perij, cùm stimularer & excitarer vehementiùs à fomite (*Et inuentũ est mihi*). i. re ipsa compertũ euenit seu accidit, vt mandatũ. i. lex quæ à Deo data erat, vt perduceret me ad vitã, demonstrando peccatum, & ducendo ad peccati abolitorem Christum, accidit inquam, vt cesserit mihi ad maiorem cumulum damnationis.

N *Am peccatũ, occasione accepta per mandatũ, seduxit me, & per illud occidit. Ita que lex quidẽ sancta, & mandatũ sanctũ & iustum & bonũ. Quod ergo bonũ est mihi factũ est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatũ, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatũ per mandatum.* 1. Timo. 1.

N *am peccatũ*). i. fomes siue habitualis concupiscentia, quæ inest nobis ex peccato Adæ) *occasione accepta*) ex mandato legis, (*seduxit me*). i. à via abduxit. Id enim propriè significat vox græca qua vtitur hic Paul. Et per hoc quod à via mãdatorũ Dei abduxit, interfecit me. Sub sua persona, intelligit quẽuis aliũ hominẽ. Itaq; lex Moysi, cuius officiũ esse diximus demonstrare peccatũ, non autẽ inferre, sancta est: Et mandatũ quo ipsa lex præcipit, aut vetat quippiã sanctũ est, & iustũ & bonũ. *Quod ergo bonum est*) ipsum videlicet mandatũ legis (*factũ est mihi mors*) .i. causa mortis: Absit. Sed peccatum vt reddetur euidentius, quantũ sit malũ, per occasionem legis quæ bona est, mihi exitium peperit, dum salutiferã legẽ vertit in perniciem (*vt fiat supra modum peccans peccatum*) Est inculcatio & exaggeratio eius quod præcessit: *Vt appareat peccatum*) Inducit Apostolus peccatum tanquã personam quandam per prosopœiam. Sensus est: vt peccatum illud quod in me erat, & latebat. i. fomes, fieret ad modum peccator. i. ingens peccator, dum non solùm concupiscendo deliquit, sed etiam prævaricationis reatum addidit, per occasionem mandati.

S *cimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi quoniam bona est: Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ.*

S *cimus enim quia lex spiritualis est.*) Dixi suprà, legem sanctam esse & verè sancta est, quemadmodũ nouerunt ij, qui diuina scientia præditi sunt: Nã spiritualis est, quæ spiritualis hominis sunt præscribit. i. erudit ad virtutem, & à vitijs dehortatur. *Ego autem carnalis sum*) Sunt qui putãt ea quæ ab Apostolo hic dicuntur, sub eius persona dici, qui nondum diuinæ gratiæ particeps luctatur quidem cũ carnis affectibus, sed impar illis vincitur & trahitur à cõcupiscentia dominante. Alij arbitrãtur Apostolum ex sua siue iustorum persona hæc dicere, moti hac ratione, quòd non videatur posse pertinere ad personam hominis nondum per gratiam renouati, quod dicitur. Condelector enim legi Dei: Rursus quod dicitur. Iam non ego operor illud, &c. Deniq; quod ex doctrina cœpta in hoc 7. ca. intulit in 8. cap. Apostolus: Nihil ergo nũc damnationis est ijs, &c. Harum rationum pondere fatetur. August. se coactum sentire, Apostolum rectius accipiendum de sua siue iustorum persona, quã quam in plerisq; priorem sententiam amplexus sit. Vide Aug. ad Simplicianum, cap. 6. 1. lib. & de nupt. & concup. ad Valerium lib. 1. cap. 27, & sequentibus. Item lib. 2. retract. cap. 1. Sensus ergo huius.

Ego autem carnalis sum) hoc est: Secundum naturam traxi ex Adam, procliuis sum ad concupiscendum ea quæ carnis sunt. Aliter accipitur (*Carnalis*) in priori epistola ad Corint. nimirum pro homine, in quo non solùm reluctatur caro spiritui, sed etiam vincit ac superat spiritum, hoc est, pro homine viuente secundum desideria carnis (*venundatus*). i. venditus ab Adam, dulcedine voluptatis temporalis, tanquam pretio, sub seruitutem & iugum peccati. i. fomitis, qui velim nolim ebullire in me facit motus impuros siue vtiosos. Esse autem me carnalem, siue venditũ sub peccato, hinc constat: quòd operer quædã quę non intelligo. i. quæ non approbo, siue quibus non consentio.

Non enim quod volo bonum, hoc ago). i. Volo non concupiscere, siue non sentire motũ concupiscentiæ, verũ interim hoc opere nõ præsto. (*Sed quod odi malum*) videlicet concupiscere, illud facio. *Si autẽ quod nolo &c.*) .i. si id opere perficio secundũ carnẽ, quod tamen mente improbo (*consentio legi*) quæ haber. Non concupisces, quod bona sit. Ex hoc loco videri posit omnis motus concupiscentiæ, etiã ille qui præter voluntatis consensum accidit, esse propria ratione peccatũ: vtpote legi. Non concupisces, contrariũ. Sciendum ergo secundũ Aug. motus concupiscentiæ, quibus nulla adhibetur consensio, eõprehendi quidẽ lege. Non concupisces: verũ secundũ illos hominẽ effici reũ illius transgressionis, nec propter eos debere supplicare Deũ Patrẽ, vt dimittantur. Vide Aug. in epist. ad Asellicũ, quæ est numero 200. Et in l. de perfectione iustitiæ circa finẽ. Præceptũ ergo hoc: Non concupisces, sic acceptũ vt cõprehendat etiã motus concupiscentiæ dictos, hactenus tantũ intelligendũ est habere rationẽ præcepti, quia præscribit homini, quò conari & cõtendere debeat, non autẽ quod obstringat hominẽ in hac mortali vita, sic vt reus efficiatur, nisi illud præstet, Quod apertè & perspicuè exposuit Aug. de nup. & concup. ad Vale. l. 1. cap. 29. sic inquiens: *Ad* hoc lex dixit homini: Non cõcupisces, vt in eo præcepto sciret, & quò debeat in hac mortalitate proficiendo conari, & quò posit in illa immortalitate peruenire: nisi enim quandoq; perficiendũ esset, nunquã iubendum esset. *Alij* volentes nullã haberi rationẽ horũ motuũ in præcepto (Non concupisces) dicunt. *Apostolũ* loqui de motibus cõcupiscentiæ, quib⁹ mens quidẽ expressè non consentit, sed tamen per rationis culpabilem incogitantiam seu negligentiã in carne exurgunt, quales motus constat propria ratione esse peccata, sed leuia & venialia, à quibus nec iusti immunes sunt. In motus concupiscentiæ prioris generis propriè competit, quod sequitur in Paulo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nunc autem iam non ego operor illud, &c.) Cuius sensus est: cùm illud faciam, quod nolo: sequitur de malo quod ago, sic esse sentiendum, vt sim dicendus non ego illud agere: sed quod habitat in me, id est, quod hæret in me sic, vt euelli non possit in totum, peccatum, id est, fomes.

Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malũ, hoc ago: Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.

Scio enim) id est quotidiano vsu & experimento disco, quòd non habitet, siue quod non insit in me, id est in carne mea, bonũ. Carnem accipit non pro altera parte hominis, quam corpus vel carnẽ dicere solemus, & quam distinguere solemus ab anima: sed accipit carnem pro anima carnali, siue pro toto homine quatenus carnalis est, id est, quatenus propagatus est ab Adam. Est eadem sententia cum illa, quæ est in Gene. Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt. Gene. 8.

Nam velle bonum) puta non concupiscere (*adiacet mihi*) in promptu est, & in facultate mea, secundum mentem sanatam per gratiam: perficiendi autem quod volo bonum, facultatem in me non inuenio.

Non enim quod volo bonum, &c.) suprà exposita sunt hæc. *Inuenio igitur legem*) subaudit Chryso. consentientem, Theoph. sanantem (*volenti mihi*) quod bonum est (*facere*) volenti inquam, & tamẽ non facienti, quia malum, id est, perpetua corruptio naturæ, vitiosa cupiditas tracta ab Adam, adiacet mihi, & per hanc fit, vt non præstem quod volo bonum.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mẽte seruio legi dei: carne autẽ, legi peccati.

Condelector enim legi Dei) quæ est lex Moysi data à Deo (*Secundum interiorem hominem*) id est, secundum mentem per gratiam Christi sanatam (*video autem aliam legem in membris meis*) id est, in omnibus viribus meis, quatenus vitiatæ sunt ab Adam, (*repugnantem*) id est, inuitantem me ad ea quæ contraria sunt legi, menti meæ per spiritum impressæ.

Et captiuantem me) s. secundum carnem, non autem secundum mentem: secundum motionem, non secundum consensionem: *Sub legem peccati*) Quam suprà vocauit legem membrorum, iam vocat legem peccati. Intelligit autem propriè fomitem, id est, concupiscentiam siue vitiosam cupiditatem, quæ iustum quoque velut captiuum seruire sibi cogit secundũ carnẽ: quia velit nolit excitat in ipso sua desideria. Dicitur autẽ fomes, lex, hoc loco, per prosonomasiam, sicut in fine capitis 3. huius Epistolæ, ipsa fides, lex fidei appellatur, sola agnominatione siue allusione vocis: Vel lex dicitur quia inuitat, plectit, imperat more legis pro Tolet. prij nominis: Sic Thomas. Idem dicendum Anton. est de gratia sanante, quam vocat legẽ mentis. Post declarationem mali nobis innati, subijcit Apostolus exclamationem.

Infelix ego homo, quis me liberabit de hoc corpore, mortalitati & corruptioni obnoxio? Quis dabit, omni languore concupiscentiæ sanato, recipere tale corpus quale erit in resurrectiõe? Respondet: (*gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*) scilicet liberabit me à corpore mortis huius, non lex Moysi, non vires naturæ: *Igitur ego & ipse, &c.*) Sensus est: secundum interiorem hominem seruio legi Dei, secundum carnem verò, id est, secundum vires animæ inferiores, vel (*secundum alios*) iuxta omnes animæ vires, quatenus vitiatæ sunt per Adam. Prior expositio probabilior est, propterea quòd palam distinguat Apostolus, carnem contra mentem: *Legi peccati*) id est, fomiti, huic seruio scilicet concupiscendo, citra tamen omnem consensionem mentis.

CAPVT VIII.

Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis.

Nihil ergo nunc damnationis est, &c.) Ex ijs quæ in secunda parte 7. cap. de iustificatis sub sua persona, disseruit Apostolus nimirum, mente ipsos seruire legi Dei: carne vero tantùm legi peccati. Et proinde ipsos non debere dici perpetrare illicita carnis desideria, sed potiùs peccatum, quod hæret in carne ipsorum: Infert iam. Nihil ergo nunc damnationis est) s. propter motus illos impuros, qui ebulliunt à concupiscentia.

His qui sunt in Christo Iesu) periphrasis est iustificatorũ. Sensus est: His qui tanquã sui culi quidam insiti sunt Christo Iesu in Baptismo: (*Qui non secundum carnem ambulant*) id est, qui non obediũt, nec consentiũt impuris illis motibus, quos suggerit & excitat caro, quibus obediũt omnes qui non sunt in Christo Iesu.

Lex enim spiritus vitæ, &c.) Spiritus genitiui casus est, vt patet ex Græco. Sensus est: Lex quam Spiritus sanctus viuificator & innouator mentis, inscripsit cordi meo, Periphrasis est gratiæ (*Liberauit me à lege peccati & mortis.*) Lex peccati & lex mortis, eiusdem rei periphrasis est, nempe fomitis. Sensus est: gratia quam Spiritus sanctus in me efficit, illa fecit vt non sim amplius mancipium peccati, illa emancipauit me, me inquam secundum mentem meam, à iure & dominatione concupiscentiæ, hoc est, fecit vt quanquam sentiam motus concupiscentiæ, ijs tamen nequaquam consentiam. Intelligit autem sub sua persona quemuis iustum, & propterea nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Hęc est consequentia Apost. Illud (*in Christo Iesu*) quidam referunt ad vitam, hoc sensu, lex spiritus vitæ, quæ est in Christo Iesu, id est, per Christum Iesum: Alii ad verbum, liberauit.

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

Nam quod impossibile erat legi, &c.) Gratia præstat vt non consentiamus peccato, idem quoque conata est lex, sed eius conatus fuit irritus. Mentem enim instruxit lex, non autem sanauit affectum. *Nam quod impossibile erat legi*) id est, quod lex præstare non potuit (*in quo*) id est, quatenus (*infirmabatur*) id est, imbecillis erat & inualida, (*per carnem*) id est, partem illam in qua residet fomes, hoc Deus misso Filio suo in similitudinem carnis peccati. s. præstitit. Lex ostendendo peccatum, conata est auferre peccatum, sed defecit in conatu suo propter fomitẽ, cui succumbebat voluntas, licet mens satis esset instructa: Huic impotentiæ legis Deus opem tulit: quod illa præstare non potuit, ipse præstitit per Filium, quem misit in similitudinem, id est, sub similitudine siue specie carnis peccati, id est, peccatoris, phrasi Hebraica. Caro Christi non fuit obnoxia peccato & impuris motibus concupiscentiæ, vt nostra: fuit interim mortalis, & aliis miseriis quæ in naturam humanam ex peccato irrepserũt, subiecta: Caro ergo peccati est, caro obnoxia peccato.

Et de peccato damnauit peccatum in carnem.) Peccatum quod priori loco ponitur, tropũ habet: sumitur enim pro hostia expiatrice, in qua significatione frequenter obuium est in veteri testamento. Contrarius flexus est, apud latinos in nomine piaculi, quod cùm proprie significet sacrificium expiationis, vt apud Horatium. Teque piacula nulla resoluent, deflexum est ad significandum scelus vel flagitium, vt apud Virgil. Distulit in seram commilla piacula mortem. Præpositio (*de*) seruit modo vel causæ. Talem habet sensum, ac si dicas de barbaro milite, Cæsar vicit Barbaros. De peccato ergo, id est, per peccatum, id est, per hostiam siue victimam Christum damnauit peccatum, id est concupiscentiam in carne: In illa enim Chvistus dependit, quicquid peccatis nostris debebatur. Damnare peccatũ, phrasi Hebraica dictum est, pro abolere, extinguere, tollere peccatum. Peccatum de quo loquitur Apostolus abolitum est, partim quia reatus eius prorsus sublatus est, partim quia fractæ sunt vires eius, vt pertrahere deinceps nequeat hominem in consensũm, & captiuare secundum mentem. Qua autem ratione concupiscentia in renatis appelletur peccatum, explicat August. de nupt. & concup, cap. 22. primi libri, & contrà duas Epist. Pelag. lib. 1. ca. 12. & li. 3. de li. arb. cap. 19. Dicit ibi appellari peccatum per eũ tropum, quo vel nomen causæ tribuitur affectui secundum quem, scripturam manu factam appellamus manum: vel contra, quo nomen effectus tribuitur causæ, secundum quem Horatius mortẽ pallidam dicit, quia efficit hominem pallidum. Figura hæc metonomya dicitur: Quia ergo concupiscentia ex peccato facta est, & ad peccatum mouet, inuitat, & solicitat, peccatum dicitur, dimisso etiam reatu.

Vt iustificatio legis in nobis impleretur) pro iustificatione Græcè est δικαίωμα, de qua voce dictum est in 2. cap. huius epistolæ. Sensus est. Vt præcepta legis præstarentur à nobis, quæ præstari non potuerunt ab iis qui sub statu legis agebant, è nobis inquam, qui non secundũ desideria carnis viuimus: sed qui instinctum spiritus sequimur.

Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò secundũ spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. Nã prudentia carnis mors est: prudentia autẽ spiritus, vita et pax, quoniã sapientia carnis, inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.

Qui enim secundum carnem sunt) id est homines iuxta mentem carnales curant, meditantur, cogitant ea quæ carnis sunt, iis studet & afficiuntur. (*Qui verò secundum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundum spiritum sunt) id est, homines spirituales curant, meditantur, cogitãt ea quæ consentanea sunt spiritui, vel sancto, vel menti per Spiritum sanctum renouata. Nihil discriminis est hoc loco inter voces istas sapere & sentire, quia eadem planè vox est apud Paulum, & tantum semel posita nimirum προνοοῦσιν, quæ pertinet, et ad intellectum, & ad affectum, frequentiùs tamen ad affectum. Hoc loco pertinere ad affectum, argumentum est, quia præcesserit. Qui non secundum carnem ambulamus, ambulare autem affectus est.

Nam prudentia carnis.) Græcè est φρόνημα verbale nomen à verbo quod modò vertit sapiunt & sentiunt, quod diximus frequentiùs ad affectum pertinere. Sensus est: Affectus, cogitatio, cura, studium carnis, mortem adfert. Genitiuus (*carnis*) accipi potest vel vt materiam significet circa quam versatur prudentia, vel vt significet carnẽ ipsam, videlicet animam carnalem. Idem est de genitiuo (spiritus) *prudẽtia verò spiritus*) id est, vel rerum spiritualium, vel quam Spiritus sanctus inspirat: Hęc vitam adfert & pacem, quæ non est aliud quàm tranquillus status mentis sub Deo. Prudentiam autem carnis mortem adferre, hinc patet (*quoniam sapientia carnis.*) Est illa vox, quam modò vertit prudentiam, nimirum φρόνημα: (*inimica est Deo.*) Græci habet, inimicitia est aduersus Deum, id est, exercet inimicitias aduersus Deum: inuitat enim ad ea, quæ sunt contraria legi Dei, vnde subdit Apostolus, (*Legi enim Dei non est subiecta.*) Imò nec subijci potest.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamẽ spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic nõ est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. Quòd si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

Qui autem in carne sunt) id est, qui acquiescunt affectibus carnalibus (*Deo placere non possunt*) scilicet quàm diu tales sunt.

Vos autem non estis in carne sed in spiritu) id est, Acquiescitis Spiritui sancto, vel menti sanatæ per spiritum: (*Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.*) Dicit hoc ad terrorem imperfectorũ. Sensus est: Si modò fixit sedem suam in vobis, si in vobis perpetuus est, si non estis temporarij. (*Si quis autem spiritum Christi non habet*) quo inhabitante viuificetur, hic nõ pertinet ad Christum. (*Si autem Christus in vobis est*) scilicet per Spiritum suum sanctum.

Corpus quidem mortuum est) id est, subiectum mortis necessitati, (*propter peccatum*) id est, merito peccati. Est eadem sententia cum illa quæ est cap. 5. Per vnum hominem peccatum introiuit, &c. (*spiritus verò*) id est, mens (*viuit propter iustificationẽ*) id est, propter iustitiam quam in ea efficit Spiritus sanctus. Est enim Græcè διὰ δικαιοσύνην non Δικαίωσιν.

Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum.) Maluit hic Apostolus periphrasi vti quàm simpliciter dicere, quòd si Spiritus Patris, quia instituit sermonem de redemptione corporum, (*viuificabit & mortalia corpora vestra*) id est, reddet illa immortalia, donabit plena & perfecta vita (*propter inhabitantem spiritum eius in vobis*) id est, propter dignitatem quã habent corpora vestra ex eo, quòd sunt templa Spiritus sancti.

Ergo fratres, debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater.

Ergo fratres debitores sumus non carni,) quod exponens addit (*vt secundum carnem viuamus*) id est, vt eius desiderijs obtemperemus. (*Si enim secundum desideria carnis vixeritis moriemini*) non illa solùm mortem, quæ opponitur vitæ spiritus: sed & illa quæ manet omnes impios in resurrectione, quæ est pœna & supplicium gehennæ. Si autem duce Spiritu sancto vel mente sanata, motus fomitis siue desideria, quæ ex carne oriuntur, represseritis, viuetis beata illa vita, æterna & immortali, & assequemini viuificationem illam corporum de qua diximus.

Quicunq; enim spiritu Dei aguntur) ad mortificandum desideria ac vitia carnis, (*ij sunt filij Dei*) adeoq; per ẽniter victuri cum ipso. Sic dictũ est ab Apostolo (aguntur) quemadmodum à Poëta: Trahit sua quemq; voluptas. Vbi non coactio significatur voluntatis, sed eius inclinatio: *Non enim*) sicut olim sub lege, hoc est quod dicit (iterum) iacepistis spiritum seruitutis in timore, siue ad timorem, hoc est, qui faciat vos timore pœnæ tanquã seruos abstinere à legis transgressione, non sublata è mentibus vestris libidine peccandi. Sed accepistis spiritũ cubius beneficio adoptati estis in filios Dei, per quem spiritũ (qui spiritus Euangelicus est) magno cordis affectu & fiducia clamamus in precibus nostris abba, quod est Pater:

Sic quidem vt posterius interpretetur prius, pro quibus facit quod pater nominatiui casus est in Græco. Alij accipit vt sit conduplicatio Hebraica, faciens ad emphasim affectus: audemus autem ad Deum confugere tanquam ad Patrem, & ipsum hoc nomine compellare freti testimonio spiritus.

Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur & cõglorificemur.

Ipse enim spiritus testimonium reddit) id est, attestatur spiritui nostro id est, animo nostro & affectui (quòd sumus filij Dei) Testimoniũ est vita sancta & motus pij in Deum, quos in nobis efficit spiritus. Commẽtarius iste Ambrosij est, secundum quem locum hic nihil facit pro fide Lutheranorum quam ipsi specialem vocant. Si autem filij sumus, sequitur & hæredes nos esse, hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi, (si tamen compatimur, &c.) id est, ita demum assequimur hæreditatem hanc immortalitatis, si cum Christo magno & forti animo toleramus molestias & afflictiones vitæ præsentis.

Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nã expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Existimo enim &c. Istud adijcit, ne quem nimis terreat illa præscripta conditio.

Si tamen compatimur) Sensus est: dum mecum perpendo afflictiones huius vitæ, & cõfero eas cũ vitæ futuræ gloria, quæ pro illis rependitur pijs, video illas haud pares esse ad gloriam illam. Nam molestia quæ in passionib⁹ est breuis est & momẽtanea: felicitas vitæ futuræ, perpetua est. Sententia hæc Apostoli: Non sunt condignæ passiones huius temporis, &c.) nequaquam aduersatur meritis. Nihil enim aliud docet quã afflictiones præsentis vitæ quatenus sunt afflictiuæ, hoc est, secundum momentaneam & breuem molestiam, quæ illis inest, minimè esse pares gloriæ futuræ, quæ æterna est. Porrò quid dignitatis habeant ex eo, quòd spiritu Christi à pijs hominibus & mẽbris Christi sustineantur: imò quid dignitatis habeat tolerantia passionum, qua pius tolerat hujus vitæ molestias, id nunc non agit Apostolus: id autem optimè intelligit, qui nouit quanti sit pendendum id, quod sæpe testatur scriptura: pios homines quos inhabitat spiritus Christi, esse filios Dei & mẽbra corporis Christi, Et qui hunc locum adducũt contra merita iustorum, non vident se eodem argumento Christi merita tollere, cũ passiones, quas ipse in corpore pertulit, fuerint momentaneæ, & gloria reddita pro ijs, æterna. *Nam expectatio creaturæ*) fingit vniuersũ hunc mundum velut vnam personã cui cùm non insit sensus, tamen sensum tribuit, per prosopopœiam: vt magis exprimat magnitudinem gloriæ futuræ, obquam patienter, donec illa contingat, ferenda sit omnis molestia præsentis vitę. Mura inquit hęc creatura, cœlum & terra anxiè valde & solliciè expectat tempus illud, quo gloria filiorum Dei manifestabitur: quod certè argumẽtum est, gloriam illam esse magnam. Vocabulum expectationis, quo vtitur Paulus, sesquipedale est, nec simpliciter significat expectationẽ seu anxiã & vehementẽ expectationem, vnde Erasm. vertit, solicita creaturæ expectatio, vanitati enim). i. corruptioni & mutabilitati muta hæc *Creatura subiecta est*,) non volens, non exsuæ naturæ conditione seu inclinatione, sed contra naturæ inclinationẽ ex Dei ordinatione, qui eam huic vanitati subiecit propter hominẽ, vt illi seruiat in hoc mortali statu. Subiecit inquam in spe, hoc est, sub spe commutationis in melius, quia & in libertatem vindicabitur, siue libera reddetur à seruitute corruptionis. i. ab illa mutabilitate & defectione, cui iã inuita cogitur subiacere propter hominem.

In libertatem gloriæ filiorum Dei) Istud variè à diuersis exponitur. Ambrosius qui legisse videtur in libertate, hunc dat sensum: Cùm filij Dei incorruptionis statum adepti fuerint. Chrysostomus præpositionem (in) accipit vt hoc sit quod propter: Propter libertatem gloriæ Dei, vel in cõmendationẽ gloriæ filiorum Dei. Est tertius commentarius qui libertatem exponit, in imitationẽ & exemplum libertatis filiorum Dei.

Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa sed & nosipsi primitias spiritus habẽtes et ipsi intra nos gemimus adoptionẽ filiorũ Dei expectãtes redemptionẽ corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autẽ quæ videtur, nõ est spes nã quod videt quis, quid sperat? Si autem quod nõ videmus, speramus, per patiẽtiã expectamus.

Scimus enim). s. nos Apostoli, vel quicunque rectè instituti sumus, *Quòd omnis creatura*) id est, tota hæc rerum machina sub põdere seruitutis, quam hominis causa seruire cogitur gemit, & parturit. i. inmodũ parturientis dolet, anxiè expectans tempus illud quo gloria filiorum Dei manifestanda est, quia tunc & ipsa innouabitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non solùm autem, illa, sed nos ipsi &c.) Est confirmatio etiã eius quod sumpserat probandum, nimirum magnitudinis gloriæ filiorum Dei. Nos inquit Apostoli, qui vobis videmur beati, sentientes præsentis miseriæ & mortalitatis pondus, & ipsi vnà cum reliqua creatura taciti ingemiscimus adoptionem filiorum Dei &c. Sic quidem, vt pertineat ad solos Apostolos cui interpretationi fauet, quod dicit primitias spiritus habentes, id est, qui habemus potiora & excellentiora dona spiritus: Primitiæ enim spiritus non sunt quorumuis, vt patet ex similibus locis: Ducit eodem & illa repetitio. Sed & nos ipsi, Item illa emphasis: intra nos, vbi Græcè est, in nobis ipsis, siue intra nos ipsos. Alij tamen accipiunt de quibusuis Christianis, & primitias interpretantur initia siue primordia. Græca enim vox ἀπαρχὴ significat & primos fructus & primam oblationẽ etiam primordia. Nos ergo Christiani qui primum gustum habemus felicitatis, quem non habent cæterę creaturæ, & ipsi gemim⁹. Sed iam minus ponderis habet sententia.

Adoptionem filiorum Dei) id est, possessionem iuris, quod nunc habemus ex eo quòd adoptati sumus in filios. Ita accipiendam esse adoptionem indicat particula sequens, quæ per appositionem additur videlicet (redemptionem corporis nostri) id est liberationem corporis à mortalitate, & languore concupiscentiæ, ab omni corruptione.

Spe enim salui facti sumus) id est, quãtumuis magni appareamus & felices, tantùm spe salui sumus & beati, non autem re: & ideo ingemiscimus expectantes redemptionem.

Spes autem quæ videtur) id est, Res ipsa quæ sperabatur, dum iam in manibus est & præsto, amplius sperari nõ dicitur, sed haberi, hoc est, spes non est præsentis & iam possessi boni, sed futuri. Nam quod quis videt) id est, quod iam habet, & manibus tenet

Quid sperat?) Græcè additur (etiam) cur etiam speret?

Si autem quod &c.) id est, Si ea est natura spei, vt non speremus, nisi quod non videmus, id est, quod non possidemus, certe sequitur vt interim dum differtur hæreditas, & liberatio sperata, æquanimiter toleremus mala præsentis vitæ, vt per eam patientiam ad præmium immortalitatis perueniamus.

Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram? nam quid oremus si ut oportet, nescimus. sed ipse spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundũ Deum postulat pro sanctis.

Similiter autem & spiritus &c.) Istud (similiter) referunt quidam ad id quod antea immediatè præcesit, hoc sensu. Sicut nos per patientiam expectantes nitimur ad cœlestis illius hæreditatis consecutionẽ: ita etiam spiritus admouet auxilium suum deficientibus, ceu inanum porrigens laborantibus. Alij referunt ad id, quod paulò altiùs præcesit: Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus. Plenus hic commentarius erit, si his addatur etiam ille locus. In quo clamamus Abba pater, vt sensus sit: spiritus de quo dixi, quod det fiduciam nobis clamandi abba pater, is præterea adiuuat nos & opitulatur in nostris gemitibus, & in nostra patientia, siue sit patientia illa quam exhibemus in tormentis quæ inferuntur à Tyrannis, siue qua opus est, dum experimur in nobis insurgere motus impuros concupiscentiæ.

Nam quid oremus &c.) id est, tantùm abest vt ipsi nobis possimus esse præsidio, vt nesciamus quibus præsidijs sit opus. Nam hoc ipsum quod oremus vt oportet, non nouimus, Propriè sermo est de afflictionibus, in ijs speciatim quid sit orandum nescimus, an vt Deus eas adimat, an vt per illas exerceri nos patiatur. Sic Paulus hoc nesciuit quando dictum est ei à Domino: Sufficit tibi gratia mea. Vide Aug. in Epistola ad Probam de orando Deũ quæ est numero 121. (Sed ipse spiritus) s. diuinus (postulat) siue intercedit apud Patrem (gemitibus inenarrabilibus. Ex hoc loco Arrius & Macedonius docere conabantur, Spiritum sanctum minorẽ esse Patre. Sed doctissimè explicat Aug. in Epistola iam dicta. Postulat, dictum est pro eo, quod est postulare nos facit. Illud quoq; annotandum, quòd non simpliciter dixit Apostolus ἐντυγχάνει, id est, intercedit, sive vt noster vertit, postulat, sed ὑπερεντυγχάνει addita præpositione quæ solet super excellentiam significare Græcis. Sensus enim hic est. Etiam si spiritus noster aliquando petat nocitura: tamen Spiritus sanctus afflans animos nostros, corrigit quod malè petebatur, veluti præfectus omnibus interpellationibus. Corrigit inquam, dum quid quid petimus, eatenꝰ tantũ nos petere facit, quatenus ad Dei gloriam & nostram salutẽ conducit.

Qui autem scrutatur corda) Periphrasis est Patris ad institutum apppolita. Sensus est: tametsi in re quam petimus frequenter erremus iudicio & delectu: tamen qui nouit cordis arcanos affectus ipse Pater cœlestis

Scit quid desideret spiritus) Aug. in Epistola ad Probam legit: Quid spiritus sapiat. Græce est τὸ φρόνημα id est, nouit sensum spiritus id est, approbat effectum, quem efficit in nobis Spiritus sanctus.

Quia secundum Deum postulat pro sanctis) id est, id est, facit nos postulare ea quæ Deo probãtur, Quia huiusmodi preces, quas ex afflatu spiritus offerimus Deo, licet frequenter imperitæ sint & erroneæ, secundum affectum tamen petendi plenè subiectæ sunt diuinæ voluntati.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundũ propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.

Scimus autem &c.) scilicet non Apostoli vel nos Christiani qui rectè instituti sumus de cura Dei erga electos, *Quod diligentibus Deum, omnia*) etiam tristia, vt tribulationes vel internæ vel externæ: de his enim prorsùs loquitur: quamuis non debeat superbè reijci, quod habet glossa, Omnia etiam peccata: Nam verùm & hoc est. Vsque adeo inquit Augustinus in lib. de cor. & gratia, omnia cooperatur Deus in bonum diligentibus se: vt etiã si qui eorum deuient & exorbitent, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, dum humiliores redeunt & doctiores, (cooperantur) id est, simul adiumẽto sunt & cedunt in bonum, his (inquã) qui secundum propositum, id est, certum decretum voluntatis Dei, vocati sunt ad sanctimoniam.

Nam quos præscivit &c.) Probat eleganti gradatione, electis nihil posse accidere quod impediat illorum salutem: sed potiùs omnia etiam mala adiumento ipsis esse ad fœlicitatem. *Nam quos præscivit*) dubium est an istud præscire sit rationis an voluntatis. Aptior tamen erit probatio, si dicatur esse voluntatis, vt pertineat ad dilectionem Dei, hoc sensu: Quos præscivit cura, affectu, & dilectione, siue quos æterna prænotione sua approbauit, vt fierẽt conformes imaginis Filij sui, eosdẽ, & prædestinauit, id est, ab æterno certò & firmiter definiuit ac statuit fieri cõformes imaginis Filij sui, vt sicut ille est naturalis Filius Dei diuina gloria plenus, ita ipsi sint per adoptionis gratiam filij Dei, diuinę gloriæ participatione pleni, *Vt sit ipse primogenitus*) id est, vt ipse qui est per naturam vnicus, per gratiæ communicationem habet multos fratres, inter quos ipse primatum teneat. Quos autem ab æterno prædestinauit, eosdem secundum æternum suum decretũ proposuit vocare, & sicut proposuit, ita ex tempore vocat, partim per externam prædicationem, partim per internum instinctum & afflatum, quo mentes ipsorum sic mouet, vt sequantur & obediant prædicationi vel instinctui.

Quos autem vocauit) scilicet secundũ æternum suũ decretum, siue vocationẽ, quæ est secundum electionẽ, seu prædestinationẽ, eosdẽ & iustificauit, donans eis remissionẽ peccatorũ, & addens dona, quib. deinceps iustè possent viuere. *Quos aũt iustificauit*) scilicet secundũ propositum suũ æternum, eosdem & glorificauit, id est, certò eos perducet tandem ad glorificationem animę & corporis. Concluditur ergo ex hac diuinæ prædestinationis efficatia, nihil accidere posse electis, quod ipsorum salutem impediat.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui cõdemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui et resurrexit, qui & est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Quid ergo dicemus ad hæc?) cùm ita res se se habeat, quod tanta Dei erga electos sit cura, vt eos vocet, vocatos iustificet, iustificatos tandem glorificet: cumq; nemo credentium his vlla ex parte possit refragari, nõ placebimus nobis de tanta Dei circa nos dignatione? non gloriabimur in Deo nobis sic propitio? hoc est quod dicit, *Quid ergo dicemus ad hæc?*) vnde subijcit. *Si Deus pro nobis*) scilicet prædestinando, vocando, iustificando, glorificando. *Quis contra nos?*) quis possit exurgere aduersum nos, qui impediat salutem nostram?

Qui etiam proprio filio suo non pepercit) id est, qui vsque adeò nostræ saluti studet, vt quò nos salui essemus in æternum, non solùm Filio suo non pepercit, nec eum quouis modo pro salute nostra impendit, sed tradidit ipsum in mortem, partim quia passus est, vt Iudæi cruci eum affigerent, partim quia inspirauit animæ Christi eam charitatem, vt se obijceret morti crucis. Cùm ergo illum pro salute nostra impenderit, quo charius habet nihil, qui fieri potest, vt non & cum eodem donet nobis, quæ ad salutem sunt necessaria? Hic sensus est quando legimus (donabit) in futuro, quæ lectio est apud Amb. & in Græcis empl. Quando legimus (donauit) in præterito, quomodo fere habẽt nostra exempl. latina, tum accipiendum est quod dicitur, secundum æternum Dei decretum, vt donatio iam peracta esse intelligatur, quæ decreto constat, licet nondum plena sit donati possessio.

Quis accusabit) id est, quisnam tandem est qui audebit crimina intentare, *aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat*) qui à peccatis & ab intentata actione absoluit, quis ille erit qui condemnet? Christus Iesus est qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortuus est pro nobis, imò qui & resurrexit, &c. Quis ille erit qui condemnet? Hoc enim repetendũ est ex præcedentibus. Augustinus lib. de doct. Christiana. 3. cap. 3. illud (Deus qui iustificat) nõ presse legit, sed cum interrogatione hoc sensu: Deus ne id faciet? Deus ne accusabit aduersus electos? quasi dicat, minimè, cum ipse iustificet. Interrogatiuè quoque legit quod sequitur: Christus Iesus qui mortuus est: hoc sensu: Christus Iesus ne faciet id? ipse condemnabit electos? qui eorum causa mortuus est, imò qui & resurrexit propter ipsorum iustificationem?

Qui & est ad dexteram Dei, &c.) metaphora est à summis principibus, qui ijs, quos apud se primos habet, & volunt suprema potestate pollere, concedunt esse, sedereq; sibi proximos & à dextris. Qui ergo euectus est ad summam potentiam, & gloriam Patris. Quod sequitur: (*Qui etiam interpellat pro nobis*) non sic accipiendum est quasi Christus Patri preces & supplicationes pro nobis etiam dum offerat, hoc siquidem fecit in diebus carnis suæ, iam cum Patre largitur nobis omnia omnem habens potestatem, vtpote ad dextram Dei sedens, nec vlla ratione sinit Pater, vt gloriam & honore coronatus deinceps sese humiliet. Vide Chry. in hunc locum, vide præterea Rupertum Abbatem lib. 9. de diuinis officijs cap. 3. vbi doctissimè de hac re disserit, & eò vsq; deducit, vt neget catholicũ illum, qui Christum ad hoc vt roget Patrem, tam inuocat. Cautè proinde legenda est homelia illa Orig. in Leuiticum, quæ est numero 7. vbi Christum facit adhuc orare Patrem, & anxium in modum aduocati, vbi & multa alia tribuit ei, quæ lectori parum erudito pernicioſam opinionem ingenerare possent. Quomodo autem intelligendus sit locus iste Apostoli, quo dicit Christum interpellare pro nobis, explicat Chrysost. qui per interpellationem intelligit, fauorem ac vigorem dilectionis Christi erga nos. Rupert⁹ verò Abbas cùm suæ definitioni opposuisset hæc verba Apostoli, subiecit pro solutione: Illa interpellatio non submissa est postulatio, sed eius passionis quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio semel in conspectu sanctæ Trinitatis admissa, sanguinis eius innocentis exclamatio. Sensus ergo Apostoli secundum Rupertum est, qui interpellat pro nobis per victimam suam, quæ Patri semper est præsentissima, in quam Pater adspiciens largitur nobis remissionem peccatorum, iustitiam, & alia quæ ad salutem nobis necessaria sunt.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persequutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

Quis ergo separabit nos à charitate Christi?) Nonnulla exempla loco Christi, habent Dei. Sensus est: Cùm tanta sit charitas Dei erga nos, quidnam accidere possit nobis tam acerbum aut triste, quod faciat nos deficere à Deo tantopere nos diligente, id est, quidnam tandem possit nobis accidere, quod Deus qui tantopere nos amat, non sic moderetur & gubernet, vt nequaquam deficiamus ab ipso, & excidamus à salute: vel certè quidnã tandem possit nobis accidere, propter quod deficiamus à Deo diligendo? Vt charitas Dei sit illa, qua nos diligimus Deum. Secundum priorem interpretationem charitas accipitur actiuè, nimirum pro ea qua Deus nos diligit. Vtraque interpretatio bona est, & insignes habet authores. Quod quidam dicunt sermonem Græcum excludere posteriorem, ridiculum est. Nam ex alijs scripturæ locis constat, vocem Græcam seruire vtriq; amori: Manifestus locus est in Euang. Ioannis cap. 5. Cognoui vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis, vbi eadem est vox quæ hoc loco, videlicet ἀγάπη.

Quæ sequuntur.

Tribulatio an angustia, &c.) Expositione opus non habent. Obseruandum autem est secundum interpretes Paulum loqui de finali separatione, & quæ dicit ea referri ad electos. *Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur*, id est, propter confessionem nominis tui, morti tradimur (*tota die*) Propter te & confessionem nominis tui æstimati sumus sicut oues occisionis, id est, quæ occisioni vel mactationi sunt destinatæ.

Sed in his omnibus superamus) Græcè est ὑπερνικῶμεν quod si ad verbum interpretemur, sonat, Supervincimus vt plus aliquid intelligamus quàm vincimus. Sensus est: In omnibus his & tantis malis facilè vincimus siue facilè superiores euadimus.

Propter eum qui dilexit nos) Augustinus libro de ciuitate Dei 22. cap. 23. & lib. de doctrina Christiana 4. cap. 20. legit, per eũ qui dilexit nos, atque ea lectio est in Græcis exemplaribus quæ hodie habentur in manibus. Et apud interpretes Græcos, Ambrosius tamen legit propter nos, intelligens nos in tantis afflictionibus infracto animo perdurare in amore Christi, qui tantum nobis impenderit. Secundum alteram lectionem sensus est: In omnib. his malis superamus, non nostra, sed Christi virtute, qui dilexit nos.

Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Certus sum enim quia neq;) id est, mihi persuasum habeo, vt vertit Eras. vel confido vt vertit Hieroym. in Epistola ad Algas. quæst. 9. Atq; ita legit Ambrosius. (*Quòd neque mors*). i. cõminata (*neq; vita*). i. promissa. (*neque angeli neque principatus neq; virtutes*) Tribus his nominibus totum chorum siue ordinem angelorum Apostolus significat. Sensus est: nullus omnino spiritus, neq; bonus, neq; malus. *Neq; instantia*). i. præsentia bona (*neq; futura*) bona, vel neq; præsentia & vergentia mala, neq; futura (*neq; fortitudo*) fortitudo non legitur apud Græcos, neque habet ad quod respondeat, cùm instantia. i. præsentia futuris respondeant, & altitudo profunditati: vnde verisimile est redundare, maxime cùm neq; in omnibus latinis legatur, (*altitudo*). i. summę res (*profundum*). i. res infimæ, id est, nihil eorum quæ in cœlo sunt sursum, vel in terra deorsum (*neq; creatura vlla*) si quæ est alia, poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo. i. à charitate Christi, vel à charitate quæ exhibita nobis est à Deo, & declarata est erga nos, dum tradidit pro nobis in mortem Filium suum Iesum Christũ. Vel tertio: à charitate, quæ nobis donata est propter meritum Christi. Difficultas hîc est: quomodo locus iste, Certus sum enim, &c. consistat cùm alijs scripturæ locis, quæ negant hominem certum de perseuerantia vsq; in finem. Respondent quidam, Apost. de se solo loqui, atque ipsum ea de re habuisse reuelationem. Huic responsioni obsistit quod pluraliter dicat (nos) neque vita neq; mors, &c. poterit nos separare. Vnde alij quod hîc dicitur, referunt generaliter ad omnes, qui secundum propositum vocati sunt, hoc est ad prædestinatos: sed neq; hoc responsio caret scrupulo, cùm illis se annumeret Apostolus. Vnde est tertius commentarius, qui cũ limitatione quadam interpretatur, quod dicitur hîc: Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita poterit nos separare à charitate, scilicet quantũ est ex charitate, licèt bene quantum ex vertibilitate li. arb. vt explicet Apost. naturam charitatis, sed non videtur Apostolus fuisse ea de re solicitus. Quare vt hîc aliquid certi & solidi habeatur, imprimis inspicienda est significatio vocis, qua hoc loco vtitur Apostolus, ea autem perenda est ex alijs locis, in quibus eius vsus est. Ex cap. 6. ad Heb. Confidimus de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti. Item ex 1. cap. poste. Epistolæ ad Timo. Certus sum autem quòd & in te, scilicet fides habitet non ficta. Item ex capite 25. Epist. ad Rom. Certus sum aũt fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis in dilectione, etc. Vbiq; est πέπεισμαι eadem vox, quæ hoc 8. capite ponitur vnde discimus vocabulũ illud pertinere ad omnem persuasionem, etiam non certam, sed probabilem tantùm: Nam nemo dicat Paulum fide credidisse, Romanos plenos fuisse dilectione, aut Timotheum fuisse verè fidelem, alienum prorsus ab omni affectu gentilitatis, aut Iudaismi: Nam taliũ rerum non solet esse reuelatio. Hæc diligenter aduertenda sunt, tum propter Bucerum, qui locum hunc pertinere vult ad omnes iustificatos, indè docens eum qui semel iustificatus est, à gratia non posse excidere, tum propter Lutheranos, qui hinc statuere conantur dogma suum de fide speciali. Omnino enim contendunt vocabulũ πέπεισμαι non pertinere nisi ad persuasionem certam, quæ nullam prorsus admittit formidinem, qualis est certitudo fidei. Sunt his affinia & alia loca ad Phil. 2. Confido autem in domino, quòd & ipse veniam ad vos citò. Secundæ ad Thess. 3. Confidimus autem de vobis fratres in Domino, &c. Ad Gal. 5. Ego confido de vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis. Sed hæc fortè à Lutheranis eludi possent, eò quòd istis locis sit πέποιθα non πέπεισμαι, nimirum in voce media. Solet tamẽ præteritum medium etiam passiue vsurpari, quemadmodum tradunt grammatici.

CAPVT IX.



Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est & cõtinuus dolor cordi meo.

QVia in præcedẽti capite visus est quædam dixisse cum iniuria legis, Vt illa. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur, ne suspicaretur quis ex maleuolentia aut odio gentis suæ ea ipsum protulisse, subiungit hoc caput nonum, in quo declarat singularem suum affectũ erga gentem Iudaicam, & quò magis ei credatur, adhibet iuramentum. (*Veritatem dico in Christo Iesu.*) Commentarij faciunt formulam iurantis in Christo Iesu, id est, teste Christo. *Non mentior*) ad maiorem asseuerationem idem repetit.

Testimonium mihi perhibente conscientia,) .i. conscientia mea mihi testis est eius quod dico (*in Spiritu sancto*) facit Hieronymus & istud, formulam iurandi in Epistola ad Al-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gasiam,quæst.9.& in Epistola ad Hedibiam quæst. 10. in qua bonam partem huius capitis explicat. *Quoniam*) id est quòd tristitia, non leuis aut fortuita, sed magna mihi sit, & incredibilis tristitia & dolor, non qui ad horam pugnat & transeat, sed qui iugiter in corde permaneat.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

Optabam enim ego ipse, &c.) Illud (enim) probat ipsum vere dolere, & dolorem hunc non nisi ex ingenti quodam affectu & charitate singulari erga gentem Iudaicã proficisci. Annota. Erasm. illud (optabam) verbum esse potentiale. Nam quamuis desit particula æp, Chrysost. tamen et Oecum. eam addunt. Sensus est: Si rerum natura pateretur, vel si diuina dispensatio id permitteret, optarem ego ipse, emphasim habet ego, qui tantùm laboraui ne seiungat à Christo, ipse ego optarem anathema esse, id est, separatus & alienus à Christo, non quidem ab eius amore (id enim nemini optare licet) sed à communione felicitatis æternæ, quam expectant qui Christum colunt.

Pro fratribus meis) id est, pro salute fratrũ meorum, id est, salutem ipsorum optarem, si fieri posset, meę salutis dispendio redimere. Voce hac anathema & alibi vsus est Apostolus: Si quis inquit non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, id est, separatus ab omnibus, alienus ab omnibus, quẽ omnes accedere horreant: Quemadmodum enim quæ dijs consecrata sunt, anathema Græcis appellantur, quòd ea religionis causa non liceat contrectare, sic & quę detestationis causa non contingunturs sed à quibus omnes refiliunt, seseq; segregãt, anathema Græcis vocãtur. Vide Chrys. in hunc locum, ex cuius comment. & hoc discres, quid respondendum sit ad quæstionem illã, quæ hoc loco moueri soler, an votum istud Apostoli fuerit ordinatæ charitatis, cùm ordo charitatis habeat, vt suã quisque spiritualem salutem procuret potiùs, quam proximi. Dicitur autem anathema ab ἀνατιθέναι quod est seponere et suspẽdere. Hieron. in Epist. ad Algasiam quæst. 9. putat anathema hic accipi, non pro horrenda illa separatione, quasi optarit Apostolus in perpetuùm separari à præsentia Christi & choro Beatorum, sed pro occisione corporali, hoc sensu: Optarẽ si ita Deo videretur, fundere sanguinem meum pro fratribus meis, vt sit Hebraismus. Verũ reclamat quod sequitur (*à Christo*) sed & Chryso. planè reijcit & reprehendit hunc commentarium tanquam indignum Paulino affectu. Si quis vocem Hebræam consulat, siue loca scripturæ in quibus illius vsus est, inueniet significare ipsam, & cõsecrare & occidere, quòd consecrata Deo mactabãtur, vel quòd ciuitates deuotæ funditus, & ad internecionem delebantur. Loca habes annotata apud Pagninum in thesauro linguæ sanctæ in dictione Haran. Pergit Apostol⁹, & explicat quos vocet fratres dicens (*qui sunt cognati mei secundum carnẽ, qui sunt Israelitæ*) id est, qui genus ducunt à Iacob Patriarcha, qui alio nomine appellatur Israel, cuius nominis ratio exprimitur Genes. 32.

Quorum est adoptio filiorum) id est, ad quos pertinet adoptio, quoniã & olim Deus ipsos in filios, & in populum peculiarem assumpsit, & in adoptione nouæ legis ex promissione patribus facta, primas etiam partes habent. (*Et gloria.*) Mirabilia enim Deus pro eis ac patribus eorum fecisse, & exhibuisse dignoscitur, ob quæ gens Iudaica toto orbe celebris erat. (*Et testamentum*) id est, quibus olim testamentum vetus tanquam singulare beneficium datum fuit. Græci codices in plurali habent testamenta, atq; ita legit Hierony. in Epist. ad Algasiam, quæst. 9. interpretans alterum in litera, alterũ in spiritu, vt qui seruierant in litera, postea seruirẽt in spiritu. (*Et legislatio,*) id est, lex à Deo constituta, sine qua viuebant cæteræ nationes. (*Et obsequium*) Græcè est λατρεία, id est, cultus siue religio. Significat aũt officia sacerdotalia, & ritus ac ceremonias sacrorum.

Quorum patres, &c.) id est, tanto honore Deus dignatus est patres ipsorum, vt ex illis Christum nasci voluerit secundũ carnem. Addit (*secundum carnem*) vt significet illi & aliam esse generationem æternam ex Deo: vnde addit: Qui scilicet Christus est super omnia Deus benedictus, id est, laudandus, & prædicandus in secula, Amen.

Non autem quòd exciderit verbum Dei. Nõ enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. Sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, nõ qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine: promissionis enim verbum hoc est. Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.

Non autem). i. hęc dico (*quòd exciderit verbũ Dei*). i. quòd sic opto ceu desperans, illud nõ est tale, vt ob illorũ incredulitatẽ, putem verbum illud promissionis irritũ factum, quo Deus promsit salutem Israeli.

Nõ enim omnes qui ex Israel). s. secundũ carnẽ progenin sunt, ij cẽsentur Israelitæ secundum dum mentem scripturarum, ad quos videlicet pertineat diuina promissio. Neq; omnes qui sunt ex lumbis Abrahæ nati, censentur filij Abrahæ secundum mentem scripturarum. Refert enim scriptura, Genes. 21. dictũ esse Abrahæ à Domino, non in Ismaele, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, sola posteritas Isaac dicitur posteritas Abrahæ. Historia autem hæc quæ habet, Deum discreuisse inter semẽ Abrahæ, vt Isaac assumeret, Ismaelem verò natum ex eadem carne repudiaret, significat nobis per allegoriã, quod non censentur filij Dei, ad quos pertineat benedictio & hæreditas, qui carnalem tantùm ducunt originem ab Abraham, sed qui filij sunt promissiõis, id est, quos gratia vel virtus promissionis diuinæ regenerauit per fidem: hi demũ habentur in semine illo, cui promissa est benedictio. Isaac enim natus est non naturaliter, sed virtute Dei promittentis Saræ prolem supra naturam, sicut scriptũ est in Genes. 18. Vrget ergo Apostolus allegoriam rerum, quod idem facit in Epistola ad Galat. 4.

Non solùm autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cùm enim nondũ nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionẽ, propositum Dei maneret, nõ ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Non solum antẽ illa) scilicet Sara exhibet nobis verorum filiorum Dei exemplũ per filium suum, quem ex promissione, & non vi naturæ concepit, sed & Rebecca eius rei nobis exhibet exemplũ, videlicet quòd filij Dei æstimandi sunt non ex propagatione naturæ, sed gratia adoptionis ex diuina electione, non ex proprijs aut parentum meritis, sed gratuita Dei vocatione. Potuissent Iudæi ad prius exemplũ respondere, Ismaelem natum ex serua, proinde non esse mirũ, ipsum fuisse reiectum. Adhibet ergo Apostolus hoc secundum exemplũ, in quo proponit duos fratres ex eodem patre, eadẽ matre, simulq; eodẽ die progenitos, imò eodẽ coitu seminatos: Hoc enim est quod dicit.

Ex vno concubitu habens) scilicet in vtero gemellos, quorum tamen alter reiectus sit. Vtile autem est obseruare in hoc capite tranſitum Apostoli: Siquidẽ hactenus commendauit gratiam per Christum factam. Hic verò transit ad gratiam electionis, & prædestinationis, vt ostendat primum fontem iustificationis, & omnis operis boni.

Cùm enim nondũ nati essent) id est, cùm Iacob & Esau iam concepti quidẽ essent, sed nondum in lucem editi, & cùm nec dũ per ætatem, neq; ille vel aliquid boni egisset, ob cuius meritum honoraretur à Deo præ fratre: neq; hic aliquid mali fecisset, cuius merito subijceretur seruitio fratris, (*vt propositum*) quo Deꝰ proposuerat honorare Iacob præ Esau (*maneret*) firmum secundum sponteneam electionẽ, qua prælegit sua voluntate Iacob (*dictum est*) non propter vlla opera bona vel mala Iacob vel Esau, sed ex gratuita Dei vocatione, ipsi Rebeccæ, Gen. 25. Maior seruiet minori. Sic Malachiæ primo testatur scriptura.

Iacob dilexi, Esau autem odio habui) id est, cùm fratres essẽt Iacob & Esau, meritis prorsus pares, nisi quòd Esau, quia primogenitus erat, hoc nomine præferẽdus videretur, ego tamen gratuita mea dilectione elegi Iacob, cui darem fertilem terram Chanaan: Esau verò nõ elegi, sed reieci in aspera saxa & montana. Et sicut ad hæreditatẽ terræ Chanaan Iacob ob nulla sua merita elegi: Ita ipsum quoque gratuita prorsus misericordia ab æterno dilexi, elegi, & prędestinaui, vt esset verus filius Dei, in quo implerentur promissiones spirituales factæ patribus, reicẽto & reprobato Esau.

Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deũ? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Exod. 33. d

Quid ergo dicemus?) Nunquid iniquitas (est) *apud Deum?*) qui hunc eligat, illum verò reprobet, qui tamen inter se prorsus pares sunt? Absit, vt dicamus iniustum esse Deum. Electio enim est meræ misericordiæ, vnde nulli est debita: si nulli debita, ergo nulla iniustitia, si è massa perditiõis hũc Deus eripiat, illum verò non eripiat. Quia iniustitia ibi solum locum habet, vbi inuenitur ratio debiti. Electionem autem diuinam nõ ex debito cuiquam contingere, sed per misericordiam gratuitam, docet locus Exodi, qui sic habet: *Miserebor cuius misereor*) hoc est, per gratuitam meam misericordiam eum demum è miseria eripiam, vocando, iustificando, & tandẽ glorificando, cuius ab æterno mihi placuit pro mea gratuita misericordia misereri, (*& misericordiã præstabo*) hoc est, gratiã exhibebo, cui mihi pro mea libera voluntate collibitũ est exhibere gratiam, id est, cui pro indebita & gratuita mea misericordia ab æterno mihi placuit facere gratiam, eligendo & prædestinando.

Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendã in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Exod. 9. d

Igitur non est volentis neq; currentis) scilicet vt eligatur, id est, ex testimonio Exodi iã

 addu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

addo to consequitur diuinam electionem & prædestinationem non contingere propter vllum meritum aut voluntatis bonæ, aut bonæ vitæ siue conuersationis, sed ex gratuita Dei misericordia, qua vult quorundam misereri, & hæc quidem de electione. Reprobationis verò exemplum habemus in Pharaone, cui vt refert scriptura, Exod. 9. dictum est à Domino. Excitaui te vt contumacius resisteres imperio meo, non tantùm permittendo, sed multa tum intus tum foris operando, quæ per occasionem, maioris contumaciæ causa essent. Sic August. Aliter Ambrosius, qui legit: seruaui te, hoc sensu: càm ob peccata, & præsertim quia affligere soles hospites, dignissimus esses morte, ego tamen te superstitem seruaui.

Vt ostenderem) vocem Hebræam Hieron. in Exo. vertit, posui, id est, stare te feci, quomodo vertunt recentiores, quod idem est cum eo quod habet Amb. seruaui te. Est illa vox quæ in Psalm. 1. In via peccatorum non stetit, nisi quod hic alterius sit coniugationis, nimirum Hipil. quæ coniugatio apud Hebr. transitiua est, significat ergo sistere.

In hoc ipsum) id est, ad eum finem stare te feci siue seruaui, vt ostenderem in te virtutem meam, id est, vt cognoscant ex te omnes quàm potens sit Deus Israel, & vt gloria nominis mei celebretur in vniuerso orbe.

ERgo cui vult, miseretur: & quem vult, indurat. Dices itaq; mihi. Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit. Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidam vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

Esai. 54. b
Hier 18. a
Sapi 15. a

ERgo cui vult, miseretur.) Istud infertur ex priori testimonio Exodi, & quod sequitur (*quem vult indurat*) ex posteriori. Sensus est: cùm ad declarandam potentiam suam quosdam induret Deus & reprobet, sicut de Pharaone docet Exodus: sequitur quòd pro libera sua voluntate quosdam induret: non ob vlla merita etiam præscita. Scrupulus hic est non paruus, quomodo verum sit, quòd indurationis diuinæ ratio & causa, sit sola Dei voluntas, & non humanum meritum: cum scripturæ quæ habent Deum tradere quosdam in reprobum sensum, ferè non nisi ob præcedentia peccata illos in reprobum sensum traditos asseuerent. Quem admodum & de Pharaone docet Aug. li. 83. quæst. 68. Prioribus meritis quib⁹ in regno suo afflixit peregrinos, hoc redditum est Pharaoni, vt induraretur cor eius. Item de na. & gra. c. 22. Ex quib⁹ videtur quòd propter mala merita, non propter solam suam voluntatem reprobet Deus quosdam. Quæ ratione commoti videntur, Hieron. Amb. Chry. Theoph. & Oecum. vt conclusionem hanc contendant positam esse non ex persona Pauli aliquid affirmantis, sed ex persona aduersarij adhuc obijcientis. Ad hunc scrupulũ bifariàm respondetur. Primò, indurare hîc accipi ab Apostolo vt significet non effectum reprobationis, qui est deserere hominẽ, & multa operari tum foris tum intus, quibus occasione accepta fiat deterior: sed reprobationem ipsam, quam constat fieri non propter vllum meritum. Verùm quia scriptura citata ex Exodo, palam agere videtur de induratione, quæ est effectus reprobationis: aliter responderi potest, quòd induratio Pharaonis reddita quidẽ est prioribus meritis, quemadmodum dixit Aug. sed quòd huius indurationis propria causa nõ alia est quàm Dei voluntas, nolentis cor Pharaonis emolliri ad veri Dei agnitionem. Quòd enim è duobus æquè indignis, & ex æquè rebellibus, alterum Deus pro suis meritis finit fieri rebelliorem & duriorem, ad occasionem multorum beneficiorũ. Alterius verò cor emolliat, ad occasionem eorundem vel similium beneficiorum, id ad solam Dei voluntatem referri potest.

Dicis itaq; mihi.) Est replica. Obijcis denuò mihi: Si quæ vult facit, hoc est, si eligat Deus quos vult, similiter quos vult reprobet & induret, eiusq; voluntati nemo valeat resistere (*quid adhuc queritur?*) de Pharaone? quid adhuc cõqueritur de impijs apud Prophetas, quòd non conuertantur ad Deum & saluentur? Quare irascitur contra illos?

O homo tu quis es, qui) disceptare audes cũ Deo: Est tacita ἀναθεώρησις in vocibus homo & Deus. Est præterea emphasis haud quaquam ociosa: nihil enim est homo collatus Deo. *Nunquid dicet figmentũ eum, &c.*) Sensus est: Nunquid vas fictile dicere de iure poterit figulo, quare fecisti me huiusmodi & non potius illius generis vas? quasi dicat, minimè. Vox de subdit. (*An non habet potestatem figulus*) qui in luto operatur, ex eadem argillæ temperatura facere aliud quidã vas ad vsus honestos, aliud verò ad inhonestos? Notandũ similitudinẽ hanc eatenus tantùm ab Apostolo adhiberi, vt per eam declaret nullam esse cuiusis iustam querelam aduersus Deũ, si è massa generis humani quosdam reprobet, qui vasa sint in contumeliam: Non aũt vt per eam significet, libera agendi ratione destitutos esse impios, sicut est lutum: quod indè patet, quòd mox volens declarare causam diuinæ voluntatis quosdam reprobantis, subiecit: Deum sustinuisse in multa patientia vasa iræ apta in interitum. Quibus verbis palàm expressit, reprobatos diuina patientia diu fuisse expectatos vt conuerterentur, & noluisse conuerti. Sicut & in fine huius capitis testatur, rationem quare pereat Israel, hanc esse, quia noluit acceptare iustitiam per fidem. Deniq; ipsa historia sacra de Pharaone planè indicat, ita à Deo iudicatum Pharaonem, vt tamen non fuerit ei adempta libertas, & facultas arbitrij, vide cap. 7. & 8. & 9. Exodi: Dimitte populũ meum. Si autem nolueris, &c.

QVòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptа in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: Quos & vocauit nos, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osea dicit: Vocabo non plebem meam plebem meam: & non dilectam, dilectam: et non misericordiam consequutã, misericordiam consequutam. Et erit, in loco vbi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Esaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.

QVòd si Deus volens) declarare humani generis (*iram*) id est iustitiam vindicatiuam (*& notam facere potentiam suam*) qua impios velint nolint sibi subijcit (*in multa*) lenitate tolerauit, expectans & inuitans ad pœnitentiam (*vasa*) in quæ semel effundet iram suam, in quibus agnoscetur veluti depicta sancta ipsius iustitia vindicatiua (*apta*) id est, aptata siue parata (*in interitum*) Græcè enim est κατηρτισμένα, id est quæ propria sua duritia & impœnitẽtia effecta sunt apta & dignà morte.

Ostenderet diuitias gloriæ suæ) vt ex comparatione seueriſsimi iudicij sui contra improbos seu reprobos, commẽdationem faceret orbi exuberantem suam misericordiam erga electos, quos præparauit ad æternam gloriam accipiendam. Quæ sequuntur iam legunt quidam per parenthesim, vsq; ad illũ locum: Quid ergo dicemus? vbi compleri dicunt periodum, quæ cœpit ab eo loco: Quòd si Deus, &c. Sed quia pars hæc: Quid ergo dicemus? minùs aptè respondet illi: Quòd si Deus volens, &c. probabilius erit, si subaudiamus, quis eum poterit culpare, vel nihil habet homo quod incuset, vel disceptet cum Deo.

Quos & vocauit scilicet ad gratiam Euangelij & ad fidem. Illud (nos) additum est explicandi gratia, quos & vocauit nempe nos. Ac rursum ne (nos) videretur ad solos Iudæos pertinere, subijcit (*non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus: sicut in Osea dicit. Vocabo, &c.*) hoc est, gentes quas hactenus non agnoui pro plebe mea propter cultũ idolorũ, cui erant deditæ, agnoscã pro plebe mea.

Et erit in loco vbi dictũ est eis) i. in Gallia, in Italia, & alijs regionibus, vbi hactenus vixerunt homines alieni à vero cultu Dei, amplectentur verum cultũ Dei, & erunt & vocabuntur veri filij Dei. *Esaias aũt clamat pro Israel, si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, &c.*) Sensus est, etiam si numerus filiorum fuerit maximus, ex illis tamen (*reliquiæ*) supple solæ (*saluæ fient.*) Hic indirectè significatur vocatio gentium, dum dicitur, quòd pauciſsimi tantùm Iudæi salutem consequentur. Quare promissiones in alijs implebũtur. Pertinet ergo prophetia ad abiectionem Iudæorum. Alij tamen accipiunt de ipsorũ vocatione, quod neq; Paulo neq; Esaiæ satis congruit, facit tamen pro illa expositione præpositiu (pro) cuius loco apud Paulum est ὑπέρ, quæ anceps est ad, pro, et super, siue de. vnde Erasmus. Esaias autem clamat super Israel.

VErbum autem consummans, & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram, & sicut prædixit Esaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.

VErbum enim cõsummans, & abbreuians) scilicet est vel erit ipse Deus. i. Deus cõsummabit sermonẽ sinuosæ legis, & abbreuiabit in æquitate. i. pro sua iustitia per doctrinã fidei. *Quia verbum breuiatum*) hoc est verbum fidei de quo in cap. sequenti, illud Dominus proponet vniuerso orbi, quod repudiantibus Iudæis amplectentur gentes, & sicut in superiori parte suæ, pphetiæ, nempe in 1. cap. dixit Esaias. *Nisi Dominus Sabaoth, &c.*) posset videri illud semẽ intellexisse propheta, quod per captiuitatẽ non est consumptum. Pauciſsimi enim ex decem tribubus redierunt: Sed aliter nobis hoc explicat Apostolus. Quare in his duobus capitibus Esaiæ 10. & 1. intelligendus est propheta à litera transiſsile ad rem mysticam, vel si etiam literalẽ sensum intenderit, in illo adhuc intelligi debet allegoria, qnẽadmodũ captiuitas de qua agit, typ⁹ fuit maioris captiuitatis

QVid ergo dicemus? quòd gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petrã scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.

Esa. 28. d
& 8. c
2. Pet. 2. d

QVid ergo dicemus?) Cùm sic vaticinati sint prophetæ de reiectione Iudæorũ & de gentium vocatione, quid dicemus ex his vaticinijs consequi? hoc certè: quòd gentes quæ non erant deditæ studio iustitiæ & virtutum, apprehenderunt. i. assecutæ sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitiam, siue peruenerunt ad iustitiam, iustitiam (inquam) quæ contingit per fidem, (*Israel verò*) id est, Iudæi: (*sectando legem iustitiæ*) id est, legem ipsorum opinione iustificantem vt sit Hebraismus, vel legem iustitiæ, id est, iustitiã legis, vt sit Hypallage, (*in legem iustitiæ*) id est, in ipsam iustitiam, sicut suprà vocauit fidem, legem fidei, vel in legem iustitię, scilicet in rationem & formam veræ iustitiæ non peruenit.

Quare? *Quia non ex fide?*) scilicet Israel sectatus est iustitiam, siue contendit peruenire ad iustitiam, sed ex operib⁹ fide vacuis tanquam illa valerent ad apprehendendam iustitiam. Quòd autem ipsi Iudæi non ex fide studuerunt apprehendere iustitiam, hinc patet, quia offenderunt, id est, impegerunt in Christum tanquam in lapidem offensionis. Siquidem intuentes Christi humilitatẽ, noluerunt eum agnoscere vt promissum Messiam, sed ipsum reiecerunt.

Sicut scriptum est, *Ecce pono in Sion, &c.*) Testimonium hoc contextum est ex duobus Esaiæ locis. Initium enim nempe: Pono in Sion lapidem, & finis nempe: Et omnis qui credit in eum, non confundetur, sumpta sunt ex Esa. 28. cap. Cæterùm quod in medio intertexuit: Et lapidem offensionis & petram scandali, sumptum est ex eiusdem cap. 8. Sensus est: Ecce colloco in Ecclesia, cuius typus Sion est, tanquam angularem & fundamentalem lapidẽ ipsum Christum toties promissum, qui superbis & incredulis Iudæis futur⁹ est lapis offensionis, in quẽ impingant: & petra scandali, ad quã ruant, confringantur, & conterantur. Verùm ijs qui venientẽ in propria recipiunt, futurus est author iustitiæ & salutis, hoc est, quod dicit (*& omnis qui credit in eũ*) siue Iudæus fuerit siue gentilis. Qui inquam credit corde perfecto, quemadmodum antè dictum est, non confundetur, sed consequetur iustitiam & salutem.

CAPVT X.



Fratres, voluntas quidẽ cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimoniũ enim perhibeo illis, quòd æmulationẽ quidem Dei habent, sed non secundum scientiam: ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Fratres, voluntas quidẽ cordis mei.) Quemadmodum in præcedenti capite ita hic quoq; amolitur suspitionem maleuolentiæ siue odij erga gentem Iudaicam. Nemo inquit putet, quæ in cap. 9. de Iudæorum reiectione dixi, me odio illorum dixisse, amo siquidem eos intensissimè. Nã voluntas cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem, hoc est, ex summo erga illos affectu, vehementer opto illorum salutẽ, nec solùm opto, sed etiam preces fundo ad Deum, vt salutem consequantur. Pro voluntate Græcè est εὐδοκία, quæ vox significat propensam voluntatem, beneuolentiam, ac fauorem gratuitum, quem quis gerit erga alterum. Chrysostomus interpretatur vehemens animi desiderium.

Testimoniũ enim perhibeo illis, &c.) id est, zelũ. Ea enim vox est in Græco, & interpretantur quidam zelum, qualis erat Pauli persequentis Christum, vt sensus sit: quòd persequuntur & reijciunt Christum, id faciunt commoti Zelo legis diuinæ, & diuini honoris, putantes Christum & Christi fidem doctrinæ à Deo per Moysen traditæ aduersari. Alij zelum intelligunt vehemens studium eorũ in rebus Dei, vt in ceremonijs, &c. hoc sensu: Magno studio conãtur placere Deo, & obseruare legem: sed non secundum scientiam, id est, nõ secundum eam rationem qua fieri potest, vt omnia obseruentur. Studebant Iudei obseruare quidem omnia, sed præposterè & imperitè, nõ quærentes sanitatem naturæ per fidẽ Christi. Hic sensus accõmodatior est ijs, quę hoc loco ait Paulus.

Ignorantes enim iustitiam Dei.) Hic explicat in quo sita fuit ipsorũ ignorantia, nempe quòd putarint se suis viribus sine gratia Christi posse fieri iustos. Qui error & Pelagianorum fuit. Iudæorum ergo propriam iustitiam appellat, quam ipsi suis viribus⁹ adiuti doctrina legis conabãtur præstare. Cui iustitiæ opponit Dei iustitiam, id est quam Deus in homine efficit, quæ secundum Augustinum in lib. de spiritu & litera, complectitur non solùm remissionem peccatorum, sed etiam opera iusta & legis impletionem. Chrysost. vrget verbum (quærere.) Quod dicit Apostolus (*quærentes statuere*) est præsentis, ostentantis, siue simulãtis. Qui enim statuere quærunt, nondum statuerunt. Significatur ergo secundũ Chrysostomum verbo, quòd nec iustitiam legis assequebantur. Illud (*nõ sunt subiecti*) non est tale quale dum dicimus, aliquem subiectum esse principi. Sed sensus est: non præbent se gratiæ Dei.

Finis enim legis Christus, ad iustitiã omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cælum? id est Christum deducere. Aut, quis descendit in abyssum? hoc est, Christũ à mortuis reuocare.

Finis enim legis est Christus, &c.) id est, finis ad quem omnia officia legis ducunt & vocant, Christus est, (*ad iustitiam omni credenti*). i. nõ est data lex, vt ex ea per vires suas iustificetur homo, sed vt per eam ducatur ad Christũ, per cuius fidẽ iustificetur. Præter hãc aliam habet interpretationẽ Chrys. illam videlicet: finis .i. consummatio & perfectio legis, est Christus, quia sine fide non potest impleri lex, sed fides Christi vires præstat homini, vt implere valeat legẽ. Vtrunq; sensum admittit vocabulum Latinũ, & maximẽ Græcum. Est enim τέλος, vnde quod absolutum, & omnibus quæ requiri solent perfectum est, ipsi τέλειον appellant.

Moyses enim scripsit, &c.) Apostolus data opera obscuro vsus est testimonio sumpto ex lege, quum potuisset ex prophetis apertè protulisse: vt ostenderet etiã ab ipso Moyse traditum esse discrimẽ inter iustitiam legis & iustitiam fidei. Quod ad lectionẽ attinet, Græci Paulo aliter hæc legunt, hoc modo: Moyses enim scribit iustitiam, quæ ex lege est, quod qui fecerit hæc homo, viuet in eis. Quomodo etiã legit & interpretatur Amb. Item Chrys. Theo. & Oecum. Et si inspiciatur caput 3. epist. ad Gal. vbi idem testimonium citatur, videri poterit locus hic à scribis deprauatus, verbis nonnullis transpositis. Aug. tamen in lib. de spi. & lit. cap. 29. legit quomodo nostra iam habent exemplaria. Secundũ priorem lectionem illud (scribit) idẽ est quod describit. Sensus enim est: Iustitiam quæ ex lege est, in hunc modũ describit Moyses, nempe: Quod qui fecerit hæc, id est, qui fecerit leges meas ac iudicia. Respicit enim ab verba Leuit. cap. 18. Custodite leges meas atq; iudicia, quę faciens homo viuet in eis. Secundum nostram lectionem sensus est: Moyses scripsit quòd homo qui fecerit iustitiam, quæ ex lege est, i. iustitiam legalem, viuet in ea, hoc est, non interficiet eum seueritas legis, sed perfruetur vita præsenti. Iustitia ergo legis non remittit peccata, nec præstat vitam æternam, sed solùm liberat à pœna & supplicio humano, quod infertur transgressoribus. Hic est vulgatissimus comment. quem valde probabilem facit capite 3. Epist. ad Gal. Constat enim ex doctrina ibi ab Apostolo tradita, per prius membrum scripturæ ex Leuitico citatæ: Qui fecerit leges meas atq; iudicia, intelligendam esse iustitiam legis, non quidem simpliciter quæ præscribitur vel docetur à lege, sed quę præstatur sine fide per vires naturæ. Palàm enim pronunciat Apostolus legem nõ esse ex fide, ex quo & illud tanquam necessariũ consequens colligendum est alterum membrum: Viuet in eis, prorsus intelligendum esse de præmio vitæ temporalis & præsentiũ bonorum, non autem de præmio vitæ æternæ. Perspicuum enim est præmium vitæ æternæ non contingere propter vllum opus, aut vllam legis obseruationem, quæ non fit ex fide. Iustitiam ergo legis Moyses sic describit, vt significauerit eam præstare salutem corporalem & temporalem tantùm. Iustitiam verò fidei sic describit, vt testatus sit eam præstare salutem æternam. Id enim imprimis aduertendum est, in quo posita sit antithesis, quã indicat particula (autem) quæ autem ex fide est iustitia, &c. Quidam interpretes putãt Paulum alludere tantùm ad verba Deute. quasi diceret: Iustitia fidei rectè vti potest his verbis, quibus vsus est Moyses in Deute. licet ea non sint scripta à Moyse de iustitia fidei. Alij multò probabilius dicunt, Apostolũ non solum vsum verbis Moysi, verum etiam sensum expressisse, ad quod intelligendum diligenter inspicienda est doctrina, quã tradit Moyses Deut. cap. 30. Docet siquidem ibi superesse spem salutis & reconciliationis cum Deo ipsis Iudæis, etiam postquã super eos venerint comminatæ maledictionis, modò ducti pœnitudine cordis in tota anima reuertantur ad Deum. Manifestũ autem est eam cordis ad Deum conuersionẽ, nulla ratione constare posse siue fide misericordiæ Dei, per quam paratus sit pœnitentem peccatorem recipere in gratiam. Porrò fides misericordiæ Dei paratæ pœnitentibus sub statu veteris legis, implicitè saltem complectebatur fidem in Christum, quam palàm prædicat Euangelium: Quare aptissimè & decentissimè quod de cõuersione cordis ad Deũ scripsit Moyses, Apostolus interpretatur de fide in Christum. In verbis inquit Deut. quibus Moyses dedit mandatum filijs Israel, siue doctrinã de interna conuersione mentis ad Deum, iustitia quæ ex fide est sic loquitur, *Ne dixeris in corde tuo*) id est, ne admittas hanc dubitationem & diffidentiam in cor tuũ, vt tanquam diffisus de misericordia Dei cogites tecum. Quis nam ascendere potest in cœlum? vt illinc nobis adferat verbum de promissa misericordia pœnitentibus? Id dubitanti animo voluere nihil aliud est, quàm (*Christum deducere*) id est, deorsum ex alto traliere, & eum rursus videre velle, hoc est, dubitatio huiusmodi, qua dubitat de misericordia Dei, implicitè continet dubitationem, vtrum Christus de cœlo descenderit, & naturam humanam assumpserit ad reconciliandum nos Deo. Et iterum ne dixeris.

Quis nam posset descendere ad inferos, vt illinc adferat nobis verbum conuersionis? videlicet ex conspectis inferis factus certior, an pœnitentibus sit locus, hoc est Christum à mortuis reuocare, id est ea dubitatio an apud inferos detineãtur peccatores, qui pœni-

Deut. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnitentiã egerunt, continet implicitè dubitationem, vtrum Christus deuicta morte ascenderit ad Patrem. Hæc quidem vetat iustitia Dei apud Moysen, nunc audite quid ipsa exigat.

Deut.30.c *SED quid dicit scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est, verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confiteris in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus illũ suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Sed quid dicit) scilicet iustitia fidei? Nam illud (*scriptura*) nõ est in Græcis codicibus, neq; Aug. de spi. & li. cap. 29. legit. Erasm. in anno. putat additũ ab ipterprete, sed omnino verisimile est ab aliquo librario adiectũ esse, cùm non inueniatur in omnib⁹ latinis.

Aug. de spir. & li. cap. 29.

Prope est verbum) Græcè est τὸ ῥῆμα præpositio articulo, sensus est: Verbum quod proposui de cordis ad Deum conuersione, propinquum factum est tibi, vt illud corde credas, & ore confitearis, hoc est verbum fidei, Hoc verbũ de quo Moyses ait, est illud ipsum verbũ fidei, quod iam prædicamus: nempe per fidem in Christum omnibus paratam esse spem iustitiæ siue venię, & reconciliationis cum Deo, & salutis.

Quia si cõfiteris in ore tuo) explicat hîc quid apud Moysen significet os, quidq; significet cor. In voce (Dominus) emphasis est. Sensus hîc est: Si non erubescas confiteri, & testari aperto sermone Iesum esse Dominum, cui data est potestas à Patre in cœlo & in terra, & si verè & ex animo, ac nõ oretenus tantùm credideris, quòd Deus Pater eum, propeccatis mundi mortuum à morte suscitauit, saluus eris: ea nimirum salute, ad quam obtinendam humano generi ipse Christus mortuus est, hoc est, assequeris salutem æternam, & non tantùm vitam temporalem, quam diximus præstare iustitiam legis.

Esai.28.d *CORde enim creditur ad iustitiam: ore autẽ confessio fit ad salutẽ. Dicit enim scriptura. Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

Ioel 2. & Actor. 2. c

CORde enim creditur ad iustitiam.) Hoc est cordis fides valet ad accipiendam iustitiam, hoc est, mediũ est quo peruenitur ad iustitiam: confessio oris, medium est quo peruenitur ad salutem. *Dicit enim scriptura, omnis qui credit*) ea fide quæ etiam ore audeat confiteri Christum, non confundetur, id est, etiam si non statim accipiat promissam salutem, tamen non frustrabitur spe sua siue exspectatione, Intelligendum est, si tamen permanserit & perstiterit in illa fide.

Non enim est distinctio) vocula (enim) refertur ad notam vniuersalitatis. Scriptura Esaiæ vniuersaliter dicit: Omnis qui credit in eum, non confundetur, ergo non est distinctio Iudæi & Græci, quantum ad hoc negotium attinet, sed omnis qui credit, siue antè educatus in lege Moysi fuerit, siue nõ. *Nam idẽ ipse est omniũ Dominus dives in omnes*) Græce participium est πλουτῶν. i. diuitijs abundans siue affluens. i. copiosè effundens sua dona in omnes, qui inuocant eum. Omnis enim quisquis is fuerit, siue Iudæus siue gẽtilis, qui ex vera fide inuocauerit nomen Domini. i. Christũ, implorans supplex iustitiã, deinde auxilium gratiæ, saluus erit.

QVomodo ergo inuocabunt eũ, in quẽ non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo aũt audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabũt, nisi mittantur? sicut scriptũ est: quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.

Esai.52.c Nahum.1.b

QVomodo ergo inuocabunt eum, &c.) Difficile est hanc sententiam connectere cum superioribꝰ Chryſ. intelligit, quomodo inuocabunt. s. Iudæi? secundum quem scopũ Apostoli hoc loco est ostendere, Iudæos non excusandos per ignorantiã. Alijs videtur quòd ordinẽ doceat, quo quis per Messiã possit saluus fieri. Hi, quod dicitur (*quomodo ergo inuocabunt*) referunt tam ad gentiles quàm ad Iudęos. Sed omnino verisimile est Apostolum respexisse gẽtes, & per occupationẽ hæc inseruisse. Cùm enim totus esset in conuertendis gentibus, offendi poterant Iudæi, & mouere illi quæstionem. Dicit ergo Apostolus occurrens quæstioni siue obiectioni Iudæorum: Ne offendat vos ô Iudæi studium meum in prædicãdo gentibus. Ostendi enim iam Gentes ex voluntate Dei esse participes Euangelij, & scripturam de vtroq; populo ex æquo loqui. Nonne nostrum ergo est ijs prędicare? nam quomodo alioquin Deũ inuocabunt, *si vobis* solis simus diditi? Inuocare non potest quis nisi credat, ad hoc vt credat, necesse est vt quod credendum est, audiat proponi. Porrò vt audiat proponi, opus est prædicatore Prædicatorem verò mitti oportet.

Quomodo prædicabunt nisi mittantur?) scilicet quum scripturæ significent fore vt quidam mittantur, hoc enim subaudiendũ est: nam sequitur, sicut scriptũ est, &c. In verbo mittantur, quod est ἀποστελλῶσι, allusum est ad nomen Apostoli: significat autem ea vox mitti, non quomodocunque, sed sicut mitti solent legati cum mandatis.

Quàm speciosi pedes) id est, quàm gratus erit aduentus Apostolorum euangelizantium pacem, scilicet inter Deum & homines. *Euangelizantium bona*) non vulgaria, sed de quibus in Euangelio.

Sed

Esai.53.a Ioan.12.f Psal.18.a

SED non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu: auditus autẽ per verbum Christi. Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Sed non omnes obedunt) id est, credunt Euangelio. Non enim est sensus, non præstant quod Euangelio præscribit. Chryſ. putat esse solutionem obiectionis Iudæorũ. Argumentum Iudæorum contra Paulum erat, Messias peculiariter promissus est Iudæis, pauci verò Iudæorum credunt in Iesum, ergo ipse nõ est verus Messias. Respondet Paulus, vel ex hac nota licet Iesum credere Messiam, quòd venientem in sua, sui eum non recipiant: id enim futurum prædixit Esaias, dum ait: *Quis credidit auditui nostro?*) quasi dicat: nullus aut certè paucissimi ex Iudæis. Auditus ponitur pro sermone, qui auditur. Sẽsus est: Quis credidit verbis nostris, siue prædicationi vel doctrinæ nostræ? *Ergo fides ex auditu est*) id est, fides quantum ad explicationem credendorum, non nascitur nisi audiatur, quidnam sit credendum. *Auditus autem per verbum*) Dei, id est, quidnã credendum sit auditur per verbum Dei (quod prędicant legati illi de quibus Esaias. *Quàm speciosi pedes &c.*) siue scriptum illud sit, siue non. Intelligit ergo per Dei siue Christi, omnes omnium Apostolorum cõciones, siue postea relatæ sint in Bibljs siue non. Neq; enim, quod volunt Lutherani, accipi potest pro solo Euangelio scripto, quia Paulo hæc scribente nondum scriptum erat totum Euangelium. *Sed dico, nunquid non audierunt?*) scilicet Iudæi? & quidem in omnes plagas totius terræ exiuit sonꝰ Apostol. & in extremas orbis partes verba eorum. Qua igitur ratione fieri potest, vt Iudæi non audierint, cum quibus prædicatores illi tantũ temporis commorati sunt, ex quibus & prodierunt? Alij quod dicitur, ad gẽtes referunt: nunquid non audierũt? scilicet gentes? Ad hanc interpretationẽ inuitat planè quod sequitur: Sed dico nunquid Israel, &c. vbi Israel opponi videtur præcedentibus, ergo de quibus sermo processit, sunt gentes. Psal. ergo 19. ex quo testim. hoc citauit Apost. secundum literã de corporibus cœlestibus loquitur, quæ suam habent linguã, & suo modo loquuntur nobis, & si aduertamus, docent nos diuinitatẽ directricem omniũ. Præter hunc tamen sensum cogimur alium agnoscere propter Paulum, sublimiorem, & allegoricum secundũ quem cœli sunt typus legatorum Messiæ. i. Apost. Nam non est putandũ quòd Paulus per accommodationem tantum, vtatur verbis prophetæ, quod Bernardo familiare est. Hoc enim indignum esset Apo. præsertim seriò volente cõuertere Iudæos. De sententia hac. *In omnem terrã exiuit sonus eorum*) vide Aug. in Epist. ad Hesichium, de supremo mundi die. Chryſ. vaticinium hoc prophetæ impletũ fuisse, putat tempore Pauli. Augustinus longè aliter sentit, putans nec suo quidem tempore impletum fuisse.

Deut.31.e Esai.65.a

SED dico, Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam, in non gentẽ, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Esaias autem audet & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

Sed dico: nunquid Israel non cognouit?) verbum Dei, vt scire posset fide in Christum opus esse ad salutẽ? *Primus Moses dicit*) Græce est πρῶτος, quo ipsi tæpius abutuntur pro comparatiuo. Prior ergo Moyses dicit: Refertur enim ad Esa. quem mox citat. Sensus est: prior quidem, & ante Esaiam Moses Deut.32. in cantico suo testatus est, Gentes propter fidem adoptandas, Iudæos verò propter ea quòd fidem sint repudiaturi, abijciendos, sic inquiens ex persona Dei. *Ego ad æmulationem vos adducam*) Aemulatio, vocabulũ medium est, in bonam partem sonat, imitationem: in malam, inuidentiam. Posterior significatio conuenit huic loco. Nã pro tribus illis verbis ad æmulationem adducam, Græcè est παραζηλόω vnica vox, quæ ferè in malam partem accipitur. Quod additur (in non gentem) Græcè est in non gente, In, pro per, Ego ad æmulationem vos prouocabo per gentem quæ non est gens: sic vertit Erasm. Non gentẽ dicit, pro gente contemptissima nec vllo digna honore. Vnde exponens addit (in gentem insipientem) Græcè rursus est, in gente insipiente. i. per gentem stultam ad iram vos commouebo. i. per occasionẽ, hoc est, quod dicit (in iram vos mittam) Sensus enim est: Tantis beneficijs affliciam nationem illam gentium, quæ habita fuit hactenus pro gente contemptissima, vt fœlicitate qua videbitis affluere gentem illam, prouocãdi sitis ad inuidentiã & iram.

Esaias autem audet.) Coniunctio (autem) connectit hanc partem cum Moyse qui præcessit. Esaias post hunc audet, nec est simpliciter τολμᾷ. i. audet sed ἀποτολμᾷ, hoc est, Esaias tanquã fiducia à Moyse sumpta, qui prior illud dixit, audet cum periculo vitæ suæ, & dicit. (*Inuentus sum*). i. inueniar, hoc est, futurum est, vt gens quæ nihil iam de me cogitat, me inueniat (*palãm*) id est, non per typos & vmbras, sed expressa veritate (*apparui illis qui me non interrogabant*) id est, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui non quærebant scire fidem, & religionem meam.

Ad Israel autem dicit.) In principio capitis 65. Esaias de gentibus loquitur, & ab ijs transit ad Iudæos, quem transitum significare hoc loco volens, Apostolus dicit. Israel autem, quasi dicat dum ad Iudæos Prophetа sermonem transfert, & de ijs loquitur, sic dicit: Tota die &c. Quamquam præpositio πρὸς apud Græcos anceps sit, et verti possit aduersus vel contra Israel. *Tota die*) id est, toto tempore (*expandi manus meas.*) Est gestientis recipere in sinum (*ad populum non credentem & contradicentem*) id est, rebellem & immorigerum. Sunt verba Christi iam exhibiti. Ab initio, inquit, quo veni in carnẽ, summa beneuolentia & desiderio ad salutem inuitaui populum Iudaicum.

CAPVT XI.

Dico ergo: Nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam quã præscinit.

Dico ergo: Nunquid Deus repulit, &c.) Seipsum interrogat, ac sibi respondet. Quod schematis genus, plurimum lucis & acrimoniæ adfert, præsertim in argumentando. Cùm de Israële sic loquantur Moyses & Esaias, cùm illorum testimonia indicent paucitatem Iudæorum saluandorum, quærò num ergo Deus populum suum reiecit. Laborat Apostolus vt auferat scandalum Iudæorum, qui ob id dubitabant, num Christus esset Messias, quòd tam pauci ex peculiari populo Dei saluarentur. Idem egit cap. 9. Non quòd exciderit verbũ Dei, &c.

Absit) abominantis est, non repulit Deus populum suum scilicet in totum. *Nam & ego Israelita sum,*) non prozelitus, sed ex semine Abraham, id est, posteris Abrahæ, Et ne quis putet vnum me è gente, Iudæorum non esse reiectum à Deo, id dico generaliter: non repulit Deus à suis promissionibus partem illam plebis Iudaicæ, quam ab æterno prædestinauit. Græcè est προέγνω, γνῶναι autem non semper scire significat, siue cognoscere, sed aliquoties decernere & iudicare: vnde et γνῶμαι dictæ sunt. Sed et apud Latinos legimus, populus sciuit, & scita populi, pro decretis. Rectè igitur Augustinus præsciuit, interpretatus est prædestinauit, libro de bono perf. 2. ca. 18. Nos, inquit Erasmus in annot. maluimus vertere, quos antè cognouit iuxta scripturę diuinæ proprietatem, qua Deus cognoscere dicitur, quibus fauet, quosq; amplectitur. Secundum illum ergo hic est sensus: Non est consentaneum, quòd Deus populum reiecit, quem antè sic adamauit, & veluti peculiarem complexus est.

An nescitis in Elia quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.

An nescitis in Helia) id est, de Helia? vel in Historia Heliæ, quæ est in 3. lib. Reg. cap. 16. Quomodo interpellat Deum aduersum Israel? Contra totum populum quem putabat esse impium? Quidam accipiunt hanc interpellationem abusiuè, pro enunciatione mali futuri. Melius videtur accipi propriè, vt sit consentientis vindictæ Dei, quam putabat esse in foribus. Quemadmodum ergo interpellat, id est, quemadmodũ imprecandi affectu loquitur cum Deo, & queritur de Israële.

Domine prophetas tuos occiderunt, &c.) Impia Iezabel, & Achab iniquo suo iussu occiderunt prophetas tuos, id est, doctores secundum Chrysost. qui populum docebãt, & odio cultus tui curauerunt euerti altaria tua, quamuis contra legem fuerit erigere altaria, & rectè fecerit Ezechias ea subuertendo, Achab tamen & Iezabel impiè egerunt, quia odio cultus Dominii id fecerunt.

Et ego relictus sum solus &c.) Quanquam verba hæc Heliæ, non sonent imprecationem, sed nudam querelã, animo tamen imprecandi ea ab ipso prolata sunt, quasi diceret, precor Domine, vt hanc gentem, quæ tam impia patrat, semel perdas.

Sed quid dicit ei diuinum responsum?) Quid diuino oraculo responsum est illi sic impecanti & conquerenti? (*reliqui mihi septem milia*) id est, multa, phrasi Hebræa. Baal propriè est appellatiua vox significans idem quod Idolum, vnde in libris Regum pluraliter legitur Baalim, hinc Beelphegor idolum cadaueris, & Beelzebub idolum muscarum. In certis tamen locis per antonomasiam sumitur pro certo idolo, vt hoc loco sumi videtur pro idolo Sidoniorum. Quod habent 70. τῷ. Baal, inquirat studiosus, an mendum sit, an certa ex causa ita positum? nam sæpius habent τῷ Baal. Erasmus putat affixum articulum fœmininum, quo intelligatur imago, vnde versio eius sic habet: Qui nõ inflexerunt genu imagini Baal. Annotat Chrysost. hęc 7. milia per gratiam seruata esse, quod indicat verbum reliqui, nõ dicit, mihi relicta sunt 7. milia, vel 7. milia sese mihi reliquerunt, sed ipse mihi reliqui, id est, per gratiam meam supereſſe feci adhuc innumeros, qui non agnoscunt Baal pro Deo. Idem annotauit Aug. de bono per se. Hinc discimus, quàm appositè citarit hoc exemplum Apostolus.

Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundũ electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.

Sic ergo & in hoc tempore.) Quemadmodũ Heliæ tempore cum vniuersam gentem Israeliticam occupauerat idololatria, innumeros tamen Deũs continuit sua gratia in cultu suo: sic & in hoc tempore secundum electionem gratiæ, id est, secundum electionem gratuitam. (*Phrasis est Hebraica*) reliquiæ saluæ factæ sunt, id est, præ infinita illa multitudine, quæ reijcit fidem, pauci tantum ex populo Iudæorum, licèt pauci illi etiam innumeri sint, consequuti sunt iustitiam quæ est ex fide. Verisimile tamen est illud (*saluæ*) abundare, græci non habent. Item Aug. de bo. perseue. lib. 2. cap. 18. omittit, ad Simplicianum verò habet, sed explicans id adiungit textui.

Si autem gratia) gratia ablatiuus est, non nominatiuus quod patet ex Græco. Sensus est: Si per gratiam siue per gratuitam Dei electionem, reliquiæ sunt iustificatæ: igitur non ex operibus. August. de bon. perf. tractans hunc locum, vertit opera in merita operum, qui est sensus Pauli, & hîc, & etiam ibi: Ei autem qui operatur, &c. Alioquin si gratia est ex meritis vel dignitate operum, consequitur quòd gratia falsò diceretur gratia: indueret enim debitæ mercedis rationem. Gratia autem ex eo dicitur quòd gratuito donatur: Sic ferè interpres. An tamen Paulus respexerit ad ethymologiam gratiæ, non est ita certum: verisimile magis est, ipsum ad rem respexisse. Formale enim gratiæ, est gratuitò donatum esse, vnde si gratia nostri meriti esse dicatur, non retinetur natura gratiæ.

Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consequutus: electio autem consequuta est: cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est. Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos vt non videant: & aures, vt non audiant vsque in hodiernum diem.

Quid ergo?) scilicet consequitur ex illis, hoc nempe (*quod quærebat*) scilicet operum meritis. Est enim idem quærere quod cap. 10. Et suam quærentes statuere, & cap. 9. sectando legem iustitiæ, &c. (*Israel*) id est, bona pars Israelis. Bona pars populi Iudaici quæ meritis suorum operum quærebat cõsequi iustitiam, non est consecuta iustitiam, *Electio autem*) id est, electi per enallagẽ speciei: vt annotat Theo. *Sicut dicimus magnitudine negotiorum impeditus*, id est, magnis negotijs impeditus id præstare non potui. *Cæteri vero*) scilicet Iudæi, qui non sunt electi (*excæcati sunt*) propriè dicere debuisset deserti sunt. Excæcati ergo, scilicet sua malitia, vt patet ex Esaiæ verbis, qui planè culpant liberum arbitrium. Diuertit ergo Paulus ab electione, ad liberum arbitrium.

Dedit illis Deus spiritum compunctionis, &c.) Quod dicit (*dedit*) non operationem significat, sed permissionẽ: Sic Chrys. Theoph. & Oecum. Augst. plus habet: Dedit inquit non immittendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, & subministrando occasiones. Origenes verba hæc negat inueniri in scriptura, sic autem excusat, vt dicat Paulum sententiam Esaiæ, qnæ est cap. 9. explicantem, de suo addidisse. Dedit illis spiritũ compunctionis. Sed omnino verisimile est, Origenem lapsum esse memoria. Nam in editione 70. apud Esaiam cap. 29. hæc leguntur, Interpretatur autem Eras. spiritum compunctionis, spiritum zelotypiæ siue inuidiæ, κατανύσσω enim, vnde genitiuus κατανύξεως significat compungo, mordeo. Sensus ergo est: Dedit illis spiritum, qui perpetuo dolore stimulat, & cruciat, quod videant multitudinem gentium, cum Deo Abraham, Isaac, Iacob congregari & Christi Ecclesiam crescere, suam autẽ synagogam diminui. Chrys. verò Theoph. & Oecum. spiritum compunctionis, hoc est κατανύξεως interpretantur mentem in malo constantem & pertinacem, vt inde auelli nequeat. Nam κατανύσσειν nihil aliud est, quàm quasi incusso clauo ad aliquid configi, solidéque compingi. Sic in Psal. 29. Vt cantet tibi gloria mea & non compungar, id est, vt non mouear vel non mouebor, non immutabo, non desistam. Et istud satis conuenit cum verbo Hebræo. & interpretatione Hieron. quæ pro spiritu compunctionis, habet spiritum soporis. Sopor enim res tenax est, maximè qualis exprimitur voce Hebræa quæ grauem & vehementem soporem significat. qualem legimus Dominum misisse in Adam Gen. cap. 2. & in Abraham Gen. 15. & in populum Saul 1. Regum cap. 26. Quibus locis est eadem vox in Hebræo, quæ apud Esaiam cap. 29. De hoc spiritu soporis biberunt omnes hæretici. Illi enim habent verè spiritum compunctionis, id est, catanixeos κατανύξεως, sunt enim penitus affixi doctrinæ suæ. In eo quod sequitur, (*Oculos vt non videant*) de animæ oculis sermo est, clausit oculos internos, vt non agnoscant Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stum,& aures mentis obturauit,vt non percipiant veritatem vsque in hodiernum diem. Istud addidit Paulus de suo, id est, ex quo venit docens Messias in hoc vsq; tempus, quo reiurrexit,& sedet ad dextram patris.

ET Dauid dicit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem & in scandalum & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.

ET Dauid dicit,&c.) Quod in superioribus testimonijs,id ipsum & in hoc Psalmo obseruandum est,videlicet causam reiectionis Iudeorum referri in ipsorum malam voluntatem,Orig.nomine meusæ accipit sacram scripturã.Chrys.quodlibet quod nobis præcipuè est voluptati & cordi.Iudeis autem in maximis delitijs erat sacra scriptura.Alius in specie magis designans hanc mensam,accipit doctrinam Christi agentis in terra.Sensus est: scriptura quæ illis data est,vt ea seu mensa laxarent animum, item doctrina Christi & Apost. illaqueantur,capiantur,offendantur, siue impingant ad illam fiat illa in retributionem ipsis. Significatur quòd cæcitatem istam patiebantur luendo pœnas peccatorum. *Et dorsum eorum semper incurua*)id est,sint depressi in terra,conuersatio eorum non sit in cœlo. Metaphora sumpta est ab licernijs.Hieron.isto sermone significari putat captiuitatem,quę vsq; in finem mundi duratura est.Rationẽ eius reddit Euthymius, qui ferui sunt inquiens,illud vt plurimum eos consequitur, vt onere aut alio laboris aut calamitatis genere oppressi,curuati incedant.Plenus commentarius erit si ad mala corporis, & spiritus referamus hoc sensu: Magis magisq; onera illos erroribus, scandalis, & calamitatibus. Annotat Euthymius verba illa, fiat obscurentur incurua,tametsi vocem habeant imperatiui modi,hoc tamen loco futuri significationem retinere pro fiet, obscurabuntur,incuruabis. De huiusmodi imprecatiõibus,quam nusquam non obuiæ sunt in scriptura sacra exactum commentarium habes apud Tho.in 2.secundæ quæst.25.in responsione ad tertium, art. 6.

Dico ergo: Nunquid sic offenderunt,vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus gentibus,vt illos æmulentur. Quod si delictum illorũ diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentiũ,quanto magis plenitudo eorum.

Dico ergo)cum tã acriter loquantur prophetæ de lapsu Iudæorum,quæro num adeò impegerint, siue offenderint in Christum,vt caderent supple semel, siue in totũ hoc est, sine spe reparationis, incurabiliter, insanabiliter?Illud (*sic*)nõ est in græcis.Vnde omittit Erasmus,sed eius loco substituit (*ideo*)Versio eius sic habet: non ideo impegerunt vt conciderent: Quod licèt probabiliter facit,non minùs tamen probabile est quod noster habet interpres. Quod verò Eras.contra interpretationem nostram adducit de vocula ἵνα nihil est:Nam ex comment. Chrysost.& Theop. constat eam interdum sumi impletiuè, et poni loco ὡς .Absit,sed) id est imò,quin potiùs:sic enim frequenter sumitur ἀλλὰ apud Græcos (*illorum delicto*) .i.per illorũ lapsum (*salus est gentibus,vt illos æmulentur*)Sensus est:adeò non sunt desperandi Iudæi propter lapsum,vt gẽtes vocandæ quidẽad fidẽ,eò tamen citiùs ad fidẽ vocatæ sint,vt Iudæi conspecta insigni sanctimonia & dotibus gentiũ exstimulentur inuidia,zelotipia,&ex cõtentione aduersus gentes accedant ad fidẽ,qui per prædicationem Apostolorũ ad fidẽ accedere noluerũt. Si iudæi recepissent verbũ Dei, non tã citò Apostoli diuertissent ad gentes, vt patet ex ca.13.& vltimo cap.Actorum nunc quia fidem reiecerunt Iudæi,visum est Deo vti cõuersione gentium ad salutem Iudæorum.

Quod si delictum illorum,&c...i.Si lapsus Iudeorũ per occasionem cesit in diuitias reliqui mundi(*& diminutio eorum*).i.quòd tam pauci ex ipsis conuersi sunt ad fidem in diuitias gentium. i. quòd tam citò & naturẽ ditatæ sint gentes, (*quanto magis plenitudo eorum*)ditabit mundum & gentes.i.quanto magis prouocabuntur gẽtes ad fidem,si videant quamplurimos ex Iudæis conuerti: Non dicit Apostolus,quanto magis conuersio ipsorum , aut immutatio ipsorum , sed quanto magis plenitudo eorum, hoc est, secundum Chry.quando vniuersi ad fidem accessuri sunt.

VObis enim dico gentibus: Quam diu quidem ego sum gentium Apostolus,ministerium meum honorificabo.si quõmodo ad æmulandum prouocem carnem meam,& saluos faciam aliquos ex illis.Si enim amissio eorũ reconciliatio est mũdi,quæ assũptio,nisi vita ex mortuis?

VObis enim dico Gentibus quàm diu,&c.) id est, adnitar vt gnauiter obeam mihi commissam prouinciam,vt exornem & illustrem eam, id est, vt per copiosum fructum celebrem reddam,(*Si quo modo ad æmulationem prouocem*) id est, vt saltèm per vberem seu copiosum apud gentes fructum prouocem & exstimulem (*carnem meam*) Iudæos cognatos mihi secundum carnem,ad inuidiam aduersus gentes, quòd videant illas adiungi per fidem Deo Abraham, & quod ipsis promissum erat ad gentes transferri, vt per huiusmodi æmulationem ,siue inuidentiam,

dentiam,si non maiorem partem, saltèm aliquos ex eis adducam ad fidem & salutem.

Si enim amissio eorũ Græcè est ἀποβολὴ, id est abiectio siue reiectio : nam hanc opponit assumptioni(*reconciliatio est mundi*) s. tam matura,idque per occasionem (*quæ assumptio,&c.*)id est, quidnam sentiendũ est, de adiunctione Iudæorum per fidẽ ad gentes:Certè sicut Iudæorum lapsus fuit gentium reconciliatio: Ita Iudæorum adiunctio ad gentes,futura est occasio resurrectionis omnium gentium.

QVod si delibatio sancta est, & massa,& si radix sancta,& rami.Quod si aliqui ex ramis fracti sunt,tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis,& socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es , noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas,sed radix &c.

QVòd si delibatio sancta est, &c.)à capite 9.vsque ad hunc locum Apostolus misceuit odiosa lætis,quantum attinet ad Iudeos:Odiosa quidem dixit verbis prophetarum,læta suis verbis. Quòd si delibatio sancta,& massa,eandẽ sententiam habet quod sequitur(*& si radix sancta, &c.*) Ad intelligendum hunc locum aduertendus est locus,qui est in numeris cap.15.Cùm veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris. Sicut de areis primitias separabitis:ita & de pulmentis dabitis primitiua domino.Quod Hiero. hic vertit primitias &primitiua.70.transtulerunt ἀπαρχὴ,qua voce hoc loco vtitur Paulus,& à nostro interprete versa est delibatio Hebraicè est resi. id est primitiæ. Rursus quod Hiero. vertit cibum & pulmentum 70.transtulerunt φύραμα quæ est altera vox qua hoc loco vtitur Paulus, quam noster interpres transtulit massam. Alibi vertit consperſionem. Dicitur autem vocabulũ græcum à miscendo,Hebraicè est arisa, quam vocem Pag.pastam vertit: Est autem massa subacta,siue farina humore temperata, nos deich dicimus.Argumentatur ergo Paulus hoc modo: Si primitiæ sanctæ sint,vt quas Deus sibi offerri voluit, Deus autem non vult offerri sibi quod immundum est : sequitur quòd & reliqua massa,ex qua primitiæ sumuntur,sit sancta:Sic si illi patriarchæ sancti sunt,qui sunt primitiæ ex tota massa Iudæorum,& tota gens sancta est. Consequentia valet, quia promissiones factæ Abraham,Isaac & Iacob,& cæteris patriarchis qui hîc primitiæ dicuntur, non tantùm ad ipsos pertinent, sed etiam ad totum semen.Et(vt habet Ambro.)delibatio &massa eiusdem sunt generis,& delibatio de massa sumitur,vnde non possunt indigni, id est, in idonei(more Græco)ad fidem dici,quorum patres iam adepti sunt fidem , quia si pars Iudæorum credidit,cur non & alia pars posse credere dicatur:Ex hoc commentario soluitur illa difficultas,quam hoc loco ferè mouent interpretes , videlicèt quomodo Apostolus gentem Iudaicam excæcatã,sanctam vocet: Secundum Ambrosi. sanctam appellat,non præsenti sanctitate,sed potentia & habilitate Thom. delibationem accipit Apostolos, sed vix patitur id quod sequitur(*si radix sancta,&c.*) Nam Abraham radix erat,item Isaac & Iacob non Apostoli. Chrysost.primitias quidem vocat Abr.Isaac, Iacob,sed non reddit rationem metaphoræ. Ne cui autem negotium faciat in commentarijs versio latina, aduertendum est locum hunc non rectè translatum esse à Musculo, qui græca sic reddit:Primitias atq; radicem vocat eos,qui cum Abrahamo,Isaac,& Iacobo fuerunt,&c.vertere debuerat hoc modo, primitias atque radicem vocat Abraham, Isaac et Iacob,Nam phrasi græca ἡ περὶ ἄβρα-αμ, ipse Abraham significatur , sicut ἡ περὶ τὸν Ἀριστιππον, Aristippus intelligitur,vide Budæum in commentariis. Theop.ἀπαρχὴν interpretatur fermentum. Eras.mauult accipere ipsum frumentum,de quo conspersio sumitur.Sed optimè consonat legi,vnde hoc Argumentum desumpsit Apostol. vt: ἀπαρχὴ quod ipsa vox sonat, ipse primitiæ sint pastorum,quas primitias interpres noster delibationem vocat,quod primò deliberentur ex reliquo,id est, parcè desumantur. Id enim est delibare,vt oscula libauit natæ, apud Virgilium.

Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.) Comprimere studet Apostolus arrogantiam gentium. *Ramos* vocat posteros patriarcharum &prophetarũ, ipsos videlicet Iudæos.Quòd si aliqui,qui naturales posteri sunt Abrahæ, excisi sunt à radice,vt illius succo.i. fide nõ alantur(*tu autem*)gentilis(*cum oleaster esses*) .i.agrestis olea.i.quum nullum adferres virtutum fructum(*insertus es*).i.insitus(*in illis*) .i.inter ramos non defractos,& vnà cum illis factus es particeps siue consors radicis,& pinguedinis oliuæ.i.exuberãtis gratiæ, quæ illi genti in patriarchis & prophetis donata est(*noli gloriari*).i.ne insolenter agas contra Iudæos,quod ipsi abiecti sunt.Quòd si omnino volueris gloriari,ad repressionem insolentiæ tuæ dicetur tibi, quòd Iudæi sint natiui rami illius radicis, ex qua tibi succus suggeritur.

Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene propter incredulitatem fracti sunt,tu autem fide stas , noli altum sapere , sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

cime. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.

Dicis ergo) tu gentilis ex verbis meis obijcis pro te aduersus Iudæos. *Effracti sunt rami*) Deus permisit excidere Iudæos, (*vt ego miserar*) vt, euentum notat siue consecutionẽ. (*Bene*) est approbantis, quod sub persona ethnici dixerat, bene. s. dicis tu gentilis, sed memineris per incredulitatẽ ramos esse fractos: tu autem in fide adhuc persistis, & permanes in radice. *Noli altum sapere*) id est, ne superbias, ne tibi placeas, ne efferatis animo) *sed time*) nequando & ipse excidas à fide, & excidatis ab olea, in quam insitus es. Commentarij istud sic explicant, vt pertineat ad singulos, quod & ipse textus satis indicat, ibi. (*Dicis ergo*) quod est singulare, & rursus (*tu autem fide stas*) sic in consequentibus, & tota natio Iudęorum haud quaquã excisa est, quare non id iubet timere ne tota gentium natio excidatur, sed singulos monet, singulorum è gentibus reprimere volens arrogantiam. Locus hic notandus est contra Buce. & Calui. impiè statuentes, hominem non posse excidere à fide & gratia semel accepta. Similem sententiam habet Apostolus prioris ad Cor. cap. 10. Qui stat, videat ne cadat. Et ad Galat. cap. 6. Considerat teipsum, ne & tu tenteris.

Si enim Deus naturalibus ramis). i. Iudæis pertinentibus ad radicem ipsa origene carnis (*non pepercit*) sed propter incredulitatem excidit, vide tu gentilis ne quo modo fiat, vt nec tibi parcat, vide ne per superbiam indignum te prebeas gratia Dei & excidaris.

Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatẽ: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, si nõ permanserint in incredulitate, inserentur, potẽs est enim Deus iterum inserere illos.

Vide ergo bonitatem) χρηστότητα habet Paulus, id est benignitatem, quæ est quædam promptitudo animi & propensio ad bene merendum de quopiam, Cui opponit ἀποτομίαν, quam noster Interpres seueritatem vertit: ad verbum autem sonat resectionem, ea est, quoties res ad viuum exigitur.

Si permanseris in bonitate) Chryso. id est, si feceris quæ digna sunt illa Dei benignitate, hoc est, si præstiteris bonam vitam, & addit: non enim sola fides sufficit (*alioquin & tu*) qui modò ramus es, siue surculus insititius (*excideris.*)

Sed & illi si non permanserint in incredulitate inserentur suæ oleæ. (*Potens enim est Deus iterum inserere illos.*) Nam quod Iudæis bene velit Deus, id liquet tum ex antiqua electione gentis Iudaicæ, tũ quod ante dictum est, non ex mera Dei voluntate, sed ob incredulitatem ipsos reiectos esse. Illud subintelligendum reliquit Apostolus, alioquin non est plena hæc probatio: gens Iudaica si ad fidem redeat, iterum inseretur à Deo, quia non deest Deo potestas hoc faciendi. Obseruandum quoq; est illud (*iterum.*) Indicat enim Iudęos, quos inserendos dicit, fuisse in olea, adeoque participes radicis & pinguedinis oleæ fuisse, & proinde credentes. Potest igitur quispiam à fide & pinguedine semel hausta excidere,

Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, quanto magis ij qui secundum naturam, inserentur suæ oliuæ.

Nam si & tu ex naturali, &c.) Sens. est, si tu extra carnalem propagationem Iudæorum, ad gentilitatem, quæ oleastro comparatur propter infœcunditatem non autẽ ad oleam, cuius radix sunt Abraham, Isaac, & Iacob pertinens, gratuita tamen Dei miseratione insitus es in pulchram & fœcundam oleã, quantò magis verisimile est, quòd Iudæi qui secundũ carnem progeniti sunt ex patribus ad quos pertinent promissiones, inserentur suæ oleæ. Est argumentum à minori. Naturãvocat carnalẽ propagationẽ.

Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc vt non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret. sicut scriptum est, veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem à Iacob.

Nolo enim vos ignorare, &c.) pergit occurrere insolentiæ gentilium, quos fratres vocat. Quo magis inquit credatis. Iudæos tanquam naturales ramos rursus inserendos (*mysterium*) id est, rem arcanã & paucis adhuc cognitam aperiam vobis, idq; in hunc finem. (*vt non sitis vobis ipsis sapientes*) id est, ne insolentes sitis animiq; elationis, ne nimium vobis placeatis propter vestri insitionem, & Iudæos propter ipsorum reiectionem despiciatis. Mysterium autẽ hoc est, quod cæcitas ex parte tantum & ad tempus contigit in Israel, donec plenus numerus, quem Deus decreuit assumere ex gentibus intret, & ad fidem conuertatur (*Et sic*) hoc est, vbi plenitudo gentium intrauerit, (*omnis*) id est, totus Israel saluus fiet (*sicut scriptum est cap. 59. Esa. veniet ex Sion*) Adduxit Apost. hoc testimonium iuxta versionẽ 70. sensus est. E gente Iudaica, secundum carnem nascetur, qui sit liberator gentis illius, hoc est, qui aboleat peccata Israelitici populi, qui secundum carnem è Iacob descendit. Hæc autem abolitio impietatis populi Israelitici, cùm non sit peracta in conuersione Apostolorum, & paucorum illorum qui ex Iudæis crediderunt (*non enim propter paruas illas reliquias ad fidem conuersas, dicitur impietas abolita à populo Israelitico*) consequitur propheriam Esaiæ intelligendam esse de futura restitutione ingentis multitudinis populi Israelitici, tantæ inquam multitudinis, vt propter eam possit dici totus populus Israeliticus esse restituturus, siue à toto populo impietas esse ablata.

Et hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: secundum electionem autem, charissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.

Et hoc illis à me (*dispositum*) *testamentum*) tum demum implebitur (*cum abstulero peccata eorum*) Chrys. dicit istud futurũ sub finem mundi. Idem habet Augu. lib. 20. de ciuitat. Dei cap. 29. Per Heliam inquit Thesbitem exposita sibi lege, vltimo tempore ante iudicium Iudæos in Christum verum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusq; fidelium.

Secundum Euangelium quidem, &c.) Est occupatio. Ratione quidem & consideratione Euangelij, cui pertinaciter aduersantur Iudæi, exosi sunt Deo & inimici propter vos, id est, vestram salutem, vt hac occasione vos gentes recipiatis fidem: Sic Aug. de prædest. san. Et Amb. in comment. Aliter Chrysost. (*propter vos*) id est, occasióe fidei vobis prædicatæ: siquidem gentium, fides offendiculo fuit Iudæis, vt alienarentur ab Euangelio (*Secundum electionem autem*) id est. Si consideres Iudæos secundum rationem electionis, qua reiectis cæteris hominum nationibus, Deus patres eorum elegit vt esset eorum Deus, & seminis ipsorũ post eos, non sunt exosi Deo, sed electi, & proinde sentiendum est de Israele, quod tanquam Deo charus adducendus sit tandem ad salutem, & non sit reiectus sine omni spe reparationis. Sunt iniqua ratione diuinæ electionis chari Deo propter patres, id est, propter promissiones factas patribus. Fuit enim patrum illorum primorum tanta cõmendatio apud Deũ, tantaq; merita ex Dei tamen gratia, vt propter eorũ merita disponeret, ordinaret & promitteret se Deum fore seminis eorum post eos, sicuti fuerat Deus eorum.

Sine pœnitentia enim sunt dona Dei) quibus prolectus est Abraham, Isaac, Iacob, inter quæ dona est promissio & vocatio illa, quæ est secundum Propositum Dei, de qua dictũ est abundè ca. 8. huius Epistolæ Amb. ramen interpreatur istud, de gratia Baptismi, quam dicit esse sine pœnitentia, hoc est, non requirere luctum aut planctum, aut aliud opus, sed tantùm ex corde professionem. Sed coactior est illa interpretatio, nec videtur huic loco congruere. Germanus sensus iste est: Tametsi in præsentiarum sit gens Iudaica exosa Deo, eò quòd reijciat fidem, propter primam tamen gentis illius electionem, & patrum commendationem, perseuerat adhuc Dei beneuolentia erga illum. Nam vocationis qua secundum propositum siue secundum æternam prædestinationem aliquem vocauit, item donorum quibus secundum æternam prædestinationem aliquam promissionem semel donauit, non potest Deum vnquam pœnitere ita vt propter hominum malitiam eam velit rescindere. Quare nec præsens Iudęorum malitia impedire poterit, quo minus Deus præstet sẽ Deum seminis Abrahæ sicut promisit. Vbi nos habemus (*sine pœnitentia*) Græci legunt ἀμεταμέλητα, id est, quorum non possit pœnitere eum qui dedit aut qui promisit, quasi dicas impœnitabilia.

Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiã, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.

Sicut enim olim vos gentes non credidistis Deo, nunc autem per misericordiam Dei & non per vestra merita adductæ estis ad fidem, propter incredulitatem illorum. Græcè est datiu. modi vel instrumenti, vnde Eras. vertit per incredulitatem eorum, id est, occasione incredulitatis Iudæorum. Ita & isti, id est, Iudæi nunc non crediderunt in vestram misericordiam, id est, per vestri misericordiam. Est enim græcè similis datiuus ei qui præcessit. Sensus est: occasione misericordiæ vobis præstitæ.

Vt tandem exemplo misericordiæ vobis per fidem præstitæ etiam ipsi prouocentur ad fidem, & per fidem communem vobiscum misericordiam consequantur (*Conclusit enim Deus, &c.*) finit disputationem suam in eam sententiam à qua incœpit. Id enim 1. & 2. cap. egit, vt ostenderet omnes peccatores esse. Græcè est omnes non omnia, & sic aliquoties legit Augustinus. Sensus tamen idem est, nisi quòd omnia vehementius est. Sensus est: sic visum est Deo dispensare vtriusque populi salutem, Iudæorum videlicet, & gentium, vt permitteret vtrumq; populũ suo vitio concludi siue constringi sub incredulitate, & damnatione: Concludi inquã ne vlla ratione posit ex incredulitate suæ vinculis se liberare, vt ipsius misericordia gratuita locum habere agnoscatur in vtroque populo, tam Iudæorum quàm Gentiũ.

Aug. de gratia & lib. ar. ad Valen. ca. 22. lata legit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque ita vterque populus salutem suam Dei misericordiæ discere adscribere, non viribus naturæ aut legis doctrinæ.

Sap. 9. d
Esa 40 d
1. Corint. 3. d

O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

O Altitudo diuitiarum sapientiæ,) Aug. ca. 22. de gratia & lib. arbit. refert hanc admirationem ad superiora, ad illud potissimùm: Conclusit Deus omnia, &c. & ad illud: Sicut enim vos aliquando non credidistis, &c. Sensus est: cùm mecum considero diuinæ dispensationis rationem, qua factũ est vt gentes antè demonijs seruientes subitò ad gratiam Euangelij vocarentur: Iudæi verò quibus ea peculiariter promissa videbatur, ab eadem exciderent, vt sicut horum lapsus occasio est salutis gentium, sic gentium salus sit vicissim tandem occasio salutis Iudæorum. Cùm inquam hæc mecum considero, quòd Deus vtrumque populum permisit concludi sub incredulitate, &c. præ admiratione & stupore cogor exclamare (*O altitudo*) id est ô profundum siue profunditatem diuitiarum, &c. Annotat Chrys. Paulum ad exaggerandam sapientiam Dei duabus vocibus ad Epithasim facientibus fuisse vsum, nimirum diuitiarum & altitudinis. Nam altitudo siue profundum (est enim græce βάθος) per se habet auxesin, et diuitiæ copiam sonat. Gemina sit amplificatio cùm dicimus profundas diuitias. O igitur diuitias profundas scientiæ & sapientiæ. Sapientiam Dei intellige, qua supremo iudicio suo agendorum ordinem decernit & statuit, ordinans quid quoq; tempore fieri velit, vtpote quòd hoc tempore velit relinquere gentes, Iudæos verò eligere, postea relinquere Iudæos, & gentes eligere. Deinde rursus simul participes facere vtrosque communis salutis. Scientiam verò accipe diuinam vniuscuiusque rei cognitionem qua videlicet cuiusque nationis ingenia clarissimè perspicit, vt possit recondita sua sapientia disponere & dispensare, quid cuique tempori & cuique nationi conueniat.

Quam incomprehensibilia sunt.) Græcè est inscrutabilia, & sic subinde citat Hieronym. Augustinus quoque cap. 22. de gratia & lib. arb. legit inscrutabilia, cuius vocis emphasim notauit Chry. & post eum Theop. Non tantum inquit Chryso. non comprehendi sed nec scrutari quidem possunt, tanta est profunditas iudiciorum Dei. Et inuestigabiles seu imperuestigabiles viæ eius, id est, instituta & consilia eius, siue dispensationes (vt habet Chryso.) quibus videlicet modo per misericordiam liberat, modo per seueritatem reijcit. Alludit Apostolus ad locum qui est apud Esaiam capite. 11. Et non est inuestigatio viæ eius, quemadmodum annotat Hieron.

Quis enim cognouit sensum Domini) Græcè est νοῦν, id est, mentem siue cogitationem. Rursus alludit ad cap. 40. Esaiæ. (*Aut quis prior dedit illi*) putant Apostolum referre locum, qui est apud Iob in principio. cap. 41. Sensus est: quis vnquam vsquam gentium repertus est, qui Deo aliquid dedisset, quod non ab illo prior accepisset, vt videlicet remuneratio redderetur propter aliquid priùs Deo datum. Hunc locum Lutherani adducunt contra merita operum, sed non recte, hoc siquidem tantum docet, non posse esse aliquod meritum apud Deum, cuius initium non sit ex Deo. Certe nihil vnquam quisquam dedit Deo, quod ab illo non accepit. Nam ex ipso omnia velut ex authore & propria omniũ causa, & per ipsum, id est, per eundem omnia, quæ semel esse cœperunt, perseuerant, & conseruantur (*& in ipso*) perficiuntur, & consummantur (*omnia*) quia perfectio omnium & finis, in ipso erit tunc, cùm Deus erit omnia in omnibus. Hoc modo ferè exponunt græci. Augustinus alium habet modum explicandi, facit ille præpositionem (*ex*) pro patrem Patri. (*per*) Filio. (*in*) Spiritui sancto. Vnde hinc colligit trinitatem personarum, & quia dicitur, ipsi gloria, non ipsis, colligi vnitatem naturæ.

CAPVT XII.

Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

QVinque prima capita huius Epist. plenissimam habent disputationem de iustificatione, deinde tractantur obiectiones aliquot natæ ex priori disputatiõe vsq; ad cap. 9. in quo cap. vsque ad ca. 12. occurrit Apostolus scandalo paucitatis credentium ex Iudæis, sic tamen vt multa interim explicet, quæ pertinent ad quæstionem de iustificatione. Quæ iam sequuntur, minus molesta sunt, eo quod non contineant disputationem vt priora sed doctrinam de moribus. Prior enim pars Epist. dogmatica inquit Chrys. posterior ethica est: sed multò iurerim iucundius hæc posterior pars legetur ab ijs, qui in dogmate sunt bene versati. Quare

Quare sæpius. 11. illa ecpita repetenda sunt. Habet quidem & in 6. cap. item. 7. &. 8. multa, quæ pertinẽt ad nouitatem vitę, sed omnia tantũ per occasionem dicit. Hic autem ex instituto agit de moribus.

Obsecro itaque vos) cum tanta inquit per misericordiam Dei vobis collata sint bona. (*Gratuita enim Dei misericordia iustificati estis, adoptati in filios, instituti hæredes vitæ æternæ*) per hanc ipsam misericordiam, qua saluati estis, de qua tam multa audistis in 11 præcedentibus cap. obsecro vos, (*vt exhibeatis corpora vestra hostiam*) id est, vt mactetis affectus vestros corporeos, siue carnis cupiditates, eisq; mactatis vos ipsos totos Deo offeratis, & consecretis in victimam, hostiã, & sacrificium vt velut semel dicatos Deo, non ad alios vsus vos accommodetis. Discernens autem hostiam hanc à Iudaica, addit (*viuentem*) Iudæi brutam & mortuam pecudem immolant: vos Christianos offerre volo viuam hostiam: viuentem dicit secundam Chry. ne quis putet quòd præcipiat mactari corpora. Non enim corpus, sed vitium quod regnat in corpore mactandũ est, vt fiat hostia sancta, ab omni contagione aliena, & beneplacens, accepta Deo.

Rationabile obsequium vestrum) per appositionem dictum est, sensus est: exhibete corpora vestra hostiam viuentem quæ est rationalis cultus vester, rationalis cultus, cultus non corporeus qualis fuit hactenus Iudæorum in mactatione brutarum pecudũ, sed rationalis in mente situs, & spiritualis, vester emphasin habet, qui est Christianorum cultus: Interpres noster obsequiũ posuit pro sacrificio siue cultu. Græcè enim est λατρεία, τὴν λογικὴν λατρείαν λογικὴν, autem, id est, rationale modo accipitur quo modo in 1. Petri vbi dicitur, rationale lac, pro spirituali. Obsecratio hæc Apostoli vehementissima est, & non potest non mouere eum qui superiorum meminit, quæ vndecimo capite ab Apostolo disputata sunt. Neque Græcè est per misericordiam Dei, sed per miserationes Dei, in plurali numero. Rationem numeri annotauit Origines putans in eo esse emphasim immensæ Dei misericordiæ ac si dicat Apostolus: per immensam illam Dei misericordiam de qua tam multa dixi, obsecro vos, illa saltem vos moueat, illa istud impetret à vobis.

Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta: dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere, ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.

ET *nolite conformari huic seculo*) explicatio est præcedentis sententiæ. Sensus est: ne configuremini siue ne accommodetis vos ad figuram seculi huius, vt videlicet pro arbitrio cupiditatum vestrarũ vitam agatis, quẽadmodũ faciunt qui huic seculo dediti sunt: Sed potius per renouationem mentis, (est enim græce νοὸς) quam iam per fidem in Christum accepistis, transformemini in nouos affectus (*vt probetis*) id est, vt sic reddamini apti ad intelligendum, quid à vobis iustificatis per totam vitam requirat Deus. Quid gratum sit, beneplacitum & acceptũ Deo. Simile quiddam docet Apo. ad Ephes. 5. probantes quid sit beneplacitum Deo. Nisi enim mactauerimus cupiditates carnis nostrę, non possumus esse idonei, vt in actionibus nostris intelligamus, quę sit voluntas Dei: sed quod nostro sensui vehementer arridet, interpretamur id esse voluntatem Dei.

Dico enim per gratiam quæ data est nobis) Est exponentis in specie quod dictum erat in genere de immolando corpore, de fugiendis huius seculi cupiditatibus. Sensus est: his verbis quibus nunc vsus sum, istud volo dicere. Imprimis ne quis plus sapiat, &c. Alij aliter exponunt istud (*dico*) hoc modo: Dico, id est, iubeo siue moneo, & vt monitioni suæ pondus addat, per gratiam inquit, hoc est, præcipio per authoritatem Apostolicam, quæ mihi gratuitò Dei munere est concredita. Vocat autem Apostolatum, gratiam, modestiæ causã.

Omnibus qui sunt inter vos) id est, cuique vestrũ quisquis is sit, siue gentilis, siue Iudæus, siue seruus, siue dominus, &c. (*Non plus sapere*) Sapere hoc loco non pertinet ad eruditionem, sed ad cogitationem & opinionem, veluti cùm quis effertur, & magnificè de se sentit. Non est ergo sensus: ne sitis curiosi in quæstionibus, sed ne quis nimium de se sentiat, sed vt quisque de se sentiat modestè, hoc est, quod dicit (ad sobrietatem.)

Et vnicuique sicut diuisit Deus, &c.) Istud (*&*) verisimile est redundare & quædam latina non habent: vnicuique construitur cũ verbo diuisit. Fides per metonymiam accipitur pro donis, quæ dabantur credentibus in Baptismo: Sic Chry. Sensus est, quisq; de se modestè sentiat, iuxta mensurã doni infide sibi collati, hoc est, (iuxta Amb.) contineat se intra mensuram doni sibi commissi, nec tentet vendicare & arrogare sibi, quæ ad suam vocationem non pertinent. Quod dixit de adhibenda modestia in

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsu donorum,id iam adhibita similitudine declarat.

Sicut enim in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autē alter alterius membra habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam secundū rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate:

Sicut enim in vno corpore, &c.) Verba facilia sunt (*habentes donationes*) græcè est charismata, quæ vox pertinet ad quæuis dona siue sint gratiæ gratis datæ, siue alia Sancti spiritus munera. Habentes ergo dotes secundum multiformem gratiam Dei, qua nobis hæc alteri illa, pro beneplacito Deus distribuit (*differentes*) id est, diuersas. Quare cum ex Dei ordinatione sit inter fideles donorum differentia, debet fidelis quisque cum modestia vti dono sibi dato, & intra mensuram illius se continere.

Siue prophetiam, &c.) Hic in specie enumerat dona aliquot. Prophetiam nonnulli proprij nominis intelligunt. Alij accipiunt pro peculiari aliqua facultate interpretandi loca obscura scripturarum, potissimùm ea quæ pertinent ad gratiam Christi & Euangelium. Quomodo accipitur in priori ad Cor. cap. 12. *Secundum rationem fidei*) hic sub intelligi debet verbum (*dispensat*) vt ibi, siue prophetiam, comma sit. Sensus est: si quis est propheta, vtatur dono prophetiæ secundū rationem fidei, id est, secundum conuenientiam fidei, id est, conuenienter ad fidem, Græcè enim est ἀναλογία, quam vocem Cicero vertit aliquoties conuenientiam. Si accipiamus prophetiam propriè, quomodo Chrysostomus accepit in principio cap. 12. ad Cor. intelligendus est Apostolus monere, vt qui prophetat, prophetet secundum analogiam fidei, non secundum auguria & similia. Illum enim sensum dat Chrysosto. ad Corinth. dicens quosdam sibi asscripsisse nomen verorum prophetarum, & verū prophetam imitatos per auguria & huiusmodi. Si verò prophetas accipiamus qui donum habent interpretandi scripturas, sensus est si quis hoc modo prophetet, videat ne quid dicat contra fidem. Chrysost. tamen secundum rationem fidei refert ad prophetiam hoc sensu: si quis accepit donum prophetię, quæ licet gratia sit, non tamen simpliciter effunditur, sed secundum rationem, id est, secundum proportionem siue modum vel mensuram fidei, is cum modestia vtatur illo dono, nec erumpat in ea, quæ ad ipsius donum haud quaquam pertinent.

Siue ministerium) græcè est διακονία quæ vox complectitur episcopatum & sacerdotium, & alia ministeria Ecclesiæ in quocūq; gradu & ordine. Cui ergo contingit huiusmodi ministerium, vtatur eo in ministrando cū modestia, non sibi placeat quod Dei minister est, sed fungatur sedulò officio suo ad omnium vtilitatem, sitq; eo contentus.

Siue qui docet,) id est, docens vel doctor, qui facultatem habet optimè explicandi, siue dilucidè tradendi alijs quod bene nouit, vtatur is dono suo in docendo.

Qui exhortatur) id est, qui gratiam accepit populariter & vtiliter exhortandi populum quamuis alioqui non multum doctus, is totus versetur in exhortando. (*Qui tribuit*) commentarij istud ferè in relligunt de præfectis ærario Christianorum, vt sensus sit: Qui constitutus est dispensator facultatum Ecclesiæ, siue collectarum, quas conferunt fideles in sanctos pauperes, de quibus in priori Epist. ad Cor. cap. vltimo, & in poster. cap. 8. talis distribuat in simplicitate, id est, bona fide, sine personarum acceptione administret & dispenset sibi concredita.

Qui præest,) Qui in quauis congregatione constitutus est præses, is præsit in solicitudine. Quæ hactenus exposita sunt, interpretes referunt ferè ad gratias gratis datas, quæ singulatim à Deo dispensantur & distribuuntur. Quę sequuntur ad omnes pertinent.

Dilectio sine simulatione, odientes malum adhærentes bono, charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, solicitudine non pigri, spiritu feruentes, domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.

Dilectio sine simulatione) Dilectionē non simpliciter exigit, sed quæ sit sine simulatione, id est, syncera & minimè fucata. Et quoniam dilectio quædam in malis etiam rebus est, qualis est lasciuorum, & eorum qui in rapinis eiusdem sunt animi: ab illa hanc, de qua loquitur, discernens, dicit (*odientes malum*) Chrysostomus notat emphasim seu potius epithasin in singulis verbis, quibus hic vsus est Paulus. Non enim dixit, abstinentes à malo, sed odio quod malum est, prosequentes, neque simpliciter odientes, sed vehementer odientes, siue abhorrentes malum.

Est enim Græcè ἀπεστυγοῦντες, præpositio autem ἀπὸ in compositione vehementiā significat præcipuè apud Paulum, vt docet Chry. allatis exemplis. Nec simplicitur dixit adhærentes bono, sed adglutinemini bono. Græce enim est κολλώμενοι. Ex græco quoque patet bonum & malum hic referri, non ad personam, sed ad rem. Bonum enim sumitur pro honestate, malum pro turpitudine seu vitio (*Charitate fraternitatis, &c.*) Exemplaria nostra fere habent charitatem, sed omnino verisimile est interpretem vertisse charitate, & à librarijs deprauatum esse in charitatem. Est autem mirabilis vis & energia in græcis vocibus, quam interpres noster non est assecutus, sed nec plene Eras. qui vertit: Per charitatem fraternam, ad mutuo vos diligendos propensi pro charitate fraternitatis, græcè est vnica vox φιλαδελφία pro diligētes græce est φιλόστοργοι. Porrò στοργὴ significat affectum illum pietatis aut charitatis, quo parentes tanguntur erga liberos, ac vicissim illi erga eos, quo frater erga fratrē, cognatus erga cognatū, hinc composita vox φιλόστοργος qui est propenso affectu erga parentes cognatos, aut affines. E diuerso qui non tanguntur huiusmodi pietatis aut charitatis affectu erga suos ἄστοργοι vocantur. Qua voce vsus est Paul. in 1. c. huius Epi. ibi. Sine affectione. Vult ergo Pau. hoc loco vt Christianus quisq; fraterno amore Christianum quēq; tanquā fratrē diligat, ac sentiat erga illū dulces affectus, tales inquā affectus quales sentiūt parentes erga liberos, ac illi vicissim erga illos, vt ex huiusmodi suaui & dulci affectu propensus sit ad bene merendū de quouis Christiano (*Honore inuicē prauenientes*) hac quippe ratione & nascitur dilectio, & nata perdurat. Non dixit honorantes alius alium, sed honore prævenientes, quod maius est. Chry. honorē propriè accipit Eras. pro subsidio, vt moneat Romanos certatim se mutuò in præstandis officijs præcurrere, sed minùs probabile est, quod dicit quia hoc habet sequens particula (*solicitudine*) id est sedulitate & studio exhibendi alijs officiū (*non pigri.*) Ne grauatim inquit præsteris beneficia. (*Spiritu feruentes*). i. impetu quodā animi accensi ad bene merendū de proximo vel cū feruore spiritus & non deiecto animo, facientes vestrū officiū (*Domino seruientes*) non tantū precibus sed tota vita, sic sutor qui ad Dei honorē studet alere familiā, seruit Deo: (*Orationi instantes*) græcè est τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, quod sonat assiduam instantiā. Assidua instantia perseuerantes in precib⁹ (*Necessitatibus*) hebraica phrasi pro angustia & inopia rei familiaris (*Sanctorum*) id est quorūlibet Christianorū, est vocabulū scholę Christianorū, sicut & nom fratres discipuli, & Christiani (*communicantes*) impendo res vestras. Communicantes dixit nō subuenientes secundum Chrys. quod commercium sit inter dantem & accipientem, quia cum fœnore recepit, qui subuenit proximo. Communicantes ergo, impedendo res vestras. *Hospitalitatem sectantes*) non expectantes donec ad vos diuertant peregrini, sed vltro venantes & ambientes eos, & intrare compellentes. Et hic notauit Chry. emphasim verbi. Non enim dixit hospitalitatem facientes, sed sectantes.

Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

Benedicite persequentibus vos) quæstio est an sit præcepti benedicere inimicis, cuius solutio petatur ex D. Thom. in secundæ quæst. 25. vbi optime hanc rē explicuit. Et simul legatur Aug. in 4. locis (vnde Thomas sua petiuit) videlicet de sermone Domini in monte de mendacio ad Consentiū c. 15. Epist. ad Marcellinū, & in enchiridio c. 73. quē locum citat Tho. *Benedicite*). i. bene præcemini (*nolite maledicere*) id est, male precari siue execrari. Solent enim vulgo qui non possunt vleisci iniuriam, deuouere ditis eos à quibus læsi essent.

Gaudete cum gaudentibus, &c.) Greco more dixit interpres gaudere pro gaudete. Vsurpant enim ipsi infinitum pro imperatiuo. Opinatur Eras: quòd subaudiant (*oportet.*) Simili fere tropo dicunt latini potissimum historici, fugere pro fugiebat, in quo subauditur (*cœpit*) vel (*solet*) Vult ergo Apo. vt bona omnia & mala aliorū cōmunia ducant, & proinde non aliter ac proprijs afficiantur. (*Idipsum inuicem sentientes*) sensus est eodem animo, sitis alius erga aliū, vt idē quisq; de alio quod de seipso sentiat, vnum quēq; Christianū solo Christo metiēs, non opibus, nō genere, nō eruditione, nō honorib⁹, & id reb⁹ alijs. Quēadmodū (ait Chry.) affeceris erga diuitē, ita afficiaris erga pauperem, quemadmodū te ipsum magnū estimas, ita & alium quemuis. Græca dilucidius verti poterant hoc modo: Idē alij in alios, siue de alijs sentientes, vel eodē animo alij in alios affecti. Multā rursus Apo. de humilitate inculcando diligentiā impendit, vnde & sermonē inceperat. Verisimile enim est magnifice de se sensisse Rom. tū propter imperium orbis, tum propter vrbem, & alias ob causas. *Non alta sapientes &c.*) Idem participium græcè est, quod modo vertit (*sentientes*) Sensus est: non arroganter de vobis ipsis sentientes (*Humilibus consentientes*) Humiles hic vocat non modestos, sed humilis fortis homines veluti pauperes, ignobiles, indoctos, Plebæos, sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic Chry. Consentientes dixit interpres, pro obsecundantes & accommodantes vos: vult enim Apost. vt quisque suæ oblitus magnitudinis, descendat ad affectus inferiorum, vt illis se accommodet, & cum illis libenter conuersetur.

NOlite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod in vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.

NOolite esse, &c.) Sensus est: ne plus æquo per arrogantiam tribuatis vobis ipsis, vt nec aliena eruditione, nec alieno consilio putetis vobis esse opus (*nulli malum pro malo reddentes*) nulli (Chryſ.) ne gentili quidem. Ethnicorum est maleficium reddere pro maleficio, siue par pari referre (*prouidentes bona, &c.*) Sensus est, quæ agitis bona facite, vt probentur non solum Deo, sed etiam cunctis hominibus, Iudæis & Græcis, bene vero consequentur quid velit declarat Apost, dicens (*si fieri potest*) salua pietate & iustitia (*cum omnibus hominibus pacem habentes*) ne vos præbeatis vlli causam belli siue dissidij, siue Iudæo siue Græco, hoc est, quod dicit (*quantum in vobis est*.

NOn vosmetipsos defendentes charissimi. sed date locum iræ: scriptum est enim. Mihi vindictam ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

NOn vosmetipsos defendentes) id est vindicantes, est enim participiũ eiusdem verbi cuius est nomẽ quod infra vertit, vindictam: *Sed date locum iræ*) id est, vindictæ, & subauditur diuinæ, hoc est, expectate dum Deus sumat vindictam, qui se vlciscitur, nõ permittit nec cedit locũ iræ diuinæ, sed præoccupat & anteuertit. Alij iram per tropum accipiunt pro irato, vt sensus sit cedite irato. Priori tamen interpretationi magis consonat quod sequitur (*mihi vindictam*) Græcè est mihi vindicta nominandi casu atque ita legit Hie. aduersus Rufinũ in Epi. cuius initium ẽ prælectis literis: In cãtico Moysis vnde hoc iste desumptus est, vertit Hie. mea vltio quod dilucidius est. i. ad me pertinet vindicandi officium & ego hoc munus vbi mihi videbitur exequar. Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum) Græcè est ψώμιζε, cuius verbi emphasim notauit Eraſ. Significat enim non simpliciter pascere sed indulgenter pascere, veluti minutim aut frustratim cõscisso cibo, id quod apud nõ nullos sit erga eos quibus fauetur in conuitijs.

Hoc enim faciens carbones ignis) hebraica figura hoc dixit pro carbonibus ardẽtibus, (*congeres*) hoc est accumulabis siue coacervabis (*super caput eius*) Sensus est: Istud si feceris, totum illum inflammabis, non ira aut odio, sed amore: Vult enim Apost. beneficijs obruendum inimicum, quo tandem respiscat & meritis leuitateq; nostra victus, ex hoste fiat amicus. Vnde concludens caput hoc. (*Noli, inquit, vinci à malo*). i. à contumelia siue iniuria tibi illata: refertur enim ad rem, non ad personam. Sensus est: ne committe vt prouocatus vel affectus iniuria, adducaris ad retaliandum malum, sed potius vince malũ siue iniuriã tibi illatã (*in bono*) .i. bene merendo de illo à quo lesus es: qui malefacta benefactis repensans efficit, vt inimicus respiscens fiat amicus, is vincit malum bono.

CAPVT XIII.

OMnis anima potestatibus, sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autẽ sunt à Deo, ordinatæ sunt.

OMnis anima superioribus potestatib. &c.) Erant in ecclesię nascentis exordio qui putarent propter fidem in Christum exemptos sese à subiectione magistratuum ciuilium, & prætextu religiõis detrectabant principum iussa, sed & de Apostolis (vt refert Chryſ.) rumor increbuerat, quòd innouatores rerum essent, & omnia ad euertendum leges communes & facerent & dicerent. Vt igitur hunc rumorem inualidum reddat, & doceat Christianos propter religionẽ Christianam non exemptos ab obedientia præstanda potestatibus, nec Christum tollere politias, dicit (*omnis anima*) id est, quilibet homo, siue ethnicus sit siue Christianus. Synecdoche est scripturæ familiaris (*Potestatibus sublimioribus*) ad verbum est supereminentibus siue præcellentibus, quomodo interpres noster vertit. 1. Petri 2. cap. Est enim positiuus non comparatiuus. Per potestates autem præeminentes intelligit homines authoritate publica præditos, siue reges sint siue principes, siue duces, siue denique magistratus. Quisque, ait Apost. pareat potestatibus præcellentibus sibi præfectis. D. Augustinus in Epistola ad Macedo. quæ est numero 54. Item Chryſost. in comment. huius loci, & veteres fere omnes interpretantur Apostolum de potestate seculari tantum: quod & ipse textus satis indicat. Verũ aduertendum est, quod quamuis Apostolus de seculari potestate hic tantum agat, ratio tamen qua illi parendum vult, communis est etiam potestati Ecclesiasticæ: In potestatem ecclesiasticam imprimis competit, quod

quod dicitur (*non est enim potestas nisi à Deo*) Quare sicut transgressores legum ciuilium rei sunt apud Deum, ita & transgressorrs legum Ecclesiasticarum.

Non est enim potestas) scilicet præcellens, quæ non sit à Deo authore instituente: potestates ad rerũ publicarum administrationem, ne dissidia, pugnas, & confusionem pareat ἀπροξίαν siue rebellio, de qua pulchrè Chryſost. & hoc loco, & in commentarijs super cap. vlt. Epistolæ ad Heb. interpretans illud. Obedite præpositis vestris, vbi de obedientia præstanda magistratui Ecclesiastico sermo est. Annotauit Chryſost. quod non dixit Apostolus, omnes principes ordinatos siue institutos à Deo, sed potestatem. Discernendum enim est inter hæc. Quamuis enim potestas sit à Deo, non tamen à Deo authore est, quod Nero eam obtineat, aut alius quiuis tyrannus, licèt nemo ad potestatem perueniat nisi Deo saltem permittente. *Quæ enim sunt*) scilicet potestates, & huiusmodi alia, illa sunt ordinata à Deo, vt à verbo (*sunt*) succedat comma, siue hypostigma. Apertius græci habent in femininо ordinatæ, vt intelligas ad potestates referendũ hoc modo. Quæ autem sunt potestates, ordinatæ sunt è Deo, id est, institutæ cũ certo quodam ordine obseruando inter gerentes potestates, & eos quibus illi præsident. Commentarij recentium illud (*à Deo*) construũt cum verbo sunt, & multa philosophantur hoc loco, quomodo omnia Dei opera sint ordinata, sed nihil huiusmodi est in veterũ commentarijs.

ITaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time nõ enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.

ITaque qui resistit potestati, &c.) Quisquis non obedit iussis potestatis, is resistit ordinationi & iussis Dei: Qui verò Dei ordinationi resistunt siue non obediunt, etsi apertè se non opponant illi, acquirnnt sibi ipsis damnationem, scilicet æternam. Sic Augusſt. Chryſo. duplicem habet commentarium: prior est, damnationem sibi acquirunt apud magistratum. Alter est: acquirunt sibi damnationem apud iudiciũ Dei: qui non vulgares inquit pœnas reposcet, sed quàm maximas: qui commentarius indicat peccatum mortale, quamuis non tam aperte vt Aug. Commentarius. Commentarius Amb. habet. Vnusquisque enim suis operibus aut iustificabitur aut condemnabitur, qui valde apertè significat peccatum mortale. Illa quæ sunt in textu Pauli vt (*Dei ordinationi resistunt.*) Item (*propter conscientiam*) valde terrere debent: omnino enim sonans, transgressionem legum humanarum esse peccatum mortale. Nomen enim conscientiæ, vsurpat scriptura, vbi agit de peccato mortali, non sic cùm de veniali sermo est. Vnde & Ambro. exponens illud: Rectè inquit dixit Apostolus, subiectos esse debere magistratibus, non tantum propter iram id est, vltionem presentem, sed & propter futurum iudicium, quia si hic cuaserint, illic eos pœna expectat, vbi accusante conscientia ipsa punietur: Sed & verbum (*acquirunt*) quod apud græcos est futuri temporis facit pro futuro illo iudicio.

Nam principes, &c.) Si istud (*nam*) causale est, valde probabilis est commentarius, qui damnationem accipit eã, quæ est apud magistratus, vel quæ eroganda est per magistratus: verum potiùs videtur esse noui argumenti initium sicut frequenter apud latinos. Sensus est: præterea est alia ratio, cur non debetis detrectare iussa principum, vel cur vobis Christianis non debet esse graue obedire magistratui Rom. nam is non est constitutus vt terreat bonos sed malos, quales vos non estis ad verbũ in græco est: nam principes non sunt terror siue timor bonorum operum, id est, non sunt formidandi bene agentibus sed malè agentibus.

Vis autem non timere potestatem) id est, mala quæ principes cominantur (*bonum fac*). i. bene viue, quod si feceris, non solũm liberis à metu, quem præ se fert princeps siue potestas secularis: verumetiam laudem & præmia referes ab illa: ob hoc enim constitutæ sunt potestates, vt supplicijs malos cohibeant, & præmijs bonos honorent, atque id est quod sequitur (*Dei enim minister est tibi in bonum*) id est magnas adfert tibi vtilitates, tantum abest ait Chr. vt à bono remoretur te potestas, sed etiam faciliorem facit te ad virtutem.

Si autem malum feceris) Si fur sis aut homicida (*time, non enim sine causa gladium portat*) id est, non vsurpat sibi gladium, quasi eo legitimè vti non possit, sed à Deo habet potestatem, pœnis corporalibus, etiam mortis, puniendi malefacta, vnde sequitur (*Dei enim minister est vindex*) id est, vltor ad iram. *Et qui malum agit*) vel pacem publicam turbans, vel honestatem vitæ cõmunis lædens.

IDeòque necessitati subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiã. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus debita: cui tributum, tributum: cui ve-
Matth. 22. c. *ctigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui ho-*
norem, honorem.

Deoq; necessitati subditi estote.) Qui hodie ex Græco vertunt, ad hunc modum transferunt. Ideoq; necessitas est, vt subditi sitis. Cùm ita res sese habeat, necesse est, vt obediatis magistratui, non solùm propter irã, de qua dixi in proximo argumento, sed etiam propter conscientiam. Colligit ergo in vnum duo argumenta, quibus priùs est vsus. *Propter conscientiam*) id est, ne polluatur conscientia vestra propter inobedientiam, & rea fiat apud Deum, id est, ne fitis vobis conscij reatus violati magistratus. Est alius commentarius apud Eras. in annot. iste videlicet: Ne sitis vobis cõscij quòd alios prouocaueritis vestro exẽplo ad inobedientiam. Verum quia Paulus nihil legit de scandalo: relinquendus est posterior commentarius, & accipiemus conscientiam violati ordinis diuini.

Ideo enim & tributa præstatis) quasi mercedem operum ipsorum principum. Est argumentum à signo, quasi dicat Apostolus: hanc necessitatem obedientiæ præstandæ & subiectionis vos declaratis, & tanquam profitemini, dum tributa penditis principibus vestris, & iure penditis (*ministri enim*
Locus est in cap. præcedenti. *Dei sunt in hoc ipsum seruientes*) Aug. lib. 4. de doct. Christ. cap. 20. legit in hoc ipso perseuerantes. Græce est προσκαρτεροῦντες de qua voce diximus in explicatione illius: Oratioui instantes. Sensus est: in hoc toti incumbunt, & versantur, vt pacem & honestatem publicam tueantur, hoc est ipsorum studium & cura, vt vos tranquillè viuatis. Quare cum sua ipsorum negligentes, res communes curẽt, idcirco debetis illis tributa (*Reddite ergo omnibus debita*) id est, & principibus & regibus, & ducibus, denique vniuersis qui publica authoritate seu potestate præditi sunt: cui debetis tributum, reddite trib. &c,

Exod. 20. c. Deut. 5. b. Leuit. 19. d. Matth. 22. d. Marci. 12. c. Gala. 5. c. Iacob. 2. b. *Nemini quidquam debeatis: nisi, vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides. Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Nemini quicquam debeatis, &c.) Hactenus dixit Apostolus de obedientia præstanda magistratui, deq; soluendo quod ei debetur: nunc deflectit ad exercitium charitatis, quæ omnibus præstanda est, quamq; (cum omnibus & principibus & alijs soluerimus) solam esse dicit, quæ non desinat deberi. Soluite inquit cuiq; quod illi debetis, sic vt nemo possit vos admonere vllius debiti, excepto vno debito mutuæ dilectionis, Agnoscere enim debetis, vos semper permanere illius debitores, quantumuis semel & iterum ac sæpius eam solueritis. Atq; ad istud præstandum, hoc est, ad indefessè mutuò vos diligendum, excitare debet rei vtilitas (*qui enim diligit proximum*) vera & Christiana charitate is (*legem impleuit*) id est vita & operibus præstitit, quicquid lex præcipit, Sic August. contra Faustum. Verbum (*impleuit*) quamuis sit præteriti temporis, tamẽ Hebraica consuetudine ponitur quasi absolutum à tempore, impleuit, id est, implet, & est in implendo. Difficultas hic est, quomodo diligendo proximum impleamus præcepta primæ tabulæ, siue totam legem, maximè cùm dicat Saluator in duobus præceptis, scilicet dilectione Dei & proximi hanc pendere. Respondet Augustinus & recte istud ab Apostolo dictum, quia dilectio proximi in se cõtinet dilectionem Dei tanquam causam, quia nemo vera dilectione diligit proximum, nisi qui ipsum in Deo & propter Deum diligit. Si propter Deum diligit proximum, ergo & Deum diligit. Quod autem is qui proximum diligit, legem impleat, probo inquit Apostolus hoc modo. Nam illa (*non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum*) non solum ad secundam tabulam, quæ prescribit officia erga proximum, sed etiam ad primam tabulam, quæ Dei cultum præscribit, pertinens, in hoc sermone instauratur. Græce est ἀνακεφαλαιοῦται quod ad verbũ sonet recapitulatur, id est, summatim comprehenditur, & velut in compendio continetur. Quum post Deum ipsi nobis debeamus esse propiores, & nos magis quàm alium quemuis diligere, rectè colligunt doctores in hac sententia (*diliges proximum tanquam teipsum*) voculam (*sicut*) accipiendã esse similitudinariè, & non vt æqualitatem significet, vt videlicet nostri dilectio proposita intelligatur tanquam typus quidam, & forma, & exemplum dilectionis proximi.

Dilectio proximi malum non operatur) probat ratione quod dixerat, epilogum, id est, totius legis compendium esse in charitate, quia charitas malum non operatur, intelligunt quidam, in proximum. Sed probabilior commentarius est, qui absolutè interpretatur: Charitas non operatur malum, i. vllum prorsus, id est, charitas non patitur vt quis ipsa præditus male viuat. *Plenitudo ergo legis*) id est, præstatio legis, siue exhibitio plena

tio plena & integra legis, est dilectio, id est, dilectio facit vt plenè & integrè præstemus legẽ. Ex hoc loco discimus quod ab aliquibus in hac vita impleatur lex. Sunt enim qui diligunt proximum. Quod verò hîc calumniantur Lutherani, verum quidem esse de perfecta dilectione, quod illa sit legis impletio, sed non de tali quam vllus mortalium præstat, quodq; Paulus loquutus sit de idea dilectionis, siue de forma, siue specie quadã dilectionis, qnemadmodum Plato proposuit idæã bonæ reipublicæ, quam nusquam reperire est, absurdum prorsus est, quod ex ipso textu plane conuincitur. Cùm enim Apost. hortetur Rom. ad mutuam dilectionem, palam est eum agere de ea dilectione, quam possunt homines præstare.

Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

Et hoc scientes tempus, quia) Pronomen (hoc) non refertur ad tempus, quũ (tempus) Græcis sit masculini generis, pronomẽ vero (hoc) neutri generis, sed refertur ad admonitionẽ præcedentẽ de charitate, quod dicitur Apost. Exercenda est nobis in vsu quotidiano charitas eo magis quod iã tempus sit. Particula igitur (& hoc) vim habet amplificandi, quemadmodũ cum dicimus: scortatur & hoc in quadragesima. Dilucidius fuisset si vertisset, idq; quũ nouerimus tempus. Eras. m. ad sensum transtulit, præsertim cùm sciamus tẽpus, quia hora est. i. tempestiuũ est, nos iam excitari è somno ignauiæ, torporis, & negligentiæ, & nos sedulò præparare ad diem Domini iam appropinquantem.

Nunc enim propior est nostra) postquã magna pars vitæ peracta est nobis in cognitione Euangelij, propius adest nobis salus futuræ gloriæ, id est, futuro seculo magis iam hoc tempore appropinquamus quàm quũ inciperemus credere. Quare æquum est, vt quanta possimus vigilãtia, præparemus nos ad illum diem iudicij.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit.) Erasmus purat interpretẽ vertisse (*processit*) & errore librariorum ex processit factũ esse præcessit. Certè Origenis interpres legit, nox promouit, id est, processit siue progressa est, id est, nox maxima ex parte peracta est & instat dies. Appropinquauit enim dixit pro appropinquat, more Hebraico. Noctẽ autem intelligit vitã præsentem, quæ plena est tenebris & erroribus: diem verò tempus iudicij, siue futurę glorię. Interpretatio quã dedimus est Ambrosij, Chrysost. Theoph. Aquinatis, & ferè omnium interpretũ. Peculiarem huius loci commentarium habet Eras. m. in annot. minimè malum. Per noctẽ ipse accipit tempus Moysi, quo veritas erat velata, vel ipsam doctrinã Mosaicam. Diem intelligit statum gratiæ, siue doctrinã ipsam Euangelicam. Eodem refert ea quæ præcedunt, (*nunc enim propior est salus nostra*) vt sensus sit. Iam nato Christo propior est salus, quàm olim sub Moyse, nunc enim illucescente Euangelio, palam offertur omnibus, quum olim promitteretur tantum sub vmbris & figuris, hoc est quod dicit (*quam quum credebamus*) scilicet exhibendam.

Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die, honestè Luc. 21. f *ambulemus: non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in*
contentione & æmulatione, sed induimini Do- Gal. 5. e
minum Iesum Christum, & carnis curam ne fe- 1. Pet. 2. e
cerris in desiderijs.

Abijciamus ergo opera tenebrarum) id est, opera quæ formidant lucem, vt sunt vitia, (*& induamur armã lucis.*) Consequentia requirebat vt diceret, opera lucis, sed maluit dicere arma, vt ostenderet virtute eũ, qui illam habet, optimè munitum constitui aduersus insidias diaboli. *Tanquam in die honestè ambulemus*) id est, quia dies aduenit, idcirco præstemus opera, quæ non reformidant lucem, quæ non puderet in medio foro ipso meridiano tempore agere.

Non in commessationibus.) Vetat studium commessandi, & frequentiam, vnde plurali numero vsus est. *Non in cubilibus & impudicitijs.*) Istud (&) epexegesin habet: exponit enim cubilia: *Non in contentione*) id est, certamine ad honores adipiscendos, (*& æmulatione*) id est, inuidentia, *Sed induimini Dominum Iesum Christum*) verbo induendi Hebræi vtuntur ad significandam copiam. Loca obuia sunt in scripturis. Psalm. 64. Induti sunt arietes ouium, quod Hierony. vertit: vestiẽtur greges agnis, id est, oues erunt fœtosæ. Et id quod sequitur, Valles abundabunt frumento. 70. verterunt ad sensum. Nam ad verbum est, Valles vestientur frumento. Induere ergo Christum, est omnibus modis Christum repræsentare, & efficere vt ipse in moribus nostris per omnem vitam eluceat. Vult inquit Chrysost. nos Christo vndiq; circumdari velut vestimento, vt in omnibus ipsius patientiã, humilitatem, modestiam referamus: Magna & admirabilis est hîc adhortatio Pauli quæ imprimis mouere debet sacerdotes sæpe communicantes corpori & sanguini Christi, ad hoc enim accedimus mensam Domini, vt hauriamus Spiritũ Christi. *Et carnis*) id est, corporis (*curam ne feceris in desiderijs*) id est, ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

concupiscentias. Licet nobis vti bono cibo & potu, sed non ad voluptatem, non ad studium gulæ, atque id est quod prohibet hic Apostolus.

CAPVT XIIII.



Infirmum autem in fide, assumite: non in disceptationibus cogitationum: alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducat.

Infirmum autem in fide assumite, &c.) In hoc capite agit Apost. de libertate Ghristianorum, qua per Christum liberati sunt ab obseruatione ceremonialium & iudicialium, ac tria ferè docet: Primò nullũ discrimen ciborum aut dierum in lege præscriptum, necesse esse seruare propter legẽ: Deinde qui de hac libertate rectè instituti sunt non debere ea abuti ad contemptũ vel scandalum proximi, qui nondum de hac libertate firmam sententiam habet. Postremò infirmiores, quibus nondum erat persuasum de ista libertate, non debere iudicare alios firmiores, quos videbant negligere discrimina ciborum & dierum in lege præscripta. His animaduersis caput non habet difficultatem. Dicit ergo: *Infirmum autem in fide.*) Illud (in fide) refertur ad (infirmum) non ad sequens verbum (assumite) Sensus est: vos qui firmiores estis, suscipite eum qui nondum firmus est in fide, id est, qui nondum satis instructus est de beneficio Christi, qui adhuc necessariam credit legis obseruationem, suscipite inquam eum, id est vobis adiungite fouendum & ne reijciatis eum.

Non in disceptationibus cogitationum.) Id est, ne fumatis cum eo anxias & morosas disputationes, ex quibus oriuntur mutuæ diiudicationes, sed si locus sit monendi, monete benignè: si non audiat, finite eum, & tolerate cum mansuetudine: non enim periculosè errat.

Alius enim credit, &c.) Declarat duobus exẽplis quid sibi velit. Qui firmiori inquit est fide (credit) id est, existimat, quæ significatio notanda est propter locum sequentẽ: Omne quod non ex fide. Insolens est sermo, non solũm Latinis sed & Græcis: *Credit se manducare*) pro eo, quod est putat sibi licere manducare (*omnia*) id est, quælibet. Alius rursus qui est fide infirmior. Refertur enim non ad valetudinem corporis, sed ad animę superstitionem. *Olus manducat*) Græcis est indicatiui modi, manducat. Porrò (olus) figuratè dixit pro quibuslibet, quibus vesci licet citra dubium, eò quòd nihil herbarũ in lege prohibitum fuit.

Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem nõ iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere illum. Luc. 4. d

Is qui mãducat, &c.) Id est qui quibuslibet vescitur, eò quod nouerit sublatum esse discrimen ciborum in lege præscriptũ, non contemnat infirmiorem, qui credens legẽ adhuc ligare fideles, non audet vesci quibuslibet. Et qui non manducat sensu iam dicto, id est qui non audet vesci quibuslibet cibis, ex eo quòd putat legem adhuc ob ligare Christianos ad discrimẽ ciborum in lege præscriptum (*manducantem non iudicet*) id est non damnet eum, quem videt vesci quibuslibet sine delectu, quasi transgressorem aut studiosum gulæ, *Deus enim illum assumpsit*) scilicet ad gratiam Euangelij, quæ legis obseruationem non requirit. Illum assciuit. Videtur autẽ respicere Apost. ad charismata, quibus tum pollebant Christiani, ac si dicat, manducantem quelibet Deus assumpsit, quod indè licet colligere quòd linguis loquatur & alijs gratijs polleat.

Tu quis es qui iudicas alienum seruum?) Excomissura huius partis cum superiori, videtur Paulus obiurgare scrupulosum ad quẽ pertinent priora. Chrysosto. motus ijs quæ sequuntur, scilicet, domino suo stat aut cadit, putat Paulum conuertere sermonem ad eum qui est liberæ conscientiæ.

Domino suo stat aut cadit) id est, peccat, aut bene facit, *Stabit autem*) Erasmus rectè vertit, imò stabit, vt sit corrigentis (*potens enim est Deus statuere*) hoc est, stabilire & firmiorem reddere (*illum*) scilicet qui nondum firmus est fide. Si sit obiurgatio scrupulosi. Sensus est: Deus potest efficere, vt is qui vescitur quibuslibet sine delectu, libertate sua non abutatur ad luxum.

Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisq; in suo sensu abundet. Qui sapit diem Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

Nam alius iudicat, &c.) Quemadmodum inquit in cibis, ita & in diebus distinguendis res sese habet. Nam hic quidẽ nempe infirmior fide, adhuc Iudaico more discernit inter dies: hos quidem festos & solennes ducens, illos vero habẽs profanos. Alius vero de omni die perinde iudicat, & omnes pares habet, eo quod nouerit sublatum esse discrimen, quod lex constituit. Vbique hic meminisse oportet, Apostolum non agere de ieiunijs, aut festis præscriptis consuetudine populi Christiani, aut lege vel traditione maiorum: sed de Iudaicis obseruationibus, de quibus & Philip. Melanthon, & Bucerus ista dicta esse accipiunt. Vnde ex isto loco non impugnant ieiunia Ecclesiastica, & dies festos: sed solùm imperiti faciunt id, vt nautæ, & vulgus indoctum.

Vnusquisq; in suo sensu abundet) in hac quidem re & causa, in ista materia, puta in obseruatione & neglectu dierum, in vsu & nõ vsu ciborũ, neutri alteros iudicent, sed vtrique permittantur suo sensui, id est, fruantur iudicio mẽtis suæ, & iuxta illud permittantur agere. Non suadet hic Apostolus infirmos in suo errore permanere, sed tantùm vult infirmitatem eorum à perfectioribus tolerari, donec ad meliora proficiãt. Est hic quæstio, cur tam mansuetè agat cum istis Iudaizantibus, cùm tam vehemens sit contra Galatas, quibus dicit: Si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit: Rursus dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vobis, &c. Respondendum est in alio errore fuisse Galatas, in alio verò istos. Si quidem Galatæ existimabant se iustos effici apud Deum per obseruationẽ legis Mosaicæ, atq; ita quod præcipuum est in beneficio Christi, transcribebant legi: Romani verò non ita, sed per fidem se iustos agnoscebant, vt patuit: vlteriùs autem putabant legem Moysi, sicut in moralibus, ita in ceremonialibus retinendam & obseruandam fidelibus. Præterea Galatis res hæc satis declarata erat, & prædicata, & inculcata, Rom. non item. Quare illi inexcusabiles erant.

Qui sapit diem) id est, Qui decernit inter diem, putans legem nondum sublatam. *Domino sapit*) id est iudicat se facere gratũ Deo, dũ sua opinione id facit, quod in lege Deus præscribit. Alij particulam hanc ad vtrumq; referunt, ad distinguentem, & non distinguentẽ, vt sensus sit: Qui vel de quouis die idem sentit, vel de alio atq; alio die aliter atque aliter sentit, vterq; ad Domini honorẽ agit. Pro horum sententia facit quòd huic parti nulla sit reddita contraria, cum edentis sit oppositus nõ edens. *Et qui manducat*) id est qui vescitur quibuslibet sine delectu. *Domino manducat*) id est ad Domini glorificationẽ id facit. *Gratias enim agit Deo*) partim ob id quòd in vsum hominum sua largitate condiderit quemlibet cibum, partim quod intelligit per Christum sublatum esse discrimen ciborum in lege præscriptũ. Sententia hęc Apost. referenda est ad id tempus, quo scripsit Apost. quo videlicet apud plerosq; adhuc obtinebat opinio legẽ seruandam esse cum Euangelio, & quo nulla adhuc à cibis abstinentia per Ecclesiam erat præscripta, nec vllæ ieiuniorum leges conditæ. Id sanè tẽporis, qui præditus erat recta scientia de abrogata lege per Christum vescebatur quibuslibet sine delectu, & ad Domini gloriam faciebat: verùm vbi præscripta est ab Ecclesia certa ciborum abstinentia, & ieiuniorũ dies constituti, sine legitima causa eas leges violans, & vescens pro sua libidine quibuslibet, vtpote qui palàm affirmat omnia munda mundis, & non inquinare homines quod intrat in os, haud quaquam censendus est domino manducare, sed nec superiori illa sententia: Qui nõ manducat, manducantem non iudicet, rectè sese defendere potest, ne ab alijs iudicetur. Nã & causa in qua ipse versatur iam ab Ecclesia præscripta est, & animus ipsius iam propria confessione patefactus, qui quamdiu se non prodit in vsu rerũ per se indifferentiũ, de quib⁹ loquitur Paulus, neminem iudicare possimus, propterea quod (vt inquit August.) in huiusmodi rerum indifferentium vsu non contingat peccare, nisi mala conscientia, quæ soli Deo est cognita. *Augustin. in quæst. huius Epist.*

Et qui non manducat) id est, qui abstinet à suilla carne & cæteris in lege prohibitis, vtens tantùm concessis in lege (*Domino non manducat, & gratias agit Deo*) partim quod tametsi quotidã cibos opinetur Deum negasse homini, tã multiplices tamẽ & varios reliquerit quib⁹ affluẽter pascat corpus humanũ: partim quòd diuinæ gratiæ auxilio sentit se posse tẽperare ab ijs, quę sunt vetita.

Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur.

Nemo enim nostrũm) id est Christianorũ (*sibi viuit, &c.*) Verba facilia sunt. Probat Apostо. speciem ex genere: homo verè Christianus omnes omnino vitæ suæ actiones, imò & mortem ipsam refert ad Domini gloriam, & nusquam se quærit: quare nec in rebus indifferentibus se spectat, sed Dominum suum, illius honorem & gloriam, qui ipsum acquisiuit sanguine suo.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuũ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, scriptũ est enim: Viuo ego dicit Dominus, quoniã mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Tu autem, &c.) dirigit sermonem ad infirmum. Tu autem ó infirme quid iudicas fratrem tuum quẽ vides vesci quibuslibet, & negligere discrimina dierum in lege præscripta? quid inquã iudicas eum tanquam intemperantem, & transgressorem legis, cùm Christus eius Dominus sit, non tu, cumq; Christus eius futurus sit iudex? Aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam tu ô firmior cur aſpernaris & vili pendis fratrem tuum, quã vides nondum negligere poſſe diſcrimina ciborum & dierum? quid inquam eum tanquã ſuperſtitioſum ſuperbè abijcis?

Omnes enim ſtabimus) ad verbum eſt ſiſtemur: ſiue ſiſtendi ſumus ad tribunal Chriſti, vt ab illo tanquam à communi omnium iudice omnes iudicemur. Per tribunal iudiciariam poteſtatem ſignificat. Quæſtio hic eſt, quomodo omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, quum Matth. 19. dicatur Apoſtolis? Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes, &c. Dicendum quòd omnes ſtabimus, ſupple vt omnes adiudicemur vel præmio vitæ æternæ, vel ſupplicio mortis, non autẽ vt omnes diſcutiamur & examinemur: Sedebunt enim quidam cum Chriſto iudicaturi, vt habet locus ille Matthæi. *Scriptum eſt enim*) Eſaiæ 45. Rẽ hãc tam ſolicitè probat Apoſtolus, non quòd ſit dubia, ſed vt nos intenti in iuditium illud cui omnes ſiſtemur iudicandi, hic interim abſtineamus à priuatis iudicijs, præſertim in rebus indifferentibus, quæ per ſe & bono & malo animo fieri poſſunt.

Viuo ego dicit Dominus) id eſt per meipſum qui ſum vita, & fons vitæ, iuro, quòd non ſolùm natio Iudaica: ſed omnes omnino mũdi nationes proſternent ſe mihi. Prophetia hæc impleri cœpit in primo Chriſti aduentu, & conſummabitur in ſecundo aduentu tempore iudicij, quando & hoſtes ipſius vi coacti tanquam ſcabellum ſubijcientur pedibus ipſius. *Et omnis lingua*) id eſt, omnis creatura rationalis (*confitebitur Deo*) hoc eſt externi ſigni profeſsiõe teſtabitur me Chriſtum eſſe Deum.

ITaq; *vnuſquiſq; noſtrum pro ſe rationẽ reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.*

ITaq; *vnuſquiſque noſtrum rationem reddet*) in eo iudicio de ijs quæ ipſe geſſit, non autem de ijs quæ alij geſſerunt. Quare in hoc quiſq; ſolicitè inuigilare debet, vt ipſe rectè agat, & aliorum vitam Deo dijudicandã relinquat. Quod hic dicit Apoſtolus. Vnuſquiſq; pro ſe rationem reddet, quaſi dicat non pro alio, non repugnat ei, quod ad Hebræos de propoſitis ſcribit, quòd rationem ipſi reddituri ſint pro animabus ſubditorũ, quia prælati non reddent pro ſubditis rationem, niſi quatenus ex negligentia officij ipſorum ſubditi pereunt, patet hoc ex ca. 3. Ezech. Cum ergo conſerui ſumus eiuſdem Domini Chriſti, atq; illi quiſq; pro ſe rationem reddituri ſit, non autem pro alio. *Nõ amplius inuicem iudicemus*: neq; infirmus firmum: neq; firmus infirmum iudicet (*ſed hoc iudicate magis*) figuratè repetit idẽ verbum ſcilicet iudicate, ſed in alio ſenſu. Iudicate, id eſt curate, decernite hoc, & ſtatuite apud vos, ne ponatis, &c. Dirigit ſermonẽ ad firmiores: Senſus eſt curate ne veſtra libertate qua veſcimini quibuſlibet, præſtetis fratribus infirmioribus offendiculum, vel ſcandalum: ne licentia veſtra offenſi deterreantur à religione Chriſti, quã ſemel ſunt amplexi, credentes eam irreligioſam vtpote diuinæ legi per Moyſen datæ contrariam, hoc eſt quod dicit offendiculum: Neq; exemplo facti veſtri prouocati veſcantur contra conſcientiam quibuſlibet, hoc eſt quod dicit ſcandalum, ſi tamẽ inter hæc duo diſtinxit Apoſt. Chryſoſt. partem iſtam ad vtrumque refert, ad firmũ videlicet & infirmum: neuter veſtrũ in his legalibus ſeruandis vel non ſeruandis præbeat alteri offendiculum vel ſcandalum.

Scio & cõfido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum: niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulamus. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Scio & confido, &c.) Pro confido Græcè eſt πέπεισμαι, quam vocem hoc loco Chryſoſt. interpretatur per ἀποφορέω, id eſt plenissimè perſuaſus ſum, & dicit Apoſtolum duabus his vocibus vſum ad maiorẽ rei alleuerationem. Præpoſitionem (in) loco (per) poſitam dicit, hoc ſenſu: ſcio & plenissimè doctus ſum per Dominum Ieſum, ſiue à Domino Ieſu, .i. cœleſti oraculo edoctus ſum. Secundum huius commentarium infirmi illi (vt videtur) ceſſare debuiſſent accepto oraculo diuino de abijcienda illa ſcrupulositate ſua. Interpres noſter vocabulũ πέπεισμαι accepit, non vt plenam certitudinẽ ſignificet, ſed confidentiã, in qua ſignificatione etiam accipit Ambro. atq; hæc ſignificatio magis cõgruere videtur præſenti loco, quã altera illa. Nam licet Paulus de his omnibus diuinitus edoctus fuerit, id tamen non videtur hic agere apud nouitios Romanos. Senſus igitur eſt: ſcio vel potiùs confido (vt ſit mitigantis) *in Domino Ieſu*) id eſt, fretus bonitate diuina. De verbo πέπεισμαι vide octauũ caput in enarratione illius loci: Certus ſum enim quia neq; mors, &c.

Quia nihil commune) id eſt, nullum cibi genus commune eſt. Iudæi cibos communes vocant, quibus paſsim gentiles omnes vtuntur, quæ quoniã multis cibis impuris vtuntur ſecundum legẽ, hinc (commune) ſignificat immundum vel vetitum. De hac voce vide Hier. in comment. ſuper ca. 13. Matth. enarrantẽ illud. Nihil quod intrat in os, &c. De cibis antiqua eſt quæſtio, an aliqui ex ſe mali

mali ſint, tanquã ortà à malo principio? quę hæreſis eſt Manichæorum. Alia quæſtio eſt, an aliqui cibi ſint immundi, non quidem ex ſe ſiue natura ſua, ſed propter typum rerum immundarum, & ſic vetiti in typica lege Moyſi: de hac in præſentiarum ſermo eſt. De altera igitur in priori Epiſt. ad Tim. c. 4. qui locus cum iſto conferendus eſt, vt appareat diuerſitas. Nihil ergo commune, ſcilicet propter ſignificationem, quomodo quædã erant communia ſiue immunda, durante lege Moyſi. Quod ſequitur (*per ipſum*) exponit Ambr. id eſt beneficio Chriſti, qui immundiciam omnem, quæ erat ſignificationis cauſa inſtituta in lege, ſuſtulit, liberans credentes à ſeruitute legis Moſaicæ. Theoph. Chryſ. & Origi. legunt nihil commune per ſeipſum, id eſt per ſe, hoc eſt, natura ſua. Sed prior lectio melior eſt, quia diſputatio hic eſt de immundicia legali, non autẽ de ea quæ ſit ex natura rei, tametſi per legem nullũ cibi genus iam ſit immundũ, idque beneficio Chriſti, tamen fieri poteſt propter errorem conſcientiæ, quo quis falsò exiſtimat quoſdam cibos adhuc vetitos lege, vt ſit illi cibus immundus contaminaturus edentis conſcientiam, etſi reuera non ſit immundus. Ex hoc loco diſcimus conſcientiam erroneam obligare, non quidem ad faciendum ſecundum eam, ſed ad non agendum contra eam.

Si enim propter cibũ, &c.) Græcè eſt ſi verò. Arguit firmũ, ſi tu firme magis habes rationem cibi cuiuſlibet quàm fratris. i. ſi aduertens fratrem ex vſu cibi huius aut illius quẽ putat lege vetitum adhuc, in animi triſtitiã, moleſtiã, ſeu inquietudinem conijcendũ, non abſtines tamen à cibo illo, conſequitur quòd nõ ambules ſecundum charitatẽ, ſed lædas charitatẽ. *Noli cibo tuo*) qui reuera res indifferens eſt (*illum perdere*) quẽ tanti fecit Chriſtus, vt pro illius ſalute mortẽ obierit.

NOn *ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt enim regnum Dei eſca et potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto: qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.*

NOn *ergo blaſphemetur*) ſcilicet ab his qui foris ſunt, id eſt à gentilibus (*bonum noſtrum*) id eſt religio noſtra, & pietas Chriſtiana, dum vident alios cõtemnere alios propter cibos. Nec eſt quod dicas mihi, te ad vſurpandã promiſcuè libertatem iſtam per Chriſtum donatam vrgeri neceſsitate & ratione regni Dei.

Non eſt enim regnum Dei eſca & potus.) Interpretes variè exponunt hic regnum Dei. Optimus commentarius eſt vt ſit ſubſtantia, & præcipua ratio religionis Chriſtianæ, vt ſit ferè idem quod bonum noſtrum. *Eſca ergo & potus*) id eſt vſus ciborũ & potus (*non eſt regnum Dei*) id eſt, nõ eſt potior pars noſtræ religionis ſeu pietatis. Res hæ cum ſint indifferentes in ijs non eſt poſitum principale religionis noſtræ, ſed poſitum eſt in exercitio ſiue obſeruatione iuſtitiæ, (qua & Deo debita præſtatur obedientia, & tribuitur proximis quod ipſis debetur) & in obſeruatione pacis ſiue in pacifico cum proximis conuictu. Moneri hic debent turbatores familiæ quibus curę non eſt, an lites ſurgant an non. Sed conſiſtit regnũ Dei in lætitia quam parit pax, ſiue pacificus ille conuictus. Horum autem bonorum ſcilicet iuſtitiæ, pacis, & gaudij, quia author eſt Spiritus ſanctus, idcirco Apoſtolus hoc ſignificare volens, addit (*in Spiritu ſancto*) (in) Hebræorum more pro (per) poſuit. *Qui enim in hoc*) id eſt in Spiritu ſancto, hoc eſt, qui non de cibis contendit, ſed ea potiſsimum ſectatur quæ pertinent ad iuſtitiã, ad pacem, &c. quę res ſunt ſpirituales, quæq; homini à Spiritu ſancto contingunt, qui inquam hæc ſectatur, & per ea ſiue illorum ſtudiũ ſeruit Chriſto, is placet Deo, & hominibus. Ponit Apoſtolus hoc loco differentiam inter res indifferentes, quales ſunt eſca & potus, & res quę per ſe ſunt ad ſalutẽ neceſſariæ, quales ſunt iuſtitia & pax: quòd obſeruatio eorum quæ pertinent ad iuſtitiam, ſic requiratur ad regnum Dei (id eſt ad hoc vt Deus regnet in nobis credentibus) vt nõ ſit licitum vnquã illa prętерire: vtpote in quibus regnũ ipſum ſit ſecundum naturã ſuam poſitum. Obſeruatio autem indifferentiũ poſsit frequenter prætermitti, vtpote in qua non eſt poſitum per ſe & ſubſtantiam ſuam regnũ Dei: Agit enim Apoſt. aduerſus perfectiores, qui libertate à Chriſto donata abutebantur.

Oſtendens ea tantũ eſſe vrgenda & nunquam prætermittenda, in quibus per ſe poſitum eſt regnum Dei, ea vero eſſe illa, quæ per ſe continent iuſtitiã. Cæterum res quaſdã medias, qualis eſt libertas veſcendi quibuſlibet cibis, non ita vrgendas, ſed debere gubernari ex conſilio & ratione charitatis. Quare hæc Pauli doctrina nihil aduerſatur legibus Eccleſiaſticis, de abſtinẽtia & delectu ciborum, aut de ſimilibus indifferentibus: ſed tantùm declarat regnum Dei poſſe cõſiſtere ſine vſu libertatis à ſeruitute legis per Chriſtũ donatę fidelibus: id quod Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 8. in ſimili planè argumento verſans docet. Eſca nos non cõmendat Deo, &c. Agit igitur hic Paulus non de abſtinẽtia cibi, aut ſponte aut ex præſcripto ſuſcepta: ſed de libertate vtẽdi quouis cibo, negans regnum Dei poſitum eſſe in huiuſmodi libertate. Quod ſi contẽdas Apo. do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctrinam accipiendam pariter de vsu cibi & abstinentia, vt doceat neq; in vsu ciborum, neq; in abstinentia positum esse regnũ Dei: æquè nihil aduersabitur doctrina hæc Pauli legibus Ecclesiasticis de abstinẽtia & delectu ciborum, quia quanquam neq; in abstinentia, neq; in libero vsu cuiuslibet cibi per se consistat regnum Dei, potest tamen consistere secundario in abstinentia cibi, quatenus per abstinentiã, siue spontaneam siue præscriptam, Deo subijcimur: videlicet dum per eam carnis concupiscentias refrenamus, dum quod aduersus Deum deliquimus, in nos per abstinentiam vindicamus: dum deniq; per abstinentiam spiritum alacriorẽ reddimus ad cultum Dei. Hoc namque modo accepta abstinentia, actus virtutis est, & in hoc falluntur qui scribunt contra ieiunium Ecclesiasticum, quòd considerant illud vt est nuda abstinentia à cibo, nõ relata ad aliud bonum, non imbuta fide vel charitate, quale ieiuniũ certum est, rem esse indifferentem, nec pertinere ad regnũ Dei, nec commendare nos Deo: Sed tale non est ieiunium Ecclesiasticum. Quomodo verò referatur ieiunium ab Ecclesia, vel à ratione imbuta fide, pleniùs diximus in cap. 29. Esaiæ, cùm exponeremus illud: Timuerunt me mandato homiuum.

ITaque quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicẽ custodiamus, noli propter escã destruere opus Dei. Omnia quidẽ sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinũ, neq; in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

ITaq; *quæ pacis sunt.*) Nõ vrgeamus importunè ea, quæ pertinent ad libertatis nobis per Christum concessæ declarationem, sed ea sectemur, quæ pertinent ad mutuam pacem & ædificationem, quę pertinent ad successum Euangelij & promotionẽ corporis Christi, vt omnes coalescamus in vnũ. *Noli propter escam*) quæ reuera est res indifferens, etiam iuxta tuam opinionem: alloquitur Apost. firmum (*destruere opus Dei*) id est, salutem fratris iuxta Chrys. Metuebat Paulus ne infirmi isti relaberentur in Iudaismum offensi licentia aliorum. Opus ergo Dei, id est fidem & pietatem Christianã in istis infirmis vel inchoatam (*quod optimum est*) ędificium Ecclesiæ: nam præcesit mentio ædificationis.

Omnia quidem sunt munda) vox munda opponitur communibus: agitur enim contra Iudaisantes, nõ contra Manichæos. Sic quidem res habet vt antè diximus quòd quilibet cibus iam mũdus sit, & quibusuis vesci liceat, idque beneficio Christi, qui abstulit discrimen ciborum lege præscriptũ, tamen malum est & peccatum, homini edere cibũ aliquem quantumuis licitum, si ad illius cibi esum frater infirmior sit offendendus.

Bonum est nõ manducare carnem) loquitur Apost. de genere, vt meliùs doceat de specie. Sensus est, gratum est & acceptũ Deo, si quis non solùm à suilla, sed ab omni carne abstineat, si carnis esus sit futurus offendiculo fratri: Et bonum est, si quis à vino prorsus abstineat, quando vini potus futurus esset offendiculo fratri. Et vt in summa dicã, bonum est abstinere ab omnib⁹ omnino escu lentis & poculentis, & breuiter omnib⁹ quę possunt vrgere in offensionem proximorũ, Inter tria hæc vocabula, offenditur, siue (vt meliùs legit Ambr.) offendit, scandalizatur, & infirmatur, quidam ita distinguunt: offenditur, id est, prorsus alienatur, excidit vel subuertitur à religione: Scandalizatur, id est, exemplo prouocatur ad edendum contra conscientiam: Infirmatur, id est, adducitur in aliquam conscientiæ dubitationem.

TV fidem habes penes temetipsum, habe coram Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

TV *fidem quam habes, &c.*) Arguit adhuc firmum, & est velut occupatio. Quòd si obijcis omnino vrgeri te, vt fidem siue scientiam quam habes de ciborum libertate, declares alijs? respondeo satis esse, si illam libertatem agnoscas cum gratiarum actione tibi datam, ac propria conscientia & Deo testibus cõtentus, illã non iactites cum ostentatione fratribus pernicioſa. Putat Chrysostomus quòd firmi illius tẽporis, affectu inanis gloriæ ostentabant se, & quòd Apostolus hunc affectum hic arguat. (*Quam*): relatiuum apud Græcos abest, & est omnino sermo viuidior omisso (quam.) Post verbũ (habes) ponendum est omnia. Tu fidem habes, id est, tu bene es institutus, sed fidem tuam habeas penes te, id est, serues eam occultam coram Deo, ne intempestiuè eam prodas.

Beatus qui non iudicat) id est qui non condemnat (*seipsum in eo quod probat*) id est in eo quod statuit agendum esse, hoc est, qui in licitis & concessis quæ statuit agenda esse, abiectis vel contemptis scrupulis omnibus, libera & bona conscientia procedit. *Qui autem discernit*) Græca vox διακρίνομαι, aneeps est ad discernere dijudicare, & ambigere. Chrysost. interpretatur, qui cum dubio edit: Sic & Oecum. Ambr. qui discernit interpretatur, qui dijudicat seipsum. Chrysergo accipit istum damnari, quia facit contra conscientiam: eodem recidit illa expositio secundum nostram lectionem. Qui adhuc inter cibos

cibos discernit, & qnosdam iudicat adhuc vetitos, si ederit eos cibos, quos iudicat vetitos, tametsi reuera vetiti non sunt, damnationi se reddidit obnoxium, quia edit non ex fide, id est, non ex credulitate aut persuasione quòd licitus sit cibus ille. Sic fidẽ interpretatur Amb. Chrys. verò & The. fidem accipiunt pro fiducia conscientiæ, qua scilicet conscientia confidit licitum esse quod agit. Eandem ferè habet sententiam hęc explicatio Chrys. & Theo. cũ illa, quæ est Ambrosij. Quod hoc loco dixit Apostolus fidẽ, id ad Cor. ca. 8. scientiam vocat: De esc is inquiẽs quę immolantur idolis scimus, quòd omnes scientiam habemus, scientiam intelligens qua quis scit & nouit idolis immolata nõ esse contaminata, sed esse licita ad vescendum. Atq; in superioribus huius capitis locis, ita fidẽ Apostolum accepisse notũ est.

Omne autem quod non est ex fide peccatũ est) probat speciem ex genere. Non solùm (inquit) si quis edat cibum aliquem non ex fide, sed quicquid omnino agit quispiã non ex fide, id est, non ex credulitate quod licitum sit id agere quod agit, peccatum est illi, faciens illum damnationi obnoxium: quia fide eo quod agit nõ habeat credulitatem, persuasionem, scientiam, siue conscientiæ confidentiã, quod licitum sit id agere: aut palam agit contra conscientiam, dum iudicat illicitũ esse quod agit: aut certè exponit se peccati periculo, dum hoc audet agere de quo dubitat an licitum sit agere. Ex hac expositione quę est Amb. Chrys. & The. & quę est propria huius loci, videlicet peccatũ esse quod dubitante vel reclamãte conscientia agimus, patet sententiam Apostoli, (*omnino quod non est ex fide, peccatum est*) nihil valere ad disputationem illam de vita infidelium: Sit ne omnis infidelis actio peccatum: item nihil valere ad illam de operibus hominũ, qui sunt extra charitatem. Potest enim infidelis habere certam notitiam & scientiam, qua credat non esse illicitum id quod agit. Quomodo autem Augustinus accommodauerit hanc sententiam ad disputationem de vita infidelium, & quatenus ex ea colligat omnem actionem infidelium peccatum esse, quia non fit ex fide, videre licet in 4. libro contra Iulianum cap. 3. & item 4.

CAPVT XV.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorũ sustinere, & non nobis placere. Vnusquisq; vestrũ proximo suo placeat in bonũ ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperãtiũ tibi, ceciderũt super me.

Debemus autem nos firmiores, &c.) id est qui sumus magis instructi in doctrina Euangelica, qui in cognitione Christianæ libertatis peritiores & eruditiores sumꝰ. Annotat Chrysostomus. Paulum se collocare & annumerare numero firmorum, vt doceret alios contemptum legalium (*imbecillitates infirmorũ sustinere*) Græce est βαστάζειν, id est, portare seu ferre: metaphora sumpta est à baiulis. Debemus inquit opitulari illis, & robur fidei quod maius accepimus conferre, ad subleuandos & iuuandos fratres infirmiores, (*& non nobis placere*) scilicet in peritia, nec nostris seruire commodis.

Vnusquisq; vestrum proximo placeat) id est, morem gerat & obsecundet proximo, quod Dei dono cõsecutus est, id cõferat in commodum proximi: non quidẽ ad noxias cupiditates proximi iuuandas: sed vt proximi infirmiores ædificentur, & crescant in fide & cognitione Dei. Qui suo seruit commodo, & quod agit, ad suum trahit compendium, is hoc loco placet sibi. Phrasis est extranea. Atq; ad hoc studium erga proximũ debet nos prouocare Christi capitis nostri exemplum, qui non sibi placuit. Vt absoluta sit oratio, contraria pars subaudienda est, hoc modo: (*Christus non sibi placuit*) sed sibi displicuit, id est, nõ seruiuit suis commodis, sed suo incommodo nostris consuluit commodis, (*sicut scriptum est in Psal. Improperia improperantium ceciderunt super me,*) id est, transtuli ego filius blasphemias in me, quas Iudæi solent in te Pater iacere. Alij generaliùs interpretantur, hoc modo: Peccata humani generis quibus homo tibi iniuriã fecit, & tẽ ô Pater prophanauit, in me translata sunt, siue mihi imposita sunt, vt pro eis debitas pœnas tibi dependerem. Psalm. 68.

Ne aũt putaremus ampliùs non esse vsum veteris testamenti vel scripturæ dicit.

Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiã & consolationẽ scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ & solacij, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundũ Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite inuicem sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. 1. Cor. 2. b

Quæcunq; *enim*) scilicet in veteri testamẽto scripta sunt, ad nostrę vitæ eruditionem & institutionem scripta sunt. Ex eo enim quod non dixit Apost. simpliciter (*quæcunq; scripta sunt*) sed quæcunque præscripta sunt, vel antescripta sunt, (Sic enim est Græcè) manifestè declarat, se de veteri scriptura loqui: *Vt per patientiam*) quã scri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pturæ commemorant ob oculos nobis ponentes eos, qui aduersas res forti animo simul & patienti tulerunt, legis diuinæ auxilio freti, & per consolationē, quam item diuinæ scripturæ cōmemorant contigisse eis, qui in aduersis constituti, ad opem diuinā implorandam confugerunt, ipsi quoq; discamus spem & fiduciam concipere in Deo, & firmiter confidere, quòd & nobis opem suam & consolationem impartietur, & ope ipsius vitam æternam assequemur.

Deus autem patientiæ) id est author patientiæ & consolationis (*det vobis idipsum sapere*) id est idem mutuò inter vos sentire. Ex superioribus videtur, quòd istud (sapere) siue φρονεῖν sit intellectus: Deus det vt in lite hac, & dogmate de legalibus consentiatis. Quia tamen adiecit in (alterutrum) videri potest esse affectus: Volo vos bene affici mutuò. Vocabulū est anceps, quando non adiuuatur circumstantijs. Fortè vtrumq; intellexit Apostolus: Volo vos consentire iudicio, & item affectu, (*vt vnanimes*) Græcè est vnanimiter (*vno ore honorificetis*) id est, glorificetis Deum.

Propter quod suscipite inuicem, &c.) Est idē verbum Græcis quod ibi: Infirmum autem in fide assumite. Assumite ergo inuicem, id est alius alium sibi adiungat, & opituletur, & foueat. Iudæus gentilem, gentilis Iudæū, gens gentem. *Sicut & Christus suscepit vos*) id est adiunxit, vos sibi adoptans in locum filiorum Dei, & adoptatos fouens. Particula (*in honorem Dei*) id est ad gloriā Dei, annecti potest particulæ proximè præcedenti. Sicut Christus suscepit vos: aut cū superiore. Suscipite inuicē ad honorē Dei, aut cum vtraq;.

Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatē Dei, ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia, honorare Deum sicut scriptum est. Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.

Psal.17.d
2 Reg.22.d
Psal.116.a

Dico enim Iesum Christum, &c.) Erasm. putat hic summā tradi omnium suprà dictorū, vt sensus sit: Quæ hactenus diximus huc tendunt, vt intelligas Iesum Christum, &c. Sed magis verisimile est, referendū istud esse ad proximè præcedens, vt probet Christū assumpsisse, id est, adiunxisse sibi vtrunque populum. Circumcisionem dixit, pro circuncisis. Minister vocabulū functionis est, sensus est: dico Iesum Christū per se functum ministerio apud Iudæos docendo, sanando, &c.

Propter veritatem Dei) id est vt ostēdatur Deus verax in promissis: promiserat Deus filium suum se missurum genti Iudaicæ, vt huius promissionis veritas exhiberetur, natus est Christus ex gente illa, & populum Iudæorum in suamet persona docuit. Quod sequitur (*ad confirmandas promissiones patrū*) .i. factas patrib⁹, explicatio est præcedentis.

Gentes autē super misericordia, &c.) Ex superioribus repetendum est hic verbum (dico.) Sensus est, mea doctrina est, quod gentes honorificent Deum super misericordia, id est propter misericordiā, scilicet nō promissam quamuis ostensam & prædictam in prophetis: Iudæi etiam honorificant Deum propter misericordiā, sed eam sibi promissam: Annot. Chrys. Paulum meminisse misericordiæ factæ gentibus magis quàm Iudæis, vt hinc discant gētes, se debere accommodare in firmis Iudæis. *Sicut scriptū est*) scilicet in Psal. Citat Apost. rursus scripturas ticuti cap. 9. & sequentibus, quia difficillimū fuit persuadere Iudæis Messiam etiā ad gentes pertinere, quia constituisti me, ait Christus ad Patrem, in caput gentium: & populū alienum subdidisti mihi, idcirco (*cōfitebor*) id est celebrabo te in gentibus, id est, inter gentes, & nomini tuo cantabo, videlicet efficiens vt gentes agnoscentes tuā erga ipsas misericordiam, gratias agant tibi, & debitas laudes tibi decantent.

Psal.17.d

Et iterū dicit: Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterū: Laudate omnes gentes Dominū, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Esaias ait: Erit radix Iessæ, & qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt. Deus autē spei, repleat vos omni gaudeo & pace in credendo, vt abundetis in spe, in virtute Spiritussancti.

Esa.11.d

Et iterū dicit) scilicet scriptura. Testimoniū hoc adduxit Apost. ex cantico Deuteronomij, vbi eisdem & totidem verbis habetur iuxta versionē. 70. Alij aliò referunt, sed parum refert. Sensus est: vos gentes, cùm sitis ex æquo factæ participes diuinæ vocationis cum Iudæis, lætitiam communē agite, & dicite laudes Deo cum Israelitis. *Et iterum: Laudate omnes gentes Dominū, et magnificate*) id est extollite, & laudibus efferte omnes populi, scilicet super misericordia, quā ex æquo obtulit per Euangelicam prædicationem toti orbi. Hoc testimonium additum est ex Psalm. 116.

Et rursus Esaias ait) vndecimo cap. (*Erit*) id est, istud aliquādo futurū est (*radix Iessæ*) id est Christus (*& qui exurget regere gentes*) (&) epexegesin habet, id est: accipitur explicatiuè & valet idem quod, id est, Explicat enim quod obscurius dictū erat. Sensus est: radix Iesse, id est, is qui exurget ad regendū gentes, Philistæos & Arabes, &c. (*in eo etiam gentes sperabunt*) vox (gentes) emphasin habet, quasi dicat in eo etiā gentes sperabunt, non solum Iudæi. Adduxit testimoniū hoc iuxta versionem 70. *Deus autē spei*) id est, cuius solius est largiri spem. Spē intelligit quæ est cap. 5. videlicet spem vitæ æternæ. Concludit Apostolus totam hanc materiam precatione, (*in credēdo*) id est per hoc quòd pergitis credere: est instrumenti, (*vt abundetis*) id est exuberetis in spe, vt illa magis ac magis in vobis crescat, augeaturq; (*in virtute*) .i. per virtutem, siue potentiā Spiritussancti.

Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere.

Certus sum autem fratres, &c.) Quæ iam sequuntur, sunt plane familiaria, vtitur Apostolus ciuili mitigatione, ne videatur importunus monitor. Scripsi vobis non vt erudirem ignaros, sed vt commonefacerem tantùm. *Certus sum autē*) Græcè est πέπεισμαι, id est persuasus sum, siue persuasum habeo, nō ex reuelatione, sed ex rumore increbescente: nō enim perpetuo fidei vox est, sicut annotatum est cap. 8. (*quoniam*) id est, quod (*& ipsi pleni estis dilectiōe*) qua studetis proximis prodesse, (*repleti omni scientia*) scilicet quæ pertinet ad negotium Euangelicū siue Christianum, vt citra meam operam positis ipsi vos mutuo admonere de ijs, quæ in hac epistola tractaui.

Audaciùs autem scripsi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in gentibus sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritusancto.

Audaciùs autē) audaciùs dixit pro familiarius siue liberiùs: adiecit (ex parte) mitigans quod dixerat audaciùs, & referendū est istud ad partem superiorē. Sensus enim est: tametsi scirem vobis non esse opus mea admonitione, cùm ipsi positis inuicem id facere tamen liberiùs aliquantulum visum est mihi ad vos scribere, commonefaciendi gratia magis quàm docendi, hoc est, quod dicit (*tanquā in memoriam vos reducens*) idq; propter munus Apostolicum, quod non mea temeritate mihi vsurpaui, neque meis meritis assecutus sum, sed quod munere & gratia Dei mihi delegatū est (*vt sim minister*) Græcè est non διάκονος, sed λειτουργος, quæ vox propriè significat sacrorum aut reipublicæ ministrum. Ex ijs quæ hìc sequuntur de oblatione & sanctificatione, accipienda videtur vox pro sacrorum ministro, id est, sacerdote, vt faciat Apostolus se sacerdotem per metaphorā, sicut ad Philip. 2. idq; dum parat Romanos & Philippenses hostiā Deo. *In gentibus*) dixit pro inter gentes.

Sanctificans Euangelium) Græcè est ἱερουργοῦντα, quasi rem sacram operans, vt respondeat ad λειτουργον. Augustin. in libro quæstionum quas conscripsit in hanc epistolā pro sanctificans legit consecrans, propiùs explicans vocem Græcam, quam Vergilius extulit per facere: Cùm faciam vitulos, &c. Sanctificans ergo, id est, exercens meū sacerdotium, quod positum est in Euangelio prædicando: Indoctè faciunt qui volunt hinc inferre, quòd non sit sacerdotum offerre corpus Domini, sed annunciare Euangelium. Sunt enim hic metaphoræ, sicut dum dicimus, vitulos labiorum.

Vt oblatio gentium) id est hostia mea quæ sunt ipsæ gentes (*accepta et sanctificata.*) Cōiunctionem (&) non habent Græca exemplaria, nec multa Latina, & præstat adesse. Sensus est: vt hostia quæ sunt gentes placeat Deo sanctificata, id est, dum sanctificatur per Spiritum sanctum, sine cuius munere non prodest labor prædicantis. Discamus hinc quis debeat esse affectus, quisue conatus boni pastoris, cuius officium est subditos suos efficere puram hostiam Deo, & in id laborare sedulò.

Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Nō enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Christus in obedientiam gentium verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritussancti, ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est: Quibus non est annunciatū de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.

Esa.25.d

Habeo igitur gloriam.) Narrauit officium suum, narrat hic successum suū: habeo gloriam, id est, gloriationem: Est enim Græcè verbale nomen, hoc est, habeo vnde glorier apud Deum, sed id per Christum. *Non enim audeo*) id est non sustineo loqui, id est, narrare. Significatū verbi τολμάω quod noster vertit audeo, optimè explicat Budæus in comment. linguæ Græcę. Figurate autem & verecunde, cōciliat sibi Apostolus authoritatē dum dicit, non sustineo narrare quic quam de successu meo in prædicatione Euangelij, quod nō contigerit: verecundia me prohibet, vt aliud dicam quàm factum sit: sit ergo vis in verbo efficit. Partem gloriationis ponit Apost. in hoc, quod gentes obedierint siue acquieuerint prædicationi ipsius, fide amplectentes Euangelium.

Verbo & factis) verbum ad faciendā vim & energiam concionandi, facta verò refert Chrysost. ad integritatem vitæ, qua mouit gentes. Non minus probabile videtur si referatur posterius ad miracula, sicut Lucæ vltimo:

Universidad de Deusto
Biblioteca

vltimo: Potens in opere & sermone. *In virtute*) id est, per potentiã signorum: videtur esse explicatio prioris. Signa dicit quæ fiunt quidem præter ordinem naturæ, sed tamen simpliciter fieri possent per naturã. Prodigia verò siue miracula appellat, quæ prorsus excedunt vires & potestatem naturæ. *In virtute*) id est per potentiam Spiritus sancti auditorum corda intus gubernantis, & arcano tractu suo mouentis, sine quo tractu & doctrina & miracula foris adhibita inefficatia sunt. Ita vt facto initio prædicationis ab Hierusalem, neq; id recto prædicationis cursu, pergens ab Hierusalem vsque ad Illyricum, sed vndequaq;, id est, per circumiacentes regiones Arabiam, Damascum, Antiochiã, vsq; ad Illyricum, quæ est extrema pars Macedoniæ, ad septentrionem, & ad occidentem regio propinqua Italiæ, latissimè sparserim & disseminarim Euangelicã prædicationem, nihil omittens quod ad strennuum & fidum Euangelistã pertineret, hoc est, quod dicit (*repleuerim Euangeliũ.*) Phrasis est extranea. Atque adeò in hac latissima peruagatione & Euangelij dissemination, sic sum versatus, vt semper adnisus sim prædicare Euangelium apud gentes, apud quas ne nomen quidem Christi auditum erat.

Ne super alienum fundamentum) id est, ab alio iactum ædificarem. Hinc nõ voluit ire Romam vt doctor, sed vt consolator: & pertransiens Romam pergere in Hispaniã, vbi non erat fides fundata, (*Sed sicut scriptũ est, quibus non est annunciatum de eo.*) Totum cap. 52. Esaiæ, vnde hoc testimonium adduxit Apost. agit de vocatione gentium: hanc prophetiam inquit Apostolus Deus voluit partim per me impleri.

Propter quod) id est dum studeo Euangelium docere per tot tamque diuersas regiones, impediebar plurimum venire ad vos. Hinc intelligimus, quæ sit sententia illius quod in primo capite dicitur. Et prohibitus sum vsq; adhuc, quæ particula hoc loco redundat, nec in vllis Græcis exemplaribus inuenitur.

Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hispaniã proficisci cœpero, spero quod præteriens videã vos, & à vobis deducar illuc. si vobis primùm ex parte fruitus fuero.

Nunc verò) quũ peragrata Achaia & Macedonia, nullum in his regionibus habeam locum amplius vacuum, in quo non iecerim fundamentũ prædicationis Euangelicæ. Desiderium autem habeam à multis annis veniendi ad vos, simulatq; proficiscar in Hispaniam, spero fore vt in transitu videã vos, & à vobis eo proficiscens deducar, si tamen vobis, id est, vestra præsentia, siue cõsuetudine vestra priùs ex parte fuero expletus. Sic ad verbum Græcè est, & multò significantius est expletus, quàm fruitus. Addit autem (*ex parte*) vt significaret inexplebilem cupiditatem, siue desiderium.

Nunc igitur proficiscor in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem: placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.

Nunc igitur proficiscor in Hierusalem) hoc dicto Apostolus excusat dilationẽ profectionis in Hispaniam: poterant enim dicere Romani, si nihil est illic quod te remoretur, cur differs nos inuisere. Ait ergo, nũc proficiscor in Hierusalẽ, est adhuc aliquid negotij quod ante subeundum est.

Probauerunt enim) id est, visum est eis, placuit ijs, fuit eorum prompta voluntas, Græcè enim est εὐδόκησαν. Porro εὐδοκεῖν non solum sonat probare, sed ex animo probare. *Collationem aliquam*) id est, communicationem facultatum suarum (*facere in pauperes sanctorum*) id est in pauperes sanctos, id est, in fideles qui agunt Hierosolymis: Sic Plinius ouorum oblonga dixit, pro ouis oblongis, eadem phrasi Græca.

Placuit enim eis.) Est idem verbum Græcis quod interpres mox vertit, probauerunt) *et debitores sunt eorum*) explicans autem titulũ debiti ait. *Nam si spiritualiũ, &c.*) Sensus est: si per Apostolos qui ex Iudæis prodierunt, participes facti sunt gentiles Euãgelicæ doctrinæ & spiritualium donorum, quæ per Euangelium conferuntur, quę peculiariter Iudæis promissa erant, &c. obligati sunt, vt bona carnalia, quæ ad vsum præsentis vitæ pertinent, suppeditent: non ijs tantũm qui ministri fuerunt seu Euangelistæ, sed & congregationi vnde ministri & prædicatores Euangelij venerunt, seu missi sunt. Sic ferè Thomas in secunda secundę, vbi agit de statibus. Habet & alium commentarium: quia pauperes isti cooperabantur Paulo in negotio Euangelij: nam terrenis omnibus abdicatis, nocte & die orabãt pro successu Euangelij & eius propagatione.

Hoc igitur cùm consummauero & assignauero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euãgelij Christi veniam.

Hoc igitur cùm consummauero) id est, perfecero (*& assignauero*). i. reddidero obsignatũ: hoc. n. significat vox græca: nõ vult Apostolus eleemosynã hanc transferre nisi obsignatam, ne quis putet eum sibi inde aliquid vsurpasse. Apparet quoque hinc eleemosynam fuisse pecuniariam, non lanam, aut tale quid (*Fructum.*) Sic appellat (inquit Chrysostomus) eleemosynam, vt significet per eam multum accessisse ipsis largitoribus. In eiulmodi enim, lucrum penes dantem est, & non accipientem.

Scio autem quoniam veniens ad vos) id est, cùm venero ad vos (in abundantia) ad verbum est in plenitudine (in) more Hebræorum dixit pro (cum) cum plenitudine benedictionis, vbi rursus phrasis Hebræa est. Sensus est: cùm plena benedictione Euangelij, id est, pertinente ad Euangelium: quam dicat, scio quòd cum venero ad vos cum amplo & copioso fructu fidei vestræ venturus sum: Scio quòd Spiritu sancto dispensante, per meum aduentum multùm proficietis in fide & in scientia de christo, vel etiam in alijs charismatibus Spiritus.

Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.

Obsecro ergo vos fratres per Dominum & per charitatem) qua diligitis vniuersa Christi membra, cuius charitatis Spiritus sanctus est author (*vt adiuuetis me.*) Græcè est συναγωνίσασθαι, quod significat concertare. Vt ergo mecum vnà certetis in oratione. Hic meminisse oportet nostrarum orationum, qui summis labijs demurmuramus psalmos, ad nihil aliud quàm ad finem properantes, non est hic agon, neque certamen istud orationum quod petit Paulus.

Vt liberer ab infidelibus) id est, ab incredulis Iudæis, ne per eorum malitiam vel solicitudinis huius meæ erga pauperes sanctos, fructus vel prædicationis meæ cursus impediatur, & aduentus ad vos differatur. *Et obsequij mei oblatio*) vt pariter oblatio quã pertero tanquam gentium minister, sit accepta paupertibus sanctis: (*vt cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei*) vnaq; vobiscum refocillet per ea quæ sunt Euangelij, dum video profectum vestrum, & vos cognoscatis ea, quæ nobis à Deo insunt. Nunc videndum quibus reb⁹ nos hodie refrigeramur, an ijs quæ pertinent ad Euangeliũ, an alijs.

Deus autem pacis) id est author pacis. Meminit pacis, quòd esset contentio inter firmiores & infirmiores.

CAPVT XVI.

Commendo autẽ vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchreis: vt eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque adstitit multis & mihi ipsi.

CAput hoc decimum sextum quod & vltimum est, totũ pene insumit Apostolus in salutationibus, qua ex re discimus humanitatem Pauli. *Commendo* (*inquit*) *vobis Phœben sororem nostram*) scilicet fide & religione: sicut christiani omnes fratres dicuntur, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchrensis. Quo autem Phœbe fuerit ministra siue vt Paulus habet διάκονος variant commẽtaria: Tho. intelligit ministram fuisse, quod ministraret bona sua sanctis. Chryf. facit nomẽ dignitatis siue axiomatis. De Cenchreis scribit Origenes, quod locus sit Corintho vicinus, imò portus ipsius Corinthi.

Vt suscipiatis illã in Domino) id est per Dominum, ob amorem vel gratiam Domini, vel certè in Domino, id est, in rebus pertinentibus ad Dominum. *Dignè sanctis*) id est vt dignum est sanctos vel sanctas à sanctis excipi.

Salutate Priscam & Aquilã adiutores meos in Christo Iesu (*qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt, quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ gentium*) *et domesticam Ecclesiam eorũ. Salutate Epænetum dilectũ mihi, qui est primitiuus Achaiæ in Christo Iesu.*

Salutate Priscam) nomen est fœmineũ, quę Actо. 18. Prisilla vocatur. *Et Aquilam*) huius maritum (*adiutores meos in Christo Iesu*) id est in negotio Euangelij, Ad eundem modum exponatur in sequentibus. *Qui pro anima mea*) id est pro tuenda vita mea, sese periculo & discrimini vitæ exposuerunt. Quibus ob hoc non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ gentium, quòd meæ vitæ seruatæ beneficiũ ad omnes pertineat.

Et salutate (*domesticam Ecclesiam eorum*) id est, eorum vniuersam familiã. Salutate Epænetum dilectũ mihi qui est primitiuus Asiæ siue vt alia habent exemplaria Achaiæ. *In Christo Iesu*) id est qui primus inter Asianos vel Achaios ad fidem Christi conuersus est. Chrys. dat & alium commentarium. Primitiuus, id est, qui insignis est & præcipuus inter Achæos, verùm particula illa (*in Christo Iesu*) magis inuitat ad priorem expositionẽ.

Salutate Mariam, quæ multùm laborauit in vobis. Salutate Andronicum & Iuniam cogna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cognatos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum.

Salutate Mariam quæ multùm laborauit in vobis) id est erga vos, vel in negotio vestro: incõmodiùs vertit istud interpres noster. *Salutate Andronicum & Iuniam cognatos & concaptiuos meos*) scilicet olim: nam nunc non erat captiuus Paulus: Cognatos vocat nõ consanguineos, sed gentiles suos, id est, eiusdem gentis secum: Ad eundẽ modum intelligatur in sequentibus. *Qui sunt nobiles*) id est, insignes inter Apostolos, vel vt alius comment. qui sunt insignes iudicio Apostolorum.

Salutate Apellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimã, quæ multùm laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino & matrem eius & meam. Salutate Asyncritũ, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Herman, et qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologon & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olimpiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.

Salutate Apellem probum in Christo) id est in re Euangelica omni ex patre probatum, nulla ex parte corruptum: Græcè est δόκιμον. *Salutate Rufum electum in Domino*) id est pietate & religione eximium, *Et matrem eius & meam*) id est, quam mihi communem duco, quia mihi beneficio hoc fuit, quod illi carne.

Et omnes qui cũ eis sunt sanctos) id est Christianos, (*salutate inuicem in osculo sancto*) id est Christianis digno, quod & castum sit, & careat simulatione & dolo. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*) scilicet apud quos versor nunc.

Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium.

Rogo autem vos fratres) vox (fratres) multò gratior olim erat, nunc frequẽti vsu minùs dulcis, (*vt obseruetis*) id est consideretis (*eos*) & curetis bene habere agnitos, (*qui dissensiones*) scilicet in fide (*& offendicula*) quæ nascuntur ex varietate opinionum: Facit enim Chrysostomus offendicula, effectum dissensionũ (*præter*) id est contra (*doctrinam*) Græcè est παρά (*quam vos didicistis*) id est primo omnium à Petro, & deinde à gentibus Christianis à Petro institutis.

Et declinate ab illis) disputando cum illis non proficitur, ergo vitate eos. Idem remedium (inquit Chrysostomus) dat in omnibus pene Epistolis. *Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt*) scilicet in concionando (sed suo ventri.) Sensus est: vt sit illis vnde expleant suum ventrem, audent quiduis concionari (*& per dulces sermones*) Græcè est vna vox composita, χρηστολογίας quam Erasmus vertit blandiloquentiã. Per blandiloquentiam & assentationem seducunt, etc. Chrysost. hoc nomen χρηστολογίας interpretatur adulationes (*benedictiones*) siue εὐλογίας non explicat, fortasis quod pro eodem habeat cum priori, quod sentit Erasmus: vt odio vitij nempe assentationis intelligatur Apostolus idem dictum inculcasse. Quidam Phrasi Hebræa per benedictionẽ significari putant promissiones magnificas: Græcè non est innocentium sed simplicium, qui videlicet expertes sunt doli ac suspicionis.

Vestra enim obedientia, in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes in bono, & simplices in malo. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam in Domino.

Vestra enim obedientia.) Est occupatio secundum Chrysostomum. Hæc quæ modò dixi de quorundam erroribus, in genere dixi, ad vos nihil spectant, qui promptissimè amplectimini fidem. Nam obedientia, qua videlicet vos mansuetos præbetis, totosq; formandos Apostolicæ doctrinæ, per totum orbem diuulgata est. Eadẽ obedientia est in primo capite huius Epistolæ. Item in cap. 15. Rursus in fine huius capitis, & 2. ad Cor. cap. 9.

Gaudeo igitur in vobis) Græcè hoc dixit interpres, pro eo quod est gaudeo de vobis. *Sed volo vos sapientes esse*) præbetis vos faciles prædicationi Apostolicæ, de quo in primis gaudeo, sed (quia simplicitas & facilitas obedientiæ solet esse obnoxia fraudi & impostura,) volo vos esse prudentes, ad ea spectanda quæ bona sunt, (*& simplices*) id est syuceros ad malum.

Deus autem pacis conterat satanam) id est, omnes authores dissensionum, omnes pseudoapostolos, (*sub pedibus vestris velociter.*

Gratia Domini nostri) Paulus libenter interponit preces, quod nobis in studijs imitandum est & in concionibus, vt vox prædicatoris influat non in aures tantùm, sed & in animos auditorum.

Salutat vos Caius hospes meus & vniuersa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis & Quartus frater. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

Salutat vos Caius hospes meus) & non solùm meus, sed totius etiam Ecclesiæ, hũc esse sensum pater ex græco, alioquin sermo latinus amphibologiam habet (*Salutat vos Erastus arcarius.*) Græcè est Oeconomus οἰκονόμος hoc est dispensator ærarij, siue quæstor ciuitatis.

Et autem qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti (quod nunc patefactũ est per scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Et autem qui potens est vos confirmare) laboratur hîc in constructione. Amb. connectit superiora cum extremis hoc modo. Ei qui potens est vos confirmare soli sapienti Deo per Iesum Christum sit honor & gloria, vt illa quæ in medio sunt: Iuxta Euangelium meum, &c. veluti per parenthesin legantur. Sed huic obstat pronomen (*cui*) quod dissimulat Ambrosius, quod non solùm in omnibus latinis: sed & in Græcis codicibus constanter legitur, vnde Erasm. in annot. præter hyperbaton hîc Eclypsin vel ellipsin agnoscit, dicens Pau. suo more orationẽ imperfectã extulisse, vt subaudiamus gratias agamus, aut simile quippiam.

Iuxta Euangelium) In hac vocula (*iuxta*) Apostolus valde Hebraisat, verisimile est hoc loco accipi pro in: Iuxta Euangelium meum, id est, in Euangelio meo, id est, in genere doctrinæ quod ego spargo, & in prædicatione Iesu Christi, id est, qua ego prædico Iesum Christum, vel quam Christus viuus id est ambulans in terris sparsit.

Secundum reuelationem) id est, in reuelatiõe (*mysterij temporibus æternis taciti*) quod nũc patefactum est per Apostolos, exponentes scripturas prophetarum de hoc mysterio præscriptas (*secundum præceptum*) id est, iuxta delegationem æterni Dei ad obedientiam fidei) id est, vt obtemperetur vbique fidei. Genitiuus ille qui sequitur (*cogniti*) videtur construi debere cum illa particula (*in cunctis gentibus*) hoc modo: Mysterij inquam cogniti nunc in cunctis gentibus. Mysterium istud est, quod tota hac Epistola tractatum est: videlicet per fidem Iesu Christi gratis sine vllis operum meritis iustificari quemuis hominem apud Deum, siue ille Iudæus fuerit, siue gentilis.

Soli sapienti Deo) Referendum est istud ad initium orationis: Et qui potens est vos confirmare soli sapienti Deo) scilicet gratias agamus per Iesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Finis Epistolæ Pauli ad Romanos scriptæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD GALATAS EXPOSITIO FRATRIS ADAMI SASBOVT DELPHIL.

ARGVMENTVM.

EPistolæ ad Galatas, & eius quæ scripta est ad Romanos eadem ferè est materia. Siquidem in vtraque duo potissimum tractantur: Alterum, per fidem contingere iustitiam & non per legem: Alterum, eos qui fide sunt iustificati, liberos esse ab obseruatione legis. Hoc tamen interest secundum August. explicationem, quòd in Epistola ad Romanos, Apostolus studens componere contentionem, quæ inter eos qui ex Iudæis, & eos qui ex gentibus crediderant, orta erat, hoc agat potissimum, vt doceat gratuitam esse iustificationem, & absque vllis operum meritis vtrisque ex æquo per fidem Christi contigisse: in hac verò conetur reuocare eos, qui per pseudoapostolos (qui ex Iudæis erant, & ad legis obseruationem cogebant) vel pertracti iam erant in Iudaismum, vel saltem commoti: ostendens legis obseruationem minimè esse necessariam: vt status huius Epistolæ sit, credentes liberos esse à seruitute legis, siue à necessitate obseruandæ legis. Tantum de argumento, iam Epistolam aggrediamur.

August. in explicatione huius Epistolæ.

EPISTOLAE PAVLI AD CALATAS.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesijs Galatiæ, gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino nostro Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundum voluntatem Dei & Patris nostri, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Paulus Apostolus non ab hominibus, &c.) De nomine (Pauli) actum est in Epist. ad Romanos (*Apostolus*) origine græcum vocabulum est, & sonat missum siue legatum, de quo plura in Epist. ad Rom. Paulus igitur missus non ab hominibus, id est, non authoritate hominum, neque per commendationem alicuius hominis, studium, vel fauorem, hoc est, quod dicit (*neque per hominem.*) In ipso statim epistolæ limine tuetur suam authoritatem contra pseudoapostolos, Dicebant enim illi, non est audiendus Paulus qui docet Moysen non esse necessarium, credendum est potius Petro, Iacobo, & Iohanni, qui à Christo edocti sunt, & ab ipso prædicandi Euangelij authoritatem acceperunt, quum Paulus discipulorum duntaxat discipulus sit, atque ab illis, non à Christo missus. Porro Petrus, Iacobus, & Ioannes, non vetant circumcisionem & legis obseruationem, sed miscent Moysen cum Euangelio. Hæc & his similia dictitantes pseudoapostoli commouerant Galatas, aut etiam magna ex parte persuaserant, vt legi adhærerent: proinde congruenter Apostolus reuocare eos volens ad hunc exordius est modum. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem.*) Ergo inquit Hieronymus Christus non est purus homo.

Et Deum Patrem qui suscitauit eum à mortuis, &c.) Libenter Paulus meminit resurrectionis Christi. Chry. putat illud esse semen argumenti. Commemorat inquit Dei magnificentiam ex cruce & resurrectione collatam vniuersis, vt sic excludat legis necessitatem.

tatem. Alij putant ipsum huius rei meminisse, quo sese vel summis Apostolis parem ostendat, aut etiam superiorē, in hoc quod Euangelij prædicandi authoritatem à Christo iam immortali, cœlitus accepisset: Perinde quasi dicat. Missus sum ad prædicandum Euangelium, non ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem: per Iesum inquam Christū non iam conuersantem in terris adhuc mortalem, sed resuscitatum iam à Patre ad immortalitatem. Quare si meritò pro magnis Apostolis habentur & sunt, quos ille mortalis adhuc inter homines hominem agens, designauit: certè non inferior debeo haberi, quem è cœlis posteaquàm iam omnem humanæ conditionis imbecillitatem exuisset, ad Apostolorum munus obeundum excitiit & euocauit. Paulus igitur ego ille Apost. & talis Apo. & omnes fratres qui mecum vnanimes Christi nomen hic profitentur, & reiecta Moysi lege quatenus relinquenda est, fidem & doctrinam Euangelicam amplectuntur, Ecclesijs Galatiæ. s. scribimus hanc epistolam, quia non vnam ciuitatem neque duas neque tres, sed totam Galatarum gentem huius erroris incendium peruaserat. Idcirco absolutè & in plurali dicit Ecclesijs Galatiæ. Quia vero pseudoapostoli ipsum hoc nomine traduxerūt, quòd solus prædicaret Moysen non esse necessarium, cum omnes in Iudæa Ecclesiæ aliud docerent, idcirco adiungit sibi fratres non duos vel tres, sed vniuersos seu totam multitudinem, significans se ex illorum sententia scribere, quæ scribit. Hactenus de superscriptionis serie, nunc de salutatione.

Gratia vobis & pax à Deo Patre, &c.) Istud expositum est in epistola ad Romanos. (*Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris*) à quibus lex adeò non liberabat, vt condemnarit etiam, quare vno Christo hac in re nobis vtendum erit non Moyse, vt per Christi victimam per fidem, & fidei sacramenta nobis applicata, absoluamur è peccatis, ad quæ soluenda lex inefficax est. Istud studio adiectum est à Paulo tanquam semen argumenti. Sic Chrysostomus eandem vim argumenti putat esse, ibi: Gratia vobis & pax à Deo Patre, &c. vbi subaudit, non à Moyse, Intelligit enim emphaticè hoc dictum esse ab Apostolo. Quod sequitur: (*Vt eriperet nos de præsenti seculo nequam, &c.*) his verbis interpretatur, quomodo nos cùm dicimus, malum habuit diem, non ipsum tempus, sed circunstantiam & actionem incusamus. Sic Apostol. seculum malum appellans, non ipsum seculum, sed prauas hominum voluntates damnat, ostendens quod Christus non non modò liberauit à prioribus peccatis: verumetiam in posterum aduersus hæc tutos reddidit. Prius enim illud declarat, cum ait: (*Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.*) Cùm autem addit: vt eriperet nos ex præsenti seculo nequam, tutamen & custodiam in posterum apertit. Ex quo commentario primò discimus, Apostolum seculum malum appellasse, siue nequam, non simpliciter quemadmodum intellexerunt antiqui quidam hæretici, sed figuratè per metonymiam. Secundò discimus duo ipsum posuisse, quæ nobis per Christum præstita sunt: Alterum quod liberati sumus à peccatis, quibus aliquando obnoxij fuimus: Alterum quòd tales nos effecerit qui in cœlis versemur, qui possumus vincere peccatum, viuere sine crimine, illæsi persistere vt non corrumpamur ab hoc seculo, vt non subdamur vitijs & peccatis, quibus hic mūdus obnoxius est. Quare coniunctio (*vt*) non tā finalis est hoc loco quā expletiua, quasi dicat. Prætereà eripuit nos à præsenti seculo nequam. Ad vtrunque horum inefficax erat lex. Et hæc fecit, non quia nos digni eramus, sed gratuita sua misericordia, vnde subdit: (*Secundum voluntatem Dei & Patris nostri, &c.*) id est, quia sic visum fuit Patri, quia sic placuit ei. Voluntatem Dei opponit meritis seruatæ legis. Omnia hæc pertinent ad principalem scopum, & sunt aperta semina futuræ disputationis: Post commemoratam Dei bonitatem gratieq; immensitatem, glorificando Deum, claudit sermonem dicens. (*Cui est gloria in secula seculorum*) quain re imitandus nobis Apost. est. Frequenter ad memoriam reuocare debemus, quales olim fuerimus, & quales iam sumus, quod seruierimus olim turpissimis peccatis, & à turpi illa seruitute iam erepti sumus & translati in sortem filiorum Dei. Atque hæc nobiscum reputantes, & Dei bonitatem erga nos considerantes, ipsum glorificare debemus, dicētes. Gratias tibi ago Pater cœlestis, qui hæc fecisti mihi, qui minor sum cunctis miserationibus tuis, sit tibi gloria in secula seculorum, amen. Istud est hominis verè Christiani, & agendum est dum imus cubitum, & rursus dum è strato surgimus, dum assidemus liberis, & dū inambulamus per domum, quia hoc studium glorificandi Deū, vnicè promouet spiritum hominis, & eo deducit mentem, vt tandem terrenorum omnium oblita, solum Deum cogitet, & in medijs etiam malis suauiter acquiescat in Deo. Hactenus salutatio. Nunc narratio, quam à castigatione exorditur.

MIror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliqui qui vos cõturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi.

Miror quòd sic tam cito transferimini ab eo, &c.) Miror (inquit) quòd semel à me recte instituti & edocti in fide & beneficio Christi, in doctrina Euãgelij, transferri vos patiamini, & transferri tam citò (*ab eo qui vocauit vos.*) Periphrasis est Patris, non ait ab Euangelio vel doctrina, quam tradidi vobis: sed quod horribilius est, & accommodatius ad terrorem incutiendum illis, dicit, à Deo Patre. Quod attinet ad lectionẽ, græcè non est, (sic tam) sed tam cito) aut (sic cito) quare veri simile est alterum apud nos abundare, si tamẽ vtrunq; legatur, epithasis erit. Aliter autem hæc particula à D. Hieron. aliter à Chrysost. exponitur, Non grande (inquit Hieron.) tempus fuit in medio quo Galatas Apost. ab idolis ad Christum traduxerat. Secundum Hiero. ergo tam cito, id est, à me tam nuper instituti in vera doctrina: Expositio hæc non placet Chrys. propterea quod contrarium potius erat reprehensione dignum, si videlicet post multum temporis desciuissent. Exponit ergo ipse hoc modo: Tam cito, id est, ad primum insultum, ad primam irruptionem, ad primam inuitationem pseudoapostolorũ: vt miretur quod tam facile defecerint, quod ad tam paruam & exiguam tentationem passi sint se transferri, siue (vt ad verbũ est in Græco) transponi. Verisimile est (quod submonuit Hiero.) Paulum allusisse ad hebræam vocem Galatæ, quæ ijs translatos siue deductos sonat, similitudine sumpta à rotis aut rotundis, quæ facilè aliunde alio deuoluuntur. Pro eo vbi nos habemus (*in gratiam Christi*) græci habent ἐν χάριτι, id est in gratiam, & genitiuus (*Christi*) potest apud eos vel ad gratiam referri vel ad præpositionem ab, vt sit apud nos auferendi casus à Christo, quã syntaxin secutus est Erasmus, cuius translatio sic habet: Miror quod à Christo qui vocauit vos per gratiam, adeo cito transferimini: Eandem syntaxin habet Hierony. in commentarijs. Augustinus vero & Ambrosius, sequuntur syntaxin quæ est in nostris codicibus: item & Chrysosto. Theoph. & Oecum. vt mirum sit quos græcos sit secutus Hieronymus. Porrò vt sciamus vtra harum sintaxium sit probabilior, attendenda est phrasis scripturarum, et si diligenter intendamus, inueniemus Paulum vbique vocationem tribuere Patri. Et imprimis hoc ipso cap. Cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, &c. Sic ad Rom. 8. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Rursus ad Thes. 2. cap. 3. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti à Deo, quòd elegerit nos Deus, ad quod & vocauit vos, &c. Iterum. 2. ad Thim. 1. cap. Qui liberauit nos, & vocauit vocatione sancta. Quibus locis, ex mentione Filij subiuncta, constat sentire Apostolum de Patre vocante: Huic accedit quod syntaxis quam sequitur Erasmus, durior est propter hyperbaton. Quod attinet ad particulam ἐν χάριτι, id est in gratia, Annotat Eras. Apostolum hic (*in*) vsurpasse pro (*per*) quomodo & vertit. Noster vero interpres qui transtulit in gratiam, aduertit quòd Paulus præpositiones istas ἐν, ἐπί, εἰς frequenter confundat. Secundo aduertit loca similia vehementer inuitare ad abusum præpositionis, quæ est hoc loco. similis locus est in priori Epist. ad Thes. cap. 4. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam: sed in sanctificationem, vbi priori loco est ἐπί, posteriori vero ἐν, eadem præpositio quæ hoc loco. Rursus ad Galatas 5. Vos enim in libertatem vocati estis, vbi est ἐπί. Omnibus ergo consideratis et expensis probabilior est versio, quam ex Græco reddit noster interpres, quàm ea quam proponit Erasmus. Gratiam autem Christi vocat, non quæ Christo intrinseca est, sed quæ per Christum contigit credentibus, de qua. 2. ad Thim. 2. Tu ergo fili confortare in gratia, id est, in Christo Iesu, id est, quæ datur per ipsum. Phrasis hæc Paulo familiaris est & vbique obuia, quare nec opus est citare loca: hoc interim notandum, quòd vocabulum gratiæ generaliùs hic accipiat quàm in salutatione, nimirum vt complectatur omne quod pertinet ad salutem, siue sit remissio peccatorum, siue alia dona gratuita, quæ nobis per Filium Pater largitur.

Quòd autem non tam latè pateat in salutatione, indè manifestum est, quòd addatur ibi pax, quæ est reconciliatio cum Deo, vel tranquillitas animi hinc proficiscens, quòd confidimus Patrem nobis esse propitium, & nobis fore benè in extremo iudicio, quã pacem constat generali significatione gratiæ comprehendi. Si iam quæratur, quid ergo intelligitur nomine gratiæ in salutatione: Respondet August. proprijssimè intelligi remissionem peccatorum, nec hoc retractauit, sed ostendit primo libro retractationum cap. 24. & 25. quomodo id à se dictum accipi velit: & quam rectè hoc dixerit Aug. intelligimus, si aduertamus ea quæ in salutatione sequuntur: Qui (inquit) dedit semetipsum pro peccatis nostris, ergo opto vobis remissionem peccatorũ, hoc est, gratiam ab ipso. Iam quod additur: Vt eriperet nos de præsenti seculo nequam, pacem respicit. Nã iustus, atq; is qui per Christũ iam confidit

confidit remissionem peccatorum se consecutum, & Patrem se habere propitium, dum considerat, quàm mirabiliter adhuc propensius sit ad mala, quamque multa sunt quæ abducere eum studeant à Christo, non potest non vehementer timere ne excidat à gratia, adeoque turbari animo. Verùm dum rursus attendit quòd Christus eripuit nos de præsenti seculo nequam, quodque suo beneficio valeat vincere peccatum, & omne quod alioqui eum impedire posset à consecutione regni: concipit spem & magnum animum, & hinc nascitur lætitia, & pax, & tranquillitas spiritus. Si ergo cupimus habere hanc pacem, studeamus apprehendere totam gratiam, quæ est in Christo Iesu, & consequemur eam. Periphrasis ista (*qui vos vocauit in gratiam Christi*) quam diximus esse periphrasim patris, certo consilio à Paulo vsurpata est: Pertinet enim ad argumentum. Sensus est: à Patre qui gratuita sua bonitate vos vocauit vt remissionem peccatorum & iustitiam consequamini, non per opera seruatæ legis, sed gratis per Christum. Beneficiũ Christi ad quod vocauit vos Pater gratuitum est, & adeò non requirit legis obseruationem, vt eos etiam quibus data est lex, à legis obseruatione liberos reddat. Istud vobis dudum prædicaui & amplexi estis: quare mirari satis nequeo, quòd adeò citò à doctrina vobis tradita, imò ab ipso Deo Patre, qui tam benignum se vobis exhibuit, desciscatis, conuersi in aliud Euangelium, falsam doctrinam pseudoapostolorum, qui cum Euangelio docebant seruandum Moysen, nec aliter gentes posse saluas fieri. Euãgelium appellat per tropum, quis sit tropus non vsque adeo certum est: quidam putant esse catachresin, alij mimisin, vt quia pseudoapostoli hoc nomen suæ doctrinæ tribuebant: etiam ipse vsurpet per imitationẽ rhetoricam. *Aliud*) hoc loco idem est, quod diuersum. In Euangelium diuersum ab eo quod vobis prædicaui, quod non consentit cum Euangelio à me prædicato.

Quod non est aliud nisi sunt, &c.) Est epanorthosis: corrigit aut se, si in voce (*Euangelium*) cathacresis erat, aut pseudoapostolos, si erat mimisis. Sensus est: quæ doctrina non est appellanda nomine Euangelij, vnũ est Euangelium, vnica est doctrina, quicquid extra eam est, non est Euangelium. (*Nisi sunt aliqui, &c.*) quod videatur vobis aliud Euangelium, siue quod amplectamini doctrinam hanc loco Euangelij cum reuera non sit Euangelium, hoc non aliunde prouenit, nisi quòd sunt aliqui, qui mentis vestræ obtutum opinionibus suis turbant. Metaphora sumpta est ab oculo turbato, qui aliud pro alio cernit: Sic Chry. Alij istud (*nisi sunt aliqui*) referunt non ad id (*quod non est aliud*) sed ad verbum (*miror*) hoc modo: Miror quod acciderit quod à tam benigno Patre, qui citra meritum vestrum vocauit vos in gratuitum beneficium Christi, adeo citò desciscatis, nisi quod vt arbitror sunt aliqui, qui perturbant tranquillitatem fidei vestræ, dum falsò obtrudentes vobis quod principes illi Apost. Petrus, Iacobus, & Iohannes, in Iudæa legem cum Euangelio miscent, solicitos reddunt vos & anxios, vtrùm doctrina à me tradita sit vera. Ne videatur ingenium Galatarum damnare leuitatis & inconstantiæ, ceu per coniecturã, facti culpam reijcit in pseudoapostolos. Et volunt conuertere Euangeliũ Christi, &c.) Grauiter istud dictum est ab Apost. Non agitur, inquit, de re parua, volunt subuertere Euangelium Christi. Sic Chrysost. qui putat Paulum verbo μετατρέψαι abusum pro καταστρέψαι vel ἀνατρέψαι, D. Hieron. vocem accipit in propria significatione, quæ est præpostere vertere: vt si quis quod in facie est, post tergum faciat: & quæ post tergum sunt, vertat in faciem, quem secutus Erasmus in sua versione posuit, inuertere Euangelium Christi, quod annunciat libertatem à lege Mosaica: hi quantum in ipsis est, inuertunt, docentes illud requirere obseruationem legis. Omnino verisimile est sensum Pauli esse, quem habet Chrysost.

Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquã quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euãgelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.

Sed licet nos) id est, ego ipse Paulus: Sic Chryf. Alij exponunt, nos id est, Apostoli, vtraque expositio est bona, prior tamen magis germana videtur.

Aut angelus de cœlo, &c.) Est hoc loco grandiloquentia iuxta hiperbolẽ: adeo inquit vos non commoueat vllius hominis authoritas, adeo non commoueant Petri, aut Iacobi, Iohannisq; quantumuis magna nomina, quibus abutuntur quidam ad illaqueãdos vos legis oneribus, vt etiã si quis angelus de cœlo prædicauerit Euangelium diuersum ab eo, quod à nobis prædicatum est: non solum non audiatur, verùmetiam execrabilis & abominabilis habeatur vobis. Quod vero dixi, ne quis per iracundiam, animiq; impotentiam, aut impetu cursuque sermonis raptim mihi putet excidisse, etiam atq; etiam repeto: quisquis ille fuerit, siue angelus siue quantumuis inclytus Apostolus, qui vobis prædicauerit (*si fieri posset*) diuersum ab eo quod à nobis accepistis, execrabilis & abominandus habeatur, & hoc est quod dicit (*anathema sit.*) De qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

voce dictum est in Epist. ad Roma. D. Hier. putat phrasi hebræa istud dixisse Apostol. Chrys. vero Græca phrasi: parum refert, an hac aut illa phrasi dictum sit.

In principio cap. 9.

Hoc imprimis inquirendum, quid hic sit Euangelizare præter id quod Euangelizatum est à nobis. Secundum Ambr. Hiero. & Augustinum, est adferre nouum genus doctrinæ, quæ non consistit cum doctrina prius tradita. Est aliter docere inquit Amb. & prædicare cõtraria ijs quæ semel prædicata sũt. Quæritur an istud habeat natura præpositionis (præter) aut eius qua vtitur Paul. (παρά,) et certum est quod non, natura sua non est tam odiosa. Paulus tamen in ea significatione hic vtitur. Si quæras vnde constet: respondetur ex circunstantijs ipsius textus. Agit enim Apostolus contra pseudoapostolos, qui prædicabant gratiam Christi non sufficere gentibus ad salutem, sed necessariam esse legis obseruationem & circũcisionem, quæ sanè doctrina Apostolicæ prædicationi contraria erat: Et quo manifestius euadat quod dicimus, non est dubium, quin Apostolus si secundo vel tertio redijsset ad Galatas, plura exposuisset ipsis & prædicasset, quam fecerat vbi primo ad eos venit. Nã ad Thessa. redire cupit vt suppleat quę eorum fidei deerant, quemadmodum in priori ad ipsos scribit. Epistо. cap. 3. Licet ergo aliquid addere doctrinæ priùs traditæ, & proinde aliquid præter quod Euangelizatum est, Euangelizare si (præter) in genuina sua significatiõe accipiatur quæ est in hac oratione: præter ea quæ dixi, & hoc audire te cupio: Verum si ex natura sua hæc præpositio nõ sit tam odiosa, quare ergo ea vtitur Paulus, & non potiùs hoc modo dixit: si quis Euangelizauerit contra id quod Euangelizamus, contra id quod accepistis. Respõdet Chry. certo studio Apostolũ posuisse (*præter*) vt hinc discamus nõ eos solùm anathema decerni, qui aperte cõtraria docent, vel saltem talia, quæ totum Euangelium subuertunt: sed & illos qui aliquid addunt prædicationi vel doctrinæ semel traditæ, quo quiduis quantumuis minimum Euangelij labefactatur, etiam, si hoc ipsum quod additur, non sit apertè ei contrarium. Idem habet Theoph. cuius verba sunt: Neque enim, si prædicauerint contraria, intulit Apost. sed si prædicauerint aliquid præter id quod ipsi prædicauimus, hoc est, si vel plusculum ipsi adiecerint, execrationi subdantur. Quæ verba cum ex Chry. tanscripta sunt (*sicut & cætera eius*) secundũ Chry. intelligi debent: si vel plusculum adiecerint (*supple*) quod labefactet vel minimam particulam doctrinę à me traditæ. Sed & sine Chrys. sententia Theop. ex

Amb. & Hie. in comment. huius Epistо. Aug. tract. 98. super Iohannem.

his quæ in ipsius commentario præcedunt, manifesta est. Nam annotat in expositione sententiæ mox præcedentis, pseudoapostolos non omnia quæ prædicata erant ab Apost. subuertisse, quod est iuxta eum contraria prædicare, sed vnum aut alterum dũtaxat præscriptum induxisse, circuncisionẽ videlicet & dierum obseruationem, adeoq; paululum quiddam immutasse, quod vocat addere aliquid ad doctrinam. Istud obseruare oportet in Theop. nec ex ipso occasionem nobis erroris arripiamus. Expositioni Chry. & Theop. consentiunt scholia græca quæ sic habent παρὰ ὁ id est præter id, quod hoc loco significat quantumuis parum à prædicatione diuersum. Secundum veteres ergo tam latinos quàm græcos interpretes, non fert Paulus vt aliquid addatur prædicationi Apostolicæ, quod ei vel contrarium sit, vel illam (*etiam, si ei aperte contrarium non fuerit*) labefactet, quantumuis in minimo: quod ipsum sepositis etiam omnibus commentarijs ipsa ratio scripti Pauli clare docet, vt iam ante ostendimus. Quare prorsus imperite Lutherani abutuntur hoc loco, docentes nihil posse per Ecclesiæ rectores, siue pastores, siue Episcopos, siue ipsum etiam Papam adferri, præcipi, aut statui, quod non sit in Euangelijs, vel sacris scripturis diserte expressum. Quare ex hoc loco reijciunt placita Ecclesiæ, decreta Pontificum, & sanctissimos canones: quia sunt (inquiunt) aliud Euangelium, & adferuntur seu potiùs obtruduntur Christiano populo præter id quod Euangelizatum est, quod vere dicerent, si ea pugnarent cum Euangelio, aut illud labefactarent, nunc res longe secus se habet. Eadem etiam imperitia contra decreta Ecclesiæ citant locum, qui est Deu. 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor nec auferetis ab eo. Et rursus cap. 12. Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec minuas: vbi dum quæritur ab eis anne prophetæ, qui Moysen secuti sunt & Christus & Apost. multa addiderint ijs quæ à Moyse præscripta sunt: Respondent, nihil addidisse, quod in pentateucho non contineatur: sed vehementer sudant, imò penitus hærent in luto, dum conãtur id ostendere, maxime dum cogũtur in specie explicare, & hoc & illud in Euangelijs, vel in Epistola Pauli, aut in prophetis positum, etiam in quinq; illis libris Moysi haberi. Quæ autem sit sententia scripturarum illarum apud Moysen, id in Deu. explicandum est. Hoc vero loco annotandũ quod quemadmodũ iam inde ab initio prædicatæ fidei, hæc semper habita est tanquã certa ratio, & regula diiudicandi, & internoscendi veram doctrinã à falsa, deniqi

hæreses deprehendi & deprehensas reuincendi: vt doctrinæ genus nouum quod in quæstionẽ proponebatur conferretur, cum doctrina tradita & recepta: & quæ cũ illa cõsentiret, syncera haberetur & vera doctrina: quæ verò illi contraria & repugnans deprehenderetur, falsa cẽseretur, adulterina, & hęretica. Ita hac quoq; tempestate, quũ nouũ quoddã doctrinæ genus in disputationem est adductũ hæc regula exhibenda est, videlicet vt doctrina antiqua, antehac per vniuersum orbẽ in ecclesia recepta cõsulatur, ad eandẽq; nouũ hoc genus doctrinæ velut ad amussim examinetur, à qua si deprehendatur dissentire, eiq; rapugnare, sine vlla hęsitatione mox reijciatur, tanquã impium & hæreticũ: Hanc regulam tradidit imprimis Apost. ecclesijs, vt dũ hoc loco vult anathema haberi, & in Epist. ad Rom. in vl. cap. obseruari eos, qui adferunt doctrinæ genus dissentiens à doctrina ipsis tradita.

Hanc regulam post Apostolum Paulum proposuit, atque ea vsus est Iræneus, auditor Policarpi martyris, discipuli Iohannis Euãgelistæ, objiciens illam tanquam machinam validissimam aduersus omnes hæreses & per eam debellans eas. Vide Irenæum lib. 3. aduersus hæreses cap. 3. Post hunc eadem vsus est Tertul. aduersus hæreses sui seculi, vt videre est apud ipsum in lib. de præscriptionibus hæreticorum, vbi docet aduersus sectas hac regula magis vtendum quã scripturarũ authoritate, propterea quòd adulterinus sensus affingi potest Scripturæ, traditæ verò doctrinæ non item. Post hos eadem vsus est Aug. Hier. & reliqui. Eadẽ ergo & nos vti debemus, exempli gratia. Vt si quis diiudicare velit, quid sentiendum sit de inuocatione Sanctorum & Purgatorio: num catholicum dogma sit, inuocãdos esse sanctos, aut post hanc vitam esse Purgatorium. Consulatur antiqua Ecclesiæ doctrina per vniuersum orbem recepta, ac primũ inquiratur quid ante annos ferè quingentos de his dogmatibus senserit & tradiderit vniuersa Dei ecclesia tempore Bernardi, deinde quid de ijsdem & ante ipsius tempora circa annum à Christo passo trecentesimum senserit, tempore Amb. Aug. & Hier. & deinde quid ante horũ tempora senserit & docuerit Septimij florentis Tertulliani seculum, qui floruit sub cæsaribus Seuero, Pertinace & Antonio Caracalla, valde vicinis Apostolorum temporibus, circa annum à Christo passo 160. & ex ipsorum monumentis deprehendetur, ecclesiam iam inde ab initio per vniuersum orbem docuisse, & tradidisse id quod hodie docet & tradet Roma. ecclesia, videlicet inuocandos esse sanctos, & post hanc vitam locum esse purgatorium. Quod cùm ita sit, neminem turbare debent scripturæ, quæ ab hæreticis contra inuocationem sanctorum & purgatorium adferentur quamquam densissimæ: sed retinẽda est hæc regula tanquàm certissima, videlicet non posse prorsus verum esse vllum doctrinæ genus, quod contrarietur doctrinæ semel traditæ, atque per hanc omnis cõtraria doctrina reijcienda est, à quocunque tandem illa adferatur, etiam, si ab angelo de cœlo, vt hic docet Apostolus, non quod id fieri posit: sed quod hyperbolicæs significauerit Apostolus, à doctrina semel tradita nullo pacto esse recedendum. Vide Orig. super Matth. homelia 19. diligenter istud præcipientem: Quotiescunque inquit aduersus ea, quæ vniuersa obseruat Christi ecclesia, cononicas alioqui scripturas proferunt, videntur dicere, ecce in domibus est verbum Dei: sed illis credere non debemus nec exire à paterna Ecclesiasticaq; doctrina, & traditione, nec aliter prorsus credere quam Ecclesiæ tradiderunt nobis, vnde idẽ Origines hæreticum hominem hoc modo depingit, hæreticus habendus est omnis ille, qui Christo quidẽ credere se profitetur, aliud tamen de fidei Christianæ veritate credit, quã habeat definitio traditionis ecclesiasticæ.

MOdò enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

MOdo enim hominibus suadeo an Deo, &c) Eras. in annotationib. suis hoc vertit. Nũc enim homines suadeo an Deũ, i. an humana suadeo an diuina: sed insolens est hic sermo, quod nec ipsum latuit, vnde in translatiõe noui testamẽti nostrũ secutus interpretẽ posuit: Nũc enim vtrũ hominib⁹ suadeo, an Deo: Et verbum πείθω apud Græcos in hoc sensu habere aliquoties accusandi casum, nouerũt qui legerũt Herodianũ. Sed & à Paulo ita alias vsurpari declarat locus, qui est in posteriori ad Cor. cap. 5. ad hunc habens modũ: Scientes ergo timorẽ Domini hominibus suademus, vbi Græce est ἀνθρώπους nomen accusatiui casus. Secus est quando significat parere, aut morem gerere, sic enim perpetuo datiuum habet, vnde Chry. qui Græcè linguæ peritissimus fuit interpretatur hoc modo, non vt sit morẽ gerere sed suadere, et accusatiuus ἀνθρώπους accipit non vt Eras. in annotationibus suis, sed in eo sensu, quem noster expresit interpres, facit enim (*suadeo*) vocabulum esse forense, & Paulum quasi causam perorantem, vt sensus verborum iste sit: An ago iã quod Demosthenes aut Eschines: an apud Deum causam dico: apud tribunal Christi non

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum peroro, inquit, hoc est, omnino, id quod dico & dicturus sum in purgationem mei, & defensionem contra pseudoapostolos, qui varijs nominibus me apud vos traduxerunt & accusarunt, dico & dicam non vt apud homines iudices, id est, apud vos, sed vt apud Deum & eius tribunal bonam causam habens: non enim mihi studio est, placere vobis, ac proinde non magnopere curo quod ius mihi vos dicatis.

An quæro hominibus placere, &c.) id est, an scopus studij mei est vt placeam hominibus posit iure id quispiam de me dicere: (*Si adhuc hominibus placerem.*) Si mihi curæ esset placere hominibus, non addixissem me christianis, potuissem magis gratus viuere meis: apud meos in aliquo loco eram iu Iudaismo agens, iam contemnor. Bifariam contingit nos placere hominibus: vno modo, quando eo fine tantum hominibus placere studemus, vt captemus eorum fauorē & gratiam, & sic peccatum est: Altero modo placemus hominibus propter Deum amouendo à nobis suspiciones & similia, & istud non est placere hominibus sed Deo, & sic hic locus non pugnat cum alio loco Pauli. Exponunt quidam (*Christi seruus non essem*) id est definerem esse seruus Christi, sed omnino verisimile est sensum Pauli esse quem diximus, nondum factus essem seruus Christi, adhuc à Iudæis starem, adhuc Ecclesiam Christi persequerer, adhuc assertor essem legis, & hostis gratiæ. Hac præfatione vtitur Apostolus, ne quæ in consequentibus commemoraturus est, putetur humanæ laudis studio dicere, vel minus syncere loqui. Hanc ob causam in superioribus dixit: modo enim hominibus suadeo, siquidem qui hominibus suadet, id est, qui apud homines causam perorat, multa facit insyncere, & fraudibus vtitur & mendacio quo persuadeat, metemq; capiat auditorū: Secus est de eo qui Deo suadet, quia ille falli non potest.

NOtum enim vobis facio fratres Euangelium quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi:

NOtum enim vobis facio fratres Euangelium.) Loco (*enim*) græcis est (autē) quod optimè hic quadrat: nam aggreditur Apostolus nouam narrationē, phrasis illa (*Euangelium quod Euangelizatum est à me, non est secundum hominem,*) obseruanda est propter alia loca. Augustinus exponit, non humano ingenio inuentum siue effictum: Sed videtur Apost. ea de re hic esse solicitus, nec enim obijciebatur ei quod finxisset, sed quod homine tradente addidicisset Euangelium. Sequendus est ergo commentarius qui habet, à Paulo quid sit (*secundum hominem*) exponi, dum statim addit (*neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationē Iesu Christi*) id est, nullo hominis interuentu ipse Christus dignatus est mihi esse doctor: Ipse omnem cognitionem mihi per semetipsum dignatus est patefacere: Sic Chrysost: in quo aduertendum quod nostra exemplaria serè habent pro cognitione cogitationem, sed malēnam græce γνώσιν quo vocabulo tum intelligebatur tota doctrina Euangelij, & quicquid spectat ad Theologiam. Inter accipere & discere, hanc esse differentiam putat Hieronymus, quòd illud eius sit cui primum Euangelium insinuatur, & ad fidem eius adducitur, vt credat vera esse quę enuntiat Euangelium: hoc verò illius qui mysteria Euangelij quæ priùs credita tantū habebat, explanata & disserta cognoscit, id est, qui in scholis addiscit ea tradente magistro. Sensus ergo secundum Hieronymum est: Petrus non conuertit me concionibus suis, vt crederem & assentirem Euangelio, sed Christus per se id fecit, sine vllius hominis prædicatione. Rursus Petrus non instituit me in re theologica, sed Christus sine vllius hominis magisterio, per se mihi cognitionem totius theologiæ tradidit, & patefecit quicquid est Euangelij. Vocabulum ἀποκαλύψεως, hoc est reuelationis, propriè scripturarum est à 70. interpretibus primùm vsurpatum. Negat enim Hieronymus vsquam apud Ethnicos scriptores illud inueniri: significatio eius est, cùm quid rectū & velatū ablato desuper operimento ostenditur & profertur in lucem.

AVdistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabā illā, & proficiebā in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

AVdistis enim conseruationem meā aliquando in Iudaismo, &c.) Declarat ex loci temporisq; circunstantia se non esse vsum magisterio hominum in re Euangelica. Meminisse hic oportet quod ante monuimus, nimirum pseudoapostolos, quò facilius pertraherent Galatas in Iudaismum, omnibus modis studuisse eleuare authoritatem Petri, Iohannis & Iacobi, ac deprimere authoritatē Pauli: vnde inter cætera ipsi iactabant eū discipulorū tantū discipulū esse, & à Petro, Iacobo, Iohanne, non à Christo edoctū in re Euangelica, cōtra hoc totus hic sermo Apostoli dirigitur. Euangeliū inquit quod apud vos Galatas à me prædicatum est, non

est secundum hominem, id est, non accepi illud ab homine neque didici, quemadmodum calumniantur pseudoapostoli, sed ab ipso Christo: probat hoc mea illa superior conuersatio ac subita immutatio atq; ad diuersa translatio. Audistis enim conuersationem meam, non potest latere vos vita mea, audistis fama perferente qualis olim fui ante conuersionem, cùm adhuc in Iudaismo agerem, (*quoniam*) id est, quod (*supra modum persequebar Ecclesiam Dei,*) id est, congregationem illam paucorum Apostolorum ac discipulorum, qui Christi nomen profitebantur. (*Et expugnabam illam*) singula cum exaggeratione commemorat. Persequebar inquit Ecclesiam non vulgariter sicut cæteri, sed miro quodam ardore, omni cum vehementia, nec persequebar modò: verumetiam expugnabam, id est more hostis populantis omnia, eam vastabam ac demoliebar velut iam captam. Referendū est istud non tam ad euentum rei, quàm ad animum Pauli & illius conatus. Laurentius valla putat vertendum fuisse oppugnabā, non expugnabam. Sed aliter interpretatur Chrys. et Græce ἐπόρθουν quod verbum proprium est depopulantium captas armis vrbes: retinenda est ergo versio nostri interpretis, quia aptior.

Et proficiebam in Iudaismo supra multos, &c.) i. in studio legis siue in religione Mosaica intellecta tamen carnaliter, siue secundum literam occidentem, deniq; in institutis à maioribus traditis. Ad hunc modū intelligendum esse Iudaismū, indè manifestū est, quod hunc opponat Christianismo, cui lex Moysi secundū spiritum intellecta haud quāquam repugnat: quod tamen de Iudaismo hic significat, dum persequendo Ecclesiam Dei, in illo se profeciſſe. i. superasse dicit, siue plus fecisse quam fecerint cæteri æquales sui, qui eiusdem secū generis erant. Genus hic gentem Iudaicam appellat, sicut in posteriori epistola ad Corint. cap. 11. vbi ait: periculis ex genere.

Abundantius æmulator existens paternarū, &c.) i. vehementius inhærens institutis à maioribus traditis, atq; ea pertinacius defendens. Quæstio hic est, quid intelligat Apostolus nomine traditionum. Traditio vt nouerunt qui versati sunt in Scripturis, nōnunquam gratiosum nomen est, complectens etiam fidem. Hinc Apostolus Iudas, eos ad quos scribit hortatur, vt laboribꝰ suis adiumento sint fidei, quæ semel tradita est sanctis. Paulus quoq; doctrinā suā hoc nomine appellat in posteriori Epist. ad Thess. cap. 2. Tenete inquit traditiones quas didicistis, siue per sermonē, siue per epistolā nostrā: Et eiusdē Epist. cap. 3. Denūciamus autem vobis fratres, &c. Interdū verò vocabulum est odiosum, vt Matth. 15. Irritū fecistis mandatū Dei propter traditionē vestram, vbi nomine traditionis intelliguntur doctrinæ, quæ sunt ab hominibus non à Deo traditæ, legi tamē Dei cui repugnant, additæ, quas Græci δευτερώσεις appellant, atque has hoc loco accipit D. Hieron. Augustinus verò generalius intelligit, putans nomine traditionū primum significari legem Moysi, sed carnaliter intellectā, deinde δευτερώσεις. Qui commentarius melior est, quia propriè de lege & circumcisione, non deuterosibus hic agitur. Cum Augustino sentit Chrysostomus, cuius commentarius sic habet: Simulatque conuersus sum ad Ecclesiastica dogmata protinus omnem prolepsim Iudaicā exui, hoc est, quicquid Iudaicarum opinionum occuparat animū meū, totū exui. Secundū Chrysost. ergo, quicquid ex synagoga, Gamaliele, & parentibus hauserat, totū id nomine traditionum complexus est Apostolus. Glossa traditiones accipit bonas, id est, (vt ipsa ait) quas boni patres legi addiderāt, vt festa Iudith, & Machabæorum temporibus instituta. Glossa hæc ex diametro pugnat cum Hieron. interpretatione, nec plenè exprimit quod sentit Paulus. Quod deinde habet (*mearum*) additum est ab Apostolo, quòd eas suas esse duceret, ac velut proprias faceret, nec id multum probabile est. Nihil enim aliud videtur significare, quàm quòd natus Pharizeus maiorum suorum traditiones sequeretur. Quo nomine (vt tribus verbis dicamus) comprehendit quicquid didicerat in Iudaismo agens, à maioribus suis, siue bonum id esset siue malum.

CVm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini. Neq; veni Hierosolymam ad anteces sores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.

CVm autem placuit ei qui me segregauit) id est, vbi visum est benignitati Patris, cū bona esset sua voluntas, est enim verbum εὐδοκέω. Qui me segregauit ex vtero, etc.) non consultis commentarijs hic posit videri sensus, qui me voluit nasci. Augustinus longe aliter exponit, scilicet qui segregauit me ex gremio matris meæ synagogæ, vel qui segregauit me è cæcitate gentis Iudaicæ: Sed longè petita est hæc expositio. Chrysostomus & Hieronymus intelligunt (ex) positum loco (ab) ac perinde valere, ac si dictum esset, iam inde ab vtero: non tum primū elegit me, cùm vocaret apud Damascū, sed sui illi vas electionis adhuc in vtero matris

Universidad de Deusto
Biblioteca

matris positus, vel mox vbi essem ex vtero matris in lucem editus. Pro hac interpretatione facit locus qui est psalm. 21. In te proiectus sum ex vtero, quæ vox Christi est, hunc habens sensum: totum me permisi tibi, iam inde ab vtero. Huic similis est & ille, qui est Psalmo 70. De ventre matris meæ tu es protector meus. Rursus psal. 57. Alienati sunt peccatores à vulua, id est, à prima infantia, ab ipsis incunabilis male egerunt. Segregauit græcè est ἀφορίκας quæ vox significat ea quæ potiora sunt in rebus nostris seponere, vnde medici ἀφοριμοὺς vocant, leges absolute breuiterq; pronuntiatas. Sésuseſt: qui me iam olim adhuc in matris vtero positum, velut eximium quoddam & electum organum à cæteris secreuit, quique sic olim segregatum destinato tempore vocauit per gratiam suam. Singulare in Paulo est, quod perpetuò agat Prçconem gratiæ: Cum mea inquit merita longè aliud requirunt, ipse tamen vocauit me ad fidem, vocauit ad maxima illa beneficia, quę proponuntur in Christo: gratuita sua bonitate absque merito meo ad hæc vocauit me:

Vt reuelaret Filium suum in me, &c.) *vt*) hoc loco expletiuum est, non finale, & refertur non ad verbum proximè præcedens (*vocauit*) sed ad illud quod in principio sententiæ ponitur, nempe (*placuit*). Sensus dilucidior fuisset si hoc modo vertisset: Cùm autem qui segregauit me ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, placuit reuelare Filium suum in me, id est, patefacere mysterium incarnati Christi in me: Istud (*In me*) Erasmus positum putat pro eo quod est per me. Sed aliter interpretatur Chry. in me Paulo, non alijs per me, quia id habet sequens clausula. Nos legendo & audiendo docti euadimus: Paulus inquit Chry. reuelatione illustrante animum ipsius, simul & Christum habuit in se loquentem, quo doctore secretiùs intus docente, didicit mysteria Euangelij. Secundum Chrysost. cũ quo consentit commentarius Hieronymi. (*In*) hoc loco non est merè græcum, sed partim hebræum, naturam habens ac vim Beth adhæsiui.

Vt euangelizarem illum in gentibus, &c.) Sensus est: Sic placuit Patri reuelare mihi vel in me Filium suum, vt non tantùm ipsum cognoscerem, verum etiam vt eius notitiam ad gentes perferrem. Erasmus clausulã illam in translatiõe sua immeditatè refert ad (*placuit*) quod quia admittũt græca, non potest reijci: versio eius sic habet: Ast vbi Deo qui segregauerat me ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam in hoc, vt reuelaret filium suum per me, visum est vt prædicarem ipsum inter gentes, continuo, &c. Quã distinctionem siquis sequi velit, non necesse est vt præcedentia quoque eo sensu accipiat, quo Erasmus. Nam illud: vt reuelaret Filium suum in me, referri potest ad verbũ (*vocauit*) hoc sensu. Qui vocauit me non quomodo vulgo cæteri vocentur Christiani, sed qui sic me vocauit, vt in me Paulo mysterium incarnati filij sui patefaceret. Verùm quemadmodum apud Latinos, ita apud Græcos quoque minus aspera est oratio, si intelligatur pertinere ad verbum (*placuit*) Nam quod additur apud Erasmum (*in hoc.*) Qui vocauit me per gratiam suam in hoc, vt, &c. non est in Græcis, sed de suo adiecit.

Continuo non acquieui in carne, &c.) vocem Græcam quam hic vertit (*acquieui*) in initio 2. capitis vertit (*contuli*) Contuli cum eis Euangelium, id est, communicaui illis consilia mea de negotio Euangelij, & paulò post: Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, id est, nihil communicauerunt. Vox Græca significat conferre, vel quæ nouimus ea in sinum amici exponere, & in medium adferre, communi consilio vel probanda vel improbanda: proinde dure satis reddidit noster interpres hoc loco, acquieui.

Caro & sanguis) periphrasis est hominis secundum Chry. & satis familiaris est scripturæ. Ad Heb. cap. 2. Quia igitur pueri communicauerunt carni & sanguini. i. quia homines erant, & ipse participauit ijsdem, hoc est, naturam humanam assumpsit. Ad Ephe. cap. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus homines. Rursus Matt. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Simpliciter ergo sine tropo dixisset: continuò non contuli cum homine vel hominibus, quamquam ne hoc modo prolata tropo careat oratio secundum Chrysostomum: putat siquidem ipse significari non hominem quemuis, sed Petrum, Iacobum, & Iohannem, à quibus Paulum didicisse Euangelium iactitabant apud Galatas Apostoli falsi. Præter periphrasin ergo est quoque antonomasia, in carne & sanguine. Si quis tamen quemuis hominem, (inquit Chryso.) intelligere velit, non contradicam. Commentarius hic Chrysost. non placet Hierony. tum quod indignum putet Petrum & Iacobum, & Iohannem, nomine carnis & sanguinis significari, quod ipse de his tantum dici vult, qui hærent in peccatis damnantibus, tũ quod huic sententiæ mox subijciatur: Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, id est, ad eos qui ante me fuerunt Apostoli, videlicet Petrũ, Iacobum, & Iohannem. Si de Apostolis inquit dixerat, non contuli cũ carne & sanguine,

guine, quid necesse fuerat id ipsum reiterare dicentem. Neque veni Hierosolymam, tum quod sermo hic Pauli sic intellectus videtur non vulgarem spirare arrogantiam, nempe quòd non dignatus sit Euangelium suum conferre cum cæteris Apostolis.

Sensum ergo huius loci hunc esse vult: Simulatque ea voluntas fuit Patris, vt continuò à vocatione accingerem me ad prædicationem Euangelij, non sum cunctatus neque moras triui Damasci consulendis Iudæis, aut vllis hominibus vitijs ac peccatis obnoxijs, neque rursus adeundis ac consulendis Apostolis, qui Hierosolymis agebãt, sed protinus vt eram iussus, aggressus sum Euangelizandi munus. In quo commentario id obseruare oportet, quòd aduerbium (continuò) non retulerit ad ea quæ sequuntur, videlicet: Non acquieui carni & sanguini, sed ad illa superiora; Vt Euangelizarem illum in gentibus. Fecit istud Hieron. partim propter Porphyrium, qui hinc calumniabatur arrogantiam Pauli quod non dignatus esset suum Euangelium conferre cũ cæteris Apostolis, partim expositionis suæ angustijs constrictus. Cùm enim exposuisset illud: Non acquieui carni & sanguini, & cætera) in malam partem, videbat si illi hæreret aduerbium (continuò) id absurdi sequi, quod postmodum cum carne & sanguine contulisset, id est, cum peccatoribus communicasset. Rationes Hierony. quamuis videtur habere probabilitatem, nequaquam tamen nobis excutere debent alteram expositionem, quæ vt simplicior ita & germana magis videtur.

Quod ad primam ipsius rationem attinet, est quidem, vbi caro & sanguis in malam partem accipiantur, vt in 1. Epistola ad Corinth. capite 15. Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: verum non propter hunc aut alterum ei fortè similem locum, vbique sic interpretari oportet carnem & sanguinem. Imò ea quæ pro sententia Chrysostomi adduximus, non admittunt hunc sensum, præsertim duo posteriora loca. Secunda Hieronymi ratio facilè soluitur ex consuetudine Pauli. Frequens siquidem est ipsi congerie vti, aut epexegesi: maximè vbi præcedentia obscuritatem habent. Quia ergo vsus erat Hebraica phrasi, voluit eius subijcere interpretationem. Ad tertiam Hieronymi rationem, vel potiùs Porphyrij calumniam, erudite respondet ipsemet Chrysostomus exponens illa: Neque adscendi Hierosolymam, &c. Hæc verba inquit, si quis per se expendat, videntur spirare non vulgarem arrogantiam: Cæterùm si causam attendat ob quæ hæc dixerit Apostolus, eiusque scopum consideret, longè aliud iudicabit. Cùm enim pseudoapostoli ijs Apostolis adhærendum esse dicerent, qui non vetarent circumcisionem, non Paulo qui vetabat, quod illi à Christo edocti essent, hic verò discipulorum tantum esset discipulus, atque hinc sensim irrepsisset Iudaicus error ac deceptio; cogitur Apostolus apertè resistere & declarare, quid in initio conuersionis suæ actum sit, vt intelligant hinc Galatæ, non à Petro vel quopiam Apostolorum ipsum institutum esse vel edoctum. Non contuli inquit cum carne & sanguine, nec simpliciter ait, non contuli, sed non contuli continuo cum carne & sanguine, naturæ cognomneto Apoll. designans. Ex quo cõmentario Chrysostо. discimus aduerbium (continuò) retulisse ipsum non ad præcedentia, sed ad sequentia, Neq; ascendi vel redij Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerunt Apostoli, Sic enim ad verbum est græcè, & est interpretatio prioris (*sed abij*). I. è Damasco (*in Arabiam*) atque rursus Damasci (*post eaquam eò ex Arabia essem reuersus*) aliquamdiu prędicaui Christum, priusquam cum quoquam Apostolorum contulissem. Non igitur ab ijs didici Euangelium, vt calumniantur pseudoapostoli, qui hoc rumore abutuntur ad illaqueandos vos legis oneribus. Quomodo consentiat hæc Pauli narratio cum ordine historiæ, quem descripsit Lucas in Actis cap. 9. varie explicant interpretes. Omnino verisimile est Lucam in narratione sua Arabiam præterijsse, & per dies multos quos commemorat, dicens: cùm autem implerentur dies multi consilium fecerunt, &c. expressisse triennii, cuius hic meminit Paulus. Cæterum an eam ob causam prætermiserit Arabiam, quod nihil dignum Apostolatu ibi à Paulò sit gestum, ob ipsorum Arabum culpam, quod suspicatur Hiero. id non nimiam habet quæstionem: præsertim cùm Chrys. arbitretur multa ac præclara ipsum ibi præstitisse, quæ modestiæ causã hic ab ipso premantur silentio.

Deinde post annos tres veni Hierosolymã videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorũ vidi nemmem, nisi Iacobum fratrem Domini.

Deinde post annos tres.) I. à conuersione vel inchoata prædicatione veni Hierosolymam, non quidem discendi studio, quippe qui iam triennio Christi Euangelium liberè & magna cum fiducia, partim in Arabia apud gentes barbaras: partim in ciuitate Damascena apud Iudæos prędicassem, sed causa videndi Petri, vt fruerer adspectu illius, & simul deferrem honorem illi, qui me prior vocatus fuisset Apostolus,

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non dicit (ait Chty.) ἐδεῖν, id est, vt cernerem Petrum, sed ἱστορῆσαι; id est, vt viderem quomodo loqui solent quimagnas ac splendidas vrbes inuisant cognoscendi gratia.

Et mansi apud eos diebus quindecim, &c.) Omnia huc pertinent, vt intelligant Galatæ, ipsum non institutum à Petro, vel quoquam Apostolorum. Hanc ob causam cùm dixisset in superioribus, venit Hierosolymam, non ibi substitit sed adiecit, vt viderem Petrum, ac si dixisset, non vt discerem aliquid à Petro, sed tantùmodo vt viderē ipsum. Eandem ob causam nunc numerum dierum exprimit, quibus commoratus est apud Petrum. Commoratus sum (inquit) apud illum dies non plus quindecim, quod temporis spacium non sufficere Euangelio addiscendo, etiam si acri celeriq; quis sit ingenio, compertissimum est. *Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini*) Iacobus hic Hierosolymorum episcopus primus fuit, cognomento iustus, alius à Iacobo Zebedæi & Alphæi, secundū Hieronymum in commentarijs huius loci, & Clementem primo recognitionum libro. Qua autem ratione dicatur Apostolus, cùm non fuerit de numero duodecim, explicat hoc loco Hieronymus, & nos ea de re diximus in Epist. ad Roma. Omnes siquidem, qui Christum in carne conspectum postea prædicabant, Apostoli generali nomine dicebantur. Porrò fratrem Domini vocat non Latina nec Græca, sed Hebraica consuetudine, quia fratres appellantur non solum qui eisdem parentibus geniti sunt, sed & patrueles & consobrini, & præterea qui eiusdem sunt familiæ, & præterea qui eiusdem sunt gentis. Vide Hieronymum contra Heluidium. Hic autem Iacobus verè consobrinus domini fuit, hoc est. Filius Mariæ sororis matris Iesu. Alibi tamen (vt in libro quē de perpetua virginitate Mariæ contra Heluidium scripsit) non nisi duos Iacobos Hieronymus agnoscere videtur, Iacobum videlicet Zebedæi, & Iacobum Alphæi, quem ipsum esse putat, cuius hic meminit Paulus: Cuius sententiam eo loco ab ipso propositam, si quis sequi velit, cum eo nolumus pugnare: hoc interim sciat, commentaria ipsius in Epistolam ad Galatas scripta esse post librum contra Heluidium editum, vt ipse testatur in commentarijs suis enarrans hūc locum. Negat itaque Paulus præter hos, id est, Petrum & Iacobum fratrem Domini, se quemquam Apostolorum conuenisse, ne occulta contradictio nasceretur: Etiam si à Petro non es doctus, alios habuisti Apostolos præceptores.

Væ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo. Tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant Deo.

Væ autem scribo vobis, ecce coram Deo, &c.) est forma iuramenti hebraica. Sensus est: nihil horum quæ scribo fingere me, testis est ipse Deus, siue iuro per Deum, sic Ambrosius, Augustinus & Hieronymus. Hinc discimus, non esse contra præceptum, iurationem, quæ à malo sit, non iurantis sed incredulitatis eius vel eorum quibus iurare cogitur, vide Augustinum in commentarijs huius loci hac de re pulchrè disserentem. *Deinde*) scilicet postea quam Petrum vidissem, veni siue contuli me in partes, id est, in regiones Syriæ & Ciliciæ. *Eram autem ignotus facie*) id est de facie vel secundum faciem, (*Ecclesijs Iudeæ quæ erant in Christo*) id est, Ecclesijs Christianis: Istud adiecit secundum Chrysosto. vt scirent Galatæ adeò ipsum non prædicasse Iudæis circumcisionē, vt ne de facie quidem fuerit illis notus: Secundum verò Hieronymum occultè redit ad propositum. Adeo, inquit, Hieronymus breue tempus se in Iudæa, fecisse confirmat, vt etiam vultu credentibus esset ignotus. Ex quo ostendit se non Petrum, non Iacobum, non Ioannem habuisse doctorem, sed Christum qui sibi Euangelium reuelasset.

Tantum autem auditum habebant, &c.) Latinus dixisset, auditum erat illis, siue hic rumor erat apud illos. Illud (*quoniam*) otiosè additur quemadmodum sæpe aliàs (*Qui persequebatur nos aliquando*) id est, olim vel pridem (*nunc Euangelizat*) nou legem, non circumcisionem, sed (*fidem quam aliquando expugnabat*) id est, quam quondam velut vanus hostis quantum quidem in se erat, vastabat, demoliebatur, exscindebatq; nam id est, expugnatoris opus: Græcè est πορθῶν de qua voce ante dictum est (*& in me*) id est, propter meam conuersationem (*clarificabant*) id est glorificabant (*Deum*) quod videlicet repente mutatus nutu diuino, ex persecutore Christianæ fidei factus essem præco Christianæ fidei.

CAPVT II.

Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem aut cucurrissem.

Deinde post annos quatuordecim, &c.) scilicet à conuersione mea: Sic quidam, inter quos est Beda. Alij secuti Hieron. accipiunt hos 14. annos additis tribus illis, de quibus in fine præcedentis capitis verba fecit, vt significetur hæc profectio contigisse anno 17. post Pauli conuersionem: vtra harum opinionum verior sit, haud facilè est definire, neq; enim ex sacris literis, neq; ex historijs aliquid certi haberi potest, & quemadmodum istud, ita illud quoq; incertū, an profectio hæc illa sit, de qua Actum 16. an alia ab illa. Chrysostomus negat eandem esse, Beda verò affirmat: Hieronymus nihil de suo profert, sed aliorum tantum sententiam refert: Quidā (inquit) post annos 14. eum Hierosolymam ascendisse tunc dicunt quando in Act. Apost. de quæstionibus obseruandæ vel prætermittendæ legis inter credentes Antiochiæ orta est dissensio, &c. Obscuri ergo sunt apud Hieronymum, qui hunc ascensum & illum eundem faciunt. Imprimis expedit obseruare singula, quæ hic dicuntur, & conferre cum ijs quæ scribuntur Act. 15. Hic ascendit cū Barnaba pariter & Tito, in Act. nulla mentio Titi est: Hæc circunstantia nonnihil facit pro Chrysostomo. Hos autem duos assumpsit Paulus, vt testes eorum essent, quæ apud Apostolos ageret: nec ratione vacat quod dixit, assumpto & Tito: Habet enim illud (&) emphasin. Sensus est: ausus sum assumere & Titum, quamuis incircuncisus esset, tanta sum pro fide Christi & Euangelij vsus fiducia & audacia, vt non sim veritus ad Iudæos adducere etiam hominem gentilem. *Ascendi aūt secundùm reuelationē, &c.*) id est, reuelatione iubente, siue monitus diuino oraculo. Et hæc circunstantia aduertenda est, siquidem Act. 15. ex consilio hominum ascendit, non ergo ex reuelatione, vt videtur, ac proinde nō eadem res est, quæ hic & illic scribitur. Qui contrariè sunt opinionis, respondent ascendisse quidem Paulum in hac Epist. secundum reuelationem, at non secundum eam duntaxat, sed præterea ex statuto hominum, id est ex legatione Ecclesiæ Antiochenæ. Verum Paulus vrgere cupit hac re authoritatē suam, & eam imprimis magnam facere. Quare glossa illa nō est multum probabilis. (*Et contuli cum illis*) non dicit propositi propter quod erā missus. Act. 15. sed contuli, id est, familiariter in sinum eorum effudi, siue exposui pari consilio vel probandum vel improbandū Euangelium, id est, doctrinæ genus, quod in prædicando Christo hactenus ipse sum secutus apud gentes, est rursus argumentū pro Chrysostomo. Illud (*cum illis*) refert Petrum, & Iacobum fratrem Domini: Contuli cum Petro & Iacobo, vel Apostolis: nā hi soli præcesserunt. Et hæc circumstantia facit pro Chrysost. siquidem Act. 15. est integra synodus, ac coram tota Ecclesia proponit, quod in mandatis habebat. Si quis tamen (cum illis) generalius accipiat, vt respiciat agentes Hierosolymis non potest reijci. Chrysostomus illud (*Euangelium quod prædico in gentibus*) facit periphrasim Euangelij sine circumcisione, sed veresimile magis est Apostolū voluisse significare totam doctrinam siue rationem docendi, quam sequebatur. Et notandum verbum illud (prædico) habet enim vim argumenti: non ait prædicaui, sed in præsenti prædico ac si dicat, quod etiam nunc perseuero prædicare, sicut ab initio cœpi: significat doctrinā à se traditam, syncerā esse, nec pugnare cum Apostolorum sententia vel probatione, quo rumore abutebantur pseudoapostoli ad seducendos Galatas.

Seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse.) Illud (aliquid) adiectitiū est, additum abs quopiam cui sermo videbatur parum absolutus, q uare expungere licet, neque enim in veteribus, neque in Græcis codicibus reperitur, Augustinus nō legit, in Hieronymo non agnoscitur, posteriores soli ab annis trecentis habent: Imò neque infinitiuus (esse) apud Augustinum est, tantummodo habet, qui videbatur, quod exponens, cum ijs, ait, qui eminebant in Ecclesia. Ad eundem modum & legit & interpretatur Hieronymus, verba eius sunt: Solicitus requirebam quidnam esset quod diceret, qui videbantur, sed nunc me omni scrupulo leuauit adijciens: qui videbantur columnæ esse. Quare Erasmus bene locum hunc licèt non ad verbum, sed ad sensum reddidit, vertens: cum ijs qui erant in prætio. Græcè enim est δοκοῦσι: δοκοῦντες autē absolutè apud Græcos dicuntur, qui sunt magnæ authoritatis, siue existimationis. Cum precipuis ergo & in magno pretio habitis contulit Apostolus, quod mox apertius explicat velut interpretans seipsum, qui videbantur (inquit) columnæ esse. Quare huic loco parum congruit illud, Qui videbantur esse aliquid, Sic enim de ijs rebus loquimur, quibus volumus nihil omnino tribui: Multo minus congruit illud, sibi videbāturaliquid, quasi nullius alioqui pretij, sed sua duntaxat opinione forent aliquid, qui sermo plane eleuat authoritatem Apostolorum: Hæc tamen lectio est in textu Ambrosij, sed dubium non est quin sit deprauatus. Præter difficultatem quam pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit lectio, est alia hoc loco difficultas, propter voculam autem. Qui prius illud (*et contuli cum illis*) generaliter accipiunt, vt sit, cũ vniuersa Ecclesia Hierosolymis de gente, facile expediunt, dicentes ipsum postea priuatim contulisse cum his, qui præcipuæ erant autoritatis in illa Ecclesia, id est, cum Petro, Iacobo, & Iohanne, exponendo ipsis quædam quæ vulgo credentium non licuisset proponere, nempe etiam Iudæos liberos à circuncisione & legis Mosaicæ obseruantia. Secundùm quos vocula, autem, aduersatiua est. Qui verò illud (& contuli cum illis) peculiariter ad Petrum & Iacobum, vel Apostolos referunt, aliter coguntur accipere vocula (autem) nimirum vt sit expletiua, non aduersatiua, hoc sensu. Cum istis verè quos iam dixi, qui erant in præcipuo aliquo prętio, & in magna apud omnes æstimatione, conferre volui, & priuatim illis exponere doctrinam meam, ne forte, &c. Secundùm hos est hic noua periodus, & ex superioribus repetere oportet præpositionem cum. Non malus quoque commentarius est, qui (autem) facit vocula amplificandi, qualis est (atque adeò) vt sensus sit contuli cum illis atque adeò cum præcipuis, siue (vt ad verbum Græcè est) cum visis: Istud Latinis est nouum, sed Græcis vsitatum qui suum (δὲ) non raro in hac significatione accipiunt.

Ne forte in vanum currerem aut cucurrissem, &c.) Illud (forte) interpretis est, non Pauli, rectiùs vertit Erasmus: ne quomodo, Græce est μήπως. Sensus est: cum his qui plurimùm apud Iudæos pollebant autoritate, contuli rationem docendi, quã hactenus in prædicando gentibus secutus sum, nõ quidem quòd diffiderem causæ meæ, vel quòd de tot annorum prędicatione iam venissem in dubium: sed ne qua ratione per pseudoapostolos mea prædicatio redderetur inefficax, qui vbique calumniabantur meam doctrinam improbari ab Apostolis, ob hãc igitur causam volui communicare cum illis, vt eorum comprobatione palam constaret apud omnes certitudo doctrinæ meę, & desinerent pseudoapostoli iactare me in studio Euangelico, vel hactenus frustra cucurrisse, vel nunc etiam currere.

SEd neque Titus qui mecum erat, cùm esset gentilis compulsus est circumcidi, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintrouerunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.

SEd neque Titus qui mecum erat cùm esset gentilis, compulsus est circuntidi: sed, &c.) magnam difficultatem adfert vocula (sed) quæ si tolleretur, omnia plana essent. Haberetur enim hæc lectio. Sed neque Titus qui mecum erat, compulsus est circuncidi propter falsos fratres subintroductos, ad quem modum cuperet Hieronymus nos legere. Scribit enim sic in commentarijs. Sciendum verò quòd (autem) coniunctio quæ in præsenti loco ponitur: propter subintroductos autem falsos fratres superflua sit, etsi ponatur, non habet quod ei respondeat, illamq; concludat, sed hunc esse ordinem lectionis & sensus: Sed neque Titus qui mecum erat cùm esset ex gentibus, compulsus est circuncidi, statimq; subiungit quæ causa fuerit, vt ad circuncisionem impelleretur inuitus, propter subintroductos falsos fratres, qui, &c. Secundum Hieronymum ergo sensus hic est: cùm apud Iudæos agerem Hierosolymis, neque Titus qui cùm esset certo gentilis, & adhuc gereret præputium, vllatione compelli potuit vt circuncideretur, quamquam vt id fieret, vehementer instarent falsi fratres, & ab illis subornata magna multitudo Iudaica.

Erasmo in annotationibus suis referenti hanc sententiam Hieronymi, atq; eam declaranti obrepsit somnus, dũ ait: Solet enim apud Græcos (δὲ) semper respondere μὲν, Siquidem Hieronymus dum dicit coniunctionem nõ habere quod ei respondeat, ad inferiora respicit, non ad superiora. Deinde μὲν in partitionibus quidem semper habet respondens δὲ: Sed δὲ frequenter ponitur sine μὲν: Vt rethorica non est ars: medicina autem est ars. In hoc quoque somnus obrepsit ei, quod dicat Hieronymum duas reddere causas, quare coniunctio sit superflua: alteram quę iam dicta est, altera est, quod sensui huius epistolæ vehementer repugnet? hanc in Hieronymo non inuenies. Vt Erasmum omittamus, dubium non est quin Græca, quæ tempore Hieronymi in manibus erat, habuerint vocula δὲ. Quærendum ergo ex ipso esset, an apud illos illa quoq; superflua sit & reijcienda, quod certè nec Chrysostomus, nec Theophylactus patietur, nec Oecumenius: sed & Augustinus legit & interpretatur coniunctionem, quare nec ipse expungi vellet, quamuis Erasmus eum pro Hieron. stare facit, qui tertius ipsius lapsus est in eadem annotatione.

Commentarius autem Augustini sic habet: Quamuis Titus Græcus esset, & nulla eum consuetudo aut cognatio parentũ circumcidi cogeret sicut Timotheum, faciẽ tamen istum etiam circumcidi permisisset Apostolus. Non enim tali circumcisione iustitem docebat auferri, sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo vt superflua æquo animo tolerari, secundum sententiã quam alibi dixit: Circuncisio nihil est, & præputium nihil est. Propter subintroductos autem falsos fratres, non est compulsus Titus circuncidi, id est, non potuit ei extorqueri vt circuncideretur, quare, &c. Hic videmus Augustinum rationem habuisse coniunctionis. Exponit enim illam, vt habeat officium extenuandi, quemadmodum cùm dicimus: percussi hunc, sed prouocatus, sed irritatus. Tito non potuit extorqueri vt circuncideretur, sed propter falsos fratres ei extorqueri non potuit, quia hac occasione docuissent illi circumcisionem esse necessariam, etiam ipsius Pauli attestatione & confessione, vt qui Titum in ipsã vrbe Hierosolymitana circuncidi permisisset. Propter hos ergo ei extorqueri non potuit, quanquam id expostulassent Iudæi, quasi dicat, altas facilè impetrassent. Augustinus hoc modo exponens attendit coniunctionem Latinam tantum, non Græcam vocula (δὲ) consuluit, quæ apud eos interdum vim habet amplificandi, vt in initio huius capitis. Ascendi autem, id est, & quidem, vel atque adeò secundum reuelationem, & mox: Seorsum autem ijs qui videbantur, id est, atq; adeò cum ijs qui in pretio erant. Sic hoc loco: Titus non est compulsus circuncidi, sed id est, quod plus est, vel quod magis est, vrgentibus hoc interim falsis fratribus, quanquam minus appareat hoc loco hæc phrasis Paulo familiaris propter negationem quæ præcedit, quam si secundo loco repetiuisset, hoc modo efferendo orationem. Sed neque Titus qui mecum erat compulsus est circuncidi, neq; vero, id est, & quidem, vel quod magis est propter falsos subintroductos fratres, nulla fuisset difficultas.

Sanè Chrysostomus manifestè facit formulam amplificandi, verba eius sunt: Neq; enim ergo solum ita prædicaui, verum etiam Titus ita fecit, quem, cùm esset Græcus, id est, præputiatus, Apostoli non compulerunt circuncidi, & quod hoc quoque multò maius est, cùm vrgerent aduersarij eaque scirent, ne sic quidem Apostoli per eos huc adacti sunt, vt iuberent eũ circuncidi, quòd ipse declarat dicens. Sed neq; propter subintroductos falsos fratres. Variè his verbis explicat amplificationem: Primò, per (&) quod habet vim assertiuam vt (imo.) Secundò per illud (quod hoc quoque multò maius est) deinde repetit aut addit quod deest Paulo δοῦλ, id est, neque, quæ dictio sola etiam cæteris amoris inducit amplificationẽ. Chrysostomum sequitur Theophylactus,

in quo hoc obseruandum, quod verba illa: sed neque Titus qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circuncidi, separatà sequentibus interiecto commẽtario, quod idem facit Chrysostomus: vnde Erasmus cùm in translatione noui testamenti omittat coniunctionem (sed) siue (autem) vertens Chrysostomum non omittit, sed exprimit. Interpres Theophylacti, non quidem Porcenna, sed alter, non fuit tam oculatus: is enim prætermittit coniunctionem, non videns quod debebat ponere propter commentarium, secundum quem ordo sermonis & sensus hic est. Sed neq; Titus qui mecum erat, compulsus est circuncidi, vt hic ponatur distinctio, & deinde velut à nouo exordio sequatur, neque propter falsos fratres Titus compulsus est circuncidi. Oecumenius quoque facit formulam amplificandi, & interiecto commentario separatà superioribus, apertius quàm duo præcedentes exponens.

Neque Titum (inquit) licet gentilem vllo modo compulerunt Apostoli circuncidi, neq; ex eo quod adessent: vel ne tũ quidem quando ingressi sunt falsi nominis fratres: nam à communi sensu rursus subintelligendum est (sed neq;) vt sit sensus. Sed neque Titus compulsus est circuncidi, neque propter obiter introgressos falsos fratres. Vt res melius intelligatur, sciendum quod sint tria genera distinctionis, videlicet periodus, colon siue membrum, comma siue incisum: Secundùm Hieronymum nulla istarum distinctionum est hoc loco, Secundùm Augustinum est incisum. Secundùm Chrysostomum & Theophylactum, Oecumenium, est membrum. Secundùm Ambrosium verò est periodus, cuius sententia vt facilius intelligatur, sciendum Paulum apud Lystrenses (vt refert 16. Act.) assumpsisse egregium adolescentem Timotheum socium sibi, quia videbat aptum eum ad magna præstanda: hunc propter Iudæos, qui in locis illis erant, ne offenderentur: circuncidit, vbi Paulus cessit infirmitati Iudæorum. Huius itaque facti putat Ambrosius hoc loco meminisse Apostolum, vt sit occupatio siue solutio argumenti, quod videbat posse opponi & obijci sibi. Refers hic nobis, quid de Tito actum sit Hierosolymis: quod nulla ratione vel à te vel ab ipso extorqueri potuit, vt circunciderétur, interim circuncidisti vel circuncidi permisisti Timotheum, qui parte Græco genitus est. Respondet Paulus, verum est, sed coactus hoc feci propter subintroductos falsos fratres, id est, qui simulabant se studere paci publicæ, eiusq; conseruandæ gratia expetere circuncisionem Timothei, cùm ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

men aliud agerent. Subintroierunt enim, vt explorarent libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, propter quos cessimus ad horam, id est, ad tempus subijcientes nos legi, vt circunciso Timotheo, cessaret scandalum: cessimus autem ad horam sic vt veritas Euangelij permaneat apud vos, quæ ad horam erat dissimulanda. Hæc est Ambrosij expositio, ex qua patet quod ab illo loco: Sed propter subintroductos falsos fratres, auspicetur nouam sententiam siue periodum, vsque ad illud, vt veritas Euangelij maneat apud vos, inclusiue, & coniunctionem (autem) siue (sed) facit aduersatiuam particulam, & negationem (neque) cum pronomine (quibus) prætermittit, legens ad hunc modum: Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt ad explorandum libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt in seruitutem nos redigerent, ad horam cessimus subiectioni. Quæ lectio à nostra prorsus diuersa est, & vsque ad Ambrosij & Hieronymi tempora in Latinorum codicibus habebatur, vnde & Hieronymus Latinorũ eam appellat, & hanc quæ in nostris hodie codicibus est, Ambrosius Græcorum esse dicit, quam & reijcit hoc præcipuè argumento. Si cum Græcis, inquit, legamus (quibus neque) iam coniunctio (sed) siue (autem) non habet quod ei respondeat, hoc est, secundùm ipsum non habet sensum sequentem. Hic vrget Ambrosius coniunctionem, non ergo pateretur eam amoueri, quare nec Hieronymi commentarius ei placeret, sed nec Augustini interpretatio satisfaceret ei, imò contra eam faciunt illa quæ sunt in commentario Ambrosij, Si propter subintroductos falsos fratres non cessit, nam voluntate non cessit, non cessurum se significauit, &c. Alia quoque adfert contra lectionem Græcorum quam nobis tradidit iam Ecclesia, altera illa Latinorum, pro qua ipse tam vehemens est prætermissa, quæ omnia ex interpretatione Græcorum, maximè lectis ijs, quæ habet hoc loco Chrysostomus, statim soluuntur. Posteriores omnes addunt hic aliquid, siue subaudiũt, quia dum volunt (sed) expungi, non potuerunt se commodè expedire. Augustini interpretatio parum facit pro scopo Epistolæ, cui imprimis seruit Græcorum: quare amplectenda, non solum præ illa, sed alijs quibuscunque: quia citra dubium optima est. Pseudoapostoli hoc nomine traducebant Paulum, quod diuersum doceret ab eo quod docebant Apostoli, quodq; ipsius doctrina ab Apostolis damnaretur, quorum calumniam hac narratione efficacissimè secundùm Græcos refutat: nam secundùm illos quod dicit, tale est. Simulatq; iubente reuelatione cœlesti post annos 14. rursum ascendi Hierosolymam, gratia conferendi cum Apostolis, adduxi mecum & Titum, atque hoc præsente contuli cum Apostolis Euangelium, qui cum certo esset gentilis, & adhuc gereret præputium, atq; facile & ad manum esset ipsum circumcidere, vt qui mecũ præsto ibi erat, nequaquam tamen adactus est ab Apostolis vt circumcideretur, quod certissimum argumentum est, ipsos non sanxisse circumcisionem, aut vrgere vel docere necessariam esse: & quod hoc quoq; multò maius est, ne post totam quidem collationem potuerunt Iudaizantes, qui furtim irrepserant in cœtum nostrum efficere, vt ex sententia Apostolorum circumcideretur Titus, quanquam vehementer vt id fieret, vrgerent ac odiosè instarent. Quomodo ergo quidam dicunt doctrinam meam, qua absque mentione circumcisionis per gratiam Christi polliceor gentibus salutem, damnari ab Apostolis? Falsos fratres Paulus vnica voce composita appellat, ψευδαδέλφους, significans Iudaizantes, qui fingebant se bona fide agere negotiũ Euangelij, cùm nihil minus agerent. *Subintroductos*) Græcè nomen est, non participium, quod dicitur subinductitios fratres, id est, obiter inductos siue ingressos neque solum obiter siue furtim & clanculo, sed ad insidias introductos seu ingressos: Nam παρὰ apud Græcos vtrumq; significat in compositione, quemadmodũ discimus ex commentarijs Chrysostomi in locum hunc. Quod sequitur: *Qui subintreierunt*) intellige vt iam dictum est, id est, qui clanculo & insidiosè irrepserunt (*explorare*) id est, ad explorandum: Est verbum bellicum siue militare secundum Chrysostomum, & hoc vocabulo Apostolus eorum insidias declarauit. Exploratores enim ob nihil aliud ingrediuntur, nisi vt cognitis rebus aduersariorum, ipsi sibi facillimum aditum parent ad expugnandũ, capiendumq;. Quod illi ergo in bello, hoc isti egerunt in negotio Euangelij: insidiosè enim sese insinuauerunt, vt explorarent libertatem nostram.

Illud (*in Christo Iesu*) intelligi potest bifariam: Altero modo vt (in) positum sit loco (per) hoc modo: quam habemus per Christum, eius meritum, & mortem: Altero modo vt (in) propriè sumatur hoc sensu: quam habemus in Christianismo. Omnes siquidem qui in vero Christianismo prediti sunt libertate, non ea solum quæ sub oculos cadit, quæ opponitur obseruantiæ circumcisionis, & multiplicium ac obscurarum cæremoniarum legis: sed ea quæ in spiritu est, qua liberali animo & spontanea indole, nõ timore, præstatur lex siue ea quæ præcipiuntur, quamquam de priori tantum libertate, & opposita seruitute loquatur hic Apostolus. Non enim verisimile est, istos falsos fratres solicitos fuisse de interiori illa animi qualitate, vel studio fuisse ipsis aut curæ, vt redigerent Paulum ad affectum seruilem: sed explorabant: quid ipse & alij ibi disputantes sentirent de circumcisione & cæremonijs legis, explorabant quibus rationibus defenderet suam doctrinã Paulus, qua absque mentione circumcisionis promiserat gentibus salutem, vt his cognitis facilioꝛem pararent sibi aditum ad retrahendum cum Paulum: tum Galatas ad veterem seruitutem legis, id est, seruilia onera legis. Hoc sanè modo interpretantur nobilissimi expositores, apud Latinos quidem Augustinus, Ambrosius, Hieronymus: apud Græcos vero Chrysostomus, Theophilactus, Oecumenius, apud quos nulla est significatio aut tenuis admodum eius libertatis, quæ est in anima, aut seruitutis illi libertati oppositæ, sed omnia ad libertatẽ referunt, quæ sub oculos cadit, quæ est libertas à necessitate præstandæ legis, ea parte qua cæremonialis est.

Quibus) scilicet falsis fratribus (*neq; ad horam*) id est, ad minimum quidem tempus, ne ad momentum cessimus, vt subijceremur illis in obseruãtia ceremoniarum legis, hoc est, quod dicit (subiectioni) est quidem dativus apud Græcos, sed per ablativum vertendus secundùm Chrysostomum, nam facit dativum modi. Erasmus in annotationibus citat vnum exemplar quod habet (subiectione) in ablativo, id est, per subiectionem, quemadmodum ipse vertit in translatione sua. Totum autem istud fecimus, ne qua vobis fieret occasio ab Euangelij veritate recedendi. Veritas quantum ad institutum huius loci sufficit, bifariàm capitur: Interdum opponitur corruptelæ, vt veritas Iesu est in me, id est, pura & syncera doctrina Christi, in qua nihil est corruptelæ, in me est: Interdum verò opponitur vmbræ: in hac significatione sumitur apud Iohannẽ. Lex per Moysen data est, veritas per Iesum Christum facta est, vmbrę enim futurorum in lege erant. In Euangelio iam veritas est, vtro istorum modorum in præsentiarum accipiatur, non est ita certum, circumstantiæ textus nihil iuuãt, nec alia loca, sed quædam huic, aliæ illi sensui seruiunt: præterea & commentarij variant. Quidam enim opponunt vmbris: vt nihil vmbrarum & cæremoniarum legis maneat apud vos, sed mera veritas, & ipsa rerum exhibitio. Alij opponunt corruptelæ: Pura & syncera doctrina cui nihil admixtũ est de Iudaismo apud vos permaneat. Hoc modo accipiunt nobiliores commentarij, forte vtrumque intelligit Apostolus. Vt Christianismus totus remaneret apud vos purus, nolui cedere istis, ne eo vsque quidem, vt illis vel ad tempus morem gerens, Titum circumciderem. Si ergo nos Hierosolymis inter tantos Iudæos, imminentibus hinc inde falsis fratribus, & ijs vnà cum Iudæis ab ipsis subornatis, aliqua ex parte cogentibus, nulla potuimus ratione adduci aut vi compelli, vt circunciderem Titum: vos ex gentibus, vos ex Galatia, vos quibus nulla vis infertur, vltro à libertate Christi receditis ad seruitutem legis?

A ijs autem qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit.) Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Deut. 10. d. 2. Para. 19. c. Iob 34. b.

A ijs autem qui videbantur esse aliquid.) Quæ iam sequuntur (*quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus enim non accipit personam hominis*) per parenthesin interiecta sunt, quæ quia longior est, redit Apostolus per repetitionem ad id quod cœperat, sub diuersa sermonis forma (*mihi*) inquiens) qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Redit autem ad id quod instituerat, per voculam (enim) Latini id faciunt per (ergo) quod obseruandum propter caput quartum & quintum, vbi textus est obscurus propter repetitionem Hebraicã. Est tantũ historia: pergit dicere de sua persona, sensus est: Sic quidem de comite itineris mei Tito homine ethnico actum est apud Apostolos Hierosolymis, nunc exponam quid sensérim de Euangelio meo post meam ad eos relationem.

Ab ijs qui videbantur aliquid) id est, qui id temporis erant in pretio apud credentes, subaudiendum est, nihil adiutus sum, vel nihil mihi collatum est: id enim adiecturus erat, quod iam propter parenthesin omisit exprimere, patet hoc ex repetitione: mihi enim qui videbantur, &c. dico autẽ id temporis in pretio habitos illos: nam nihil attinet vt commemorẽ quales antea fuerint, cùm nondum Apostoli essent Christi, aut cum nondum accepissent primitias spiritus: nempe quod homines erant illiterati, idiotæ, piscatores, abiecti & in nullo pretio habiti. Sic Ambrosius. Augustinus illud (quales) ad vitam refert hoc sensu, quales olim fuerint, boni, ne, an non, nihil mea refert: Suspectum me haberi volunt, & obijciunt mihi, quod olim persecutor fuerim Ecclesiæ: adspiciant istos tres, ánne & pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

catores fuerint, sed hoc nihil ad propositum: (*Deus enim personam hominis non accipit,*) nonnulla exemplaria omittunt (enim) quod si non legatur, intelligi debet: certum enim est propositionem causalem esse. Sensus est, nihil refert superioris vitæ conditiones illas commemorare, quare? quia Deus in vocatione sua gratuita, quosdam vocat ad iustitiam, & eosdem iustificatos magnos facit, non respicit vllam hominis conditionem aut qualitatem, sed omnia agit secundùm gratuitum suę voluntatis beneplacitũ. Secundum hanc expositionem (accipere personam) est conditionem aliquam personæ in aliquo negotio, quæ nihil ad negotium pertinet, tanquam rationem & regulam illius negotij attendere seu considerare. Chrysostomus & Hieronymus illud (quales) non ad vitam, sed ad genus doctrinę referunt, hoc sensu: Quali doctrinæ genere ipsi olim vsi sunt, quantum ad circuncisionem & legis ceremonias attinet, nihil mea refert, ipsi Deo reddituri sunt rationem: Non enim quia magni sunt & dignitate præeminentes, Deus personam illorum accipiet, hoc est, si secus atq; oportuit, docuerint, quantumuis columnæ Ecclesiæ, luent supplicia, non proderit eis primatus, nec prærogatiuæ quas cõsecuti sunt, propter qualitates ipsorum Deus non cessabit ab illorum punitione: non enim acceptor est personarum.

a Cor. 11.

Secundùm hos est exacta personarum acceptio hoc loco, secundùm Augustinum verò & Ambrosium impropria: Siquidem secundùm eorum interpretationem ea vtitur Apostolus in materia, quæ eam non accipit, nimirũ in negotio mere liberali. Acceptionem enim personarum siue προσωπολημψιαν in ijs quæ sunt mere gratuita, neque ex merito nostro vel demerito pendent, locum non habere, euidentissimè declarat ipsemet Augustinus libro secundo contra duas Epistolas Pelagianorum, capite sexto & septimo.

Obseruanda sunt alia loca Scripturæ, in quibus vsus est huius vocis, atque videndũ an vsquam eius mentio habeatur in materia mere liberali, quod si non deprehendatur, tanquam probabilior retineatur Chrysostomi & Hieronymi interpretatio. Facit autem Chrysostomus occupationem hoc loco, quia inquit verisimile erat futuros aliquos qui dicerent: si comprobarunt tuam prædicationem, quare ipsi ergo hactenus permiserunt circuncisionem vel præceperunt etiam? Huic obiectioni facile respondet Apostolus, quales inquit aliquando fuerint, nihil mea refert, sciunt ipsi quid fecerint: Deo enim reddituri sunt rationem. Quod autem hic nunc demonstrare studeo, hoc est: quod mecum nunc sentiant, quod meam prædicationem in nullo damnarunt.

Mihi enim qui videbantur esse aliquid, &c.) Rursum hoc loco non est (esse aliquid) sed tantum, qui videbantur, siue vt Paulus habet δοκοῦντες in precio habiti, quos vulgò reputatos vocant. Aulus Gellius æstimatos vertit, medio tamen loco, (ab ijs autem qui videbantur) etiam apud Græcos additur & (esse) & (aliquid) vbi nisi velimus dicere adiectitium esse vtrumque, quod suspicatur Erasmus, quamquam non sit verisimile, eodem sensu oportet intelligere positum ab Apostolo (aliquid) quo Lucas in Actis capite tertio dixit, aliquem pro magno: Antehos enim dies exitit Theudas, dicens se esse aliquem. Illud (*nihil contulerunt*) interpretatur Chrysostomus ad hunc modũ: postquàm exposuissem eis summam totius doctrinæ meæ seu prædicationis meæ, eamq; ad eorum deliberationem retulissem, ipsi nihil inde correxerunt, addiderunt nihil: non quod vox Græca significet illa, sed sequuntur ex re per vocem significata. Vox significat, communicare consilia cum amico, iam Apostoli si iudicassent vel corrigendum aliquid, vel immutandum, vel addendum ijs, quæ à Paulo dicebantur, ipsi vtiq; cõmunicassent vicissim sua Paulo. Est Græcis illa vox, quam primo capite interpres vertit, acquieui. Nihil ergo contulerunt, id est, communicarunt.

Sed contra, cùm vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes, (& cùm cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, et Cephas, & Iohannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem: tantum vt pauperum memores essemus: quod etiã solicitus fui hoc ipsum facere.

Sed contrà cùm vidissent,) Annotat Hieronymus hoc loco hyperbaton, vt multis, quæ in medio sunt interiecta sublatis, legamus ad hunc modum: mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed contra, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, hoc est: posteaquàm me referente cognouerant quæ prædicaueram, ipsi nec vllam quidem mecum habuerunt communicationem, in qua vel tanquam dissentientes cotes de meo Euangelio, vel dissentientes conati essent aliquid addere doctrinæ meæ, sed sine vlla mutua communicatione mecum habita, tanquam per omnia sentientes, in signum concordiæ, dederunt mihi & Barnabæ dextras. Illud (*sed contrà*) est corrigentis aut potiùs ampliantis: Adeò nihil mihi contulerunt, aut docendum, vel corrigendum putauerunt: vt coniungerent mox dextras. Sic Chrysostomus, verba eius sunt. Non solum nihil reprehenderunt, verùm in tantum abfuerunt ab incusando, vt comprobarint etiã: nam comprobatio contraria est improbationi.

Cùm vidissent) id est, cùm perspexissent, cùm certò intellexissẽt ex ore Pauli, vt mox dicetur, illud viderunt (*quod concreditum*) id est, commissum est mihi Euangeliũ præputij. Circuncisionem & præputium dicens, non res ipsas (ait Chrysostomus) sed gentes hac nota distinctas, expressit. Est ergo hoc loco notatio: ea autem figura est, quoties nominamus rem non suo nomine, sed aliquo accidente: Euangelium præputij, id est, gentium: Euangelium circuncisionis, id est, Iudæorum. Sensus est, cùm perspexissent, mihi à Christo commissum Euangelij prædicandi munus inter gentes præcipuè, quemadmodum Petro delegatum erat inter Iudæos. Addimus (*præcipuè*) quia & Petro licebat gentibus, & Paulo Iudæis prædicare, quemadmodum in Actis vtrumq; vtrilq; prædicasse legimus.

Qui enim operatus est Petro, &c.) propius erat Græcæ lectioni. Qui enim operatus est in Petro, operatus est & in me: siquidẽ præpositio est in voce composita apud Græcos, nec est simpliciter operatus, sed efficax fuit, & vim suam ostendit. Est enim hoc loco verbum ἐνεργέω vnde ἐνέργεια, quam vocem existimat Origenes idẽ significare quod ἐνεργάζεται. ea autem vox significat actum et vim, ex se mouentem organum. Non ergo sensus est, qui fecit Petrum Apostolum Iudæorum, etiam me fecit Apostolum gentium. Sed sensus iste est: qui efficax fuit in Petro, siue qui gratiæ suæ præsidio efficacem fecit Petrum, tum in sermone, tum in virtute signorum apud Iudæos ad fungendum rectè Apostolatu: Idem ipse efficax fuit in me per dona, per charismata, per miracula apud Gentes, hoc est: non minora patraui inter incircuncisos, quàm Petrus inter circuncisos, non quidem meis viribus, sed Christo autore, ipso efficaciter in me operante, & vim suam in me exercente. Sententia hæc: Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes, veluti per parenthesim interiecta, separãda est, vt legamus ad hunc modum. Sed contra, cùm vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis, cùm cognouissent gratiam quæ data est mihi. Vocula (&) epexegesin habet, id est, vim quandam explicatiuam: exponit enim quod præcesserit, cùm vidissent, &c. Non dicit cùm audiuissent, sed cùm cognouissent, id est (ait Chrysostomus) cùm didicissent ex rebus ipsis, ex ipsis factis, hoc est, ex spiritu Paulino, quem in ista concione proferebat, item ex sanitate doctrinæ, ex alijs præterea à multis, quæ in ipso conspiciebãt. Gratia hic accipitur pro gratijs gratis datis, non gratum facientibus, de quibus & illud, quod in eadem hac epistola dicitur: Ex operibus legis spiritum accepistis? intelligendum est. Cùm vidissent ergo me istis pollere, cùm perspexissent in me dotes verè Apostolicas & Euangelistà dignas, Iacobus & Cephas & Iohannes. Ex his tribus duos ait Hieronymus fuisse, in monte Thabor tempore Dominicæ transfigurationis. Augustinus omnes tres adfuisse asserit in commentario huius loci, sed scripsit hos presbyter non Episcopus parùm adhuc exercitatus in diuinis literis: Nam lapsum eum esse hinc patet, quòd Iacobus, qui in Euangelio commemoratur vna cum Petro & Iohanne, cuius frater erat, interfuisse transfigurationi, in Actis Apostolorum mox à Stephani nece legitur sanguinem fudisse pro Domino.

Cap. 13.

Matth. 17.

Actor. 12.

Qui videbantur columnæ esse, &c.) quæstio hic est, quare dixit Apostolus qui videbantur columnæ esse, & non hoc modo, qui erant columnæ. Hieronymus ipsum id fecisse putat gratia phrasis illius, qua in superioribus vsus est, exponendæ, nempe qui videbantur. Non multùm dissimile est quod adfert Chrysostomus, vt significaret inquit eos non solùm fuisse verè tales, sed & ab omnibus tales habitos: idcirco dixit, qui videbantur, id est, qui ab omnibus vt verè erant & habebãtur columnæ siue præcipui ex quibus penderet fundamentum Ecclesiæ.

Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis) est phrasis Hebraica, pro dextris socialibus: dederunt nobis dextras sociales, hoc signo declarantes nos cum ipsis per omnia conuenire. Significatur conspiratio & consensus doctrinæ & animorum.

Vt nos in gentes, ipsi verò in circuncisionem) hic sermo non est ablolutus, subaudiendum est: Apostolico munere fungeremur. In, positum est pro, erga: circuncisionem dixit pro ipsa gente Iudaica, figura hæc ante explicata est. Sensus est: datis dextris agnouerunt me & Barnabam veros ac germanos cooperarios, datis dextris declarauerunt communem esse doctrinam ipsorum & nostram, datis dextris mecum & cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Barnaba societatem inierunt, vt idem Euangelium concordibus animis in sua quisque portione prædicaremus, nos quidem inter gentes, illi verò inter Iudæos passim & præcipuè.

Tantùm vt pauperum memores essemus.) Illud (tantum) referendum est ad sequentia, non ad præcedentia, Subaudiendum est autem aliquid, tantum admonuerũt, vel mandarunt. Sensus est, neque nobis iniunxerunt vt quemquam è gentibus ad circumcisionem vocaremus, tantùm rogauerunt vt inter gentes prædicantes Euangelium, pauperum qui in Iudæa agebant, vemores essemus. Quærit Chrysostomus quos hoc loco Apostolus pauperes sentiat, & dicit ipsum illos significare, qui in Palestina propter fidei professionẽ è possessionibus suis electi erant, & facultatibus omnibus exuti, per diuersas regiones exulabant. D. Hieronymus putat illos significari, qui Hierosolymis allatis ad Apostolorum pedes possessionibus ac diuenditis egebant, vterq; commentarius bonus est & sortassis vtrosque complexus est Apostolus. Causam paupertatis, quam adfert Chrysostomus, expressam habemus in Epistola ad Hebre. 10. Nam rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, & in priori Epistola ad Thessalo. cap. 2. Vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, quoniam & vos eadem passi estis à contribulibꝰ vestris, quemadmodum & illi à Iudæis. Ex hoc loco qui habet, Paulum iubente Spiritu sancto, iuisse Hierosolymam, gratia cõferendi Euangelium suum cum Apostolis, vt illorum comprobatione extaret apud omnes certitudo doctrinæ ipsius, discimus verbũ Dei, etiam syncerissimum opus habere testimonio hominum: id quod apertè valde & eruditè docet Augustinus, tum contra Faustum Manichæum lib. 28. tum in quæstionibus Euangelicis, lib. 3. cap. 40. quæ loca diligenter annotanda sunt propter Lutheranos, qui in rebus fidei nolunt nos moueri authoritate hominum, siue definitionibus conciliorum etiam generalium, sed quemque sequi quod intra se sentit. Illis obijciendus est hic locus Pauli: ratiocinatur enim in hunc modum: Euangeliũ quod prædicaui vobis contuli cum Apostolis, & illi, quorum summa est apud omnes authoritas, approbauerunt, ergo vestrum est credere, & sine omni scrupulo ei firmiter adhærere.

CVm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

CVm autẽ venisset Cephas Antiochiã, &c.) Tanta est huius loci difficultas, quòd pleriq; cùm nõ possent è difficultatibus explicare sese, commenti fuerint Cephã hunc, cui in faciem restitit Paulus, non fuisse Petrum Apostolum, sed alium quempiam è septuaginta discipulis hoc nomine vocatum: Quam opinionem ceu commentitiam ac frigidam reijcit Hieronymus, cùm ipsa res doceat hunc sermonem ad Petrum & ad illius collegas pertinere. Negat autem vllum Cepham notum nobis præter Apostolum Petrum, qui Cyrorum lingua Cephas dicitur, quòd illis Cephas idem sonat, quod nobis ac Græcis Petrus. Quis autem, dum de Petro (vt res ipsa exigit) intelligitur, sit sensus, variant interpretes, & ea de re ingens olim concertatio fuit inter Hieronymum & Augustinum, vt testantur Epistolæ aliquot vltro citroq; missæ. Continet autem ea concertatio, quantum ad præsens negotium attinet, duplicem quæstionem: alteram de cessatione legalium, videlicet vtrum post Christi mortem licitũ aliquando fuerit obseruare legis ceremonias: Alteram de intellectu eius, quod dicit Paulus se in faciem restitisse Petro, videlicet vtrum Petrus tanquam obnoxius errori alicui aut lapsui, verè & ex animo sit à Paulo reprehensus, an tantùm secundũ simulationẽ quandam & compositionem.

Igitur quantum ad priorem quæstionẽ. Augustinus contendit legalium obseruationem, mox post Christi mortem illo dum taxat tempore, quo gratia Euangelij nondum diuulgata erat, fuisse licitam Iudæis, modò nespem salutis in eis collocarent. Distinxit siquidem triplicem temporis differentiam, vt legalia ante Euangelium fuerint viua, mox à morte Christi mortua quidem, sed non mortifera: Demum Euangelio diuulgato eadẽ omnibus fuerint mortifera, tam Iudæis quam gentibus. Hanc autem sententiã cofirmat, partim ex eo quòd sacræ Scripturæ passim testentur, Petrum & Paulum obseruasse à morte Christi vetera Sacramenta, partim vt discriminis aliquid esset inter sacrificia Iudæorum & Gentium, ne illa, quæ prioribus temporibus in vmbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tanquam idololatriam gentilium damnare viderentur, si statim ea relinquere cogerentur. Hieronymus verò duplicem tantùm faciens temporis differentiam, alteram ante mortem Christi, alteram post mortem Christi, prorsus contendit à morte Christi, per quam facta est legis impletio, legis ceremonias non solùm mortuas, sed & mortiferas fuisse: proinde nunquam nisi per dispensationem, id est, nisi per quandam simulationem siue per quandam dissimulationem potiùs, qua occultabant suam

sententiam, sese ad captum & imbecillitatem Iudæorum accommodantes, obseruasse Apostolos legis ceremonias, præsertim vbi iam edocti essent, quòd per mortem Christi sublata esset lex. Hanc sententiam nititur multis Scripturis confirmare, quæ partim testantur legis Sacramenta vmbras fuisse, imagines, exemplaria gratiæ illius, quæ per mortem Christi est præstita & exhibita. Vmbram enim habens lex, &c. ad Hebræos 10. Gratia & veritas per Christum facta est, Iohan. 1. partim quæ testantur Christum adimpleuisse legem: finis enim legis Christus, ad Romanos 10. Non veni soluere legem, sed adimplere Matth. 5. Confitetur ergo vterq; & Hieronymus & Augustinus, Apostolos mox à Christi morte verè exercuisse ceremonias & sacramenta legis, sed Augustinus contendit illos ea seruasse animo legis obseruandæ: Hieronymus verò non nisi per dissimulationem quandam œconomicam siue dispensatoriam, quod non est verè obseruare legem, sed ob aliam aliquam causam quàm obseruandæ legis id exercere, quod lex iubet.

Porro si harum rationum vtrinque propositarum collatio fiat, videri possit Hieronymi quàm Augustini sentẽtia magis probabilis, & Scripturis cõformior. Cum enim veterum sacramentorum obseruatio, prænunciatio gratiæ Christi fuerit, & ob id fuerint à Deo per Moysen instituta vt gratiam Christi prænunciarent, videri posset ipsi sacramentorum illorum institutioni prorsus repugnare, vt posteaquàm exhibita est res per illa significata, obseruarẽtur, vt sunt à Deo instituta. Videtur enim huiusmodi obseruatio falsam continere significationem. Quòd si dicas ea per mortem Christi amisisse officium significandi, sicut & vim obligandi, certe ea obseruare amisso officio significationis, non est legem obseruare. Hæc de necessitate legalium: nunc de intellectu textus Apostolici. Hieronymus igitur sicut Paulum, ita & Petrum liberat ab omni peccato: Petrum negat aliquid egisse quod reprehensionem Pauli merebatur, quippe cùm Paulus ipse aliquoties legis ceremonias exercuerit, ob Iudæorum seditionem vitandam. Quare sentit hanc reprehensionem Pauli, quam hic locus continere videtur, accipiendam esse non ex animo, sed ex composito factam. Quòd si dicas Petrum ob id peccasse, & Pauli reprehensione dignum fuisse, quòd ex eius dissimulatione scandalum gentibus natum sit, quid dices de scandalo quod apud Iudæos infirmos oriturum erat, si Petrus se illis non accommodasset? & à gentibus se segregasset? Quare cum Petro fuerit ex cõcredito Apostolatu negotium agendum Iudæorum, videri possit non posse imputari Petro scandalum gentium, quo redemit scandalũ Iudæorum. Neque vero admodum consentaneum videtur, quòd Petrus à gentibus se subduxerit ob aduentum Iudæorum, non expositis satis Gentibus causa quare id faciat, deinde acerba hæc Petri reprehensio potuit graue offendiculum parere apud auditores, si quid omnino peccatum erat à Petro? Pauli tamen officium fuit. Petrum apostolorum principem priuatim & cum modestia reprehendere. Augustinus vero Ambrosium secutus, qui & ipse in hoc argumento à Græcis dissentit, prorsus contendit Petrum peccasse non quia obseruabat consuetudinem Iudæorum, sed quia gentibus volebat imponere, atque huius suę sententiæ potissimum producit autorem Paulum, qui dicit se in faciem Petro restitisse Antiochiæ, item Petrum fuisse reprehensibilem, rursus Petrum non rectè ad Euangelij veritatem ambulasse, denique Petrum coẽgisse gentes, vt Iudaizarent. Atque si hic quoque fiat rationum comparatio, magis fortasse videatur Augustini quàm Hieronymi sententia probabilis, hoc dico sequendo versionem nostram: nam Græcus textus parum facit pro Augustino quemadmodũ in expositione patebit.

Cùm venisset autem Cephas Antiochiã.) Pergit adhuc vrgere, quod non aliud Euangelium doceat sed idem prorsus quod Petrus: expostui inquit vobis quid actum sit in ea communicatione quam habui cum Apostolis Hierosolymis, nunc exponam vobis quanta libertate gratiam Euangelij, quam gentibus prædico, tutatus sum Antiochiæ, etiam cum nonnulla Petri reprehensione, quæ ab ipso patienter tolerata, certè coarguit meam doctrinam nunquam fuisse ab Apostolis improbatam. Cùm venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti. Græce est κατὰ πρόσωπον, id est, iuxta faciem, vel in facie. Sensus est: ausus fui palam & in conspectu omnium, Petro contradicere eius factum improbando, & ipsum obiurgando non quidem procacitate aliqua, sed cogente necessitate, vt omnes illius obiurgatione sanarentur. Non enim satis erat, errorem, qui palam noceret priuatim sanari, sic Augustinus. Hieronymus verò cùm non videret quid nam posset iure in Petro reprehendi, liberans ipsum ab omni peccato, interpretatur ad hunc modum. Restiti ei iuxta faciem, id est, non ex animo sed ex composito, & communi consilio: cùm enim videremus hanc simulationem, quæ propter Iudæos erat necessaria, vrgere in gentium periculum, placuit nobis ex communi con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consilio, vt Petrus pateretur aduersus suam simulationem, quæ reprehensibilis non erat, me disputare, vt per dispensatoriam illam reprehensionem corrigerentur Iudæi, qui longè alia de causa legem seruabant quàm Petrus, & gentium scandalum tolleretur. Ad eundem modum interpretatur Chrysostomus. Quod dicit κατὰ πρόσωπον, id est, iuxta faciem, perinde est ait, quasi dixisset in speciem non reuera restiti, vel reprehendi: sed schema tantùm eius rei siue speciem exhibui. Pro hac interpretatione imprimis facit locus qui est in Epistola 2. ad Corinth. 10. Quę secundum faciem sunt videte, id est, videte quæ habent ostentationem potiùs quàm rem. Rursus qui est in eadem Epistola cap. 2. Vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde, quod constat esse hypocritarum. Pro altera expositione facit locus, qui est 2. Cor. cap. 10. Qui secundum faciem quidē humilis sum inter vos absens autem, &c. Quia absens opposuit præsentibus. Illud (secundū faciem) idem est quod præsens, siue in præsentia. Rursus ille qui est Acto. 23. Non est Romanis consuetudo damnare hominem aliquē nisi is qui accusatur præsentes habeat accusatores, pro eo quod interpres dixit, presentes, Græci habent κατὰ πρόσωπον, id est, (ad verbum) secundum faciem, vel in facie, id est, in præsentia siue coràm. Quantum igitur ad istam particulam, Scriptura relinquit nos dubios.

Quia reprehensibilis erat,) id est, reprehensione dignus: Id enim sonat vox Latina, restiti ei quia factum ipsius merebatur reprehensionem: sic Augustinus. Verùm si reprehensibilis, ergo peccauit Petrus, ergo & verè reprehensus à Paulo. Hoc argumentum concludit, si retineamus lectionem quam habemus, & exponamus vocem ipsam vt sonat. Sed sciendum, locum hunc variè legisse veteres. Augustinus vt diximus legit reprehensibilis, Ambrosius, reprehensus, non reprehensibilis, & exponit reprehensus, scilicet à veritate Euangelica, cui factum hoc aduersabatur: quæ interpretatio licèt aduersetur Hieronymo, non tamen ipsum vocabulum, vt ex ijs quæ mox subijciemus, patebit. In textu addito commentarijs Hieronymi & in ipsis commentarijs est reprehensibilis, verba eius in commentarijs sunt hęc. Quod autem ait, reprehensibilis erat, propterea inediæ temperauit, vt intelligamus non tam à Paulo eum fuisse reprehensibilem, quàm his fratribus, cum quibus antè edens, se ab eis postea separauit, quia addit, à Paulo & fratribus, omnino verisimile est mendum esse, & pro reprehensibilis legendum reprehensus, sed & pro vocabulo inediæ fortasis legendum est mediè, quasi dicat reprehensus erat dixit mediè, vt intellectui sit liberum, reprehensum vel à Paulo, vel ab alijs. Certè Græci codices qui hodie habentur in manibus, constanter legunt reprehensus, atque eam lectionem fuisse in ita Græcis exemplaribus etiam tempore Chrysostomi, ex ipsius commentario manifestum est: habet enim ad hunc modum non dixit reprehensus à me, sed reprehensus simpliciter, haud dubium quin ab alijs: nam id aliunde subaudiendum est. Istud paulò expressiùs dixit Oecumenius: Reprehensus inquit erat non iusta de causa neque à Paulo, qui dispensationem nouerat: sed ab his qui ignorabant œconomiam. Verùm licèt, quasi certum sit Apostolum vsum participio præteriti temporis, magna tamen quæstio est num sit merus græcismus, an potiùs Hebraismus, hoc est, num illa phrasis hoc loco sit, quæ in 2. Regum cap. 1. Saul & Ionathas amabiles & decori valde: Illud amabiles, Hebræis non nomen est, quemadmodum Latinis: sed participium nisal, id est ver bi passiui, vnde Septuaginta seruantes Hebraismum verterunt amati vel dilecti, cùm interim sensus sit quem reddidit noster interpres. Sic Psal. 149. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, &c. Illud mirabilia rursus Hebræis est participium nisal. Rursus quod toties habemus in Psalmis, Magnus Dominus & laudabilis nimis, ad verbum in Hebręo est, laudatus nimis. Cùm sint ergo tot loca, in quibus participia passiua significationem habent nominum desinentium in bile, non est mirum si Paulus etiam hoc loco sic vsurparit participium: imò Hebræis est planè perpetuum, vt quod nos per nomen in bile, ipsi significent per participium passiuū. His accedit quòd reprehendere est verbum transitiuum, à verbis autem transitiuis secundum regulam Heliæ leuitæ, non fiunt verbalia huiusmodi siue nomina formalia, quæ significent accidens vt est in subiecto: sed quoties rem hanc significare volunt Hebræi, vtuntur participijs, ac proinde distinguunt inter participium, quando accipitur vt participium, & quando accipitur vt nomen. Quando accipitur vt participiū, tunc significare voluntactum: quando verò accipitur vt nomen, dicunt significare habitum: Suscitans à terra inopem, est voce non significatione participium: perpetuum enim aliquid significat. Sic Gen. 23. Appendit Abraham pecuniam quam postulauerat Ephron. 400. siclos probatæ monetæ publicæ, ad verbum in Hebræis est. 400. siclos argenti transeuntis per mercatores, vbi mercator Hebræis participium est, sed vocetantùm

Ista contra Hieronymum loca, vtrum sustineri queant, diligenter expende.

tantùm non significatione: nam intelligitur habitus, pro eo qui gerit hoc officium semper, non est improbabile nostrum interpretem sic intellexisse, & plus aliquid vidisse quàm viderit Chrysostomus, aut Oecumenius. Si merè Græcè locutus est, tunc sensus iste est, quia reprehensus erat, id est, quia cœperant eum iam gentes reprehendere, quòd non satis constans sibi, modò gentibus se admiscens, videretur significare legem non esse necessariam: modò ab eisdem se segregans, videretur significare sine legis obseruatione gentes fugiendas tanquam adhuc immundas.

PRiùs enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat. Cùm autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.

PRiùs enim quàm venirent quidam, &c.) scilicet Iudæi legis æmulatores, hoc intelligitur ex eo quòd venisse eos dicit à Iacobo: hic enim Episcopꝰ erat Hierosolymitanus, & quantum ex Actis colligitur, ceremonias legis seruabat. Priusquam ergo hi venirent Antiochiam, ipse Petrus negligens legem, consuetudinem agebat cum gentibus vsq; adeò, vt cum eis sine delectu & discrimine quibuslibet cibis vesceretur, palàm testans gentibus legis obseruationem necessariam non esse. Cùm autem venissent, subducebat se à gentium consuetudine & commercio, non vtens communi mensa, nec alijs vetitis per legem: vnde perturbatæ gentes, quę huius consilij causam ignorabant, cœperant reprehendere Petrum, tanquam non satis sibi cōstantem, & hæsitare, num ab illis tanquam immundis adhuc segregaret, & proinde num lex esset suscipienda: quod non fecit Petrus, vt seruaret legem, vel vt declararet gentes incircumcisas tanquā immundas, esse vitandas: sed quòd timeret Iudæos, hoc est quod dicit (*timens eos, &c.*) Chrysostomus vbi aggreditur huius loci expositionem, multis id agit, vt ostendat Petrum non timuisse quomodo timemus periculis nostris, hoc est, quomodo timet is qui non audet confiteri fidem, ne veniat in discrimen: sed timuisse ne scandalum paterentur Iudæi, qui à Iacobo venerant, ne videntes eum vti cibis in lege vetitis, putarent eum parum constantem, vt qui aliud in Iudæa faceret, aliud cùm esset apud gētes. Timuit ergo affectu charitatis, ne Iudæi conuersi offenderentur, neue deficerent à fide semel susceptа, vel certè ne turbationem aliquam, excitarent. Quod ad timorem attinet, non est controuersia cum Augustino.

ET simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

ET simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, &c.) Græci addunt (α) consenserunt & cæteri Iudæi. Ad verbum reddidit Erasmus: & simulabant vna cum eo cæteri quoque Iudæi. Sensus est: Petri exemplo prouocati cæteri quoque Iudæi, qui antea quoq; cum Petro commercium habebant cum gentibus, abstinuerut se à gentilium commercio, & legis ceremonias obseruârunt per simulationem siue per hypocrisin, id est non quidem hoc animo vt legem obseruarent, sed vt idem agentes quod Iudæi, dissimularent cognitam veritatem de abolita lege.

Ita vt Barnabas, &c.) eò progressum est Petri exemplum, vt Barnabas quoq; meus apud gentes collega, duceretur in illorum simulationem. Apertè hoc loco Apostolus Petro tribuit hypocrisin, sed per catacresin, quæ figura non habentibus nomen suum accōmodat quod in proximo est, & quemadmodum in Petro erat hypocrisis seruandæ legis, ita in Paulo (iuxta Hieronymum) erat hypocrisis correptionis, & hanc vtriusque hypocrisin Hieronymus dispensationem appellat, vocat etiam prudentiam in hoc adhibitam, cùm à Petro tum à Paulo, vt clàm tecteq; prodessent audientibus. Eandem rem Chrysostomus Oeconomiam vocat: vocat etiam gnomin & synnesin, quæ fuut species prudentiæ. Neuter tamen neq; Petrus neq; Paulus dicendus est verus hypocrita, cum defuerit voluntas in vtroq; & intentio simulandi, in qua formalis ratio hypocrisis consistit.

SEd cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis Iudaizare?

SEd cùm vidissem quòd non rectè ambularent, &c.) vox Græca quam interpres vertit non rectè ambulare, significat propriè claudicare, & non sano gressu incedere. Hieronymus in epistola aduersus Pelagium, item in commentarijs huius epistolæ vertit, non recto pede incedere. Istud contra Hieronymum, valde vrget Augustinus secundum quem sensus est: Cùm animaduertissem quòd Petrus & reliqui Iudęi claudicarent ad defensionem veritatis Euangelicæ, hoc est, quòd non satis in declaranda & defendenda veritate Euangelij firmi essent & constantes: sed tanquam claudicantes & vacillantes, modò gentibus se iungerent, & legem negligerent: modò

contrà,

Universidad de Deusto
Biblioteca

contrà, à gentium commercio abstinerent, & cum Iudæis legem obseruarent.

Dixi Cephæ coram omnibus, &c.) Cephæ, id est, Petro tanquam qui author fuerat huius simulationis noxiæ gentibus, vt Petro tanto viro correpto, cæteri Iudæi tam qui erant in illam simulationem adducti: quàm qui à Iacobo venerant, corrigantur. Si tu ô Petre, qui natura Iudæus es circumcisus à parua ætate, & custodiens præcepta legis, nunc sciens ea per mortem Christi abolita nequaquam vt antè, legem seruas: sed indifferenter vteris quibusuis cibis, & communi mensa cum gentibus: quomodo eos qui ex gentibus crediderunt, cogis hoc tuo facto & exemplo tuo Iudæos fieri? & velle effici æmulatores legis? Dum enim nunc te ab eis subducis, illi ignari quam ob causam facias, interpretantur non ob aliam causam te ab eis subducere, quam quòd eos incircumcisos tanquam immundos, & contaminatos & per fidem Christi nondum iustificatos, censeas vitandos. Quare per tuam hanc simulationem ad id consilij compelluntur, vt velint circumcisionem & legem suscipere, vt iustificationem quam per fidem nondum sunt assecuti, per legem & circumcisionem accipiant. Si sequamur alteram sententiam, quæ est Hieronymi, tunc istud: Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent &c. referendum est, non ad Petrum sed ad cæteros hoc sensu: Cùm vidissem quòd Iudæi, quorum causa Petrus simularet se seruare legem, non rectè ambulabant in viam veritatis, sed in legis necessaria obseruatione nimis pertinaciter insisterent ex composito disputaui aduersus Cepham, & aduersus eius simulationem tanquam vrgentem in offendiculum gentium, non vt Petrum arguerem, sed vt hi quorum causa ea simulatione vti cogebatur, corrigerentur, & gentium scandalum tolleretur. Secundũ Chrysostomum qui in eadẽ sententia est, in qua Hieronymus, referuntur hæc etiam ad Petrum, sed per cathacresin: non sunt, inquit, reprehendentis ista sed schema est. Eodem modo Oecumenius: Quo intellectu dictũ est, simulabat, eodem, inquit, dictum est, nõ recto pede ambulabat: non enim vult detegere Oeconomiam.

Nos natura Iudæi, et non ex gentibus peccatores. Scientes autem quòd non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Nos natura Iudæi, &c.) pergit Apostolus agere cum Petro: nos, id est, tu Petre & ego, miscet suam personam, ne iniuriam ei facere videretur: Natura Iudæos dixit, ad discretionem proselytorum: Sic Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius, (*Et non ex gentibus peccatores*) id est, nos iuxta carnalem propagationem Iudæi, nõ ex impijs & prophanis parentib⁹ ethnicis progeniti, qui sine Dei cognitione & lege viuentes, nihil nisi peccatores erant: Secundũ Augustinũ alieno stomacho loquitur: Peccatorum nomen (inquit) gentibus imposuerant Iudæi iam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi iusti essent.

Scientes aũt quòd nõ iustificatur homo, &c.) Coniunctio (autẽ) non est in exemplaribus Græcis, nec est opus, nisi subaudias in superiori parte verbum, sumus, vt ita legamus: nos sumus nati Iudæi non autem ethnici peccatores, siue gens peccatrix, & tamen sic nati ex sanctis patribus sub sancta lege. (*Scientes quòd non iustificatur homo.*) Iustificare verbum forense est, significans pronunciare iustum, in qua significatione frequens eius vsus est apud prophetas. Apud Paulum verò non solùm significat pronuntiare iustum, verùm etiam iustum facere ex impio, vel in iustitia inchoata promouere. Opera legis apud veteres tam Græcos quàm Latinos, intelligũtur hoc loco opera, legi Moysi propria, hoc est ceremonialia opera, qui commentarius quibusdam minùs exactus videtur & plenus, propterea quòd nec operibus decalogi iustificetur homo: quare de tota lege Mosaica etiam morali, hi interpretantur Paulum. Sed sciendum, disputationem institutam esse contra Iudaizantes, qui gentes sub gratia fidei constitutas, constituere volebant sub oneribus legis, asseuerantes nihil prodesse Euangelium nisi circumciderentur, & cæteras carnales Iudaici ritus obseruationes subirent. Hi ergo quoniam potissimum vrgebant legem, ea parte qua ceremonialis est, etiam Apostolus dum meminit legis vel operum legis secundum rationem propositæ disputationis, intelligendus est accipere legem non pro tota lege Mosaica, sed ceremoniali tantùm, vnde & in consequentibus nominatim meminit circumcisionis & aliarum ceremoniarum legis, velut explicans quid nomine legis vel operum legis intelligat: atq; hæc causa fuit, cur veteres omnes Paulina ista verba tãtùm de ceremonijs intelligant, optimè interim scientes, gratis iustificari hominem, & nihil interesse quantum ad negotium iustificationis pertinet, inter opera legalia & moralia: sicut eruditè docet Augustinus de spiritu & litera cap. 13. item 14. & 15. (*Nisi per fidem Iesu Christi.*) Si quis velit vrgere verba, & secundum præcepta grammatices ea exponere, Sensus iste erit: Non iustificatur homo ex operibus legis nisi adiuncta fide. Quæ expositio

sitio cùm iustificationem tribuat partim operibus legis partim fidei, constat eã impiam esse. Nam certum est Paulum loqui de iustificatione impij, quæ prorsus gratuita est, & non de ea qua iustus auctior fit in iustitia: Sed & error Iudaisantium non in hoc erat, quod reijciebant fidem, sed quòd fide non contenti iungebant ipsi legis opera, timentes quòd fides non sufficeret. Contra quos cum disputat hic Paulus, certum est sensum loci huius non illum esse, quem iam diximus, cùm sic Paulus planè cum Iudaisantibus consentiret, nec inter ipsum & illos pugna esset. Cogimur ergo dicere Apostolum hoc loco nec latinè, nec Græcè, sed contra omnem grammaticam locutum, nisi fortè Hebræa phrasis sit. Hieronymus (*nisi*) impropriè accipit: explicat enim per (*sed*) non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. Ad eundem modum Græci accipiunt, & illum esse sensum edocẽt circumstantiæ, & ratio scripti. Verũ qua grammatica Apostolus (*nisi*) pro (*sed*) vsus sit non explicat Hieronymus. Erasm. annot. admonet nouam esse formã sermonis: vulgari modo dicendum fuisse, non iustificatur homo ex operibus legis, sed tantùm per fidẽ, nec hic explicat phrasin Apostoli. Hebræis familiare est negationes, quãdo præcesserunt in superioribus, in consequentibus negligere, & pro repetitis habere. Loca sunt in Psal. 1. Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum, vbi ad verbum in Hebræo est: Ideo non resurgunt impij in iudicio, & peccatores, &c. Rursus Psal. 9. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperis non peribit in finem, ad verbum est, patientia pauperis peribit in finem, affirmandi forma: Hieronymus, &. 70. interpretes ac vulgata editio addiderunt (*non*) quia sciebant subaudiri iuxta morem Hebræorum. Rursus Psal. 43. hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento, & non recessit retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras à via tua: In duobus prioribus consentiunt 70. interpretes, Hieronymus & noster interpres, hic non item: Nam noster interpres intellexisse videtur: vt non subaudiatur (*non*) ibi, Et declinasti semitas nostras à via tua: vbi secundum Hieronymum subauditur in Hebræo. Vertit enim sic: nec declinasti gressus nostros à semita tua, quod valde probabile est. Sunt enim preces Christianorum in persecutione, interprete Paulo ad Romanos. Cum Hieronymo consentiunt Rabbi Kymhi, & Rabbi Abraham, fieri ergo potest, vt hãc phrasin hoc loco, vt hebræus expresserit Apostolus, vt sensus sit. Non iustificatur homo ex operibus legis, non nisi per fidem Iesu Christi. Si ad hunc modum Intelligamus repeti (*non,*) vocabula (*nisi*) accipietur propriè. Si iam quæras anne ex propositione ista, homo iustificatur non nisi ex fide, rectè inferatur, ergo sola fide iustificatur: dicendum quòd sic: Si quæratur vlterius, an ergo admittenda sit hæc propositio. Sola fide iustificatur homo: Dicendum si intelligatur sola fide, id est, non adhibitis ijs quæ præparant, hæreticam esse propositionem, & nullo modo admittendam: Si verò accipiatur fides, vt non intelligatur exclusa præparatio per opera pœnitentiæ, veram esse propositionem: quamquam hac nostra tempestate catholici scriptores nullo modo illam ferant, putantes venenum esse in illa vocula (*sola*) & propterea abstinendũ. Veteres tamen non ita abhorrent à vocula (*sola*) sed nec Thomas abhorrere videtur: si qui, inquit, in veteri lege iusti erant, non erant iusti ex operibus legis, sed solùm à fide Christi, Verus sensus Pauli est, non nisi ex fide, nullis meritis: distinguit siquidem fidem contra opera. Et iustificari (*secundum ipsum*) ex operibus, est non gratis iustificari, quemadmodum dictum est in Epistola ad Roma. vbi etiam prolixè dictum est, quam vocet Apostolus fidem iustificantem. Hoc loco notandum, quòd in explicanda iustitia illa, ad quam concipiendam disponitur mens per fidem, dissentiunt catholici ab hæreticis. Catholici enim explicant iustitiam, quæ fide accipitur, esse non Christi iustitiã, qua Christi anima formaliter & inhærenter iusta est: sed esse donum gratiæ & charitatis propter meritum iustitiæ Christi infusum in mentẽ credentis, quo quidẽ dono mens quæ ante à Deo erat auersa, efficiatur Deo subiecta: Hæretici verò contendunt hanc non esse iustitiam aliquam inhærentẽ mentibus credentium, sed esse iustitiam Christi, quam per fidem imputatari dicunt credentibus, atq; ob hanc ipsis imputatã, credentes pronunciari apud Deum iustos. Quam sententiam solida & perspicua ratione conuellunt catholici demonstrantes iustitiam Christi, quæ est extra mentem hominis credentis posita, non posse intelligi facere hominem iustum. Quemadmodum enim ab externa prudentia aut temperantia, neminem propriè possis appellare prudentem, aut temperantem: ita ab externa Christi iustitia proprio sermone nemo iustus potest appellari. Non enim iustificari apud Paulum, idem est, quod pronunciari siue acceptari iustum: sed est effici & reddi ex iniusto iustum & pium, sicut ex fine capitis. 9. ad Roman. euidenter colligere licet, vbi pro eo quod tam frequenter supe-

Ad hoc caput circa illum locum. Et autem qui non operatur, &c

Universidad de Deusto
Biblioteca

riùs dixerat, fide iustificari hominem, posuit fide hominem apprehendere iustitiam, & peruenire ad iustitiam, Quare cum Scripturæ pronuncient ex fide siue per fidem hominem effici iustum, necesse est intelligere iustitiam, quam docent fide impetrari & obtineri, non esse externam iustitiam, sed iustitiam menti inhærentem, diuinitus datam, Fides Iesu Christi, est fides qua creditur in Iesum Christum: Phrasis peregrina est.

Et nos Christo Iesu credimus, &c.) Et hîc varia lectio: nonnulli codices habent in præsenti, credimus: alij, credidimus, in præterito. Græci constanter legunt in præterito, apud nos etiam participium, scientes, præteriti temporis est, Senius est: posteaquam didicimus, quod ante ignorauimus, & multi adhuc Iudæorũ ignorant, videlicet quòd non iustificetur homo ex operibus legis, etiam, si ea præster, sed tantùm ex fide, id est, per solam gratiam Christi absque vllis omnino operum meritis, & nos, id est, ego Paulus & tu Petre diffisi legi nostræ, & abiecta omni fiducia operum legis, ad fidem Christi confugimus, vt iustitiam quam lex dare non valuit, fides in Christum nobis tribueret. Vide Turnout de capti. & redempt. humani generis, pag. 287. iuxta impressionem Rescij. Ibi explicat quo sensu propositio hæc: tantùm ex fide, vel quæ apud veteres inuenitur, sola fide iustificari hominem, intelligenda sit: Sola fide, inquit, iustificari hominem, perinde est, ac si dicas, gratis iustificari hominem sine operibus tanquam meritis. Particula ergo sola excludit opera, quæ sunt iustificationis merita.

Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quòd si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores, nunquid Christus peccati minister est? Absit.

Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, &c.) id est, nulla caro iustificabitur: est enim hebraismus. Hieronymus tamen in commentar. non agnoscit hebraismum, sed accipit quasi esset Latinè aut Græcè dictum, vt intelligatur certa caro, non quæuis. Iustificabatur quondam, ait ex lege non omnis caro, sed tantùm hi homines, qui in Palestina erant, hoc est, Iudæi: sed sensum Pauli esse quem diximus, nulli dubium est, vt mirum sit Hieronymum dissimulare phrasin Hebræam: nam notissima est. & vbique obuia in sacra Scriptura, veluti ibi: Non facies omne opus seruile, id est: nullum. Item omnem viduam non affliges, id est, nullam. Hebraismus quoque est in voce iustificabitur, sumitur enim pro eo quod est, iustificari poterit: nam futurum tempus apud hæbreos potentiale est. Leuit. 23.

Ex operibus legis) id est, ex qualitate, conditione, dignitate seu merito operum legis. Si quis legem hîc & in præcedentibus accipere velit pro tota lege Mosaica, vt complectatur ipsum etiam decalogum, dicere poterit Apostolum disputationem ex ceremonijs ortam reuocare hîc ad generaliorẽ fontem, ad commendationem videlicet gratiæ, & reiectionem iustitiæ nostræ, vt generaliùs disputet, quam requirant ceremoniæ. (*Propter quod*) Græcè est διότι quam vocem interpres in Epist. ad Ro. cap 3. vertit, quasi putârit esse causalem: transtulit enim per, quia & hîc quasi illatiuam, quamquam id non omnino certum sit, cùm alibi (*propter quod*) abuti videatur pro quia. Si inspicimus præcedentia, non videtur locus esse illationi. Nam illud: non iustificabitur homo ex operibus legis, & istud: ex operibus legis nõ iustificatur omnis caro, idem pollent. Idem autem ex eodem inferri nequit. Respondẽt qui dicunt esse illatiuam particulam, præcedentia indefinitè dici, & propriè de Iudæis intelligi, hîc autem generaliter inferri: propter quod, id est, quare cum nos Iudæi per opera legis Moysi non possumus iustificari, sed tantùm per fidem: certè consequitur, vt nullus omnino possit iustificari ex operibus legis: quare haud quaquam gentibus quærenda est iustitia per opera legis. Sed contra istos est, quòd propositiones indefinitæ in Biblijs pro vniuersalibus capiantur. Erasmus accepisse videtur causaliter: vertit enim propterea quòd ex operibus legis, &c. Istud multò minus habet probabilitatis, cum hoc modo idem probaret seipsum, esseteq; petitio principij. Quare rectius exponunt illi qui accipiunt non, vt sit particula causalis vel illatiua, sed epiphonematica, quæ id quod præcesserit augeat, & confirmet, vt sit Hebraismus quemadmodũ Psal. 72. Quia inflammatum est cor meum, pro eo quod est planè inflammatũ est. Rursus. 76. memor fui operũ Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum: ad verbum est in hebræo, memor ero quia memor ero ab initio, quod Latinè diceret memor ero atq; adeò memor ero. Sic hoc loco Apostolus, vt omnino ex animo loqui videatur, idem repetit, quod antè dixerat per epiphonema, id est, acclamationem, quasi dicat prorsus vel vsq; adeò ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quæstio hîc est, an intelligatur istud de operib⁹ præstitis, an non præstitis. i. iã sensus sit: ex operibus legis nõ iustificatur omnis caro, quia nemo est qui ea præstat: an verò sensus ille sit: ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro,

nis caro, etiam si præstes ea. Quidam prius amplectuntur: alij posterius. Augustinus nunc de præstitis, nunc de non præstitis interpretatur: omnino videtur sensus Pauli esse, opera legis non iustificari etiam, si vel maximè præstentur.

Quod si quærentes iustificari in Christo, &c.) Quidam putant Paulum hîc relinquere Petrum, & agere cum Galatis. Chrysostomus rectè monet adhuc rem esse cum Petro, Similiter Hieronymus. *Quòd si*) est particula transitus, quasi dicat, cæterum: Cæterùm si ego & tu Petre quærentes iustificari, id est, remissionem peccatorum consequi, & iustitiam in Christo, id est, per fidem Christi. (quærere verbum studij est.)

Inuenti sumus & ipsi peccatores, sicut gentiles hoc significat illud (&) *Peccatores*) id est, iniusti, immundi, peccato obnoxij. Peccatum hoc loco non est vnius generis, complectitur & originale & actuale peccatum, quicquid contraximus antequam essemus iustificati. Inuenti sumus phrasi Hebræa dixit. Sensus est: si ipsa re ita compertum est.

Nunquid Christus peccati minister est?) id est, occasio cur peccatum cùm videretur auferri, tamen non sit ablatum? Christus solet dicere, fides tua te saluum fecit, Iuxta Iudaizantes aliâ re opus est iustificante, ergo occasionem dedit falsæ fiduciæ, & peccatum adhuc manet, quod putabatur ablatum.

Locum hunc conferre oportet cum capite. 6. & 7. ad Romanos: vbi peccatum pro persona accipitur, non pro re: Item cum capite. 3. Epistolæ posterio. ad Corinthios, quemadmodum ibi mors, damnatio, iustitia habent prosopopœam siue fictionem personæ, sic hoc loco peccatũ. Sensus enim est: Christus inseruit peccato tanquam minister: bene meretur de peccato conseruãdo ipsum in nobis, quippe qui abducat à lege & circuncisione ad fidem, cum non per fidem, sed per legem sit iustificatio. Hûc sensum apertissimè habet Diuus Hieronymus cuius verba sunt, Si nunc à gentibus recedendo hoc agimus, vt quicunque circumcisus non fuerit, immundus sit, ergo fides in Christum in qua putabamus saluari, magis est peccati ministra, quam ipsum tollit, cùm auferat circuncisionem, quam qui non habet, immundus est, (*Absit*) abominantis est.

Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me constituo. Ego enim per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci.

Si enim quæ destruxi, iterum ædifico) est alius Argumentum inductum à Paulo, ad ostendendum non oportere reuocare legẽ. Quare particula (*enim*) non pertinet ad proximè præcedentia. *Si* quæ destruxi, iterum hæcædifico, sic est Græcè, non autem reædifico (*præuaricatorem me constituo*) id est, ostendo, declaro, significo, Græcè enim συνίστημι cuius significationem vide apud Budæum in annot. linguæ Græcè. Sensus est, magisterio Christi legem semel deserui, si redeo ad eam, illam obseruans, declaro ipsa re quòd sui præuaricator aliquot annis, illis nimirum quibus posthabui legem,

Ego enim per legem legi mortuus sum.) Est tertium argumentum, quare illud (*enim*) referendum est non ad proximè præcedentia, sed ad id quòd lex non sit repetenda. Commentarij hîc varij sunt. Quidam explicant ad hunc modum (*ego per legem*) scilicet fidei gratiæ & Euangelicam (*legi*). s. Moysi (*mortuus sum.*) Quæ interpretatio alijs non placet, eò quòd Paulus dum absolutè ponit legem, vsurpet pro lege Moysi, non pro lege Christi, non pro Euangelica: Quare malũt in hunc modum intelligere: per legem. s. Moysi, legi mortuus sum per legem, inquã, Moysi spiritualiter intellectam illa mihi author est, illa docente relinquo legem.

Lex enim Moysi spiritualiter intellecta: docet se non esse perpetuam, clamat quòd veniente Messia cessabit, & desinet habere vigorem. Secundum istos semper lex eodẽ modo sumitur, & eadem res est. Lex quando ponitur absolutè sine aliqua restrictione, tunc semper accipitur pro lege veteri seu Mosaica: quando vero additur ei restrictio, vt lex spiritus, accipitur pro lege Euangelica. Potest etiam hic esse sensus: ego per legem Moysi, supple mortuam, legi mortuus sum: quia illa mortua est, ego vicissim illi mortuus sum. Iste sensus valdè probabilis esset, si constaret quod putant quidam, Epistolam ad Galatas esse compendium Epistolæ ad Roma. Illud (*legi mortuus sum*) quid sibi velit, intelligitur ex cap. 6. & 7. ad Roman. perinde valet ac si dixisset, desij illi esse obnoxius. Secundùm veteres qui legem accipiunt pro lege ceremoniali, nulla hic est difficultas: secundùm eos vero, qui nomine legis comprehendi putant etiam decalogum, difficultas magna est, quo sensu dicãtur credentes mortui legi: dicendum est ipsos non obligari lege, etiam quatenus lex complectitur decalogum, si respicias certos affectus. nempe detinere sub se seruiliter facere abundare peccatum, accusare, condemnare.

Mortuus sum ergo legi, ne sub ea viuam tanquam exactore, quasi pressus eius imperio, sed liberali animo ac spontanea indole

Universidad de Deusto
Biblioteca

facio,quæ præscribit lex ea parte qua naturalis est.Illud (*vt Deo viuam*) quidam referunt ad sequentia,hoc modo : Vt Deo viuam,Christo confixus cruci. Latini omnes referunt ad præcedentia,hoc modo :liberatus sum à seruitute legis veteris, quæ posita est in multiplicibus & obscuris ceremonijs, rursus à conditione vitæ illius quam sub lege veteri agebam, siue à seruili illa qualitate,qua formidine pœnæ faciebam quæcunque faciebam ,ab hoc inquam statu exemptus sum,hoc fine vt viuam deinceps nec legi,nec proprijs concupiscentijs & desiderijs,quæ per legem efficacia erant, sed Deo non iam tanquam vindici & exactori, sed tanquam bene merito Patri : hactenus lex fuit mihi principium motus ac vitæ , post hac Deus erit per Spiritum Filij sui : hactenus non sum mœchatus, quia lex incutiebat timorem,& minabatur pœnam,iã longe alio ducor spiritu. Diligenter obseruandum,quòd viuere Deo opponat viuere legi:legi autem viuit, quisquis timore pœnæ præstat legem.

Christo confixus sum cruci, & cætera.) Phrasis propriè Græca est , Latinus diceret vna cùm Christo affixus sum cruci : Quemadmodum in Epistola ad Rom. cap.6.à morte ad sepulturam,sic hic à morte ad crucem delabitur propter viciniam rerum,ibi probatio est,hîc dubium est an sit probatio,an potiùs eiusdem rei repetitio. Sensus est, quantum pertinet ad veterem hominem, cum Christo crucifixus sum per Baptismũ, scilicet,vetus homo ille per Baptismum seu vim Baptismi interemptus non hoc valet iam quod solet.Hunc esse sensum colligere licet ex capite .6.ad Romanos: vbi post mẽtionem Baptismi sic ait : Vetus homo noster simul crucifixus est: vt destruatur , id est,euacuetur corpus peccati,vt desinat habere vigorem suum, vt vltra non seruiamus peccato.

Viuo autem, iam non ego : viuit verò in me Christus. Quòd autẽ nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Viuo autem ,iam non ego, viuit vero in me Christus.) Loco (*autem*) Erasmus ponit (*tamen*) Sensus est : Christo confixus sum cruci,viuo tamen, imò viuo iam non ego, non vetus ille homo , sed viuit in me Christus,ille solus efficax est,& vrget in me:Concitat quidem vetus homo motus suos, sed nihil valet,quia nõ præbeo illi consensum. Ex hoc loco discimus opera iustorum, non tam ipsorum esse quàm Christi siue Spiritus Christi inhabitantis mentes ipsorum : quare nihil mirum, si illa dicantur digna vita æterna.

Quòd autem nunc viuo in carne, &c.) id est, vita illa mortali.(*In fide viuo filij Dei*) (*in*) quidã, propriè accipiunt,alij pro (*per*) quod non est infrequens apud Paulum , vt sensus sit.Quòd viuo, quòd Deus non patitur me interire,hoc fidei debeo:nam sine fide dignus eram qui immergerer in infernum.Expositio hæc non caret scrupulo. Præcedentia videntur alium expetere sensum , hunc scilicet:Quòd autem nunc viuo,scilicet illa vita memorabili , vita coram Deo, interea etiam dum in carne hac misera & infelici,& & corruptibili ago,hoc fit in fide,id est,per fidem filij Dei,illa facit vt contemptofomite auferetur spiritui. Pro hac expositione facit locus qui est posteriori Epistola ad Corint.cap.10.Quidam arbitrantur quod nos tanquam secundum carnem ambulemus, quasi quæramus honorem nostrum, sed longè secùs res sese habet:In carne enim ambulantes,non secundùm carnẽ militamus.Secundùm istam expositionem istud, (*in carne*) est tacita aduersatiua.In carne, scilicet licèt sim. Pro altera expositione facit locus,qui est in epistola ad Philip.capite .1. Quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est,& cætera , vbi viuere in carne est viuere hac vita mortali.

Qui dilexit me) scilicet vltronea sua voluntate nihil tale promerentem,(*& tradidit semetipsum pro me*) id est, pro peccatis meis, vt illa per victimam suam aboleret,& reconciliaret me Patri.Hunc esse sensum patet ex salutatione huius Epistolæ. Cùm hæc ita se habeant,cum habeam suauissimum Spiritum Christi,quo ducor ad omnia facienda,quæ requirit Deus,idque corde magno atque animo volenti, quorsum opus est lege seruiliter impellente, siue seruili metu constringente:Istud est argumentum Pauli & est verissimum,sed à paucis intelligitur, tum propter phrasim maximè remotam ab vsu loquendi : nusquam enim inuenitur in tota Scriptura mori legi,nisi apud Paulum: tum propter nos ipsos qui sentimus tales affectus in nobis,quales sentiebat in se Paulus : quia multùm adhuc viget in nobis fomes,& seruilis illa qualitas. Chrysostomus in hoc tertio argumento multa populariter dicit, negat interim hæc cuiuis competere,sed propria esse Paulo :quod verum est aliquo modo, sed si quis velit agere interpretem,sic interpretari debet : vt in Paulo quiuis renatus accipiatur. Si enim de se loquens ageret Paulus nihil hæc pertineret ad præsentem disputationẽ. Quare vnusquisque apud se consideret, an hæc in se expe-

riatur, an fides in ipso efficiat, vt peccatum non abundet, vt concupiscentia non trahat ad peccatum mortale, vt solus Christus vigeat,non fomes: quod si sentiat,agat gratias,si non sentiat aut parum admodum sentiat,oret,ambiat : quia si regnum cœlorum est in hoc mundo, hac in re positum est.

Non abijcio gratiam Dei : Si enim per legem iustitia,ergo gratis Christus mortuus est.

Non abijcio gratiam Dei, &c.) illam de qua iam philosophatus sum , magnum istud beneficium Christi,quod faciunt qui ex lege quærunt iustitiam. Amb. legit.non sum ingratus gratiæ Dei. Augustinus verò, non irritam facio gratiam Dei, est epiphonema tertij argumenti.Illud siquidem (*scientes quoniam non iustificatur homo, &c.*) non est propriè argumentum , sed refertur res nota.

Si enim per legem iustitia) scilicet contingat ergo, &c. dubium an sit quartum argumentum,an declaratio conclusionis. Sensus est : si per legis opera potest iustificari quispiam,consequitur quod Christus gratis,id est, frustra, sine iusta, & idonea causa mortuus sit.Sed nemo tam demens est apud credentes,vt dicat Christum gratis mortuum,quarè consequitur per legem non esse iustitiam,iustitiam, inquam, quæ apud Deum est.Est ratiocinatio ab impossibili.

CAPVT III.

Insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati,ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus?

HActenus aduersus pseudoapostolos calumniatores tutatus est suam authoritatem,& veritatem à se prædicati Euangelij defendit , simulque per occasiouem controuersiæ,quæ incidit cum Petro, ostendit Apostolus ex lege non esse iustitiam : nunc ad Galatas sermonem conuertit, docens semel fidem in Christum professis nihil opus esse lege & circuncisione : Stultos autem vocat partim quia natura rudiores erant, nempe ex ferocibus Galliæ seu Galliarum partibus oriundi,partim quia à melioribus exorsi , ad peiora sine certa ratione delapsi erant,Fascinare dicuntur Latinis, qui aspectu malefico lædunt.Vox Græca qua vtitur Paulus significat & inuidere, & hanc significationẽ accipi Chrysostomus intelligens inuidia motos quosdam, voluisse Galatas ad legis seruitutem reuocare. At Paulus videtur hoc verbum vsurpare pro eo quod est incantauit,& oculis quasi præstigijs imposuit: ἐβάσκανε enim Græcis dictum est ab eo,quod est per oculos nocere, & de oculis delusis sentire videtur Apostolus , quod propemodum testantur , ea quæ sequuntur.

Ante quorum oculos Christus Iesus præscriptus est, &c. Fascinum autem pueris potissimum creditum est nocere. Sensus ergo est:Quis inuidus vos, qui nuper in Christo renati estis,& lacte nutriti hactenus, ludificatus est & incantauit,id est, Quisnam oculos mentis vestræ sic potuit perstringere suis præstigijs, & iudicium mentis sic peruertere,vt veritatem fidei quam semel ritè amplexi estis, desereretis, & recideretis in Iudaismum,vos inquam ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est,vel (vt alij legunt)proscriptus,id est, quibus per meam prædicationem sic est depictus Christus,& omnibus ob oculos expositus tanquam inter vos esset crucifixus, vt multò certiùs illum fidei oculis sitis contemplati , quàm qui illum coràm viderunt clauis cruci affigi:Sic Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius: Est enim Græcè προγράφω: γράφειν autem ipsis scribere et pingere significat, ex actis discimus omnes ferè conciones Pauli habuisse crucem, & resurrectionem Christi,& adeò viuæ erant, vt instar picturæ expressæ in tabula Christum proponerent:illud (*& in vobis crucifixus*) redundat: græca non habent,in multis quoque Latinis non reperitur, non est in Augustino, neque in Ambrosio,sed coniunctim legunt hoc modo:Ante quorum oculos Christus in vobis est proscriptus, crucifixus. Aliter tamen Augustinus exponit quàm Græci, secundùm quos vt diximus hic est sensus : quorum oculis veluti depictus in cruce pendens exhibitus est.Secundùm Augustinum sensus est iste: Quisnam potuit vos qui semel veritatem fidei rectè edocti estis, sic fascinare & illudere seu decipere, vt Christum in quem credideratis rectè proscriberet & abijceret è sua possessione, id est, ex vobis, quam possessionem ipse sibi comparauit cruce & sanguine suo benedicto. Vel secundùm Ambrosium, vt Christum ceu purum hominem,& ineffacem ad iustificandum iam palam proscribatis, damnetis, & à vobis reijciatis crucem ipsius. Aliter adhuc Hieronymus: Ante quorum oculos Christus præscriptus,id est,antescriptus est,scilicet à prophetis, hoc est,qui non solum ex Euangelio noueratis Christum,sed qui ex prophetis quoq; quos ante Euangelium legeratis, Christum noueratis : sed non est verisimile Galet. mul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tùm legisse prophetas. Quare expositio illa non admodum probabilis est: græcorum expositio sicut simplicissima, ita maximè germana videtur: quamquam & eam quam Augustinus tradidit & item Ambrosius, admittat nõ solùm latina verùm etiam Græca vox προεγράφη.

HOc solùm à vobis volo discere: ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Tanti passi estis sine causa? si tamen sine causa.

HOc solùm à vobis volo discere, &c.) nolo apud vos, qui rudiores estis, sublimioribus vti argumẽtis, vt ostendam nihil opus esse circuncisione & alijs operibus legis, ijs qui fidem Christi amplexi sunt: sed illud vnum interrogare libet, quod promptum est, & per experimentum vobis cognitum, (nam id vnum satis erit ad reuincendam stultitiã vestram) vnde contingit vobis spiritus ex operibus legis, id est, ex circuncisione legis & alijs ceremonialibus obseruantijs, quas præscribit lex Moysian ex auditu fidei, id est, an ex eo quòd audistis fidem, ita quod crederetis concionibus, & præberetis vos Euangelio. Certè cùm ex gentibus sitis ad Christum conuersi, & ante pseudoapostolorum aduentum de lege ne audieratis quidem, constat quòd non ex operibus legis, sed ex fide spiritum accepistis. Spiritum hoc loco accipere, est accipere Spiritum sanctũ illa visibili ratione, qua in die Pentecostes effusus est.

Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis.) Interpres quòd hic vertit (stultos,) in principio capitis (insensatos) vertit: græcis idem vocabulum est. Plane inquit proditis stultitiam vestrã o Galatæ in hoc, quòd cùm cœperitis præsidijs spiritualibus fide & obedientia, præbendo corda vestra in obsequium fidei, nunc carne consummamini, id est, carnalibus præsidijs, circuncisione, obseruatione dierum, &c. Tam insignia dona contigerunt ad fidem sine præsidio legis quare iam fugitis ad legis obseruationẽ: quę est hæc stultitia: Notandum est, quòd dixit Apostolus, consummamini & non consummatis, quod fecit vt significaret ipsos pati pecudum ritu à pseudoapostolis, hoc est, quòd pseudoapostoli more ouium ipsos circumcidebant, nescientes quidem quid paterentur, vnde & stultos illos appellat.

Tanta passi estis sine causa, & cætera.) Graues sanè persecutiones passi estis pro fide, & fortiter omnes superastis, & tamen omnes has sine fructu passi fueritis, si à Christi gratia & fidei efficacia recedentes ad legem prolabimini. Sed confido quòd non sine causa has afflictiones toleraueritis, sed quòd Dei beneficio resipiscentes, abiecta lege vel fiducia legis ad efficaciã fidei redibitis, hoc est quod dicit, (*si tamen sine causa*) quasi dicat, in vobis est, vt non fueritis hæc passi sine causa, nimirum si per pœnitentiam redeatis.

QVi ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

QVi ergo tribuit vobis, &c.) Tribuit, secundum Hieronymum præsentis temporis est. Sensus est: ergo Deus qui sicut ab initio vobis impartijt spiritum, & operatus est per eum virtutes in vobis: ita nunc quoque, postquàm à veritate excidistis, non deserit vos, sed adhuc administrat spiritũ per quem operatur virtutes, vnde illud facit: ex operibus legis an ex fide id facit, & non ex operibus legis, volens vos per fidem consummare, sicut ab initio vobis largitus est ex fide iustitiam. Apud Græcos autem ea possunt esse præteriti temporis: sunt enim participia quæ possunt esse vel præteriti vel præsentis temporis. Qui ergo suppeditabat spiritum & operabatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei, supple id faciebat: certe ex fide.

Sicut scriptum est, &c.) Græca non habent scriptum est, nec omnia latina habent: Quare verisimile est redundare. Hieronymus legit sicut Abraham credidit Deo, &c. nec apparet aliter legisse Ambrosium. Exemplum igitur adduxit Apostolus, non Scripturæ testimonium: In Epistola ad Ro. cap. 4. vti testimonium tanquam testimonio. Sicut, referendum est ad præcedentia, hoc sensu: accepistis spiritum ex fide, sicut Abraham ex fide iustificatus est. Ille adhuc incircuncisus credidit Deo, & hoc credere siue illa credulitas reputata est ei ad iustitiam à Deo, sine vlla circuncisione, aut legis obseruatione. Circa hunc locũ multæ sunt difficultates de quibus dictum est in Epistola ad Roma. *Ad Rom. cap. 4.*

COgnoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, præmunciauit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. *Gen. 12. & 22. Gal. 3.*

COgnoscite ergo) id est, aduertite, discite, (*quia*) pro quo (*qui ex fide sunt.*) Illud (*sunt*) interpres addidit de suo. Græcis articulus affectus est præpositione. Sensus est qui fide iustificari quærunt illi sunt filij Abrahæ, illos respicit benedictio promissa Abrahæ, non illos qui operibus legis nituntur tuntur, & ex illis quærunt iustificationem, tanquam gratia Christi satis efficax non esset quemadmodum vos docent pseudoapostoli.

Prouidens autem) siue (vt alij vertunt) prævidens, id est, ante videns (*scriptura*) methonimicῶs pro authore Scripturæ Spiritu sancto, videlicet aut Moysi, hic præuidẽs, quod scilicet capite. 15. Geneseos diceret, quo iustificantur homines, voluit cap. 12. aliquid præmittere eò pertinens. Gentes hoc loco generalis nationis vocabulum est, complectens omnes omnino homines. *Ex fide*) ita intelligendum est, vt non ex lege Moysi aut ex vllis meritis vllorum operum. *Præmunciauit*) vocabulum Græcum non simpliciter prænunciare significat, sed lætum nuncium prænunciare: ad verbum verti poterit: ante Euãgelizauit. Sensus est: ante hoc caput. 15. nũciuit Abrahæ tanquam rem lætissimam, & summopere experendam, nunciauit inquã cap. 12. *Quia in te benedicentur omnes gentes,*) hoc concilio positum est istud cap. 12. vt illud quod postea sequitur cap. 12. videlicet: *Credidit Abraham Deo, &c.*) melius intelligeretur, vt sciremus hoc non esse proprium ipsius Abrahæ, sed eodem modo etiam nos oportere iustificari. In te ergo, id est, ad tui imitationem ac similitudinem benedicentur omnes gentes. Quicunq; credunt, quẽadmodum tu credis, illi benedicentur: Ad hunc modum Cyrillus. 2. lib. commentationis de cultu, qui est in spiritu & veritate circa initium libri. Ad eundem modum exponit Chrysost. sed obscuriùs. Commentarius eius sic habet: Si qui nullam cum illo naturalem habent cognationem, sed fidem illius imitati sunt, filij sunt: perspicuũ est quòd in hanc cognationem inseruntur gentes, quæ crediderunt, siue (vt Græcus habet Chrys.) qui fidem illius imitantur. Id enim significat quod dicit, in te benedicentur, &c. Ad eundem modũ interpretatur Theophylactus, & apud latinos Augustinus, item Ambro. Quia inquit Abrahã forma est omnium credentium, ideo dicit. In te, &c. Hæc ergo est oeconomia animaduersa à Paulo in Genesi, vt vterq; locus explicet alterum: In te bene, &c. explicatur cap. 15. inde discimus (in te) perinde valere ac si dicas per fidem. An verò quod cap. 15. dicitur, credidit Abraham Deo ad solum Abraham pertinet, an ad omnes, explicatur cap. 12. vbi dicitur ad omnes gentes pertinere, vt intelligatur Abraham propositus tanquam typus & exemplar omnium iustificandorum.

Igitur qui ex fide sunt, &c.) id est, qui fide nituntur non lege, benedicentur. Benedictio cap. 12. Geneseos posita est in iustificatione. Sensus ergo est: Benedicentur, id est, remissionem peccatorum consequentur, ex impijs fient iusti, imo filij & hæredes regni. Fidelem dixit pro credente.

QVicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.

QVicunque enim ex operibus legis sunt, &c.) Hactenus Apostolus exemplum Abrahę amplificauit ex œconomia è Genesi desumpta: nunc eandem illam amplificationem ex opposito explicat. Pro (enim) Cicero dixisset alioqui. Sensus est: qui fide nituntur, benedicentur, alioqui qui nituntur operibus legis in iustificando, operibus inquam legis siue ceremonialis, siue decalogi, sub maledicto sunt, id est, obnoxij maledictioni æternæ illos inquit damnatio manet in extremo iudicio: vrget ergo adhuc Apostolus argumentum ab exemplo sumptum.

Scriptum est enim: maledictus omnis qui &c.) id est, qui non præstat vniuersa quæ præscribit lex. Intelligendum est istud de mandatis, quæ continent substantiam vitæ. Argumentum Apostoli istud est: Quicunq; non facit legẽ, est maledictus, ergo omnis qui nititur lege, est maledictus: Minorem propositionem quã hoc loco subicet, (nẽpe, omnis qui nititur lege, non facit legem) relinquit notam ex Epistola ad Romanos, quam præsupponit legisse Galatas. Ibi prolixè ostendit sine fide Christi omnes peccatores, & obnoxios damnationi, nec à quopiã præstari legem, nisi qui spiritum Christi habeat, quẽ impetrat fides. Quod ad lectionem attinet, in Hebræo non est (omnis) nec (omnibus) sed nec Aquila in sua translatione habet, nec Symmachus, nec Theodocio, soli. 70. habent. Hier. putat à Iudæis ex Hebræis codicibus illa erasa esse. In hanc inquit suspitionem me res illa stimulat, quod verbum (omnis) & (in omnibus) quasi sensui suo necessarium ad probandũ illud, quod quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Apostolus vir hebreæ peritiæ & in lege peritissimus nunquã protulisset, nisi in hebræis voluminibus haberetur, quod Hieronymi argumentum non conuincit: frequenter enim Apostolus nõ verba sed sensum citat Scripturæ: constat autẽ in Biblijs, indefinitas propositiones & vniuersales æquiualere.

QVod autẽ in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit. Lex autem non est ex fide. sed qui fecerit ea homo, viuit in illis. *Abac. 2. a. Rom. 1. b. Leuit. 18. a.*

QVod autem in lege nemo iustificatur,) adhuc durat idem argumentũ, Dixi inquit in præcedentibus neminem præstare

Universidad de Deusto
Biblioteca

legem, sed demus aliquem præstare legem minimè, tamen ex lege iustificari potest. *Quòd autem in lege*) id est, per legem, id est per opera legis: sic oportere intelligi colligit Augustinus ex eo quod sequitur. Qui fecerit ea, viuet in illis, non dicit Apostolus: qui fecerit eam, nec rursus viuet in illa, manifestè indicans nomine legis, opera se intelligere quæ præscribit lex. Accipit autem Augustinus in comment. huius Epistolæ eam partem legis, quæ cæremonias habet: in libello vero de spiritu & lite, generalius accipit, vt includatur etiam decalogus: Vterque comment. est bonus nam neq; ex operibus decalogi secundum mentem Apostoli iustificatur homo, quod probat ex testimonio Abacuk, qui describens qua in re posita sit vera iustitia, quæ valet apud Deum, siue per quam homo viuit coram Deo, sic dicit:

Iustus ex fide viuit.) Ex fide inquam, non ex operibus legis, siue cæremonialis, siue decalogi. Quæ sit sententia huius testimonij adducti ex Abacuk, & quomodo pertineat ad præsentem disputationem, in qua agitur de iustificatione impij, dictum est in Epistola ad Romanos cap. 1.

Lex autem non est ex fide) id est opera legis quatenus legis sunt, non proficiscuntur ex fide, atque proinde non præstant vitam: *Sed qui fecerit ea, viuet*) non quidem absolutè, sed (*in eis*) id est, propter ea hoc est, cõsequetur vt non incurrat pœnas, quas lex peccatoribus infligit: At vita quæ simpliciter vita est, illa non nisi ex fide est. Ex hoc loco discimus, quomodo accipiat Apostolus opera legis dum detrahit eis vim iustificandi: Cõsiderat siquidem ea secundum se, vt sunt citra fidem Christi ab homine merè legali, non autem vt fiũt ex spiritu fidei, ab eo qui iam per fidem in Christum est iustificatus. Qua in re grauissimè hallucinantur hæretici, accipientes Paulum passim differentem de iustitia legis vel operum, perinde atque omnium operum iustitiam, quacunque ratione efficiantur, reijciat, & iustitiæ fidei opponat. Aduersatur enim hæc noua doctrina apertè Iacobi doctrinæ, qua palã pronuntiat esse aliquam operum iustitiam, quę iustificatos Deo commendat.

CHristus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptũ est: Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

CHristus nos redimit de maledicto, &c.) Adhuc vrget Apostolus argumentum sumptum ab exemplo Abrahæ. Id liquet ex eo quod sequitur: vt in gentibus benedictio Abrahæ, &c. Maledictum posuit interpres pro maledictione. Lex inter cætera hoc habet, quòd adducat maledictionem, dum facit magis peccatores, & reos, per occasionem tamen: quemadmodum dictum est in epistola ad Romanos. De hac maledictione legis, de reatu istius transgressionis, de ipsa culpa liberauit nos Christus. Alij interpretantur, redemit nos de maledictione legis, id est, effecit vt lex non posset nos damnare, idque non solùm quia aboleuit per mortem peccata nostra, sed etiam quia per gratiam suam sanauit naturam: ita vt possimus deinceps præstare legem. Vterque commen. probabilis est, & æquè propriè pertinens ad materiam iustificationis. Pronomen (*nos*) respicit propriè Iudæos: illis enim lex Moysi quam hoc loco intelligit Apostolus, data est, aliquatenus tamen respicit etiam gentiles, quia & ad illos lex pertinet, ea nimirum parte qua moralis est, & illis quoque adduxit maledictionem, quia omnis lex sine spiritu abundare facit peccatum. Scitum est enim illud ethnici: Nitimur inuetitũ semper, cupimusque negata. Vocabulum græcum quod interpres vertit, redemit, propriè significat redemptionem captiui persoluto pro capite eius pretio. Nos ergo qui captiui tenebamur sub lege, peccato, diabolo, Christus liberauit numerato pretio.

Modum quo Christus numerauit pretium, significat Apostolus dum addit (*factus pro nobis maledictum*) hoc est, maledictio. i. hostia pro execrationibus eorũ, quinõ perueratpeccatum, pro nobis peccatum fecit, vbi peccatum posteriori loco tropi sensus est, significans hostiam pro peccato. Factus est ergo Christus maledictio, dum causam nostram, qui eramus maledictioni obnoxij, in se transtulit dum scelera nostra in se suscepit castiganda, dum supplicia quæ execrationibus, blasphemijs, & peccatis nostris debebantur, vniuersa in corpore suo depẽdit tanquã omniũ ipse reus esset. Alij interpretantur, factus pro nobis maledictio, id est, vehementer maledictus, quicunq; enim videbant Christum crucifixum, iudicabant eum blasphemum, & summè execrabantur. Hi, quod dicitur, ad opinionẽ hominũ referũt. Alij aliter adhuc exponũt: Verus sensus petẽdus est ex parenthesi (*maledictus omnis qui pendet in ligno*) quam postea exponemus. Factus est autem pro nobis Christus maledictio, hoc fine vt benedictio facta Abrahæ fieret, id est, eueniret, & reipsa exhiberetur gẽtibus, vt illa promissio qua nihil potest

potest esse maius, effectum haberet in gentibus. Gentes, vocabulum genericum est, complectens totum orbem terrarum. Quidam pro (*fieret in gentibus*) vertunt, veniret siue perueniret in gentes, moti hac ratione: quia Paulus vtitur præpositione (εἰς) addens ei accusatiuum: Sed scire oportet, frequens esse Paulo abuti præpositione (ἀπὸ) pro (ἐπὶ) apertus locus est posteriori Epistola ad Thessa. Ita vt in templo Dei sedeat, ad verbum si interpreteris est, ita vt in templum Dei sedeat.

Vt pollicitationem spiritus, &c.) id est, promissionem, quam voluit Spiritussanctus extare in Genesi, quam ego vrgeo (*accipiamus*) & ego Paulus Iudæus, vos Galatæ, gentiles omnes omnino (*per fidem*) non propter legem: Eodem modo intelligendum est quod præcedit: Vt in gentibus benedictio, &c. (*in Christo Iesu*) id est, per Iesum Christum, non per Moysen. Vos Galatæ minimum tribuitis Moysi: putatis per eum vos posse fieri participes benedictionis, fallimini: nam illa contingit per Christum. Parenthesis cuius explicationem huc vsque distulimus, sumpta est ex cap. 21. Deut. & variè à variis ex Hebræo redditur. Septuaginta trãstulerunt, maledictus à Deo omnis, qui pendet in ligno. Aquila verò & Theodocio: Maledictio Dei est, qui suspensus est: Symmachus: Propter blasphemiam Dei est suspensus. Hebeon ille hereſiarches semichristianus & semiiudæus vertit. Iniuria Dei est suspensus. Iudæus Barchanima (quo nocturno præceptore vsus fuit Hieronymus) ad hunc modum legit: Contumeliosè Deus suspensus est, Omnes hos sensus admittit sermo Hebræus. Cum Symmacho consentit Rabbi Iymhi apud hebræos, & apud Latinos Pagninus, secundum quos (*suspensus*) prædicatum est: Sepeliatur hic eadem die, quia propter blasphemiam Dei seu maledictionem est suspensus. Nos sic interpretari non possemus propter Paulum, secundũ quem (*suspensus*) subiectum est: Omnis suspensus siue omnis pendẽs in cruce, est maledictus: Prætermittit Apostolus in hoc testimonio nomen (*Dei*) quod exprimitur in hebræo, quodque omnes transtulerunt interpretes, quã ob causam id facit, inquirat studiosus. D. Hierony. ex eo quòd Apostolus omittat Dei mentionem, putat post passionẽ Christi, & in Hebræis & in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, vt infamiam nobis inureret, qui in Christum à Deo maledictum credimus, sed non persuaserit id Augustino: pergit siquidem Augustinus legere, & lib. 14. contra Faustum Manichæum multis id agit, vt ostendat, quo sensu dicatur Christus maledictus à Deo: si credidisset Hieronymum sequendum, respondisset Fausto, qui ab hunc locum reijciebat Moysen, tanquam contumeliosum in Christum, respondisset inquam ei duobus verbis: Tu legis maledictus à Deo, codex tuus mendosus est. Illud (*à Deo*) est adiectitium.

Hieronymus tamen antequàm veniat ad hanc sententiam, dicit in Deuteronomio: non ideo maledictum apud Deum quempiam pronũciari, quia crucifixus: sed quod in talem inciderit reatum, vt meruerit crucifigi. Si (inquit) Ananias, & Azarias, & Misael, nolentes adorare idolum Nabuchodonosor fuissent in ligno suspensi, nequaquã iuxta Moysen maledicti fuissent: sic neque Mardochæus, si non pro suo merito in crucem, quam ei Amam parauerat, adactus fuisset.

Videtur ergo Hieronymus negare locum Deuteronomij: ad Christum pertinere, qui innocens suspensus est, & si inspiciamus Deuteronomium, plane videbimus ad sceleratos pertinere.

Sensus enim literæ hic est: si quis admiserit peccatum quod cruce plectendum est, is adeò execrabilis est Deo, vt nec cadauer illius ferat in lumine, vt eadem die velit sepeliri, & abscondi siue obrui terra, tam execrata res est apud Deum, homo pendens in ligno ob meritum suum, vt etiam cadauer terram polluat.

Sicut enim malis hominibus terra iuxta Scripturam inquinari dicitur: ita cùm aliquid ipsorum supereſt, vt cadauer, nondum terra censetur expiata. Iam difficultas est, si hic est sensus Deuteronomij, & solùm ad sceleratos pertinet, quomodo à Paulo accommodatur innocenti Christo.

Dicendum Christum quodam sensu ad Deuteronomium pertinere, quemadmodũ alij sceleratí, hac tamen differentiã, quod hi propter sua scelera subigãtur in crucem: Christus verò non propter sua propriè, sua tamen aliquo tropo. Nam in Psalmo. 21. cuius initium est: Deus Deus meus respice in me, &c. ipse Christus sic loquitur: longè à salute mea verba delictorũ meorũ. Rursus in psalmo: Expectans expectaui, vocat iniquitates suas: Nostra ergo delicta sunt quodam sensu Christi delicta, quia propter illa Deus Pater voluit eum conterere, & hactenus Christus maledictus dicitur, & execrabilis dicitur Deo, quia Deus odit blasphemias, execrationes, peccata humani generis, quæ sunt imputatiuè in Christo, quia in se suscepit illa castiganda. Hactenus Apostolus vnicum argumentum mirabiliter amplificauit, vnde bona pars Gen. potest intelligi. *Psal. 29.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligi. Quod iam sequitur, nouum est argumentum secundum quosdam, tamen eodem pertinens.

FRatres (secundùm hominem dico) tamẽ hominis confirmatum testamentũ nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est Christus.

FRatres secundum hominem dico, &c.) id est vt vobis o Galatæ semel ostendam neminem ex lege iustificari, vtar exemplo consuetudinis humanæ, adhibebo ad id crassam similitudinem: similitudo siue exemplum quod à rebus humanis proponerevolo, hoc nempe est.

Tamen hominis confirmatum testamentum, &c.) Illud (*tamen*) nouè positum est pro (*licet*) Sensus est, testamentum licet humanũ, & ab homine infirmæ voluntatis cõditum, modò si morte confirmatum, nemo reijcit, nemo noui aliquid adijcit, hoc est, quod dicit (*superordinat.*) Hunc sensum expressit Erasmus in sua translatione. Potest interim & propriè accipi (*tamen*) & connecti cum eo quod præcessit (*secundum hominem dico*) hoc sensu: Adferam exemplum rerum humanarum, quæ nullo modo conferendæ sunt cum rebus diuinis, & tamen in hominis testamẽto nemo quicquam rescindit aut immutat, demit vel addit, derogat aut arrogat: quanto igitur magis id oportet in testamẽtis ac promissionibus diuinis fieri, vt prorsus habeantur incommutabiles, & immobiles.

Abrahæ dictæ sunt, &c.) id est, factæ more Hebraicó (*promissiones & semini eius*) tanquam in quo, & per quod implendæ essent. Respicit Apostolus Scripturam, quæ est Genes. 22. Per memetipsum iuraui, benedicentur in semine tuo omnes gentes. Considerandum est autem in verbis Moysi, in quibus exponit promissiones factas Abrahæ, non dictum esse & seminibus, quasi de multis ageret, sed dictum, & semini, quasi de vno loqueretur, quod semen est Christus.

HOc autem dico testamentum confirmatũ à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.

HOc autem dico) pronomen (*hoc*) nõ pertinet ad testamentum, quod patet ex Græcis, vbi testamentum est fœminini generis: pronomen verò hoc, neutri generis. Sẽsus est: cùm igitur ita sit: vt humanum testamentum semel confirmatum, sit ratum: sitq; à Deo ceu testamento quodam promissa hæreditas Abrahæ, haud quaquã fieri potest, vt lex Moysi quæ post tot annos data est, nimirum quadringentos triginta, irritet seu rescindat testamentum, id est, promissionem Dei, quæ est velut testamentaria quædam dispositio de hæreditate donanda Abrahæ per semen vnum, quod est Christus: rescindat inquam abrogando illam, & reddendo ociosam, & inutilem, & ineffacem, quod planè faceret lex, si ex ea esset hæreditas: hoc enim est quod sequitur.

NAm si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est.

NAm si ex lege) id est, ex legis virtute, & efficacia siue dignitate, & meritis operum legis (*hæreditas*) scilicet contingit: cõsequitur quòd non ex promissióe Dei qua propter semen quod est Christus, gratuitò, & sine meritis & dignitate promisit Abrahæ hæreditatẽ: atqui constat ex testimonio geneseos, quòd Deus per promissionem dono dedit hæreditatẽ Abrahæ & semini eius, non requirens vlla merita operum, propter quæ ipsam daret: Hic est finis argumenti. quòd firmissimum est, & insolubile planè. Vrget Apostolus, promissiones, primò quòd sint absolutæ, deinde quòd sint promissæ semini: Vetus inquit Scriptura, benedictionẽ istã, quæ continet prophetiã de articulo iustificationis, describit tanquã exhibenda sit vi & titulo promissionis, & absolutæ promissionis, vt videre est in Gen: Non ergo addenda est conditio illa: si præstetur lex, quẽadmodum persuadere vobis conantur Iudaizantes: Porrò quoniam videbat Paulus Galatas non esse capaces tituli promissionis addidit similitudinẽ crassam sumptam ex rebus humanis, qua tanquam manu ducerentur ad intelligendam vim promissionis diuinæ, quamquam alij pro argumento habeant, quorum sententiam secuti sumus in expositione: verum probabile magis est, hanc non causa argumentandi introductam esse ab Apostolo, sed manu ducendi & illustrandi argumentũ, quod aliunde pendet. Vndè cum dixisset, hominis licèt testamentum, &c. & adiecisset, Abrahæ dictæ sunt promissiones, &c. nihil deinde intulit, sed simpliciter posuit: hoc autem dico testamentum, ac si dicat, hoc volo circa eandem crassam similitudinem, hoc volo intelligi ex re ista, quòd promissionem iurando confirmatam à Deo, Geneseos capite. 22. lex Moysi non rescindat: Nam si ex lege, pro (*nam*) latinus diceret (*alioqui*) Sensus est: alioqui si hæreditas, promissa Abrahæ contigit merito seruatæ legis, & cæterã.

Alterum

Alterum quod vrget Apostolus est, quòd promissio habeat (*& semini*) quasi de vno loqueretur. Si quis aduertat ad similia loca, mirari poterit quomodo Apostolus istud vrgeat, cùm semen in singulari numero frequentissimè ad multos pertineat: Loca obuia sunt Gen. cap. 12. Semini tuo dabo terram hanc, non intelligitur ibi vnus aliquis: sed tota posteritas. Rursus cap. 13. Omnem terram quã conspicis, &c. vbi semen ter vsurpatur pro tota posteritate. Rursus cap. 15. Suspice cœlum & numera stellas si potes, sic erit semen tuum, hic semen singulare est, & tamen intelligitur de posteritate. Et aduertendum quòd locus iste habeat mentionẽ iustificatiõis: Rursus: scito præno scẽs, quòd peregrinum futurum sit semen tuum. Et cap. 17. Statuam pactum meum inter &c. vbi plus quàm quinquies hoc modo vsurpatur semen. Præterea in tota Scriptura nunquam in plurali numero (*semina*) reperire est, sed siue in bonam siue in malam partem, semper in singulari ponitur. His accedit quod apud Hebræos, quorum lingua vetus Scriptura nobis tradita est, vocabulum semen careat plurali numero. Quid ergo hoc loco agit Paulus? Commentarius Hieronymi sic habet. Putant aliqui quod de testamento hominis, & de testatoris morte, & cæteris humanæ similitudinis disputaturus exemplis, dixerit Apost: Fratres secundum hominem dico. Mihi autem videtur & propter hoc quidem quod illi arbitrantur: sed maximè propter illud quod sequitur, esse præmissum, id est, non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno & semini tuo qui est Christus. Putat ergo Hieronymus istud dictũ esse Galatis crassis, & tale esse quod potest displicere prudentibus si non præmitteretur, secundum hominem loquor. Qui cõmentarius non admodũ probabilis est, tum quod cætera argumenta Apostoli validissima sint, tum quod hinc Iudaizantes magnã habuissent occasionẽ traducendi insciam Pauli apud Galatas. Dicamus ergo Apostolũ respicere, nõ ad numeros grammaticos: sed ad res ipsas, & hoc velle isto sermone, vt lector aduertat in Scriptura, semen complecti nunc multos, nunc vnum tantùm, idq; significari non ex numero, sed ex circunstantijs locorum: quando illæ cogunt vt multi intelligantur, tunc accipiantur multi: Quãdo verò cogunt, vt vnus quispiam, vnice & singulatim intelligatur, tũc accipietur vnus. Posteritas intelligitur, quum de terra Palestina possidenda promissio sit: hoc vero loco, In semine tuo benedicentur omnes gẽtes, non patitur vt multi intelligantur quia sermo est de benedictione opposita maledictioni Adæ, quæ benedictio per certum aliquem implenda erat, nimirum per Christum, atque hoc est, quod vrget Apostolus: In semine tuo qui est Christus, non Moyses. Ex Moyse iam intelligi debet lex, sicut ex Christo fides per metonymiam.

In semine tuo. i. per semen tuũ. i. per fidẽ in Christũ, benedicentur omnes gentes. Nõ ergo miscendus est Moyses in hoc negotio, ne otiosa reddatur promissio. Pergit Hieron. in comment. huius loci. Nec non & illud inquit quod infert (*hoc autem dico testamentũ confirmatũ à Deo*) Si quis diligenter Hebræa volumina & cæteras editiones cum septuaginta contulerit: inueniet vbi testamentũ scriptum est, non testamentum sonare, sed pactum, quod Hebræo sermone dicitur berith. Vnde manifestum est id fecisse Apostolum quod promisit, nec reconditis ad Galatas vsum esse sensibus, sed quotidianis & vilibus. Putat ergo Hieronymus & propter istud Apostolum ante placasse prudẽtem lectorem, & ne videretur imperitia & non arte dixisse (*secundum hominem dico*): Cæteras editiones intelligit. Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & illius alterius semi Iudæi & semichristiani, videlicet Hebeonis, qui omnes Hebræam vocem verterunt συνθήκην id est pactũ, soli septuaginta διαθήκην, id est, testamentum secundùm Hieronymũ, qui ob id non placuerunt ipsi. Verum διαθήκην qua voce hoc loco vsus est Paulus, et ante eum. 70. non vnius esse significationis, (quemadmodum voluit Hieron.) sed præter testamentum significare & pactum, & conuentum & pollicitationem declarat Budæus, adductis idoneis exemplis ex Demost. & Aristophane. Imò dũ hoc significat, quod conuenit morituro. i. testamentũ, fere semper in plurali numero vsurpari dicit, rarius in singulari, vide ipsum in comment. linguæ græcæ. Sed & 70. interpretes non hoc voluisse significare voce sua διαθήκην quod accipit Hieronym. manifestum euadit ex locis Scripturæ, in quibus illa vsi sunt Psal. 82. Simul aduersum te testamentũ disposuerunt, etc. quo loco 70. habent διαθήκην et certum est eos significare voluisse pactum. Sensus enim est: inierunt omnes vicinæ regiones aduersum te fœdus, vno animo pariter aduersum te conspirauerũt, volũt pacto te oppugnare. Rursus cap. 26. Geneseos videntes vidimus, quòd Dominus est tecũ, & disponemus tecum testamentum. Sic enim vertit interpres, quo vsus est Aug. Et hic. 70. habent διαθήκην nec tamen significare voluerunt testamentum morituri, sed pactũ, quod Aug. quoq; aduertit. Scribit enim sic 1. lib. locutionũ de Geneſi citãs hũc locum: amant scripturæ pro pacto ponere testamẽtũ, nec solum. 70. sed & Lucas linguæ græcè peritissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peritissimus in hac significatiõe vtitur voce διαθήκην Acto.3. Vos estis filij prophetarum & testamenti, citat ibi Lucas non.70.sed quod dixerat Petrus recensęt, concionem ipsius hebraicam græcè reddens. Similiter verba Zachariæ cap.1.Euangelij sui: Memorare testamenti sui sancti: vtroq; loco habet Lucas διαθήκην significans ea voce non testamentũ proprij nominis, sed pactũ quod Deus pactus est cum maioribus de Saluatore ex ipsorum genere nasciturο. Quare autem interpres noster vertit testamentũ, alia quæstio est. Certum est ipsum abusum esse voce: Ex his patet Apostolum, non vsum fuisse prefatione illa, vt placaret prudentem lectorem, quemadmodum voluit Hieronymus, cùm vox Paulina & ad testamentum, & pactum, & promissionem æquè propriè pertineat. Quid verò hoc loco accipere nos oporteat, non satis certum est. Si quis inspiciat textum, putabit significari pactum, hoc sensu: Hominis testamentum, id est, pacta humana cõfirmata certis ritibus nemo spernit, &c. quia Paulus nihil vrget nisi promissiones, & eas statim subsumit dicens Abrahæ dictæ sunt promissiones, &c. Commentarij tamen fere accipiunt pro eo quod conuenit morituro, intelligentes testamentum proprij nominis priori loco. Secundũ quos aduertendum est, Apostolum inter testamentum & promissiones, quantum ad præsens attinet negotium, nullam tum facere differentiam, quia res patitur vt addantur conditiones, si à principio non fuerint additæ. Posteriori verò loco accipiunt testamentũ impropriè pro testimonio promissionis: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Rationem quare vocetur testamentum, reddit Augustinus. Quod mors, inquit, testatoris valet ad confirmandum testamentum eius: hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam Abrahæ benedictionem. Verùm in Græca voce nullus est tropus. Obiter & illud notandum est, locum Geneseos longè aliter verti à Pagni: quàm à.70. vel Hiero. & Apostolo Paulo. Habet enim translatio eius hoc modo: Benedicent se in semine tuo omnes gentes terræ, qua in re nimis secutus est regulas Rabbinorum, qui tradunt verba in coniugatione niphal, actiuæ esse significationis agentis in se, vnde sensum loci iam citati, huuc dicunt: Populus gentium dicet, vellem me esse tam benedictum quam est ille populus Israeliticus. Nos sic interpretari non possumus, propter Paulum: sed & Lucas vocabulum hebraicum quamuis coniugationis hyppaal, reddit passiuè in concione Petri, quam refert Acto.3. Ad id verò quod obijciunt Iudæi Paulo semen esse nomen collectuum, adeoque semper in multis esse: respondendum: verum quidem id esse quando ponitur absque tropo, alioqui per tropum, & de vno dicitur. De qua re apertus locus est capite: 21. Genes. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Superest adhuc vna difficultas de numero annorum, quomodo anni hoc loco ab Apostolo positi consentiant cum narratione Geneseos, de qua re acutè disserit Augustinus in libro de ciuitate Dei, libro.16. capite.24. ibi legite. Chrysostomus vrgere videtur in commentarijs paucitatem annorum, sed facit id absque vlla probabilitate ex textu. Oecumenius sentit in hoc cùm Latinis quod vrgeat multitudinem annorum & id multo probabilius, vt lex non posit irritare promissionẽ, quia tot annis subsecuta est. Item quòd non potest esse conditio promissionis, quia inter pacta & promissiones, & pactorum promissionumque conditiones, non solent communiter pascisentes expectare, quia Apostolus omnia posuit in gratuita promissione. Hinc oritur quæstio: Si benedictio seu hæreditas contingit titulo promissionis, & non ex lege, quid igitur officij & vtilitatis habet lex? Respondet Apostolus.

Propter transgressionem posita est) Græcè est, addita siue appositа, id est, obiter adiecta post promissionem, idq; ad transgressiones coercendas. Sic D. Chrysostomus & Hieronymus. Faciebat autem id lex, partim præscriptione ritus multiplicis colendi Deum, partim terrore & minis. Est alia expositio, quam tradit Augustinus, ista: ad transgressiones supple aperiendas seu detegendas, hoc legis officium explicat aliquoties Apostolus in epistola ad Roma. cap.2. Per legem cognitio peccati. Rursus cap.5. peccatum non cognoui nisi per legem. Data est igitur lex, vt populus superbus agnosceret transgressiones suas, & cogeretur de se sentire humiliter, & agnoscere gratia sibi opus esse.

Donec veniret semen) scilicet Christus, de quo & in quo promissio facta fuerat, nempe quòd in ipso benedicerentur omnes gentes: Proindè si vsque ad Christi aduentum data sit lex, quid eam longiùs & vltra tempus prorogatis: sic Chrysostomus.

Ordinata per angelos) id est, exhibita ministerio angelorum certo tempore, certo loco, certo modo: omnia hæc includit vox ordinata: ordine, inquit, optimo dispensata inter legem naturæ & Euangelium, vt conuincerentur per eam homines de infirmitate naturæ & ea cognita compellerentur ad gratiam confugere. Rursus aptissimo loco exhibita, nempe in monte Syna, qui extra terram promissionis est, videlicet in Arabia terra Barbara, quemadmodum dicetur capite sequenti. Rursus terribili modo lata ad incutiendum terrorem carnali populo, vt videre est in libris Moysi, & epistola ad Hebræos. Sic autem lata est per Angelos, vt totius legis potestas esset penes Christum, vt tota ipsius dispensatio esset in autoritate Christi, hoc est, quod dicit (*in manu mediatoris.*) Angeli huius rei ministri erant: Christus verò, Dominus: vnde dubium non est, quin in illius manu, potestate, & autoritate sit dispensatæ olim legis abrogatio.

Mediator autẽ vnius non est, &c.) Est gnome. Sensus est: si mediator est Christus, sequitur quod non sit mediator inter vnum aliquem, sed necesse est, vt inter duos saltèm mediator sit: Constat aũt quòd Deus vnus tantùm sit, vnde necesse est, quòd mediator sit inter Deum & creaturam: cùm autem nõ sit mediator inter Deum & angelicam creaturam: nam ea in ijs qui perstiterunt, non eget mediatore; in ijs verò qui ceciderunt, quia irreparabiliter ceciderunt frustra adhiberetur mediator, consequitur vt inter Deum & hominem sit factus mediator. Debet igitur agnoscere homo, quod legis doctrina non sufficiat ei ad salutem, sed opus habet mediatore & reconciliatore. Alij paulò aliter exponunt hoc modo: mediator vnius non est, sed duorum quorumpiam: & proinde Christus cùm sit mediator, Dei ac hominum mediator intelligendus est, & non vnius tantùm. Interim tamen ipse Deus verus est, sic vt vnus tantùm sit Deus, & non alius Deus, ipse reconcilians, & alius cui reconciliabat humanum genus. Est tertia expositio Ambrosij, qui hoc modo intelligit, mediator inter vnum aliquem populũ non est, sed duos, nempe inter populum Iudaicum & gentium, reconcilians illos inter se abolendo ea per quæ duo illi populi dissidebant, & ambos inter se reconciliatos, vni Deo reconcilians. Interim tamen ipse mediator Christus Deus verus est. Est quarta expositio, quæ refertur, non ad partes inter se dissidentes, sed ad naturã, hoc sensu: mediator iste de quo iam dixi, in cuius manu lex lata est, ipse videlicet Christus, non est vnius supple naturæ vel substantiæ, sed duplicis, humanæ scilicet & diuinæ. Iam difficultas est, quorsum istud adferat Apostolus. Qui Latinè loqui cupiunt non audent dicere mediatorem, sed eius loco dicunt intercessorem, pacificatorem, conciliatorem. Sed sciendum vocabulum mediatoris generale esse, & significare non tantùm conciliatorem, sed omnem qui inter partes duas se medium ponit, quòd aliquando fit intercedendo, interdum interpretando, aliquando alia ratione. Quomodo hic accipere oporteat, nõ satis constat, quia incertum est quem faciat Apostolus mediatorem. Multis modis probabile est, quod mediator huius loci sit Moyses, vt significet Apostolus, Deum tulisse legem, angelos administrasse, atque ipsos hac in re vsos fuisse Moyse. Ad hunc sensum planè inuitat quintum caput Deuteron. vbi Moyses se, cùm lex promulgaretur, medium facit, Facie, inquit, ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis, ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo, Medius autem Moyses erat, solum vt interpres & internuncius: postea erat alterius nationis mediator, quia intercessor. Cum capite hoc quinto Deuteron. conferre oportet caput 8. ad Hebræos. Rursus 9. caput & 12. in quibus alludit Apostolus ad Deuteronomium, faciens Christum ibi mediatorem, sed longè alium quàm erat Moyses. Moysen facit legis mediatorem, Christum verò maioris rei mediatorem, nimirum noui testamenti: Confert enim vtrunq; testamentum, & vtriq; reddit suum authorem, vel potius mediatorem ac planè sic noui mediatorem Christum facit, quasi non sit veteris. Idem videtur facere Ioannes in 1. cap. Euangelij sui, cùm ait: Lex per Moysen data est, &c. Secundũ commentariũ, qui nomine mediatoris Moysen hic accipit, mire quadrat illud (*in manu*) quod quid sit iuxta idioma scripturarum, intelligere oportet ex similibus locis quæ sunt Aggæi, 1. & Actuum 7. vbi dicitur factum verbum Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel, &c. Vbi duplex est Hebraismus primò in vocabulo (manus) deinde in præpositione (in) quæ loco (per) vsurpatur. Sensus est: in manu Aggæi, id est, per ipsum Aggæum tanquam organum & instrumẽtum diuinum. Acto.7. Moyses ducem ac principem agit in manu angeli: Sic enim est Græcè, Noster interpres pro (in) dixit (cum.) Significat Stephanus prodigia illa quæ fecit Moyses in exitu Israel de Aegypto, fecisse ipsum opera & ministerio angeli quando leuabat virgam super mare rubrum habebat angelum paratum ibi, qui diuidebat aquas: similiter in cæteris. Hoc loco Paulus contrariũ significat, videlicet ipsos angelos in legis ratione seu promulgatione vsos fuisse ministerio Moysi: manus ergo in huiusmodi locutionibus instrumenti est, vel eius quod est instar instrumenti.

Mediator autem vnius non est) sensus est: Iste antonomasticõs mediator, scilicet Moyses non est vnius, scilicet voluntatis, id est, decreti & consilij, sed est mutabilis, quia ho

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo est: Deus autem in sua voluntate est immutabilis. Expositio hæc valde pertinet ad rem propositam, quia agitur de immutabilibus promissionibus Dei, Deus præstabit quod promisit: quia immutabilis est: verùm vnum desideratur in hac expositione, videlicet quòd pro posteriori parte mediator vnius non est, non sint similia loca in Scriptura.

Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia: Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Lex ergo aduersus promissa Dei?) Vnde nascatur hæc quæstio, variant commentarij, omnino verisimile est verba illa, Lex propter transgressionem posita est, huic occasionem præbuisse, vt sensus sit: Ergo cùm lex adiecta sit ad transgressiones coërcendas, quidnam censendum est de lege? nunquid existimandum est eam aduersari promissioni? vt quæ ipsum subsecuta hoc præstet, vt exhibeat quod promisit illa? Contrarietas hæc posita est in anteuertendo, nunquid lex præoccupauit officium promissionis? nunquid anteuertit & præuenit Christum? hoc est, quod ipse facturus esset, præripuit in subuersionem & absolutionē promissionis? absit, hoc, inquit, sentire, esset indignissimum.

Si enim data esset lex) probat legem nō aduersari promissioni. Si esset à Deo data lex, quæ posset vitam spiritus præbere, vel potius posset efficere, vt ex motu & actione spiritus ambularemus in vita quotidiana, certe consequeretur quod ex lege esset iustitia, iustitia in quam quæ valet apud Deum. Argumentum est à propria passione ad speciem. Proprium quidem Christianæ iustitiæ est, proferre fructus iustitiæ, facere eum qui ipsa præditus est, ambulare in sanctitate coram Deo & exercere opera bona. Nunc, inquit Apostolus, lex hoc non fecit, nō agnosco iam propriam passionem, quia Scriptura dicit, quòd nemo ita ambulat: illa pronunciat de vita cuiusq;, non solùm gentilis, sed etiam Iudæi: clamat neminem eorū, qui destituuntur fide Christi ita ambulare, quin peccet mortaliter. Commentarius huius loci. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato*) est in 3. cap. ad Rom. vbi sunt scripturæ quæ hoc docent, quæ arguunt & ostēdunt (hoc enim est concludere secundùm Chrysō.) omnes esse peccatores, & reos damnationis absque fide Christi: (*vt promissio*) id est, res promissa, id est, benedictio, ipsa videlicet iustitia (*ex fide*) id est per fidem (*Iesu Christi*) vel in Iesum Christum (*daretur credentibus*) non dicit redderetur, ad significandū gratuitū esse quod accipitur, & non quæsiti meriti.

Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neq; Græcus, nō est seruus neque liber, non est masculus, neque fœmina.

Priùs autem quàm veniret.) Adeò, inquit, lex non est data, quæ aduersaretur promissioni, vt magis sit data ad eam stabiliendam: data est enim vt præpararet nos ad accipiendam promissionem. Fingit aūt Apostolus fidem & legem personas per prosopopœiam: sine figura dixisset. Priusquam prædicaretur Christus, natus, crucifixus, mortuus, sub lege custodiebamur: Illa timore veluti muro quodam continebat nos ne offenderemus, illa pœnis à se decretis aduersus transgressores veluti carceribus, cancellis vel septis quibusdam arcebat nos, ne præcipites iremus in omne malum: arcebat, inquam, nos & cōstringebat ad eam fidem recipiendam, quæ reuelāda erat, scilicet per Christum & Apostolos. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo*) alij vertunt ad Christum, Est τὸς cum accusatiuo. Sensus est: Itaque legem rectè similem fecerimus pædagogo: nam sicut pædagogus assignatur paruulis, vt ætatē lasciuientem & ad vitia pronam refrenet, & metu saltem pœnæ à malis coerceat, formetq; ac præparet disciplinis ad officia maioris ætatis: Ita lex nos paruulos & ad omne vitium, procliuos coactione sua cohibuit à vitijs, & onere multiplicium mandatorum formauit ac præparauit ad credendum in Christum, vt ex fide iustificemur, vel vt Ambrosius legit, iustificaremur ex fide, id est, per fidem, id est, per gratiam in Christo promissam.

At vbi venit fides) quæ videlicet in virum perfectum perducit, non amplius sub pædagogo sumus, id est, sub lege: intelligunt quidam de ea parte legis quæ obolita est, id est, de lege ceremoniali. Alij totam legem accipiunt & intelligunt, nō sumus sub lege, etiā ea parte qua complectitur decalogum, vt ea premamur: quemadmodum sub lege sunt, qui formidine pœnæ & non amore iustitiæ præstant, quæ præscribit lex, hoc est, non sum⁹ sub seruitute, imperio & coactiōe legis.

Omnes enim filij Dei estis per fidem.) Illud (enim) Augustinus accipit non vt sit causale, sed vt sit nota noui argumenti. Putat enim solutionē esse tacitæ obiectionis. Vos Galatæ ita argumentamini apud vos: Lex pædagogus fuit ducens ad Christum, nos non fuimus sub pædagogo, ergo non pertinemus ad Christū. Respondet Apostolus omnes vos filij estis, nihil mouere vos debet, quòd non fueritis sub pedagogia legis, vos sine magisterio & instructione legis cōsecuti estis fidem qua credidistis in Christū, atq; per hanc estis filij Dei æquè atq; Iudæi, qui per legem ducti sunt ad fidem: ratio enim salutis in fide posita est, nō autem in modo, quo ad fidem peruentum est.

Quicunq; enim in Christo) id est, in virtute Christi vel in fide Christi (*baptizati estis, Christum induistis.*) Hebraismus est, de quo in Epist. ad Rom. cap. 13. dictū est: aliquando eorū est qui sunt filij Dei, aliquando eorum qui fiunt filij Dei, Sensus est: copiosē & diuiter per Baptismū communicata est vobis gratia Christi, per quam facti estis participes diuinæ naturæ, & iusti effecti. Qui intelligit quid sit induere Christū, ille ex hoc loco cognoscit Baptismum esse efficacem.

Non est Iudæus, neq; Græcus, &c.) Non est quòd quis arbitretur per fidem & fidei Sacramentum, quod est Baptisma, non omnes effici filios Dei, sed eos tantùm, qui habent commendationē generis aut conditionis, vel sexus, aut inter credentes chariores esse Deo circuncisos, quàm sunt præputiati: nō est differentia Iudæi & Gentis seu gentilis (Græcum enim pro ethnico posuit) hoc est, in negotio iustificationis Deus non respicit, neq; nationem, neq; conditionem, neq; sexum, neq; vllam prorsus carnalem qualitatem, sed fidem.

Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo semē Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

Omnes enim vos vnum estis.) Pergit consolari eos, id est, vos omnes cuiuscunq; generis vel nationis, vel conditionis sitis, quatenus Christiani vnū corpus estis: Christus caput est, vos mēbra illius capitis. Chrysostomus paulò aliter hoc modo: eandē formam, eandem figurā habetis cùm Christo, id est, refertis & repræsentatis Christum, & hac parte estis vnum. *Si autem vos*) id est, si Christi membra estis: si verè pertinetis ad Messiam illū de quo omnes prophetæ scripserunt, Ergo semen Abrahæ estis, cui videlicet dictæ sunt promissiones, cuius seminis supra memini: iam meminisse oportet regulæ Thiconij de dominio & corpore eius quæ inter septem prima est, de quibus Augustinus in libro de doct. Christ. Dicuntur enim credentes semē Abrahæ, quia sunt vna persona, cum semine illo magno, quod est Christus.

Secundùm promissionem hæredes.) In præpositione (secundū) Hebraismus est, id est, promissione hæredes nō meritò, vel dignitate operum.

CAPVT IIII.

Dico autem, quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsq; ad præfinitum tempus à patre, ita & nos, cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes.

IN capite tertio ab eo loco, Omnes enim filij Dei estis, &c. omisso sermone de pædagogia legis, ostendit Galatas pertinere ad Christum, Iam redit ad id quod ibi dicere instituerat. (At vbi venit fides) & vtitur alia similitudine sumpta à re ciuili.

Dico autem quanto tempore, &c.) Hoc modo loqui Paulus solet, quando aggreditur interpretari vel dilucidiùs explicare quę dixerit, Sensus est: quod dicere cœperam de lege, tale est. Dilucidiùs vertisset interpres ad hunc modum. Illud autem est quod dico: quamdiu hæres paruulus est, id est, puer siue infans, & ea ætate qua nondū sapit (*nihil differt*) scilicet quantum ad vitæ rationē attinet à seruo, quia alieno arbitrio regitur quomodo seruus, dicitur ei, fac hoc, vade illuc, &c. quamuis ad eum pertinet hæreditas, quamuis ad eum verè spectat possessio.

Sed sub tutoribus est et actoribus) id est, sub curatoribus ac dispensatoribus, siue (vt Paulus habet) æconomis. Illorum arbitrio tum ipse tum res ipsius reguntur, gubernantur (*vsq; ad præfinitum tempus à patre*) vocabulū quo Paulus vtitur ciuile est, est enim προθεσμία. *Ita & nos*) scilicet Iudæi (quamuis Hieronymus largiùs exponat) redit enim ad primam personam, in quam desiderat cap. tertio ibi: At vbi venit fides, iam nō sumus sub pædagogo, reliqua omnia quæ interiecta sunt, ponuntur in secunda persona, quæ res animaduersa probabilem facit expositionē Augustini, qui coniunctionem (enim) posità intelligit loco (autem) ibi: Omnes enim filij Dei estis. Cùm essemus paruuli, id est, cùm pueri adhuc essemus. Pueritiam hanc quidam referunt ad intellectum, vt posita sit in cognitione. Alij ad affectum referunt, vt posita sit in seruili quadam qualitate. Verus commentarius est, si vtrumq; intelligatur.

Sub elementis mundi huius eramus seruientes) Elementa quidam intelligunt hoc loco physica elementa, hoc est, terram, aërem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aquam,& ignem: & quod dicitur,ad gentes referunt, quæ illa colebant. quæ expositio parum probabilis est, quia clausula quæ sequitur, planè exigere videtur, vt de Iudæis intelligatur. Alij elementa,solem & lunam interpretantur, & quia sol reuehit dies nomine solis per methonymiã dies accipiunt, deinde ex diebus festa intelligunt, & per illa synecdochicus omnes ceremonias legis. Quæ expositio & si magnos habeat authores,non tamen germana videtur,quia nimis longè petita est & coacta. Ex obseruatione aliorum locorum discimus elementa Paulo esse,quęuis initia seu rudimenta,quibus instruitur aliquis ad religionem aliquam,siue illa vera sit siue falsa, Vsus vocis istius est in Epistola ad Hebre. 5. Rursus in Epistola ad Colosſ.cap.2.Quas autem species debeamus hîc intelligere, & quas ad Colosſ. & ad Hebræos,oportet petere ex circumstantijs. Ad Hebræos accipiuntur rudimenta Christianismi,qualia tradebat Paulus.Ad Colossenses cùm dicitur: Videte ne quis vos decipiat,&c. elementa sunt qualia Plato tradebat & alij Philosophi, qui superstitiosè religionem tradiderunt. Hoc loco oportet accipere legem Moysi, quia de eius officio agitur, illam facit rudimentũ, & nihil aliud quàm rudimentum, sed alterius speciei quàm ad Colosſ.& Hebr. In genere tamen conueniunt quia sunt elemẽta. Istud aduertendum est propter Erasmum qui in annot. suis miratur commentarium Hieronymi,facientis alia elementa hoc loco ad Galatas, & alia in Epistola ad Colosſ. Nihil enim aliud vult dicere Hieronymus, quàm aliam esse speciem elementorum ad Colosſ. & aliam ad Galat. Vocabulum (mundi)habet hîc peculiarem difficultatem quam non habet ad Colosſ. Cùm ergo lex Moysi à Deo data est, non humanum rudimentum dici debet, sed diuinum, vnde quidam interpretatur, sub elementis, non quæ mundus tradit, sed quæ mundo à Deo tradita sunt, & mundum accipiunt pro certa parte mundi, nempe pro gente Iudaica: secundum quos duplex tropus est in vocabulo mundi. Primò methonymia pro hominibus degentibus in mundo. Deinde synecdoche. Alij agnoscũt tantùm methonymiã intelligentes Deum dedisse legem apud solos quidem Iudæos, sed non propter solos Iudæos, sed & propter gentes ita vt lex sit rudimentũ totius mundi,mediatè tamen, quia per medios Iudæos Deus voluit mundum erudiri ad veram religionem. Erasmus faciliùs expedit per metaphorã: mundum inquit vocat, quicquid est visibile & caducum. Sub elementis ergo mundi,id est, sub crassis & corporalibus sacrificijs, & visibilib⁹ siue carnalibus ritibus & ceremonijs & mutabilibus(*eramus seruientes*)id est, traditi in seruitutem, siue addicti seruituti.Est enim Græcè participium passiuum præteriti temporis.

AT vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret:vt adoptionem filiorum reciperemus.

AT vbi venit plenitudo temporis) pergit absoluere similitudinem. Obseruandum autem est, quomodo partes partibus respondeant: Recessit à similitudine in elementis:non ait cùm essemus paruuli,sub tutoribus & actoribus eramus,sed sub elementis, quod fecit vt seruaret metaphorã sumptam à pedagogis retinuit similitudinẽ in verbo seruientes. Illud enim respondet illi quod præcesserit, Nihil differt à seruo: quod addit iam, at vbi venit plenitudo temporis, respondet illi quod præcesserit. Vsq; ad præfinitum tempus à patre. Sensus est: sub lege tanquam elementis quibusdam & initijs religionis veri Dei, tanquam sub tutoribus & actoribus eramus addicti seruituti nõ quidem vt perpetuò maneremus sub seruitute, sed ad tempus atque ad id temporis vsque quod secundum suam sapientiam præscripserat & præfinierat Deus: vbi ergo venit præscriptum hoc tempus quo à lege & pædagogo & tutoribus & actoribus instituerat Deus nos eripere,eximere, & educere in statum libertatis.

Misit Filium suum) ad verbum est emisit vel potiùs legauit, emisit inquam in mundum, non vt inciperet ibi esse, quasi priùs non fuisset,sed vt ibi noua ratione esset,quia priùs non fuerat,id est, vt visibilis orbi appareret indutus carne mortali, quod explicans addit Apostolus (*factũ ex muliere*) Mulier ferè de corrupta dicitur, hoc tamen loco vocabulum sexus est,idem pollens quod fœmina: qua significatione etiã apud prophanos authores inuenitur,sed rarius: in diuinis literis sæpissimè. Augustinus dicit Hebraismum esse, verba eius in comment. huius loci hæc fuut:Mulierem dixit pro fœmina more locutionis Hebræorum: adducit similem locũ ex capite secundo Geneseos, Aedificauit Dominus costam quam tulerat de Adam,in mulierem:vbi sermo est de Eua adhuc integra & intacta viro. Hunc locum vrgent commentarij contra Valentinum & Appellem, quorum vterq; negabat Christũ natum de substantia virginis. Alter, nimirum Valentinus cœleste corpus Christum secum adduxisse asserebat, propterea quod scriptum legerat: Secundus homo de cœlo cœlestis. Appelles verò dicebat ipsum ab elementis in aere formasse sibi corpus, atque ita per vterum virginis Christum transisse, quemadmodũ liquor transit per fistulam, aut Luna per rimam. Error horum hîc refutatur,quia transire lumen per rimam, aut liquorem per fistulam, non est nasci lumen de rima,aut liquorem de fistula. Apostolus autem apertè dicit Christum secundum naturam carnis factũ ex muliere, non per mulierem, significans ipsius corpus ex purissimis sanguinibus virginis, virtute & operatione Spiritussancti formatũ esse, & factum sub lege, quia circunci sionem in carne sua susc epit, & in vitæ consuetudine talem planè se præbuit, quasi teneretur lege.

Vt eos qui sub lege erant,redimeret.) Ad verbum est emercaretur, hoc est, dato præcio assereret in libertatem. Variat nonnihil Paulus significationẽ illius (sub lege) quia alio modo Iudæi erant sub lege, quàm Christus: Iudæi siquidem tenebantur lege,& eius imperio premebantur, Christus vero nec premebatur nec ea tenebatur. Sensus ergo est: Christus factus est obediens legi, viuens secundum totam politiam gentis Iudaicæ; vt eos qui sub lege erãt, à legis seruitute & imperio eximeret, vt adduceret eos in statum libertatis.

Vt adoptionem filiorũ reciperemus) hęc pars respondet illi (factum ex muliere.) Sensus est: vt hoc ipso quo factus est particeps naturæ nostræ ex fœmina, adoptionem filiorum, quam in Adam semel acceptam perdideramus,rursum acciperemus, hoc est, ipse cùm esset Filius Dei, factus est filius hominis:vt qui filij hominum eramus, efficeremur filij Dei per adoptionem. Pro(adoptionem filiorum) Græcis vnica vox est nimirum υἱοθεσία. Et notandum quod adoptio hæc diuina multũ differat ab humana, quia efficit non solùm vt habeamus ius filiorum Dei,verumetiam vt simus filij Dei,id est, habeamus participationem, communionem, & consortium quoddam diuinæ naturæ.

QVoniam autem estis filij Dei,misit Deus Spiritũ Filij sui in corda vestra clamantem abba, pater.

QVoniam autem filij Dei estis.) Deflectit hic Apostolus sermonem ad Gentes, quod indicat mutatio personæ. Sensus est: quoniam autem & vos Galatæ per fidẽ estis effecti filij Dei æque atq; Iudei,etiam si non fueritis sub elementis, sub potestate tutorum (*misit Deus Spiritum filij sui*)id est, qui à filio procedit (*in corda vestra*) vel vt alij legunt nostra, hoc est, ex æquo in corda omnium,siue Iudæi simus siue Gentes(clamantem)id est,excitantem ad clamandum (*abba pater*) Clamare secundùm Hieronymũ magis affectus est,quam quod aure percipitur. Sensus est: misit spiritum,qui prębeat & addat vobis fiduciam clamandi ardenti & magno affectu abba,id est, pater. Vocabulum peregrinum Hebræis Syrisq; commune,interpretatur verbo Græco, qui mos peculiaris est scripturis diuinis secundùm Hieronymum, qui adducit similia loca,vt: Bertimeus,filius Thimęi:in Euãgelio. Aser,diuitiæ. Thabita quæ interpretata dicitur Dorcas,In Actis. Et in Genesi, Mesech,vernaculus. Quæ loca parum conuincunt: nam in primo exẽplo illud(filius Thimæi)non necessarium est vt accipiamus dictum per interpretationem. Et Aser,nõ diuitias,sed beatitudinem sonat. Tertium exemplum habet apertam faciem interpretantis, nam additur, quæ interpretata dicitur Dorcas, nihil huiusmodi est in præsenti loco.

Quartum exemplum etiã non caret scrupulo. Pro Hieronymo tamen facit,quòd pater adijciatur nominandi casu, quod pater ex Græco:est enim ὁ πατὴρ. Hieronymum sequitur Erasmus in annotationibus super ca.14.Marci,& in hoc cap.4.ad Galatas.Alijs magis placet, vt sit Anadiplosis, id est, conduplicatio ad Empasim affect⁹ faciens, quũ is loquendi color Hebræis penè sit peculiaris, nunc eandem vocem iterantibus, nunc eandem alia idem polente reddentibus epithaseos gratia,vt: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine,&c. Deus Deus meus,&c. Et sicus bonas bonas, id est, insigniter bonas. Et Domine Dominus noster. Nã in hoc postremo exemplo, Hebræis diuersæ sunt dictiones. Horum sententiam amplectitur Erasmus in annotationib⁹ super cap. 8. epistola ad Rom. Augustinus in commentarijs huius loci sic scribit: eleganter posuit Apostolus duo verba duarum linguarum idem significantia, propter vniuersum populum qui de Iudæis & Gentibus in vnitatem fidei vocatus est, vt Hebræum verbum abba ad Iudæos pertineat, pater ad Græcos. Ex quo commentario discimus locũ, qui est in epistola 178. deprauatum esse. Loquitur enim ibi Augustinus quasi putaret (abba) Græcã vocem esse,&(pater)Latinam. Et non solùm ex commentario huius loci,verùm etiam ex libro de consensu Euangelistarũ idem discere licet: apertè enim cap.4. illius libri habet, abba vocem Hebræam esse. Porrò eò consilio Apostolus sermonem hîc conuertit ad Galatas omissis Iudæis, quo in capite præcedenti cum ait: Omnes enim filij Dei estis,&c. Poterant enim dicere Galatæ, non fuimus sub elementis, sub potestate tutorum, sumus ergo filij? Huic tacitæ obiectioni occurrit, docens ipsos esse filios hoc argumento quod acceperint Spiritũ filij clamantem,&c. Locus iste meritò terrere de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet tepidos & frigidos, qui raro in se experiuntur Spiritum hunc, qui raro ita nominant Patrem, vt verè afficiantur & ei totos se committant.

ITaque iam non est seruus, sed filius. Quod si filius, & hæres per Deum. Sed tunc quidem, ignorantes Deum, ijs qui natura non sunt dij, seruiebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis? Dies obseruatis & menses, & tempora, & annos.

ITaque iam non est seruus.) Nonnulla exemplaria habent (est) in tertia persona alia in secunda persona, es, & hoc modo Græci codices, qui nunc in manib⁹ sunt, legunt. Sensus est: Itaque tu populo Galatarum, quandoquidem accepisti Spiritum filij, deinceps non es seruus sed filius. Loquitur autem de seruo qui timore ducitur, qualis intelligitur, ibi: nihil differt à seruo, & de filio non quouis, sed libero, qui nō est obnoxius pædagogo, qui ſpōtanea indole & liberali animo seruit. Porrò si filius es, consequitur quòd hæres sis, id est, quòd adite quoq; pertineat iure adoptionis hæreditas promissa Abrahæ, etiam si secundùm carnem non sis natus de semine Abrahæ hæres inquam per Deum, id est, per misericordiam Dei. Græci codices, qui nunc in manibus habentur, legunt, & hæres Dei per Christum, Hieronymus verò & hæres per Christū, omissa mentione Dei. *Sed tunc quidem*) cùm videlicet in tenebris gentilitatis ageretis, cum nondum fides in Christū vobis esset prædicata (*ignorantes*) cum qui natura est Deus, seruiebatis ijs qui secundum naturam non sunt dij, sed solùm secundum æstimationē & falsam opinionem hominum. *Nunc autem*) postea quā nouistis Deū (imò cogniti sitis à Deo.) Corrigit quod dixerat, vt magis agnoscant gratiam. Sensus est: Potiùs sic dicere debebam: nunc autem cùm cogniti sitis à Deo: non enim labore vestro vos Deū inueniſtis, sed ille vos cùm in errore versaremini, prior ad se traxit, & vocauit vos ad sui agnitionem, ad suam fidem.

Cùm igitur Deus dignatus sit vos cognitione sui, quomodo conuertimini ad elementa? & rursus ad Solem & Lunam? non quidem vt seruiatis illis vt dijs quomodo olim ijs seruiſtis, sed vt seruiatis diebus, qui per Solis & Lunę cursum reuehūtur, vt obseruetis sabbata, neomenias, & alias solennitates legis, quæ secundùm elementorum volumina sumuntur & administrantur: vel saltem hoc modo asserti estis in statū libertatis per fidem, qua dignatus est vos Deus, quomodo igitur ò Galatę reuoluimini rursus in seruitutem, vt nunc iterum seruire velitis non dico antiquam seruitutem, qua tenebamini quando seruiebatis Ioui, Mercurio, atq; ijs qui natura non sunt dij, sed seruitutem quæ est sub elementis, hoc est, legem Moysi, quam facio rudimentum, sed infirmum, sed egenum nō locuples? Secundum priorem expositionē quæ per elementa primò accipit Solem & Lunam, dicuntur elementa infirma, quia instabili specie variantur: egena verò quia egent summa & stabili specie creatoris, vt quomodo sunt, esse possint. Secundum alteram expositionem quæ primò legem Moysi accipit, id est, ceremonias, & sacrificia, & Sacramenta legis, infirma dicuntur elementa, quia inefficacia ad iustificandum. Egena verò quia gratiam & virtutem non continent. Et aduertendum particulam illam (iterum) referri non ad totam orationem, sed ad partem, vt significetur iterata seruitus.

Dies obseruatis) id est, obseruare vultis Iudaico more, id agitur in deliberatione vestra: dies inquam sabbatorum, nouilunium & decimum diem primi mensis, & cæteros de quibus in libris Moysi, & mensem primum & secundum, & illorum mensium celebres dies, & tempora quibus per annos singulos Hierosolymam venientes oblationem faciatis, & annum septimum remissionis, & annū quinquagesimum, quē vocabant Iudæi Iubilæum.

TImeo vobis, ne sine causa laborauerim in vobis. Estote sicut ego, quia & ego sicut vos. fratres obsecro vos. Nihil me læsistis.

TImeo vobis) id est, de vobis (*ne sine causa laborauerim in vobis.*) Erasmus vertit, erga vos, & ita vertendū esset apud Platonem vel Demosthenem, quia est præpositio ad cum accusatiuo. Sed Paulus (vt sæpe dictum est) illa præpositione abutitur loco ἐν. In vobis ergo tanquam in vinea. *Sine causa*) dixit interpres pro frustra. Sensus est: ne tantos meos sudores reddatis inanes, & sine fructu. Illud (fortè) hoc loco quidam omittūt, sed omnino est verisimile interpretem posuisse. Erasmus in sua translatione non habet, Græce est μάτην, et licet πῶς sæpenumero pariter cum eo sit, & causa ornatus tantum ponatur, Chrysostomus tamen in commentarijs huius loci vrget illud: Habet enim fiducia cùm autem dicit Apostolus metuo, & addit τὸ μήπως, id est, particulam (ne forte) simul & desperationem illis incutit, & in bonam spem erigit: ac si dicat, nondū accidit naufragium, sed adhuc tempestatem hanc hoc parturientem cerno, propterea metuo vobis, non tamen despero: vobis enim in manu est hoc totum corrigere. Ex quibus verbis patet illud πῶς Chrysostomo esse dubitantis & suspensi animi, & non ociosè poni. Non igitur ridendus est interpres noster, qui transtulit per (fortè) dicens. Ne fortè sine causa, &c. Et Erasmus cum in translatione noui testamenti omittat, in textu additis commentarijs Chrysostomi vertit, quia videbat se non posse omittere propter comment. Etiam D. Hieronymus in commentarijs suis vrget particulam ne fortè.

Estote sicut ego) id est, audete magna fiducia negligere legem, quam me videtis negligere, ego sine vllo remorsu conscientiæ negligo elementa ista quamuis à Deo tradita, idem cupio vos facere. *Quia & ego sicut vos*) vos estis gentiles, habetis multa quæ sunt propria adhuc gentilitatis, quæ, dū studeo accommodare me vobis, & ipse facio, cùm præstaret alioquin non facere: quia ego attempero me vobis quantū possum, accommodate vos rursus mihi, faciamus pariā. Dicus Chrysostomus proponit aliū sensum, sed quem dedimus, omnino germanus videtur. Quod sequitur.

Fratres obsecro vos) Hieronymus vult ad superiora referri, ad hunc modū: fratres obsecro vos, fitis vt ego, quia et, &c. Apostolus hactenus prælsit Galatas argumentis & acriter taxauit, dicens: O stulti Galatæ, &c. nunc vertit se in aliam partem, agit oratorem, precatur & obsecrat, qua in re à pastoribus imitandus est: rogare subindè debent populū, & non semper increpare.

Nihil me læsistis) est emollitio. Sensus est: in præcedentibus obiurgatione vsus sum acerbiore, verū nemo suspicetur ob id obiurgatione me vsum, quòd læsum aut offensum à vobis me indicarem, nemo putet me irarum vulgi in morem dixisse, quæ dixi: nihil enim me læsistis.

SCitis autem quòd per infirmitatē carnis euangelizaui vobis tampridem, & tentationē vestram in carne mea non spreuistis, neque respuistis, sed sicut angelum Dei accepistis me, sicut Christum Iesum.

SCitis autem, &c.) Iuxta Chrysostomū est amplificatio & exaggeratio illius (nihil me læsistis) ac si dicat, non solùm me non læsistis, verumetiā multam & inenarrabilem exhibuistis beneuolentiam, vt fieri nō possit, me erga tam bene meritos loqui ex malevolentia. Illud (*per infirmitatem carnis*) varie exponitur. Quidam hoc modo, eo tempore cum agerem apud vos Euangelistam, laborabam aduersa valetudine, sæpe ægrotabam, vidistis me hominem plane infirmum. Hic commentarius Hieronymi est, tradunt inquit Apostolum Paulum grauissimum capitis dolorem sæpe perpessum, & hunc esse angelum Satanæ, qui ei appositus fuit vt ipsum colaphizaret, & hæc infirmitas, hic corporis languor, tentatio Galatarum erat. Habet & alium commentarium Hieronymus, quem transcripsit ex Chrysost. per carnis infirmitatē contumelias, plagas, persecutiones intelligens. Eijciebar, inquit, flagellabar, innumeras mortes sustinebā prædicans vobis, & cùm sic contemptus contumelijs oneratus, infectationibus agitatus, inter vos versarer & prædicarem non tamen ob has afflictiones & persecutiones meas, quæ ab admiratione mei alienare vos poterant, auersati fuistis. Tentationem vestram dixit interpres pro tentatione vestri, id est, qua vos tentabamini ex mea miseria. Recta locutione dixisset Apollolus, non sprevistis me concionantem, quamuis ex me tentaremini: videntes me tam miserabilem, sed sicut Angelum Dei me accepistis, & vt plus aliquid dicam, sicut Christum Iesum.

VBi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verū dicēs vobis?

VBi ergo beatitudo vestra?) id est, illa qua ego vos beatos prædicaui. Græcè est verbale nomen μακαρισμος, à verbo μακαριζω, id est, beatum prædico: cum ego vos conferrem cum alijs, quibus prædicaueram, beatos vos dicebā. Est laus ex comparatione. *Testimonium enim perhibeo*) id est, ita eratis mihi affecti, vt si natura permisisset, oculos vestros effossos dedissetis mihi. Laudat eos vt excitet ad amorem sui, & sibi persuadeat quæ dixit in præcedentibus, dixisse eum nō ex odio aut simultate, sed ex amore aut solicitudine erga eos.

Ergo inimicus factus sum vobis?) fuistis mihi affecti summo amore, ita vt charorem habueritis quàm quæ habetis charissima, nimirum oculos: sum iam factus vobis inimicus quia pergo docere veritatem? quia prædico in hoc argumēto iustificationis oportere niti fide & non lege, vt volunt Iudaizantes?

AEmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono semper, & non tantùm cùm præsens sum apud vos.

AEmulantur vos non bene.) Hactenus laudauit Galatas, nunc reprehendit doctores illius temporis. Aemulor vocabulum medium est ad bonum & ad malum: significat magno studio aliquid conari vt perficias. Sensus est: Iudaizantes magno studio hoc agunt, vt conciliarent sibi animos vestros, & vt vos sibi deditos efficiant. Erasmus vertit ambiunt vos, id est, sub prætextu cuiusdam zelotypiæ & amoris erga vos

Universidad de Deusto
Biblioteca

captant vos, sed non bene: non enim captát vos vt promoueant ad meliora & perfectiora, sed id agunt vt excludant vos à libertate Euangelica, vt inuoluãt seruituti legis Mosaicæ, atq; id agunt non ob id vt vestræ consulant saluti, sed illos imitemini cum admiratione, studioq; insequẽdi, vt de vobis tanquã sectatoribus ipsi glorientur apud vulgus. *Bonum autem in bono*) Græci paulò aliter legunt, hoc modo: bonum autem æmulari in bono semper, id est, bonum est, alios æmulari velle, sed non in quauis re, verùm in re bona. Et ad hunc modum legit Augustinus. Iuxta nostrum interpretem. sensus est: eum qui bonus est, magno studio imitemini, sed tantùm in eo quod bonum est. Semper enim & constanter sequendum est id quod honestum est, etiam cùm is qui tradidit est absens. Si ergo cùm præsens essem, vidistis me legis ceremonias negligentem, & in eo me imitati estis, si id rectum erat, cur nunc alios æmulamini in eo quod non est rectum? Diuersitas lectionis hinc prouenit, quòd apud Græcos facillima sit mutatio ex imperatiuo in infinitum, nec sono vocis apud ipsos distingui possũt æmulari & æmulamini. Si extrema syllaba verbi desinat in (ε) tenue, id est, Epsylon, est æmulamini: si in diphthongon (αι) est æmulari.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.

Filioli mei) quos semel tanquam mater sedula genui Christo non sine multa molestia: nunc autem in errorem prolapsos denuo parturio, id est, magna solicitudine & studio ad Christum reuocare laboro donec plenè Christus formetur in vobis, hoc est, donec ad robur & perfectionem fidei perueniatis videlicet vt agnoscẽtes efficaciam gratiæ Christi in vno Christo spem vestram ponatis, & lege neglecta illi adhæreatis.

Vellem autem apud vos esse modò.) Omnia hæc exponunt mirabilem affectũ Pauli erga Galatas, qua in re ipsum imitari debent præcipuè ipsi qui pastores agunt, videlicet vt similes induant affectus erga suos. Sensus est: cuperem adesse apud vos nunc, vt in omnem habitum vocem meam mutare possim, & nunc blandientis, & nunc obtestantis, nunc obiurgãtis more loqui vobis, nũc deprimere, nunc exaltare vocem, quod per epistolam facere nequeo: illa enim vnius tenoris est: Hoc ferè modo Hieronym⁹. Chrysostomus verò ad hunc modum. Vellem apud vos esse modò, & mutare, id est, sic edere vocem, vt auditor simul intelligere posset gemitum & planctum.

Quoniã confundor in vobis) exponunt quidam. De vobis apud alios erubesco & pudefio. Sed illum non esse sensum, manifestum est ex voce Græca, quæ significat hærere & inopem esse consilij. Sensus est: perplexus sum in vobis quid agere debeam vobiscũ, hæsito quomodo scribere vel quales literas mittere debeam.

Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionẽ, quæ sunt per allegoriã dicta. Genesis 16. Genesis 21.

Dicite mihi qui sub lege) postquàm Galatarum mentem emollijt & vehementiùs sibi conciliauit, denuò redit ad contentionem, argumentis agens sicut antè cœperat. Dicite mihi qui vultis esse sub seruitute & onere legis, tanquam legis obseruatio sit necessaria ad salutem. *Legem non legistis?*) Legem hic vocat Pentateuchum Moysi, Sensus est: quanquam è gentibus sitis ad Christum conuersi, nihil tamen dubito, quin legeritis libros Moysi quos hic nomine legis intelligo. Græcis pro (legistis) habent (audistis) legem non audistis? illa loquitur legem non esse seruandam credentibus. Itaque dum legem vultis obseruare, legi repugnatis.

Scriptum est enim, &c.) est tertium argumentum sumptum ex scripturis, in quo obseruandũ est quid potissimùm vrgeat Paulus. In duobus prioribus vrgebat iustificationem ex fide & gratia Christi contingere, non ex lege: cuius rei declaratio apertissimè ad scopum disputationis pertinet, puta fidem non requirere obseruationem legis. Siquidem hæc vnica causa potuit esse gentibus (ex quarũ numero erant Galatæ) obseruandæ legis, quod ex legis virtute esset iustificatio. Non enim gentibus potuit esse ea causa obseruandæ legis, ob quam Iudæis ad tempus imposita fuit lex. An verò Apostolus idẽ hoc loco vrgeat an aliud potiùs, videlicet legem non esse perpetuam, ex sequentibus patebit.

Scriptum est enim quoniam) id est quòd (*Abraham*) quantũ ad huius rei, de qua iam agimus, significationem attinet (*duos filios habuit*) nam reliqui quos post obitum Saræ genuit, ad huius rei significationem non pertinent: atque vnum horum nempe Ismaelem susceptit ex muliere non libera, sed sibi ancilla: Alterum verò nempe Isaac, ex libera vxore: sed horum duorum filiorum longè est diuersa generandi ratio. Nam Ismael qui ex ancilla susceptus est, natus est iuxta naturæ ordinem & iuxta vires carnis: Id

Id enim habet ratio carnalis propagationis, vt ex puella fœcunda virente adhuc ætate, procreare liberos possit senex. At verò Isaac qui ex libera est susceptus, natus est supra & præter vires naturæ, ex dono & virtute promissionis diuinæ. Repugnat enim naturæ ordini, vt senex ex anu & sterili procreet liberos: verum diuinæ promissionis virtus vires suppeditauit vtrique. Atq; ita quidem se habet historia de Abrahæ vxoribus & liberis: verùm historia præter rei gestæ narrationem habet aliquid intelligentię profundioris, alia quædam altiora proponit quam illa quæ primo apparent, hoc est quòd dicit in sequentibus.

Quæ sunt per allegoriã dicta) vbi annotandum quòd duplex sit allegoria altera verborum, altera rerum. Illa scripturæ cum poëtis & oratoribus communis est: hæc verò scripturæ propria, & de hac in præsentiarum sermo est.

Hæc enim sunt duo testamenta. Vnũ quidem in monte Sina, in seruitutẽ generans quæ est Agar (Sina enim, mons est in Arabia, qui coniunctus est ei quæ nunc est Hierusalem) & seruit cùm filijs suis.

Hæc enim sunt duo testamenta) hęc, id est, hæ duæ fœminæ Agar & Sara, sunt duo testamenta: Sic Chrysostomus, secundum quem (*sunt*) positum est, pro (significant) nec id extortum est, cùm vocabulum allegoriæ quod præcesserit, id plane requirat. Significant ergo duo testamenta, quorum alterum traditum est in monte Sinai, vel (secundum lectionem Græcorum à monte Sina, scilicet profectum est, generans populũ seruituti obnoxium. Seruitus hæc posita est partim in obseruantia multiplicium & obscurarum ceremoniarum, partim in affectu, hoc est quod Apostolus ait ad Roman. 8. In spiritu timoris, quo metu pœnæ, non amore iustitiæ, abstinetur à malis.

Quæ est Agar) id est, quod testamentum in monte Sina traditum est Agar, id est, typicè significatur per Agar ac rectè sanè vetus testamentum significatur per Agar. Nã Agar, Syrorum aut Arabum lingua hoc est, quod Hebræorum lingua Sina, qui mons est in Arabia minore. Refert ergo Agar typum veteris testamenti non solum in hoc quòd ancilla est, verumetiam per suam nomenclaturam, quia nomine suo exprimit montem Sina, vbi tradita est lex. Secundum hanc interpretationem quæ est Chrysostomi, Theoh. & Oecum. illud (mons Sina) prædicatum est, & repetitur vocabulum, Agar, ad hunc modum. Quæ est Agar, Agar enim Syna mons est in Arabia. Quæ lectio est in omnibus Græcis exemplarib⁹, in nullis verò Latinis. Sed neque apud interpretes, Latinos vllum est vestigium repetitionis, præterquàm apud Ambrosium. Sed omnes intelligunt vt (Sina) sit subiectum, licèt aliter & aliter interpretentur. Quidam enim vrgent ethymologiã Arabiæ, hoc modo: Rectè illud testamentum vetus generans in seruitutem, datum est in monte Sina. qui situs est in Arabia. Nam Arabia iuxta ethymologiam significat humilitatem, afflictionem, depressionem siue occasum, quo significatum est per allegoriam, quòd vetus testamentum generaret populum humilem, afflictum, depressum siue seruum. Alij non ethymologiam nominis Arabiæ, sed rem ipsam siue situm regionis vrgent, interpretantes ad hunc modum. Sina enim mons est in Arabia, quæ regio extra terram promissionis est. Ex quo intelligi datur, quòd vetus testamentum non sit proprium filiorũ. Alij pondus argumentationis esse putant ibi (& seruit cum filijs suis) vt sensus sit: Sina enim mons est in Arabia seruiens cum populo suo, vt argumentetur Apostolus ex qualitate & conditione montis, & accolarũ ipsius.

Præter expositiones has, sunt & aliæ, sed quas annotauimus, præcipuæ sunt: quæ tamen omnes non carent magnis scrupulis, quos nimis longũ esset hic recensere. Quẽadmodum autem pars ista sic & ea quæ sequitur, variè exponitur. Quidam enim ad hunc modũ interpretantur (*qui coniunctus*) scilicet per radices (*ei quæ nunc est Hierusalẽ*) Alij exponunt qui coniunctus est, non quidem per radices, cùm inter ipsum & Hierusalem nimis magnum spacium sit, sed hactenus coniunctus, quia spectat ipsam Hierusalem. Alij intelligunt, qui coniunctus est ei, quæ nunc Hierusalem est per Arabiam: quia Arabia, in qua situs est mons Sina, contingit Iudæam versus meridiem, & per Iudæã confinis est ipsi Hierusalem. Alij dicunt montem Sina coniunctum esse Hierusalem hoc sensu, quia indè profecti sunt filij Israel in terram Canaan, in cuius meditullio sita est Hierusalem: vt intelligatur coniunctus nõ vicinia loci, sed continuatione itineris filiorum Israel indè proficiscentium in Hierusalem. Alij ad hunc modum interpretantur: qui coniunctus est, non quidem vicinitate, loci & spacij, sed similitudinis allegoriæ, ei, quæ nunc est Hierusalem. Nam sicut mons Sina generauit in seruitutem populum carnalem, cui dabatur lex dum terrorem incussit minis suis, & gratiam non dedit: Ita terrena Hierusalem generat populum seruituti obnoxium. In hac tanta expositionũ varietate vt aliquid certi habeatur, primò annotandum est naturam allegoriæ esse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse,vt non probetur, sed ex mera authoritate proferatur. Secundò coniunctionem (enim)apud Paulũ non semper seruire causæ,sed interdum repetitioni, & vim habere asseueratiuã iuxta idioma Hebraicũ,quemadmodum annotatum est in cap.2.in expositione partim illius loci: Mihi enim qui videbantur esse aliquid,&c.partim illius:Propter quod ex operibus legis non iustificabitur,&c. Tertiò annotandum vocabulum Græcum συστοιχεῖ quod noster interpres vertit coniunctum esse, significare consensum in natura & proprietate ingenij, vel in alia qualitate quapiam, vt doctissimè docet Budæus in commentarijs linguæ Græcæ: hinc συστοιχία vocant Græci, quæ nos cognata,vt cùm dicimus,illa vitia sunt sibi cognata.

Quartò annotandum commentarium Ambrosij in hunc locum: Sina enim mons est in Arabia,&c. vbi nulla fit mentio Agar, sic habere: Causam Agar significare dicit terrenam Hierusalem. Videtur ergo Ambrosius hoc loco subaudiuisse Agar, quod nomẽ Græci codices constanter exprimũt. His animaduersis facilè est deuenire in germanum sensum huius loci. Dixerat Apostolus Agar,typum gerere veteris testamenti:hoc magis inculcare volens,idem repetit alijs verbis dicens: Agar enim, Sina mons est, quasi dicat. Agar reuera est typus eius. Quod dixi veteris testamẽti,iam dico montis Sina, per metonomiam pro re exhibita in monte Sina, qui situs est in Arabia, quia addit nomen regionis, propterea est hîc aliqua explicatio,& non nuda repetitio, quasi dicat, vos Galatæ scitis quid sit mons Sina, ex vsu scripturæ nouistis,quòd sit res horribilis,quòd sit extra terrã promissionis. Ista volo vos aduertere, vt ex his intelligatis naturam veteris testamenti siue legis. Ob eandem causam miscet & Hierusalem dicens, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, hoc est, mons Sina eiusdem est naturæ & indolis, cuius est nostri temporis Hierusalem. Hæc duo quo ad rem de qua ago, cognata sibi sunt. Hierusalem situ quidem longè abest à Sina, & propterea videri posset non pertinere ad Sina, tamen est planè Sinaica.Conferte eam doctrinam quam accepistis à me, cum ea quæ est in ciuitate Hierusalem: Item spiritum & vitam vestrã,cum spiritu & vita eorum qui habitant Hierusalem, inuenietis verè esse Sinaicam & legalem: deprehendetis vitam eorũ simillimam esse vitæ eorum, qui terrebantur in monte Sina. Eam quæ nunc est Hierusalem,vocat crassam terrenam,carnalem: talis siquidem erat Hierusalem cùm ista scriberet Paulus. Aliter interpretatur Erasmus: habet enim sic in annotationib⁹, Quod addit, quæ nũc est, huc pertinet, quòd olim ea ciuitas alijs nominibus fuerit appellata, primò Iebus, deinde Salem, deinde Hierusalem, velut ex vtrisq; compositio vocabulo sed corrupto, cùm dicendum erat Iebusalem, Sensus ergo secundùm ipsum est: Qui coniunctus siue confinis est ei ciuitati, quæ nunc appellatur Hierusalem. Sed verisimilius est, Apostolũ respexisse ad id quod priùs diximus.

Et seruit cum filijs suis.) Est hîc repetitio eiusdem rei. Agar est vetus testamentum, Agar est Sina mons in Arabia, Agar seruit cũ filijs suis,id est,legistis. Alij suppositum verbi(seruit)faciunt Hierusalem: verùm facies dictionis. Paulinæ Græca magis ducit ad priorem sensum. Græca enim sic habent: Quæ est Agar: nam Agar Sina mons est in Arabia, coniunctus est autem ei quæ nunc est Hierusalem: seruit autem cum filijs suis. Pro altera sententia facit quod sequitur.

ILla autem quæ sursum est Hierusalem, libera est,quæ est mater nostra. Scriptũ est enim, Lætare sterilis,quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis,quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Esaiæ 54. Lucæ 1.

ILla autem quæ sursum est Hierusalem) quã opponit terrenæ. Sensus est: Illa Hierusalem quæ per fidem & spem sursum est, cuius typum gerit Sara,est libera: & sicut ipsa est libera, ita & populum generat liberum, quia partus sequitur vterum. Supernã Hierusalem vocat præsentem Ecclesiam, Ecclesiam noui testamenti. *Quæ est mater nostra*) id est,omniũ credentium. *Scriptũ est enim.*) Esaiæ 54. *Lætare sterilis quæ non paris*) id est, tu Ecclesia primitiua, quæ ea parte qua ex gentibus constans, hactenus sterilis fuisti, & nullos peperisti filios Deo: imò quæ nec conata quidẽ es vllos filios Deo parere, sed citra Dei omnem cognitionem dæmonib⁹ pariebas:lætare, erumpe in vocem gaudij,& clama præ lætitia: *Nam multi*) id est, plures iam sunt filij tui,quæ hactenus tanquam effœta deserta fuisti à Deo. *Magis quàm eius quæ habet virum*)id est, quàm maritatæ, hæc est synagoga quæ Moysen siue legem tanquam maritum habuit.

NOs autem fratres, secundùm Isaac promissionis filij sumus. Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Genes. 21.

NOs autem fratres,&c.) vt autem propositam allegoriã explicemus ad propositũ, nos Christiani filij sumus non carnis vt Ismael, qui iuxta naturæ ordinem, iuxta vires carnis progenitus est, sed sumus filij promissionis, in morem siue ad similitudinem & exemplum Isaac, qui supra virtutem naturalem carnis, ex promissiõe natus est. *Sed quemadmodum tunc is,&c.*) pergit ostendere congruentiam rerum cum rebus, quin hac quoque parte, ait, pulchrè congruit allegoria. Quòd sicut tunc maior natu Ismael, qui iuxta carnẽ tantùm fuit filius maior Abrahæ, lactantem adhuc paruulum Abrahæ filium, qui secundùm virtutem Spiritussancti & promissionem natus fuerat, persequebatur, sibi circuncisionis prærogatiuam & primogenita vendicans: Ita & nunc Israelitæ secundùm carnem,qui carnali legi inhærent, & iuxta carnem tantùm sunt filij Abrahæ, aduersus minorem fratrem nempe Ecclesiam gentium, quæ iuxta promissionem & fidem sunt germani filij Abrahæ, inflantur & eriguntur, non sustinentes spiritualem Euangelij veritatem vmbris legis Mosaicæ præferri.

Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillã) quo significatum est vetus testamentũ aliquando eijciendum, vt non sit eius vsus in populo Dei. *Et filium eius*) periphrasis est Ismaelis: Congruentia hîc dura est & terribilis: Sicut Ismael exactus est ex ædibus paternis, ita legistæ eijcientur, nec in domo manebunt perpetuò: & sicut Ismael non succesit in hæreditatem:ita legistæ non erunt hæredes, id est, non cõsequentur rem promissam Abrahæ & semini eius.

ITaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.

ITaque fratres) Sensus est: Cùm igitur non simus filij carnis secundùm Ismaelem,sed sumus filij promissionis secundùm Isaac, consequitur quòd non sumus filij ancillæ, quòd non pertinemus ad typũ Agar, quòd non sumus populus veteris testamenti, sed quòd sumus filij liberæ, quòd pertinemus ad typum Saræ, quòd sumus populus noui testamenti, populus liber.

Qua libertate Christus nos donauit) Sensus est:libertatem hanc non nostris meritis aut nostris viribꝰ nobis parauimus: sed propter Christum, gratuito Dei beneficio nobis donata est. Clausulam hanc qua libertate Christus nos liberauit,Græci initium faciunt sequentis capitis adiecta nota illationis. Legunt enim ad hunc modum. Qua ergo libertate Christus nos liberauit, state & nolite iterum,&c. Verùm Hieronymus habet & interpretatur lectionẽ nostram, Similiter & Ambrosius.

CAPVT V.

STate, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circũcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autẽ rursus omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Actor. 15.

STate & nolite iterum iugo seruitutis contineri,&c.)est adhortatio,qua concludit apostolus tertium argumentum sumptum ex scriptura. Sensus est: cùm per Christum semel donati sitis libertate, state in ea constanter,retinere eam. Quod dicit(state)fluctuationem inquit Chrysostomus, indicat. Iugum seruitutis legem vocat duram, difficilẽ,laboriosam: ne implicemini iugo tam onerosæ legis. Quod addit(iterum)significat Galatas antè seruisse, licèt non legi: vide cap. 4. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa?

Ecce ego Paulus,&c.)Hactenus argumentatus est, nunc interponit authoritatẽ apostolicam: Id quod euicì argumentis,nunc authoritate apostolica affirmo. Palàm dico vobis, si circuncidamini ita vt ponatis spem salutis in circuncisione,aut credatis circuncisionem necessariam ad salutem, Christus, id est,fides in Christum,vel gratia Christi nihil vobis proderit. Quòd si istud non retrahit vos, saltèm retrahat vos negotij difficultas: Nam præterquam quòd periculosa est circuncisio importabile quoque iugum & pondus seruitutis secũ adfert, hoc est quod sequitur (*testificor autem omni*) id est, cuiuis tam gentili quàm Iudæo (*quoniã debitor est*) id est, quòd obnoxium se reddat vniuersæ legi seruandæ. Est enim circuncisio diuinitus instituta tanquam signum quoddam, quo homines inscriberentur in genus & religionem Iudaicam, vt hoc signo profiterentur se obseruatores legis & religionis Iudaicæ. Chrysostomus aliam adfert rationẽ, quòd nimirũ cum circuncisione coniunctæ sunt multę ceremoniarum species, quas obseruare cogeris dum circuncisionem exerces. Verùm prior interpretatio magis germana est.

EVacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Nos enim spiritu, ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu, neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium. sed fides quæ per charitatem operatur.

EVacuati estis à Christo) id est, Christus factus est vobis tanquam non haberetis eum, factus est vobis otiosus & irritus, hoc est, opus, labor, siue beneficium Christi nihil vobis profuturum est, qui ex legis Mosai-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mosaicæ obseruatione quæritis iustificari: (*à gratia*) id est, à gratuita iustificatione, quâ semel per Christum assecuti estis (*excidistis*) partim quia diffidetis gratiæ, dum aliunde quæritis iustificari, partim quia gratiæ præbetis vos ingratos. Cùm enim hoc præstet Christi gratia, vt qui debitores erant seruandæ legis, liberentur hoc debito, vos ingrati tantæ gratiæ, debitores esse vultis legis.

Nos) sanè qui syncerè sumus Christiani (*per Spiritum ex fide*) in Iesum spem iustitiæ expectamus, non ex circuncisione vel carnali obseruatione legis: Fides est quæ impetrat Spiritum, Spiritus in corde credentium efficit iustitiam: Sic Chrysostomus qui per Spiritum intelligit Spiritum sanctum. Alij Spiritum positum putant ad distinctionem literæ, hoc sensu: Nos iuxta spiritualem legis intelligentiam ex fide spem iustitiæ expectamus. Spem iustitiæ dixit pro sperata iustitia, vel potiùs pro ea quæ in votis est, quam ambiunt & synceri Christiani, & Iudaizantes, ac si dicat, & Christiani & Iudaizantes in votis habent iustitiam: nos hanc expectamus spiritu ex fide. Alij interpretantur de vita æterna, quæ redditur iustitiæ.

Nam in Christo Iesu) neq; circuncisio aliquid valet, sicut falsò vobis persuadere conantur Iudaizantes (*neq; præputium*) scilicet aliquid valet, sicut arroganter quidam iactitant ex gentibus conuersi: sed in Christianismo id vnum est quod valet, nempe fides, fides inquam, non quæuis, sed quę operatoria est per charitatem, nõ tanquam per effectum suum siue per instrumentum vel organum sed tanquam per causam, vnde habeat ipsa fides efficaciam operãdi: Ipsa enim fides ad operationem iustitiæ tanquam dispositio est, accipiens vim & efficaciam, & energiã operandi per charitatem. Quidam interpretantur hîc Paulum, quasi id agat, quomodo ex impio quis efficiatur iustus. Alij ipsum putant solicitum esse de vita hominis iam iustificati, vt doceat quid agere debeat, & in quibus occupari qui iustus est: & horum sententiæ fauet illud, in Christo Iesu.

Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.

Currebatis bene) id est, pulchrè succedebat vobis & in vita, & doctrina Euangelica. *Quis vos impediuit?*) in isto cursu erat spes magni profectus, quisnam interrupit cursum vestrum? quisnam tantum valuit? Notat pseudoapostolos. Quod additur (*non obedire veritati*) Chrysostomus non legit, nec in commentarijs vllam mentionem facit: Græci tamen codices qui hodie extant, illud legunt. Quis vos impediuit, quò minùs obtemperaretis veritati? *Nemini consenseritis*) Istud non est in Græcis, neq; Latina omnia habent, & in quibus habetur, ferè obeliscо prænotatur. Si legamus, sensus hic est: Nemini prorsus, quisquis ille tandem sit, qui ad circuncisionem & legis Mosaicæ obseruationem vos inuitat, consenseritis. *Persuasio hæc*) qua vobis persuadere conantur, cum Euangelio Moysen miscendũ esse, non proficiscitur ab eo authore, qui principio vocauit vos ad fidem & veritatem Euangelicam. *Qui vocat vos*) periphrasis est Patris. Tacitè significat esse zizania à patre Diabolo.

Modicum fermentum, totam massam corrupit. Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunq; est ille.

Modicum fermentum, &c.) Est allegoria vocum: Paruus aliquis error afflicit ipsam substantiam religionis, mutat & euertit. Ne existimetis inquit parui referre, si nõ totam recipientes legem, circuncisionẽ saltem recipiatis, & aliquas legis vmbras: quantulacunq; legis portio sit, si cum fide Euangelij misceatur, totam fidei syncritatem viciabit, quemadmodum paululum fermenti totam conspersionem cui admixtũ fuerit, acidam reddit, paulatim diffundens suum acorem. Pro (corrupit) quidam legendum putant (corrumpit) quia Græcè est fermentat. Modicum fermentum totam conspersionem fermentat.

Ego confido in vobis quòd aliud, &c.) (in) pro (de) posuit, id est, de vobis confido (*in Domino*) id est fretus bonitate Christi, quod post hanc meam admonitionẽ, nihil aliud sentietis diuersum ab eo quòd principio tenebatis de libertate per gratiã Christi vobis donata, confido quod in hac re non sequimini persuasionem nouam.

Qui autem conturbat vos) id est, dimouere studet à vera doctrina, quam semel à me accepistis, dabit pœnas nõ effugiet iudicium Dei, id est, vindictam quicunq; ille tandem fuerit quantumuis magnus.

Ego autem fratres, si circuncisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.

Ego autẽ fratres si circuncisionem, &c.) Trahebatur Paulus hoc nomine, quod alijs locis aliud & aliud doceret, quod apud Iudæos pro Moyse staret: apud Gentes contra Moysem: hanc calumniã & suspicionem à se amolitur. Quod si circuncisionem, inquit, adhuc prædico, vt calumniantur pseudoapostoli. Cur adhuc persecutionem patior: scilicet à Iudæis: cur tã obstinatis odijs me insectari pergunt: Manifestum enim est hanc solam fuisse persecutionum mearum causam, quod docuerim Christi gratiam neque circuncisionem neque legem requirere: Sublata ergo causa persecutionis, cur durat persecutio: Significat Apostolus quod Iudæi non erant persecuturi ipsum, si voluisset permittere Moysen, etiam si prædicasset Christum.

Ergo euacuatum est scandalum crucis) id est Si verum est me esse præconem circuncisionis & legis, cessat offendiculum Iudæorum, qui offendi solent ad prædicationem crucis Christi. Non enim tam offenduntur ob id, quod prædico Christum crucifixum, eumque esse Messiam: quàm quòd prædicem legem per ipsum abolitam. *Vtinam & abscindantur*) vtinam qui sic vrgent apud vos carnalem circuncisionem, & vos à recto statu deijcere conantur. Id enim significat quod dicit, qui vos conturbant. Siquidem Græcè est ἀνασατοῦντες, id est, qui vos commouẽt siue de statu submouent. Vtinam inquam per diuinæ iustitiæ vindictam non solum circuncidantur, verum etiam exsecentur, hoc est, pudenda ignominia, grauique dolore, eis membrum illud totum semel abscindatur, cuius occasione delinquunt: vt hac ignominia corrigantur: Sic Chrysostomus. Alij aliter exponunt, ad hunc modũ: vtinam prorsus amputentur à vestro contubernio, ne diutius ordinem vestrum turbare possent quando tam pertinaciter suam de circuncisione sententiã retinentes, corrigi nequeunt.

Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem.

Vos enim in libertatem vocati estis) Sensus est, gratuita Dei vocatione, translati estis in libertatem Euangelicam per quã facti estis liberi, non solum à peccatis siue domino peccati, nec solum à seruili qualitate seu spiritu timoris: verum etiam ab onere & iugo graui circuncisionis, & præceptorum carnalium legis. In his tribus, cum sita sit libertas Christiana, hoc tamen loco eam potissimum significat Apostolus libertatẽ, quæ est à cæremonijs & iugo legis Mosaicæ: quod discimus ex vocula (enim) quæ rationem reddit, quare inuitantes ad circuncisionem, quæ prima cæremoniarum est, statu dimoueant Galatas. Vnde indoctè agunt Lutherani, qui locum istum interpretantur in hunc modum: Vos fratres vocati estis in libertatem, scilicet ab obedientia præstanda, quibusuis superiorum legibus, siue in libertatem à quibusuis legibus positiuis.

Manifestum est enim, tum ex circunstãtijs, tum ex ratione scripti, Apostolum agere de abrogatione veteris legis: de hac siquidem controuersia erat apud Galatas, an lex Moysi necessario seruanda esset à fidelibus: Certe hæc ipsorum interpretatio palam aduersatur doctrinę Pauli in epistola ad Rom. 13. aperte docentis, obedientiam ex necessitate præstandam esse legibus quas constituunt principes, vide D. Turnout lib. 3. de libertate Christiana, in argumento primo & eius solutione: Rursus in argumento 8. & solutione eiusdem. Porrò libertas illa, qua quemque liberum esse volunt ad agendum quæuis, quæ iustitiæ & charitati non aduersantur (vt verbi gratia ad ducendum vxorem, ad vescendum sine delectu quibusuis cibis, quouis tẽpore, & ad alia id genus, quæ per se non repugnant iustitiæ & charitati) neque libertas ipsa Christiana est, neque etiam per se & necessario ipsam concomitatur, tanquam aliquid ordinatũ à Christo, quod obseruari vellet à Christianis: videlicet quasi Christus ordinasset, vt Christiani haberent libertatem agendi in rebus indifferẽtibus, & per se non continentibus rationem iustitiæ, quicquid libẽret, modo id fieri posset sine scandalo. Cùm enim Christiana libertas in eo per se substantialiter cõsistat, vt quis à peccati seruitute liber, vni Deo adhæreat, spontanea indole faciens quæ ipsi placita sunt: consequitur, quod ea, quæ augendę erga Deum charitati conducunt, etiam si minuent libertatem circa res medias, magis consentanea sunt Christianę libertati, quàm eam imminuant.

Huiusmodi autem sunt quædam Ecclesiæ ordinationes, de abstinentia à quibusdam cibis, rursus de ieiunijs, item de cœlibatu sacerdotum. Quare quod dicitur per Christum datam esse libertatem credentibus circa ea quæ non sunt per se necessaria ad salutem, intelligendum est in hunc modum: quòd nimirum Christus nihil certè statuerit de huiusmodi indifferentibus, sed permiserit sponsæ suæ Ecclesiæ, & illius præsidibus constituendas ordinationes pro ratione, & conditione temporum & locorum ad lucrum & præsidium charitatis. Quia Apostolus iam aliquoties meminit libertatis ne quis putaret hinc licere Christianis quicquid lubet, adijcit.

Tantum ne libertatem, &c.) quorum verborum hæc est sententia, Non est quòd de ceremonijs legis præstandis soliciti sitis: vocati enim estis in libertatem, id tantùm curandum est, ne libertatem hanc in occasionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem vertatis carnis, hoc est, ne libertate hac qua donati estis per Christum abutamini ad vitæ licentiam, ne huius prætextu, carnis desideria perficiatis. De eadem re solicitus est Apostolus in Epistola ad Romanos: *Sed per charitatem spiritus.*) Ne vita iustificati sit otiosa, & sine fructu, ostendit, qua in re exercere se debeat Christianus. Iudæi, inquit, exercentur in ceremonijs à lege præscriptis, vos exerceri volo in charitate, in mutuis officijs præstandis. Genitiuus (spiritus) non est in Græcis codicibus, sed nec Græca scholia vllam eius faciunt mentionem. Similiter nec Chrysostomus in commentarijs, additus tamen nihil officit sensui. Annotat Chrysostomus, quòd non dicit, per charitatem diligite inuicē, sed seruite, quòd vehementius est liberos ergo vult esse seruos, sed seruos iuxta instinctum charitatis, quæ nomine quidem seruitus est, sed re libertas & ingenua libertas.

Leui. 19. d Matt. 22. d Marc. 12. d Rom 13.

Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.

Omnis enim) id est tota lex impletur in obseruatione vnius mandati, nempe huius: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Cuius sententiæ expositio petatur ex cap. 13. Epistola ad Ro. *Quod si inuicem mordetis*) quòd si per contentiosas disputationes, quas de lege & circuncisione inter vos agitatis, aut inuidia aut gloria accensi, obtrectationib⁹ mordetis vos mutuo, & quod asperius est, deuoratis: ingens periculum est, ne mutuis obtrectationibus tanquam mutuis vulneribus conficiamini.

Iacob. 2. b Rom. 13. d 1. Petr. 2. c

Dico autem in Christo, spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.

Dico autem in Christo, &c.) explicantis est, Verba mea quibus iam dudū vtor, huc spectant: summa eorum quæ dicere volo hæc est. Alij accipiunt vt sit hortantis, hortor & vos & moneo in doctrina Christi: verum prius magis est ex consuetudine Pauli, Et illud (in Christo) non est in Græcis codicibus, sed neque Chrysostomus in commentarijs, eius dat vllam significationem: Similiter D. Hier. neque Amb. *Spiritu ambulate*) id est, exigite vitam quotidianam ad doctrinam spiritus, vel certè hoc modo intelligatur exigite vitam iuxta instinctus spiritus: nec refert siue spiritus accipiatur pro Spiritu sancto, siue pro spiritu humano, quatenus tamen sanatus est per Spiritum sanctum.

Isti autem instinctus spiritus magis erant euidentes tempore Pauli, quando calebat sanguis Christi in cordibus credentium, quam nunc in isto frigore charitatis. Istud si feceretis, non abutemini libertate Christiana ad vitæ licentiam, hoc est, quod dicit (*& desideria carnis non perficietis*) quia quamdiu agimus in hoc mortali coprore, velimus nolimus, sentimus ea.

Caro enim cōcupiscit aduersus spiritū.) caro, i. carnalis anima, alioquin caro ex qua tāquā ex altera sui parte componitur homo, neqi est dictatrix peccati, neq; cogitationes formet, neque disponit agenda: sed est veluti officina animæ quæ in ea formet turpitudinum idola, per quam eam peragit & consummat, vt eruditissimè docet Cyprianus in prologo libelli, quem de cardinalibus operibus Christi conscripsit. Alij nomine carnis totum hominem accipiunt, quatenus carnalis est. Ex hoc loco, Manichei olim statuere conati sunt duas esse naturas in homine: alteram malā à dæmone authore profectam, quæ in carne inhabitans per carnem concupiscat aduersus carnem, sed malè id. Eadem namque prorsus est anima, quæ per carnem concupiscit secundum carnalem appetitum, & quæ per spiritum concupiscit iuxta appetitum rationalem. Intelligendū est in anima duplicem esse vim appetitiuam: Alteram quæ est rationis expers, quam appellamus appetitum sensitiuum: hic enim appetitus in natura adhuc vitiata sine ordine rationis sectatur carnalia commoda: secundum hanc igitur vim, anima concupiscit aduersus spiritum: nam huius motus aduersantur motibus spiritus: Alteram quæ est rationis particeps, quam voluntatem appellamus, hæc per gratiam sanata & renouata concupiscit ex directione spiritus spiritualia bona. Eadem igitur est anima, quæ secundum diuersis vires aduersus seipsam pugnat.

Quamquam B. Augustin. non modò eandem animā diuersis motibus æstuantem, secundū diuersos & contrarios appetitus hoc diffidiū sentire scribat, verumetiam vim rationalē. Docet enim eandē hominis voluntatē litigare, rixari ac pugnare secum: dum ex Spiritus sancti inspiratione tota vult grecis bonis adhærere: ex pondere verò carnalis consuetudinis vult adhuc terrenis commodis & delectationibus frui, vide ipsum lib. 8. confess. cap. 5. & sequētibus. Hæc enim sibi inuicem aduersantur) id est, motus spiritus sunt contrarij motibus carnis. Caro enim solicitat ad turpia, spiritus verò inuitat ad honesta.

Vt non quæcunque veltis faciatis) hoc est, vt sciatis vobis etiam qui iusti estis, non esse in manu,

in manu, non concupiscere vultis, non tangi motibus carnis, interea tamen tangimini. *Quod si spiritu ducimini*) soluit Apostolus tacitam obiectionem. Dicere poterant, est molestum incitari ad turpia & interim teneri lege quæ illa prohiber. Respondet Apostolus, qui semel hausit spiritum gratiæ, & deinde obseruat instinctus spiritus, & præbet se illis, tali lex non est molesta, talis non cogitur lege, sed est supra legem, quia etiam si lex non esset, præstaret ea quæ legis sunt. Non estis (ergo) sub lege,) etiam illa, quæ prohibet concupiscere, quæ est decalogus: non estis, inquam, sub ea tanquam sub pædagogo cogente, & seruiliter restringente. Alij interpretantur hoc modo: non estis sub lege accusante & damnante. Lex non tenet vos reos & obstrictos pœnis suis: quia adiuti spiritu, quo ducimini in vita quotidiana, præstatis legem.

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Manifesta autem sunt opera carnis) postquam obiter soluit obiectionē, quam videbat posse obijci, redit ad exhortationem: Dixi, inquit, de premendis motibus carnis & eius operibus: illa autem manifesta sunt. Opera carnis vocat, quæ caro operatur, hoc est, quæ anima quatenus carnalis est, operatur: Porrò anima carnalis accipienda est non tantum ea, quæ operatur aliquid per carnem, siue per carnis sensus, sed anima carnalis intelligenda est: quatenus operatur ex corruptione per Adam tracta. Ita oportere accipi patet ex ijs, quæ subijcit Apostolus. Nam inter opera carnis numerat sectas & hæreses. Istud diligenter annotauit Aug. lib. 4. cap. 2. &. 3. de ciuitate Dei ostendens carnem dici carnalem hominem: carnalem verò hominem accipiendum esse qui secundum seipsum viuit. i. qui secundum amorem sui ipsius viuit, idque ex corruptione per Adam tracta. Quod ad catalogum attinet, sciendum tam Græcos quam Latinos codices hîc variare in enumeratione vitiorum. D. Hierony. in commentarijs suis, non solùm interpretatus est, verum etiam quo ordine legi debeant vitia ista indicauit. Primum, inquit, opus carnis, fornicatio est, hæc Græcis πορνεία dicitur, quam quidā explicant iuxta ethnicos, apud quos est generis nomen. Alij iuxta scripturæ & veterum certam speciem accipiunt, vt sit cōcubitus soluti cum soluta. Secundum opus carnis, immundicia nuncupatur, quo vocabulo significauit Apostolus vsum rei venereæ contra naturam siue (vt Hierony.) libidinem extraordinariam, Hanc comes luxuria sequitur pro qua Græcis est ἀσελγεία, id est, lasciuia, cuius vocis significatum doctissimè explicat Budæus in commentarijs linguæ Græcè. Omnino verisimile est Apostolum significare voluisse cæteras turpitudinum species & motus: ipsarum quoque opera nuptiarum si non verecunde & cum honestate, quasi sub oculis Dei fiāt. Quantum in catalogo operum cernis locum tenet, idiolatria, id est, simulachrorum cultus, cui veneficia succedunt, quo vocabulo complexus Apostolus est omnes magicas artes. Post veneficia, inimicitia ponitur, i. odiū erga proximū, & perpetuæ simultates: Septimū locū inter opera carnis, contētio possidet. i. oppugnatio veritatis cū fiducia clamoris. Post contentionem octauo succedit æmulatio, quæ Græco sermone ζῆλος appellatur significantiùs & notiùs. i. dolor animi: de eo quod alius peruenit ad rē quā duo pluresque appetebant, & nō nisi ab vno haberi potest. Deinde ponuntur iræ. i. appetitiones vindictarum. Post has, rixè sequuntur, quas Græci ἐριθείας vocant. Est autem ἐριθεία cum quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno & muliebri iurgio contendit, & prou contendentem. His succedunt dissensiones, factiones in religione, cū quis dicit: Ego sum Pauli, alius ego sum Cephæ, ego Apollo, &c. Hier. extendit etiam ad dissensiones domesticas, vt ex mariti ad vxorem, patris ad filiùm, fratris ad fratrem. His iungūtur sectæ. i. hæreses: ea enim voce vtitur Paulus.

Hæresis enim Græcè ab electione dicitur, cùm quis eam elegit disciplinam in doctrina religionis, quæ sibi melior videtur relicta veritatis regula, cùm quis credendarum regulam facit suam propriam opinionem. Hæreses sequuntur inuidiæ: has ebrietates post quas decimo quinto loco ponuntur commessationes. In Latinis codicibus ait Hiero. adulterium quoque & impudicitia & homicidia in hoc catologo vitiorū scripta referuntur, sed sciendū non plus quàm quindecim carnis opera nominata, de quibus & disseruimus. Quod dicit adulterium haberi in Latinis codicibus, de illis intelligit qui tum temporis erant in manibus, in nostris hodie non habētur. In Græcis codicibus primo loco ponitur: habent enim ad hunc modum, manifesta sunt opera carnis, quæ sunt μοιχεία, πορνεία, etc. Annotandum quoque propter Erasmum D. Hieronymū cathalogo vitiorum non agnoscere impudicitiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitiam. Qui legunt impudicitiam, referũt ad libidinem, quæ consistit in aspectibus, in osculis, in tactibus, Pro homicidijs. Græci habent cedes. D. Augustinus in suo catalogo neutrum habet. Porrò quia longum erat vniuersã carnis opera replicare, & catalogum facere vitiorum, idcirco omnia vno sermone cõclusit dicens: Et his similia, quæ nunc per literas iterum prædico, cum præsens essem apud vos, quod qui vel hæc, vel his similia agunt, scilicet ex intentione & deliberato animo, & secundum perfectam rationem & consummationem peccati, regnum Dei non consequentur, vel (vt ad verbum habet Apostolus) non hæreditabunt.

Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex.

Fructus autem spiritus, &c.) id est, opera quæ à spiritu proficiscuntur, vel quæ Spiritus sanctus efficit in nobis, quæque faciẽti pariunt fructũ æternæ beatitudinis, sunt hæc charitas, gaudium, siue interna lætitia mentis, pax siue tranquillitas pectoris, nullis passionibus perturbati, quamquam incertum sit an Apostolus pacem posuerit pro pacifico congressu cum socijs, an vsurpauerit eo modo, quo ad Roma. pro tranquillitate mentis ex fiducia procedente, quòd confidet homo patrem se habere propitiũ per Christum, & bene sibi fore in extremo iudicio. *Patientia, longanimitas,*) Pro duobus hic vnicum à Paulo vocabulum positũ est, quod vtrunq; à nostro interprete positum significat nimirum μακροθυμια, Sic D. Hieronymus. Sensus est: constans, fortis & diuturna perpessio rerum malarum & difficilium. *Bonitas*) qua quis prodest & benefacit proximis. *Benignitas*) qua quis cum benignitate & dulcedine proximis libenter benefacit. Definitur enim benignitas. *Mansuetudo*) qua quis iram ita moderatur, vt ne læsus quidem appetat vindictam. *Fides,*) id est, certa credulitas rerum non apparentiũ. Alij opponunt fidem non hæresi, sed mendacio: Rursus alij malis suspitionibus opponunt. *Modestia*) virtus est qua quis in dictis & factis seruat moderationẽ: quanquam omnia hoc loco, operum siue actiuum magis vocabula sint, quam habituum. *Continẽtia*) cũ quis à concupiscentijs & prauis passionibus oppugnatus non vincitur tamen, sed per rationis vigorem continet se, ne abducatur à certa regula. Quod additur (*Castitas*) non est in Græcis exemplaribus, neque apud Hierony. neque apud Augustinum.

Aduersus huiusmodi, &c.) Incertum est an (huiusmodi) referendum sit ad res, an ad personas, quia genus non potest agnosci ex textu. Lex accipitur sicut in superiori sententia: Si spiritu ducimini, non estis sub lege. Sensus hic est: decalogus non oppugnit se huiusmodi, vt damnet vel accusẽt, in quibus regnant hę virtutes, his non aduersatur lex. Lex non est hostis, non accusat huiusmodi homines, & proinde non tenentur lege quasi constricti illius supplicijs. Vel aduersus huiusmodi non est lex. i. tales nõ cogit lex, quia spontanea indole faciunt & & præstant legem, vt sit sensus qualis est in Epistola priori ad Thi. Lex iusto non est posita, scilicet ad coercendum. Est tertius cõmentarius: Aduersus huiusmodi non est lex, id est, lex non militat vsquã contra charitatem, pacem, &c. Chrysost, huiusmodi refert ad personas. Quid enim præcipias illi inquit qui omnia in se habet: Sicut enim equi freno morigeri, omniaq; ex se facientes, non egent scutica: sic & anima quæ impulsu spiritus rectè facit, non eget admonitrice lege: Aug. in principio videtur referre ad personas, posteà aperte ad res refert, cum inquit commemoratis multis operibus carnis, addit, & his similia, satis ostendit non se ista examinatiore numero collocasse, sed liberiore sermone posuisse. Hoc etiam de spiritualibus fructibus fecit: non enim ait: aduersus hæc non est lex, sed aduersus huiusmodi, id est, siue ista, siue etiam cætera huiusmodi. Obiter & hoc notandum, Augustinum in suo catalogo non referre nisi nouẽ fructus seu opera spiritus: Prætermittit enim patientiam, modestiam, castitatem, quę tria prætermittit, & Hieron. in suo catalogo, sed & Græci codices nouem duntaxat fructus recensent.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.

Qui autem sunt, &c.) id est, qui aguntur spiritu Christi, hi ductu spiritus crucifixerunt, id est laboribus & asperis operibus subegerunt non tantum vitia & concupiscentias, verumetiam carnem corruptam, quæ est malarum cupiditatum causa & seminarium. Dicuntur hæc contra Christianos securos. Putatis vos esse Christianos, sed non estis, quia Christiani crucifigunt carnem suã, quia vident se solicitari ad turpia, & timent offendere eum quem toto corde diligunt, ideo castigant carnem suam per ieiunia, cilicia, vigilias, & alia id genus opera laboriosa, ad istud faciendum vrget eos timor castus.

Si spiritu viuimus, &c.) id est si verè sumus regenerati ad nouam vitam, si semel ex spiritu Christi sumus viuificati (*spiritu ambulemus*)

mus) id est, præstemus actus illi vitæ conuenientes, vita illa appareat in conuersatione quotidiana. Hic sensus valde probabilis esset, si Apostolus vsus fuisset verbo στοιχεω, nunc aliud vocabulum habet nimirum στοιχεω, quod Græcis significat ordine suo incedere.

Quare Chrysostomus & eius abbreuiator Theophyl. iuxta naturam vocis Græcè hunc dant sensum. Si verè habemus actus vitales & spiritus, si secundum spiritus leges vitam exigimus, cõtineamus nos intra spiritum, incedamus & stemus ordine nostro, id est, contenti simus Euangelio, non adnocemus Moysen siue legem, quæ est extra ordinem Christianorum.

Non efficiamùr inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi) Istud facit pro interprete nostro, qui verbum Græcum verrit ambulare, vt pertineat ad vitæ agendæ rationem. Videtur enim Apostolus pergere in cœpta admonitione. Sensus est: non efficiamur cupidi gloriæ, quæ in hominum opinione posita est, quæ gloria profectò inanis est, & caduca, nec diu potest consistere. Inuicem nos prouocantes) ad contentiones & mutua certamina. Inuicem inuidentes.

CAPVT VI.



Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

PRincipium huius capitis videtur esse epitome capitis. 14. & 15. ad Romanos, quare cum illis conferre oportet, quod si fecerimus, minus placebunt commentarij generales, sed cum Hieronymo hæc propriè intelligemus de ijs qui adducti fuerant à pseudoapostolis, vt sensus sit.

Fratres, si quis seductus à Pseudoapostolis transierit ad Iudaismum, corripite eũ sed leniter. Annotat Chrysostomus quòd non dixerat, si fecerit, sed si præoccupatus fuerit, id est, abreptus: nimirum aliquo impetu, aut aliqua etiam infirmitate aut ignorantia, si præuentus fuerit antequam cauere potuerit. Quibus verbis excludit Apostolus destinatam malitiam. Infirmitas quoque & ignorãtia significatur vocabulo delicti, quod græce est παραπτωμα, et significat lapsum quando aliquis impingit. Intelligit autem delictum propriè hoc, quod concernit fidem siue religionem, vt id sit, quod ad Roman. infirmum autem in fide.

Vos qui spirituales estis) hoc ad Rom, dicit vos qui firmiores estis (huiusmodi instruite) ad verbum est, instaurate, reficite siue sarcite. Chrysostomus exponit pro corrigere & emendare: nostro interpreti visum est (instruite) vt sit ostendentis veram doctrinam contra falsam, siue bonos mores cõtra malos. *In spiritu lenitatis*) id est, non sitis asperi, rigidi & austeri erga talẽ, sed adhibete mansuetam, lenem, & suauem, exhortationem, instructionem aut correptionem. Ita & hodie faciendum cum ijs, qui seducti sunt ab hæreticis, & non sunt obstinata voluntate mali.

Considerans teipsum ne & tu) qui iam rectè iudicas de articulo iustificationis, de abrogatione circuncisionis & legis Mosaicæ, ne inquam & tu tenteris) id est, ne abducaris à pseudoapostolis. Nihil inquit Augustinus ita ad mansuetudinem & misericordiã inclinat, quam proprij periculi cogitatio. Ex hoc loco D. Hieronymus colligit, non tantum modestiæ causa sed verè dictum à Paulo, quod imperitus esset sermone. Verum magis probabile est quod annotat Erasmus, Apostolum studio mutasse subito numerum, quod singularis numerus esset magis idoneus ad compellandum vnusquisque conscientiam, sed & mira cautione hoc agit semper Apostolus, ne quid offendat eos quos studet corrigere. Durius autem erat dicere omnibus, considerate vos ipsos, ne & vos tentemini.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriã habebit, & non in altero. Vnusquisque enim onus suum portabit.

Alter alterius onera portate) Portare est vocabulum baiulorum, Alij aliorum onera baiulate, quos videtis abductos à falsis fratribus, putetis eos graui aliquo onere laborare, proinde iuuetis eos: Hic videtur esse sensus proprius, fieri tamen potest, vt Apostolus generaliùs loquatur de peccato in genere, & non de illo tantum quod concernit fidem seu religionem. Si quem videritis in delictum lapsum, subleuate, & adiuuate talem consilio, opere, & oratione, quò facilius à peccato resurgat (& sic) hoc est hac ratione (*adimplebitis legem Christi*) hæc est lex charitatis qua præcipitur, diliges proximum tuum, &c. Siquidem Iohannes singulariter hoc facit mandatum Christi, vt vos mutuo diligatis, quod & idem Apostolus totus iam fetiex repetit frequentissimè ad admirationem præsentium.

Nam qui se existimat,) id est qui alterius comparatione, quem videt non posse perse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctè ad Christianismum à Iudaismo transire, puteт se perfectum esse Christianum (*ipse se seduxit*) siue (vt Græcè est) mentem suam decipit: nam hoc ipso quo placet sibi, nihil est. Vel generaliter intelligatur hoc modo: Si quis comparans se ad alios, illis se existimat meliorem, sanctiorem & magis acceptum, putat se valde continentem, castum, sobriũ, atque hinc sibi placens inhumanius agit cũ fratre lapso, hic fallit animum suum: Nam reuera huiusmodi homo, nihil, id est, nullius virtutis & iustitiæ est apud Deum: Nam per huiusmodi arrogantiam perdidit quicquid antè fortè habuit iustitiæ & virtutis.

Opus autem suum probet vnusquisque) quia dicit opus, videtur pertinere ad generalitatem: Hieronymus tamen adhuc vrget proprium. Sensus est: vitam suam exacta cura quisque exploret & expendat: fecisti boni quippiam, considera, ne fortè propter inanem gloriam, ne propter necessitatem, ne per odium, ne per simulationem, ne ob aliam aliquam causam humanam hoc feceris. Qui hoc modo explorat vitam suam, inueniet multa ob quæ sibi displiceat: quod si post explorationem diligentem non remordeat conscientia, habebit gloriam, id est, gloriationem in semetipso, & non per respectum ad alterum.

Vnusquisque enim onus suum portabit, &c.) Sententia hæc contraria non est illi: Alter alterius onera portate: Prior enim respicit vitam præsentem, posterior verò seculum futurum. Atque hinc Hieronymus colligit huiusmodi dogma: Dum (ait) in hoc seculo sumus, siue orationibus siue concilijs, inuicem possumus iuuare, cum autem antè tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, non Noë rogare poterit pro quopiam, sed vnusquisque portabit onus suum. Quæ verba hanc habent sententiam: ne sanctissimum quidem virum & Deo acceptissimum, qualis fuit Noë, Daniel & Iob posse precibus impetrare à Deo, vt quis Christi tribunali semel præsentatus, ex impio iustus efficiatur, aut contrà, id quod palàm liquet ex eo quod interpretatur clausulam hanc Apostoli: Vnusquisque onus suũ portabit in hunc modum. Vnusquisque pro opere suo bono vel malo iudicabitur iustus & sanctus, vel iniustus & peccator: propter proprium peccatum quisque condemnabitur, & nemo comparatione alterius absoluetur: debet proinde quisque se ex suis operibus iudicare, & non ex comparatione ad alium. Ex qua Hieronymi interpretatione manifestum est, locum hunc nihil aduersari doctrinæ de purgatorio, aut satisfactionibus, aut orationibus viuorum pro ijs qui vita functi sunt: quemadmodum nec alter locus. Alter alteriùs onera portate: quicquam facit pro purgatorio, agit siquidem de humanitate, quam præstamus fratri lapso in hac vita.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis, Nolite errare. Deus non irridetur.

Communicet autem is qui catechizatur,) olim ijs qui Baptismatis erant candidati, tradebãtur fidei Christianæ mysteria, sed viua voce sine scripto: atque hinc catechumeni dicebantur, quemadmodum qui tradebant catechistæ. Hic est proprius vsus istorum vocabulorum apud Christianos: ethymologia exposita est in 2. cap. ad Rom. hoc tamen loco commentarij tam Græci quam Latini nihil habent de proprio illo vsu, sed accipiunt catechistam pro doctore generaliter. Valla hunc locum ità vertit: Communicet autem cui docetur verbum, cum eo qui ipsum docet. Erasmus quemadmodum noster interpres vocem Græcam reliquit non versam: Illud (*in omnibus bonis*) ad communicet referendum est, non ad catechizat: Sensus est, qui instruitur in doctrina & mysterijs religionis, erga eum qui ipsum instruit, omnem exhibeat liberalitatem, præbeat illi victum, vestitum, & breuiter omnia illa bona, quæ ad sustentandam vitam præsentem sunt necessaria: quicquid facultatum habet, faciat commune doctori suo. Porrò qui tenaces sunt & auari, quis facile inuenerunt prætextus ne dent doctori, idcirco adiungit *Nolite errare*) Prætextus inquit vestri valent apud homines, sed non apud Deum: Deus enim non irridetur, aut subsannatur, Græca enim vox dicitur à naso suspendendo.

Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam: Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.

Quæ enim seminauerit homo) Alludit ad agriculturam. Tempus sementis est hæc vita: quæ ergo seminauerit homo in hac vita, hæc & metet, scilicet in extremo iudicio: illud est enim tempus messis. Loquitur quidem Apostolus generaliter, propriè tamen respicit ad ea quæ tractat. Qui vultis in die iudicij ferre læram sententiam, facite opera bona: Inter illa est magnum, si magni faciatis præceptorem, tunc enim dabitis significationem, quod magni faciatis religionem. *Quoniam qui seminat, &c.*) quoniam est explicantis: Istæ sunt gnomæ siue sententiæ generales, Ita natura comparatũ est, vt talem fructum accipiat homo, quale est

solum in quo seminat. Caro nostra obnoxia est corruptioni, qui in carne seminat, fructum correspondentem metet: nimirũ obnoxiũ corruptioni, qui obsequitur naturæ corruptæ in agenda hac vita, qui hìc multum tribuit carnis desiderijs, & iudulget sibi, ille ex hoc carnalis vitæ studio metet perpetuam corruptionem, id est, vitam illam miseram, in qua homo perpetuo mòrietur.

Qui autem seminat in spiritu) hoc est, qui in vita agenda obsequitur nouo homini, qui secundum Deum creatus est. Seminare in spiritu inquit Augustinus, est fide & charitate seruire iustitiæ. Is ex huiusmodi studio spiritualis vitæ, metet fructum vitæ æternę: quia corruptioni opponit vitam æternam, idcirco per illam intelligit mortem æternam.

Bonum autem facientes.) Est videndum an loquatur in genere, an quod verisimilius, de bono, quo cœperat. Bonum scilicet quantum ad bene merendum de præceptoribus, aut certè bonum, quantum ad munificentiam, faciendo non defatigemur tempore enim suo, id est, tempore extremi iudicij metemus non deficientes, id est, sine fine metemus. Si frequenter istud cogitaremus, non esset molestum dare. Ambrosius hoc modo legit: Tempore enim suo metemus infatigabiles. Et Græcis aliud vocabulum est, quam in præcedenti membro: Bonum autem facientes non deficiamus. Sed & Chrysostomus exponit id quod vertit Ambrosius: Commentarius eius sic habet, quoniam rem magnam exigebat, præmium quoque collocat in foribus messis, faciendo mentionem nouæ cuiusdam & admirabilis. Nam in agricolatione non solum qui seminat, verumetiam qui metit, multum sustinet laboris, cum squallore, puluere, cumq; multa colluctans miseria. Tunc vero, id est, tempore extremi iudicij nihil tale inquit erit, quod etiam explanans dicit, tempore enim suo metemus non defatigati.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.

Ergo dum tempus habemus, &c.) ne quis inquit Chrysostomus arbitraretur doctorum quidem curam habendam esse, eosque alendos, cæteros vero negligendos, ad generalitatem profert orationem: vt in Iudæos etiam & gentes, licet non eodem gradu, tamen eleemosynam conferri iubeat, & quod in cæteris epistolis facere solet, hoc & hìc facit, non modo loquens de danda eleemosyna, verumetiam de studiose perpetuoque danda. Siquidem hæ voces, seminare & non deficere hoc innuunt. In seminando est diligentia, in non deficere significatur perpetuitas. *Domestici fidei*) periphrasis est Christianorum quam diu sumus in hac vita quod est tempus sementis, studeamus esse officiosi erga omnes sed maximè erga Christianos. Illis peculiari quadam ratione benefaciendum est. Postquàm locutus est de moribus, rursus reuertitur ad principalem disputationem, cuius nequit obliuisci. Videte, inquit, qualibus literis: Græcam vocem dicit Hieronymus magnitudinem potiùs significare, quam quantitatem. Vide quam grandem Epistolam ipse scripserim mea manu, contra meũ morem. Solet enim Apostolus tantum subscribere Epistolas, quas mittebat ad Ecclesias: hanc autem proprijs digitis totam exarauit, fecit hoc partim, vt omnium excluderet suspicionem subposititiarũ literarum, partim vt declararet quantopere sibi hæc res cordi esset, quantopere curæ esset sibi salus Galatarum, Cæterum mihi inquit Chrysostomus videdetur non magnitudinem sed deformitatem literarum voluisse significare, dum dicit: Videte qualibus literis, id est, quam deformibus: non enim bene pingebat Paulus, & tamen cùm non nosceret optime scribere, voluit Epistolam hanc scribere ob causas iam dictas. Augustino quoque vox hæc in prædicamento qualitatis est: verum aliter explicat quam Chrysostomus: Videte qualibus, id est, quam apertè & liberè exponentibus meam sententiam, sine vllo metu Iudæorum. Erasmus Hieronymum sequitur: Siquidem versio eius sic habet: Videte quãtam vobis Epistolam scripserim mea manu.

Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm vt crucis Christi persequutionem non patiantur. Neque enim qui circunciduntur, legem custodiunt, sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra glorientur.

Quicunque enim volunt placere in carne) id est, iuxta ea quæ apparere possunt hominibus. Conferte cum illo, quod est in cap. 2. ad Romanos. Non quæ in manifesto, in carne est circuncisio, &c. Placere in carne inquit Chrysostomus, est probari apud homines neglecto Deo. Quicunque ergo volunt placere Iudæis, de his siquidem hominibus est sermo: nam gentiles non curabant circumcisionem: *Hij cogunt circuncidi*) cogunt dum prædicant circuncisionem necessariam, nec Christum hìc sufficere, cogunt, inquam, vos circuncidi, ne ob crucem Christi persecutionem patiantur à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæis: Iudæi enim non ferebant prædicationem crucis, quia excludebat Moysen. Neque enim hoc agunt, inquit, authores illi circunciſionis, vt obſeruetur lex, tanquã zelo legis commouerẽtur. Nam ne ipſi quidem legem obſeruant, ſed ob id voluntvos circumcidi, vt gloriari poſſint apũd populares ſuos, id eſt, Iudæos, de veſtra carnali circunciſione, quod vos effecerint ſtudio ſuo ſectatores Iudaiſmi.

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quẽ mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura.

Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini.) Eſt aduerſatiua. Illi gloriantur quod habeant vos diſcipulos circunciſionis: at procul abſit à me, vt in vlla re alia glorier quã in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Paulus gloriabatur aliquando in ſucceſſu diſcipulorum, ſed erant etiam in cruce, quia ad illam pertinebat. *Per quem mihi mundus crucifixus eſt*) mundum vocat res temporarias, laudem ex hominibus, ſamulitium, gloriam, opes. Hæc igitur quæ vulgo videntur magnifica eſſe, quę mundus admiratur & ſectari ſolet mihi facta ſunt mortua, & ego viciſsim illis. Nec illa, inquit Chryſoſtomus, me capere poſſunt, neque iniectis manibus captum ducere: quippe ſemel mihi mortua, neque ego illorum cupidine teneri quippe mortuus illis.

In Chriſto enim Ieſu, &c. ſermo eſt nõ tam de iuſtificandis, quàm de vita iuſtificatorum, quod & anta admonuimus. Qui eſt in Chriſto, non eſt quod petat circunciſionẽ, neque eſt quod timeat, quia habet præputium: hæ ſiquidem res nihil valent in Chriſto, ſed quod valet hoc nempe eſt (*noua creatura*) id eſt, noua vita quam præſtamus per fidem. Quod vocat hic nouam creaturam, hoc antè dixit fidem per dilectionem operantem, quaſi ſit aliquid perpetuum, quaſi ſi eſſet gratiæ, verũ quia circunciſio actus eſt, videtur magis loqui de actibus.

ET quicunque hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. De cætero, nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini Ieſu Chriſti porto cum ſpiritu veſtro fratres, Amen.

ET quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, &c. Græcis eſt idem verbum quod ſuperius vertit, ambulemus, nimirum στοιχέω. Senſus eſt: expoſui veram doctrinam de iuſtificatione & vita Chriſtiana, quicunque intra hanc ſe continuerint, quicunq; contenti fuerint Chriſto, non accerſentes Moyſem quicunque ad hanc regulam incedunt, pax ſuper illos, contingat illis tranquillitas mentis, & miſericordia illa quotidiana, qua opus eſt, vt maneat quiſque in fide & noua vita.

Et ſuper Iſrael Dei. (Coniunctio (&) epexegeſin habet, id eſt, ponitur pro (id eſt) qui incedunt, inquit, intra hunc canonem, alio nomine vocari poſſunt Iſrael Dei: Hęc ſunt mihi eadem, Iſrael Dei appellat verum Iſraelem, alibi vocat Iſrael ſecundum ſpiritum. *De cætero*) id eſt, quod ſupereſt, vel vt finiam vel poſt hac nemo mihi laborem exhibeat ſeu negotium faciat aſſerens me eſſe obſeruatorem circunciſionis, non opus eſt verbis: Ea rebus doceo cuius ſim ſeruus, Moyſian Chriſti, liuores, plagæ, vulnera, quæ circumfero in corpore mecum, illa docent quod ſum ſeruus Chriſti. Nam propter prædicationem crucis ipſius, hæc mihi inflicta ſunt. Stigmata Græca vox eſt, ſignificat autem notam impreſſam. Non dixit autem habeo, ſed porto, tanquam aliquis de trophæis glorians de ſignis regalibus. Alludit autem ad corpora ſeruilia: ſolent enim ſerui notari à dominis.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.) duo iam didicimus, alterũ quomodo ex impio aliquis iuſtificetur, alterum quæ vita requiratur à iuſtificato: quæ ipſum facere oporteat, quæ item omittere, quicunque hanc doctrinam tenent & illam ſequuntur, & ſua vita quantum ſinit fragilitas, exprimant, illi poſſunt lætos ducere hos dies. Verum vt ab hac doctrina non dimoueamur, & in noua vita perſiſtamus, hac precatione opus eſt ſemper, vt gratia Dei perſeuet, cum ſpiritu noſtro,

Amen.

FINIS.

EXPLI-

EXPLICATIO F. ADAMI SASBOVT IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILIPPENSES SCRIPTAM.

ARGVMENTVM.

POſt enarrationem Epiſtolæ, quæ ad Romanos & eiusque ad Galatas ſcripta eſt, enarrandam duximus Epiſtolam ad Philippenſes, quod huius atque illarum (quantum ad eam partem quæ dogmata reſpicit) argumentum idem ſit. Solicitus ſiquidem eſt de Iudaizantibus, qui prætextu Chriſtianiſmi nuſquam non nocebãt prædicationi Euangelicæ, docentes cum ad ſalutem, tum ad iuſtitiam parandam, opus eſſe Moyſe, nec ſolum Chriſtum hic ſuffice-re. Hortatur itaque Apoſtolus Philippenſes, vt canes hos (ſic enim ipſos appellat) vitent, & in doctrina de iuſtificatione ipſis tradita, perſiſtant: ſcribens ex vrbe Roma, vbi tunc vinctus agebat.

CAPVT I.

PAulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti omnib⁹ ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, et Domino Ieſu Chriſto.

PAulus & Timotheus ſerui Ieſu, &c.) Apoſtolus ſeruum ſe vocat, vel quia emptitius Chriſti iuxta illud: precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum, vel certè quod in negotijs Chriſti & mandatis eius exequendis verſetur. Eſt enim vocabulum ſeruiequiuocum, non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Græcos, ſignificans & mancipium & miniſtrum. Vtro horum modorum hoc loco ſumatur, certò conſtare nequit, quia circunſtantiæ non iuuant. Omnibus ſanctis in Chriſto, &c.) præpoſitionem (in) quidam accipiunt impropriè: accipiunt, vt hoc ſit quod per. Alij propriè, vt Chryſoſtomus, qui iſtud (in Chriſto Ieſu) adiectum putat ad diſcrimen Iudæorum: illi iactant quòd ſit gens ſancta, ſed reuera illã appellatio eſt eorum, qui ſunt in Chriſto Ieſu.

Cum Epiſcopis & diaconibus. &c.) Duplex hoc loco difficultas eſt. Altera, quomodo Apoſtolus ſcribat omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cùm Epiſcopis, cùm inuerſo ordine ſcribendum potiùs fuerat hoc modo: Epiſcopis & Diaconibus, cum omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis. In ciuile enim videtur primo loco laicos ponere, & deinde obiter tantum adiungere Epiſcopos. Nam tale eſt ac ſi iam facultas Theologiæ ſcriberet in hunc modum: Facultas Theologiæ populo Leodienſi & ipſius Epiſcopo ſalutem.

Hanc difficultatem euadit Chryſoſtomus, qui pro duabus dictionibus, quas nos habemus vnicam legit: licet ipſius interpres Muſculus duas verterit: ſed indubiè lapſus eſt in diligentia, cum aperiè Chriyſoſtomus interpretetur nõ cum Epiſcopis, ſed coepiſcopis, vt Clero ſcribat Apoſtolus non populo. Ad eundem modum interpretatur Theophylactus, item Oecumenius. Altera difficultas eſt, quomodo in plurali dicat Epiſcopis, cum Philippis non fuerit niſi vnicus Epiſcopus. Difficultas hæc Chryſoſtomo, cum Latinis commune eſt, quam & ſoluit dicens vocabulum (Epiſcopi) ſeculo Pauli genericum fuiſſe & commune etiam presbyteris, poſtea vero mutata loquendi conſuetudine cœpiſſe eſſe vocabulum ſpeciei. Idem habet Theophylactus: idem & Oecumenius: verùm quando deſierit eſſe vocabulum generis, nihil dicit Chryſoſtomus, nec alij. In Pontificem certè aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

tè aut Antistitem seu Præsulem imprimis competit etymologia vocis, siue eâ à Græcis sumptam dicas in ea acceptione, iuxta quam ea vsus est Cicero ad Atticum. Locus citatus est in epistola ad Romanos, siue ex vet. test. vt in Psal. Episcopatũ eius accipiat alter, & Esdræ. 2. cap. 11. vbi Hieronym, eandem vocem vertit Episcopum, & Præpositum, Ambrosius cùm non occurreret ipsi, quod habet Chrysostomus, & sciret interim nunquam vnius ciuitatis plures fuisse Episcopos proprij nominis, quos Præsules appellamus & Pontifices, nouum excogitauit commentarium in hunc locum, quasi Apostolus & Thymotheus se vnà cum ministris suis pacem precarentur Philippensibus: scribit enim, inquit, plebi, sed extorta est expositio. Locum hunc Pauli Iohannes VViclef citat pro hæresi Arij, cuius meminit Epiphanius contra hæreses lib. 3. hæres. 75. Citat & locum qui est priore epistola ad Thimo. cap. 3. vbi Apostolus Episcoporum & diaconorum duntaxat meminit nulla habita mentione presbyterorum: Citat & locum qui est in Actis. 20. vbi presbyteri appellantur Episcopi. Ex his concludit nullum olim fuisse discrimen inter simplicem sacerdotem seu presbyterum, & eum quem iam Episcopum dicimus. Vide Albertum Pighium libro Ecclesia. Hierarch. secundo, capite. 10. vbi contra hæresim hanc prolixè disputat, vbi & exprimit Hieron. de hac re sententias. *In diaconibus*) barbarismus est pro diaconis, ea tamen voce nihil offensi sunt Damasus, Hieronymus & cæteri Ecclesiastici scriptores: est autem hoc loco vocabulum scholæ Christianæ: verum dubium est an sit vocabulum generis an speciei. Albertus Pighius putat esse nomen generis, vt reliquos sacri ordinis gradus sacerdotio inferiores hoc nomine Apostolus complexus sit. Cætera quæ ad expositionem salutationum pertinent, petantur in epistola ad Roman. & Galat.

Ad Roman. 1. cap.

GRatias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cũctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Euangelio Christi à primo die vsque nunc.

Gratias ago Deo meo in omni memoria.) Sensus est: quoties vestri recordor, gratias ago Deo pro omnibus vobis in omni prædicatione mea. Miscet Apostolus gratiarum actionem cum precibus, nec videtur has ab illa distinguere. Promptitudo hęc in agendis gratijs de alicuius beneficijs, paucorum hodie est. Nam tale est quod dicit, ac si iam ob conuersionem illorum, qui in nouis insulis aguut, gratias ageremus Deo, quoties illorum recordaremur. Cùm gaudio deprecationem faciens) facere precationem Græcè dixit pro precari. Illud (*super communicatione*) refertur ad gaudiũ vel lutipsius gaudij causa. Sensus est, oro pro vobis atque inter orandum capit me gaudium de communicatione vestra, vel ob cõmunicationem vestram. (*In Euangelio Christi*) Euãgelium per tropũ vocat, primũm totam doctrinam Euangelij, deinde propagationem. Sensus est, gaudeo quod omni officio prædicanti mihi Euangelium absitis, nihil non facitis quo laborum meorum sitis participes, vbiq; præsentes, vbiq; cooperantes, & pariter mecum in prædicatione communicantes: dum mittitis legatos, & quæ necessaria mihi sunt pro virili suppeditatis: idque facitis non vno aut altero aut tertio deniq; temporis momento sed semper ac perpetuo ex quo credidistis, in hunc vsq; diem. Est magna laus Philippensium.

Latini alium habent commentarium, sed omnino germanus est quê dedimus, quod patere potest attendenti ad vocem græcam, quæ significat participationem & societatẽ in eodem munere. Est talis vox Græcis, qualis & Latinis collegæ, & cooperatores in propaganda doctrina pietatis, atque hinc gaudeo & gratias ago.

COnfidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eò quod habeam vos in corde & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, cum socij gaudij mei omnes vos estis.

COnfidens hoc ipsum, quia, &c.) hoc est, quod is qui cœpit in vobis opus bonũ: Sensus est: cœpistis mihi adesse à primo die vsque ad hoc tempus, confido fore vt tales perseueretis, confido quòd sicut hactenus studuistis propagando Euangelio, ita studebitis vsque in diem Christi, vsque in diem extremi iudicij. Hic est mos scripturarum proponere diem iudicij quasi in foribus & in propinqno, vt diem illum semper præoculis habeamus, atque in illum toti intenti vitam istam tanquam punctum ducamus. Græcanica schelia aliter exponunt: habent enim sic, Non de vobis solis confido, verumetiam de ijs, qui à vobis descendo, dunt, hoc est, non perficiet in vobis tantũ, sed etiam in filijs & posteris vestris, vsq; ad aduentum Domini. Idem habet Theophylactus, sed non videtur Apostolus hoc respexisse, maximè cum Philippis iam desierint esse Christiani.

Annotat Chrysost. Apostolum non hoc modo dixisse: confido quod vt cœpistis, & perficturi sitis, sed hoc modo qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet, vt ostẽdat non solum perfectionem, verum etiam initium boni à Deo esse. Citat Augustinus hunc locum contra Pelag. lib. 2. cap. 8. vocabulum Græcum quod interpres hic vertit confidere, ad Rom. cap. 8. vertit, certum esse: Ex quo loco quidam statuere conantur iustum quemuis certum esse de perseuerantia in finem: adeoque de salute sua, verùm indoctè id faciunt: cùm vocabulum Pauli non semper pertineat ad certitudinẽ, sed frequenter ad probabilitatem, & coniecturam, vt hoc loco ita interpretante Chrysostomo, item Theophylactus & Amb. imò ipsa hoc exigente: Ex præclaris siquidem prohœmijs & initijs coniectat Apostolus insignes futuros exitus.

Sicut est mihi iustum hoc sentire, &c.) Sentire exponit, quod antea dixit confidens: cõfido quod qui cœpit in vobis opus bonum perficiet, sicut iustum est mihi vt hoc confidam, vt hoc sentiã siue æstimem: Est enim opinantis siue arbitrantis, meritò ita de vobis iudico (*eo quod habeam vos in corde*) habere in corde phrasis rata est: Quidam putãt esse voluntatis quasi sit affici desiderio & amore. Alij rem iudicij faciunt vt sensus sit: Ita de vobis statuo, hoc ex animo iudico. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius faciũt rem memoriæ, vt habere in corde, sit meminisse, vt sensus sit. Non sine causa ita de vobis confido, quia vbique occurritis animo, memini vestri & in vinculis siue in ipso carcere, & in defensione & confirmatione Euangelij, hoc est, siue sim in meditanda Apologia, siue alioqui confirmo Euangelium, vel docendo in vinculis vel scribendo, semper occurritis mihi, nunquam exciditis animo. Istud argumentum est magni amoris & affectus Pauli erga Philippenses.

Pro defensione, Græcis est apologia vocabulum forense, quando reus cogitur causam dicere apud iudicem, valde solicitus est. Dicit ergo Paulus etiam tum cùm videor totus esse in meditatione apologiæ, vestri memor sum, etiam tũ cum causa mihi peroranda est coram Nerone, nequaquam excidistis. Hunc sensum Græcorum valde probabilem facit geminata apud Paulum conjunctio. Ad verbũ enim sic habet, eò quòd habeam vos in corde in vinculis & defensione, &c. quam phrasim Latini ferè exprimunt per tam & quàm, vel per repetitum tum hoc modo. Habeo vos in corde tum in vinculis, tum in defensione, vel tam in vinculis, quàm in defensione: quomodo vertit Ambrosius.

Socij gaudij mei omnes vos estis, &c.) Græcis non est infinitiuus ὄντας, hoc est, esse, sed participium ὄντας, id est, existentes, quod accipit Chrysostomus, vt habeat vim causalis, exponit enim per διὰ hoc sensu. Memini vestri tum in vinculis, tum in defensione, propterea quod estis socij gaudij, vel (vt ipse legit) gratiæ. Gratiam, inquit, vocat vinculi, exagitari, & innumera mala ferre. Sensus idẽ est cum eo, quem habet nostra lectio. Gaudium enim vocat vincula, afflictiones, &c. Quemadmodum ipse gaudeo ad ista dura, ita scio & vos gaudere, quia pertinent ad profectum Euangelij: vel certe quicquid præmiorum expecto ex his vinculis, ex his malis, hoc iudico vobis commune. Theop. quoque et Oecum. participium ὄντας exponunt, vt sit causale. Noster interpres aliter videtur intellexisse, & syntaxis difficilis est dum sequimur nostram lectionem. Quidam Latinorum illud (*habere in corde*) interpretari videntur primò vt sit res memoriæ, deinde repetere in altera significatione, vt sit statuere ad hunc modum: Memini vestri tum in vinculis, tum in defensione, &c. ita ex animo statuo vos socios gaudij mei esse. Lyra aliam sequitur syntaxin, sed commentarius eius in hunc locum parum probabilis est. Hactenus vnica tantùm est periodus, cuiusmodi multæ sunt in Paulo longæ videlicet & plenæ rebus. Sequitur iam noua periodus.

TEstis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis synceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.

TEstis mihi est Deus, &c.) est formula iurandi, de qua dictum est in epistola ad Rom. (quomodo) id est, quàm vehementer. Voculæ istæ, quàm, vt, quomodo, dum figuratè accipiuntur, magnam habent vim. Sermone, inquit, nequeo consequi, quàm vehementer desiderem, & complectar vos omnes in visceribus Iesu Christi. Est ablatiuus modi, quare præpositio (in) iuxta idioma Hebræum adiecta est hic. Viscera vocat affectũ animi, & dilectionem vehementem: Complector non humana cupiditate, non affectu carnis, sed amore qui secundũ Christum est. Chrysostomus prępositionem (in) accipere videtur pro eo quod est propter, vt sensus sit: propter viscera Christi vobis communicata, propter cognationem vel propter dilectionẽ, quæ secundũ Christum vel per Christum est. Et hoc oro, vt charitas vestra, &c.) hic Apostolus incipit aperire argumentum & scopũ Epistolæ. Charitatem

proprie

Universidad de Deusto
Biblioteca

propriè intelligit, qualem ante significauit. Sensus est: precibus hoc ago apud Deum, vt charitas vestra, vt ille affectus quo hactenus communicastis Euangelio Christi, adhuc magis ac magis exuberet: est quidem charitas vestra magna, sed volo eam adhuc augeri. (*In omni scientia*) id est, cum omni scientia: Hebraismus est. Locum hunc conferre oportet cũ eo, qui est in Epistola ad Romanos cap. 15. Certus autem sum fratres mei & ego ipse de vobis, quoniã & ipsi pleni estis dilectione repleti omni scientia, quo loco est γνώσις, hic verò ἐπιγνώσις vocabulum compositum, sed quod pro simplici frequenter vsurpat Apostolus γνώσις autem vt ex Eusebio & Clemente patet vocabulũ scholæ Christianæ est, complectens totam doctrinam Euangelij, siue quicquid pertinet ad rem Theologicam. Verùm quamuis vox Pauli generalis sit, hoc tamen loco propriè refertur ad scientiam, quæ articulo iustificationis propria est, quemadmodum & in epist. ad Romanos patet, hoc ex consequentibus maximè ex capite 3. huius epistolæ. (*Et in omni sensu*) id est, iudicio. Volo, inquit, vos esse officiosos, sed cum iudicio, sed cum delectu, ne dum temere & sine iuditio officiosos vos præbetis, erga quosuis studia impendatis in hæreticos Iudaizantes, & corrumpamini.

Vt probetis potiori, &c.) (vt) hoc loco particula expletiua est, sensus est: vt ex multis quæ vobis proponuntur, ipsi videatis quæ sunt vtilissima, & illa amplectamini. Græca vox διαφέροντα, quam noster interpres vertit potiora, duplicis significationis est: significat & vtilia & præstantia. Priorem significationem amplexus est Chrysostomus cũ suis: Posteriorem expressit Erasmus in sua translatione. *Vt sitis syncери*) rursus vocula (vt) est expletiua. Sensus est: ne quod nouũ & adulterinum dogma recipiatis occasione horum officiorum. Sic Chrysosto. Theoph. Oecum. Alioquin etiam vox Pauli ad mores pertinet, & non ad doctrinam solam. *Et sine offensa*) Græcis vnica vox est ἀπρόσκοποι qua & vtitur in Epist. priori ad Corint. cap. 10. Sine offensione estote, &c. id est, & tales vt nemini sitis offendiculo. Multi quippe offenduntur sæpenumero, cum vident catholicum iungere amicitiam cum hæretico. Vt sitis ergo syncери quo ad Deum & sine offensa quo ad homines: Sic Chrysostomus cum suis, quamquam si conferatur locus iste cum illo, qui est in Actis. 24. vbi eadem voce vtitur Apostolus, videri possit esse offensa, quæ respicit tam Deum quam homines. D. Ambrosius vocem Græcam vnica similiter Latina reddit, legens ad hunc modum, vt sitis syncери & inoffensi, id est, ne impingatis vsque in diẽ Christi quẽ accepit passiuè in hoc dissentiens à Græcis: vox ipsa ἀπρόσκοποι ambigua est, id est, nunc actiuè nunc passiuè apud Græcos accipitur. *Repleti fructu*) vel vt alij legunt fructibus (iustitiæ) cùm doctrina syncera hoc etiam præstate, vt vitam rectam habeatis, repletam fructibus iustitiæ. Iustitia illa est, de qua in Epistola ad Romanos cap. 3: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, &c. Hæc fidei iustitia in corde est, & habet fructus quæ sunt opera, & propriè externa hoc loco intelligunt, qualia erant illa quibus Philippenses communicabant Euangelio, subministrantes Paulo, quæ ad victum & vitam necessaria erant. Vnde Chrysostomus eleemosynas hic interpretatur: Sæpe, inquit, iustitiæ vocabulum eleemosynas significat. Idem habet Theophy. sed addit, potest & generaliter intelligi, vt complectatur omne genus virtutis.

Per Iesum Christum) Græci hic adduntarticulum, quem interpres non expressit distinguentem hunc fructum à cæteris, siue iustitiam Christianorum à iustitia Gentilium. Qui articulus hoc modo latinè reddi potest, repleti fructu iustitiæ, qui est per Iesum Christum, vel qui sunt per Iesum Christum, si legamus in plurali, fructibus.

In laudem & gloria Dei) non vt ego inquit laudem cupiam, sed vt Deus glorificetur.

Scire autem volo vos fratres, quod quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio & in cæteris omnibus, & plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

Scire autem vos volo fratres) Apostolus (quemadmodum in commentarijs refert Chrysostomus: item Theophylactus, Oeccu.) timebat, ne Philippenses audientes quòd in vinculis esset. Neronis tam potentis Impeaatoris molestiam paterentur, putantes ex eo rumores habituram Euangelij prædicationem: Adimere itaque volens ijs omnem molestiam animi, significat quid vincula sua efficerent Romæ. Volo, inquit, vos scire, quòd quæ circa me sunt. Græcè dictum est, id est, quæ mihi acciderunt Romæ cesserint magis ad profectum Euangelij, scilicet quam ad detrimentum: fides inquit hic nihil patitur Romæ, sed potiùs incrementa sumit. *Ita vt vincula mea manifesta fierent in omni prætorio*) Græcè est in toto prætorio, id est, palatio. Paulus cum Græcè scribat, Latina tamen voce vtitur, propterea quod vulgo (vt annotat Chrysostomus in comment.) aula palatium, seu ipsa regia prætorium tum dicebatur. Tota inquit aula Neronis accepit iam aliquem rumorem de Euangelio, de quo anteà nihil audierat, hoc boni prouenit ex vinculis meis. Illud (*in Christo*) dubium est quo pertineat, an videlicet referatur ad proximè præcedens hoc sensu: manifesta fierent per Christum ipso sic dispensante: an ad vincula, vt sit Hyperbaton, hoc sensu: vincula quæ Christi causã gesto. Et in cæteris omnib⁹, &c. præpositio (in) nõ est in Græcis codicibus, an subaudienda sit, id quæstionem habet, quæ hinc pendet, an illud (*cæteris*) personas refert an res. Græcanica scholia ipsum ad res referunt, in toto inquiunt prætorio & cæteris locis, hoc est, dilucidiùs exponẽte Chrysostomo, in reliqua tota ciuitate Romana. Alij ad personas referũt, secundùm hos prępositio (in) nullum hic habet vsum, intelligunt enim ad hunc modum: Et cæteris, scilicet ciuibus, qui in prætorio nõ versantur. Vt vt accipiatur (cæteris) certum est non referre prætoria, vt sensus sit. Euangelium notum fuisse cæteris item prætorijs.

Et plures è fratribus, &c.) id est, ex Christianis, vt sit vocabulum scholæ Christianæ. Sensus est: multi qui Romæ credunt, freti vinculis meis siue ex vinculis sumpta fiducia audent iam multo magis quàm vnquam ante impauide annunciare Euangelium, domino ipsis addente fiduciam, hoc est, quòd dicit, in domino: Sic Chrysostomus. Quoniam inquit magnum quiddam erat quod ait vincula sua alijs addidisse fiduciam, propterea præoccupando (in Domino) dixit. Chrysostomus ergo illud (in Domino) refert ad confidentes. Idem faciunt Theophylactus & Oecumẽius. Alioqui pertinere posset ad immediate præcedens, videlicet ad fratres, hoc sensu: fratres religione.

Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem CHRISTVM prædicãt: Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum: quidam autem ex contentione Christũ annuntiant nõ syncere, existimãtes pressuram se suscitare vinculis meis.

Quidam quidem & propter inuidiã, &c.) erant illo seculo qui inuidebãt Paulo successum in Euãgelio, quod à Hierusalẽ & circumiacentibus regionibus ad Illiridem vsq; implesset Euangelium Christi, qui successus magnam illi gloriam pariebat, cui inuidentes quidam & illum (vt ipsi in prętio essent) extinctum volentes, cœperunt prædicare Christum. Sciebant enim quòd hac ratione Neronem, qui iam offensus erat, ad maiorem iram concitaturi erant, cum videret numerum Christianorum, quos perniciosos reipublicæ suæ ducebat, magis ac magis augeri: quodq; omnis ille furor regis & commotio in caput ipsius Pauli tanquã primarij authoris prædicationis redundaret. Istud est quod dicit: quidã quidem, & propter inuidiam & contentionem.

Quidam autem & propter bonam voluntatem, &c.) Græcis vnica vox est εὐδοκίαν, id est, syncero animo, recto proposito, præter hypocrysim ex omni animi promptitudine Christum prædicant. (*Quidam ex charitate*) quod antè dixit in genere iam specie explicat. Quidam inquit incitati charitate prędicant Euangelium, scientes quod Euangelij mihi reddenda sit ratio, eò quod mandatũ acceperim à Deo prædicandi. Vt ergo facilis mihi sit defensio, rationesq; quas corã Deo redditurus sum pro opere isto, quod in mãdatis accepi, ipsi promoueant & adiuuẽt, & prædicant etiam Christum. Sic Theophylactus & Oecumenius. Latini ad hũc ferè modum exponunt: scientes quod in vincula coniectus sum, vt rationem reddam Euangelij à me prædicati. Verùm respicienti ad phrasim Pauli, magis probabilis videtur cõmentarius Græcorum, Similis phrasis est in Epistola posteriori ad Thimo. cap. 1. In quo positus sum ego prædicator & Apostolus, vbi pertinet ad prædestinationẽ prouidentiamq; diuinam.

Quidam autem ex contentione, &c.) hic alterum menbrũ de inuidia & contentione explicat. Quod dicit (*non syncere*) diuersum vocabulum est ab eo, quo vsus est supra: vt sitis syncери, quo loco Chrysostomus synceritatem ad doctrinam referebat: hic pertinere dicit non ad doctrinam, sed ad animũ. Non enim de quibus hic sermo est adulterina dogmata prædicabant, sed fidẽ rectè quidem tradebant, mente tamen praua. Ad verbum est non pure, id est, insyncero animo, non propter rem ipsam sed alterius gratia, & gratia cuius explicat dum addit. (*Existimãtes pressuram*) id est, afflictionem addere se vinculis meis, putantes hoc modo maiori iræ regis obnoxium me reddere, & calamitates mihi augere. Ex hoc loco discimus Epistolam hanc scriptam ex vinculis: Verùm an priora fuerint vincula an posteriora, id quæstionem habet. Chrysostomus in præfatione huius epistolæ probabilibus argumentis colligit priora fuisse vincula, cum cuius commentario conferre oportet ea quæ habet Theophylactus in explicatione argumenti in hanc epistolam. Item quæ habet Oecumenius: nam vterque obscurus est, & commentarij ipsorũ per se lecti, videri possint de posterioribus vinculis interpretari.

Quid enim? Dum omnimodo siue per occasionem, siue per veritatẽ Christus annuntia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuntiatur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutẽ, per vestram orationẽ & subministrationẽ Spiritus Iesu Christi, secundùm expectationẽ & spem meã, quòd in nulla cõfundar, sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

Q*Vid enim*) Illi quidẽ putant se afflictionem addere vinculis meis, verum longè secus res sese habet. *Quid enim*) id est, secundum Chrysostomum, quid mea refert, vel quid mihi curæ est, quo affectu quoue scopo hi prædicent, dummodo quouis modo siue per occasionẽ siue per veritatẽ Christus annuncietur? Quia occasioni opponit Apostolus veritatem, certum est ipsum occasionem intelligere aliam quam nos vulgo accipimus. Certè vox Græca προφάσει qua hic vtitur Paulus, etiam prætextum significat, quæ significatio optimè hic cõgruit. Et in hoc scilicet quod Christus annunciatur, siue fictè siue nõ fictè gaudeo. Gaudet Apostolus, non quidem in causa vt causa, sed in causa respiciendo effectum, hoc est gaudet de profectu Euangelij, non autem de hypocritica ipsorum predicatione, quatenus talis erat. *Sed & gaudebo*) id est, pergã gaudere.

Scio enim quod hoc, &c.) Scilicet, ab ipsis prædicari Christum, quo maiori irę Neronis me obnoxium reddant, hoc studium ipsorum proueniet mihi in salutẽ. Incertũ est an salus sit ea quæ æterna est, an ea quæ ex vinculis est. Græcanica scholia de posteriori interpretantur, Chrysost. etiã de altera explicat: commentarius eius sic habet: Scio quod hoc mihi cedet ad salutẽ futurã scilicet, quoniam videlicet ista inimicitia & quæ aduersum me æmulatio est, prædicationem Euãgelij iuuet, etiã & promoueat: Hic de æterna salute interpretatur, & nonnullis interpositis adijcit hæc verba, vel illud ad salutem, liberationem intelligit, quasi sic dicat, quantum attinet ad præsens, primum hoc periculum effugiam, hic de salute explicat, quæ ex vinculis. Dubius est ergo Chrysostomus vtram salutem hic accipere debeat. Vox ipsa in scripturis ambigua est. Interpres Chrysostom. Musculus in vertẽdo hoc loco indulgens fuit: nam per coniunctionem disiunctiuam erat vertendũ, ipse trãstulit per sanè. Habet enim versio eius sic. sanè illud (ad salutem) liberationem intelligit, pro sanè, dicere debebat vel, Græce est ητοι. *Per vestram orationẽ*) hoc est, si vestras orationes nactus fuero, per quas spiritus amplius fuerit mihi ministratus: Sic Græci subministrationem spiritus passiuè accipientes, per spiritũ subministratum, id est, suppeditatũ, Secundùm expectationem & spem meam: pro expectationem Græce est ἀποκαραδοκία vocabulũ ex tribus compositum, significans nõ simpliciter expectationem, sed vehementem & anxiam expectationem, quãdo videlicet ex corde quippiam expectatur, quando etiam moto capite obseruat ac circunspicit quis num vsquã appareat seu affulgeat quod iperat siue expectat. Nam hinc vox Græca dicta est, quemadmodum in commentar. huius loci explicat Theophylactus. Eadem voce vsus est Apostolus in Epistola ad Rom. capite 8. Nam expectatio creaturæ, &c. Quod sequitur. (*Quia in nullo confundor*) incertum est an pertineat ad proximè præcedens, hoc sensu: secundùm expectationẽ & spem meam quòd non pudebiam quicquid tandem euenerit, vt, quia, positum sit pro (quod.) An verò eo non pertineat, sed sit hebraismus, vt idem valeat quod imo aut prorsus, vt sit particula affirmatiua, & sensus loci istius hic sit: quicquid moliuntur, quisquis tãdem futurus sit exitus studij istorum, scio quod iuxta spem meam & expectationem omnia cedent mihi in salutẽ, imò non confundar, id est, in nulla re pudebiam, non timeo vllam iustam reprehensionem, siue viuendum sit siue moriendum. Est enim pudor malus iustæ reprehensionis.

Sed in omni fiducia, &c.) Est enim Græce παῤῥησία, id est, libertate, omni metu subla to (*sicut semper*) id est, antehac, ita (*& nunc*) Hebraismus enim est sicut ibi: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra, vbi dissimulatur nota comparandi (ita) vel (sic.) Sensus est, sicut in omnibus periculis in quibus antehac fui, siue cùm essem in Asia, siue alibi, ita & nunc in isto periculo (*magnificabitur Christus in corpore meo*) id est, per corpus meum, siue viuere contingat siue mori.

Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam, ignoro.

M*Ihi enim viuere Christus est*) viuere & mori Græca consuetudine pro vita & morte dixit, id est, vita mihi Christus est, id est, constituo vitam meam in vno Christo. Est impropria locutio, (*& mors mihi lucrum est*) mortem pro lucro ducit, quòd defunctus hac vita cum Christo futurus sit. Obseruandum est hic in commentarijs Græcorũ, quid senserint de statu animarum separatarum. Chrysostomus apertè hic habet animas iustorum è corpore discedentes (modò nihil secum purgandum ferãt) statim admitti in cœlum & præsentes reddi Christo. Idem habet Theophylactus & Oecumenius. Quod annotandum, quia vulgò istud negare dicuntur Græci. Legendum est etiam ethicon Chrysostomi. Habet enim multa præclara pe purgatorio, & orationib⁹ pro defunctis. Inter

Inter quæ hoc imprimis animaduersione dignum est, quod ab ipsis Apostolis sancitũ esse dicunt, vt in celebratione mysteriorum memoria fiat defunctorum.

Quod si viuere in carne, &c.) viuere in carne est viuere vita hac mortali. Loco (hic) Græci pronomen habent neutri generis, (hoc,) verum siue hic siue hoc legamus, sensus idem est, quemadmodum docet grammatica. Hic ergo, id est, ea res mihi fructus operis est. Quæ sequitur coniunctio (&). Et quid eligam ignoro, ferè dissimulatur ab interpretibus, verum nequaquam ociosa est, habet enim peculiarem & occultã vim excludendi, quod diuersum erat. Siquidem id sentit Paulus: si viuo, Christi causa viuo, si morior, meo commodo morior, quod si ipsum viuere res fructuosa sit, si lucrum adferre potest, id est, si viuendo Ecclesijs prosum, adeò non præfero meum commodum vestro bono, vt dubitem etiam vtrum eligam.

Erasmus in translatione noui testamenti aliam sequitur syntaxin: vertit enim ad hũc modum: quod si contingat viuere in carne, ea res mihi fructꝰ operis est, id est, video magnum ostium mihi apertum & multum fructus parari. Secundùm hunc coniunctio, &, more vulgari copulat quod sequitur: sed scindum illud (contingat) ipsum addidisse de suo: nõ enim est in Græcis codicibus: sed nec Græcorum quisquã subaudit nõ Chrysost. non Theoph. non Oecu. Quare in textu Latino addito scholijs Oecumenij male adiectum est. Oecum. apertè illud, si, vertit in quandoquidem caulale. Quãdoquidem inquit viuere in carne ad fructificandũ conducit, nondum mihi decretum est neq; satis notum quid eligam, vitam ne an mortem. Theoph. quoq; exponit illud, si, vt sit non dubitantis, sed asseuerantis, vt sit tale quale est in versibus Catonis: Si Deus est animus, nobis, &c. Quorum hic sensus est: Quoniam Deus Spiritus est, sane Spiritus colendus est. Chrysost. in suis cõmen. ipsi Paulo hic quæstionẽ mouet & eam vtilem. Quid dicis inquit ô Paule, cùm hinc abiens in ipsum cœlum migraturus sis, atq; cum ipso Christo futurus, ignoras quid eligere debeas? futura metuis? innumeris malis obnoxiꝰ es, flagris exciperis, pateris carcerem, vincula, &c. & apud Christum tamẽ esse non vis? & demus vt vita hæc nullis malis obnoxia sit, imo innumeris bonis referta, anne propter tantopere dilectum Christum, magis petere oportet dissolui? Tandem Apostolum respondẽtem facit his verbis. Nõ volo esse apud Christum propter Christum, vt scilicet plures ei lucrifaciam, mihi ipsi libenter ex mora & dilatione damnum inferam, quo alijs possit contingere salus. Est mirabilis animus Pauli, quamquam id quod proponit Chrysostomus, aperte haberi nequeat ex ipso textu: videlicet quod elegerit Apostolus permanere in carne. Affectus hic in paucis hodie reperitur, nostrum tamen est nõ minus studere, vt nostri affectus respondeant affectibus Paulinis, quàm vt ipsius Pauli doctrinam intelligamus.

Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.

Coarctor autẽ è duobus, &c.) Adducit hũc locum Augustinus velut exemplũ ambiguæ distinctionis li. de doctrina Christiana. 3. cap. 2. Nam potest ad hunc modum legi: Coarctor è duobus desiderium habens, vt sit sensus: vtrinsq; rei tangor desiderio, & vitæ & mortis. Coarctare huius loci tale est, dum vnus dextram tenet alius sinistram. Est enim Græce συνέχομαι, vtrinque teneor inquit, hinc desiderio mortis, illinc desiderio vitæ: Illud trahit, quia dissolui longe multòque melius, hoc verò trahit, quia permanere magis necessarium. Potest & hoc modo legi, coarctor è duobus, vt hic distinctione interposita sequatur, desiderium habens dissolui & esse cũ Christo. Verùm ex eo quod sequitur, multò magis melius, colligit. Aug. desiderium habens, ad sequentia transferẽdum esse, idq; potissimum ex vocula (*enim*) quæ rationem reddit, quare alterius potiùs nempe moriendi concupiscentiam habeat Quam particulam inquit qui abstulerunt interpretes illa magis sententia ducti sunt, vt nõ solum compelli ex duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiam videretur. Sensus ergo secũdùm Augustinum est: duo me constringunt, quorum alterum desidero, nempe dissolui & esse cum Christo, alterum iudico necessarium, sed non desidero, nempe permanere in carne. Coniunctionem (enim) quam vrget Augustinus, Græci non legunt, sed nec Latini omnes. Si sequi Augustinum volumus, dicere possumus esse Hebraismum, hoc est, Apostolum dissimulasse hoc loco causalem coniunctionem, quod non raro Hebræi faciunt, cùm tamen eam intelligi velint. Dissolutio huius loci est ea, qua res resoluitur in ea ex quibus constat, quam Græci ἀνάλυσιν vocant. Pro multo magis, melius amb. legit, multo enim melius: verùm Paulus aliàs duplicat comparatiuum causa emphaseως vt plurimũ excessum significet, idq; iuxta idioma Hebraici sermonis. Latini habent alias formulas, ipsi dicerent multoq; longéque melius. Quod sequitur (*necessariũ super vos*) Græci in comparatiuo legunt magis necessarium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ET hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudiũ fidei, vt gratulatio vestra abũdet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos.

ET hoc confidens) Græcis est participium præteriti temporis, sed quod Paulus ferè vsurpat pro præsenti in hoc Hebraizãs, quare rectè vertit interpres, confidens. Ex hoc loco discimus vocabulum Pauli de quo latius dictum est in Epistola ad Rom. cap. 8. in expositione illius loci: Certus sum quòd neque mors neq; vita, non perpetuo pertinere ad certitudinem fidei: confidens inquit quod vobis adhuc necessarius sum (*scio quia*) hoc est quòd (*manebo*) scilicet, superstes, nõ moriturus inquit iam sum, sed eripiar à potestate Neronis hac prima vice. Ex hoc loco colligit Chrysostomus Epistolam hanc scriptam ex prioribus vinculis: siquidem ex posterioribus non fuit liberatus Apostolus.

Et permanebo omnibus, &c.) Græcis est & simul permanebo cum vobis omnibus perinde ac si dicat: Iterum visurus vos sum, permanebo inquam ad fidei vestræ profectum & gaudium, id est, vt in fide proficiatis, & in hac magis ac magis firmemini. Porrò gaudium dicit non quoduis, sed quod ex fide nascitur, siue quod de fide habetur, atq; hoc demum verum gaudium est. Vt gratulatio vestra (siue vt alij vertunt) gloriatio vestra: Est enim καύχημα quam vocẽ interpres aliàs ferè vertit gloriam. Exuberet in Christo Iesu, id est, secundùm Christum Iesum, vt sit hebraismus, quemadmodum in Epistola ad Ephesios capite 6. Filij obedite parentibus vestris in Domino, id est, secundùm Dominum, vel quantum patitur Deus. Alij accipiunt (*in*) vt idẽ sit quod (per) sed prius est probabilius. Vult igitur Apostolus abundare gloriationem Philippensium, nõ vane sed vt decet abundare secũdum Christum, *In me*) id est, de me nẽpe quod redditus sim vobis, hoc quoq; explicãs Apostolus addit. Per meum aduentum iterum ad vos.

TAntùm dignè Euangelio Christi conuersami, vt siue cùm venero & videro vos, siue absens audiam de vobis, quia statis in vno spiritu, vnanimes collaborãtes fidei Euãgelij, et in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis: vobis autem salutis & hoc à Deo.

TAntùm dignè Euangelio, &c.) siue tantùm vt dignè Euangelio Christi (*conuersamini*) tantùm scilicet, requiritur, vt dignè Euangelio, &c. & præterea nihil. *Vt siue cùm venero & videro vos*) subaudiũt hic græcanica scholia: gaudeã de vobis (*siue absens audiam de vobis quod statis in vno spiritu*) hac quoq; ratione gaudeã. Incertum hic est an Paulus hortetur ad concordiam, quæ respicit voluntatem, an ad consensum qui est intellectus, hoc est, an solicitus sit de dogmatibus, an de moribus. Incertũ item est, an vnus spiritus & vna anima idem hoc loco significent. Tertio incertum est, an illud (vnanimes) pertineat ad præcedentia an ad sequẽtia. Ex Græco nihil certi haberi potest, ad verbum enim sic habet: vt audiã de vobis quòd stitis in vno spiritu, vna anima collaborantes, &c. vbi dubium est an præpositionẽ, in, repetere oporteat ad hunc modum intelligentes: quòd statis in vno spiritu & in vna anima, an omissa præpositione sensus hic sit vno animo collaborantes, &c. Labor huius loci est talis qualis Athletarum, quod patet ex voce Græca est enim συναθλοῦντες, id est, concertantes, vel diuisa præpositione cum fide Euangelij certantes: quomodo vertit Ambrosius: fides Euangelij inquit in luctæ est: quare decertantem & laborantem fidem cõcordibus animis adiuuate (*& in nullo terreamini ab aduersarijs*) incertum an intelligat Gentiles an hæreticos Iudaizantes.

Quæ illis est causa perditionis.) Græcis est ἔνδειξις, id est, ostensio vox frequens Paulo. Interpres in post. Epistola ad Thessa. cap. 1. vertit exemplum, Gloriamur inquit pro patientia vestra, & fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationib⁹, quas sustinetis in exemplum, id est, ostensionem iusti iudicij Dei, hoc est, vt vobis qui patimini persecutionem, & in ijs qui vobis persecutionem inferunt, ostendatur & declaretur iustum iudicium Dei. Græce est ἔνδειγμα verbale eiusdẽ verbi, cuius est ἔνδειξις, hoc à secunda, illud à prima persona deductum est. Verbum ipsum interpres ferè semper vertit ostẽdere ad Rom. cap. 6. quod si Deus volẽs ostẽdere. Rursus in Epistola ad Thim. ca. 1. vt in me primo ostendentem oẽm patientiam, &c. Similiter in Epistola ad Ephe. ca. 2. vt ostenderẽ seculo superuenienti, &c. Omnibus istis locis est verbũ huius loci, & Ambrosius hoc loco ostentationem vertit, quæ inquit est illis ostentatio interitus. Sensus est: quòd persequuntur Euangelium, est argumentum perditionis ipsorum, hinc licet colligere quòd sint damnandi, Rursus quia vos ista patimini est argumentum atq; hinc licet colligere quòd sitis saluandi. In posteriori epist. ad Thim. cap. 4. Alexander Aerarius multa mala mihi ostendit: eadẽ quoque vox est, sed phrasi Hebræa significat exhibere seu facere.

Et hoc à Deo:) Sensus est, quod contingit vobis hoc argumentum futuræ vestræ salutis, est donum Dei: Hoc dicit vt ad modestiam instruat ipsos.

Quia

QVia vobis donatũ est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes quale et vidistis in me, & nunc auditis de me.

QVia vobis donatũ, &c.) Annotat hic Ambrosius pati pro Christo donũ Dei esse, sed nõ dari quibusuis, sed ijs duntaxat, qui antea præbuerunt se Deo. Est ergo hic laus Philippensium, sed & tota Epistola ferè laudem habet, sed est laus obliqua, hoc est, laudat eos non tam vt laudet, quàm vt hoc modo ad perseuerantiam hortetur.

Idem certamen habentes, &c.) Magna laus in eodem cum Paulo certamine versari. Est aũt certamen quale est athletarũ. Agitis athletas sicut ego, multa subitis & fertis incommoda, dum decertatis pro Euangelio. Non dicit audistis sed vidistis (*quale & vidistis.*) Nam illic Philippus decertauerat flagris exceptus, fuerat & vnà cum Sila coniectus in vincula: Historia est actorum cap. 16. cuius & meminit Apostolus cap. 2. ad Thessal. Est hoc loco difficultas, quomodo dicat Paulus, donatũ Philippensibus (pro Christo) vt in ipsum credant, cùm fides sicut & reliquę dispositiones, per quas meritũ Christi applicatur nobis, non detur ex meritis Christi, sed ex misericordia Dei & gratia Dei meritum Christi præuenientibus. Quidam hic facilè se expediunt, referentes illud (pro Christo) tantum ad pati, non etiã ad credere, vt sit hyperbaton. Volebat Apostolus dicere quod pro Christo ipsis datũ esset pati, ac interim subijt animũ ipsius quod etiam datum esset eis credere, licet nõ pro Christo, atq; hoc interposuit. Græcanica scholia accipiunt illud (pro) nõ vt hoc sit quod (propter) vt ferè in huiusmodi locis accipi solet, sed vt idẽ valeret quod ὑπὲρ, quod (inquiunt) hoc loco positum est pro ἀπὸ sed nulla adducunt similia loca: & difficile omnino esset demonstrare, siue apud ethnicos scriptores, siue in diuinis literis, ad hunc modũ accipi præpositionẽ ὑπὲρ seu pro D. August. in lib. de gratia & lib. arb. cap. 14. citat locũ hũc, verùm illud (pro Christo) nõ vrget, sed tantũ hinc docet, quod fides donũ Dei sit. Anselmus ἀποσδόκητος Augustini in cõment. suis habet, fidẽ dari propter Christũ. Exponit siquidẽ (pro Christo) ad hunc modum: quia vobis donatũ est à Deo, p merito Christi, &c. quẽ si velimus sequi fidem accipere oportet pro vigore fidei seu aliquo alio modo diuerso ab illo, quẽ, pponit Augustinus loco iam citato. Maximè probabilis est eorũ cõmentarius, qui dicũt hyperbaton esse cuius nulla mẽtio est apud Anselmum, sed ex æquo videtur referre illud (pro Christo) ad vtrumque, ad pati videlicet & ad credere.

CAPVT II.

SI qua ergo consolatio in Christo. si quod solatiũ charitatis, si qua societas spiritus, si quæ viscera miserationis: implete gaudium meũ, vt idem sapiatis, eandem charitatẽ habentes, vnanimes, idipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrãtes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & ea quæ aliorum.

PRimum caput nullam apertam mentionẽ habet principalis scopi seu argumenti, sed nec secundũ: in vtroq; tamen eius occulta quædam semina sunt, quæ obseruare oportet. *Si qua consolatio*) id est, si hoc vultis & id vobis cordi est, vt consolemini me positũ in vinculis: Quod addit (*in Christo*) Hebraismum habet, id est, si qua consolatio secundum Christũ, vel quales decet Christianos. Si vultis inquit me cõsolari Christiano more (*si quod solatiũ charitatis*) id est, si desideratis adferre solatiũ, quale est proprium Christianis, vel quale solet charitas adhibere. Est hoc loco mirabilis congeries verborum faciens ad epithasim & vehementiã. *Si qua societas spiritus*) id est, si vultis rebus declarare quòd vester spiritus mihi etiã communis sit. *Si qua viscera miserationis*) Græce est, si quæ viscera & miserationes, atq; ita legit Ambrosius, vt miserationes exponat viscera hoc modo: si quid in vobis viscerũ, id est, miserationũ, si afficiamini inquit vlla misericordia mihi vincto. *Implete gaudium meum*) Hoc affectus genere vtimur inquit Chrysostomus quando oramus pro ea re, quã omnibus proponimus. Si hæc quæ dixi inquit mihi exhibere vultis, hoc vnicũ præstate, nempe vt impleatis gaudium, quod ex præclaris vestris initijs iampridem concepi cuius memini in primo capite: istud si feceritis, omnia illa quæ dixi, consecutum me putabo. Porrò quia valde generaliter dictũ erat, implete gaudium meum, magis iam in specie explicat dicens.

Vt idem sapiatis, &c.) quod hic sapere & paulo post sentire vertit interpres Græcis idem vocabulum est, & pertinet tam ad affectum quàm ad intellectum, quemadmodũ dictum est in Epistola ad Ro. *VI*) expletiuè sumitur, sensus est. Tum maximè gaudebo si intelligam vos sequi dogmata eadem. Aduertere hic oportet, quod ipsorum bonum, ducat gaudium suum: atq; ipsorum in dogmatibus consensum, pro collato habeat in se beneficio.

Eandem charitatem habentes, &c.) Istud subijcit, quia charitas est mater pacis in do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gmatibus, qua qui præditus fuerit, non sequetur suam phantasiam, sed Ecclesiæ communem doctrinã. *Eandem*) id est, mutuam, hoc est pariter & amare & amari studentes. Theoph. ad Mensuram refert: Vt non frigidè inquit redametis à quibus multum amamini, sed amor amori vtrinq; respondeat.

Ad eundem modũ interpretãtur scholia Græcanica: eandem inquiunt, id est, æqualem, Potest & hic esse sensus, eãdem scilicet, quam cœpistis exercere. *Vnanimes*) quid sit vnanimes esse, ipse Chrysostomus declarat cũ adijcit (*id ipsum sentientes*) participiũ est eius verbi, quod modò verterat sapiatis, tanquam si vna, inquit, eademq; anima omnes essetis colligati, similiter affecti sitis.

Nihil per contentionem, &c.) In fine Epistolæ ad Roma. & eius quæ scripta est ad Galatas, significat Apostolus hæreses de iustificatione natas ex cõtentione & inani gloria, cum quibus locis hunc conferre oportet, vt sciamus Apostolum hic solicitum esse de dogmatibus, de quibus postea apertus erit sermo. Contentio Græce est ἐριθεία de qua voce dictũ est in Epistola ad Galatas, in expositione catalogi vitiorum. Ambrosius hic vertit irritationem: Nihil scilicet, agatis ad prouocandum alios, nihil autem agatis per appetitum humanæ gloriæ. Inanis gloriæ, Græcè vnica dictio est κενοδοξία, Sed in humilitate, id est, per humilitatem animi. Humilitatem vocat animi modestiam, qua quis nihil altum de se sentit, sed seipsum demittit, sibiq́ue minimum arrogat, Græcè est ταπεινοφροσύνη.

Superiores sibi inuicem arbitrantes, &c.) id est quisq; alium se excellentiorem & præstãtiorem putet, idq; verè & ex animo statuat, quantumuis magnus sit, & potioribus donis instructus videatur. Exempli gratia, qui donum habet virginitatis, is alium quem videt vtentem matrimonio, excellentiorem se iudicet, atq; vt hoc iudiciũ ex animo procedat, cogitet multa bona esse in coniugato quæ non videt, ob quæ sit coram Deo præstantior: cogitet, hoc quod ipse fortè non potest, illum posse, nempe bibere calicem Domini. Occultum enim hoc donum est, & nisi adsit tẽtatio, nulla eius sit demonstratio: Nemo autem putauerit virginitatẽ præferendam martyrio. Multa in hãc sententiam habet Augustinus libro de sancta virginitate cap. 43. & aliquot sequentibus. Nobis conandum est, vt istud opere aliquando præstemus: siquidem ad omnem virtutem valde is paratus est, qui nulli se præfert. *Non quæ sua sunt singuli considerantes*) id est, ne consideretis vel potiùs ne spectetis vestra cõmoda, sed aliena: spectam' enim id quod expetimus. Græcè σκοπῶμεν, vnde scopus dictus est: Græci addunt hîc coniunctionem (&) ad hunc modũ legentes. Sed & quæ aliorum: Verùm interpretes hanc non attingunt, vnde illud ἀλλά verisimile est ipsos accepisse, vt eãdem habeat vim ac si dicas, imò magis quæ aliorum. Adhortatio hæc etiam ad nos pertinet, est conandũ nobis vt quæramus communem vtilitatem: id enim gratissimum Deo est, atque exemplo quod subijcit Apostolus, patet rem hanc valde cordi fuisse ipsi Paulo.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.

Hoc enim sentite in vobis, &c.) Est illud verbum apud Græcos quod paulò antè interpres vertit sapere. Sensus est: Is sensus, is affectus in vobis sit, qui fuit in Christo Iesu, habetis præclara dona, hic, prophetiæ, ille, continentię. Rursus alij alia. Verùm quantumuis præstantes sitis, tamen collati cum Christo nihil estis: siquidem Deus ipse est, atq; hic cùm tantus esset, fecit se nihili, deiecit se ad formam serui, imò vsque ad mortem, imò mortem probrosissimã, hæcque tam indigna subiuit, quò aliorum commodis consuleret. Quid igitur vobis faciẽdum? quam vehementer annitendum vobis, vt affectus huiusmodi induatis, vt spiritus quibus ad alta quæque & sublimia secundum seculum expetenda ferri homines solent, in vobis comprimatis, vt vos ipsos, quantumuis præclaras habeatis dotes despiciatis, minimumq; vobis arrogetis, vt aliorum commodis, proprijs etiam neglectis, studeatis: quàm, inquam, annitendum vobis, cùm tam insignè hic exemplum habeatis ipsum scilicet Christum: ipse non sua quæsiuit sed quæ aliorum sunt, ipse quo nostris consuleret, neglexit sua. Vult Apostolus diligenter nos respicere in hoc exemplum, & sanè efficacissimũ est. Cùm inquit.

In forma Dei esset, &c.) obscurè hoc dictum est. Sensus est, cùm esset in natura Dei, id est, cùm esset verus & perfectus Deus: Sic Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius, item & Aug. & veteres omnes tam Latini quàm Græci, nisi quod Ambrosius cum hac expositione & aliam misceat, quæ interpretatur formam pro specie siue figura, vt in forma Dei esse, sit præse ferre externo habitu & figura, multa diuinitatis indicia, vt sit præbere specimen diuinitatis. Ex quo quærendum an vsquam in scriptura sic accipiatur forma siue μορφὴ qua voce vtitur Paulus. Certè Chrysostomus negat, sed & consuetudinem Græcè loquentium nequaquã hoc habere dicit, vt μορφὴν sic vsurpẽt. Nemo sanè quidem dicit nec rectè dixerit, Petrum vel Paulum vnquam in forma Dei fuisse, & tamen similia vel maiora etiam opera quàm Christus, vterq; patrauit. Erasmus tamen in annotat. posteriorem hunc sensum Ambrosij sic amplectitur, vt alterum qui omniũ verum est, quodammodo reijcere videatur. Argumentum quo mouetur istud est: Si in forma Dei esse, sit esse in natura Dei, ergo & formam serui accipere, est naturam serui accipere. Certè Christus non seruus est, sed filius. Argumentum hoc nullius momenti est, quia Christus licet seruus dici non possit hactenus, quasi in ipso duæ sint personæ quarum altera alteri subiecta sit, quod olim voluit Nestorius, nihil tamen prohibet ipsum seruum dici secundum diuersitatẽ naturarũ, hoc est, iuxta alteram naturam, iuxta quam habet omnia quæ nos, excepto peccato. De hac re disputat Damascenus libr. 3. Orth. fidei cap. 3. Quod sequitur.

Non rapinam arbitratus est) nõ minus obscurè dictum est quã priùs illud. Sensus est: non iudicauit esse arrogantiam agnoscere se æqualem Deo, non vendicauit sibi nec arrogauit sibi immeritò æqualitatem cùm Deo, quando dixit: ego & pater vnum sumus, non fuit dementis arrogantiæ. Rapina phrasi Hebræa significat turpissimam arrogantiam. Ad hunc ferè modum exponit Augustinus tractatu. 17. super Iohannem. Rursus lib. 2. contra Maximinum Arrian. epist. cap. 5. & alijs multis locis: Non putauit, inquit, esse vsurpationem rei alienæ, sed vendicauit sibi quod suum erat. Erat enim natus Deus, propterea si hoc sibi vsurpabat, non committebat rapinam, faciebat suo iure. Chrysostomus magna ex parte consentit cum Augustino. Rapinam exponit, cùm sumimus nobis quod in nos non competit, hîc conuenit cum Augustino. Addit deinde in rapina notationem esse, hoc est, rapinam habere accidens, ex quo hic intelligere nos oportet substantiam: qui, inquit, posset raptum quippiam, nõ libenter illud deponit apud alios, timens ne illud perdat. Chrysostomus ergo. Non arbitratus est rapinam, id est, non dubitauit diuinitatem suam deponere seu dissimulare, nõ ergo eam habuit pro rapto, hîc dissentit ab Augustino. Chrysostomum sequuntur Theophilactus & Oecumenius vtpotè Græci: Augustinum ferè imitantur Latini. Et si quis solam phrasin inspiciat, nõ dubitabit sensum eum esse quẽ proponit Augustinus. Quod attinet ad (cùm) qui cùm in forma Dei esset, aduertendum an sit causale an aduersatiuũ: Vtroq; siquidem modo accipitur in scriptura. Particula aduersatiua est in Epist. ad Gal. Sed neq; Tit' qui mecũ erat cũ esset gẽtilis, & præputiũ gereret, cõpulsus est circũcidi.

Alterius significationis loca vbique obuia sunt: Apostolus loco (*cum*) habet hic ὑπάρχων participium significans existens, verùm ex eo nihil dijudicari potest: siquidẽ participia quoq; nunc causalia sunt, nunc seruiunt sensui aduersatiuo. Veteres hoc loco exponũt, vt sit causale, & res ipsa hoc planè exigere videtur. Sensus hic erat: Christus quia natura Deus erat, absq; omni arrogantia agnouit se æqualem patri: Deus priori loco. Qui cùm in forma Dei esset, videtur esse vocabulum essentiæ. Posteriori loco: non rapinam arbitratus est se æqualem Deo, est vox suppositi, accipitur siquidem pro patre, Nõ rapinam arbitratus est esse, sic vt agnosceret quoque.

Sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

Sed exinaniuit seipsum, &c.) Quæstio hîc est, an (sed) vel potiùs (ἀλλά) qua dictione vtitur Paulus sit particula aduersatiua, an nota correctionis. Chrysostomus accipit notam correctionis, vt sensus sit: Christus quia in Dei forma erat, non dubitauit diuinitatem suam dissimulare, adeò non veritus est à dignitate sua descendere, vt planè exinaniuerit sese. D. Augustinus interpretatur vt sit aduersatiua particula: Christus quia natura Deus erat non iudicauit esse rapinam, si agnosceret se æqualem patri, interim cùm tantus esset, cùm gereret & agnosceret se æqualem Deo, idq; absq; omni arrogantia, tamen exinaniuit sese. Istud magis conuenit exhortationi ad humilitatem, ob quam de Christi diuinitate hãc disputationẽ suscepit Apostolus. Vide Aug. lib. 2. contra Maximum cap. 5. Intellige, inquit Apostolum ideo dixisse, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, quia non alienum arbitratus est, esse quod natus sit, sed quamuis æqualitatem Dei non fuerit arbitratus sed suam semetipsum exinaniuit, non quærens quę sua sunt, sed quæ nostra sunt: Accipiendũ itaq; hic est, ἀλλά vt idem sit quod Hebræis ׳א, quæ particula aduersatiua est idem valens quod apud nos, veruntamen. Veruntamen propter dolos posui eos, &c. Psal. 72. Rursus. 38. Subsistantia mea tãquam nihilum ante te: veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens: veruntamen in imagine transit, &c. Exinaniuit significat summam deiectionem, demisit se ad imum, demisit se ad nihili.

Quod sequitur (*formã serui accipiens*) expletiuè dictum est: exinaniuit se, id est, accepit formã serui & texit formam dei. Monent hîc interpretes vt intelligamus Christum se exinaniuisse, non quidem diuinam naturam

Universidad de Deusto
Biblioteca

turam deponẽdo, sed assumendo humanã. Marcio & eius sequaces exponebant locum hunc de opere: Christus, dicebant, accepit formã serui, quando cinctus linteo lauit pedes discipulorũ, hoc reijcit Chrysost. Aliud inquit, est opus serui facere, aliud formã serui accipere. Nusquã enim forma in scriptura inuenitur pro opere dicta multum enim ab opere differt. Illud enim, nempe opus serui facere, energiæ est, hoc verò, scilicet formam Dei accipere naturæ est, qua responsione simul reijcit & Ambro. & Eras. Est tamẽ vbi forma siue μορφὴ accidens est, et mera qualitas, vt apud Aristotelem in quarta specie qualitatis: verùm ea significatio rara admodum est etiam apud philosophos, apud quos accipitur quomodo in 2. Phisicorum, vt sit naturę nomen, non accidentis. *In similitudinem*) vel vt alij vertunt in similitudiue (*hominum factus.*) Istud dicit Apostolus, non quòd verus homo non fuerit Christus, sed quod nõ fuit purus homo: erat enim homo Deus, interim tamen visus est esse purus homo, subiectꝰ siti, fami, &c. Quod sequitur.

Habitu inuentus vt homo, &c.) expletiuè istud accipitur secundũ Chrysost. vt exponat præcedentẽ particulam: In similitudine hominum factus, id est, habitu inuentus vt homo. Habitũ interpretatur Chrysostomus pro specie & figura, & recte: est enim Græcè σχῆμα. Pro specie quoque interpretatur Ambrosiꝰ, verùm in hoc differt à Chrysostomo quod hic speciẽ ponat in carne figurata. Tota caro Christi habebat tale schema, quale habet nostra. Ambrosius verò speciem ponit in exteriore conuersatione. Vocabulũ Græcum magis facit pro Chrysostomo: est enim vox 4. speciei qualitatis apud Aristotelem. Aug. vult vocabulũ esse vltimi prædicamẽti, cuius sententiam difficilè est tueri: verùm quidem est, apud Latinos vocabulum (*habitus*) ad hoc prædicamentum pertinere, sed Græci, maximè vetustiores philosophi prædicamentũ hoc non habitũ, vel vt Augustinus vult schema appellant, vel τὸ ἔχειν. Sed Augustini interpretatio, vt videre est apud M. in tertio libro sententiarũ, distin. 6. quibusdam occasionẽ dedit, vt diceret vnionẽ verbi cum natura humana accidentalem esse, quæ disputatio cessat si sequimur Chrysostomũ. Qui pleniùs cognoscere cupit sententiã Augustini legat ipsum in libro quæstionum 89. quæstione 63. legat & quæstionem 71. eiusdem libri: habet enim illa multa, quæ faciunt ad intellectum huius loci. Illud (*inuentus*) Hebraismũ habet: Latinè dixisset, habitu fuit aut extitit vt homo. Phrasis hęc frequẽs est Paulo: Hic iã quęritur inter dispensatores vt quis fidelis inueniatur. Rursus in eadẽ epistola inuenimur autem & falsi testes Dei? Rursus in epist. ad Gal. inuẽti sumus & ipsi peccatores, id est, existimus. Vocula (*vt*) ambigua est, significans nunc imaginem rei, nunc veritatẽ. Chrysosto. hoc loco interpretatur vt significet imaginem: Bene inquit dixit vt homo: non enim erat vnus ex multis, sed tãquam vnus ex multis, hoc est cùm inter multos esset singularis tamẽ præ se tulit quasi esset quiuis alius. Imago ergo in hoc est, quod visus est homo quales nos sumus, hoc est, purus & nudus homo. Nihil ergo locus iste facit pro Marcione, qui asserebat Christum non esse verum hominem, ad hunc modum argumentans: Habitu homiuẽ esse, non est natura hominẽ esse: & esse vt homo, non est verè hominẽ esse. Theophylactus non contentus solutione Chrysostomi addit aliam, vt particula (vt) significet veritatem, Citat locum similem ex Iohanne: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigenitià Patre, vbi Græcis eadem est vocula, quæ est hoc loco apud Paulum, & certum est significare veritatem. Vnde & Valla reprehendit nostrum interpretem qui vertit (quasi) quod (quasi) imitationem significet non veritatem.

Hvmiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem, autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriam est Dei Patris.

Hvmiliauit semetipsum, &c.) Quod velut exponens Apostolus addit (*factus obediens*) expletiuè enim hoc dictum est, humiliauit semetipsum, id est, factus est patri obediens vsq; ad mortem (*Mortem aũt crucis*) id est, mortem probrosissimam (*propter quod et Deus*) dictio illatiua propter quod) significat Christi humilitatem seu obedientiã tantæ fuisse existimationis & tanti meriti apud patrẽ, vt propter eã ipsum extulerit in summam sublimitatem, Sic veteres omnes, tam Græci quàm Latini interpretes, quod notandum propter Caluinum, qui nouè interpretatur dictiones (propter quod) vt mirum consequentiam significent nõ causam, vt sensus sit: Christus humiliauit se, & factus est patri obediens vsque ad mortem, post hanc humiliationem & obedientiam Deus Pater ipsum exaltauit: Sed nemo non videt extortum istud esse: Addit Caluinus, quoties enim scriptura meminit mortis Christi, in nobis pretium statuit, nec de alio loquitur merito quàm quod ad nos redit. Quod imperitè ab ipso dictum est, cùm sint nobilissimæ Scripturæ de meritis Christi, quorũ præmia ad ipsum ecclesiæ redeunt. Apoc. 5. dignus est agnꝰ qui occisus est accipere virtutem & dignitatẽ. Esaiæ 53. pro quod laborauit, videbit & saturabitur, &c. id est, merito laboris quẽ pertulit Christus, hæc cõmoda ad ipsum redibunt, nempe videbit & saturabitur, &c. quæ eo loco referũtur. Rursus Psal. 109. de torrẽte in via bibet & ꝓpterea exaltabit caput, cuius sensus est: Messias tantum sanguinis effundet, vt sanguis effusus efficiat torrentẽ in quo quis bibat, & quia tam insigniter triumphabit de inimicis suis, propterea exaltabit caput, euehetur ad summã sublimitatẽ, dabitur ei nomen quod est super omne nomen hoc erit præmium istius grassationis. D. Augustinus aliter exponit, putat de torrente significationem esse mortalitatis, de torrente mortalis vitæ bibet, id est, morietur & patiẽtur omnia, quæ sunt humanæ miseriæ: meritũ huius tolerantiæ erit, quòd exaltabitur. Est alius psalmus plenus meritorum, quorũ præmia ad Christũ redeunt, nempe Psalmus 44. in quo Prophera Epithalamium describit Christi & ecclesiæ. Eructauit inquit cor meum verbum bonum, &c. Est propositio quę absoluitur duobus versibus, ac si dicat: scribam Epithalamium Christi. Sequitur deinde narratio. Speciosus forma prę filijs hominum. Diffusa est gratia in labijs tuis, &c. quorum verborũ sensus est: Sãctissimè doces & cõcionaris propterea benedixit te Deus, id est, propter sanctissimas tuas cõciones & doctrinam benedixit te pater in æternum, hoc est, voluit vt semper præstares noua opera, per quæ agnoscaris plenus gratia & benedictione: Et infrà, dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem propterea vnxit te Deus: Apertè significat Propheta honorem vnctionis datum Christo ob meritum virtutis. Meruit ergo Christus nõ solùm nobis, sed etiã sibi, hoc enim habet proprietas dictionis propterea. Propter quod ergo, id est, merito huius insignis humilitatis & obedientiæ (*& Deus exaltauit illum*) non leuiter transmittẽdum est illud (&) quod positum est loco etiam & tantundem ferè valet ac si dicat. vicissim. Siquidem sensus est, Christus hæc fecit, propterea pater vicissim vt faceret paria, exaltauit illum. Deus non nomen essentiæ est sed personæ: intelligitur enim pater. *Exaltauit*) plus explicat sermo Græcus: est enim ὑπερύψωσεν, id est, insigniter exaltauit siue vehemẽter exaltauit: Proinde Ambrosius vertit superexaltauit, studẽs exprimere vocẽ Græcã.

Est hoc loco difficultas, qua in re Apostolus ponat hanc exaltationem. Quidã interpretatur, exaltauit dum nimirum excitauit eum à mortuis, & impassibilitate, & immortalite donauit: Rursus cùm consedere eum fecit ad dexterã suam in cœlestibus. Alij magis placet vt non sit res diuersa, sed eadem cũ sequenti, vt exaltationem ponat Apostolus in donatione nominis, quòd est super omne nomen. Et textu nihil certi haberi potest. Illud interim certum est, pronomen (illi) primo & secundo loco referre Christum hominẽ, quia præcedit humiliauit se vsq; ad mortem. In illa ergo forma in qua se humiliauit, exaltatum illum intelligi oportet. Atque ad hunc modum exponunt oẽs interpretes, tam Græci quã Latini, vno Ambrosio excepto. Cuius sententiam exponit & refert. M. 3. lib. sententiarum, dist. 18. Humiliauit ergo illum, id est, Christum hominẽ, donauit illi scilicet, Christo homini nomẽ quod est super omne nomen, id est, nomẽ Dei vel nomen Filij Dei: Sic Theoph. & Græcanica scholia vt hoc sit quod dicitur apud Lucã, quod ex te nascetur vocabitur Filius Dei. Alij nomen figurate accipiunt pro re, sicut dicimus: ille bene meritus est, de nomine Christiano, id est, de ipsis Christianis, vt sensus sit: Dedit ei maiestatem, siue dedit ei potentiam vel gloriam, quæ excedit omnem gloriam, siue potentiam, siue maiestatem, id est, dedit ei diuinitatem.

Quæstio iam est, an ergo Christus meruit diuinitatem, vel (quod eodem recidit) nomen Dei. Dictum enim est quod illud (propter quod) accipi oporteat vt causam significet & causam meritoriam.

Respondet. M. quod dicitur hic merito obedientiæ Christo donatũ nomen Dei, accipiendũ esse secundũ tropum scripturæ similiarẽ, quo res dicitur fieri quãdo innotescit. Dedit ergo ei nomẽ, id est, pater fecit, vt diuinitas Christi vel nomen Dei, quod ab initio habuit, innotesceret orbi, & ab omnibus agnosceretur passim, & prædicaretur Deus. Ad hunc modum interpretari cogimur, ne incidamus in heresin Photini. Videatur Magister loco dicto.

Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.) vt, hoc loco est coniunctio expletiua interpretans partem quæ præcessit: Dedit illi nomen quod super omne nomen, id est, dedit illi vt in nomine Iesu, &c. Per nomen hic intelligere licet rem, hoc sensu: vt ipsi Iesu omne genu flectatur, hoc est, vt omnes ipsum adorent, vt omnes ipsi diuinum honorem impendant. Est tropus, sed quis sit, variant interpretes. Quidã enim dicunt Methonomiam esse, alij putant notationem esse, vt significetur peraccidens aliquid substantiæ rei, quæ est adoratio. Alludit autem Apostolus ad locũ qui est apud Esaiã cap. 46. Per memetipsum iuraui dicit dominꝰ, quia curuabitur omne genu, &c. *Cœlestium*) id est, angelorum (*Terrestrium*) id est, hominum (*Infernotũ*) id est, dęmonum, quia & dæmones

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes velint nolint cogunturagnoscere diuinam maiestatem in Christo. *Et omnis lingua*) siue angelorũ siue dęmonum siue hominũ, (*cõfiteatur quia*) hoc est quod (*Dominus Iesus Christus in gloria est*) id est, in maiestate & potentia (*Dei patris*) Græcè nõ legitur, est, nec in gloria, sed in gloriam. Vnde Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius. Græci interpretes aliam tradiderunt sententiam huius loci hãc nimirum? Omnem confiteri linguã, quòd Iesus Christ⁹ est Dominus, idq; in gloriam Dei Patris. Verum si quis attendat ad morem Pauli, magis delectabitur sententia interpretis solet siquidem Apostolus præpositione εἰς fere abuti pro ἐν. Loca annotata sunt in Epist. ad Galat.

Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis, nõ vt in præsentia mea tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.

Itaque charissimi mei, &c.) hactenus proposuit Apostolus humilitatẽ ac obediẽtiam Christi, sublimitatem quoq; ad quã merito humilitatis euectus est: quod ideo fecit, vt efficacior esset hortatio, quàm instituerat de humilitate sectãda, & fugienda vana gloria & contentione. Post exemplum Christi pergit in eo quod cœperat & infert: Itaque charissimi mei, &c. ac si dicat: Christus obedientiam præstitit patri vsq; ad mortem, atq; huius meritò insigniter euectus est. Quare vt Christi imitatores sitis, & ipsi tandẽ quoque euehamini, obedientiã Deo præstate & eius mãdatis à me vobis propositis, id quod hactenus quidem diligenter fecistis, nõ tantum cum ist hic præsens apud vos essem, sed me etiam absente. Quod ergo hactenꝰ fecistis, pergite facere. Miscet inquit Chrysostomus laudem vt efficaciùs exhortaretur. Alij illud (*non vt in præsentia mea tantũ, &c.*) referunt ad operamini. Cũ metu & timore salutẽ vestrã operamini: opponit metũ & timorem vanæ gloriæ & contentioni. Nólo, inquit, vos studere contentioni & vanę glorię: sed humilitati, id est, volo vos salutem vestram operari cum metu & tremore, quantumuis sitis eruditi, quantumuis præclara dona habeatis, ac sanctimonia polleatis.

Exhortatio hæc maximè iam locũ habet, qui hodie habentur probi, tunc vix fuissent habiti probi, quod patet aduertenti laudes Philippensium. Est aũt metus etiam in magnis viris, propter duo potissimum, Alterũ est, nè fortè in ipsis sit quod displiceat Deo, & excidere int iam à gratia, Vnde Paulus dicebat nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: Alterum est, ne etiam si iam in gratia sint, à gratia tandem excidãt. Quare in eadem epistola idẽ aiebat: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauero ipse reprobus efficiar.

Solicitus ergo erat & de præsenti statu & de perseuerantia: Neutrum admittũt hodie Lutherani, sed docent vnumquemq; certũ esse oportere & de gratia & de perseuerãtia. Contra quos optimè citatur locus iste. Est quidẽ commẽtarius qui interpretatur istud per mathalepsim, cum metu, inquit, & tremore, hoc est, cum diligentia, quasi Apostolus nõ cogitauerit de metu, sed de eo quod habent qui sunt in metu, id est, de diligẽtia. Qui commentarius reijciendus est, propter Psalmum: Quare fremuerunt gẽtes, ad quẽ apertè hîc alludit Apost. tum propter veteres qui nullum hic agnoscunt tropum. Non simpliciter (ait Chrysostomus) dixit Apostolus, cum timore, sed addit, & cum tremore qui quidem tremor auctio quædã est timoris: & rationem reddẽs quare cum timore & tremore vnumquemq; oportet operari salutem suã, ait. Sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ hominem deijcere conãtur & impedire, ne assequatur vitam æternam. Annotat quoq; Chrysostomus Paulum nõ simpliciter dixisse ἐργάζεσθε, id est, operamini sed κατεργάζεσθε, id est, pergite operari vsquę & vsque siue cum multo studio operemini, cum multa solicitudine. Verùm Paulus sæpe cõposito vtitur pro simplici. Quare reprehendendus non est noster interpres, qui vertit operari. Ex hoc loco quo hortatur Apostolus Philippenses, vt ipsi salutẽ suam operentur, colligunt interpretes liberũ arbitrium: quia verò subijcit. *Deus est qui operatur in vobis*) docet liberũ arbitrium inualidum esse ad bonum, nec quicquã posse circa gratiam Dei. Imprimis autẽ elt obseruandum illud (enim) Deus enim operatur. Facit enim vt intelligamus scopum. Sensus enim hic est: non est quòd vanè gloriemini, quia hæc magna dona non sunt à vobis, oportet ea accepta ferre Deo. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere. Porrò si ille hæc in vobis operatur, quare vobis placeatis? Illud perficere apud Græcos infinitũ est participij: quod modo præcesserit ἐνεργῶν, id est, qui operatur. Hoc annotauimus ne quis putet esse nouum mysterium in verbo perficere, quasi sit ad finem perducere. Illud quoq; annotandũ (*qui operatur*) diuersum esse vocabulum à præcedenti. Cum metu & tremore salutem vestram operamini, quòd significare volens Erasmus adhúc modum vertit: Deus est is qui agit in vobis, & velitis & efficiatis.

Pro bona voluntate, &c.) Græcis vnicũ vocabulum est εὐδοκία, quod interpres aliàs beneplacitum, aliàs propositum vertit. Sermo Latinus non habet quòd ei propriè respondeat. D. Hieronymus ad vocem Hebraicam à septuaginta effictum putat, significaretq; propriè cùm non solum aliquid placet, verumetiam rectè placet, item placentiã transferri posse putat. Budæus vltroneam propẽsamq; affectionem interpretatur. Vtitur aũt aliàs semper hac voce Apo. dũ significat nõ esse merita sed misericordiam. Quare & hoc loco in ea significatione interpretantur Latini: pro bona voluntate inquiũt, id est, pro suo beneplacito, hoc est, nõ quia merita vestra hoc exigunt, sed quia ipsi sic placet. Sensus hic valdè conuenit rei de qua agitur, sicut et vocabulũ εὐδοκία, sed mirabiliter repugnat præpositio ὑπὲρ, quæ fere solet seruire fini ac intentioni, vt & ibi: Tradidit semetipsum pro peccatis nostris, id est, ad abolenda peccata nostra. Quod verò Latini dicunt, vocauit me pro sua humanitate; Græci efferunt per aliam præpositionem quàm ὑπὲρ. Quod aduertens Chrysostomus aliũ tradidit sensum huius loci, hunc nimirum: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate sua scilicet, assequenda, hoc est, Deus cupit vt sitis ipsi grati pro gratia sua impetranda, vtq; ipsi placita fiant à vobis, atq; hãc ob causam tribuit vobis energiam, siue efficaciam operã operandi, hunimirum vt hîc ipsius voluntas in vobis compleatur. Ad eundem modum interpretatur Theophylactus & Oecumenius, quos à cõmuni sensu latinorũ retinuit præpositio ὑπὲρ. Si quis sequi velit Latinos, dicere potest Apostolum abusum præpositione, quod non est infrequens ipsi.

Omnia aũt facite sine murmurationibus, & hæsitationibus: vt sitis sine querela et simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis praue & peruerse, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continẽtes ad gloriam meam in diem Christi, quia nõ in vacuum cucurri, neque in vacuum laborani.

Omnia autem facite sine murmurationibus, &c.) Ista adhuc pertinent ad contentionẽ & inanem gloriam. Sensus est: Sic agite vestra, vt aliorũ studia minimè reprehũdatis. Quod sequitur (*hæsitationibus*) alij vertunt disceptationibus. Sensus est: absque hoc quòd misceatis vos alienis rebus, disceptando num bonũ sit quod hic, aut quod ille agit (*Vt sitis sine querela*) hoc est tales de quibus nemo queri aut cõqueri potest (*& simplices*) id est, synceri, non est animi cãdidi in alijs singula reprehendere, vel vocare in dubiũ & disceptare num rectè fiant (*filij Dei*) cordatè hoc dictum est, Sustinetis, inquit, magnum titulũ: appellamini filij Dei, videte vt titulum hũc tueamini. Quidã adiungunt istud illi quod præcedit, legẽtes in in hũc modũ: simplices Filij Dei, verùm malè, quod patet ex Græco. Nã præcedens vocabulum est masculini generis apud Græcos, filij verò neutri generis. Sine reprehensione Græcis vnica dictio est ἀμώμητα, id est, irreprehensibiles siue inculpabiles seu iuculpati. In medio nationis prauæ & peruersę, &c.) siue distortæ. Prauũ dixit interpres eleganter pro tortuoso: Est periphrasis gentilium. (*Inter quos*) est relatio ad rẽ. *Lucetis*) alij malunt legere in imperandi modo, lucere, vt moneat eos: Græca vtrunq; admittunt. *Verbum vitæ*) id est, doctrinæ salutaris: (Continentes) Græce est ἐπέχοντες, quæ dictio modo sustinere significat, quod placuit hic Erasmo, modo studio retineri aliquid ne eripiatur. Sit vobis studio res ista vt puram doctrinã euangelicã retineatis (*Ad gloriã*) Græcè est καύχημα nomen verbale significãs gloriationẽ, nec est meã sed mihi. Diem Christi vocat diẽ iudicij. Sẽsus est: vt in die iudicij liceat mihi gloriari, quòd nõ in vacuũ cucurrerim, nec in vacuũ laborauerim, vt gloriari possim quòd tales pepererim discipulos.

Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

Sed & si immolor, &c.) vel quin etiã si immolor. Pro obsequio Græce est λατρεία quæ est res altaris, vnde dilucidiùs vertit Erasmus, super immolatione & sacrificio fidei vestræ. Sensus est hic: sic mihi est curæ salus vestra, vt sim paratus mori pro ea: imo gaudebo si contingat mori me in tam egregio negotio: si Deus vult me esse victimam, vt immoler super fide vestra, præbeo me lubẽs. Vtitur hic Apostolus duplici metaphora, altera se siue mortem suam facit victimã. Altera victimam facit fidem Philippensium. Intransitiuè enim accipendum est illud: super sacrificium & obsequium fidei vestræ. Quod interpres vertit congratulor, Græcis vox compolita est verbi præcedentis, vnde Erasmus vertit, gaudeo & congaudeo, scio, inquit, vos gauisuros, si audieritis me mortuum pro Christo, ego hîc vobis cõgaudeo.

Idipsum autem & vos gaudete, &c.) siue vt Erasmus vertit, cõgaudete mihi vel vnà mecum gaudete. Potest etiam legi modo indicandi, hoc modo: Idipsum autem & vos gaudetis, atq; istud magis arridet Erasmo. Græca vox ambigua est.

Spero autem in Domino Iesu. Timotheũ me citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimẽ, qui syncera affectione pro vobis solicitus sit.

Spero

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spero autem in Domino Iesu Thimotheum citò mittere, &c.) id est, vt & erecto animo sim & non impeditus timore aliquo: quandiu ignoro quo in statu res vestræ sint, habet me aliquis timor & solicitudo.

Neminem enim habeo, &c. (enim) vocula rationem reddit, quare potissimùm statuerit Timotheum mittere. Particulam (tam) addit interpres de suo: Ad verbũ est in Græco: neminẽ enim habeo æqualis animi, hoc est, pari mecum animo præditum, id est, qui similiter curam ac solicitudinem vestri mecum habeat specialiter, qui pariter mecum vos amet (*qui syncera affectione, &c.*) Pro duabus his dictionibus, Græcis vnica est γνησίως, id est, qui verè ac Germanè siue ingenuè pro vobis solicitus est.

Omnes enim quæ sua sunt quærũt, nõ quæ sunt IESV Christi. Experimentum autem eius cognoscitis, quia sicut patri filius, mecum seruiuit in Euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt.

Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, &c.) Istud hodie experimur nimis verùm esse. Nam inter illos quoque qui probi vulgo habentur, multi quærunt suã requiem, meditantur quomodo facilem vitam ducant, non est studium ipsorũ vt propagent Christum. *Experimentum aũt eius cognoscite*) sumite aliquod documentum probitatis eius, hoc nempe: quòd, vt filius cum patre, mecũ seruierit in Euangelio propagando, vt omnes scirent beneficium Christi tam pueri quam senes. Alij autem legunt indicãdi modo: Experimentum eius scitis, quod magis probat Valla: Græcus sermo ambiguus est.

Hunc igitur spero me mittere seu missurũ ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt, hoc est, cùm videro, quo in statu sim, & quẽ habeant finem res meæ, & vincula mea.

Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò. Necessariũ autem existimaui Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrũ necessitatis meæ, mittere ad vos, quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius: non solùm autem eius: verumetiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

Confido autem in Domino, &c.) id est, Deo volente quòd & ipse venturus sum ad vos citò. (*Necessarium autem, &c.*) Epaphroditum fratrem vocat, quia Christianus. Vide Hieronymum cõtra Heluidium, (*cooperatorem*) quia in propagãdo Euangelio versabatur (*Commilitonem*) quia in rebus periculorum plenis adiutor erat. Annotat Chrysostomus belli vocabulum esse. Porrò quia Philippenses per hunc miserant Paulo, quæ ipsi ad vitam necessaria erant, idcirco ipsum Apostolum Philippensium & ministrũ necessitatis appellat. Sic Oecumenius, qui apostolum simpliciter accipit pro legato. *Vestrũ Apostolum*) id est, quem vos ad me legastis. Chrysostomus ipsum Apostolum dici putat ob id, quòd Philippenses docuerat, & in fide instruxerat. Verùm siue hoc siue altero modo sumatur, figurati nominis Apostolus est. Illud (*mœstus erat*) Ambrosius vertit, impacienter solicitus erat Græcè est ἀδημονῶν, est hominis qui non potest conquiescere præ solicitudine.

Desiderabat omnes vos anxius animi, propterea quod audieratis illum infirmatum) sciebat se amari à vobis, adeoque vos mœrore affici ob suam ægritudinem, hoc inquit angebat ipsum, & proinde rumor qui de ipso ad vos peruenit, vanus non est: *Nam & infirmatus est vsque ad mortem*) id est, non longe abfuit à morte: *Sed Deus misertus est eius*) hoc est, noluit eum iam mori. An sit veri nominis misericordia, an populariter istud à Paulo dictum sit, id quæstionem habet, quam tractat Chrysostomus edisserens hunc locum. *Non solùm autem eius misertus est, verumetiam & mei*) ne reliquæ meæ tristitiæ & ista accederet.

Festinãtiùs ergo misi illum, vt viso eo, iterũ gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote, quoniam propter opus Christi, vsque ad mortem accessit, tradens animam suam, vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

Festinantiùs ergo.) Qui hodie vertunt vt Erasmus, transferunt studiosiùs. Verùm Chrysostomus intellexit vt noster interpres, quod est inquit σπουδαιοτέρως, id est, sine mora, sine cunctatione, cum omni festinatione.

Vt viso illo iterum gaudeatis & ego sine tristitia sim) id est, vt mœrorem hunc quem ex vestra tristitia concepi, deponam. Ambrosius vertit vt melior animo sim, Græca vox perinde sonat quasi dicat, liberior sim à dolore, siue: minùs doleam: quam edisserens Chrysostomus sic habet, non dixit vt ego dolore vacem, sed vt magis dolore vacem, ostendens quòd animus eius nunquam dolore vacet.

Excipite itaque illum cũ omni gaudio in Domino) quidam referunt ad proximè præcedens, vt sensus sit: cum gaudio quale decet Christianos. Alij pertinere volunt ad verbũ excipite. Excipite illum in Domino cũ omni gaudio, ad quem modum legunt Græci. Sensus tum est: Excipite illum vt decet Christianos excipere sanctos. In præpositione (in) Hebraismus est: In Domino, id est, secundum Dominum. *Et eiusmodi cum honore habetote*) quamquam de vno Epaphrodito loquitur Apostolus, tamen illud, eiusmodi, est pluralis numeri, quod ex Græco manifestum est, & Erasmus hoc significare volẽs, vertit ad hunc modum. Et qui eiusmodi sunt, eos in pretio habete.

Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit,) id est, eo accessit vt morte vicinus fuerit. Chrysostomus interpretatur de morte quæ imminebat à Nerone: Ausus est se exponere periculo mortis, accedens ad me vinctum. Alij accipiunt, nec improbabiliter, de morte quæ imminebat ex morbo. Tam erat diligens circa Paulum, vt non haberet rationem infirmitatis suæ. *Tradens animam suam*) ad verbum est, malè consulens animæ suæ, id est, negligens vitam suã. Anima pro vita Hebraismus est. *Vt impleret id quod ex vobis deerat.* (Sensus est, vestrũ erat me curare, in vinculis ministrare ea quæ necessaria erant. Vos longè abestis: quare vt vices vestras obiret, vt quod in vestro erga me obsequio diminutum erat, impleret, ipse mihi ministrauit, non habita ratione vitæ suæ.

CAPVT III.

De cætero fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium: videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

De cætero fratres mei gaudete, &c.) In hoc capite aggreditur Apostolus principale argumentum, eam videlicet partem doctrinæ, quæ est de iustitia Christiana, in qua timebat periculum. Caput facile est intelligentibus Epistolam ad Romanos, & eam quæ scripta est ad Galatas. *De cætero*) id est, quod superest (*gaudete*) hactenus tenuit vos solicitudo aliqua, fuistis mœrore affecti, tũ propter Epaphroditum magistrum vestrũ, tum ob vincula mea: Epaphroditus conualuit: quid mea vincula effecerint Romæ, significaui vobis, non amplius habetis tristitiæ causam, iubeo proinde vos gaudere, sed in Domino. i. quomodo decet Christianos.

Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum) hoc est, non me piget huius laboris, vt sæpius eadem scribam. Quod sequitur (*vobis autem necessarium.*) Erasmus vertit vobis autem tutum. Græcè est ἀσφαλές. Sensus est: eadem vobis scribere, & de eisdem vos sæpius admonere, res est, quæ imprimis valet ad firmandos vos, ad reddendos vos tutiores ne labamini. Nam hinc propriè dictũ est ἀσφαλές. Sequitur iam repetita aliquoties admonitio Apostoli. (*Videte canes*) videte posuit pro cauete. Canes appellat Iudaizantes, hoc nomine notans impudentiam ipsorum pariter & improbitatem: Videte istos Iudaizantes, homines impudentes, homines improbos, ingerunt se alienis negotijs, vendicant se pro Christianis, & non solum pro Christianis, sed etiam pro Euangelistis, & Apostolis, & nihil minus sunt: (*Videte malos operarios*) corruptores istos Euangelij, miscentes Iudaismum cum Christianismo, (*videte concisionem*) Græci concisionem κατατομήν, circuncisionem περιτομὴν appellant. Est itaque in vocibus istis primo iucunda agnominatio, deinde Enallage speciei. Vide inquit circuncisos istos: Hoc siquidem significet Apostolus, sed alieno vocabulo eos appellat, tali videlicet quod per se contemptum habet: quia concisio est rei, quæ sine delectu incisa est. Conciditur inquit Chrysostom. quod inutiliter, temerè, & præter artem inciditur, quod discerpitur & planè distrahitur. Circunciditur verò, quod expolitur resectis superuacaneis. Quia igitur circuncisio istorum illegitima erat, eam per contemptum concisionem appellat.

Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes, quanquam & ego habeam confidentiam in carne.

Nos enim sumus circuncisio, &c.) Si quæritur inquit circuncisio, illa apud nos inuenietur: nos enim sumus circuncisio, id est, circuncisi. Quod autem sequitur (qui) vim habet causalem. Sensus est: nos sumus circuncisi, quia spiritu seruimus Deo. Spiritum opponit carni, qnemadmodum frequenter alias. Sensus est: quia spirituali cultu, id ex, fide, spe, charitate seruimus Deo. Seruimus Græcè participium est à verbo λατρεύω de quo dictum est alias. D. Augustinus sermone. 15. de verbis Apostoli edisserens hunc locum, ad hunc modum legit: nos sumus circuncisio qui spiritui Dei seruimus. Sed addit scio plerosque codices habere spiritu Deo seruimus. Verum plures Græci quantum obseruare potui, hoc (inquit) habẽt: Qui spiritu Dei seruimus. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 6. nullo modo patitur nostram lectionem, sed vult nos sequi Græcos codices, quos dicit ad ad hunc modum habere, qui spiritui Deo

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruimus,quę lectio diuersa est ab vtraque quàm proponit August. Quod attinet ad Ambrosium,sciendum Græcos codices, vt ab ipso citantur,nihil pro ipso facere. Nam modum quem nos per ablatiuum Græci per datiuum efferunt,vt qui careant ablatiuo,πνεύματι hoc loco datiuum esse modi, hinc colligere licet, quod Apostolus mox ei opponat carnem, sed & vis causalis nulla pene erit:si Græcam vocem cum Ambrosio vertamus Latinè per datiuũ.Certè Græcanica scholia πνεύματι accipiunt, vt sit datiuus modi.Interpretantur enim. Qui spiritualiter seruimus Deo, qui sparitualiter circuncidimur. Apertius autem Theophylactus πνεύματι inquit, hoc est, qui mente tota et animo seruimus Deo.Intelligit ergo ipse spiritum humanum non spiritũ sanctũ,Chryso. πνεύματι interpretatur πνευματικῶς,id est,spiritualiter. Ex quorum interpretatione præter hoc quod discimus vocabulũ spiritus accipiendum,vt modũ significet, colligimus præterea ipsos legisse non Dei, sed Deo, vt mirum sit Aug. dicere Græcos codices ferè in genitiuo habere Dei.Cæterum quod Ambr.ait Latinos codices falsos esse: verisimile est hoc ab ipso dictum, quia volebat hic sumere argumentum pro adstruenda diuinitate Spiritussancti: cùm enim linguæ Græcè peritus fuerit ignorare, non potuit Græcum sermonem esse ambiguum.

Et gloriamur in Christo Iesu) non in Moysen:hunc enim opponit Christo Iudaizantes non dubitabant quin Iesus esset Messias,verum non intelligebant eius beneficium, quod eius solius esset saluare, vnde volebant iustificari partim in lege siue per Moysen.

Et non in carne) id est, carnali cultu : sic Chryso.Species quæ mox subijciuntur,optime explicant,quid sit caro: vna species est, esse circunciſum : vna item esse Israelitẽ,&c. *Quamquam & ego confidentiam*)id est,gloriationẽ habeã,id est,habere possum.Est modus potentialis,non deest, inquit,mihi vnde glorier secundũ carnem, modo velim.

SI quis alius videtur confidere in carne,ego magis, circunciſus octauo die,ex genere Israel de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei , secundum iustitiam quæ in lege est, conuersatus sine querela.

SI quis alius videtur confidere siue gloriari in carne)Istud dicit propter Iudaizantes, ne putent ipsum circuncisionem & cætera Iudæorum eleuare siue attenuare, tanquam qui careat generositate ipsorum. Non inquit illa condemno quæ non habeo : nam si quis gloriari potest in carne ego maximè, vt qui circunciſus sim octauo die. Adverbum est in Græco circuncisio octauæ diei. apud Amb.& Aug. verisimile est, locũ hunc de prauatũ esse per indulgentiã scriptorũ siquidem pro nominatiuo apud hunc ablatiuus est:apud illum accusatiuus. Porrò se circumcisionem vocat , vt sæpe alias gentes præputium:qua sit figura dictum est in præcedentibus.Addit octauæ diei vt significet se non proselytum , sed naturalem Iudæum neq; ait proselytus non sum , sed neque ex proselytis natus:parentes habeo auos & auos Iudæos, hoc significat cum dixit (*ex genere Israel*)nominatiuus est non genitiuus. Quemadmodum enim se prius vocauit circuncisionem pro Iudæo, ita hic se nominat Israel pro Israelita:sum Israelita, inquit,non adoptione,sed ex genere. Porro ne quis putet eum Israelem genere,ex decem tribubus esse,addit (*de tribu Beniamin*,) sum inquit ex probatissima tribu, quę nunquam recessit à cultu veri Dei, quæ tempore separationis,coniunxit se trtbui Iuda.

Hebræus ex Hebræis,&c.)Hebrei vocabulum antiquius est quam Iudæi: Significat itaque multam generis sui nobilitatẽ, significat progeniem suum altissimè repetendo ortam ex Abraham vel ex Hebar. Quæ hactenus commemorauit ἀπροαιρέτως fuit, hoc est impropria,& nõ animi sui.Nã quod circunciſus erat,suum non erat, item quod Israel ex genere item quod ex tribu Beniamin & Hebræus ex Hebræis, quæ iam subijcimus sunt,vbi est gloria potior.*Secundũ legem,inquit,Pharisæus*) legem dicit legis tractationẽ. Quemadmodũ hodie omnes tractant Euangeliũ, & Lutherani & Catholici, sed aliter hi,aliter illi:ita tempore Pauli omnes tractabant legem,verùm diuersa erat tractio tractandi,aliter tractabant Pharisæi, aliter Saducæi, aliter AEssæi. Dicit itaq; Apostolus, in tractanda lege Pharisæus sum, id est,sequor hic Pharisæos, non Saducæos,nõ Herodianos.

Ex hoc loco discimus nomen Pharisæi vocabulum esse honesti ordinis: nisi enim ordo siue res ipsa honesta fuisset, nunquam istud dixisset Apostolus. Idem discimus ex 26.Acto. vbi inter sectas Iudæorũ hæc optima commemoratur. Secũdum certissimam sectam,inquit,nostræ religionis, hoc est, secundum exquisitissimam hæresim(ea enim vocevtitur Paulus) vixi Pharisæus. Qui locus præter hunc quem annotauimus, expocunentes secundum legem. i. secundum tractatum & intellectum legis, requirit alium commentarium,hunc nimirum. Vixi secundum politiam & vitam talem, qualem exigit secta Pharisæorum.Quæ & quot fuerint sectæ apud Iudæos, & quid vnaquæq; proprij habuerit,tradit Epiphanius lib. 1.contra hæreses. Porrò quia poterat quis Pharisæus esse,& non admodum zelotes, idcirco addit Apostolus. Secundum æmulationẽ) id est,studium & zelum (*persequens Ecclesiam. Secundum iustitiam quæ in lege est, &c.*) Istud excedit omnia hactenus commemorata, & est maxima laus, Nemo inquit, mihi obijcere potest,quod in vlla parte prætermisserim legem,præstiti totam legem quantum præstari potest sine spiritu. Vtile hic fuerit obseruare dictionem Pauli: Imprimis,quã aperte emolliat tædium repetitæ admonitionis, dum ait: Eadem vobis scribere, &c. Deinde quanta vehementia notet Iudaizantes inquiens: Videte canes, videte malos operarios,videte concisionem.Singulis horum nominum Græcè præfigitur articulus, qui multum facit ad Emphasim: videte Iudaizantes istos:nihil aliud curant quam auferre pelliculam illam carnis, non cogitant de spiritu.Hæc non circuncisio sed concisio est.Nos enim sumus circuncisio,&c:Præter Paranomasiam quæ insignis est,multum ornatus & vehemẽtiæ adfert orationi Enallage illa speciei.Quemadmodum multò vehementius est, si quempiam vocem scelus, quam si simpliciter ipsum sceleſtum appellem.Rectius intelligitur locus iste,dum cõfertur cum illo, qui est in.2.cap.Epistolæ ad Rom:Non quæ in manifesto in carne est circuncisio,sed &c.Ad vehementiam quoque facit verbum(videte) ad singula repetitum. Ad hunc modum si quis velit totum hoc caput expendere, videbit stilum Apostoli vbi non argumentatur, non solum facilem esse seu commodum,verumetiam imprimis elegantem. Pergit Apostolus.

SEd quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, vt & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est. sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia ex fide ad cognoscendum illum,& virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius,configuratus morti eius,si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.

SEd quæ mihi fuerint lucra) siue quæ mihi erant lucra,hæc arbitratus sum esse damnum,non absolute sed collatione ad Christum.*Propter*) hoc loco seruit comparationi.Sensus est:dum ego vitam quam in Iudaismo egi confero ad Christum,rursus dum cognitionem quam hausi sub Gamaliele, comparo cum doctrina Euangelij: plane,p

damnis duco:tanta est cognitionis, quam Euangelia tradunt,excellentia tanta est præstantia vitæ, quæ agitur in Christianismo. *Veruntamen existimo, &c.*) illud (veruntamen)corrigentis est,vnde alij vertunt,quin etiam vel imò:Corrigit & simul amplificat. Parum est,inquit,quòd vitam,quam in Iudaismo egi, damnum esse ducam,dicã plus. Omnia omnino,& opes, & philosophiam, ac prorsus quasuis res damnũ esse arbitror: propter eminentem scientiã. Video,inquit, doctrinam Christi,video intellectum quem ostendunt Euangelia: siue cognitionẽ tam esse excellentẽ,vt præ illa omnia contemnã: diligenter obseruandum est quod supra annotauimus,& hic admonent Amb.August. Chrys. & Græcanica scholia:hæc nimirũ accipienda per comparationẽ,& non absolutè,quia inter cætera, quæ pro damnis ducit, etiam legem annumerat siue iustitiam legis de qua si absolutè quæratur,fateri oportet, quod bona sit,& sicut ipsa lex bona,ita sub pædagogia legis viuere, & inter cancellos eius contineri, bonum erat & vtile.

Propter eminentem scientiam,&c.)Alij vertunt propter excellentiam cognitionis,ad quem modum habent Græci, atque ita dictum est, quemadmodum Latini dicunt: magnitudinem negotiorum , pro magnis negotijs.Interpres noster putauit Hebraismum esse,atque hac de causã mutauit phrasin: Illud (*nomini mei*) mirabilem affectum habet:est pathos. Propter quem omnia detrimentum feci)siue,vt alij vertunt,propter quem omnium iacturam feci.Rectè ex Paulo quærunt Græcanica scholia: Quomodo cum ea abijcis quæ dicis esse damnum,ais, iacturam feci? hoc enim est potius lucrum facere,nempe à damno liberari.Ex hoc ergo discimus, quod non simpliciter hæc damnum esse dicebat,sed comparatione meliorum.Nam quemadmodum qui argentum habet,si aurum nactus fuerit, & vtraq; continere non potuerit , damnum arbitratur retinere argentum: Ideoque relicto argento,accepit aurum, ita & hic Paulus.

Et arbitror vt stercora) & hoc per compartionem accipiendum est,estque hyperbole. Tanti,inquit,est mihi gratia Christi & doctrina Euangelij,vt de cæteris etiam de Iudaismo penè contemptim loquar,duco ea omnia pro stercoribus,(*vt Christum lucrifaciam,vt & inueniar in illo,&c.*)Eadem mirabiliter inculcat, quod facit non sine causa: ac si dicat.Non dico ista inconstans, sed semel de his persuasus sum. *Inueniar*) Hebraismus est pro existere, vt sim, inquit,in illo non habens iustitiam meam,id est, secundum Chrysostomum quæsitam laboribus meis & sudoribus,siue,vt Aug.ait compara-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam proprijs viribus absque spiritu fidei. Et explicans magis quam dicat suam iustitiam quæ ex lege est, inquit, hoc est, iustitiam legalem, siue quæ acquiritur obseruando legem.

Sed quæ ex fide est Christi) id est, quæ contingit per fidem Christi, hoc est quæ gratis datur credentibus in Christum. Fides Christi est, qua creditur in Christum. *Quæ ex Deo est iustitia, &c.*) id est, inueniar habens iustitiam quæ diuina est non humana, quæ à Deo, inquit Augustinus, ponatur (in fide) id est per fidem. Idem inculcat. Istares, inquit, constat fide non obseruandis legalibus. Nomen iustitiæ etiam Euangelicæ, duplex est. De altera potissimum loquitur hic Apostolus nempe qua ex impio efficitur quis iustus, quamquam nonnulli interpretes etiam de iustitia vitæ Apostolum interpretentur, hoc est, qua is qui est iustus, auctior sit in iustitia.

Ad cognoscendum illum) miscet vitam doctrinæ: Siquidem de his duabus rebus sollicitus est. In hoc sum, inquit, non vt ceremonias præstem, aut obseruatione legalium acquiram iustitiam, sed vt cognoscam qualis persona sit Messias, vt cognoscam præterea virtutem resurrectionis eius, id est, potentiam, non qua ipse excitatus est à morte, sed qua nos ab ipso excitamur. Paulus fuit Pharisæus: Pharisæi autem semper in ore habebant resurrectionem. Verum in schola Gamalielis non didicerat resurrectionē Christi causam esse nostræ resurrectionis. Non loquitur autem Apostolus nisi de resurrectione iustorum, quod ex consequentibus clarum euadit. Ait quidam qui non frequēter cum animo suo cogitant quàm magnum sit tum resurgere, illi valde sunt incogitantes.

Et societatem passionis illius) hoc est, quid valeat societas passionum Christi, quantum pondus meritorum habeat si quis afflictionem subeat propter Christum, si quis tales sustineat passiones pro Ecclesia, quales ille sustinuit.

Configurati morti eius) Græcè est συμμορφούμενος participium passiuum præsentis temporis, quo nos caremus. Dum conformis, inquit, efficior morti eius, dum fingor ad imaginem eius: quod video accidisse in morte Christi, hoc ego transfero in me: non do me delitijs, sed talem vitam ago, vt sit in multis Christi simillima, quæ sanè acerbissima fuit.

Si quo modo occurram ad resurrectionē, &c.) Hinc patet quod non loquitur nisi de resurrectione iustorum. Diligenter autem aduertendū est, quod Apost. post tot labores, post tot incōmoda pro Christo perpessa dicat: si quomodo.) Si hærentis animo est, quo modo est extenuantis: Subeo, inquit, hæc omnia, si qua ratione pertingam, si quo pacto consequar gloriosam resurrectionem. Si Paulus post omnia hæc de sua resurrectione securus non fuit, quantò minus nos securi esse possimus, & certi.

Notandus est iste locus contra Caluinum. Adducit Chrysostomus duo similia loca. Alterum ex Epist. ad Roma. Qui stat, videat ne cadat. Alterum ex priore ad Cor. Metuo, cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. Hinc quoque discimus glossam illam verisimilem non esse, quæ habet, quod Apostolo reuelata fuerit sua salus. Ex præsenti hoc loco discere nos vult Chrysostomus, quod gloriosa resurrectio seu vita æterna contingit ex laboribꝰ & non sola fide. Glossa cuius iam meminimus, tradi fere solet super caput 10. Epistolæ ad Romanos, vbi dicitur: Certus sum enim, quia neque mors, &c.

NOn quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.

NOn quod iam acceperim, &c.) putat Lyra istud dictum propter præcedentia, vt sit excusantis. Quæ dixi in præcedentibus, dixi non quod putem me comprehendisse, &c. Verum cum Apostolus huius rei in præcedentibus nullam dederit significationem, sed contrarium potius significauerit, non est probabile quod Lyra. Quare & Ambrosius & Chrysostomus interpretantur istud dictum à Paulo propter Philippenses, qui sibi placebant: non autem propter suū sermonem. Græcanica tamen scholia sentiunt cum Lyrano, & quod hic tacet, ipsa exponunt.

Aiunt enim Apostolum, cum istud diceret, respexisse ad id: Configuratus mortiei eius, quod magnum verbum est, & videri posset illo significare voluisse se perfectū. Illud (accipere) vocabulum est stadiorum, & totus iste sermo non aliud est quam vna metaphora sumpta ab ijs qui currunt in stadio. Sensus est. (secundum Ambrosium) quamquā magna æstimetis de me, nolo tamē hoc vobis de me persuadeatis, quod iam acceperim, supple summū, quod est in vita, & summum quod est in cognitione. Aliter Aug. sermone. 15. de verbis Apostoli. Verū consequēnter sermonis magis exigit quod habet Ambrosi. Non accepi, inquit, summum doctrinæ, neque vitę, quare ne placeatis vobis Philippenses qui discipuli estis, multa adhuc vobis desunt ad perfectionem iustitiæ, item ad perfectionem cognitionis. Quod sequitur: Aut iam perfectus sum, &c.) exponit præcedens. Non sum perfectus, neq; vita, neque cognitione. *Sequor autem*) Erasmus vertit sector autem. Græcè est διώκω quod interpres mox transfert persequor est vocabulum stadiorum, cuius vim & emphasin explicat Chrysostomus. Nondum, inquit, attigi metam, adhuc curro, imo non curro sed persequor, quod vehementius multò est: Qui enim persequitur nihil aliud cogitat, quam assequi id quod persequitur: neminem respicit, quosuis impedientes magno impetu abigit, mentem & oculum, & robur & animum, & corpus in vnum contrahit, solam metam spectat (*si quo modo*) Græcè est si & apprehendam: Quod sequitur (*in quo*) Græcè est ἐφ, ᾧ de qua particula dictum est in Epistola ad Roma. cap. 6. in expositione illius: In quo omnes peccauerunt. Hoc loco accipit Chrysost. vt sit rationalis aut causalis, & idem valeat quod quandoquidem, siue, eo quod, vt sensus sit: Cum versarer in errore, cum fugerem Christum, ipse fugientem me insecutus est, & magno studio insecutus est, & apprehendit: vt iam in aliquo ei vicem reddam, vt in aliquo ei respondeam, & non sim ingratus, præsto hanc diligentiam, propterea tam gnauiter curro, vt comprehendam. Secundum Chrysostomum ergo ἐφ, ᾧ ostendit sectationem istam esse rem debitam. Quemadmodum autem Paulum, quum esset in æstu persecutionis, comprehendit ita & hodie multos apprehēdit Christus, & velut iniecta manu, ad se trahit, atque agnoscere debent Dei beneficium, & reddere vicem Christo, hoc est, totis viribus inniti ipsos oportet, vt rursus apprehendant Christum, quod fit imitatione vitæ, & virtutum ipsius. Cum Chrysosto. sensit Theophylactus. Græcanica scholia exponūt sicut Latini. In quo, id est, ad quod & comprehensus sum, vt sensus sit. Curro & quidē nō pigrè, si quo modo apprehendam, vt talis efficiar, qualis vt fierem, electus sum, id est, pertingam ad perfectionem: Addunt interim Græcanica scholia. Potest etiam intelligi ἐφ, ᾧ vt valeat quandoquidem: Sector si apprehendam, quandoquidem apprehensus sum.

Fratres, ego me non arbitror apprehendisse.) Dicit istud Apostolus, vt Philippensiū spiritum cohibeat sub sua persona: Ait Ambrosius, ad modestiā eos instituit, video quosdam esse inter vos, qui sibi placent, qui nimis securi sunt, ego sane quamuis Apostolus sum, multa mihi deesse video ad perfectionem iustitiæ, vt nequaquam mihi placere possim, ac securus esse de illa resurrectione. Si Paulus, qui tantus erat, dicit, ego arbitror me non apprehendisse. i. peruenisse ad perfectionem, quid nos dicemus: Nam quantum interest inter gnauiter currentem, & eum qui supine iacendo torpescit, tantum interest & inter Paulum & nos.

VNum autem, quæquidem retro sunt obliuiscens: ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

VNum autem, &c.) Græcanica scholia annotant ellipsin esse: Per defectum, inquiunt, accipiendum est: veluti maiores nostri acceperunt, vt subaudiatur, ago aut curro, vnum ago, in vno totus sum, & quid hoc sit, explicat Apostolus dum addit.

Quæ quidem retro sunt, &c.) siue quæ à tergo sunt (*obliuiscens*) Chrysostomus istud interpretatur de benefactis, Nihil, inquit, ita rectè facta euacuat & intentum abigit, atque memoria bonorum, quæ nos operati sumus: nam duo mala parit, & segniores facit, & in arrogantiam extollit. Obliuiscenda ergo recte facta, & à tergo relinquenda sunt: nam ita demum diligentes & seduli reddimur: etenim & qui currit non reputet quantum spatij confecerit, sed quantum adhuc desit. Ad eundem modum interpretatur Ambrosius. Alij referunt etiam ad peccata antè acta, sed germanus commentarius est Chrysostomi. Quod sequitur: Ad ea quę à fronte sunt enitens. Verum illud enitens, non implet significatum Græcè vocis, quæ mirabilem emphasin habet. Est enim ἐπεκτεινόμενος. Epectinomenos autem is est qui pedibus etiam non currentibus iā corpore prominet ad scop, & pedes ferè ante vertit inclinatione reliqui corporis, hoc est, qui vt amplius quid vltra cursum efficiat, etiam manus & reliqua membra protendit, qua apprehendat etiam antequam appropinquauit. Sic sanè explicant vocabulum Pauli scho. Græca. & Chrysosto. Quare Musculus huius interpres non debuit sequi hic versionem Erasmi, sed nostri interpretis qui hic superauit Erasmum. Ad destinatū) id est ad metam, ad signum siue ad scopum perfectionis præfixum. Notat Hieronymus Græcam vocem significantiorem esse. Est enim ἐπόπτῳ, ea autem vox significat propriè signum præfixum sagittantibus. Vocabulum quod sequitur brauium βραβεῖον propriè stadiorum est. Nomen (*Dei*) nō substantiæ sed personæ vocabulum est hoc loco, intelligitur enim Deus pater.

Addit (*supernæ vocationis*) quia non hic vbi certamen est, Deus palmam tribuit, sed in splendido loco nimirum in supernis, quod & in popularibus istis certaminibus fieri videmus. Nam quos maximè honorāt, siue athletas siue aurigas non in stadio infra

Universidad de Deusto
Biblioteca

coronant,sed ad superiora vocatos, Rex illic coronat. Græcè diuersæ hîc sunt præpositiones,priori loco est μετὰ posteriori vero ἐπὶ quarum proprietatem magis expressit Erasmus,cuius versio sic habet:Iuxta præfixum scopum insequor ad palmam supernè vocationis Dei. Quod additur (*in Christo Iesu*) refert Chrysostomus ad verbum persequor hoc non meis viribus fretus,sed gratia Christi, illa me hîc fortem facit, sine illius auxilio nequaquam possem tam gnauiter currere,nec tantum spatij transire. Accipit itaque Chrysostomus præpositionem in,vt hoc valeat quod per.

Quicunque ergo perfecti sumus,hoc sentiamus:& si quid aliter sapitis,& hoc vobis Deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus,vt idem sapiamus,in eadem permaneamus regula.

Quicunque ergo perfecti sumus,&c.) Antea negauit se perfectum, hîc dicit se perfectum. Verum illud vt inquit Augustinus) accipiendum est de perfectione patriæ, hoc vero de perfectione vitæ. Qui commentarius alijs non placet:quare vtrunque interpretantur de perfectione viæ, quod est probabilius: Ante negabat se perfectum,quia videbat sibi multa deesse, quare nec audebat securus esse de perfectione illa, quæ ducit ad Christum. Hîc dicit se perfectum ad cõparationem eorum,qui in rebus Dei remissius agunt. Sic Ambrosius: Quicunq; perfecti sumus,id est,qui plus præstamus quàm vulgo præstetur. *Hoc sentiamus.*) Omnino verisimile est istud dictum habere ironiam aliquam:nam dictum est propter eos, qui erant vanè glorioſi. Sunt quidam inter vos, qui sibi nimis placent,qui putant se perfectos esse,quicunque tales sunt, hoc sentiãt. Chrysostomus (hoc sentiamus) refert ad illud quod longa illa metaphora expressit Apostolus: Hoc sentiamus quod tota metaphora iam egi,quod nimirum ea quæ à tergo sunt relinquere oportet, & eniti ad ea quæ à fronte sunt: hoc sentiamus, quod nõ sumus perfecti, quod nec dum assecuti sumus summũ in sanctitate & religione,quod quamdiu in corpore hoc agimus,proficere liceat in iustitia. Alij, hoc sentiamus, exponunt de ceremonijs legis abrogatis. Similiter interpretantur quod sequitur. *Si quid aliter sapitis*) id est, de ceremonijs aut iustitia quæ ex lege est, &c. Verum, verisimile non est huc respexisse Apostolum. Sensus germanus iste videtur:Si quid aliter sapitis, scilicet de ea re de qua iam egi, id est, si putetis vos apprehendisse,& nihil vobis deesse ad perfectionem virtutis.

Et hoc vobis Deus reuelabit) id est,persuadebit, quòd non rectè hîc de vobis sentiatis. Illud,&,referendum est ad dotes & Charismata,Deus multa dedit vobis, etiam hoc addit, vt faciat vos humiles. In (reuelabit) catacresis est,significat non tam docere quã persuadere. Inducet,inquit,vos ad modestiam,docebit paulatim humilitatem: Sic Chrysostomus,Non de dogmatibus,inquit sed de perfectione vitæ sermo est. Augustinus tamen ferè refert ad dogmata. Nam scribit & accommodat ijs qui errant, sed citra hæresin. Nonnulla exemplaria legunt reuelabit manifestum est ex Græcis, & Augustinus sermone. 15. de verbis Apostoli apertè habet reuelabit. Item de prædest. sanctorum capite. 1. Ex quibus locis restituendus est Augustinus lib. 2. contra Cresconiũ grammaticum cap. 31. Rursus Epist. 48. de corrigendis hæreticis,vbi textus eius habet reuelauit in præterito,cùm circumstantiæ planè exigant in futuro.

Veruntamen ad quod peruenimus,&c.) ecclipsis est:deest enim retineamus. Interim ad quod peruenimus, hoc studeamus retinere,& explicans quid illud sit,addit (*vt idẽ sapiamus, vt in eadem regula permaneamus.*) Siquidem,vt,expletiuè capitur,Erasmus ad hunc modum vertit:Attamen quod assecuti sumus,eadẽ procedamus regula, vt idem sapiamus. Veruntamen Chrysostomus intellexit vt noster interpres, vt sit ellipsis. Græcè sapiamus & permaneamus infinitiui sunt. Veruntamen ad quod peruenimus, scilicet retineamus,& quid hoc est: est idem sapere,est eadem regula incedere. Videre hîc oportet,an solicitus sit de vita an de doctrina. Theoph. primo interpretatur vt pertineat ad vitam, deinde etiam refert ad doctrinam. Contra faciunt Græcanica scholia,quę primo interpretantur de doctrina, deinde de vita. Et verisimile est de dogmatibus istud dicere Apostolum,vt sensus sit:Contineamus nos intra eandem regulam fidei,nõ sint in nobis scismata, nemo sibi fingat noua dogmata. Quod hic vertit interpres, permanere in regula,capite. vltimo Epistolæ ad Galatas, vertit sequi regulam. Græcè est στοιχεῖν, qua voce etiam vtitur in fine capitis quinti eiusdem Epistolæ,vbi interpres vertit ambulare: *Si spiritu viuimus,spiritu & ambulemus*, vbi & significatum vocis explicatum est. Miles cogitur incedere & stare ordine suo, hoc Paulus vocat στοιχεῖν.

Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ambulant sicut habetis formam nos. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.

Imitatores mei estote,&c.) Secundũ Chrysostomum

sostomum agit de vita, & non de doctrina. Ambrosius de vtraque re putat Apostolum solicitum esse,& sic interpretatur, vt in primis referat ad doctrinam: Pro Chryso. facit verbum ambulandi, quod perpetuo apud Paulum ad vitam pertinet: Pro eo quod interpres transtulit imitatores. Græci legunt cõmitatores mei estote, hoc est, imitemini me vna cum cæteris, qui me imitantur. *Et obseruate eos*) nimirum ad imitationem: Sumitur enim in bonam partem: aliter sumitur cap. vltimo Epistolæ ad Romanos. In eo quod sequitur. *Sicut habetis,&c.*) variant exemplaria. Nonnulla legunt: sicut habetis formam nos: Nonnulla, sicut habetis formam nostram. Græca constanter habent, nos. Nostis,inquit,incessus mei modum, id est,vitæ conuersationem: quos ergo videritis insequi vestigia mea, quos videritis vita sua exprimere typum conuersationis meæ: illos obseruate,illos imitemini.

Multi enim ambulant) id est, vitam exigunt. Secundum Græcanica scholia, non absoluit Apostolus quod cœperat. Multi enim ambulant, subaudiunt aliter quàm ego, nimirũ in otio,& quiete, in luxu,quos & inimicos crucis vocat: quia nimirum abijciunt id ad quod vocat crux Christi, quæ vocat nos ad labores, ad austeritatem vitæ, non ad otium,non ad delitias & commessationes (*quorum finis interitus*) id est, qui ad extremum perdentur. *Quorum Deus venter est.*) Argutè & vehementer dictum est: Sensus est,vnicum studium est, vt faciant ventri satis: siquidem id cuique Deus est, quod præ cæteris colit, cui præ cæteris studia sua impendit. Ad Romanos cap. vlt. alijs verbis istud dixit, his nimirum: Qui ventri suo seruiunt.

Et gloria in confusione eorum,&c.) Interpres Augustini vertit istud hoc modo: Et gloria impudentiæ ipsorum, & interpretatur Augustinus sermone. 14. de verbis Apostoli, vt pertineat ad circuncisionem, quam maximè iactabant Iudæi. Celebratur autem illa in ea parte corporis, in qua est libidinis seminarium,cuius nos maximè pudet. Ad eundem modum interpretatur Ambrosius. Verum Græci commentarij hunc reijciunt. De circuncisione ait Chrysostomus, istud quidam intelligunt: ego verò non hoc dico, sed id est,quod dicit Apostolus, quorum ipsos pudere oportebat, in illis etiam gloriantur, hoc est, gloriantur in peccatis & rebus turpibus: Idem commentarius est apud Theophylactum & Oecumenium.

Qui terrena sapiunt,&c.) verbum Græcum quod interpres vertit sapere, modo pertinet ad affectum, modo ad intellectum, Græci hoc loco interpretantur vt sit affectus hoc sensu: qui terrestria curant, hoc est, qui student coniungere domum domui, agrum agro, & dilatare semper possessiones suas.

Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem virtutis suæ, quæ etiam possit sibi subijcere omnia.

Nostra autem conuersatio,&c.) Particula aduersatiua est. Illorum, inquit, affectus terræ affixi sunt: porrò nos mente & affectu in cœlo versamur, quia in cœlo sunt nobis omnia. *Vnde etiam Saluatorem expectamus, &c.*) sermo hic amphibologiam habet, dilucidius græcè est. Ex quo scilicet cœlo etiam Saluatorem expectamus. Apostolus in omnibus epistolis suis, & concionibus libenter injicit mentionem resurrectionis & aduentus Domini, & sane nihil animum hominis ita fulsit & in bono roborat atque resurrectio, dum serio cogitatur: quare cogitationibus huiusmodi nos frequenter exerceamus oportet, vt susciteмus in nobis flammã fidei, qua concepta omnia facile quantumuis dura superabimus.

Qui reformabit) Græce est transformabit siue transfigurabit. In quo verbo ait Chrysostomus catacresin esse, quod dicit propter hæreticos, qui putabant nos resurrecturos in tali globo qualis est solis. Corpus humilitatis dixit phrasi Hæbraica pro corpore humili: Corpus, inquit, humile, hoc est, abiectum, quod mille modis iam atteritur, quod varijs miserijs & multiplici corruptioni obnoxium est, hoc corpus ipse transfigurabit siue immutabit, vt sit conforme corpori suo claro. Rursus Hebraismus est, in corpore claritatis. Porrò quia magnum est quod ait, corpus hoc nostrum vile, futurum conforme glorioso corpori Christi, ne quis diffidat, rationem adducit. *Secundum operationem, inquit, virtutis suæ, &c.*) ipse, inquit, omnia omnino potest subijcere sibi, ergo & mortem, ergo & corruptionẽ: quod iubet de cœlo & terra hoc fit: ergo & quod iubebit de corporibus nostris, fiet: ostendit maiora potentiæ suæ opera, vt & istud credas. Ad hunc modum interpretatur Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumen. vt nimirum habeat vim argumenti, & sit ratio persuadens resurrectionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IIII.

Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic state in Domino charissimi. Euodiam rogo & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

Itaque fratres mei charissimi,) Durat adhuc adhortatio. Charissimi mei & desideratissimi: Græcè est dilecti & desiderati. *Gaudium meum & corona mea,*) adhortationi miscet laudem, vt faciliùs persuadeat. Porro ipsos gaudium suum vocat, quia in fide semel accepta immoti perstabant. Coronam vero appellat, quia ob labores in prædicatione Philippensium causa susceptos, in die iudicij sperabat reddendam sibi coronam. *Sic state in Domino charissimi*) id est, state in fide hac, seu potius in hac spe gloriosæ resurrectionis. Si quidem præcessit. Vnde etiam saluatorem expectamus, &c. Euodiam rogo, & Syntichen rogo) Sic enim Græcè est, quæ eiusdem verbi anadiplosis multũ facit ad vehementiam affectus significandum.

Ex consequentibus satis constat, fœminas istas non vulgares fuisse, sed habuisse aliquid publici muneris quale autem id fuerit, incertum est. Has obsecrat Paulus vt idẽ sentiãt, id est, vt concordes sint, An hortetur ad concordiam dogmatum, id quęstionem habet. Interpretes ferè exponũt de concordia vitæ, & non doctrinæ.

Etiam rogo & te Germane compar. adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Etiam rogo & te Germane compar) Illud etiam, non dictio copulatiua, sed affirmatiua est. Græcè illa est, quæ est apud Terentium in Andria. Faciunt ne intelligendo vt nihil intelligant. Verti poterat: sanè rogo & te Germane compar, vel etiam atque etiam rogo, &c. Est enim hoc loco vocula vehementis affectus. Græca vox quam interpres compar, vertit, si ad verbum eam interpreteris, sonat: qui idem ducis iugum. Est vocabulum valde propinquum rei matrimonij. Vnde & Græcorum nonnulli locum istum de vxore Pauli interpretati sunt, vt illam hîc exhortetur. Quam sententiam cuperet Erasmus veram esse, siquidem in eam totus propendet: quare & vertit, Sane rogo & te Germana compar. Verum palam obsistit Chrysostomus inquiens: quidam dicunt eum hic obsecrare vxorem suam, sed non ita est, non tamen vllam adfert rationem Chrysostomus, Theophylactus, pro sua sententia duas adfert: Altera est, nusquã, inquit, legimus Paulum habuisse vxorem: Altera est, si de vxore sensisset, hoc modo dixisset, rogo & te Germana compar. Quæ posterior ratio quantum ponderis habeat, expendant studiosi. Certè Græcanica scholia aperte habent, Græcè posse in fœminino genere accipi. Sed & ipse Chrysostomus, vt ex eius comment. patet qui sic habet: non de vxore sua loquitur, sed honorat mulierem, vel certe virum Euodiæ aut Syntyches, vel certè fratrem vnius ex ipsis. Efficatiorem rationem quam sit Theophylacti, adducit Oecumenius. Stulta inquit, cogitatio eorum est, qui vxorem Pauli hîc accipiunt: nunquam enim, si vxorem habuisset, Philippis eam reliquisset, sed vel Hierosolymis, vbi educatus erat, vel in ciuitate Tharsensi vbi natus erat.

Qui hunc locum de vxore Pauli interpretantur, non aliud habent argumentum quam quod sumunt ex vocabulo, quod debile admodum est, & nullius momenti quamuis enim σύζυγοι dicantur pariter ducentes iugum, nihil tamen necesse est, vt tale iugum accipiamus, quale est in matrimonio: Nam commode admodum intelligitur iugum, quale est in propagando Euangelio & huiusmdi iugum Paulum hoc loco intelligere valde verisimile est, dum respicimus ad similia vocabula, quibus in hac epistola vtitur inter cætera, cum habet σύνεργον id est, cooperarium. Item συστρατιώτην id est commilitonem siue coathletam. Quem admodum ergo illa sunt humanitatis & ciuilitatis vocabula, ita & istud. Hortatur proinde quendam, qui in negotio Euangelij peculiariter ei cooperatus fuerat: tu qui eiusdem iugi mecum es, & in eodem iugo germanus, id est, verus & minimè fictus, qui ex animo egisti Euangelij negotium meum.

Adiuua illas, &c.) Duæ istæ, inquit, fœminæ quarum iam memini, sunt in opere, hoc opus volo & te capessere, ad hoc opus volo & te admouere manus: Istud propriè significat vox Græca.

Quæ mecũ laborarunt in Euangelio, &c.) Est labor qualis est athletarum. Sensus est, pessimæ sunt res difficiles mecum, non dubitauerunt subire pericula mortis, exilij, &c. Euangelium vocat totum negotium religionis Christianæ: Laborauerunt mecum in tuenda & propaganda religione Christi. Putant quidam, illius cui fœminas istas commendat Apostolus, nomen hic exprimi, quorum sententiam & refert Chrysost. in commentarijs suis, nec reijcit. Meminit & Oecumenius in scholijs suis, & dubitat an hanc potius an illam, quam priori loco posuerat, amplecti debeat. Secundum hos vertendum erat. Sanè rogo te Germana σύζυγε, id est, oro te, σύζυγε quem Christi fides Germanum mihi fecit. Dionysius Carth. putat illud (Germane) esse nomen proprium, quos secutus nescio. Græcè est σύζυγε, quam vocem interpres cap. 2. huius epistolæ synceram affectionem vertit. Faber Stapulensis audacter transfert Germana coniunx, & in annotat: mordicus defendit. Paulo vxorem fuisse, Citat pro se D. Ignatium in epistola ad Philadelphenses, citat & Clementem Alexandrinum qui in libris stromatum (vt refert Eusebius in Eccl: histor:) Paulum inter coniugatos collocat, mentionem faciens huius loci.

Sed sciendum, Clementem id facere, dum vndecumq; potest arripit argumenta contra eos qui damnabant nuptias. Exacta huius rei declaratio pertinet ad cap. 7. prioris epistolę ad Cor. Quod sequitur (*cum Clemẽte*) referendum est ad verbum laborauerũt, quod manifestum est ex Græcis qui sic legũt: Adiuua illas quæ simul mecum decertarunt in Euangelio, & cum Clemente, &c. Clementem hunc Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorũ illum facit, qui quartus à Petro Romæ Episcopus fuit.

Et cæteris adiutoribus meis, &c.) Horum quia nominatim non facit mentionem, idcirco addit (*quorum nomina sunt in libro vitæ.*) Liber vitæ metaphoram habet, sed variè à diuersis explicatur. Ipsa, inquit, Augu. Dei præscientia de electis siue præordinatis ad vitam, quæ falli non potest, liber vitæ dicitur. Qui ergo sunt in libro vitæ, hoc est, qui sunt ex numero eorum, qui saluandi sunt: Iam difficultas est, vnde sciuerat istud Paulus, cum absq; reuelatione constare non possit dicendum istud Paulum dicere eo modo, quo licet de rebus istis magnis loqui videlicet ex probabilibus signis, ac si dicat. Ego iudico ex certis signis, sed quæ fallere possunt, ipsos prædestinatos esse ad vitam æternam: Alij dicunt Paulum dicere eo scriptos in libro vitæ secundum præsentem gratiam. Verum iam eadem difficultas est, vnde illud sciat Paulus. Liber vitæ est etiam in Apocalipsi apud Ioannẽ, est præterea apud Danidem in Psalmis: & primus hac locutione vsus est Moyses. Rationem metaphoræ post Augustinum eruditè explicat Thomas in prima parte summæ, quæstione. 24. vbi & disputat, an quis deleri posset ex libro vitæ. Porro an sit etiam aliquis liber mortis, id problematicum est. Theophylactus asserit. Tho. negat.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus propè est. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.

Gaudete in Domino semper, &c.) Stapulensis vertit valete. Græce est χαίρετε, quæ vox ambigua est ad gaudete & saluere siue valere. Chrysostomus intellexit sicut noster interpres. Quia, inquit, versabantur in afflictionibus & persecutionibus, ideirco eos hortatur ad gaudium, & reuera ingentis gaudij materia est, affligi pro Christo, imò peculiare donum est, quod non datur quibusuis, quemadmodum dictum est. 1. cap. huius Epistolæ, & vt ostendat omnino gaudendum esse, repetit gaudete, quod familiare est Hebræis dum volunt significare vehementiam. Est valde grata exhortatio hæc ab illo, qui ipse erat in vinculis.

Modestia vestra) Græcè est ἐπιείκεια. Verum neutrum ἐπιεικὲς positum est hoc loco nominis substantiui, quod est ἐπιείκεια, quæ vox varium vsum habet. Interdum significat æquitatem, quam Arist. 5. ethicorum capite. 10. partem iustitiæ facit. Interdum significat modestiam, hoc est, virtutem, quæ externam conuersationem moderatur, quæ in verbis, cultu, in incessu modum adhibet: Nonnunquam etiam animi moderationem significat, qua fit vt etiam dura quæque moderatè feramus, in qua significatione vsurpauit Gaza: nam quod Cicero in principio de senectute ait, noui moderationem animi tui & æquitatem, ipse reddidit per vocabulum ἐπιείκειας, atque hæc significatio huic loco aptissima est. Agitur enim hic de tribulationibus & persecutionibus. Animi ergo vestri moderatio & æquitas, nota sit omnibus, etiam ethnicis, vt hoc modo conuertantur. Ex secunda secundæ discimus Thomam sciuisse Græcè vel saltem vsum fuisse ipsorum opera, qui Græcè periti fuerunt. Nam quæstione. 120. admonet. Paulum hoc loco habere non modestiam, sed æquitatem, addit deinde vocabulũ ἐπιείκεια apud Græcos per similitudinem quandam transferri posse ad omnem moderationem, accedit Thomas proximè ad id quod verum est.

Dominus prope est, &c.) & hæc pertinent ad consolationem. Latini, præsertim recentiores subaudiunt hic (enim) Græci faciunt nouam periodum, nec subaudiunt (enim) sed (itaq;) ad hunc modũ: Dominus prope est, itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,itaque nihil soliciti sitis. Respicit Apostolus extremum iudicium,cuius iam ter aut quater in hac Epistola meminit, quare nos ipsum imitari oportet, nimirum vt in exercitijs nostris frequenter proponamus, nobis illum diem. Alij non ad iudicium referunt,sed hoc modo interpretantur:Prope est,id est,paratus est ad succurrendum , ad adiuuandum. Verum quamuis phrasis hoc etiam habeat,hoc tamen loco verisimile est Apostolum respicere ad diem iudicij. Dominus prope est,id est,iudicium instat,non longè abest quod daturi sunt factorum suorum rationem,qui vos affligunt , non longè abest quod vos qui affligimini acceptur estis remunerationem, nihil soliciti sitis, id est,nulla res vos anxiè premat, siue auferantur opes, siue de possessionibus vestris ejciamini, siue secundũ corpus affligamini

Sed in omni oratione,&c.)id est, in medijs istis malis effundite desideria vestra coram Deo,indeveniet consolatio.Illud(in omni) quidam iungunt cum oratione,sed palam obsistunt Græca,habent enim ad hunc modum ἐμ παντὶ,quod cum sit neutri generis iungi non potest τῇ προσευχῇ id est oratioui,cum ea vox fœminini generis sit.Intelligi ergo oportet in omni re ,in omni afflictione seu tribulatione. Ad hunc modum exponunt Græca scholia ἐμ παντὶ aiunt πράγματι. Ad eundem modum exponit Chrys.In omni,id est in omnibus etiam tristibus:At quę sequuntur,sunt ablatiui modi.Sensus est: Petitiones, id est , vota vestra innotescuntapud Deum per orationẽ,obsecrationem & gratiarũ actionẽ. Ilta siquidem vota agnoscit & approbat Deus, nimirũ quæ,præcisc̃tur ab animo grato quę funduntur cũ assiduitate & vigilãtia orationũ.

Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, &c.)hoc eodem pertinet, *Si* quidem pax posita hic est propter tumultus tribulationum & persecutionum,quam quam à diuersis variè exponatur. Quidã enim pacem Dei intelligunt,qua ex irato factus est placatus humano generi.Hæc pax ipsa Dei dilectio,quę eripuit nos ab ira. *Custodiat corda vestra:*) Alij pacem intelligunt non Dei erga nos reconciliationem, sed illam quæ hanc sequitur,quæ contingit iam iustificatis ,atq; ijs maximè qui obedientia mandatorum Dei diligenter seexercent,quæ pax non aliud est quàm tranquillitas animi, quando nimirum animus bona fiducia securus est ab illa magna ira. Hæc pax est cap. 5. in Epistola ad Roman: Iustificati ergo ex fide pacem habeamus, & cætera. Huius pacis meminit & Saluator in Euangelio Iohannis, cum ait:Pacem meam do vobis, &c. Atque hæc pacis acceptio huic loco aptissima est, quamuis aliud videatur Augustino, quia enim sequitur, quæ exuperat omnem sensum,putat magis pertinere ad pacem Dei erga nos.Nam de ea propriè dicunt, quod à nullo intellectu, non solum humano,sed nec angelico comprehendi potest.Sic enim ipse exponit illud : Exuperat omnem sensum.Verum nihil necesse est ad hunc modũ intelligere,imo si inspiciamus filum orationis Paulinæ , simul & adhibeamus locum qui est in posteriori Epistola ad Corin.cap. 10.Arma nostra non carnalia,sed potentia Deo ad destructionem munitionum, &c. videbimus illud(exuperat) magis referẽdũ ad robur & vim,& sensum hic positum pro machinationibus ingeniorum, ac tale esse quod dicit Apostolus : Multa ab ethnicis excogitantur aduersus Christianos, contra omnia studia eorum, oppono vnam pacem Dei, oppono tranquillam conscientiam,illa plus potest,Illa plus valet quam omnes omnino machinationes hominum.Ad hunc sanè modum interpretatur Ambrosi. Qui cum Deo inquit pacem habet,non timet mentem aduersam, tutus enim est pace Dei. Ad eundem modũ interpretatur Primasius:omnem inquit sensum.i.insanum, hoc est,mentem furiosam superat pax Dei. Illud agnoscitur in Tiburtio. Applica inquit ad Torquatum eculeos,appende Christianos, damna, percute , incende, vniuersa adhibe,& paucis interpositis discerne quicquid libet,omnis nobis vilis est pœna,vbi pura comes est conscientia. Ne quis autem ad sensum corporis detorqueat quod hic dicitur,sciendum vocem Græcã, quam interpres sensum vertit,significare mentem et intellectum. Est enim νοῦς vnde νόημα deducitur, quod intelligentias hic vertit interpres:in Epist. vero posteriori ad Corint. intellectum. In captiuitatem redigentes omnem intellectum.Quod sequitur, Custodiat,vocabulum militare est, est talis custodia qualis est in obsessis ciuitatibus,castris,siue præsidijs,ac si dicat Apost. imminent vobis hostes,adhibete custodiam. Si scire vultis quam tandẽ dico pacem Dei? (*Hæc pax custodiat corda vestra:*) Istud ad affectus & appetitus voluntatis pertinet : quod verò sequitur,(*intelligentias*) ad iudicium animi ingenium refertur. Sensus est: pax Dei custodiat vos, vt voluntate adhæreatis Christo,ne sub afflictionibus demergamini, ité custodiat vos,ne sub fraude circumscramini, ne excidatis ab eo per aliquem errorem seu hæresim. Ad hunc modum interpretatur Chrysostomus, qui præpositionem(in) propriè accipit in Christo Iesu,id est,vt maneatis in eo.Etasmus putat Apostolum abusum

sum præpositione in , loco per: In Christo Iesu,id est,per Christum Iesum.Græca scholia vtrumque sensum exponunt.

De cætero fratres , quæcunque sunt vera, quæcunque pudica,quæcunq; iusta,quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunq; bonæ famæ,si qua virtus , si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.Quæ & didicistis, & accepistis,& audistis , & vidistis in me:hæc agite,& Deus pacis erit vobiscum.

De cætero fratres,&c.) id est, quod reliquum est,siue quod superest.(*Quæcunque sunt vera*)id est,aliena ab hypocrisi.(*quæcunque pudica*) Græce est σεμνα,quod vocabulum complectitur omnem honestatẽ:Quæcunque honesta & emendata,siue quæcunque sunt syncera.Sic Chrysostomus,qui vocabulum Græcum pertinere putat ad virtutem externæ conuersationis.

Quæcunq; iusta)hoc loco virtus est specialis.(*Quæcunque sancta*) Græce est ἁγία, id est, pura,siue casta:nos fere castitatem vocamus moderationem circa vsum generaliũ.Chry. in parte sua æthitica commendari hic dicit castitatem,quæ in animo posita est. Idem tamen in commentarijs ad castitatem corporis referre videtur.Habet enim sic: quod ait Apostolus,quæcunque casta,ad hoc pertinet quod ante dixit,quorum Deus venter est.(*Quæcunque amabilia*) id est, quæcunque sunt digna vt amentur,siue apud Deum,siue apud homines.

Quæcunque bonæ famæ,&c.)id est, quæ faciunt ad bonam famam,siue ad bonum nomen. *Si qua virtus*)Græce est ἀρετὴ, quæ nimirum pugnat cum vitio, non δύναμις quæ pugnat cum imbecillitate. *Si qua laus disciplinæ*)id est, quicquid est laudabilis disciplinæ.Iuxta Græcos codices(disciplinæ)redundat:legunt tamen si qua laus,id est, siquid est quod merito laudetur.Vult eos laudabilia sectari, non tamen respectu laudis. Hæc cogitate,id est,meditamini & exercete. Est cogitare Hebraicum nimirum HAGA, de qua voce exactè dictum est in Esaia,cap. 33.ibi:Cor tuum meditatur timorem.

Quæ & didicistis,&c.) Quia longum nimis erat de omnibus exactè admonere,videlicet de habitu,de incessu , de conuictu, deque cæteris Christiano homini prospiciendis: itaque vno verbo summatim illa complectens ait,quæ & didicistis.Quod additur (*accepistis & audistis*) congeriem habet,& adiunctum est causa exaggerationis. Erat enim Apostolus sibi conscius,diligentissime docuisse se de omnibus,quæ ad vitam agendam spectabant,& non solum verbis docuisse,sed & factis expressisse: Quare & addit (*& vidistis in me*) atque hoc sane genus docendi efficacissimum est. *Et Deus pacis*)id est,qui donat pacem, siue respiciat eam,quæ est ad Roma. cap. 5. siue eam, quæ est inter homines,de qua in Epistola priori ad Corint. Non est dissensionis Deus, sed pacis.Si inquit hæc feceritis, in magna agetis tranquillitate ac pace.

Gauisus sum autem in Domino vehementer,quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire,sicut & sentiebatis. Occupati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici , in quibus sum , sufficiens esse. Scio & humiliari,scio & abundare: vbique & in omnibus institutus sum,& satiari,& esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Veruntamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ.

*Gauisus sum autem in Domino vehementer,&c*Est hic alia materia, agit de eleemosynis,si tamẽ eleemosynæ dicendæ sunt, quibus ipsum prosequebantur Philippenses. Illud (in Domino) significat non vulgare fuisse gaudium, sed Christianum. Gauisus sum non quomodo vulgus hominũ gaudere solet,sed quomodo Christiani gaudere solent secundum Deum (*quoniam tandem aliquando*) ad verbum est, quod iã tandem. Istud (iam tandem) ostendentis est eos multo tempore torpuisse, & cessasse ab officijs præstandis. Est ergo hic laus mixta vituperio,(*Refloruistis*) metaphora est sumpta ab arboribus quæ æstate virent, appropinquante hyeme arescunt, redeunte inde rursus æstate virescunt.*Sentire*) Græcè est φρονεῖν id est, curam agere. Et est secundum Chrysost. hoc loco ellipsis attica.Interpretatur enim vt subaudiatur præpositio ὑς vel κατὰ hoc modo: Refloruistis ad sentiendũ siue in sentiendo de me, id est, refloruistis vt soliciti estis de me seu pro me.

Sicut & sentiebatis)id est,sicut soletis sentire, Habent enim præterita imperfecta aliquid cõsuetudinis.Interpres noster ad sensum illud reddit,alioquin ad verbum est, in quo sentiebatis.i.in ea re in qua soletis esse soliciti,videlicet in cura corporis mei:Quãquam Theophy.ἐφ,ᾧ accipere videatur, vt sit causalis particula hoc sensu:Nã & soletis curam mei agere. De particula ἐφ,ᾧ dictum est cap. 5.Epistolæ ad Rom.rursus cap. 3. huius Epistolæ in expositione illius,In quo & comprehensus sum. *Occupati autem eratis.*) Est excusantis,Tametsi inquit non misistis hactenus quod occupati fueritis.Interpres Græcam vocem satis incommode reddidit. Eæ ἀκαιρέομαι quæ duplicem admittit sensum:Alter est eratis in angusta re, non suppetebat vobis quod mitteretis, Alter est, deerat

Universidad de Deusto
Biblioteca

deerat opportunitas mittendi, Vterque sensus est in Græcanicis scholijs, Erasmus in translatione posteriorem expressit: Chrysostomos in commentar. priorem proponit & alterius ne meminit quidem. Quare Musculus eius interpres indocte facit, dum proponit versionem Erasmi.

Non quasi propter penuriam, &c.) id est, Non scribo ista quasi penuria laborem, vel quod desit mihi aliquid: etiã si non misissetis, nihil defuisset mihi. *Ego enim didici*) quia ait (didici) significat rem hanc esse exercitij videlicet cohibere animum suum intra certas metas, vt Deo placet: Didici inquit toto animo esse contentus præsentibus, id est, rebus quæ ad manus sunt, (*Scio & humiliari*) hoc est tenuis esse. Hebraicè dixit non Græcè: Siquidem CADA apud Hebræos dubium est ad humiliari & attenuari. Noui inquit, quomodo debeam me gerere, quando sum in tenuitate, in difficultate, & angustia rerum: Rursus noui quomodo debeam me gerere in copia, & rerum affluentia: Hoc enim est quod ait, scio & abũdare, licet vox Græca non solum pertineat ad rerum copiam, sed ad omnem præcellentiam.

Quare Erasmus vertit noui & excellere, & rationem ob quam maluerit sic vertere, reddit, vt inquit, ex æquo opponatur ei quod præcesserit humiliari. Verum non aduertit humiliari dictum esse phrasi Hebræa. Sane Chrysostomus intelligit vt noster interpres. Quare peccauit & hic Musculus, proponens versionem Erasmi. (*Vbique in omnibus institutus sum.*) Ambrosius legit in omni & in omnibus imbutus sum, atque ita est Græcè. Sensus secundum Chrysostomum est: omnium experientia isto tempore longo cœpi, hoc est, longa experientia didici satiari & esurire: Quando contingit honestum & egregium prandium vbi nihil deest, rectè, inquit, illo vti scio, noui modum tenere, siue sim vbi nimium est, siue sim vbi minus est: vtrunque difficile est, sed difficilius est prius, siquidem multi nouerunt esurire, satiari nequaquam.

Scio & abundare & penuriam pati) nec penuria inquit me deijcit, nec affluentia relaxat. Idem multis verbis dicit, vt ostendat se non pendere à Philippensibus. Vt quod præcedentibus ait gauisus sum, quod reuiguit in vobis studium erga me, sciant ipsum non sui gratia dixisse, sed ipsorum.

Omnia possum, &c.) Nihil non possum in omni re, quod quia magnum verbum est, ne videatur iactantiæ esse, explicat qumodo omnia possit: omnia possum in eo qui me confortat, hoc est, per eum qui me potentẽ reddit. (*Verumtamen bene feciſtis*) non ait subleuantes inopiam meam, sed communicantes tribulationi meæ, id est, bene feciſtis quod participes vos feceritis tribulationis meę, hoc est, præmij quod me manet ob tribulationes quas sustineo.

SCitis autem & vos Philippenses, quod in principio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli, quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis. Non quod quæro datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram. Habeo autem omnia, & abundo. Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam placentem Deo?

SCitis autem & vos Philippenses, &c.) amo sliter hic à se suspicionem, qua de eo suspicari poterant, quod nimium acciperet. Scitis, inquit, quod in principio prædicationis abeunti mihi è Macedonia, nulla Ecclesia communicauit in rationem dati & accepti.) Secundum Græcorum scholijs, Theophylactus, & Chrysostomus communicare hoc loco id ferè est, quod nos dicimus commutare, atque hinc patet stipendium esse, non eleemosynam, quod datur Euangelistæ siue pastori. Quod ait, poterat hoc modo explicari, habeo duas tabulas, quarum altera continet ea quæ accepi: altera vero ea quæ dedi, quas dum inspicio, video impensa esse Ecclesijs Macedoniæ à me multa: & contra ab ipsis nihil esse impensum mihi.

Nulla enim Ecclesia communicauit mihi, &c.) In ratione dandi & accipiendi, siue in ratione dationis & acceptionis (*nisi vos soli*) Est magna laus Philippensium. (*Quia Thessalonicam*) hæc metropolis est Macedoniæ. Vnde & Thessalonicenses populi dicti sunt. cum essem inquit Thessaloniæ semel & iterum: nam semel & bis Græcè dictum est, in vsum mihi misistis, id est, quibus opus erat ad necessitatem & indigentiam subleuandam. *Non quod quæro datum*) non hæc dico mei causa, quod quæram donum vel munus, sed vestri causa, hoc est, quod ait (*sed requiro fructum abundantem siue exuberantem in rationem vestram*) hoc est, cupio quod in vestro libello sint multa, ex quibus videamus diuites in Domino: Cupio illas tabulas quæ habent à vobis impensa, fieri plenas, cupio commodum vestrum esse magnum. Qui hodie vertunt hoc modo transferunt, requiro fructum abundantem qui redundet in rationem vestram, siue in commodum vestrum. Nam est aiunt εἰς λόγον, sed frequenter iam dictum est Apostolum abuti præpositione εἰς pro ἐν.

Habeo

Habeo autem omnia, &c.) Illud habeo, nõ implet significationem vocis Græcis quod ἀπέχω: siquidem ἀπέχω est recipere ex aliquo veluti censum aut redditum ex aruis. Significauit ergo vox illa totam hanc rem habere rationem debiti, & non esse eleemosynam. Annotauit hoc Chrysostomus, similiter & Græca scholia. Rectius vertit interpres in Euangelijs: Receperunt mercedem suam, vbi est vocabulum huius loci. (*Et abundo*) est verisimile dictum hoc esse humaniter aut ciuiliter. *Repletus sum*) siue expletꝰ sum: posteaquàm accepi, quæ misistis per Epaphroditum (*in odorem suauitatis.*) Græca non habent (in) sed appositoriè additur hoc sensu: Quòd misistis, fuit odor suauis. Alludit ad sacrificia veteris testamẽti. (*Hostiã acceptam*) metaphora est, neq; est hostia proprij nominis.

DEus autem meus impleat omne desideriũ vestrum, secundùm diuitias suas in gloria, in Christo Iesu: Deo autem & Patri nostro gloria in secula seculorum, Amen.

DEus autem meus) pro desiderio, Græca quæ nunc in manibus sunt, habent necessitatem siue indigentiã, quasi dicat, Apostolus. Ego repletus sum beneficijs vestris, vicissim precor vt Deus impleat vos, nam scio tenues vos esse: Sic Chrysostomus, significans interim variáre exemplaria Græca, & quædam habere Χριστῷ quædã vero Κύριῳ: alia rursus habere Χάριτι.

Secundum diuitias suas) id est, vt est. ditissimus. Est ei ait Chrysost. facile, est ei maxime in promptu. In gloria, id est, cum gloria, id est, faciat vos gloriosos & admirabiles apud alios: vt intelligatur gloria, qualis est in actis, vbi dicitur, quòd nihil illis deerat, quodq; magnificabat eos populus. Alij gloriam intelligunt æternam. Vtrunq; est probabile. In Christo Iesu, id est, per Christum Iesum, vel in Christo Iesu, id est, gloria apta & consentanea religioni Christianæ. Vtriusque expositionis similia sunt loca in scripturis.

SAlutate omnem sanctum in Christo Iesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutãt vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri Iesu Christi cũ spiritu vestro, Amen.

SAlutate omnem sanctum) sancti nomine tunc intelligebatur omnis, qui erat baptizatus. Salutãt vos omnes fratres qui mecum sunt. Salutant vos sancti, hoc est, qui sparsi habitant Romæ, (*maximè autem qui in Cæsaris familia sunt*) id est, qui versantur in aula Neronis. Erat magna humilitas Christianorum. Pauper erat æque affectus erga diuitẽ, rursus diuites erga pauperem. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus nobis,

AMEN.

Finis Epistolæ Pauli ad Philippenses.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS EXPOSITIO FRATRIS ADAMI SASBOVT DELPHII.

ARGVMENTVM.

EPistolæ à nobis hactenus expositæ, videlicet ad Ro. ad Galatas, & Phil. contra Iudaizantes sunt scriptæ. Hæc quam nunc præ manu habemus, scripta potissimum est contra Simonem Magum, & eius familiam, hoc est, Menandrum, Saburnium, Basilidem, Nicolaum, Gnosticos, Carpocram, Cyrinthum, quos homines vidit, vel saltem de doctrina eorum audiuit Paulus. Nam Cyrinthus, qui inter iam dictos postremus est, priusquam in Asia prædicaret, Paulo versante Antiochiæ, commouit Ecclesiam, docens: nisi circuncidamini secundùm morem Moysi, nõ potestis saluari, fuit enim ex parte addictus Iudaismo. Deinde cõcitauit Paulo seditionem Hierosolymis, dicens, quod viros præputiatos secum adduxisset in templũ: vt refert Epiphanius lib. 1. contra hæreses, hæresi. 28. Vnde manifestum est Menandrum, Saburnium, Basilidem & cæteros, quos antememorauimus, cum hunc præcesserint, vixisse tempore Pauli. Aduersus horum itaq; errores, neç nõ & Philosophorum ac Poëtarum, ex quibus magnam partem Theologiæ suæ schola Simonis confecerat, Apostolus munire studet Ephesios, atque hic ipsi scopus est in hac Epistola, in quem dum intendit, magna mysteria Christianismi aperit, ac vitæ documenta præscribit, sed obiter atque aliud agens, interserens etiam magnificam mentionem sui ministerij.

EPISTOLAE PAVLI AD EPHESIOS.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu, gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESV CHRISTO.

PAulus Apostolus Iesu Christi, &c.) Modus hic salutandi Paulo familiaris est, atq; ex Epistolis hactenus expositis satis iam notus.

BEnedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo.

BEnedictus Deus, &c.) ab hoc loco vsq; ad illum: Propterea & ego audiens, &c. vnica periodus est. Vsque adeò siquidem diuinis mysterijs plenum erat pectus Apostoli, vt communi loquendi forma non valuerit hæc explicare. Potest autẽ locus iste ad hunc modum legi. Benedictus Deus, vt hic sit dimissio, deinde separatim adijciãt. Et pater Domini nostri Iesu Christi, hoc sensu: Benedictus Deus, qui vniuersorum conditor est, qui & Pater est Domini nostri Iesu Christi. Potest & conjunctim legi ad hũc modum. Benedictus Deus & Pater, vt sequens genitiuus, Domini nostri Iesu Christi, ex æquo ad vtrũq; referatur: Quam distinctionem si cui placet, sensus ille erit, qui est in Euangelio: Vado ad Patrem meũ, & Patrem vestrũ, vbi Christus Deum meum, & Deum vestrũ, vbi Deum

Deum vniuersorum etiam suũ appellat propter assumptum hominem. Benedicendi vocabulum variè in scriptura est obuium. Interdum bene precari significat, vt benedicite persequentibus vos, id est, bene precemini illis. Interdum hoc est quod laudare, & hymnis celebrare, sic hoc loco. Benedictus Deus, id est, laudemꝰ & hymnis celebremus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi: Interdum verò significat beneficijs afficere, in qua significatione ferè accipitur, dũ Deo tribuitur. Qui ergo benedixit nos, id est, qui maxima dona nobis contulit. Nõ satis autem fuit Apostolo dixisse, qui benedixit nos, sed adiecit in omni benedictione, quod ne de terrena benedictione (vt est habere liberos, affluere opibus, honore, & sanitate gaudere) acciperet quis, addidit deinde, spirituali: Quæ spiritualis benedictio multa admodum complectitur, atq; inter cætera remissionẽ peccatorum, donationẽ iustitiæ, adoptionem in filios Dei, & (cuius in posteriori sua Epistola capit. primo meminit Petrus) consortium diuinæ naturæ. Quod sequitur. (*In cœlestibus*) variè exponitur, secundùm Græcanica scholia subauditur, rebus. In cœlestibus, scilicet, rebus. Secundùm Hieron. verò subauditur, locis: cui fauet locꝰ qui est cap. 6. huꝰ Epistolæ, colluctatio nobis est, cõtra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, hoc est, cõtra spirituales nequitias in cœlestibus locis, id est, in aëre hoc caliginoso degentes. Sensus itaq; loci huius iste est: Benedictus Deus existens in cœlestibus, benedixit nos, &c. Clausula (*in Christo Iesu*) adiecta est propter scholam Simonis, quæ alios inducebat mediatores, vt videre est apud Epipha. tomo. 2. primi libr. contra hæreses. Præpositio (in) posita est loco (per.) Sensus est: Deus pater contulit nobis maxima hæc dona per Christum, non per Simonem, non per Menandrum, &c. licèt id audeant ipsi de se iactare.

Erasmus in annotationibꝰ admonet Græca exemplaria omittere præpositionem (in) & ad hunc modum legere. Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo, hoc est, (vt ipse exponit) in gloriã Christi. Verùm Chrysostomus legit & interpretatur in Christo, similiter Theophylactus, & Oecumenius, Hieronymus quoq; & Ambrosius. Quare emendandi nõ sunt hoc loco codices nostri ad fidem Græcorum, qui hodie in manibus habẽtur, cùm tot insignes interpretes, qui partim Græci fuerunt, partim Græcis vsi sunt, nostram lectionem apertè proponant. Porrò quòd Erasmus ait Ambrosium non legere, in Christo, verum est si de textu agatur, qui ipsius comment. adiunctus est, alioquin in comment. habet. Nam apertè exponit cùm ait: omne donum gratiæ Dei in Christo est, vt si quis spreto Christo benedici se à Deo putat, is errare se sciat. Quod sequitur in textu. *Sicut elegit nos in ipso*) hunc habet sensum. Quemadmodum per Christum Deus pater gratis cõtulit nobis hæc maxima dona sua, ita gratis per eundem ante sęcula elegit nos. Annotandum hoc loco duplex esse genus diuinorum beneficiorum: alterũ quod datur ex merito Christi: alterum quod ex mera Dei bonitate citra cuiusuis meritum, etiã ipsius Christi, cõtingit. Prioris generis sunt remissio peccatorum, & cætera quæ ante cõmemorauimꝰ. Posterioris verò, electio, prædestinatio, incarnatio quoq; verbi siue filij Dei, vt doctissimè docet Aug. lib. de prædestinatione sanctorum. cap. 15. Istud obseruandum vt sciamus clausulam hãc, in Christo siue per Christũ, non semper significare meritum: Non enim hoc loco, vbi ait Apost. electos nos per Christum. Quo pacto verò hic accipiatur non satis constat, non tamen improbabile est eo sensu electos nos in Christo siue per Christum, quo sensu conditi dicimur in Christo vel per Christum. Quòd si cui non placet hic sensus, ad hunc modum intelligat: Elegit nos in Christo, id est, ad habendum fidem in Christo: *Ante mundi constitutionem.*) In hac Epist. quemadmodũ Simonis, atq; eorum qui ex ipsius schola prodierunt: ita philosophorum quoq;, & poëtarum errores in conspectu habere oportet: Cùm enim horum doctrina imbuti fuerint Ephesij, non potuit Apost. ad ipsos scribens non fuisse solicitus, vt & horũ philosophorum dico & poëtarum errores ab ipsis amoliretur. Philosophorum autem duo traduntur genera: alterum Italicum, quorum princeps Pythagoras Samius fuit: Alterum Ionicum, cuius princeps fuit Tales Milesius: de hac re vide Augustinum lib. 8. de ciui. Dei. 2. cap. Ionicorum philosophorum familia sedem habuit potissimùm Ephesi, quod dicimus ex argumento Chrysostomi in hanc Epistolam: habet enim sic: Multi prophetarum maximè qui in confinibus Asiæ floruerunt, in hac vrbe fuerunt. Dicitur & Pythagoras hinc prodijsse. Illud vtcũq; sit, parum refert: interea tamen istinc est omnis illa Ionica schola, quin & illi qui cum Permenide Zenone Democritoq; fuerũt, imò & adhuc hodiè multos illic philosophos inuenire licet. Addit deinde: Ista verò non præter rationem mihi dicuntur, sed vt ostendam, quàm ad illos scribenti Paulo multa diligentia fuerit opus: Hactenus Chrysostomus. Ex schola porrò Ionica prodijt Plato, qui inter alia docuit Deum res condidisse ex materia sibi coæterna, contra quem facit, quòd hic ait

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apost. Deum nos elegisse ante mundi constitutionem. Pro constitutione Græcè est καταβολῆς, quæ vox ita sonat ac si dicas ante iacta fundamenta mundi, siue antequā initium fundamenti orbis iecisset Deus, quo sermone significat Apost. omnia, & cœlum, & terram, ipsamq; materiam, quàm plato ponebat ingenitam, Deumq; machinatum esse ex nihilo.

Vt essemus sancti) hoc adiectū est ab Apostolo contra familiam Simonis. Sensus est: elegit nos, nō vt quotidianam venerem exerceremus, non vt πολυμιξίαν et omnē turpem actionem studiosè in vita sectaremur, vt schola Simonis docet, sed propterea & ad hoc elegit nos Deus, vt essemus sancti, id est, vt vitam puram, atq; ab omni immundicia procul remotam ageremus. Id enim significat vocabulum, sancti, vt patet ex varijs locis Exodi. Hac Apostoli sententia reijcitur etiā dogma Origenis: qui sensit animas ante hāc vitam in corpore, aliam egisse vitam, extra corpus inter cœlestes naturas, & pro meritis ibi cōparatis esse vel electas, vel reprobatas. Reijcitur & Pelagianorum sententia, qui diuinæ electionis rationē seu causam definiuerūt esse opera bona præuisa, quia ab æterno, inquiunt, quosdam præuidit Deus bene vsuros viribus libri arbitrij, & rectè ac sanctè victuros: idcirco hos elegit, alijs reiectis siue reprobatis. Contra hoc disputans D. August. de prædest. sancto. cap. 18. citat hūc locum Apostoli, & diligenter explicat. Elegit nos Deus, non quia sancti eramus, quæ opinio Originis est, nec etiā quia tales eramus futuri, quæ Pelagianorū sententia fuit, sed elegit nos, vt sancti essemus & immaculati, cuius loco Græci codices habent ἀμώμους, quod magis inculpatos siue irreprehēsibiles quàm immaculatos significat. μωμος enim Græcis reprehensio siue Deus reprehensionis est. Vt, inquam, sancti essemus & irreprehensibiles, non coram hominibus, aut iudicio humano duntaxat: sed coram Deo, cuius oculis omnia nuda sunt & aperta, hoc est, quod dicit: In cōspectu eius. Quod additur (*in charitate*) refert Ambrosius ad id quod proximè præcedit, quod patet ex commentario eius qui sic habet. Vt amor Dei sanctam faciat nostram conuersationem. Verùm probabile omnino est (in charitate) pertinere ad verbum elegit, hoc sensu, qui elegit nos in charitate, hoc est, per charitatem, id est, quia dilexit nos.

Qui prædestinauit nos) id est, præfiniuit. (*in adoptionem filiorum.*) Pro duabus vocibus vnica est apud Græcos. nempe υοθεσιαν, quæ vox Paulo peculiaris est, nec vsquam in vet. test. vsurpata. Nam quòd Exodi cap. 2. de filia Pharaonis scribitur, quòd Moysen adoptarit in filium, diuersum est vocabulum ab eo quod legitur cap. 2. Esdræ. Quid verò vocabulum huius loci significet, dictum est in Epistola ad Galat. Illud (*in ipsum*) dilucidius vertisset interpres, in se: nam est hoc loco pronomen reciprocū, Sensus est: Deus pater certa media apud se ab æterno præstituit, per quæ duceret nos in seipsum, per quæ faceret nos vnum cum seipso. Repetit Apostolus adeò frequēter, (*per Iesum Christū*) tū propter hæreses de quibus ante diximus, tum quia affectus eius hoc nomine delibutus erat, tū etiam vt doceret nos hoc nomine delectari.

Tria hæc obseruare oportet, quæ sunt, dilectio, electio & prædestinatio, atq; aduertere quem hæc inter se ordinem habent. Dilectio Dei est æterna ipsius voluntas, qua quibusdam vult vitam æternam & seipsum.

Hāc sequitur electio, quæ horum ab alijs quos non ita ad regnum peruenire vult, discretionem significat: Quam sequitur deinde prædestinatio, quæ non aliud est, quàm ordinatio ad vitam æternam per certa media. Porrò vt sciremus Deum hæc fecisse nullis nostris meritis prouocatum, sed ex mera sua bonitate: addit Apostolus (*secūdum propositum voluntatis suæ*) id est, secundum placitum, vel potiùs secundum beneplacitum voluntatis suæ: nam id propriè vox Græca significat: est enim εὐδοκία quam Hieronymus primò à septuaginta vsurpatā dicit, & ab ipsis efficta quo posset explicare vocabulū Hebraicū RATSON quo significatur tum voluntas Dei vltro miserentis εὐδοκιαν verò cum propriè significare dicit Hieronymus, vbi quid non solùm placuit, sed & rectè placuit. Nam placent interdū quædam, quæ tamen non rectè placent.

In laudem gloriæ gratiæ suæ.) Sensus est, vt intelligant homines, Deum glorificandum propter gratiam suā (*in qua gratificauit nos*) id est, gratos siue charos reddidit: Hic est tēporalis effectus electionis & prædestinationis æternæ: (*in dilecto filio suo*) ac si dicat, istud ita donum Dei est, vt non voluerit pater istud præstare nisi in filio, siue ob meritum filij.

IN quo habemus redemptionē per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni patientia & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitū eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.

IN quo) id est, per quem scilicet Christum (*habemus redemptionem*) Græca vox propriè significat redemptionem captiui, persoluto

soluto pro capite eius prætio. Est enim ἀπολύτρωσις, Pretium quod Christus pro nobis numerauit: exprimit hic Apostolus esse ipsius sanguinem, in quo, inquit, habemus redemptionem per sanguinē eius, exponens deinde quæ sit illa redemptio, subijcit (*remissionem peccatorum*) qui accusatiuus annectitur præcedenti per appositionem hoc sensu: Habemus redemptionem quæ est remissio peccatorum, significās seruitutem peccati esse, ex qua Christus nos redemit, redemit inquam non secundùm merita, vel propter merita nostra, sed (*secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis*) id est, quam copiosè in nos effudit (*in omni sapientia*) Hebraicè dictum est, pro eo quod est, cum omni sapientia & prudentia. Adiecit illud Apostolus propter Gnosticos sic dictos à falsi nominis scientia, præterea propter philosophos, significare volens nō in illis rebus in quibus ipsi ponebant, esse ponendam sapientiam & veram prudentiam: sed in mysterijs Christi intelligendis: Quod sequitur (*vt notum faceret*) Græci per participium efferunt, hoc modo, patefacto nobis sacramento, &c.

Hieronymus quoque participium habet: nam legit notum faciens nobis Sacramentum, hoc est mysterium siue arcanum voluntatis suæ. Hæc namque summa sapientia est videlicet scire quid de nobis Deus ab æterno decreuerit. Rursus vt excludat merita nostra, addit (*secundum beneplacitum*) pro quo Paulus habet εὐδοκίαν, de qua voce dictum est in præcedentibus.

Quod proposuit in eo) referendum istud est ad Sacramētum siue mysterium, Sensus est, quod mysterium proposuit in eo, id est, per filium complere (*in dispensatione plenitudinis temporum*) id est, illis temporibus euolutis quæ ab æterno ad hoc præstituit. Dum dicit (*in eo*) in conspectu habet hæreses, quæ inducebant alios mediatores: per hunc inquit solum, & non per Simonem, nec per Menandrum.

Instaurare omnia in Christo) vox Græca, quā noster interpres vertit instaurare, propriè significat ea quę sparsim ac susi dicta sunt, summatim repetere, vt simul iudici renouentur: Est enim vocabulum proprium foro, hinc deducitur anacephaleosis, ἀνακεφαλαίωσις, quam Quintilianus vertit enumerationem sic dictam, quod per capita decurrendum sit in peroratione: Hoc loco Apostolus vsurpauit pro eo, quod est ad certum aliquod caput reuocare, quæ dissipata erāt. Mysterium (inquit) cuius iam memini, quod dixi nobis esse patefactum, istud est, videlicet Deum patrem voluisse omnia reuocare ad vnum caput nempe Christum, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, hoc est, homines & angelos, qui per peccatum diuisi erant, ipsum voluisse coniungere ac vnire per Christum, & in Christo vt in capite. Hieronymus legit recapitulare: nec fert vōsionem nostram, quam tamen Augustinus proponit & interpretatur, atque inspecta sententia Pauli, parum referre videtur, an recapitulare legas an instaurare, Expositio Augustini est in Enchr. cap. 62. Nouerunt, inquit, angeli, quanti numeri supplementum de genere humano, integritas illius ciuitatis expectet. Propter quod ait Apostolus, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. In ipso quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, quum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurātur autem quæ in terris sunt, quum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur: Hactenus Augustinus. Quòd si frequenter istud apud nos meditaremur, nempe per Christum ad tantam dignitatē euectos nos, vt conciues habeamur Angelorum, puderet nos admittere, quod sancto illo consortio esset indignum. Ne cui autem negotium faciat illud (in ipso,) quæ in cœlis, & quę in terra sunt, in ipso, sciendū pleonasmum esse Hebraicum scripturæ familiarem: Sic in Psalmo, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

IN quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consiliū voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante speraumus in Christo.

IN quo etiam & nos sorte vocati sumus) Sors non virtutis, sed vt dicitur, euentus est. Significare igitur volens Paulus, se quoque ad magna ista beneficia, quæ per Christum præstantur, electum esse nullis præcedentibus meritis, hoc sermone vsus est, quem ne aliorsum quis raperet, credens hinc temere ac fortuito, ipsum & Apostolos cæteros electos, mox temperauit, dum adiecit. (*prædestinati secundum propositum eius*) hic πρόθεσις est vox diuersa à superiori, qui prædestinauit nos secundum propositum voluntatis suæ, quo loco diximus Paulum habere εὐδοκίαν, πρόθεσις autem siue propositum excludit casum & fortunam. Iam vt sciamus propositum hoc Dei plenum esse ratione & æquitate, addit. (*qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*) hoc est libere & certa ratione, licet ratio ea nobis frequenter ignota sit (*vt simus in laudem gloriæ eius*) id est, ad ornamentum gloriæ ipsius, siue vt simus ipsi laudi. id est, vt crescat gloria patris nobis, qui agnoscimus Christū. Qui enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligimus nos esse in Christo, & non secundùm carnem viuere, debemus illustrare gratiam Dei tum admirando tum laudando hanc apud alios, & prædicando. Quod sequitur (*qui antè sperauimus in Christo*) putat quidam esse periphrasin credẽtium, vt vsus sit Apostolus heteroſi temporis, sperauimus pro speramus. Verùm in hoc sensu obstrepit præpositio Græca πρὸ, id est, antè, in qua explicanda mirum in modum sudauit Hieronymus & satis infeliciter. Habet enim duplicem commentarium. quorum alterum reijcit Rufinus, vt qui Origenicum quiddam recipiat. Alter quoq; licet catholicè sit, alienus tamen videturà sententia Pauli. Optimè expediunt sese, qui partem hanc referũt ad Iudæos tantùm: siquidem hi priores vocati sunt ad fidem, & priores crediderunt in Christum, inde secutæ sunt gentes, inter quas erãt Ephesij, cui sententiæ fauet prorsus id quod sequitur.

IN quo & vos, cùm audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius.

IN quo & vos) Istud opponi videtur illi, In quo & nos, &c. Desideratur autem hoc loco verbum speratis siue sperastis: nam sensus est, In quo etiã speratis & vos audito verbo veritatis, hoc est. Euãgelio per quod annunciatur omnibus credentibus & Christum amplectentibus salus. (*in quo*) id est, per quem scilicet, Christum (*& credentes*) id est, posteaquam credidistis siquidẽ Græcis est participium actiuum præteriti tẽporis, quo nos Latini caremus. (*signati estis*) id est, obsignati, quemadmodum tabulæ obsignantur in pactis (*spiritum promissionis*) id est, spiritu promisso, tum per Prophetas, tũ per Christum ipsum: Sensus est, Christus posteaquam in ipsum credidistis, certa aliqua nota, dedit significationem, quòd verè pertineatis ad populum suum, adeoq; ad promissiones illi factas dedit inquam significationẽ, dum visibili specie effudit super vos. & in vos Spiritum sanctum. Alij respicientes ad locũ, qui est in epistola ad Roma. cap. 8: Ipse spiritus tstimonium reddit spiritui nostro, &c. Item ad eum, qui est in epistola ad Galatas cap. 4. Quoniam autem filij Dei estis, &c. Paulo aliter interpretatur, nempe ad hunc modum fideles facti accepistis Spiritum sanctum, qui per victorias quas operatur in vobis aduersus carnem & diabolũ, palam testatur quod sitis Christi quod verè ad ipsius populum pertineatis: nisi enim essetis in Christo, nunquam valeretis vincere mundum. Metaphora vt indicauimus sumpta est à tabulis siue literis quas obsignamus, partim vt cognoscantur esse nostræ partim vt quod illis committimus, tectum maneat, neq; quibusuis pateat, prius officium sigilli respexit Apostolus, dum dicit, signatos vos Spiritu sancto. Obsignatio autẽ hæc spiritus, non clauditur intra substantiam fidei, quod volunt Lutherani: sed ea posteriora est, id quod apertè docet hoc loco Apostolus: nam dicit quòd eam accipiamus πιστεύσαντες, hoc est, posteà quàm credidimus, quare fides eam præcedit.

Qui est pignus hæreditatis nostræ) pronomen (qui) non Christum refert, sed spiritũ. Pignus interpres pro arrabone posuit posuit. Hoc autem interest secundum Hieronymum inter pignus & arrabonem: quod pignus detur in mutuo: arrabo verò in contractu emptionis & venditionis, quò firma sit obligatio. Sensus est: qui spiritus, arrabo est futuræ hæreditatis, quæ est vita æterna: quod sumus victuri in æterna vita, hinc scimus, quod per spiritum sentiamus aliquid eius, quòd ibi sumus habituri. Quisque nostrum expendat apud se, an sit huiusmodi arra donatus, hoc est, an hic constitutus, aliquo modo gustet, quàm suauis futurus sit Deus his, qui secum regnabunt, quod qui gustent, festinant hinc egredi, nõ aliud parturiunt nec gemunt, quàm vt istud ipsis cõtingat, id est, vt quam citissimè ex hoc mundo possint discedere. Nam ex magnitudine dulcedinis, quam experiuntur, ita apud se ratiocinantur: Quod si tanta est arra, quanta erit res ipsa, quam præstabit Deus in altera illa vita, &c. Quod sequitur.

In redemptione acquisitionis) variè à diuersis explicatur: genuinus sensus, videtur hic esse nempe Spiritum sanctum datum fidelibus velut arrabonem, quo certo scirent fore, vt populus Christianus in perfectam aliquãdo libertatẽ assereretur. Secundùm hãc expositionem, redemptio non ea intelligitur quàm nunc assecuti sumus, quæ est liberatio à peccatis: sed perfecta, quæ tum erit, cùm non solum peccatum non erit: sed nec causa peccati, hoc est, malum habitans in corpore nostro, & ad peccatum vsque solicitans animum. Nomine verò acquisitionis, ipsa possessio intelligitur, quam Christus magno studio, multis sudoribus, & denique sanguine suo acquisiuit, quæ possessio populus christianus est. Illud (*in laudem gloriæ ipsius*) ex præcedentibus notum est. Hactenus vnica fuit periodus quã frequenter legere oportet, vt hinc agnoscamus beneficia Christi, eisque agnitis gratias agamus ipsi: siquidem ea res verè Theologum facit. Post commemorationẽ beneficiorũ, quæ Deus pater per filium præstitit credentibus, Infert Apostolus:

Propterea

PRopterea & ego audiens fidem vestram quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cessõ gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus (Domini nostri Iesu Christi Pater) gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri.

PRopterea &) hoc est, quia tam magna bona data sunt & reposita credẽtibus, & iuxta fidem vitam exigentibꝰ. Propterea ego Paulus audiens fidem vestram adhuc integram, nec turbatam ob vincula mea: fidem inquam quæ est in Christo Iesu: non in Simone, aut in Menandro, aut Basilide.

Et dilectionem in omnes sanctos.) quam habetis erga omnes christianos (*non cessõ gratias agens*) interpres phrasim Græcam retinet: Latinè dicendum fuerat, non cessõ gratias agere pro vobis, memoriam siue mentionem vestri faciens in orationibus meis. Ex hac epistola & alijs, discimus Apostolum sibi familiare habuisse studiũ oratiõis, quòd mirum est in vita ipsius tam laboriosa, & plena peregrinationibus. Orabat pro Ephesijs, nec pro his duntaxat, verumetiam pro omnibus, quos ad fidem cõuerterat, nec semel id faciebat aut iterum sed sine intermissione, quemadmodum ait in epistola ad Rom. quod idem est cum eo quod hîc dicit: non cessõ pro vobis gratias agere, &c.

Istud nobis pro nostra imbecillitate condonandũ est & imitandũ. Quod autem precor, hoc inquit est, vt Deus (*Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, &c.*) est hoc loco hyperbaton, siquidem genitiuus gloriæ pertinet ad nomẽ Deus: & illa, domini nostri, &c. per parenthesin interiecta sunt. Sensus est: Precor vt Deus gloriæ, id est, phrasi Hebræa Deus gloriosus, qui pater est Domini nostri Iesu Christi. Quamquam Chrysost. eo ordine hæc accipiat, quo scripta sunt: referens genitiuum gloriæ ad nominatiuum proximè præcedentem, & reliqua videlicet Domini nostri, &c. ad vocabulum Deus, hoc sensu: precor vt Deus domini nostri Iesu Christi, secundùm assumptũ hominẽ pater gloriæ, hoc est, qui magna nobis bona largitus est.

Det vobis spiritum sapientiæ, &c.) secundùm hunc commentarium non est hoc loco Hebraismus, sed illud (*pater gloriæ*) Græcè dictum est, Det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis.

Genitiuus reuelatiõis, significatiõis causa adiectus est per synonimiam. Sensus est: det vobis spiritum, quo arcana illa cœlestia, quæ ratione humana deprehendi non possunt, cognoscatis: det inquã vobis illumina tos oculos mentis in cognitione sui, id est, vt verè agnoscatis Patrem. Dictum est cõtra familiam Simonis Magi, quæ prædicabat patrem quendam incognitum, nec cognoscebat Patrem Christi. Vide Epiphanium hæresi. 23. rursum hæresi. 27.

VT sciatis quæ est spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus secũdum operationẽ potẽtiæ virtutis eius, quã operatus est in Christo, suscitans illũ à mortuis, & constituẽs ad dexteram suã in cœlestibus, supra oẽm principatum & potestatem & virtutem & dominationẽ, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.

VT sciatis quæ sit spes vocationis eius) scilicet, patris, hoc est, vt sciatis ad quæ & magna bona vocati sitis, quicunq; creditis in Christo (*& quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis,*) hoc est, quàm opulenta sit gloria hæreditatis, quàm promisit Christianis, iuxta fidem exigentibus vitam suam, (*& quæ sit superueniens magnitudo virtutis eius, &c.*) si quis voluerit vitam suam, quam olim egit, antequàm in Christo esset, cõferre cum ea quã nunc agit, posteaquàm Christo insitus est, is facile intelliget, quod hic dicitur: aut si ex se suaq; vita cognoscere nõ valet, legat libros confessionũ Aug. ex illis statim intelliget, hac in re: nẽpe vt libidini & cupiditatibꝰ suis addictus animus, à libidine atq; cupiditatibus semel abducatur, non vulgari opus esse, sed diuina quadam vi ac potentia, imo tanta omnino, vt in suscitandis mortuis vbi maxima requiri videtur, haud maiori sit opus: Atq; istud Apostolus intelligere cupit Ephesios, quo charius amplectantur beneficium ipsis præstitum. Potentia, inquit, quã Deus exercuit, cũ à tenebris gentilitatis & paganismo ad fidẽ & iustitiam Christianã vos adduceret, haud inferior est vi illa ac potentia, quã exercuit in Christo, dum ipsum à mortuis excitaret, &c. Istud significat illud, secundum operationẽ potentiæ virtutis eius, siue vt alij vertunt secundum efficaciam seu vim potẽtiæ fortitudinis vel roboris eius, nam Græce est ἐνέργεια. Pro cõstituens, Hieronymus legit, sedere eum faciens ad dextram suã, siue in dextera sua atq; istud propriè significat vox Græca. Porrò sessio ista non est accipienda humano sensu, tanquã pater ad sinistram, filius ad dextram sedeat: sed per dextram accipienda est honoris æqualitas regni consortium, & potestas, qua constitutus est Christus super omnes creaturas: non solùm quæ in terra & apud inferos sunt, sed etiam quæ sunt in cœlis, vnde addit.

Super omnem principatum, &c.) Verisimile est Apostolum in hac parte Poëtas respicere, Philosophos, & familiam Simo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis,ac si dicat,multa fabulantur de cœlestibus Poëtæ vestri maximè quos theologos vocatis,vt sunt Orpheus, Hæsiodus: multa item philosophi, & schola Simonis Magi, quæ vsq; inculcat,principatus ac potestates, virtutes: sed vera sapientia est Christum regnare in cœlestib⁹,atq; ipsum super omnia euectum esse à Patre,super principatus & potestates,imò super omne nomen quod nominatur siue à Poëtis,siue à Philosophis, siue à Gnosticis,siue alijs quibuscunque. Secundùm hanc interpretationem nihil opus est distinguere inter nomina,quibus vtitur Paulus,hoc est:inter principatus & potestates,&c. quod faciunt qui putant Apostolú hoc loco recensere voluisse ordines angelorum,tanquam qui certò sciret quid esset in cœlestibus.Hi ergo nomine principat⁹, intelligunt angelos in sima hierarchiæ,sed primi ordinis,Nominibus verò potestatum, & virtutum,& dominationum,mediæ hierarchiæ angelos,inter quos dominationes primi ordinis faciunt,virtutes secundi ordinis, potestates verò tertij ordinis,Quorum sententiam vide apud Dionys. Areop.de cœlesti hierarchia 6.7.8.& nono capitibus.

ET *omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius,& plenitudo eius,qui omnia in omnibus adimpletur.*

ET *omnia subiecit sub pedibus eius*) Sermo hic plus aliquid cõplectitur quàm præcedens. licet opinentur quidam præcedentem sententiam hic repeti alijs verbis. Sensus est.Deus Pater non solùm maiore præ cæteris honore Christum dignatus est,non solùm cunctis sublimiorem ipsum effecit:verumetiam omnia subiecit ipsius imperio, quemadmodum in Euangelio ipse ait, data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Subiecit inquam non vulgari subiectione, sed qua alia maior cogitari nequit, hoc significat quod addit,sub pedibus: (*& ipsum dedit caput super Ecclesiam,*) Græci codices qui hodie in manibus habentur,legunt ad hunc modum,& ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ,vt (Ecclesiæ) sit datiui casus hoc sensu:dedit illum vt sit caput Ecclesiæ,præpositus vniuersis: Atque hæc lectio est apud Hieronymum in comment. quam & Græcanica scholia interpretantur: Secundùm nostram versionẽ sensus est: dedit ipsum caput super omnẽ Ecclesiam, tam eam quæ in terris agit, quàm eam quæ in cœlis est, quæ secundùm August. etiam angelos complectitur.Vide ipsum in Enchi. ea parte qua interpretatur illud,symboli,sanctam Ecclesiam catholicam.Caput interdum vocabulum est authoritatis, hoc valens quod princeps, in qua significatione etiam hoc loco quidam accipiunt, sed non est plenus cõmentarius. Non enim Apostolus solũ significare voluit Christũ totius Ecclesiæ primum esse, seu principem: verumetiã caput proprij nominis scilicet corporis mystici,id est,significare vult Christũ in totam ecclesiã vere influere,sicut caput influit in membra. Ad hunc modũ,quod hic dicitur interpretati sunt cæteri doctores, & ipsemet Paulus, quo sensu Christũ caput appellat,satis exprimit, dum addit de Ecclesia (*quæ est corpus eius & plenitudo eius*) quia sicut caput mẽbra,sic mẽbra caput perficiunt: nõ enim perfectum corpus est,nisi vbi hæc sibi vnita inueniantur.In eo quod sequitur.

Qui in omnia omnibus adimpletur) Ellipsis attica est: desideratur enim præpositio κατὰ. Sensus est:qui scilicet, Christus secũdùm omnia in omnib⁹ sui corporis mẽbris adimpletur. Nisi enim esset⁹,hic quidẽ pes ipsius,iste autẽ manus,ille verò aliud quoddam membrum, non compleretur corpus. Conatur Apostolus omnibus modis ostendere cognationem nostram & vnitatem ad Christum,adeoq; dignitatem.Quidam plenitudinem huius loci illam esse putant,quæ est in Epistola ad Colosss. cap. 1. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea,&c. Siquidem Christus non omnia per semetipsum compleuit,sed desunt quędam eius instituto, quæ complenda reliquit Ecclesiæ,inter quæ est procuratio salutis generis humani,quæ perficitur partim prædicatione,qua gentes ad fidẽ vocantur:sine qua mors Christi nulli prodest: partim exhortatione, qua illi qui fidẽ semel amplexi sunt: in fide & iustitia continentur ne excidant: partim oratione & alijs modis. Quemadmodum igitur Paulus prædicando,& multa dura tolerando,quo maiora incrementa fides acciperet, adimplebat defectum passionis Christi: Ita & hodie, qui impulsu spiritus quippiam agit quod facit ad ædificationem & augmentũ corporis Christi,quod est Ecclesia,in eo Christus accipit complementũ, & hinc patet magna dignitas membrorum Christi,siue operum quæ à fidelibus impulsu spiritus fiunt.Qui hodie vertunt,pro adimpletur transferũt adimplet,quod & Græca vox patitur, nam participium est verbi medij. Vnde & Græcanica scholia vtroque modo interpretantur.Si actiuè accipiamus, significat Paulus nos esse corpus siue membra eius,qui vere Deus est, in quo viuimus, monemur,& sumus: Hoc enim significat, qui omnia in omnibus adimplet, & hic sermo magnã dignitatem exprimit eorum, qui sunt in Christo.

CAPVT

CAPVT II.

ET *vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius spiritus,qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus,in desiderijs carnis nostræ facientes voluntatem carnis & cogitationum,& eramus natura filij iræ sicut & cæteri.*

ET *vos cùm essetis mortui delictis*,&c.) perpetua sententia est cum superioribus: Quod inquit Deus Pater præstitit in Filio, hoc ipsum præstitit & in nobis pariter cum illo nos viuificauit, pariter resuscitauit, pariter cum illo nos sedere fecit in cœlestibus. Istud Apostolus intelligere cupit Ephesios, vt hinc agnoscant quàm colendus sit Deus Pater, quamq; amplectendus ipse Christus, per quem Pater hæc magna dona nobis præstitit.Nonnulla exemplaria statim in principio capitis huius legunt verbum, conuiuificauit, & vos conuiuificauit cùm essetis mortui,&c. sed certum omnino est non debere addi, cùm nec Græca, nec correctiora Latina habeant.Accidit aũt hic Paulo,quod Augustino multis in locis euenire solet: nẽpe vt copia rerum obrutus,cursum orationis tenere non potuerit.Illa omnia:In quibus aliquãdo ambulastis vsq; ad eum locũ: Deus aũt qui dives est, interseruit per parenthesin, postque ad caput orationis rediens, repetit quòd antè dixerat, & vtitur vocula δὲ siue (secundum Hieronymum) γαρ,quæ est nota redeuntis à digressione, maxime apud Paulum: quemadmodum dictum est in Epistola ad Galatas, in expositione illius loci:Ab ijs aũt,&c.Et vos inquit cùm essetis mortui,id est, morte digni: Sic recentiores, sed rectius veteres, cùm verè essetis mortui in spiritu per delicta & peccata. Inter delictũ,id est, παραπτωμα et peccata,id est, ἁμαρτιας sic distinguit. Hier. vt illud existimet esse primum illum lapsum ad peccandum: hoc verò cũ ad facinus ipsum peruentũ est, quod discrimen apud Paulum non est perpetuum.Siquidem caput 4.ad Romanos vocẽ παραπτωμα vtitur pro quibusuis peccatis, cum ait:Qui traditus est propter delicta nostra.Item cap.5.posterioris Epistolæ ad Cor. cùm ait: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi,non reputans illis delicta ipsorũ.An hoc loco inter hæc Apostolus distinguere voluerit,id quæstionẽ habet. Putant quidam ipsum vsum cõgerie,eo quod dubiũ nõ sit Ephesios spiritu Christi vacuos olim,in enormia facinora fuisse,plapsos. *In quibus aliquando ambulastis,*&c.) id est, ita vt tota vita vestra his fuerit obnoxia (*secundùm seculum mundi huius*) id est, iuxta cõsuetudinem mundi huius,vel iuxta quod edocti estis ab hominibus mundanis spiritu Christi vacuis (*secundùm principem potestatis aëris huius*) id est, secundùm principem, cui est potestas in hoc aëre,id est,mundo, vt sit synecdoche,& ex parte intelligatur totũ. Alij sine tropo accipiunt, aërem intelligentes locum illum,vbi vẽti, turbines, & nubes sunt,quem putant esse propriam sedem dæmonũ.Hęc expositio nomen potestatis siue ἐξουσιας accipit, vt generalitatem significet: quæ idcirco alijs non placet, quod similia loca alio inuitent: Similia loca sunt in hac Epist. cap. 1. Sedere eum fecit in cœlestibus super omnem principatum & potestatem. Et cap.6. colluctatio nobis est aduersus principes & potestates.Rursus in Epistola ad Col.cap.2.Qui est caput omnis principatus & potestatis.Quibus locis certum est nomen ἐξουσιας esse vocabulum substantiæ. Quare & hoc loco sic accipi volunt,vt significet naturam angelicam,& totum illum cœtum dæmonum.Genitinus (spiritus) variè à diuersis referturi quidam referunt ad principem:Erasmus vtrumq; genitiuum & aëris & spiritus refert ad tertium, qui præcesit, potestatis, hoc sensu: Secundùm principẽ, cui potestas est aëris, & spiritus illius, qui agit in filijs dissidentiæ. Sed verisimile omnino est,quod pertineat ad genitiuum aëris,hoc sensu: secundùm principem potestatis, & secundùm principem aëris huius, in quo degunt spiritus vt in nomine spiritus sit heterosis numeri, & aër dicatur spirituũ ea phrasi,qua dicimus terram Barbarorum pro terra quam inhabitant Barbari. (*Qui nunc operatur*) id est, efficax est: Id enim significat vocabulum Pauli (filios diffidentiæ) Hebraismus est,id est,in incredulos, vel indociles.Nam Græce est ἀπιθειας quod rectè vertas,impersuasibilitatis: (*in quibus*) id est inter quos, licet Hieronymus ad delicta referat,(*& nos omnes aliquando conuersati sumus*) id est,perpetuum tenorem vitæ duximus:Phrasis Hebręa est,vt ante est annotatũ, (in desiderijs carnis nostræ) id est,secũdùm desideria, siue secundùm concupiscentias carnis nostræ, (*facientes voluntatẽ,*) carnis, id est,eius partis quæ nobis est bruta. Græci codices in plurali legunt, volũtates, quę lectio & apud Hieronymum est in textu, quã lectionem & in comment. interpretatur, nec solùm facientes voluntatem carnis, sed & animi hoc est enim quod noster interpres habet, cogitationũ, pro quo Hieronymus mauult legere mentiũ,qui & inter peccata carnis,& mentium distinguit,quod illa sint

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint crassiora, veluti gula, ebrietas, fornicatio, &c. quæ per ministerium carnis in libidinibus explentur: hæc animi magis, veluti hæresis, inuidia, &c. (*Et eramus natura*) non quidem à Deo condita, sed per Adam corrupta, sic Augustinus, (*filij iræ*) id est, obnoxij iræ. Duplex est Hebraismus, primum in oratione, deinde in dictione.

Siquidem iram pro vindicta posuit, quêadmodum ad Romanos cap. 13. Non solum propter iram, id est, vindictam & suppliciũ, sed & propter conscientiam. Pro natura alij transtulerunt prorsus vel omnino. Vocabulum φύσει ambiguũ est, sed et Latinum quãdo aduerbialiter sumitur, hoc valet, quod reuera vel prorsus, in qua significatiõe certum est vsurpasse interpretem Epiphanij, in hæres Valentini, vbi versio eius sic habet: ego solum ea quæ natura necessaria duxi, vt in propatulum venirent, recensui, atq; hæc significatio optimè cõgruit huic loco: hoc enim reuera supplicium est, subiectũ esse dæmonibus. Chrysostomus hunc locum longè aliter interpretatur: sensus secundùm ipsum est: Ex acerbabam[a] & irritabamus Deũ, hoc est, ira ipsa eramus & nihil aliud. Secundùm hũc, filios iræ, dixit Apostolus ea phrasi, qua Græci dicũt υἱοὺς ἰατρῶν, id est, filios medicorum pro ipsis medicis. Quæ hic aperit Paulus, non nisi ex reuelatione sciri possunt, nempe quod angeli mali in hoc mundo vel aëre degant, quodq; in malis hominibus operentur furta, adulteria, fornicationes, hæreses, & his similia.

DEus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.

DEus aũt qui diues est in misericordia, &c.) Nõ dicit Apostolus, qui misericors est, sed qui diues est in misericordia. Reuera enim diuitiæ misericordiarũ sunt, nõ quærentibus vltro misericordiam præstare, & nõ solùm non quærentibus, sed inimicitias exercentibus. Quòd sequitur. (*Propter nimiam charitatem*) Hebraicè dictũ est ab interprete, Græcè est, propter multã charitatem, qua dilexit nos, secundùm εὐδοκίαν, siue secundùm beneplacitum voluntatis suæ etiã cùm essemus mortui peccatis. Alias Apostolus mortuos peccato vocat, qui iam cessant peccare: vitasset proinde amphibologiam, si dixisset, cùm essemus mortui per peccata: Et hinc patet discrimen, quòd in principio capitis, inter delictũ & peccatum ex Hieronymo annotauimus Apostolũ Paulum negligere: siquidem Græcè pro peccatis Apostolus παραπτώματα habet (*Conuiuificauit nos Christo*) id est, pariter cum Christo viuificauit, (*& conresuscitauit*) nimirum per lauacrũ regenerationis, (*& concedere fecit in cœlestibus.*) Frequenter meminit Apostolus cœlestium, propter familiam Simonis, qui vanissimè nugabatur de cœlestibus. Sensus est: fecit vt conuersatio nostra in cœlis sit, vt vita, affectu, contemplatione ibi simus, vbi est caput nostrum, hæcq; maxima beneficia præstitit nobis in Christo Iesu, id est, per Christum Iesum: & quemadmodum iam nos secundùm spiritum viuificauit, resuscitauit, & sedere fecit in cœlestibus: ita viuificabit nos & resuscitabit & sedere faciet in cœlestibus secundùm corpus, atque hæc est spes vocationis nostræ, cuius meminit Apostolus in præcedenti capite, optans eam Ephesijs notam fieri. Siquidem intelligere hanc dignitatem hominis, res est maxima, & propter quam Deo perpetuò gratias agere oportet.

Præstitit autem hæc (*vt ostenderet in seculis supervenientibus*) id est, extremis his temporibus, (*abundantes diuitias*) id est, excellentem exuberantiam suæ gratiæ, (*in bonitate*) id est, per bonitatem suam, (*super nos*) siue erga nos, in Christo, id est, per Christum.

GRatia enim estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

GRatia enim estis saluati) commentarius Chrysostomi sic habet: ne magnitudo beneficiorũ extollat eos, dicit ipsos gratia saluatos: deinde ne libera voluntatis facultas lædatur, ponit quòd ipsorum est, nempe fidem, atque istud rursum tollit dicens: (*Et hoc non ex vobis*) sic nimirum vt non priùs moti & ad fidem inuitati fuerint per spiritum. Quomodo fides nostra sit, & non nostra, siue ex nobis explicat doctissimè Augustinus Epistola. 107. quam scripsit ad Vitalem, qui dicebat non orandum pro incredulis, sed tantum illis impartiendum doctrinam, quod ea impartita ex sola facultate liberi arbit. credere possent: quòd dogma ibi refellit Augustinus. Hæretici nostri tempori ad alterum extremum iam vergunt, dicentes credere sic esse donum Dei, vt absque omni nostra cooperatione in nobis peragatur. (*Ipsius enim sumus factura*) id est, poema, ea enim voce vtitur Paulus: Ambrosius vertit figmentum. *Creati in Christo Iesu.*) Reuertit figmentum. Creati, inquit Chrysostomus subindicat, per Baptismũ siquidem quòd Sacramentum

mentũ est regenerationis, insiti sum[s] Christo, & effecti noua creatura: quòd primùm eramus emortuũ est, vetus scilicet homo: & quod non eramus, facti sumus. Sermo igitur est secundùm Chrysost. non de prima illa creatione, ex qua habemus quod viuimus, sed de altera ex qua habemus, quòd bene viuimus. Creati, inquam, in Christo Iesu, non ad libidinem, & omnem turpẽ actionem in vita perpetrandam, vt docet schola Simonis: sed ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, hoc est, perpetuum tenorem vitæ præstemus. Chrysostomus elaudulam hanc, creati in Christo Iesu ad opera bona, adiectam putat ab Apostolo, propter præcedẽtem sermonem, quo dixerat, nos gratia saluatos, nõ ex operibus: timẽs proindè Apostolus, ne segniores hinc efficeremur: ostendit deinde quod post fidem, necessaria sunt bona opera. Quo sensu verò tribuit Apostolus iustificationẽ fidei, & operibus detrahat, dictum est in præcedentibus Epistolis.

PRopter quod memores estote, quod aliquãdo vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, quòd eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

PRopter quod memores estote, quod aliquando, &c.) id est, propter hæc quæ ab initio Epistolæ dixi: Memores estote. Quòd dicit tale est: multis verbis exposui vobis beneficia Christi, vestrum iam est perpetuò illorum esse memores: Valet enim illa rememoratio gratos reddere erga benefactorem, & quo promptius gratias agatis Patri per Christum, volo vos ad memoriam reuocare non solum, quod liberauerit vos per Filium, sed quod tali modo liberauerit, nimirum per sanguinem ipsius: nec hoc volo contentos esse, sed volo præterea, vt ad memoriam reuocetis, quales vos existentes liberauerit. Memores estote quòd aliquando eratis gentes, id est, gentiles, siue ethnici. Quòd sequitur, (*in carne*) putat Hieronymus extenuandi causa adiectum: verùm circumstantia literæ omnino requirere videtur aliud, nempe vt vim habeat amplificandi: vt sensus hic sit. Eratis verè gentiles viuentes secundùm carnem (*qui dicebamini*) id est, qui per contemptum appellabamini præputiati. In præputio est enallage qualitatis. In Actis Apostolorum: absque tropo dixit, viros præputium habentes: qui, inquã, dicebamini præputium (*ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta*) hoc est, ab ipsis circumcisis secundùm carnem. Periphasis est Iudæorum. Vocabulum manufacta referendum est ad circumcisionem, non ad carnem. Ex hoc loco discimus vsitatum fuisse tempore Pauli, vt Iudæi dicerentur circumcisio: quando autem cœptum sit sic loqui, id non constat.

Quòd eratis illo in tempore) exemplaria nõnulla legunt (qui) Ambrosius habet dictionem causalem (quia) sed optimũ est, quòd: vt vocula ὅτι qua Paulus vitur, ἐιδικῶς seu seorsim accipitur hoc sensu: volo vos perpetuo esse memores eius, quòd iam dixi: huius item quòd illo in tẽpore, id est, ante auditum verbũ fidei: (*eratis sine Christo*) id est, sine cognitione Christi eratis, nec pertinebatis ad Christum. (*Alienati à conuersatione Israël*) Paulus habet alienati à politia Israëlis. Politia vox Græcis multiplex est: significat interdum rempublicam, quã significationem expressit Erasmus in translatione: Interdum accipitur pro vitæ ratione ac instituto, quam significationem expressit noster interpres, atque in eadem, vsus est hac voce Basilius de vita solitaria, item Grego. Nazian, vt videre est apud Budæum in comment. linguæ Græcæ: sed & Epiphanius in hæresi Pharisæorum, dicens eos habuisse maiores politias ipsis scribis: Significat quoq; politia ipsam reipublicæ administrationẽ, & genus administrãdi, quę significatio huic loco etiam non malè congruit. Quòd sequitur.

Et hospites testamentorum promissionis) variè distinguitur. Chrysost. Theoph. Oecum. Hieronymus genitiuum promissionis referunt ad præcedentia, recentiores verò comment. ad sequentia. Probabilior distinctio est, vt post genitiuũ promissionis ponatur ὑπόστιγμὴ deinde sequatur, spem non habẽtes: Sensus est: Eratis peregrini & extranei à pactis siue testamentis promissionis: Testamenta autem promissionis Hebraicè dixit pro testamentis promissorijs. (*Spem non habentes*) loquitur de illa spe potissimum, de qua in Actis: Propter spem Israel, hac cathena circumdatus sum, quę sit autem illa spes petendum est ex cap. 26. eiusdem libri, vbi dicitur: Et nũc in spe quæ ad Patres nostros repromissionis facta est, &c. vbi significat spem esse resurrectionis cuius etiam meminit Apostolus in præcedẽti capite, cùm ait: Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, (*& sine Deo*) non omni, sed verò, quamquam ἄθεοι dicantur qui nullũ credũt esse Deum.

NVnc aũt in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnum nouũ hominem faciens pacẽ, vt reconciliet ambos

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.

NVnc autem in Christo Iesu) id est, per Christum Iesum, (*vos qui aliquando eratis lõgè*) siue longinqui, hoc est, qui nõ pertinebatis ad Deum, nec ad politiam Israelis, (*facti estis propè*) siue propinqui, id est, pertinetis nunc ad populũ Dei, & ad politiam, qua vtitur in gubernandis ijs, quos in peculiarem sibi populum elegit, (*in sanguine*) id est, per sanguinem Christi, non mystagogiam Simonis. In sanguine Christi, dixit Hebraicè (vtuntur enim Hebræi nominibus proprijs loco pronominum) nisi velimus dicere ex amoris vehementia, vel quo magis abduceret eos à familia Simonis, repetisse Apostolum nomen Christi. *Ipse enim est pax nostra*) Christus dicitur pax nostra eo tropo quo dicitur sapientia, iustitia, & sanctificatio nostra: nempe per methonomiam. Sic Hier. Quare fallũtur Lutherani, qui in eiusmodi locutionibus volũt esse sermonem tectum. Sermo rectus est in Epist. ad Col. Pacificans per sanguinem suum, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, & in hac ipsa periodo (*faciens pacem.*) Sensus est: cum essemus inimici, & inter nos mutuo dissideremus, ipse inimicitias diremit, & conciliauit alteros alteris, hoc est, Iudæos gentibus, & gentes Iudæis, atque vtrosq; deinde Deo: Hoc modo explicat Apostolus, & proinde non est plenus comment. ille, qui interpretatur de reconciliatione erga Deum, cùm circumstantiæ manifestè exigant: vt intelligatur & illa pax, quæ est Iudæorum erga gentes, & gentium erga Iudæos (*qui fecit vtraque vnum*) explicat Apostolus quomodo Christus sit pax nostra. Christus, inquit, pacificator noster est, quia ex vtrisque, populo scilicet Iudaico, & Gentili, fecit vnum populum, quia parietem, siue maceriem, siue sepem quæ inter Iudæos & Gentiles media erat, & alteros ab alteris diuidebat, ipse diruit, quę quidem maceria siue seps media, erat inimicitia & contemptus mutuus: siquidem accusatiuũ inimicitias adiecit Apostolus per appositionem exponentem. Pro medio pariete, apud Paulum vnica vox est, scilicet μεσότειχον, vocant autem Græci μεσότειχον, id quod dirimit ædes ab ædibus, (*saluens*) participiũ est eiusdem temporis cum præcedenti, quòd interpres vertit in verbũ, quòd si hoc quoque loco fecisset, dilucidior fuisset oratio, hoc modò: Qui fecit vtraq; vnum, & interstitium sepis soluit, inimicitias, &c. Quanta autem fuerit inimicitia inter hos duos populos, quamq; mutuò se contempserint, patet partim ex scriptura, partim ex Iuuenale, Horatio, & Quintiliano: Hanc inimicitiam & contemptum mutuum Christus sustulit in carne sua, id est, per mortem, quam in carne sua pertulit: nec solùm inimicitiam sustulit, sed & legem, quæ huius inimicitæ fomes erat: vnde addit (*legem mandatorum decretis euacuans.*) Lex mandatorum, est lex Moysi mandans & non conferens gratiam, qua id quòd mandatur præstari potest: Hanc Christus antiquauit siue abrogauit per alia decreta, præcepta legalia, Euãgelicis (ait Hier.) dogmatibus commutauit. Ad eundem modum exponit Chrysost. item Theoph. & Oecum. nisi quòd hi & alium habent commentarium, per decreta intelligẽtes fidem, vt sit enallage numeri. Eras. diuersum planè tradit sensum motus præpositione in, quæ est apud Græcos, & meminit huius non solùm in annot. sed & in translatione sua expresit, habet enim ad hũc modum. Legem mandatorum in decretis sitam abrogans. Verùm cùm certior sit sensus Hier. & Græcorum, merito reprehenditur Eras. qui coniecturam suam miscuit textui scripturæ. Indoctè quoq; egit Musculus versionẽ Erasmi inculcans in comment. Chrys. cùm illa planè aliud requirant. Aut fidem ait Chrys. decretum dixit: nam aut sola fide nos saluamur, aut decreta intellexit ea, quæ Christus sanxiuit in Euangelio. Intempestiua quoq; est versio Erasmi in scholijs Oecumenij, cùm illa nihil diuersum habeant à Chrysostomo. Porrò quo sensu intelligendum sit, quòd habet Chrysostomus, sola fide nos saluari, dictum est in Epist. ad Gal. in expositione illius loci. Non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi, cõferendus est locus hic, cùm illo qui est in Epist. ad Colos. cap. 2. Delens quòd aduersus nos erat chirographum decreti, pro quo Græci legũt, delens quòd aduersus nos erat chirographum decretis quòd erat, &c. vbi ablatiuus (decretis) interpretes Hieronymo, item Augustino, referendus est ad parmo, item Augustino, referendus est ad participiũ quòd præcesserit delens: vt delere chirographũ decretis, hoc sit, quòd legem mãdatorũ decretis euacuare, id est, legẽ Moysi abrogare per præcepta euangelica, quo loco Eras. illud (decretis) rursum alio refert, nimirum ad sequentia. Nam versio eius sic habet: Deleto quòd aduersus nos erat chirographo, quòd erat contrarium nobis per decreta. Sed certũ est hoc totum esse quòd sequitur Erasmus. Vocat autẽ Apost. legem Moysi, cum ea parte qua ceremonialis est, tum præcipuè qua decalogum complectitur chirographum, quia cõuincebat homines esse peccatores & reos iudicabat. Legem hanc siue chirographum hoc deleuit Christus, quia post mortem Christi desijt habere nos obstrictos maledictioni, tũ quia soluta est peccatum, tum quia datus est nobis spiritus,

ritus, quo adiuti præstamus legem. Nihil igitur differt locus ad Coloss. ab eo qui est in Epistola præsenti ad Eph. nisi quod ad Coloss. omittat Apostolus præpositionem (in) quã in hac Epistola adijcit, qua omissa adeò non corruit sententia Pauli, quod voluit Eras. vt etiam planior efficiatur, quam præpositionem si legamus, exponere oportebit vt hoc valeat quod per (*in decretis*) id est per decreta:

Vt duos condat in semetipso.) Istud & quæ sequuntur, copiam habent verborum non rerum. Quod autem dixit, qui fecit vtraque vnum, idipsum nunc alijs verbis dicit, vt duos conderet siue crearet in semetipso, &c. Non gentilem Iudæum fecit, sed hunc & illum reformans, vnum ex illis admirabilem planè & nouum quendam hominem finxit à vetustate peccati prorsus liberum: Chrysostomus (*in semetipso*) exponit vt valeat hoc quod per semetipsum: Ad eundem modum interpretantur Græcanica scholia: Non per angelum, inquiunt, nec per alias quasuis potestates, quas inducebat schola Simonis, sed per semetipsum istud fecit. Verùm nihil obstat quo minùs propriè accipiamus præpositionem (in) per fidem enim & per fidei Sacramentum insiti sumus Christo, & effecti mẽbra vnius corporis cuius caput Christus est. *Faciens pacẽ*) nimirũ inter Iudæos & Gentes. Istud explicat tropum illum, ipse est pax nostra (*vt reconciliet ambos*) effectos vnũ corpus, reconciliet Deo. Quod ait (*in vno corpore*) explicat Iudæorum & Gentium mutuam inter se reconciliationem: quod addit (*Deo*) explicat vtrorumque reconciliationem erga Deum (*per crucem interficiens inimicitias*) non dicit soluta neque sublata, sed quòd omnium vehementissimum est, perempta inimicitia. Quod additur (*in semetipso*) dictum est contra Basilidem, qui negabat Christum verè passum. Hieronymus legit per crucem interficiens inimicitias in ea, vt referatur ad crucem non ad Christum quomodo etiã vertit Erasmus. Græca vtrunque admittunt, in ea vel in semetipso. Nam pronomen αὐτῷ leni spiritu nonnunquam reciprocè accipitur: Istud explicat quod præcesserit, soluens inimicitias in carne sua.

ET *veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem ijs qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem:*

ET *veniens Euangelizauit vobis pacem.*) Istud periphrasis est gentium, quemadmodum quod sequitur Iudæorũ, Mutuatus est autem Apostolus hanc phrasin ab Esaia. Pacem dicit reconciliationem cum Deo, vnde additur (*quoniam per ipsum habemus accessum*) Græce est προσαγωγὴν, id est, introductionem, veluti cùm quis introducitur ad conspectum principis (*ambo*) id est Iudæi & Gentes (*in vno spiritu*) id est, eodem spiritu impellente (*ad patrem.*) Alludit Apostolus ad mores principũ, ad quos non patet aditus nisi per alium quempiam: sic ad Patrem accessum habemus per filium duce spiritu. Conferendus est locus iste cum illo, qui est in Epistola ad Roman. cap. 8. in quo clamamus, abba Pater, &c. Et in Epistola ad Galatas cap. 4. misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.

ERgo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipsi summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

ERgo iam non estis hospites & aduenæ) vt quondam ante agnitum Christum, (*sed estis ciues*) siue vt Græci codices habent, conciues (*sanctorum*) Abrahæ, Moysi, Heliæ, cæterorumque patriarcharum & prophetarum, cum quibus in eandem ciuitatem conscripti estis. Musculus hoc loco non est assecutus sententiam Chrysostomi: Nam pro eo quod vertit, qui cum Abraham sunt, Moyse, & Helia, vertere debebat, magnorũ virorum illorum, Abrahæ, Moysis, & Heliæ, Vide Budæum in comment. linguæ Græcè exponentem hellenissimum οἱ περὶ Ἀριστιππον, καὶ οἱ ἀμφὶ Σωκρατη, καὶ τὰ ὅμοια, qua phrasi nihil aliud significatur quam ipse Aristippus & Socrates. *Et domestici Dei*) id est, pertinentes ad familiam Dei.

Superædificati super fundamentum, &c.) intransitiuè accipiendum est, super fundamẽtum, quod sunt ipsi Apostoli & Prophetæ. Volens, inquit Oecumenius, vehementem significare vnionem gentium ad prophetas & Apostolos: superædificati ac si diceret: In fundamentum positi sunt Apostoli & Prophetæ, vos reliquam structuram completis, (*ipso summo angulari lapide*) scilicet existente. *Christo Iesu*) est enim ablatiuus absolutè positus. Sensus est, in hoc ædificio, angularis lapis fundamentum & reliquam structuram connectens, consummans & perficiens est Iesus Christus. Pro tribus vocibus, summo angulari lapide. Græcis est tantum vnica: quod si posset haberi perspectum, quis olim fuerit vsus angularis lapidis, rectius intelligeretur, quod hic dicitur. Nam in nostris ædificijs non satis apparet, quis sit summus in angulo lapis (*in quo omnis ædificatio constructa*) id est, coaptata siue coagmentata seu commissa, vel (vt Hieronymus legit,)

Universidad de Deusto
Biblioteca

compaginata,aut vt Ambrosius,compacta: Græcis participium est præsentis temporis, quod exprimere volens Erasmus,rectè vertit:In quo quæcunque structura coagmentatur,ea crescit, &c.vt senserit Apostolus,nõ omnem structuram in hoc angulari lapide compactam esse,sed quæcunque illi lapidi connectatur,eam surgere in templum Domini(*in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritusancto*)id est, per Spiritum sanctum.Exemplo hoc structuræ, Apostolus idem significare voluit prorsus, quod antè exemplo corporis.

CAPVT III.

Hius rei gratia ego Paulus vinctus Christi Iesu,pro vobis gentibus,si tamẽ audistis dispensationem gratiæ quæ data est mihi in vobis, quoniam secundùm reuelationem notũ mihi factum esse sacramentum.

H*Ius rei gratia ego Paulus vinctus, &c.*) Difficultas hic est quod reddiderit Apostolus verbum huic parti. Hieronymus cum nullum inueniret verbum, quod responderet propriè præcedentibus,propter hyperbaton dixit hoc loco solœcismum esse:verba eius sunt: Pro eo quod dicere debuit Apostolus,huius rei gratia ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis gẽtibus cognoui mysterium,&c.ait huius rei gratia ego Paulus vinctus secundum reuelationem notum mihi factum est,&c.Sed contra Hieronymum facit vocula,quoniam,quam ipse dissimulat,quod non videret aliam euadendi viam,addit interim, si verò quis potest etiam iuxta sermonis contextum docere Apostolum artis grammaticæ non incurrisse vitium, ille magis auscultandus est, quod facere conatus est Erasmus.Siquidem cum proposuisset Hieronymus de hoc loco sententiam,adiecit in annotationibus suis, potest & hoc modo tolli sermonis imperfecti incommodum,si subaudias verbum substantiuum:sum.Huius rei gratia ego Paulus vinctus sum Iesu Christi, &c. Laudandus esset conatus Erasmi, si continuisset se iuxta limites annotationum, quos iam transgressus,coniecturam suam pro scriptura nobis tradidit, dum verbum substantiuum inseruit textui,quare & iure reprehenditur. Nam illam debemus scripturę reuerentiam, vt nihil temere de nostro ei affingamus, & quidem si examinare velimus sententiam Erasmi, inueniemus eam non esse solidam. Nam nomini vinctus apud Paulum adijcitur articulus ὁ qui ferè non solet adijci prædicato,vnde linguæ Græcè periti in principio Euangelij secundum Ioannem,vbi dicitur,& Deus erat verbum ex articulo qui additur verbo, docent verbum subiectum esse non prædicatum.Alius quidam ad hũc modum supplet: huius rei gratia ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis Gentibus scilicet legatione fungor, idque ex commentarijs, vt viderur Ambrosij. Omnino verisimile est Apostolum huic parti primũ circa finem capitis verbum reddidisse,cùm ait huius rei gratia flecto genua mea, &c. vt tota reliqua pars ab eo loco:Si tamen audidistis dispensationem, &c. vsque ad locum: Huius rei gratia flecto genuo mea, veluti per parenthesin interiecta sit. Nec mirabitur adeo longam parenthesin siue hyperbaton,qui attendit ad maxima illa mysteria: quibus Paulinum pectus plenum erat,quorum copia inter scribendum obrutus non potuit communem sermonis cursum tenere,quod ipsum & in primo & in secundo capite annotatum est, Græcanica scholia putant ibi fieri ἀνακόλουθον,id est,retributionem: Mihi omnium sanctorum minimo, &c.Nec mirum Apostolum mutasse rectum in obliquum,cùm id in eiusmodi circuitionibus sibi permittant etiam excellentissimi oratores, vt Thucydides & Demosthenes. Secundum hunc commentarium ordo & sensus verborum hic est. Huius rei gratia, nempe vt vos Ephesij vnà cum cæteris gentibus ædificemini in habitaculum Dei mihi Paulo qui vinctus iam sum Iesu Christi,& minimus sum omnium sanctorum,data est gratia hæc, videlicet in Gentibus euangelizare.Si cui hæc placeat interpretatio,habet simillimum locum in Epistola ad Galatas capite. 2. ab ijs autem qui videbantur esse aliquid, &c. quamquam altera probabilior est,secundùm quam sensus est : Huius rei gratia videlicet quia conciues estis sanctorum,& domestici Dei superædificati, &c. ego Paulus vinctus ob fidem Christi propter prædicationem, qua vobis qui estis ex Gentibus,annunciaui Euangelium, flecto genua mea,&c.

Si tamen audistis dispensationem,&c.) Hic incipit parenthesis.Illud(si tamen)affirmãtis est , quapropter rectè vertit Erasmus:siquidem audistis dispensationem siue œconomiam.Sensus est:quemadmodum dispẽsatione diuina munus Euangelij annunciandi inter Gentes, de quarum numero vos estis, commissum mihi sit (*quoniam*) id est quod (*secundum reuelationem*) non ex humano studio,non ex prophetis, sed reuelatione innotuit mihi Sacramentum, id est,mysterium Christi.Idẽ habet ad Galatas cap. 1. Neque enim ab hominibus accepi illud, neque didici,sed per reuelationem, & cætera, de hac reuelatione scribitur Actorum cap. 5.

Sicut supra scripsi in breui,prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi,quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & prophetis in spiritu,gentes esse cohæredes & concorporales & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.

S*Icut supra scripsi,*) adverbum vertendum erat sicut scripsi,quomodo legit Hieron. *In breui*)id est, paucis verbis: sic Chrysostomus. Græcanica scholia habent duplicem commentarium.Primo exponunt,quomodo Chrysostomus exponit: deinde addunt vel in breui, id est , paulò antè nimirum in fine præcedentis capitis.

Pro vt) Græce est πρός ο,id est ad quod vel iuxta quod: Erasmus vertit, ex quibus, diuersum sequens sensum, non solum ab eo quem Latini,verum etiam quem Græci tradunt interpretes. Nam Chrysostomus πρός ο interpretatur vt hoc valeat quod qua tenus: Similiter Græcanica scholia,vt velit Apostolus se non omnia diuina mysteria explicuisse, sed hactenus tantum quatenus erant Ephesij capaces.

Rectè proinde Musculus, cum alias ferè sequi soleat Erasmum: hic ab ipso dissentijt πρός ο vertens iuxta quod,qua in re diligentior fuit interprete Oecumenij,qui proponit versionem Erasmi, nisi quod pluralem in singularem mutet,dicens: Ex quo potestis legentes intelligere prudentiam meam, id est, cognitionem, vel vt habet Hieronymus sensum meum(*in ministerio Christi,quod alijs generationibus*)id est, vt apertiùs vertit Ambrosius,seculis.

Nam de ætatibus loquitur Apostolus,nõ de nationibus. *Non est agnitum filijs hominum*)id est hominibus. Hellenismus est,sicut in filijs medicorum'pro ipsis medicis. Quærunt hic commentarij, quid in mysterio Christi reuelatum nunc sit Apostolis & Prophetis nouæ legis(nam de his sermo est) quod præcedentibus seculis reuelatum non fuit patriarchis & illarum ætatum Prophetis: D. Ambrosius in hoc mysterio veteres illos ignorasse definit,quod gentes sine circuncisione & legis susceptione participes forent illorum donorum quæ per Christũ præstantur. Quæ sententia verisimilis non est, si attendatur prophetarum scriptura maximè Hieremiæ.

D.Hieronymus vrget illud quod ait Apostolus (*filijs hominum*) quo non vult comprehendi Patriarchas & Prophetas, quod consuetudine scripturæ hi magis filij Dei appellantur.Idem Chrysostomus & Græcanica scholia faciunt. Verum Hieronymus aduertens nimium violentum esse istud & extortum, adiecit alium commentarium, quemadmodum & Chrysostomus & Græcanica scholia,vt sensus sit: Mysterium hoc non innotuisse præcedentibus seculis,ipsis Patriarchis & Prophetis, sicut nunc notum factum est,scilicet rebus ipsis seu corporaliter. Hic vrgent aduerbium, sicut , quod etiam faciunt recentiores , secundùm quos veteres illi non sic apertè & plenè cognouerunt sicut Apostoli.Siquidem multæ speciales circunstantiæ ac conditiones quę in hoc mysterio veteres latuerunt.Apostolis innotuerunt, quibus mysterium hoc redditum est illustrius. Vide Thom.1.parte, quæstione.57.art.5.responsione ad tertium,vbi hunc locum citat. Chrysostomus duabus suis expositionibus tertiam adijcit, dicens: Prophetas quidem veteres sciuisse vocandas esse gentes,verum ignorasse quod cum Iudæis ex æquo futuræ essent consortes gratiæ. Quam expositionem approbare videtur textus, dum velut explicans se subiungit,gentes esse cohæredes,id est,pariter cum Iudæis hæredes,pariterq; membra cum illis eiusdem corporis,cuius caput Christus est, hoc est, quod dicit, concorporales & comparticipes, id est, simul cum illis participes magnæ illius promissionis ad Abraham factæ(in Christo)siue de Christo.Idem habẽt Græcanica scholia: Verum si legantur diligenter libri Prophetarum,inuenietur quod istud cognitum ipsis fuit. Quare est amplectenda sententia Thomæ , vel ea quam secundo tradit Chrysostomus.

Cius factus sum ego minister , secundum donum gratiæ Dei quæ data est mihi secundum operationem virtutis eius.

C*Ius factus sum ego minister,*) Græcè est δι ἀκονος(*secundum donum*) id est,per donum(*gratiæ Dei quæ data est mihi*)nec solum data est mihi hæc gratia, sed præter donum hoc gratiæ,etiam efficaciter agit in me spiritus, vt potens sim ad doni administrationem,hoc est,quod ait(*secundum operationem virtutis eius*) siue vt Erasmus vertit, secundum efficaciam potentiæ illius. Græcè est, secundum ἐνέργειαν hoc est, intus efficaciter mouente me spiritu. Ita vt velit Paulus duo dicere:Primum,quod donum acceperit per quod ad ministerium Euangelij esset idoneus:deinde quod per spiritum efficaciter motus & impulsus fuerit ad illud administrandum, aperte docens quod ad omne opus bonum egemus diuina gratia,quanquam hac accepta nondum illud exercere

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſimus niſi per ſpiritum ſemel acceptum efficaciter moueamur ad operationem quo patere poteſt noſtra miſeria & infirmitas.

Mihi enim omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc: In gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit.

Mihi enim omnium ſanctorum, &c.) Græcè non eſt ſuperlatiuus ſed comparatiuus ex ſuperlatiuo formatus, quem affingere placuit Apoſtolo vt magis ſe diminueret. Mihi, inquit, omnium ſanctorum poſtremiſſimo data eſt gratia hæc, vt inter gentes euangelizarem (*inueſtigabiles*) ſiue imperueſtigabiles (*diuitias Chriſti*) valde libenter vtitur Apoſtolus hoc vocabulo ad explicandà abundantiam beneficiorum Chriſti: (*& illuminare omnes*) Recto ſermone Chriſtus illuminat: Apoſtoli vero illuminare, dicuntur, quia proferunt in lucem: & quod antè fuerat reconditum, faciunt perſpicuum. Diſpenſatio hoc loco non eſt œconomia ſicut in principio capitis ſed κοινωνία id eſt communio ſiue communicatio. Pro Sacramento Paulus myſterium habet. Senſus iſte eſt: vt in lucem proferam omnibus myſterium, quatenus illud Deus patère voluit hominibus, quod à ſeculis, id eſt, ab æterno abſconditum fuit in Deo quia in illo vno erat cognitio myſterij huius (qui creauit omnia) Iſtud adiecit propter ſcholam Simonis magi, quæ docebat mundum ab angelis eſſe factum.

Vt innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientiæ Dei ſecundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Vt innoteſcat principibus & poteſtatibus) id eſt, & ſupremis & infimis angelorum ordinibus: Sic Chryſ. Hieron. per principatus & poteſtates accipit bonos angelos: Ambroſi. vero malos. Alij vtroſq; ſecundũ quos nomine cœleſtium intelligitur etiam aer iſte qui ſupra nos eſt, quem conſtat ſedem eſſe dæmonum, vt ſenſus ſit: Vt innoteſcat principibus & poteſtatibus agentibus ſiue in cœlo ſiue in aëre (*per Eccleſiam*) id eſt, per diſpenſationem circa Eccleſiam factam, vel per Eccleſiam, id eſt, per opera Eccleſiæ, vt præpoſitio (per) ſignificet inſtrumentum, (*Multiformis*) Græcè multo ſignificantius eſt, vehementer ſiue multipliciter varia ſapientia Dei, qua vſus eſt in redemptione generis humani & vocatione gentium, quod per res mundo abiectiſſimas, nempe per crucem placuit ſaluare homines, & ad id vti miniſterio piſcatorũ, vt confundat fortia quæque & non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Et hunc locum explicat Thom. in prima parte quæſt. 57. art. 5. Adiecit autem Apoſt. hanc partem propter Simonem Magum, qui docebat adorandos angelos, quod illi fuerint myſterij noſtræ redemptionis gnari, quos & mediatores conſtituebat nimium illis tribuens.

Secundum præfinitionem ſeculorum) id eſt, ſecundum propoſitum Dei, quo ab æterno propoſuit certis ſeculis effundere theſauros diuitiarum ſuarum, quod fecit tẽpore Chriſti, cum antea videatur neglexiſſe mundum quem ſub dẽſiſimis tenebris & diaboli imperio totum, paucis admodum exceptis, paſſus eſt detineri. Græ. ſcho. præfinitionem ſeculorum interpretantur propoſitum Dei ab æterno decretum: habent enim ſic: Iſta quidem ante ſecula, propoſuit, re autem ipſa exhibuit per diſpenſationem factã circa Chriſtum. Pronomen, quam, licet referre poſſet & Eccleſiam & ſapientiam & præfinitionem ſeculorũ: maximè tamẽ veriſimile eſt, quod pertineat ad proximè precedens, ſecundum præfinitionẽ ſeculorũ, vt ſenſus ſit: iuxta tempus quod propoſuerat ſiue præfiniuerat in Chriſto.

In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia, per fidem quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.

In quo habemus fiduciam) pro fiducia Græce eſt παῤῥησία, quæ vox dum ad homines refertur, ſignificat libertatem loquendi ingenue coram quocunq;: ſic ſane accipitur cap. 4. Act. Videntes autem Petri παῤῥησίαν, quo loco interpres noſter vertit conſtantiam, & paucis interiectis: & nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni παῤῥησία loqui verbum tuum, vbi vertit fiduciã quemadmodũ & cap. 6. huius Epiſt. Vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium Euangelij, &c. Atq; hoc modo quidam hic interpretantur. Verum ex circunſtantijs videtur huic loco magis congruere παῤῥησία quæ eſt comparatione Dei ſiue coram Deo, vt ſit fiducia qua animus nihil malorum ſibi conſcius, fretus Chriſto audet polliceri apud Ioannem: Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Hæc fiducia eſt quæ facit magnis animis ſperare ſomma quęq;: excutit ſcrupulos omnes & perpetuo ſubminiſtrat lætum ſpiritum in Chriſtum. De acceſſu dictum eſt capite præcedenti. Illud (per fidẽ eius) pertinet ad proximè præcedens, hoc ſenſu: In confidentia cuius principium & origo fides eſt Chriſti patet hoc ex Græcis, quæ ſi ad verbũ vertas, ſic

ſic ſonant, in confidentia quę eſt per fidem eius. Confidentia diuerſa vox eſt à priori apud Græcos.

Propter quod peto ne deficiatis, &c.) Senſus eſt: quia liberum habemus acceſſum ad patrem per filium, peto ne deijciamini animo ob afflictiones meas, quas veſtri cauſa tolero, ne turbent vos vincula mea, quæ vt vos maximis illis donis potiamini, ego patior. *Quæ eſt gloria veſtra*) gloriari inquit poteſtis, quod tanti vos faciat Deus, vt etiam charissimos ſibi hoc eſt, Apoſtolos ſuos patiatur veſtri cauſa affligi. Hic finita eſt parentheſis ſiue potius hyperbaton: redit iam ad caput orationis, & quia multa interſeruerat, voluit repetere verba in principio capitis poſita, ac ſi dicat, vt quod cœpi abſoluã. Huius inquam rei gratia, flecto genua mea, &c.

Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Huius rei gratia flecto genua mea) ſiue interioris hominis ſiue exterioris ſiue vtriuſq;. Chryſoſtomus videtur accepiſſe genua corporis, per id inquit quod dicit, flecto genua mea, ita ſe precari declarat, quo modo ſolent qui rebus afflictis anxij precãtur, (*ex quo omnis paternitas*) vox Pauli ſignificat familiam, cognationem, tribum. Eſt illa vox quæ ponitur. Pſal. 95. Adferte Domino patriæ gentium, vbi vocem Græcam interpres abſq; interpretatione dimiſit. Pſalm vero. 21. familiam vertit: Adorabunt, inquit in conſpectu eius omnes familiæ gentium. In hac Epiſtola voluit vertere paternitatem, vt ſeruaret paranomaſiam, quæ eſt in Græcis vocibus: (*nominatur*) Nominari hoc loco eſt exiſtere ſiue eſſe, quomodo frequenter capitur apud probatos authores. Senſus eſt: ex quo omnis familia ſiue ſpirituũ ſiue hominum originem ſuam habet, & ſuum eſſe. Dictum eſt iſtud contra doctrinam Simonis & ſuorum de pluralitate deorum & principiorum diuerſitate, Similis locus eſt capite 1. huius Epiſtolæ: Super omne nomẽ quod nominatur, &c. vbi nomen pro eo capitur & nominari pro celebre eſſe. Nã ſenſus eſt, ſuper omnia quæ celebrantur ſiue in hoc ſeculo ſiue in futuro. Iuxta interpretationem ceſſant quæſtiones illæ: Nam quæ paternitas ſit in cœlo: & num omnis paternitas quæ in cœlo & in terra eſt, denominetur ab ea paternitate, quæ eſt in diuinis: quæ quæſtiones hoc loco moueri ſolent.

Vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ,) id eſt, gratiæ ſuę, ſic in epiſtola ad Rom. omnes peccauerunt & egent gloria Dei. (*virtutem corroborari*) nonnulla exemplaria habẽt ablatiuum virtute, quæ lectio Græcorũ eſt: Virtus hoc loco non eſt ἀρετὴ, quæ opponitur vitio, ſed δύναμις quæ pugnat cum imbecillitate, Senſus eſt: vt fortitudine fulciamini per ſpiritum in memoria, in ingenio, & affectu, in omnibus denique viribus animę: *Chriſtum habitare*): i. vt dono fidei Chriſtus perſeueranter in vobis maneat: in charitate radicati & fundati: videtur hoc loco Apoſtolus neglexiſſe præcepta grammatices, iuxta quæ dicendum erat, radicatis & fundatis niſi velimus ad ſequentia hæc referre, vt ſit hyperbaton, quod feciſſe videtur Aug. Nam legit ad hunc modum: vt in charitate radicati & fundati poſitis comprehendere, id eſt, non parce attingere, ſed quodammodo manu tenere. Vocabulum eſt philoſophorum à Zenone profectum: (*quæ ſit latitudo, &c.*) quatuor his vocibus voluit Apoſtolus explicare in genere magnitudinem myſterij, quod pro nobis per Chriſtum diſpenſatum eſt, vt ſit ellipſis: Quæ ſit latitudo, ſcilicet myſterij, atque ita in cæteris ſubaudiendo genitiuum miniſterij.

Ad hunc ſanè modum interpretantur Græca ſcholia. corporalibus inquiunt figuris magnitudinem myſterij deliniat, poſteà tamen ſingula diſtingunt, quod & Auguſtinus facit in Epiſtola quam ſcripſit ad Honoratum de gratia noui teſtamenti, quæ eſt numero. 120. videtur autem Apoſtol. & hoc loco reſpexiſſe familiam Simonis quod indicant vocabula quibus vtitur, ac ſi diceret: Fingunt vobis hæretici ex Theogonia Heſiodi &c. ſiue profundum et alia multa Sed opto vos hæc ſcire in Chriſto: liquidem in illo hæc veriſime inueniuntur. *Scire etiam*) à communi ſenſu ſubauditur, vt poſsitis ſcire mirabilem charitatem Chriſti, quæ maior eſt quam cognoſci queat, quæ omnem humanam cognitionem longè excedit, vt ſcientiæ ſit datiui caſus.

Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei) id eſt, vt donorum & beneficiorum diuinorum cognitione & poſſeſsione ſemel ſitis repleti.

Et tamen, qui potens eſt omnia facere ſuper abundanter quam petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et autem qui potens est omnia facere superabundanter) illud superabūdanter erigit vehementer spem(*secundum virtutem*)id est vim seu potentiam,hoc est,secundùm spiritum qui agit seu impellit nos vsque & vsq;. Quod inquit,potens sit Deus cumulate facere omnia vltro quæ petimus aut cogitamus,imo quod velit facere,manifestum est ex agente in nobis vt ipsius:(*ipsi gloria in Ecclesia & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen.*

CAPVT IIII.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis,cum omni humilitate & mansuetudine: cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

QVatuor hactenus exposuit Apostolus.Primum est,patrem per filium maximis beneficijs nos donasse:Secundum est, cupere se beneficia hæc omnibus bene cognita esse.Tertium est,beneficia hæc optimè cognosci posse ex beneficijs Christo à Patre collatis:Quartum est,beneficiorum horum patrem voluisse non tantum Iudæos,verum etiam Gentes participes esse. Hæc egit duobus primis capitib⁹:in tertio capite redit ad priora vota, orans vt possint Ephesij comprehendere longitudinem,latitudinem,sublimitatem ac profunditatem horum beneficiorum,hoc quarto capite & sequentibus docet,quo consilio sit ista concinatus, vt ostendat videlicet talia dona consecutos, decere omnem vitæ puritatem.

Obsecro itaque vos) qui tantis beneficijs per filium vos dignatus est pater, obsecro vos ego vinctus in Domino,in causa Domini siue propter Dominum. Pro summa gloria ducebat Apostolus vincula sua,quæ patiebatur propter Christum. Quare & cæteris prætermissis hæc sola ponit, in quorum laudem hic multa perorat Chrysostomus. Obsecro inquam vos vt ambuletis,id est,vitæ tenorem ducatis ita vt dignum est vocatione. Vocati estis ad communionem magnorum illorum donorum quæ hactenus exposui,agite vt vita vestra respondeat vocationi huic, ser donis ad quæ vocati estis. Quo autem pacto contingat ambulare ita vt dignum est vocatione, declarat per ea quæ subiungit.

Cum omni humilitate,&c.)vox Græca à sentiendo dicta est,cum quis modestè de se sentit,contraria est arrogantiæ.Sensus est: cum omni modestia,non (vt superbi solent) de alijs humiliter,de vobis magnificè sentiendo,sed contra(*& mansuetudine*) hæc comes est humilitatis (*cum patientia*) Græcè est μακροθυμία, quam nos longanimitatem dicimus,vt offensi,inquit, iram cohibeatis. (*supportantes*)id est,tolerantes etiam si quid est vitiosum,vel durum,vel asperum in moribus aliorum, quibus cum versamini: *In charitate*)id est,per charitatem:*Soliciti*) siue vt Erasmus vertit, studentes seruare vnitatem,cuius author spiritus est:Sic Chrysostomus, sic & Græca scholia. Vt spiritus accipiatur pro spiritu sancto. Alij de humano spiritu interpretantur. *In vinculo*) id est,per vinculum,quod est pax.

Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ,vnus Dominus,vna fides,vnum Baptisma.Vnus Deus & Pater omnium,qui super omnes & per omnia & in omnibus nobis.

Vnum corpus) scilicet est omnium qui credunt,cuius caput est Christus. *Et vnus spiritus*)scilicet est qui per singula membra corporis huius discurens, vitam & motum adfert. Et quemadmodum est vnum corpus & vnus spiritus,sic & est vna spes vocationis:siquidem omnes ad immortalitatem & beatam vitam vocati sumus.Non igitur debemus inter nos dissidere.

Vnus Dominus,vna fides,vnum Baptisma.) Hinc docet Cyprianus solum illud haberi debere pro baptismate,quod à ministris illius Ecclesiæ confertur quæ vna est. Simile aliquid habet Hieronymus in commentarijs huius loci. Verum cum Ecclesia etiam agnoscat Baptismum hæreticorum, non possimus sequi Cyprianum. Quare Augustinus vnum Baptisma interpretatur, quod iterari non possit, à quocunque tandem ministratum fuerit,etiam ab hæretico,Quæ expositio licet catholica sit, non tamen videtur congruere instituto Apostoli, qui cum ad vnitatem hortetur, videtur hunc exigere sensum:Sicut est vna fides,ita vnius communis fidei vnicum est symbolum & signum externum.cuius quidem memores oportet vos amantes esse pacis & vnitatis,& omnium sectarum osores.

Vnus Deus pater omnium qui super omnes) id est,qui præsidet cunctis. Erasmus vertit super omnia. Græcis sermo ambiguus est. *Et per omnia*) cuncta inquit Hieronymus percurrit,vaditque per omnia. Tale quid de Deo & Zeno cum stoicis est suspicatus,quē secutus Vergilius ait Deum namque ire per omnes terras, tractusque maris cœlumque profundum.Et Aratus poeta Græcus,cuius sententiam refert Apostolus, *Actor.7.*

Vnicui-

1 Corinth.12. Psal.67. Ioannis 3.

Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: Propter quod dicit. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus. Quod autem ascendit,quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit,ipse est & qui adscendit supra omnes cœlos,vt impleret omnia.

Vnicuique autem nostrum data est gratia) non iuxta dignitatem nostram vel merita nostra,sed secundum mensuram donationis Christi,hoc est,prout Christo libuit dare,& secundum mensuram, quæ illi placuit:Non ergo est quod quis inuideat alteri vel etiam quod quis eleuetur, & insolescat aduersus alterum, quia doni est, quicquid illud est quod habemus, & ille mensus est qui non potuit nisi re&è metiri. Quod autem gratia hæc,donum sit Christi,&ipse destribuendo dederit;declarat Dauid cum ait: *Ascendens in altum,&c.*) Testimonium hoc sumptum est ex Psal.67. quem Rabbini volunt esse epinitium pro victoria de Syrijs habita quæ describitur cap.8.2.lib.Regum, Interpretantur enim ad hunc modum: *Adscendisti in altum*) id est, exercuisti tu Deus mirabiliter vires tuas,cœpisti captiuos ipsos Syrios.Nam captiuam capere captiuitatem Hebræorum phrasi est captiuos ducere.Patet hoc non solum ex Rabinis, sed ex ipsa quoque Scriptura.Siquidem Deut.21. loco illius quod Hieronymus vertit, captiuos duxeris, ad verbum est captiuam cœperis captiuitatem.Rursus loco illius quod secūdi Paralip.cap.28. vertit, reducite captiuos in Hebræo est reducite captiuitatem, quam captiuam duxistis. Verum hic est humilis sensus literæ, qui non contemnendus sed prætereundus est,& ad altiora veniendum vt victoria illa aduersus Syrios habita intelligatur typus esse victoriæ Christi. Sic sanè psalmum magnifico ipso spiritu interpretatus est hoc loco Apostolus. Ascendisti tu Christe in altum, vel dum exaltatus es in cruce iuxta illud:Cum exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me ipsum: vel certè dū collocatus es ad dextram Patris, cœpisti captiuitatem. In cruce quidem Christus omnes cœpit captiuos, quos redemit: Ascendens vero è terris ad patrem, spolia cœpit inferni,hoc est,sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, quas secum ad cœlum victor adduxit.Dedisti dona in hominibus hoc est,quorum participes fierent,vel accepisti dona quæ valebant homini:Siquidem in Hebræo est Beth, adhæsiuum Baadam. Eleganter autem Apostolus hic posuit dedit,cum in psalmo scriptum sit,accepit,quia in psalmo præmittitur futurum,quod non dum erat factum,& ob id dicitur accepisse, quæ post elargiretur· hic quoniam Apostolus describit,quod iam factum erat, fundatis vbique per orbem Ecclesijs dedisse scribitur,non accepisse.*Quod autem ascendit*) est commentarius in prophetam.Sensus est: quod propheta vturur verbo ascendendi, id apte quidem facit, quia idem Christus descendit:Inferiora terræ,secundum quosdam mundus hic accipitur, in quo nos agimus: secundum alios infernus, quod probabilius est:tum quod descensus Christi ad inferos proxime præcesserit ipsius in cœlos ascensum:tum quod verba ipsa id magis exigant.Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos) qui tam imè seu profundè descendit,vt non potuerit profundius:Rursus qui tam altè ascendit,vt non potuerit altius,hinc summa & infima compleuit,& per consequens intermedia quoque atque adeo omnia.Simile habuimus in primo capite de instauratione siue recapitulatione omnium in Christo.

1 Corint.12.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas,alios vero Euāgelistas,alios autem pastores & doctores ad cōsummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.) Explicat Apostolus dona quæ à Christo Ecclesiæ donata sunt, quæ ante in genere posuerat,dicens: vnicuique nostrum data est gratia· Apostolus intelligit proprij nominis quales erant duodecim, quorum nomina refert Matthæi capite.10.qualis erat & ipse Paulus,& plerique alij:sed pauci, de quibus dictum est in Epistola ad Romanos, Prophetas intelligit qui dono furoris futura prædicunt, qualis erat Agabus & filij Philippi,de quibus in Actis. Euangelistas illos dicit, qui non ita circuiabit, vt cæteri Apostoli,sed per occasionem tantum docebant,quales erat Priscilla & Aquila:Sic Chrysostomus.Græcanica scholia accipiunt illos quatuor, quos non dicimus Euangelistas, Pastores & doctores coniungit Chrysostomus,& putat significari Episcopos, qui circa vnum duntaxat locum occupabantur,& vni tantum populo regendo vacabant,quales eras Timotheus,qualis erat & Titus.Cū Chrysostomo sentiunt Græcanica scholia. Ad consummationem sanctorum,id est,totius vniuersitatis illorum hominum quivocati & prædestinati sunt ad sanctitatem.Vox Græca συναρτισμὸς interdum, hoc est, quod reficere seu reparare, quam significationem in translatione sua expressit Erasmus: nam vertit ad instaurationem sanctorum.Vt sensus sit,Patrem omnia hæc dona largitum, vt lapsos & per peccata dejectos erigeret, in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

staurare ac quodãmodo ad pristinum statum reuocare: Interdum ουναρτίζειν, hoc est, quod perficere & omnibus numeris absolutum reddere, quam significationem expressit noster interpres. Vt sensus sit, Patrem dedisse omnia hæc dona, vt ædificium quod proposuit in Christo cuique construendo omnia seruire voluit, vt tandem absoluatur omnibus membris & modis compleatur, sic vt amplius illi nihil desit. Videndum est iam vtram significationem acceperint veteres. D. Hieronymus legit in textu, ad institutionem sanctorum, in commentario addit perfectionem, intelligit eam, secundum quam dicimus mensam instrui cibis. Ambrosius cum nostro interprete vertit consummationem.

Chrysostomus partem hanc non interpretatur. Græcanica scholia intelligunt perfectionem, completionem, omniumq; partium iustam absolutionem. Circunstantiæ quoque literæ magis fauent huic expositioni, quam Erasmianæ de vi & proprietate verbi καταρτίζειν cuius loco in præcedentibus scriptum est ουναρτίζειν, vide Budæum in comment. linguæ Græcè. Illa, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, causam cõplectuntur, cur dona data sunt: quæ causa animaduersa non sinit eum, qui his instructus est insolescere, cùm non ad proprium commodum, sed ad aliorum acceperit vtilitatem, nimirum vt per diligentẽ illorũ administrationem, corpus Christi quod est Ecclesia, incrementa suscipiat. Eadem causa animaduersa non patitur illum, qui his caret vel cui minora contigerunt dona, inuidere alijs, cum tanto maius quisque sustineat onus, quanto maiora sunt dona quæ accepit.

Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.

Donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei,) sensus est: donec perueniamus omnes ad vnam fidem, ad agnitionem Christi: non tamen sic dixit, sed ait fidei, vt agnoscamus rem magnam esse, de Christiana religione aliquid cognoscere. *In virum perfectum*) sensus est: donec euadamus in viros perfectos: qui euaserit in virum perfectum, firmius perstat: donec ergo euadamus firmi & constantes in cognitione Christi, & non hæreamus medij inter Lutheranissimum & veram fidem. Vt (vir) vocabulum sit non sexus ad corpus pertinens, sed perfectionis ad animum pertinens. In mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est, plenæ ætatis phrasi Hebraica (Christi) obiectiuè, id est de Christo vel circa Christum, vel de rebus pertinentibus ad Christum. Sensus est: donec in Christo, in cuius cognitione & dilectione indies nos proficere oporteat, tandem nanciscamur ætatem perfectam, id est, perfectam cognitionem, perfectam dilectionem: Vt iam non simus paruuli) istud interpretatiue dictum est. *Fluctuantes*) inter veram & falsa dogmata. *Et circumferamur*) Græcè participium est, præsentis temporis, sicut præcedens: vnde Erasmus vertit, vt amplius non simus pueri, qui fluctuant & circumferuntur quouis vento doctrinæ. Hic est heterodidascalia cuius meminit in Epistola ad Thimotheum: *In nequitia hominum*) annotat Chrysostomus & post eum Theophylactus, atque post vtrunq; Græca scholia, vocem Pauli deductam à ludo tesserarum, in quo qui potest, imponit & circumuenit alterum, ad suum duntaxat commodum spectans: Vnde Hieronymus vertit fallaciam. Erasmus: versutiam: Nos vt propius Græcam vocem exprimamus dicere possimus aleationem, vt intelligatur hoc nomine artificiosa fallacia. Notat Apostolus hæreticos qui ad quæstum ferè docent, vel gloriam: vel contentionem: quare dum vident sibi commodum, transponunt taxillos, & diuersum docent ab eo quod ante docuerunt, idque tanta arte faciunt, vt vix à doctis argui queant: *In astutia ad circumuentionem erroris*) sensus est, per astutiam qua adoriuntur nos, vt imponant nobis: Erasmus vertit in astutia ad aggressionem impostura. Interpres Oecumenij, per astutiam ad insidias deceptionis. Expositio quam tradidimus veterum est, maxime Græcorum: Latini præsertim posteriores aliter enarrant locum hunc. Nam quod dicitur: donec occurramus, &c. Intelligunt de occursu quo omnes occurremus in iudicio extremo, non quidem ad vnitatem fidei in se, quę tum euacuabitur, sed ad vnitatem illius rei, ad quam ducit fides, ad cognitionem siue visionem Dei. *In virũ perfectũ, in mensuram ætatis, &c.*). i. in ea perfectione & ætate corporis, ad quam constat peruenisse Christum, quæ erat ætas triginta trium annorum, vt pertineat ad resurrectionem corporum. Verum prior expositio probabilior est, & sententiæ Paulinæ conformior. Aug. lib. de ciuitate Dei. 22. cap. 15. & tribus sequentibus, tractat hunc locum, & vtrumque sensum proponit, sed priorem sequitur non contemnens posteriorẽ, cùm nec fidei nec charitati aduersetur, à cuius modestia longe

longe absunt quidam nostri temporis interpretes, qui ingenti contemptu reijciunt eos qui posteriorem sensum amplectũtur. Hoc autem aduertendum in Augustino, quod loco illius quod noster textus habet in genitiuo, agnitionis, ipse legit in accusatiuo agnitionem, & loco illius: in nequitia hominum, ipse legat in illusione hominum, & & pro circumuentione ipse machinationẽ habeat. Per virum autem perfectum intelligit caput & corpus omnibus membris suis absolutum, hoc est, Christum & Ecclesiam omnium membrorum perfectione constantem, hoc sensu: Donec corpus illud siue vir ille, cuius caput Christus est, omnibus partibus suis, & membris absoluatur, donec perueniat ad illam mensuram occultam plenæ ætatis: Est enim certus quidã sanctorum numerus qui implet hoc corpus, qui numerus nondum perfectus est, accedentibus quotidie ipsi Ecclesiæ alijs atq; alijs membris.

Veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctũram subministrationis, secundùm operationem in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Veritatem autem facientes) vnica vox est apud Paulum ἀληθεύοντες. Est autem ἀληθεύοντες, vel præstare quod dixeris, vel vera loqui. Sensus est: sed veritatem sectantes, per charitatem crescamus, id est, adolescamus siue grandescamus in illum per omnia, In hoc adniti nos oportet, vt proficiamus quotidie in Christo, & maiora indies incrementa sumamus, ne simus sequenti anno, quales priori. *Ex quo*) scilicet Christo quatenus est caput (*totum corpus compactũ*) Græca vox propriè pertinet ad cohæsionem membrorum vel articulorum, siue ad coaugmentationem artuum, & propterea ea hoc loco vsus est Apostolus sicut in sequenti, quæ à verbo συμβιβάζειν, quod significat multa in vnũ ducere, deducta est. Est enim corpus hoc ex Hispanis, Germanis, Gallis, alijsque populis genere & moribus diuersissimis compactum. *Per omnem iunctũram*) Augustinus legit per omnem tactum: Erasmus per omnem commissuram, & id aptè. Est enim ἁφὴ commissio, sic vt vtrumque se mutuo contingat, (*subministrationis*) id est suppeditationis: dum enim quisque suam partem suppeditat, & quodammodo suum symbolum adfert, corpus Christi augetur & perficitur (*secundum operationem*) ad verbum est secundum energiam, id est, iuxta vim & efficaciam, quam membra à capite recipiunt, ratione cuius agunt. Quod sequitur (*in mensuram*) significat non omnia parem, sed alia maiorem, alia minorem, vnumquodque secundum analogiam, proportionem, ac modulum suum accepisse vim à capite.

Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam.

Hoc igitur dico & testificor in Domino) id est per Christum obtestor. *Vt iam non ambuletis*) vitam exigatis (*sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui*) id est, mentis suæ, est enim Græcè νους: Est autem νοῦς ea pars animi qua à brutis discernitur homo. Ethnici (inquit) agunt quæcunque mens ipsorum vanè commenta fuerit ac excogitauerit: vos non ita volo agere (*tenebris obscuratum habentes intellectum.*) Gentiles etsi ex creatura Dei, multa de Deo nouerint, tamen Christum qui via est & veritas ignorauerunt, vnde in tenebris densissimis ignorantiæ (cùm tamen in philosophicis sibi acutissimi viderentur) versabantur: *Alienati à vita Dei*) id est, ab ea vita quæ agnoscunt in præceptis Dei siue quã Deus sibi gratam docet in scripturis. Nonnulli codices habent, à via Dei, sed mendose, (*per ignorantiam*) qua ignorant se in peccatis natos, qua ignorant illum qui hunc malo mederi potest. *Propter cæcitatem cordis illorum*) quia nõ videns, quod erat videndum: Istud velut per interpretationem additur. Nam licet diuersæ sint præpositiones in Latino textu apud Paulum, tamen vna eademque est apud Græcos, nempe διὰ (*qui desperantes*) id est, cum non crederent immortalitatem animæ, vel aliam vitam restare post hanc vitam, siue cùm non crederent resurrectionem corporum: sic Ambrosius. Aliter Hieronym. & Græci interpretes, secundum quos sensus ille est, qui posteaquam peruenerunt ad indolentiam, siue qui postquam dedoluerunt, Est enim Græce ἀπυλγηκότες, quam vocem Hieronymus rectè verti existimat indolentes, quod hinc deducta sit, cum quis dolore vacat, & sensu sui mali: & ob id lupens ferturin omne vitium. Noster interpres legisse videtur ἀπυλγηκότες, vt participium sit deductum à verbo ἐλαττόω et non à verbo ἀλγέω. Quidam commentarius vtrumque expressit, ad hunc modum exponens: qui posteaquem eo duritiæ peruenerũt, vt ad omnẽ sensum absurduerint

Universidad de Deusto
Biblioteca

duerint, vt post peccata dolere nesciant vel pœnitere facti, desperati semetipsos tradiderunt impudicitiæ, siue lasciuiæ, ad patrandum immunditiam omnem sine modo & termino: hoc enim est quod ait (*in auaritia*) non enim est φιλαργυρία Græcè, quæ vox speciale vitium significat, quod nos auaritiam dicimus, sed πλεονεξία quod generale vocabulum est, & dicitur quoties plus quisquam vsurpat sibi quam par est, in quacunque tandem re id fuerit, siue in voluptate, siue in libidine, siue in honoribus, &c. Vide Diuum Hieronymum in commentarijs huius loci. Sensus est: sic se libidini expoluerunt, vt ad omnem occasionem illa vtantur & cum nihil omnino prætermittant quod immundũ est, hoc totum faciunt in πλεονεξία seu auaritia, vt terminum nesciat illorum libido. Per totum locum exhortationis huius respicit Apostolus familiam Simonis Magi, cui proprium erat, post agnitũ Christum, relabi ad vitia gentilitatis, & maximè ad libidines.

Coloss. 3. b

VOs autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis & in ipso edocti estis (sicut est veritas in Christo Iesu) deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.

VOs autem non ita didicistis Christum) id est, in hunc finem, vt illis similia perpetretis. Ex mentione Christi intelligimus ipsum agere contra Simonem, Basilidem, Menandrum, Nicolaum & Gnosticos: *Si tamen*) id est, siquidem: non enim est vocula dubitantis, sed affirmantis secundũ Chrysostomum, adducit similem locum ex priori capite poster. Epistolæ ad Thessalo. Si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant, &c. Verbum (*deponere*) referendum est ad (*edocti estis*) hoc sensu: Edocti estis vt deponatis veterem hominem, quod non docet Simon, qui post agnitionem Christi redit ad libidines gentium. Vetus homo est vita, qua secundum Adam viuitur, hoc est, secundùm peccatum & imperfectionem tractam per Adam. Contra, nouus homo est vita, qua secundum Christum siue secundum spiritum Dei viuitur. Quod sequitur, *Qui corrumpitur secundum desideria erroris*) variè à diuersis exponitur. Verum germanus sensus hic esse videtur: qui scilicet vetus homo per singulos dies, horas, puncta, & momenta corrumpitur, dum desideria ipsius vigilanti studio intercipiuntur, eliduntque: desideria, inquam, perducentia ad errorem dum ipsis acquiescitur.

Rom. 6. Coloss. 3. Hebr. 9. 1. Pet. 2. a. d.

RExnouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.

RExnouamini autem spiritu mentis vestræ) id est, per Spiritum sanctum, qui est in mente vestra: Sic Græcanica scholia. Alij de humano spiritũ interpretantur: Renouamini spiritu qui est ipsa mens. *Et induite nouum hominem*) hoc ad Roman. 13. capite dicit, induimini Iesum Christum. Qui conuersationem & virtutes Christi in se exprimit, ille indutus est nouum hominem: *Qui secundum Deum creatus est*) cum alter secundum Adam creatus sit: (*in iustitia*) generale vocabulum est iustitia, complectens omnem virtutem: Sic Chrysostomus & Græcanica scholia. *Et sanctitate veritatis*) Hebraismus est pro sanctitate vera, quæ excludit omnem hypocrisin.

Zach. 8. Psal. 4. d.

PRopter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

PRopter quod deponentes, &c.) Veteris hominis in genere facta mentione, deinceps ipsum & membra eius describit, & licet videatur tradere communia præcepta vitæ, tamen respicit ad mores & vitam hæreticorum sui temporis. Vrget autem rursus Ephesios per exemplum corporis. In corpore humano neque pes oculum, neque oculus pedem fallit aut seducit, ita & inter vos esse, inquit, oportet: nam verè sumus membra. *Irascimini & nolite peccare*) id est, si contingat irasci, sit ira moderata, ne peccetis. *Sol non occidat super iracundiam vestram*) id est, iram vestram seu commotionem, sed illa cum ratione assumpta, sit breuissima, quia si duret, fiet immoderata propter carnis infirmitatem. Hinc alio loco dicit: Nolite locum dare iræ, quod fit per iram concipientem cogitationes de vindicta. Iracundiam abusiue posuit pro ira, cum alioqui magis habitũ animi significet facilè irascentis.

Nolite locum dare diabolo.) Aliter Erasmus, aliter interpretantur veteres, quæ diuersitas prouenit ex voce diaboli, quæ origine Græca est, deducta à verbo διαβάλλω, quod significat calumniari. Hinc Erasmus in translatione sua vertit, neque locum detis calumniatori, & in annotationibus interpretatur: compescite iram, ne præbeatis ansam calumniandi ethnicis. Verum veteres

veteres tum Latini tum Græci intelligunt insignem illum calumniatorem, qui in Apocalypsi dicitur accusator fratrum, & serpens antiquus, qui hoc vnum quærit, vt irrepat in cor nostrũ, huicinquit Apostolus, ne detis locum diabolo quod fit dum fouetur ira.

Qui furabatur, &c.) verba clara sunt, quare nec expositione egent. Illud (quod bonũ est) potest legi per parenthesin, vt sensus sit, quæres bona est. Potest etiam legi absq; parenthesi, vt sensus sit: Operetur rem bonam, non ex turpi opificio quærat victum, sed honesto: Hoc loco discimus laborandum esse non nobis tantum, sed & alijs: non enim dixit Apostolus, laboret, vt non indigeat, vt habeat victum, & alijs molestiam non exhibeat, sed laboret vt posset impartiri ei, qui opus habuerit, hoc est, indigenti.

OMnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.

OMnis sermo malus) ad verbum est spurcus siue putris, qui coniunctus est vlli pestilentiæ aut perniciei. *Sed si quis bonus ad ædificationem fidei*) ille procedat ex ore vestro.

Vt det gratiam audientibus,) Hebraismus est, id est, vt commodum adferat auditoribus (*& nolite contristare spiritum sanctũ Dei.*) Figurata est locutio secundum veteres, secundum quos sensus hic est: Ne faciatis illa propter quæ Spiritus sanctus recedat à vobis, quo recessu offensum se significat & contristatum. Non est contẽnendus commentarius, qui interpretatur de Spiritu sancto, non qui in nobis est, sed in alijs: eum spiritum nolite pellere per obscœna verba, vt magis moueat, addit (*in quo signati estis in die redemptionis*) id est, obsignati, sicut obsignantur tabulæ vel literæ, vt cuius sint cognoscantur, obsignati, inquam, estis in Baptismate. Alij interpretantur, in quo obsignati estis vsque ad diem illius redemptionis vltimæ, in qua abscindetur omnis mortalitas, vt pertineat ad extremum iudicium: vt sic interpretentur. adducuntur præpositiones eis, quæ ponitur cum accusatiuo, Verum ea nihil mouit Oecumenum Græcum interpretem, cuius est prior expositio. Et nos iam aliquoties annotauimus Apostolum abuti præpositione εἰς in loco ἐν.

OMnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

OMnis amaritudo) hanc primo loco ponit, quia radix est ex qua cætera pullulant. Et ira & indignatio) interpres videtur transposuisse has duas voces, hoc est, loco indignationis posuisse videtur iram & è diuerso. Priori loco Græcè est θυμός, quæ vox non absolutè iram significat, sed perturbationem illam, quando sanguis circa cor incipit ebullire. Posteriori loco Græcè est ὀργὴ quæ magis adulta est, quando videlicet iam cupis erumpere in vindictam. Hieronymus legit omnis amaritudo & furor & ira: & definiens furorem, furor, inquit, incipiens est & feruescens in animo indignatio, Ira autem est, quæ furore restincto desiderat vltionem, & eum quem nocuisse putat, vult lædere. Erasmus priorem vocem non male vertit, tumorem. Omnis, inquit, amarulentia, & tumor & ira: *Et clamor*) vox est hominum iratorum sine iudicio & pudore vociferantium. *Et blasphemia*) id est, maledicentia: Generale vocabulum est, significans quãuis in quemuis maledicentiam. Porro quia longum erat omnia enumerare, adiecit. *Cum omni malitia*) cætera vitia hoc nomine complectens.

Coloss. 3.

ESTote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis.

ESTote autem inuicem benigni) id est, comes, blandi, suaues: vt opponatur amarulentiæ & asperitati morum. Sic Hierony: alioqui benignitas ad liberalitatem magis pertinet. *Et misericordes*) hoc est, afficiamini malis alienis non secùs quam si vestra forent, quanquam vox Græca non solum ad misericordiam sed ad omnem pietatis affectum pertineat. *Donantes inuicem*) Erasmus vertit largientes vobismetipsis, vt intelligas quod in alios beneficeris id tuo bono, tuoque lucro magis fieri quàm eius qui accipit: Addit deinde in annotationibus donantes hoc loco non pro condonantes siue ignoscentes positum esse, sed pro largientes siue liberaliter dantes seu donantes: Nam Græcè inquit, est χαριζόμενος. Verum Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius interpretantur, vt hoc valeat quod condonantes siue ignoscentes, qui omnes cùm Græci fuerint, nouerunt vtique quid significaret χαρίζομαι sed et D. Hieronymus quem pro se citat Erasmus donantes exponit pro condonantes, quanquam & alterius expositionis meminerit. Sensus ergo Apostoli est: ignoscite ijs qui vos offendunt aut iniuria afficiunt, (*sicut & Deus in Christo donauit vobis*) Deus pater cùm obruti essetis peccatis omnia vobis condonauit per Christum, huius meminisse oportet vt eadem facilitate condonandi vtamini erga alios.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT V.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.

Estote ergò imitatores Dei sicut) Est perpetuus contextus huius & præcedentis capitis. Estote, inquit, imitatores Dei, id est, bonitatis qua ergo vos vsus est (*sicut filij charissimi*) valde in loco positum est: Hoc siquidem bonorum filiorum est, imitari patres suos (*& ambulare in dilectione.*) In condonando volo vos imitari Deum Patrem, in diligendo Filium, cuius dilectionem nemo cogitatione assequi potest, (*qui tradidit semetipsum pro nobis*) id est, vt nos reconciliaret Patri (*oblationem*(*imò*)*hostiam*) siue victimam (*in odorem suauitatis*) siue (vt Hieron.) vertit) in odorem bonæ fragrantiæ. Sermo figuratus est, significat sacrificium Christi, qui seipsum in cruce obtulit, acceptissimũ fuisse Patri. Exhortatio hoc exigit, vt nos mutuo diligamus non verbis, sed rebus: vt quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit: ita & nos pro fratribus vbi necesse fuerit, animas ponamus.

Hieronymus in præfatione Zachariæ.

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed gratiarum actio.

Fornicatio autem & omnis immunditia) Fornicatio quæ Græcis πορνεια dicitur, vocabulum generale est ad omnem illicitam libidinem pertinens, quanquam interdum pro specie vsurpatur. Comment. Hieron. in hunc locum sic habet: Nisi philosophorum quidam Cynicus extitisset, qui doceret omnem titillationem carnis, & fluxum seminis ex qualicunque attritu & tactu venientem, non vitandum: & nonnulli sapientes seculi in hanc turpem & erubescendam hæresim consensissent, nunquam sanctus Apostolus Ephesijs scribens, ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset. Ex quo commentario discimus immunditiam ad Venerem hoc loco pertinere, cùm alioqui generalis vox sit. Respicit autem Apostolus ad scholam Simonis Magi, quæ tota in execrandis immunditijs versabatur, (*& auaritia*) Græcè est πλεονεξια, quam accipit Hieronymus non pro studio pecuniæ, sed pro inordinata cupiditate voluptatum, quando scilicet quis non est contentus eò quod sibi sufficere deberet in voluptate, sed insatiabilis & inexpletus per omnia turpitudinnm genera lasciuique discurrit. Quæ enim consequentia, inquit, vt inter fornicationem, & immunditiam, & turpitudinem, & stultiloquium, & scurrilitatem, medium auaritiam extraordinariè posuerit: Adducit similem locum ex 4. capite prioris epistolæ ad Thessalonicenses: Ne quis supergrediatur neque circunueniat in negotio fratrem, quo loco pro circunueniat Græce πλεονεκτεῖν habetur. Sensus est: ne quis suam derelinquens coniugem, alterius polluere quærat vxorem, (*sicut decet sanctos*) vocabulum est scholæ Christianæ. Sensus est, sicut decet eos, super quos inuocatum est nomen Christi, (*aut turpitudo*) id est, verborum obscœnitas (*aut stultiloquium*) siue vt Paulus habet μωρολογία (*aut scurrilitas*) id est, facetia, lepos siue iocus intempestiuus. Græce est εὐτραπελία, quam Aristot. 4. Ethicorum. 8. cap. in bonam partem accipit, & virtutem facit per hyperbolen opponens ei βωμολοχίαν siue scurrilitatem, per ellipsin vero ἀγροικίαν siue rusticitatem. Quanquam, inquit, apud eos qui plus æquo iocis salibusque gaudent, Et εὐτραπελία dicatur ipsa βωμολοχία. Chrisostomus in parte sua ethica vehemens valde est, non solum non sert eos, qui εὐτραπελίαν, quam nos vrbanitatem dicere possumus, virtutem esse docent: sed & eos reijcit, qui rem mediam faciunt. Quod sequitur (*quæ ad rem non pertinet*) Græci in plurali numero legunt, quæ ad rem non pertinent. Sensus est, nolo vos loqui ea quæ turpia sunt aut stulta, vel quibus alijs risum moueatis, quæ omnia indigna sunt Christianis, siue quæ omnia dedecent Christianos: Si hæc à plebe exigit Apostolus, quid præstandum est sacerdotibus, quitanto graduà plebe diuiduntur? (*sed magis*) (inquit) *gratiarum actio*) id est, in conuiuijs, in congressibus vestris volo vos Christi meminisse, & beneficiorum eius, non ea loqui quæ turpia sunt, & cætera quæ supra memoraui.

Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Hoc enim scitote intelligentes quod &c.) Hic rursus est πλεονέκτης, nec Græce legitur, quod est idolorum seruitus, sed qui est idolorum cultor. Hic locus videri possit facere contra Hieronymum, sed non facit, imò pro eo facit, quod nouit qui ex historia antiquitatis didicit Simonem & eos qui ex eius schola prodierunt, libidinem suam referre solitos in honorem Dei, imò tanquã sacrificium hanc offerebant Patri vniuersorum. Quare horũ libido, quæ nomine auaritiæ generaliter acceptæ intelligitur, verius dicitur idolorum cultus, quam amor pecuniæ, (*non habet hæreditatem*) eam de qua hactenus multa diximus.

Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum.

Nemo vos seducat inanibus verbis) respicit ad scholam Simonis Magi, quæ immũdissimam suam hæresin partim ex poësi, partim ex philosophia, partim etiam autoritate Scripturæ sacræ persuadere conabatur. Respicit admonitio hæc nos quoq; monetq; ne attendamus ad doctrinam Lutheranorum, qui passim prædicant Christum misericordem esse, & satis fecisse pro nobis, modò tantum credamus. Quæ doctrina laxat habenas ipsi carni, & ad nihil aliud facit quàm ad licentiã peccãdi. *Propter hæc enim*) id est, propter ea quæ iam memoraui, nempe fornicationem immundiciam, & auaritiam. Venit præsentis temporis est: nam Græci est ἔρχεται. Iram posuit pro vindicta per tropũ, loco diffidentiæ, Græce est ἀπειθείας, id est, inobedientiæ vel incredulitatis, siue vt rectè verti posse putat Hieronymus, insuasibilitatis. Cyprianus legit in filios contumaces: sensus est, in eos qui reuocantibus ab his rebus turpibus fidem adhibere nolunt, qui cùm audiunt hæc non licere, aut non credunt, aut non obsequuntur.

Nolite ergo effici participes eorum) Græcè est comparticipes, id est, ne sitis participes malorum cum illis: Agit enim de fructibus impietatis.

Eratis enim aliquando tenebræ nũc autem lux in Dño. Vt filij lucis ambulate. (Fructus enim lucis, est in omni bonitate, & iustitia, & veritate) probantes quid sit beneplacitum Deo: & nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem redarguite.

Eratis enim aliquando tenebræ) id est, versabamini in summa ignorantia: ignari eratis multiformis sapientiæ Dei, sed & hæc quæ iam commemoraui, nesciebatis peccata esse. *Nunc autem lux in Domino*) id est, per Dominum accepistis cognitionem voluntatis diuinæ. *Vt filij lucis ambulate*) Hebraismus est, primo, in ambulate. pro eo quod est, vitam exigete: deinde in, filijs lucis, Sensus est: viuite vt decet eos, quibus contigit cognitio diuinæ voluntatis, præstate opere quæ sciris. *Fructus enim lucis est in omni bonitate.*) Istud dicit contra iracũdos & amarulentos (*& iustitia*) hoc verò aduersus circũuentores ac defraudatores (*& veritate*) hoc contra mentiendi voluntatem loquitur: Sic Chrysost. Alij iustitiam generaliter accipiunt, vt omnem virtutem in se cõplectatur: & veritatem intelligunt eam, quæ opponitur Hypocrisi. (*Probantes quid sit beneplacitum Deo*) id est, exquirentes, quid reuera placeat Deo. Simon dicit hoc gratum esse Deo, alius aliud: vos explorate voluntatem Dei, tum studio diligenti, tum concionibus audiendis, tum alijs modis (*& nolite communicare*) id est, ne commercium habueritis, id est, abstinete ab illis operibus, quorum merito vos pudeat, ab illis operib* quæ oderũt lucem, & quærunt tenebras. In cap. 6. epi. ad Rom. dictum est, peccata quæ per opera tenebrarum hîc intelliguntur, nullum parere fructum nisi pœnitendum. (*Magis autem*) corrigentis est, imo potiùs, Græcis additur coniunctio, quam in sua versione expresit Erasmus: habet enim sic: Quin ea potiùs etiam arguite. Porro quia & is qui reprehendit, & is qui prodit, arguere dicitur nascitur duplex commentarius. Prior est arguite, id est, verbis reprehendite: posterior est prodite vita vestra cõposita. Si fueritis virtute cõspicui latere non poterunt mali: Quia secũdum philosophum: Contraria iuxta se posita, magis elucescunt.

Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestãtur. omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis) secundum quosdam hoc loco hyperbaton est, & pronomen (ipsis) refertur ad filios diffidentiæ, qui multo antè præcesserunt. Verum probabile magis est Apostolum demõstrasse eos qui omnibus tunc temporis erãt in conspectu: Quę in occulto fiunt ab ipsis, id est, à familia Simonis magi. De sordidissimo sacrificio Simonis, quod nominabat mysterium vitæ, de πολυμιξία fœminarum, de communitate vxorum, de genitura quã schola illa appellabat corpus Christi, & alia intolerabili obscœnitate vide Epiphanium in Simone, Nicolao, Gnosticis & Carpocrate, vbi etiam locum hunc Apostoli citat. *Omnia autem quæ arguuntur à lumine manifestantur*) vna eademq; vox est Græcis, quam noster interpres nunc lumen vertit, nunc lucem. Sensus est: decet vos, qui estis lux in Domino, arguere eorum opera, quia omnia quæ arguuntur à lumine, id est, à veris Christianis, illa reuera manifestantur: quæ verò ab Aristotele & alijs Ethnicis, quia lumen non sunt, non verè manifestantur. Diceret enim Simon reprehensus ab Aristotele, tu caligo es & tenebræ, quid me arguis?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vel secundùm aliam significationem: omnia quæ arguuntur, id est, producuntur, siquidem ipsa lux bonæ vitæ arguit & prodit turpia facta tenebrarum, etiam si nihil obiurges. Hæc significatio placuit Erasmo, Nã ipse vertit: sed omnia prodita, à luce manifesta fiunt. Expositio quam annotauimus, illud (à lumine) refert ad verbum arguuntur quod præcedit, quod & Hier. facit, Alij iungunt cum verbo sequenti manifestantur: sensus eodem semper recidit. Græci admittunt & hunc sensum: Hæc vitia quæ modo reprehendi à lumine manifestantur, nec solùm admittunt sed & planè adhuc inuitant. Non enim habent πὰ παντα & sed τὰ ἅπαντα, quòd idẽ videtur esse quod ταῦτα πάντα, id est, hæc omnia iam à me arguta.

Omne enim quod manifestatur) id est, quicquid manifestum redditur, & vitæ vestræ integritate detegitur, id lumen est, id est: luminosum fit, siue lumen accipit, ac tenebras abijcit. Discipuli Simonis desinent à sua improbitate, si videãt vitam vestram integram planè, ac puram.

Propter quod dicit) non quidem scriptura sed oraculum, aut vetus prophetia. Nam omnibus editionibus inspectis, & excussis Hebræorum voluminibus, nuquam se reperisse ait. Diuus Hieronymus hanc autoritatẽ. (*Surge qui dormis,*) id est, quicunq; versaris in tenebris, (*& exurge à mortuis*) id est, è peccatis (*& illuminabit*) siue illustrabit te Christus.

Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

Videte itaque fratres quomodo cautè) id est, circunspectè. Græcè est ἀκριβῶς, id est, diligenter & exactè ambuletis redimentes tempus. Quod noster interpres transtulit tempus, Erasmus hoc loco occasionem vertit, & cap. 4. ad Colos. oportunitatẽ. Quia inquit Græce est καιρός, quæ vox proprie articulum temporis significat. Sed sciendum Paulum frequẽter abuti hac voce, vt ad Ro. Cum adhuc infirmi essetis secundum tempus. Et ad Corint. in priori epistola: nolite ante tempus iudicare. Et ad Galat. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, quibus locis pro spatio non pro articulo temporis accipitur. Quòd ad præsentem locum attinet, Græci interpretes καιρὸν exponunt per χρόνον, id est, tempus quod aliarum rerũ dispendio emi vult Apostolus. Hier. quoq; pro spacio interpretatur. Sensus est: videte ne tempus vobis effluat occasione horũ hereticorum, dum illis præbetis aures, & cũ illis concertatis, occasione item cæterorũ qui molestiam vobis exhibent, & facultates auferre conantur, omnium iacturam facite, vt hac ratione tempus redimatis. Redimentes accipiendum est pro ementes, quemadmodum dicimus redemptores vectigalium, tũ alibi tum in re ciuili: Sic Valla (*quoniam dies mali sunt*) id est, expositi multis malis propter præsentem hæresim, quæ maior causa est obseruandi temporis. Propterea nolite fieri imprudentes, In hac re scilicet. Sed intelligentes, id est, date operam pro viribus vt cognoscatis, quę sit voluntas Dei. An ea quã prædicat Simon, an quam didicistis ab Apostolis.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris, Domino gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri. Subiecti inuicem in timore Christi.

Et nolite inebriari vino in quo) scilicet vino vel certè in qua re (*est luxuria*) vt nõ simpliciter vinum referat, sed totam orationis particulam quæ præcesit. Luxuria vox generalis est nõ ad libidinem solùm, sed ad omnem luxum pertinens Theophylactus duplicem habet commentariũ. Primò exponit in quo, id est, in qua vini temulentia est luxus: deinde addit, vel in qua vini temulentia est lasciuia & incontinentia. Nam venter mero æstuãs, facile dispumat in libidinem, sicut contrà, sine Cerere & Baccho friget Venus. Annotandũ hîc ex Epiphanio, familiã Simonis Magi adueniente aliquo peregrino eiusdem sectæ solere conuiuia exstruere, & cum incaluissent mero in Venerem ruere, concedentes vsum propriæ vxoris peregrino prætextu fraternæ charitatis. Valde ergo congruit significatio posterior quam tradit Theophylactus, vt luxuria pro libidine accipiatur. Græce est ἀσωτια quæ vox quid propriè significet: petendum est ex tertio libro Ciceronis de finibus (*sed implemini Spiritu sancto*) hoc opposuit temulentiæ: Stu-dete, inquit, repleti gratia Spiritus sancti, & velut modum exponens quo id fieri queat, adijcit (*loquentes vobismetipsis in psalmis*) dũ conuenitis non ad templa solùm, sed ad alia quoque loca, recitentur vltro citroq; psalmi, quibus prædicetur beneficium Christi, audiantur hymni quibus celebrentur laudes, & gratiæ agantur: hic est modus quo implemur Spiritu sancto. Curandum igitur in primis est, vt colloquia nostra semper sapiant Christum. Porro (psalmis & hymnis) vtrumque Græcum est, illud significat cãtionem, hoc verò laudem sed propriè Dei, & hæc opposuit

posuit ebrijs cantionibus siue lasciuis carminibus, quibus decantandis implemur spiritu etiam, sed immundo. *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris.*) Hoc addit ne quis putet satis esse, si summis labijs duntaxat recitet psalmos aut hymnos, hoc nanq; modo non implemur Spiritu. *Gratias agentes semper pro omnibus*) siue de omnib⁹ scilicet, beneficijs. *In nomine Domini nostri Iesu Christi.*) Quia per Christum nobis omnia contingũt. *Subiecti inuicem in timore Christi*) Captat hîc occasionem Apostolus ad aliud diuertendi & quodammodo deinceps cõstituit in Ecclesijs politiam quandam. Quòd ait (*in timore Christi*) sic accipiendum est, vt ipsa subiectio non propter hominum gloriam, sed Christi timorem fiat, dum illum timemus offendere: Generalem hanc sententiam in sequentibus diuidit atq; partitur.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ. ipse saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.

Mulieres (inquit) *subditæ sint viris suis sicut Domino*) id est, sicut Christo. Sic Græca scholia, pro quibus facit quod Græcè Domino adduntarticulus, Alij aliter accipiunt respicientes ad locum, qui est capite 28. Geneseos, vbi Sara Abraham Dominum vocat, (*quoniam vir caput est mulieris*) non Ethnicæ tantũ sed & Christianæ quoque, & baptisatæ, (*ipse saluator corporis eius*) etenim caput salus est reliqui corporis, oẽs pene sensus in se continens, proinde & vir mulieris: Sic Græca scholia, iuxta quę pronomen ipse respicit virum, secundùm Hieronymum verò Christũ, Ipse, id est, Christus (*sed sicut Ecclesia*) id est, tota multitudo: Nã inter singulos is etiam continetur, qui inobediens est: Sic Græca scholia, quæ faciunt contra hæreticos, qui nolunt malos esse in Ecclesia. (*Ita et mulieres viris suis in omnibus*) id est, in quacunq; te honesta tamen.

Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.

Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam) quam dilectionẽ rebus ipsis declarauit, dum (*seipsum tradidit pro ea*) id est, in morte obtulit (*vt illam sanctificaret*) scilicet sanguine suo, quo adspergimur in Baptismo, vnde sequitur (*mundãs eam lauacro aquæ*) id est, per Baptismum, qui administrantur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc est, quod ait (*in verbo vitæ.*) Ad hũc modũ interpretati sunt locum hunc veteres Theologi tam Græci quàm Latini, vt Ecclesia intelligatur mundata lauacro aquæ, quia reipsa per Baptismum ex immunda reddita est munda.

Notandus est ergo locus iste, & vnà cum illo, qui est in Epistola ad Titum: Saluos nos fecit lauacro regenerationis, obijciẽdus est hæreticis, qui volunt Baptismum nihil efficere in mente baptisati, sed per Baptismum asscribi nos tantùm externæ societati hominũ. Genitiuus, vitæ, iuxta Græcos abundat: neq; Hieronymus legit, neque Ambrosius. Exhortatio hæc id vult, vt viri ex animo diligant coniuges suas, hocq; rebus ipsis declarent, & si aliquid immundum seu impurum in eis fuerit, operam dent vt emũdetur hoc, sicut Christus de Ecclesia fecit, (*vt exhiberet ipse sibi*) id est, vt adiungeret eam sibi, non vtcunq; puram, sed decore insignẽ, & (*nõ habentem maculam aut rugam*) pulchrè maculam & rugã (quia de coniugio loquebatur) de exemplo mulierum ad decorem traxit Ecclesiæ: Quidam referunt istud ad consummationem seculi, quando Christus assignabit regnum Deo & Patri, quod iam quàm diu in procinctu stat & in acie, nõ sit Ecclesia sine macula & ruga.

Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius.

Ita & viri debent diligere vxores suas.) Cõiunctio (&) iuxta Græcos abundat. Sic inquiunt debent viri diligere vxores suas, vt sua ipsorum corpora. Hîc ad amorem coniugum hortatur tali argumẽto quòd etiam philosophos moueret, nimirũ à natura omnibus insita. (*Nemo enim vnquam*) id est, nullum omnino animal, non tantum homines sed ne bruta quidem animantia, vnquam oderunt carnem suã: Sic Augustinus lib. 21. contra Faustum cap. 7. Turpissimum autẽ fuerit id non præstare vxori, quod bruta videmus sibi mutuo præstare (*sed nutrit & fouet eam.*) Quòd autẽ quidam persequi videantur carnem suam, iciunijs, vigilijs & laboribus eam atterentes, nõ persequuntur carnẽ, sed corruptionem eius, sed inclinationes eius, & libidines ad fruendũ his inferioribus propẽsas. Pulchrè de hac Apostoli sententia, disserit Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 24. (*sicut & Christus Ecclesiam*) scilicet, nutrit & fouet, nimirũ Eucharistia corporis & sanguis sui (*quia membra sumus corporis eius.*) Hîc quæstio est difficilis in commenta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rijs eruditorum: num membra, caro, & ossa, per tropum debeant accipi, an simpliciter, vt velit Paulus, fideles esse ex carne Christi, sicut Eua fuit ex carne Adæ & eius ossibus, & sicut manus est ex ossibus & carne totius corporis. Ambros. tropū agnoscit: spirttualiter inquit illud intelligendū est. Hic nota quòd schola veterum Theologorū imitata Græcos, sensum spiritualem, quē ipsi pneumaticū appellant, illum vocet quē alias tropicum dicimus & figuratū. D. Hiero. simpliciter accipit: Membra sum⁹ corporis ipsius, id est, sumus mēbra talis naturæ, qualē ipse assumpsit: atq; hāc ob causam, nimirū quia participamus cū eo eandē naturā corporeā, ipse nutrit & fouet nos. Quod sequitur (*de carne eius, &c.*) Explicatio est præcedentis, nā constamus carne & ossibus, qualibus ipse Christus in cœlestibus. Quæ similitudo naturæ est causa singularis erga nos amoris: amat nos Christus, nō solum quia ipsum in propria venientē recepimus, verum etiam quia eiusdem cum ipso naturæ sumus: Hoc modo non potest Christus amare Angelos, quorum semen nō apprehendit. Cum Hieron. sentit Irenæus qui lib. 5. contra hæreses non longè ab exordio, cum citasset locum hunc Apostoli, subiecit non de spirituali aliquo & inuisibili homine dixit hæc Apostolus. Spiritus enim neq; ossa neq; carnes habet, sed de ea dispositione quæ est secundū hominem qui ex carnib⁹ & neruis & ossibus consistit, qui de calice, qui est sanguis Christi, nutritur: & pane, qui est corpus eius augetur. Si quis malit amplecti spiritualem sensum, is dicet nos esse membra vt Christus noster est caput. (*De carne eius & ossibus eius*) id est, per prætium sanguinis effusi. Verùm prior interpretatio exactior est. Quidā commentarius, corpus & membra per metaphoram interpretatur: carnem vero & ossa propriè accipit hoc sensu: nutrit & fouet nos Christus, propterea quòd sumus singuli membra corporis sui, quod est Ecclesia, ex eadem secundum speciem natura ossis & carnis compositi.

Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erūt duo in carne vna.

Propter hoc relinquet homo patrem, &c.) Nō sunt verba Pauli, sed Adæ in Gene. Sēsus est: ad intelligenda ista quæ explicare cœpi, conducit historia Geneseōs, quæ est cap. 2. ad hunc habens modum. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Propter hoc, id est, quia ex eadē carne & eisdem ossibus sunt vir & mulier, relinquet homo patrem suum & adhærebit, id est, coniungetur vxori suæ: Interpretantur quidā de consuetudine domestica, alij de carnali cōmertio: Ad verbum est agglutinabitur ad vxorem suam, (*& erunt duo in carne vna*) id est, erunt vna caro. Nomine carnis totum hominē intelligit iuxta proprietatem sermonis Hebræi: ex duobus inquit vnus fiet homo, tū propter animorum concordantiam, tum propter comixtionem corporum.

Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.

Sacramentum hoc magnum est) sensus est: Historia hæc iam à me recitata præter literalem sensum, secundū quem significat maritum relictis parentibus perpetua consuetudine domestica adhæsurum vxori suæ, habet & sensum mysticū, vt sit prophetia quædam coniunctionis Christi, cuius typū gerit Adam, & ipsius Ecclesiæ cuius typum exprimit Eua. Ad hunc modū interpretatur Hieronymus, vt Sacramentū pertineat ad superiora. Erasmus verò refert ad ea quæ sequuntur, vt sensus sit, non quòd cōiunctio Adæ & Euæ siue viri & mulieris sit magnū Sacramentū, sed quòd coniunctio Christi cum Ecclesia magnū Sacramentum sit, sed indulget Erasmus hic ingenio suo, cùm veteres oēs aliter interpretati sint, non solùm Hieronym⁹ sed Nazianzen⁹, sed & Chrysostom⁹, ipse quoq; Oecumenius, qui omnes ad superiora referunt quod hic dicitur: mirum vt coniunctio Adæ & Euę sit allegoria quædā magna, hoc est, typus cōiunctionis Christi cum Ecclesia. Sententia Nazianzeni est apud Hieronymū in commentarijs huius: Oecumenij habetur in enarratione illius: Veruntamen & vos singuli: Hęc inquit anagoge & pneumatica interpretatio non euertit propriā interpretationē, vbi duo innuit, Paulum videlicet Historiā Geneseos allegoricè accepisse, ac interim sensum literalem retinendū esse. Ne cui negotium faciat in hoc commentario vox anagoge, sciendum apud veteres nō distingui anagogen ab allegoria, vt in Esaia annotaui⁹, postea non incommodè facta est harū distinctio. Erasmum, vt diuersam sequeretur à veteribus sententiam, adduxit partim vox Græca mysterium, quam noster interpres vertit Sacramentum: nō enim in hoc inquit magnū est mysterium, si vir iungatur vxori: partim illa particula, ego autē, &c. quam hunc vult habere sensum: verùm ego loquor de Christo & Ecclesia. Sed non aduertit Erasmus Apostolum appellare mysterium hoc loco, quod in priori Epistola ad Cor. typum vocat, & in Epistola ad Galat. allegoriā, in qua significatione hac voce vsus est Nazianzenus, vt videre est in comment. Budæi in linguam Græcam. Dicitur ergo historia Genesis

sis, cuius in precedentibus meminit, magna quædam allegoria, quia maximæ cuiusdam rei typus est: cuius autem rei typus sit, explicat Apostolus dum dicit. (*Ego autem dico*) id est, me quidem interprete, id est, quātum mihi Paulo videtur, est typus Christi & Ecclesiæ. Addita est hæc particula, ego autem dico, modestiæ causa à Diuo Paulo (*in Christo & Ecclesia*) id est, de Christo & Ecclesia. Phrasis hæc etiam apud veteres Theologos obuia est frequenter, dicunt ego hoc interpretor in Christo, id est, de Christo. Sic Hieronymus loquitur in comment. huius loci. Sic & Epiphanius interpretans illud: surge qui dormis, &c. Eodem sensu dicunt: interpretor hoc in Christum. Secundùm hanc expositionem quæ est Hieronymi, Nazianzeni & veterum, particula ista: ego autem dico, nihil facit pro Erasmo.

Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

Veruntamen & vos singuli) quod dicit tale est: Etsi iuxta allegoriam hæc sim interpretatus, tamen volo vos retinere sensum literalem, & de vobis dictum intelligi, quod dixit Adam: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, &c. Vt vnusquisq; vxorem suam sicut seipsum diligat. Notat Hieronymus aduerbium (sicut) aliam habere vim hoc loco & aliam vbi dicitur: diliges proximum tuum sicut teipsum. In proximo, inquit, similitudo ponitur, vt sic eum diligas sicut teipsum, & cupias esse saluatū: in vxore autem comparationis aduerbium (*sicut*) non similitudinem, sed approbationem & confirmationem cum quodam pūdere sonat, quomodo dicimus de viro, quasi vir fecit: & de saluatore scriptum est: vidimus gloriam eius quasi gloriam vnigeniti, hoc est, vt vnigenitum (*qui ipse erat*) decebat habere gloriam, (*& vxor timeat*) id est, reuereatur virum suum: Hoc modo interpretatur Hieronymus. Item Græca scholia φοβεῖται, inquiunt, intelligit non seruorum more timere, sed vt vxorem decet reuereri ac solicitam esse, ne maritum offendat. Hæc timoris species à philosoohis εὐλάβεια dicitur.

CAPVT. VI

Filij, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.

GEneralem sententiam suprà dictā. (*Subiecti inuicem in timore Christi,*) per partes explicans Apostolus, tres adfert subiectionum species. Quarum prima est, vxoris respectu mariti, de qua egit in præcedenti capite. Secunda est, filiorum respectu parentū. Tertia, seruorū respectu dominorū, atq; de secūda hac & tertia in hoc capite tractat.

Filij obedite parentibus vestris in Domino.) Hebraismus est, id est, secundum Dominū, id est, quatenùs Dominus & euangelica doctrina permittunt. Si enim absurda & sanctis madatis Dei contraria præceperint, non est parendum ipsis. (*Hoc enim iustum est*) & naturæ lex id exigit, non solùm autem illa, sed & diuina, quæ habetur Exod. 20. cap. (*Honora patrem & matrem, quod est mandatum primum*) non quidem simpliciter, sed primum cui adiuncta est promissio, id est, quod ait, in promissione: valet enim (in) hoc loco idem quòd beth Hebraicum. Promissio adiuncta mandato est (*vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.*) Alij interpretantur, primū scilicet in secunda tabula.

Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

Et vos patres, &c.) Iracundiam interpres pro ira posuit. Sensus est: ne in tempestiuo imperio prouocetis ad iram liberos vestros, ne sitis duri erga illos & asperi, ne tractetis eos in modum seruorum, (sed educate illos in disciplina) Græca vox παιδεία anceps est, significans tum eruditionem tum castigationem. Verùm hoc loco pertinere videtur ad castigationem, quam Paulus exerceri vult moderatè, vt decet Christianos. Hieronymus alterum significatum accipit, tanquam velit Paulus Patres instituere filios suos in præceptis diuinis: Ad eundē modum interpretatur Chrysostomus, quos secutus est Erasmus in translatione sua, vertēs per eruditionem, sed rectius noster interpres, qui disciplinā trāstulit, quæ vox æquè atq; Græca anceps est. (*Et correptione Dñi*) Græce est νουθεσία, quæ vox vt præcedēs apud eos anceps est: significat enim nunc admonitionē, nūc obiurgationē siue correptionem, atq; inde dicta est, quòd in animū alicuius ponas & ingeras, quid factum oporteat, Hieronymus admonitionem mauult accipere, quod vocabulū mollius sit, quàm correptio. Hactenus de secunda, iam tertiam aggreditur.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei, ex animo: cum bona volun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tate feruientes sicut Domino, & nõ hominibus. Scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber.

Serui obidite dominis carnalibus) id est, tẽporalibus. Iam tum Apostolorũ tempore erant, qui malè intelligentes libertatem Christianam, docebant fideles non debere subesse in fidelibus, quemadmodũ annotat Hieronymus in cõmentarijs huius loci. Ad extirpandum dogma hoc, Apostolus vbiq; tam studiosè præcepit seruis obedientiam. Quod sequitur: (*cũ timore & tremore*) interprætatur quidam vt serui timeant iussa dominorum, & ad ipsorum imperia tremãt, ac magna solicitudine explere illa studeãt. Verùm locus qui est in Epistola ad Collossenses capite 3. ad alium inuitat sensum, hûc nimirum: serui obedite dominis in timore ac tremore Christi: nam in die iudicij Christus hoc requiret à vobis si non præstiteritis. (*in simplicitate cordis*) id est, nõ subdolo animo, (*non ad oculũ seruientes*) volo vos facere præcepta & imperia dominorũ, nõ solùm cùm adsunt ipsi ac vident, sed tum etiam cùm absunt. Ad verbum est, non iuxta oculare seruitium, quod Paulus vnica voce composita extulit dicens, κατοφθαλμοδουλίαν, (*quasi hominibus placentes*) & hîc vnica vox est cõposita ἀνθρωπάρεσκοι, quã vt aduerbiũ reddamus: Non vt homo placiti, hoc est, non vt ij qui hominibus probari student, *Sed vt serui Christi*) id est, nullo respectu hominum, sed solius Dei, tanquã illi seruientes, vestrũ obsequium dominis exhibete, (*facientes voluntatem Dei.*) Si serui exequẽtes iussa & imperia dominorum Ethnicorum secundùm Paulum faciunt voluntatem Dei, quãto magis Christiani obtemperantes Episcopis suis, & ipsorum leges & decreta præstantes. Locus notandus est cõtra Lutheranos (*ex animo*) id est, non coactè, (*& cum bona voluntate*) id est, *amicabili affectu*) scientes quòd vnusquisq; siue seruus, siue liber quodcunq; fecerit bonum hoc recipiet à Domino, hoc est, reportabit mercedem, & præmium referet pro bono ŏpere. Remuneratio hæc secũdùm Bucerum habet quidem nomen mercedis, non autem rem ipsam, sed ob id merces dicitur secũdùm ipsum, quia subsequitur opera. Philippo visum est nimis improbum ita torquere scripturas, vnde agnoscit & vocem & rem, hoc est, fatetur Deum pro operibus & respectu operum dare mercedẽ, cum in hac vita tum in altera, sed negat mercedem hanc esse vitam æternam. Sed locus qui est in Epistola ad Colossenses capite 3. & huius erroré reuincit. Apertè enim ibi habet Apostolus, quòd Deus daturus sit pro operibus retributionem hæreditatis.

ET vos domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quòd & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud eum.

ET vos domini eadem facite illis, &c.) hoc est, præstate vos tales erga seruos, quales ipsos volo esse erga vos. Sunt præcepta humanitatis (*remittẽtes*) id est, relaxantes (*minas*) id est, ne fitis feroces, ne sitis minabundi, & imperiosi nimis in seruos, sciẽtes quòd communem Dominũ habetis, qui in iudicando non respicit personam, vt hunc quia seruus est condemnet, illum quia dominus est absoluat: sed sine discrimine talium rerum vnũquemq; pro qualitate vitæ, vel præmijs adiudicat, vel supplicijs. Pro personarũ acceptio, Græcis vnica vox est προσωπολημψία.

DE cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

DE cætero) particula est apud Paulum seruiens clausulis Epistolarum. Quod reliquum est, ait, siue vt aliquãdo finiam, date operam vt fortes reddamini *in Domino*) id est, per Christum (*in potentia virtutis eius*) id est, per potentiam virtuosam, hãc Paulus in se expertus erat, hancq; experiuntur, sentiunt & vident, qui sunt in Christo, dum vitam suam quam nunc agunt, cum ea conferunt, quam olim egerunt ante Christum cognitum. Quemadmodum autem in familiam principio Epistolæ respexit Apostolus ad Simonis, sic in hac quoque cõclusione, in qua cupit nos robur sumere in Christo, quo præditi facilè vincemus libidines ad quas inuitat Simon, omnesq; ipsius turpitudines. Erasm' vt vitaret amphibologiam vertit, in potentia roboris illius, quod interpretantur quidã, vt hoc sit, quod in fiducia potentiæ Dei.

Induite vos armaturam Dei.) Paulus habet παναπλίαν, id est, totam armaturam, id est, omnia simul arma, quæ ad militẽ pertinent. Græcam vocem propiùs expressit interpres Ambrosij, vertens vniuersitatem armorum. *Vt possitis stare aduersus insidias diaboli*) quas scilicet, molitur per Simonem, Menandrũ, Basilidem, per Gnosticos & alios hæreticos. Multimoda ingenia diaboli, dolos, fraudes, & versutias significare volẽs Apostolus, plurali numero dixit μεθοδείας. Est autem μεθοδεία cum quis ex insidijs aggreditur alium, μεθοδεύει est per compendium ex abrupto adoriri; quod arte fit: Cum peritissimo igitur bellatore & hoste nobis pugna est, qui nõ simpliciter neq; apertè bellum gerit, sed cũ multis insidijs. Istud dicit vt excitet eos ad capescenda arma, non vulgaria sed arma manu Dei fabricata. Quod sequitur, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, &c.*) variè à diuersis exponitur. Quidam carnem & sanguinem accipiunt, vt sit periphrasis hominis, hoc sensu: In negotio hoc fidei non est nobis lucta vel pugna aduersus dæmones, qui in hominibus istis, in Simone, in Basilide, in Gnosticis efficaces sunt. Ita hodie qui bus res est cum hæreticis, non cum hominibus rem habent, sed potiùs cum diabolo, qui ipsos in pugnam incitat & armat. Alij carnem & sanguinem propriè accipiunt, pro parte illa quę nobis bruta est, vnde ebulliunt motus impuri: Atque hi rursus aliter & aliter interpretantur. Quidam enim subaudiunt particulam (*tantùm*) hoc sensu: Non est nobis colluctatio aduersus carnem tantùm & sanguinem, verùm etiam aduersus principes, &c. Alij nihil subaudiunt, sed ad hunc modum interpretãtur: Pugna quæ cum carne & sanguine nobis est, licèt in se considerata grauis sit & molesta, tamen collata cum ea qua contra dæmones dimicamus, nulla est, tantæ sunt vires & tantæ sunt fraudes dæmonum. Vires ipsorum innuit Apostolus dum ait: aduersus principes, aduersus potestates. Quemadmodum enim in bonis Angelis alij principes dicuntur, alij potestates, sic & in reprobis seu refugis spiritibus, de qua re agitur in 2. sententiarum. (*Aduersus mundi rectores.*) Notatio est diaboli, quem Christus vocauit principem mundi. Ne quis autem mundi appellatione intelligeret cœlum vel terram, adiecit Apostolus (*tenebrarum harum*) ac si dicat, contra mundi rectores, id est, aduersus dominos tenebrarum seculi huius Dominantur enim dæmones hominibus mundo deditis, in horum cogitationibus & consilijs efficaces sunt, quos tenebras appellari tum ex alijs scripturarum locis, tum ex hac ipsa epistola discimus, ex loco videlicet qui est cap. 5. Eratis aliquando tenebræ. Quod nõster interpres duabus, Apostolus vnica vocè composita extulit: dicens κοσμοκράτορας, quę vox hoc loco excepto, neq; in veteri testamento neque in nouo vsquam reperitur, quam finxit Apostolus, quo reb' nouis nouã accommodaret vocabula: (*Cõtra spiritualia nequitiæ*) hoc est, phrasi Hebræa, contra spirituales nequitias, quibus verbis cum naturam tum ingenium dæmonum, expressit Apostolus: Naturam, dum spiritus esse ait: ingenium, dum nequitias appellauit seu potiùs versutias: siquidem nequitia propriè ad

libidinem & luxum pertinet, quod hæc vitia hominem perditum & nihili declarant. πανοπλία verò, qua voce vsus est Apostolus, præter malitiam etiam versutiam significat, atq; hoc significatum hoc loco exprimere voluisse Apostolum inde constat, quod in sequentibus μεθοδείας posuerit. Postquã dixit, quãm vehementes habeamus hostes, arguens primò ab arte ipsorũ & fraude, deinde à potestate & viribus, & postremo à natura, deinde infert de loco. Sunt, inquit, proximi nobis, agunt in aëre hoc qui supra nos est, ibi sedem suam habẽt, hoc est, quod ait. (*In cœlestibus*) est talis phrasis, qualis illa: gloria in excelsis Deo, sermo dilucidior fuisset, si dixisset: contra spirituales versutias degẽtes in cœlestibus, quod facere potuisset adiectione vnius articuli ante præpositionem. Ad hunc modum Hieronymus interpretatur: Omnium, inquit, doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum & terram medius diuidens inane vocatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus.

Græci alium huius loci habent sensum, hunc nimirum: Pugna nobis est cum refugis spiritibus, nõ de paruis rebus, sed de cœlestibus. Sic Chrysostomus: Præpositio (in) ait posita est loco propter vel pro: Sic & Græcanica scholia. Verùm siue hoc siue altero modo interpretemur, multum ponderis adfert particula hæc exhortationi. Augustinus de agone Christiano cap. 3. habet, quod Hieronymus cap. 5. magis accedit sententiæ Græcorum, non tamen planè idem cum illis sentit. Accipit enim ipse præpositionem (in) propriè: verba eius sunt: Potest & aliter intelligi locus iste, vt videlicet nos in cœlestibus constituti, id est, in spiritualibus Dei præceptis ambulantes, dimicemus aduersus spiritualia nequitiæ, quę nos inde conantur abstrahere.

PRopterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnib' perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.

PRopterea) id est, quia tam vehemẽtes hostes habetis (*accipite armaturam Dei*) hic rursus est παναπλίαν, quæ vox non simpliciter arma, sed vniuersa arma significat. (*Vt possitis resistere in die malo*) id est, in tempore tentationis: Hoc vertũt alij, in die mala. Hieronymus intelligit extremi iudicij diẽ, sed omnino verisimile est Apostolum respicere ad præsens seculum. (*Et in omnibus perfecti stare.*)

Universidad de Deusto
Biblioteca

stare.) Sensus est: vt cùm iuxta omnia eritis perfecti, id est, sic comparati, sic probe instructi πανοπλεια siue vniuersitate armorũ positis stare, sic vt nõ moueamini loco impetu hostiũ. (*State ergo succincti lumbos vestros*) sermo figuratus est. Quidam metaphoram sumptam putant ab ijs, qui accingunt se operi vel itineri. Alij sumptam putant à militibus qui eam partem corporis baltheo lumbis conserto, tegere solent in bello. Qui respicit ad cap. 12. Lucæ, & cogitat Paulum amare Euangelium, præferet priorem sententiam, quæ Ambrosij est: Omnis, inquit, qui operari vult, accinget se, vt ablato impedimento diligentiùs operetur. Qui verò respicit ad textum sermonis, & aduertit quid præcedat, quidque sequatur, præfert posteriorem sententiam, quam amplexus est Erasmus, non solum in annotationibus, sed etiam in translatione sua. Vertit enim ad hunc modum: state circumcinctis lumbis vestris baltheo in veritate. Sed meritò reprehenditur Erasmus, inferens textui baltheum, cùm id sit priuati sensus: & quamuis Hieronymus & Chrysostomus sic interpretentur, interpretationes tamẽ non sunt admiscendæ textui scripturæ. Quod additur. (*In veritate*) referunt quidem ad veritatem dogmatum: Alij ad veritatem vitæ, quod improbabile non est, maximè si respicimus ad hypocrisin familiæ Simonis. Præpositionem (in) adiecit more Hebræorum: Milites, inquit, lumbos baltheo tegunt, vos spirituales lumbos munire volo veritate. (*Induti lorica iustitiæ*) monet Apostolus vt se muniant aduersus hæreses: primò, veritate fidei velut baltheo, deinde iustitia, id est, (interprete Chrysostomo) catholica & virtute prædita vita velut thorace seu lorica. Quod diligenter aduertendum: nam multis hodie magna causa ruinæ in hæresin, est mala vita. Quidam illud quod præcessit. (*Circumcincti lumbos, &c.*) sic interpretantur, vt velit Apostolus Ephesios vestimenta libidinis in altum colligere: ad quem modum etiam plerique exponunt locum Lucæ, vt pertineat ad castigationem rei Venereæ ac libidinis, quæ sedem in lumbis habet. Quem commentarium probabilem facit ingenium familiæ Simonis pronum in libidines. (*Calceati pedes in præparationem*) textus additus commentarijs Hieronymi habet (in) præpositionem, atq; ita Græci legunt: habent enim præpositionẽ εν pro εις. In commentarijs exponẽs hæc verba, omittit Hieronymus præpositionem, & legit calceati pedes præparatione Euangelij pacis, atque hoc est, quòd in præcedentibus annotauimus Apostolum more Hebræorum adiecisse præpositionem. Vult ipsos promptos esse & paratos non solum ad Euangelium pacis & retinandum & tuendum contra Simonianos, sed & ad propagandum ipsis licet aduersantibus, Euangelium pacis vocat, quia docet fideles idem sentire: idem sapere, non generat schismata nec dissensiones. Alij pacem interpretantur, quæ est reconciliatio cum Deo, quam annunciat Euãgelium. (*In omnibus sumentes scutum fidei*) Erasmus vertit, super omnia, Vbi sciendũ quod, super, Latinis aliquãdo excellentiam significat: Vt dulces super omnia musæ. Interdum licet rarius connectendi formula est, vt apud Suetonium: Super ingenuorum pædagogia, id est, præter. Ad, eundem modum Græca præpositio ἐπὶ ambigua est, quam hoc secundo modo sumit Oecumenius propter. Hieronymus legit quod vertit Erasmus, sed interpretatur vt noster interpres, vt super omnia, id est, in omni opere, inquit, portate clypeum fidei, vt possitis tecti atque muniti excipere venientes sagittas, & huc atq; illuc arte eas bellica declinare. Loco nequissimi græcè est τοῦ πονηροῦ cum articulo, id est, mali siue versuti illius, & intelligit vel principem vel totum cœtum dæmonum. Interpreti nostro familiare est positiuum vertere per superlatiuum, quod nõ videtur absque graui causa facere. (*& galeam salutis assumite*) id est, spem regni æterni, sic facile cõtemnetis libidines Symonitanorum. Galeam salutis, periphrasin esse spei discimus ex cap. 5. prioris Epistolæ ad Thessal. (*& gladiũ spiritus*) id est, phrasi hebræa, gladium spiritualem, & quis sit iste gladius interpretans, qui inquit est verbum Dei. Hoc gladio vtus est in conflictu contra dæmonem Saluator noster apud Matthæum cap. 4. non semel vel iterum, sed ad omnem aggressum. Hactenus in specie exposuit Apostolus quòd in genere dixerat, induite πανοπλειαν, et quia satis non est his instructum esse armis, nisi accedat & oratio iugis & assidua, idcirco adiecit,

Luc. 10.

PEr omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.

PEr omnem orationem & obsecrationem orãtes omni tempore) scilicet, sepositò, id est, destinato ad fundendas preces aut ex publica consuetudine aut priuata. Videte Aug. de hæresibus. Quod vult Deum, in hæresi Eschitarum, (*in spiritu*) id est, non in βατταλογία, de qua Saluatnr apud Matthæum cap. 6.

cap. 6. Orantes nolite multum loqui, vbi est μὴ βαττολογήσητε. Sic Chrysostomus, sic et Græcanica scholia. Secundùm Amb. (*in spiritu*) id est, conscientia munda & fide integra. In carne, inquit orat, qui polluta mente orat (*& in ipso vigilantes*) Græcus sermo ambiguus est, referri potest vel ad spiritum vel ad rem. Noster interpres retulisse videtur ad spiritum: In ipso scilicet. Eras. ad rem refert: Nam vertit ad hoc ipsum vigilantes (*in omni instantia.*) Aduertendum Apostolum hic etiam à laicis requirere continuam orationem pro successu Euangelij, & extirpatione hæresium. Quid igitur faciendum nobis clericis? (*vt detur mihi sermo in apertione oris mei*) Hebraismus est sicut apud Matthæum cap. 5. Aperiens os suum docebat eos, &c. *Vt cum fiducia*) Græcè est παῤῥησία, quæ propriè est audacia & libertas loquendi, vt cùm nihil veriti dicimus in genere (*notum facere mysterium*) id est, arcanum Euangelij (*pro quo*) siue super quo (*legatione fungor in catena.*) Hinc patet Epistolam hanc ex vinculis scriptam. *Ita vt in ipso audeam*) in ipso, id est, de ipso scilicet mysterio Euangelij Hebraismus est, vt de arcano Euangelij audeam loqui, ita vt oportet, vt libere illud prædicem. Habent & alium sensum Græcanica scholia: Vt inquiunt cum libertate pro me causam dicam, & rationem reddam Euangelij à me prædicati. In vinculis enim erat & pro se responsurus.

VT autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis notũ faciet Tychicus, charissimus frater & fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo. Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrũ Iesum Christum in incorruptione. Amen.

VT autẽ & vos sciatis quæ circa me sunt.) Nihil hic est difficultatis, hoc tamẽ est hic commodi, quod hinc apparet Epistolam ad Colos. planè eodem tempore, eodem loco, & impetu scriptam esse. quo scripta est hæc ad Ephe. vt in qua succurrerint Paulo eadem verba ex propinqua cogitatione de præcedenti Epistola (*pax fratribus*) trãquillitas conscientiæ, (*& charitas cum fide*) id est, sit aut detur vel augeatur, (*à Deo Patre, &c.*) obseruandæ sunt locutiones Apostoli, quibus nunc à Christo, nũc in Christo, vel per Christum dicit: hæc aut illa donari nobis. Multum enim discriminis habent hæ formulæ. Sed & in Christo siue per Christum pro locorum varietate aliter & aliter accipitur. Aliam enim vim habet, vbi ait Apostolus. Patrem reconciliasse nos in Christo: vt in posteriori Epistola ad Cor. cap. 5. Aliam vbi ait, Patrem elegisse nos in Christo, vt cap. 1. huius Epistolæ, nisi in ipso, hoc est, per ipsum referas ad verbum elegit, ratione alicuius temporalis effectus inclusi, quod facit Dominus Turnout lib. 5. de Eccles. dogmatibus, vbi explicat vim & vsum præpositionis (in.) Quod si facias, præpositio in, siue per significabit meritum sicut in præcedenti sententia. Commentarius Turnout eo loco insignis est, & mirè congruit scopo Pauli (*gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione*) id est, incorruptè, integrè, purè, ac syncerè: Phrasis Græca est. Similis est in libro Sapientiæ: Sentite de Domino in bonitate, id est, bene sentite de Domino.

Quidam istud in correptione Apostolum adiecisse putat, propter libidines & execrandas turpitudines familiæ Simonis.

FINIS.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES EXPOSITIO FRATRIS ADAMI SASBOVT DELPHII.

ARGVMENTVM.

POst Epistolam ad Ephesios, eam quæ ad Colossenses scripta est, interpretandam suscepimus, quod vtrinsque idem sit argumentum. Per Angelos, ait Chrysostomus, credebant se reconciliatos accessum habere ad Deum. Talis est Simon, persuadens Christum non sufficere ad reconciliationem, habebant præterea multas obseruationes tam Iudaicas quàm Gentiles: Istas itaque corrigit. Idem argumentum est apud Theophylactum, & Oecumenium, & Ambrosium. Non est igitur scopus Apostoli, tradere methodum Christianismi, vt quidam volunt, sed huic non consentanea reijcit. Scripta autem est Romæ non Ephesi, vt prologi habent Latini: De qua re nonnihil dicemus in enarratione Epistolæ.

In vltimo capite huius Epist.

EPISTOLAE PAVLI AD COLOSSENSES.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater. ijs qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo IESV, gratia vobis & pax à Deo Patre nostro.

PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, &c.) Istud addidit propter illos qui diuersam inducebant doctrinam, propter familiam Simonis & Iudaizantium, ac si dicat: Hi assumunt munus docẽtium, sed non per voluntatem Dei: ego verò missus sum à Christo idq; volente Patre: quare mihi non illis fides adhibenda est.

Ijs qui sunt Colossis) Colossæ ciuitas est Phrygiæ, quæ est in Asia minore & id liquet ex eo quod vicinã habeat Laodiceam, quẽadmodum videre est in fine huius Epistol. Sic Chrysost. sic Theoph. sic & Græcanica scholia. Quod annotandum duximus propter eos, qui Coloss. in Rhodum transferunt. *Sanctis & fidelibus*) nec Latina vox, nec Græca correspondens, significat nobis id, quod hoc loco exprimere voluit Paulus imò nec Hebræa: Quare consulenda est quarta lingua, quæ est phrasis scripturæ, iuxta quam reperiemus fideles dici credentes, hoc est, qui fide sua fidẽ Abrahæ imitantur.

Obiter id quoque obseruandum, fidem quam prædicant scripturæ, perpetuò respicere Christum vel expresso vel tacito nomine. Sic Adam fidelis fuit in Christo sub nomine seminis mulieris, quod cõtriturũ erat caput serpentis: Sic Abraham sub nomine seminis sui, Sic filij Iacob sub nomine illius qui mittendus erat: Anna Samuelis mater omnium prima fidem collocat in Christo expresso nomine. Cum siquidem nũquam vidisset regem vel Christum Domini qualis Saul erat: vixit enim sub iudicibus, ait tamẽ in cãtico suo: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Loquitur proinde nõ de regibus, vel de rebus sui temporis, sed de Christo cuius fidem nũc Apostolus prædicat. Post hanc Annæ prophetiam, quæ est cap. 2. primi libri Regum, frequenter vtitur scriptura nomine Christi ad eum sensum, quo Paulus dicit in Christo fideles, quibus scribit. Cætera quę pertinẽt ad declarationẽ salutatiõis, petãtur ex præcedẽtib' epistolis.

GRatias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos oẽs, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis Euangelij

GRatias agimus Deo & Patri Domini, &c.) Insinuatione captat beneuolentiam. Huic similis planè locus est in epist. ad Ephesios cap. 1. Propterea ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, &c. qui annotandus est, vt appareat duas has Epistolas vno impetu scriptas esse. Potest autem hic locus bifariam distangui, altero modo vt post genitiuum (Iesu Christi) ponatur hypostigma, altero modo vt collocetur hypostigma non post genitiuum quem diximus, sed post ablatiuũ qui sequitur pro vobis. Priorem quidem distinctionẽ amplectitur Chrysostomus: posteriorem verò Erasmus: nam vertit ad hũc modum: Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi semper de vobis cùm oramus. Verùm probabilius est quod habet Chrysostomus: Dilectionem non solum ex eo, ait, declarauit quod Deo gratias agebat, sed & ex eo quod continuò pro illis orabat, quodq; eos quos non viderat, semper in animo habebat.

Ex quibus verbis, clarum est Chrysostomum illud (*semper pro vobis*) retulisse adorãtes. Vnde mirum est Musculum, cùm susceperit Chrysostomum interpretandũ proposuisse versionem Erasmi, quæ non conuenit cum expositione Chrysostomi: Quis verò sit sensus huius, dictum est in epistola ad Ephesios, in enarratione illius, omni tẽpore orantes. Et certissimus de hac re commentarius est apud Augustinum, in libro ad Quoduultdeũ, hæresi. 57. cõtra ἐυχίτας, qui ab orando sic appellati sunt. Tantum enim orant, vt eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cùm Dominus dixerit, oportet semper orare & non deficere: & Apostolus, sine intermissione orare quòd sanissimè sic accipitur, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi, Isti ita nimis hoc faciunt, vt hinc iudicentur inter hæreticos nominandi: Sic August.

Audientes fidem vestram, &c.) Græcis participium est præteriti tẽporis: Posteaquàm audiuimus fidem vestram narrante (secundum Chrysostomum) Epaphra vel certè quoniam audiuimus, vt sit participium causale quod placuit Erasmo, & sensus non malus est: fidem in quam quæ est in Christo Iesu, non in Simone, non in Angelis, quos ille inducit ex philosophia Platonis. (*Et dilectionem vestram, &c.*) id est, charitatem, quã habetis non erga vnum aut alterum, sed erga Christianos omnes, tã peregrinos quàm indigenas, hoc est, quod dicit, in sanctos omnes. Ex his discere debemus affectus Pauli, & conari vt tales & ipsi euadamus, vt gaudeamus & Deo gratias agamus, si quando perfertur ad nos, fidem apud exteras nationes propagari & incrementa sumere.

Propter spem) id est, res speratas, propter futura bona reposita vobis in cœlis quã spem siue de qua spe (*audistis in verbo veritatis*) id est, per sermonem veracem Euangelij. Veritatis verbum merito tribuit Euãgelio, quia in eo nullum est mendacium, nullus error.

Quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit, sicut & in vobis ex ea die qua audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu.

Quod) scilicet verbum veritatis Euangelij peruenit ad vos sicut & in vniuerso mundo est, id est, in multis & magnis mundi partibus. Est hyperbole, quam hoc ipso capite repetit quod prædicatum est ait in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est. Ex his locis colligimus Epistolam hanc scriptã sub finem prædicationis Pauli: Fructificare dicit eò quod efficaciter operatur. Crescere eò quod multi illud amplectuntur. *Sicut & in vobis ex ea die qua audistis.*) Est laus sed obliqua, hoc est, non tam laudat quam hortatur, vt quod semel rectè amplexi sint, teneant, nec ab eo se dimoueri patiãtur. Eodem cõsilio dixit in vniuerso mundo esse, & fructificare Euangelium, & crescere, vt audiẽtes, multos se habere dogmatum consortes, confirmentur in fide Christi. *Et cognouistis gratiam Dei in veritate*) Hebraismus est, id est, verè, vel secũdùm Chrysost. rebus ipsis, ipsis operibus: verisimilius tamen est, illud verè opponi falsæ doctrinæ. *Sicut didicistis ab Epaphra, qui est fidelis pro vobis minister*) Græce est διάκονος, hoc tamen loco vocabulum ministerij est, non ordinis. Fidelis sine πιστὸς aliud hic significat quam in salutatione, hoc loco intellexisset etiam Cicero: priori nequaquam. *Qui etiam manifestauit vel declaranit siue exposuit, nobis dilectionem vestram*) qua Paulum & Timotheum complectimini, imo omnes sanctos, dilectionẽ inquam vestram (*in spiritu*) id est, dilectionẽ spiritualem: Sic Chtysost. sic & Græcanica scholia, vt opponatur dilectioni carnali, qualis erat inter Simonaicos.

IDeo & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapiẽtia et intellectu spirituali, vt ambuletis digne Deo, per omnia placẽtes, in omni opere bono fructificãtes, et crescẽtes in scientia Dei, in omni virtute

Universidad de Deusto
Biblioteca

tute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo Patri.

IDeo & nos ex qua die audiuimus non cessamus pro vobis orãtes) phrasis Græca est, nos per infinitiuum proferimus: Non cessamus pro vobis orare & poscere. (*Vt impleamini agnitione voluntatis eius.*) Simile est in Epistola ad Ephesios capite 1. Vt det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem, &c. Rursus 3. capite, vt impleamini in omnem plenitudinẽ Dei. Sensus est: vt perfectè cognoscatis voluntatem Dei, quam ex parte didicistis, quod opus sit reconciliatione: reliquum est vt discatis nõ nisi per Christum reconciliationem contingere, vt non admittatis Angelos Simonis. Ad hunc ferè modum Chrysostomus exponit, & Græca scholia: (*In omni sapientia & intellectu,*) hoc ad Ephesios 1. dixit: In omni sapientia & prudẽtia, voces diuersæ sunt, sed res eadem, ibi est φρόνησις, hìc est σύνεσις. Volo inquit, instructos vos esse sapientia prudentia, sed spirituali, non ea quam profitetur schola Simonis. *In omni virtute confortati,*) Opus est ait, quoniam iam dies mali sunt ob Simoniacos, magna aliqua virtute, id est, vi seu potentia: Nõ enim virtꝰ huius loci opponitur vitio, vt Lyranus putat & Carthusianus, sed imbecillitati. Est enim δύναμις Græcè. Vnde rectè vertit Erasmus, in omni potentia facti potentes: Similis locus est in Epistola ad Ephesios capite 3. Det vobis secũdùm diuitias gloriæ suæ virtute corroborari, in hac & in Epistola ad Ephe. multa loca omnino similia sunt, quod obseruare oportet, vt cognoscamus eundem esse scopum vtriusque Epistolæ: (*secundùm potentiam claritatis eius*) Hebraismus est, pro potentia clara siue gloriosa, opus est magna aliqua Dei virtute hominibus, dum regnant hæreses, qualis est illa potentia Patris, quam expressit in Epistola ad Ephe. cap. 1. *In omni patientia & longanimitate.*) Similis locus est cap. 4. ad Ephe. Patientiam refert ad confessos fidei hostes, quales tyranni erãt: longanimitatem ad occultos hostes agnoscentes: quidem Christum, sed non satis recte: Sic ferè Chrysostomus. Quod sequitur. (*Cum gaudio*) quidam referunt ad præcedentia: alij adhærere volunt cum sequentibus, vt simile sit illi quod ait ad Ephe. cap. 5. Cantantes & psallentes in cordibus vestris, Domino gratias agentes, &c.

QVi dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.

QVi dignos nos fecit) qui scilicet Deus Pater fecit nos idoneos. Id enim significat vox Pauli (*in partem,*) id est, in participationem. *Sortis sanctorum*) id est, hæreditatis quæ contingit hic Christianis, vt loquatur de præsentibus bonis. *In lumine*) id est, per lumen quod mundo intulit Christus, id est, per fidem & agnitionem Euangelij. Quare hæreditatem nomine sortis expresserit, declarat Chrysostomus enarrans hunc locum, & nos in expositione capitis primi Epistolæ ad Ephesios indicauimus. (*Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*) quidam putant Apostolũ respexisse ad locũ qui cap. 5. ad Ephe. Eratis aliquando tenebræ. Alij respexisse ipsum putant ad locum, qui est caput 6. eiusdem Epistolæ, vt sensus sit: Qui eripuit nos de potestate agente in aere hoc caliginoso. Chrysostomus vtrumq; habet. Interpretatur enim, qui eripuit nos de potestate errorũ & tyrannide diaboli. *Et transtulit in regnum Filij dilectionis suæ*) phrasi Hebræa hoc dixit, id est, trãstulit nos in regnũ Filij sui dilecti. Regnum dicit illud, de quo in oratione Dominica: Adueniat regnum tuum, vbi oramus ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, sed Christus.

In quo) id est, per quem Filium habemus (*redemptionem*) nõ per angelos. Pro redemptione Græce est, ἀπολύτρωσις, de qua voce iam aliquoties dictum est. *Et remissionem peccatorum*) omnia eadem sunt primo capite ad Ephe. nisi quod ibi habetur πάραπτωματα hic ἁμαρτίαι inter quas voces licet quidam distinguant, Paulus tamen confundit, quod ex collatione horum locorum manifestum euadit: Coniunctio (&) addita est ab interprete: siquidẽ Paulus quemadmodũ in Epistola ad Ephe. ita hic, nullius coniunctionis interuentu per appositionẽ adiecit, remissionem peccatorum: nihil tamen officit coniunctio (&) dum accipitur epexegeticῶς pro, id est.

Qui est Imago Dei inuisibilis,) qui Filius expressus est ad naturam Patris, qui videri non potest: expressus inquam sic, vt totam in se sit complexus naturam & essentiam. Propter omnimodam ait Chrysost. similitudinem & æqualitatem, filium vocat Imaginem. Inuisibilis genitiuus est, & refertur nõ ad imaginem, sed ad genitiuum qui præcedit, quod patet ex Græco, (*primogenitus omnis creaturæ*) id est, qui excellit omnem creaturam, omnes Enneas potestates, profundum quoque siue βάθος et quæcunque sunt in hoc sæculo. Dominiat schola Simonis. Chrysost. interpretatur eum qui ante omnẽ creaturam genitus fuit. De vocabulo primogeniti dictum est in Esaia.

Quoniam

QVoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt.

QVoniam in ipso) id est, iuxta Hebræi sermonis proprietatem, per ipsum: frequens est ista locutio Paulo, non tamen superbè reijci debet, quod habet Thomas, in ipso tanquam causa exemplari condita sunt vniuersa, (*in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, &c.*) Causa cur hæc tam diligenter inculcet Apostolus, depicta est in historia antiquitatis. Simon dicebat inuisibilia, quorum species hic enumerat Apostolus, dum ait: siue throni, &c. condita per Enneam: visibilia vero, hoc est, mundum & homines per Angelos. Vide Epiphanium in Simone item in Menandro & in cæteris illius familiæ, præcipue autem in Basilide, (*omnia per ipsum*) cum superius dixisset, in ipso creata esse omnia, nunc seipsum interpretans ait, per ipsum significans se abusum præpositione, in, pro, per: Sic Græca scholia.

Et in ipso) diuersum istud est à superiori: nam ibi est ἐν αὐτῷ id est in ipso, hic vero εἰς αὐτὸ id est in ipsum, quod exponens Chrysostomus ex ipso inquit pendet omnium hypostasis, id est, non solum per ipsum creata sunt omnia, sed ipse quoque conseruat & tuetur vniuersa, ita vt si ipsius cura destituerentur, mox perirent (*& ipse est ante omnes*) Erasmus vertit ante omnia: Græcus sermo anceps est, optimè quadrat, ante omnia, quia & de vniuersis locutus est, & sequitur continuò (*omnia in ipso constant*) id est, consistunt, hoc est, omnia per ipsum conseruantur. Exponit secundum Chrysostomum, quod ante dixerat: omnia in ipso creata sunt.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.) Petatur expositio ex Epistola ad Ephesios: Qui est principium primogenitus ex mortuis, hoc est, primitiæ resurgentium: dictum est contra scholam Simonis, vt patet ex Epiphanio. *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens.*) Græcis vnica dictio est πρωτεύων, id est, primas tenens re in omnibus, hoc est, in Genesi et in resurrectione, quæ παλιγγενεσία appellatur in scriptura, & in Ecclesia: Nam ante omnia sæcula natus est ex Patre, & ante omnes resurrexit ex mortuis: resurrectione, quam non sit secutura mors, & vt caput in membra diffundit spiritum vitæ & vigoris in credentes.

Quia in ipso complacuit, &c.) Sensus est: voluntas Patris fuit, vt in Christo habitaret omnis plenitudo: Quidam codices hic additum habent (diuinitatis) sed pene certum est non debere addi, cum Græca exemplaria nec correctiora Latina habeãt. Et Chrysostomus hunc locum enarrans dicit quosdam intelligere de plenitudine diuinitatis: ex quo commentario manifestum est, nec Chrysostomum, nec Græcos interpretes agnouisse pro parte literæ, sed nec Latini interpretes legerunt, quod ex ipsorum commentarijs patet: siquidem Carthusianus interpretatur primo de plenitudine gratiæ, deinde de plenitudine diuinitatis: idem facit Lyranus. Ne autem quæreremus quibus meritis istud esset factum, posuit Apostolus εὐδοκίαν id est bonam voluntatem, siue beneplacitum Patris. Et per eum reconciliare omnia in ipsum.) Sensus est: Deus pater per Christum voluit reconciliare omnia erga se. Reijciendus est ergo Simon, qui facit Angelos mediatores (*pacificans per sanguinem crucis eius*) id est, quem fudit in cruce (*siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt*) Sententia huius petatur ex Epistola ad Ephesios & enchiridio Augustini, vbi locum hunc & eum qui est capite. 1. ad Ephesios citat, & diligenter tractat. Vide ipsum cap. 6. & duobus sequentibus.

EVos cum esse tis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.

ET vos cum esse tis aliquando alienati, & inimici sensu) id est, mẽte seu cogitatione: nam Græce est διανοίᾳ: Quod annotamus ne quis cum Lyrano ad corporis sensum pertinere puter. Addit autem istud Apostolus, vt ostendat ipsos indignos fuisse reconciliatione, vt qui non necessitate sed suapte voluntate alienati fuerint à Deo, & hostes extiterint: Sic Chrysostomus, sic Theophylactus, & Græcanica scholia, nec in mente duntaxat hæc alienatio erat, & in sola voluntate, sed & operibus inimici eratis, hoc est, quæ hostium sunt exercebatis: talis autem vos existentes ipse reconciliauit autem non per angelos, sed per seipsum, nec quocunque modo per seipsum, sed per mortẽ quam pertulit ipse in corpore suo mortali, hoc est, quod ait (*carnis suæ*) Similis phrasis est in Epistola ad Hebræos caput. 5. Qui in diebus carnis suæ, id est, dum ageret in mortali

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpore, &c. Dictum est contra scholam Simonis. Vide Epiphanium in Basilide, qui aiebat Christum in phantasia tantùm apparuisse, nec hominem fuisse, nec carnem suscepisse, nec passum aut mortuum, sed eius loco Simonem Syrenensem: (*vt exhiberet vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso, &c.*) Simile est in Epistola ad Ephesios capite primo.

SI tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia.

SI tamen) istud ad Ephe. caput. 3. & 4. sumitur, vt sit confirmantis, hoc loco commonefacientis secundum Chrysostomum. Ad Ephes. 3. requirit etiam Apostolus fundamentum: ibi fundatos esse eos vult in charitate, hic vero in fide. Timebat Apostolus ne reciperent Simonem, & cũ Christo coniungerent. Dicit ergo si modo permanetis in fide fundati & stabiles, sic vt non fluctuetis inter veram doctrinam & doctrinam hæreticorum, vt non auscultetis Simoniacis qui diuersa docent, nec dimoueri vos patiamini à spe Euangelij (*quod audistis*). I. ab Epaphra fideli diacono Christi (*quod prædicatũ est in vniuersa creatura*) hoc addit, ne quid cogitarent Colos. de mutanda fide, quæ iam ab omnibus est recepta. Hyperbole est: verisimile enim omnino Euangelium eo tempore nondum in hac orbis parte prædicatum fuisse. Magnificentius autem est, & vehementius in vniuersa creatura, quam inter homines (*cuius factus sum ego minister*) eodem consilio & istud adijcit. Magnum enim iam erat Pauli nomen.

Qui nunc gaudeo in passionibus) id est afflictionibus (*pro vobis*) id est, gentibus, vt pertineat ad totum genus. Adeo, inquit vera est spes Euangelij, vt nihil dubitem pro ea pati, & patiens gaudeo: patior aut propter vos gentes, dum vobis prodesse studio propagando veram doctrinam. *Et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*) Christus nõ omnia perfecit in corpore suo: non enim sufficit passio ipsius ad conuersionem gentium, si non prædicetur Euangelium: Quod ergo hic deest passionum Christi, ego adimpleo, monendo scilicet, docendo, prædicando, quod dum sedulo studeo facere multa patior dura & grauia, imo vincula & carceres.

Illud (*pro corpore eius*) hunc habet sensum vt corpus ipsius quod est Ecclesia perficiatur, hic videtur germanus esse sensus huius loci. Non tamen superbè reijciendi sunt commentarij, qui referunt ad thesaurũ Ecclesiæ, quod hic dicitur, & ad confirmationem indulgentiarum.

CVius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus: nunc autem manifestatum est sanctis eius.

CVius ego factus sum minister) cuius refert Ecclesiam, non corpus, nec Christum: quia fœminini generis est, vt patet ex Græco. Secundum dispensationem Dei,) Paulus hoc dixit secundum Oeconomiam Dei, id est, secundum certam rationem agendi, qua vtitur Deus in administranda familia sua, secundum quam voluit me esse Apostolum gentium, & per me adducere gentes ad fidem, hoc est, quod dicit (*quæ data est mihi in vobis*) nam ex specie genus intelligitur, sicut apud Terentium: Quam vos facillime agitis, id est, diuites, & vestra libido est, id est, virorum (*vt impleam*) vt prædicem & perfectè annunciem Euangelium.

Quod sequitur (*mysterium*) per appositionem additur, quod indicat articulus τὸ qui apud Græcos præponitur ei. Quod absconditum fuit à seculis & generationibus, non solum hominibus, sed ipsis etiam Angelis, quemadmodum habet in Epistola ad Ephe. cap. 3. *Nunc autem manifestatum est sanctis eius*) id est, Apostolis & Christianis cæteris:

QVibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus: quæ est Christus, in vobis spes gloriæ quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certando secundum operationem eius quam operatur in me virtute.

QVibus) scilicet sanctis Apostolis & Christianis cæteris pro mera sua bonitate, (*voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius.*) Vehementer dictum est. Non ait, quibus voluit Deus notum facere Sacramentum, id est, mysterium, sed quibus voluit notum facere quæ sit gloria Sacramenti, imò nec sic dixit, sed ait: quibus voluit notum facere quæ sunt diuitiæ gloriæ Sacramenti exaggerationi, exaggerationem superinducens. Addit (in generationibus) quia beneficium hoc maximè in gentibus elucet: Sic Chrysostomus. Quod (scilicet Sacramentum siue mysterium, *Est Christus*) nimirum obiectiue: nam de ipso est, & circa ipsum versatur. Græcis est ὅς, id est, qui

qui est Christus & refertur secundum Græca scholia ὅς ad diuitias quas ipsi πλοῦτον appellant, quæ vox masculini generis est, numeri singularis. Cum Oecumenio sentit Valla, vertens quæ est Christus.

Quod sequitur (*in vobis*) Chrysostomus ad præcedentia refert: Si Christus, inquit, in vobis est, quid quæritis Angelos: Ad præcedentia quoque referunt Græca scholia: Alij consequentibus cohærere volunt hoc sensu: Gloriosa spes vestra, Hebraismus est & spes per appositionem adiungitur Christo. Quem nos annunciamus corripientes) Græce est νουθετοῦντες, id est, mouentes vel castigantes. Nam vocabulum Græcum anceps est, cuius ethymologia exposita est in Epist. ad Ephe. Erasmus in sua versione prius significatum amplexus est: Et interpres Amb. legit mouentes.

In omni sapientia) Alludit ad Gnosticos iactantes sapientiam: Vt exhibeamus omnẽ hominem perfectum (*non in Angelis, sed in Christo Iesu*) id est in fide Christi, in scientia & cognitione illius: Sic Ambrosius, sic Chrysostomus, sic Theophylactus. Referunt igitur hanc perfectionem ad intellectum, non ad affectum. *In quo*) id est, ad quod, nam Græce est εἰς ὅ. *Et laboro*) nec simpliciter laboro, sed enitor multa cum diligentia decertans, cumque multa vigilantia & difficultate: Id enim significat ἀγωνιζόμενος. Secundũ operationem: Græce est, secuudum energiam eius quam operatur. Ambrosius legit, quæ operatur, atq; ita est Græcè: secundum inquit efficaciam eius, & vim potenter in me agentem etiam in miraculis perpetrandis, hoc est, quod ait: in virtute.

CAPVT II.

VOlo enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodicææ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne, vt consolentur corda ipsorum, instructi charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei, & Patris & Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscon-diti.

VOlo enim vos scire qualem solicitudinem) Vocabula (enim) causam dicit cur meminerit iam suorum laborum. Volo inquit vobis cognitam esse solicitudinem meam, & curam quam habeo de vobis, imo certamen. Nam Græci habent ἀγῶνα quæ vox nunc periculum significat, nunc certamen siue laborem cum difficultate coniunctũ. Quantum, inquit, certamen habeo vestri causa & eorum: (*Qui sunt Laodicææ*) hinc patet Laodiceam Colosis vicinam fuisse. *Vt consolentur corda ipsorum instructi, &c.*) inter pres noster neglexit constructionem hic grammaticalem, quam tamen obseruauit Apostol. Nam habet συμβιβαζόντων, quod participium est pluralis numeri genitiui casus à συμβιβάζω de qua voce dictum est in Epistola ad Ephesios. Sensus est: cum in morem partium seu membrorum vnius corporis, seu ædificij aptè coherentium inter se, compacti fuerint & connexi in charitate: Neque solum compingere & ad cohærentiam adducere significat συμβιβάζω, sed et instruere & collatione aliquorum probare ac docere, quod significatum expresit noster interpres. Ad Ephes. 4.

Et in omnes diuitias plenitudinis) non est hic πλήρωμα, quæ vox in præcedenti capite ponitur ibi: In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, sed πληροφορίας, quæ vox non simpliciter plenitudinem significat, sed quoties alicui plenè persuadetur & certissima sit fides, ita vt nihil iam addubitet. Vult igitur Paulus istud: in hoc sum solicitus, vt sitis compacti in vno spiritu, & vt sitis sic de negotio Christi persuasi, vt neq; propter Iudaicos doctores, neque Simonis familiam quicquam hæsitetis. Erasmus vertit in omnes diuitias certè persuasionis. Et annotat Chrysostomus, non simpliciter dixisse Apostolum τῆς πληροφορίας, sed in omnes diuitias, id est, vt in omnibus & abundè persuasi sitis: in omnibus inquam quæ pertinent ad agnitionem mysterij *Dei* & Patris, &c. Vult mysterium hoc ipsis bene cognitum esse, vt sciant per Christum nos reconciliari, & per ipsum solum nos habere accessum ad Patrem, non per angelos.

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ) Commentarius Chrysostomi in hunc locum sic habet: Quod (thesauros) quidem dicit, copiam ac multitudinem, quod vero addit: (omnes) nihil ab eo ignorari: quod autem subiungit (reconditi) ipsum solum omnia scire declarat. Dictum est contra scholam Simonis: Gnostici, inquit, iactabant suam falsi nominis scientiam, sed vera est in Christo, ab illa tanquam fonte petenda est, non à Gnosticis, neque ab angelis Simonis.

HOc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum & firmamentum eius, quæ in Christo est fidei vestræ.

HOc autem dico) hactenus est præfatus Paulus & multis modis sibi conciliauit beneuolentiam & authoritatem: iam ag-

Universidad de Deusto
Biblioteca

greditur scopum huius epistolæ, qui in hoc est, vt muniat Colossenses aduersus duas familias, Simonis videlicet & Iudaizantium: hoc animaduerso clara erit tota Epistola: *Decipiat*) est verbum scholæ, significans falsa ratiocinatione imponere: est παραλογίζομαι (*in sublimitate sermonum*) Græcis vnica dictio est πιθανολογία, quæ et ipsa sicut præcedens est, scholæ vox. Nemo, inquit, imponat vobis probabilitate vel persuasibilitate. Non legimus scholam Simonis elegantia sermonis oppugnasse fidem: quare probabilitas hæc referenda est ad præsidia philosophiæ nisi forte respexerit Apostolus ad nomina illa (cœlorum & potestatum) poëtico more efficta ab ipsis adeò noua, vt non nisi scripto tradi possunt, quæ ipsos excogitasse scribit Epiphanius in Basilide, vt hac ratione finem conciliarent doctrinæ suæ apud simplices. Verum prius est probabilius, tũ propter verbum παραλογίζομαι tum propter locum sequentem: Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, &c.

Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum) eo modo quo Elisæus, inquit, Ambro. præsens erat spiritu, & videbat quid minister suus ageret apud Cyrum principem. Sensus est: nihil latet me, eorum quæ apud vos aguntur, conspicio omnia, ac si præsens essem (*gaudens & videns ordinem vestrum*) non dicit fidem vel vitam vestram, sed ordinem. Maxima erat cura Paulo ordinis, quemadmodum & Ignatio, vt videre est in epistolis ipsius ad Philippenses, Ephesios & Tharsenses, in quibus potissimum monet Christianos, vt episcopos suos presbyteros & diaconos agnoscant, vt his se subijciant, & morem gerant per omnia: ob hunc ordinem obseruatum à Colossensibus, gaudet Paulus. Vocabulum Apostoli τάξις Græcanica scholia apte valde interpretantur

1. Cor. 11. Tit. 1. εὐταξίαν. Diuus Ambrosius dispositionem conuersationis, Chrysostomus constantem disciplinam, ac decorum. Talis est ordo illius loci. Cætera cum venero disponam: & ad Titum. Sicut disposui tibi, vbique est verbum διατάττομαι. Talia sunt de velandis fœminis, & non viris, enutrienda coma à fœminis, & non viris, cap. 1. prioris epist. ad Corinthios, & cap. 14. Si alij reuelatum fuerit sedenti prior taceat: non est dissensio

1. Corint. 14. nis Deus, vbi Paulus habet ἀκαταστασίας, quod magis confusionem sonat, & turbatum rerum ordinem. Item omnia secundũ ordinem fiant in vobis. Item capite. 3. posterioris epistolæ ad Thessalo. Subtrahetis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, contra politiam à nobis institutam. Ipse, inquit studui seruare ordinem, quem præscripsi vobis, laborans manibus, non fui, inquiens, quod Græce est ἄτακτος, i. inordinatus, non obseruans ordinem. Fuit igitur Paulo magna cura huius ordinis, in rebus etiam ἀδιαφόροις, id est, indifferentibus obseruandis, constitutis tamen ad pacem & tranquillitatem reipub. Res hæc multum nos muniet aduersus hæreses huius temporis infestissimas ordinationibus præsertim Ecclesiasticorum magistratuum (*& firmamenti*) soliditatem, firmitatem, ac stabilitatem vestræ fidei in Christum.

Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.

Sicut ergo accepistis Iesum Christum.) Id solum ago, inquit, vt retineatis quod bene de Christo docuit Epaphras, & ne diuersum admittatis doctrinam. Similis est adhortatio, ac si quis nunc suadeat populo, vt fideliter retineat ea, & credat quæ credidit ante natum Lutherum, & ab illa fide prius acceptа se non sinat abduci. Commentarius Chrysostomi in hunc locum sic habet: Recteait Apostolus (*in ipso ambulate*) nam Christus est via quæ ducit ad Patrem, & non angeli. Idem est apud Theophylactum & Oecumenium: & sexcenta sunt alia loca similia in commentarijs horum authorum, quæ oportet obseruari. Nam apertam dant significationem agi contra Angelos Simonis, & liturgias Platonicorum Philosophorum, (*radicati & superædificati in ipso*) volo, inquit vos radices agere in vno ac solo Christo, volo vos Christo tanquam fundamento innitи & in illo crescere, non in Angelis: volo vos firmos stare in fide semel accepta ab Epaphra, hoc est, quod dicit (*sicut et didicistis*) vbi coniunctio (&) iuxta Græcos redundat. *Abundantes in illo*) scilicet Christo. Græca exemplaria habent, ἐν αὐτῷ, id est, in ea, vt ad fidem referatur quomodo etiam Latina quædam vetera habent (*in gratiarum actione*) per gratiarum actionem: Religio Christiana, inquit, non est sita in scientia cœlestium ac aliorum, vt volunt Gnostici, sed in contemplatione beneficiorum Dei, gratiarum actione: opponit ergo Apostolus gratiarum actionem superuacuo studio Gnosticorum. Similis locus est in epistola ad Ephesios capite. 5. Impleamini Spiritu sancto, & cætera.

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Videte

Videte ne quis vos decipiat, &c.) hoc agit Apostolus hac Epistola, vt Colossenses auertat ab heterodidascalia, vel aduersus eam muniat. Nam ex Epistola ipsa non satis liquet, num admiserint diuersam doctrinã, an non: diuersa autem hæc doctrina consistebat in opinionibus Iudaisantium & Simoniacorum. Primum velut exordio facto conciliat sibi illorum animos, dum ostendit sibi curæ esse illorum salutem, dum dicit se gratias agere ob illorũ fidem, & dilectionem indesinenter orare vt impleantur agnitione voluntatis Dei. Deinde interspergit semina quædam argumenti tractandi, dum meminit excellentiæ Filij Dei, dum ait, in ipso esse redemptionem, in ipso condita vniuersa, &c. Postea redit ad exordium, commendans ministerium suum, & asserens se gaudere in passionibns pro illis, & adimplere ea quæ desunt passionum Christi, &c. Rursus hic inserit quædam rei præpositæ semina, mentionem faciens mysterij absconditi à seculis, &c. Tertio redit ad locum exordij, in principio. 2. capitis solicitudinem suam pro illis explicans, & hic quoque inspergit semina argumenti suscepti, dum dicit, in Christo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos, &c. Exordium excipit breuissima enarratio. *Hoc autem dico, &c.*) quo significat Apostolus, quorsum omnia dixerit, videlicet ne quis illos paralogiset, quamquam & hic admisceat particulam exordij, prædicans obseruationem ordinis in ipsis, & firmamentum fidei. Sunt item hic principalis argumenti semina, vbi dicitur: Radicati fundati in ipso, Deinde repetitio est narrationis.

Videte ne quis vos decipiat, & ingreditur principale negotium, auertens animos ipsorum, primo à schola Simoniacorũ philosophorum, siue vt Chrysostomus à superstitionibus ex gentilitate & philosophia, fidei superadditis, postea venturus ad Iudaizantes. Commentarij igitur, qui hic nomine traditionum Iudaismum accipiunt, indulgentiores sunt:

Decipiat) hoc loco diuersum est à superiori verbo: siquidem illic est παραλογίζομαι: hic vero συλαγωγέω, quod significat prædam abigere: Videte, inquit, ne quis vos deprædetur, siue in prædam abducat. Est admonitio qualis illa ad Ephesios: videte quomodo cautè siue circumspectè ambuletis: metuebat Paulus ne à Gnosticis in philosophia instructis abducerentur ad hæresin: non autem metuebat illos redituros ad paganismum. Eleganter autem Gnosticos prædones appellauit: porro quia philosophia vocabulum honestum habebatur, adiecit Apostolus. *Et inanem fallaciam*) velut interpretans quod ante dixerat. Sumitur enim coniunctio (&) interpretatiuè: Ne quis, inquit, vos deprædetur per inanem philosophiam. In epistola prior ad Thim: capite vltimo vocat philosophiam falsi nominis scientiam.

Secundum traditionem hominum, &c.) id est, totum hoc studium tota philosophia hæc sita est in traditione hominũ, in placitis merè humanis, nullo spiritus instinctu proditis. Hebraico more vsus est Apostolus particula, secundum: vox παράδοσις siue traditio nunc ad præcepta pertinet & constituta, nunc ad institutionem. Ad præcepta pertinet apud Mattheum cap. 15. Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, &c. hoc loco pro institutione non præceptis accipi videtur. Historia enim eius seculi non docet Gnosticos laborasse in nouis præceptis, sed potius nouam doctrinam excogitasse, noua quædam dogmata fidei Christianæ addentes. In priori epistola ad Corint. cap. 2. Apost. habet antitheses aliquot ex quibus colligere licet, quid sit traditio hominum. Sermo, inquit, meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, &c. Secundum traditionem ergo hominum, id est doctrinam humano spiritu allatam, & non secundum spiritum reuelationis. Eodem pertinet illud quo philosophia & fallacia est congeries.

Secundum elementa mundi) propria vocis significatio est, cum dicimus aerem & ignẽ esse elementa, sed deflectitur hic vox ad rudimenta & initia quæuis. Sic dicimus elemẽta Theologiæ, elementa philosophiæ. Voce hac vsus est Paulus in epistola ad Gal. cap. 4. & ad Hebr. cap. 5. & bis in hac epistola. Alius non est locus scripturæ, ex quo potest intelligi quid sit Paulo elementum: vsus est autem nomine elementi omnibus his locis, p rudimento. Verum quamuis secundũ eandem notionem genericam omnibus istis locis elementa dicantur rudimenta, alia tamẽ species elementorum est ad Hebræos, alia ad Galatas, & alia hoc loco. Ad Hebræos vox pertinet ad rudimenta Christianæ fidei, qualia tradebant Apostol. ad Galatas: pertinet ad rudimenta, qualia tradebat Moyses, id est, ad Isagogen legis: Hoc loco vero spectat ad mundane Philosophiæ rudimenta, qualia tradebat Plato, Simon, & Gnostici. Vide annotationes in cap. 4. ad Galatas, vbi plura de hac re dicta sunt. Nihil igitur vult Paulus per elementa mundi quam Philosophiam significare, aut fallaciam, aut tradi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem hominum,rem eandem diuersis vocibus quasi per epexegesin inculcans.

Et non secundum Christum,) Ista est quinta explicatio eiusdem rei,quam nunc philosophiam,nunc inanem fallaciam,nunc traditionem,& elementa mundi appellauit.

QVia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.

QVia in ipso inhabitat omnis plenitudo, &c.) Istud(quia) diligenter obseruandum est.Sensus est:in Christo inhabitat omnis plenitudo,&c.Non sequamini ergo traditiones hominũ,aut elementa mundi quę à Christo abducunt,quæ ab eo in diuersum vos deferunt, nec secundum ipsum incedere vos permittunt.Plenitudinem diuinitatis dixit phrasi Hebræa.Sensus est:in quo plena diuinitas inhabitat corporaliter,id est,reuera non per vmbram,sicut in Angelis veteris testamenti gerentibus personã Dei: Sic quidam,& probabilis est commentarius respicienti ad id quod sequitur. Vmbra futurorum,corpus autem Christi. Alij interpretantur non vt vmbræ opponatur,sed ei quod est tantum inhabitare secundũ energiam & motum,quo modo diuinitas inhabitat iustos quosuis. Hi corpus accipiunt quale nostrum est,hoc sensu:in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, sic vt diuina natura in eo vnita sit humanæ in vnã hypostasin, in vnum suppositum corporeum.

Et estis in illo repleti) quia effecti estis membra & corpus illius,qui est caput omnis potestatis,quare pergite cohærere huic tanto capiti vestro mediatori Dei & hominum Christo Iesu, & non adscisc atis angelos Simonis aut potestates quas schola illa inducit. Quod in Epistola ad Ephes.per (supra) expresit,dicens:Constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnẽ principatum & potestatem,& hoc nomine capitis hic significat: Ephe. 1.

IN quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi,consepulti ei in Baptismo,in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei,qui suscitauit illum à mortuis.

IN quo & circumcisi estis,&c.) Hactenus egit contra Simonis scholam, iam agit contra Iudaizantes. Nihil,inquit, opus est circuncisione Mosaica per Christum estis circuncisi. Præpositio enim (in) capitur pro, per: *In expoliatione*) id est,per expoliationem, id est,exutionem(*corporis carnis*) id est,per hoc quod exuistis veterem hominem,siue vitam quæ est in peccatis. Corpus carnis appellat Apostolus corpus carneum,id est quo nihil est adhuc spiritus. Quidam legunt in expolitatione corporis peccatorum carnis,intelligentes corpus peccatorum, corpus peccatis obnoxium tunc genitiuus, carnis,refertur ad peccatorũ,vt peccata carnis sint peccata carnalia,non libido tantum,sed quæ sequuntur carnẽ ex Adam propagatam. Eam lectionem tempore Augustini quædam Latina exemplaria habebant, quædam non: quemadmodum nunc alia habent,alia non Græca constanter legunt peccatorum. *Aug. epist. 59. ad Hieron. quæstion.*

Sed in circumcisione Christi) Illud(sed) adiectum videtur ab aliquo: Græca non habent,quemadmodum nec Latina quædam, nec sensus requirit,imo officit magis, adeò vt Lyra motus hac vocula ,illud quod præcedit.In expoliatiõe corporis carnis, retulerit ad circuncisionem Iudaicam. Amplificat autem Apostolus variè hanc circuncisionem Christi:Primo quod non fiat manibus,vt illa Mosaica:deinde quod non vnam tantum particulam,sed totam carnem præcidat. Indæis præscidebatur pellicula illa, quæ glandem tegit,vt proprie semper sectionis memores cogitarent membro illo non vtendum nisi moderatè,gratia videlicet procreandi nisi moderatè,gratia videlicet procreandi circuncisis. Vos inquit, multo amplius circuncisi estis per Christum, qui totum corpus carnis circuncidit.Si quæritis vbi aut quando dico in Baptismate,hoc est, quod sequitur. *Consepulti ei in Baptismo*) quòd circuncisionem dixerat, hoc iam sepulturam vocat: In Baptismo enim sepelitur vetus homo,& obruitur vt non valeat amplius exercere vires suas,vt ante solet.Similis locus est in epistola ad Roma.6.capite. 6 .inde petantur cætera quæ ad expositionem huius pertinent.

In quo & resurrexistis,&c.) Non solum,inquit,liberati estis à vitijs per Christum in Baptismo,sed & nouam vitam ibi induistis, ita vt nouos motus in vobis iam sentiatis, motus inquam & operationes spiritus: *Per fidem operationis Dei,&c.*) quod tribuit priori mum Baptismo,nunc tribuit fideioperatio nis:Per fidem,inquit,operationis, hoc est, phrasi Hebræa per fidem operatoriam, per fidem agentem, non otiosam neque defidem,sed quæ hominem reddit actuosum, pet fidem inquam operatoriam Dei, id est, est,quæ est de Deo vel à Deo, Alij interpretantur per fidem, qua credidistis energiam Dei siue efficaciam, quã declarauit in Christo à morte excitando.

Est tertius commentarius,qui fidem operationis Dei interpretatur fidem, quã operatur in nobis Deus. Sed probabilius est, genitiuum operationis referendum ad fidem phrasi Hebræa: & genitiuum Dei, pertinere ad totum complexum , quod sequitur prima expositio. Quod autem dicit Apostolus istud est:omnia quæ contigerũt in vobis vna cum illo sepulti estis, vna cum illo estis & excitati,quid igitur soliciti estis de circuncisione Moysi,re tam exigua: Si tempore Pauli ita refriguisset charitas, vt hoc nostro seculo hæc argumenta parum monisset,quia pauci sentimus quæ sit ista resurrectio.quid sepultum esse,&c. Similis locus est in epistola ad Galatas cap. 1. Hoc solum volo à vobis discere, ex operibus legis spiritum accepistis an ex auditu fidei: Responderent nunc Christiani, se nescire, eo quod non sentiant illum actuosum impetum spiritus.

ET vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ,conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphãs illos in semetipso.

ET vos cum mortui essetis in delictis, &c.) Similis locus est in epist.ad Ephe.capi.2. cum quo hunc conferre oportet. Præpositionem (in) addidit interpres de suo,& exponenda est per præpositionem(per) cùm mortui essetis per delicta & per præputium carnis.Per præputium intelligit,quod significatur præputio, id est, delicta carnalia per methonimiam. Vide Aug.in epistola ad Paulinum,quæ est numero. 56. Delicta autem carnalia nominauit etiam inuidiam, ambitionem,&c.ad quæ nos ducit corrupta hæc caro.

Donans vobis delicta) Hinc patet quod annotauimus in enarratione illius loci,qui est in epistola ad Ephe.cap.4. Donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis,nimirum verbum χαρίζομαι vsurpari à Paulo pro condonare & ignoscere,

Delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti) est oratio mirè grandis, quod ad lectionem attinet.Græca habent τοῖς δόγμασιν, id est, decretis atque ita legit et interpretatur Chrysost.item Theoph. & Oecumen: sed & Augst. & Hieronymus, & pene certum est legendum esse decretis, vt sit ablatiuus instrumenti,qui authore Chrysost.& Theoph.& Oecum.refertur ad participium delens,vt idem sit hic delere chirographum decretis,quod ad Ephe. legem mandatorũ in decretis euacuare,id est,legem Moysi abrogere per præcepta euangelica, siue per fidem,quo in loco more Hæbraico addit præpositionem(in) quam etiam hoc loco legit Augustinus. Erasmus alio refert ablatiuum decretis,quemadmodum dictum est in epistola ad Ephe. sed contra sententiam veterum.Legem autem Moysi siue decalogum chirographum appellauit quod arcularet & contestaretur aduersus nos. Lex enim iudicabat nos rèos , dum nos præstabimus, quod præcipiebatur:vnde etiam dicit chirographum ipsum fuisse contrarium nobis, Hoc chirographum deleuit Christus, quia ipsius beneficio iam amplius non tenemur lege,iuxta sensum qui dictus est in præcedentibus epistolis. *Aug. epi. 59. ad Ephe. 2.*

Et ipsum tulit de medio) id est,sustulit hanc syngraphã,& affixit cruci, id est, abrogauit in sanguine suo,siue per carnẽ,vt dicitur in epist.ad Ephe. *Et expolians principatus,*) Participia hæc affigens, expolians,&c. præteriti temporis sunt apud Paulum. Sensus est,exuit siue spoliauit Christus ipsos dæmones potestate sua siue imperio, quod habebant ipso nondum nato.Est hoc quod dicitur apud Ioannem nunc princeps huius mundi ejicietur foras. Istud autem dictum est contra familiam Simonis. Priora vero contra Iudaizantes.Præstitit igitur Christus primum vt tolleretur syngrapha , deinde ademit dæmonibus suas vires, quas habebant per transgressionem Adæ in genus humanum. *Ioannis.14.*

Quod sequitur(*traduxit*)à plerisque non recte exponitur. Germanus sensus iste est: Christus dæmones exutos sua potestate, & nudatos imperio ostentauit, ac spectandos omnibus proposuit,& iustis, & angelis sanctis: id enim significat ἐδειγμάτισεν quod verbum conuenit triumphatoribus prædã & captiuos suos ostentãtibus.Sic superioribus annis velut trophæum circumuexit Imperator,& populis ostentauit ducem Saxoniæ,& Lantgrafium.*confidenter palam*)id est cum magna confidentia. Græcis est vnica dictio ἐπαρρησιάσε, cum quis palam audet præsertim in loquendo, quanquam Paulus aliquoties refert ad alia:(*triumphans*)Græce dictum est,id est,de illis triumphũ ducens, siue illos in triumpho circumducens. *In semetipso*)id est,fretus semetipso, virtute soluus sanguinis sui.Hic obiter redit ad familiam Simonis,quæ negabat Christum passum vt videretur est in Basilide apud Epip.In semetipso igitur,id est, non adiutus angelis, sed merito suæ mortis. Vide locum in Epistola ad Ephe. Interficies inimicitias in semetipso,quod ibi dictum est de pronomine, etiam hic dicendum est. *ad Ephe.2.*

NEmo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu,aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.

NEmo ergo vos iudicet in cibo) Augustinus in epistol. 59.ad Paulinũ obseruare

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos vult illud (ergo) Nemo ergo, vt cognoscamus Paulum hoc loco nihil aliud intelligere per cibum & potum & tria reliqua, quę adijcit, quam Iudaismum. Est ergo hic Synecdoche, atque ex certis speciebus totum genus intelligitur. Iudicet, dixit pro condemnet κρίνομαι pro κατακρίνομαι (*in cibo*) id est, phrasi Hebræa propter cibum. *Aut in parte diei festi*) annotat Chrysostomus Apostolum dixisse in parte diei festi, & non in die festo, vt extenuaret studium ipsorum in obseruationibus festorum, quæ omnia Colossenses non poterant obseruare, propterea quod longius abessent à Hierusalem. Alius commentarius habet, dici partem diei festi, quia Iudaizantes, vt patet ex epistola ad Gal. non omnia vrgebant, quæ lex Moysi præscribit: sed quædam quæ mordicus volebāt teneri, alia patiebantur negligi. Paulus igitur extenuando dixit, quid iactatis particulam obseruationum festorum: vterq; commentarius optimus est.

Quæ sunt vmbra futurorum) id est, typi & significationes rerum futurarum. Opponit hic vmbram corpori, ad Hebræos. 10. opponit imagini. Ibi igitur sumpta est metaphora à pictoribus qui adumbrant imagines, hic ab alia vmbra. Græca. scholia indicant hunc locum bifariam legi. Primum ita: Illa sunt vmbra futurorum, sed corpus ipsum, id est, veritas est Christi. Rursus ita: Corpus Christi, nemo vos seducat, vt pertineat ad sequentia, & corpus referatur ad fideles, qui sunt membra Christi, hoc sensu: Vos autem qui estis corpus Christi, nemo diuertat à præmio, quod cœpistis promereri credentes in illum. Idem admonet Theo. Posteriorem distinctionem sequitur Aug. Illa, inquit, nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum propter Iudaismum dicta sunt: quod vero sequitur, Corpus autem Christi, nemo vos conuincat, dicitur propter superstitiones gentilium. Verum prior distinctio videtur accommodatior, quam solum proponit Chrysostomus, vt corpus Christi hoc sit, quod apud Ioannem veritas per Christum facta est: Et propterea, inquit, nemo vos iudicet siue condemner propter neglectum Iudaismum: quia vmbram corpore ipso præsente, non oportet tenere.

1. Ioh. 1.

NEmo vos seducat volens, *in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.*

NEmo ergo vos seducat volens, in humilitate, &c.) Hic noua periodus est secundū Chrysostom. seducat Græcè est καταβραβευέτω id est, iuxta Vallam, ad brauium euocet siue brauium ostentet ad prouocandū cursum, sed in annotationibus docet Erasmus καταβραβεύειν non significare ad præmium euocare, sed præmium intercipere, vnde in translatione sua reddidit ad hunc modum: Nemo vobis palmam interuertat. Proposita est vobis palma æternæ hæreditatis, eam nemo vobis eripiat per cultū angelorum obseruatum à Simoniacis. Vocabulum Græcum optimè explicat Hieronymus in epistola ad Algasiam, quæstione. 10. dicens peculiare esse Cilicum, in qua prouincia Paulus natus & educatus fuit. Explicat idem Chrysostomus in commentar. huius loci, item Theop. & Oecum. Græci interpretes, quorum nullus vel tenuem dat significationem illius quod habet Valla, sed omnes interpretantur, vt hoc sit quod defraudare præmio. Noster interpres ad sensū reddidit.

Quod sequitur (*volens*) Erasmus refert ad verbum seducere, nemo vos seducat volens hoc est, studio, data opera siue de industria, sed Erasmus solus est in hac sententia: Chrysostomus enim volens siue θελων, refert ad id quod sequitur, in humilitate & religione, item & Oecumenius, quorum commentaria in hunc locum expedit legere: nam optime explicant quæ sit ista ταπεινοφροσύνη, siue humilitas animi & religio angelorum. Erant, inquiunt, id temporis qui docebant non accedendum ad Patrem per Christum quod maius hoc sit quam quod ad nos per tineat, quamque nostra prauitas ferat, sed per angelos quos faciebant mediatores loco Christi, indignū dicentes vnigenti maiestate, quod ipse ad Patrem nos duceret ac reconciliaret. Et hæc est doctrina humilitatis, & religio angelorum, siue vt Paulus habet θρησκεία, quæ vox licet nonnunquam in bonam partem accipiatur, sæpe tamen pe regrinam ac superstitiosam religionem significat, Deducta est autem à Tracibus, quod apud hos Orpheus multa de dijs confinxerit, traditis cæremonijs quibus colerentur. Notat ergo Apostolus scholam Simonis, nā primus inter Christianos Simon offerre docuit per mediatores angelos, quos hausit ex philosophia Platonis, ex qua & Porphyrius habuit suos angelos.

Cum Græcis sentit Augustinus: *Volens in humilitate*) interpretans vt hoc valeat quod affectans humilitatem, siue volens videri humilis corde in cultura angelorū, quod tamen insolentius videtur, si Latinam spectemus phrasin. Sed annotat Augustinus, si Græcè istud diceretur in popularia Phrygarum sermone, etiam à vulgo posse intelligi:

intelligi: Nam vulgo, inquit, qui diuitem ait affectat θελω, diues et qui sapientem, θελω, sapiens dicitur, in quibus mixta est Græca vox Latinæ, sicut in compresbyter, coepiscopus, subdiaconus: Epiphanius in hæresi Dositheorum nomine plane Græco dixit ἐθελοσοφον pro affectatore ineptæ sapientiæ. Similem vocem habet in hæresi Pharisæorum, quos sic appellatos dicit, quod superati essent ab alijs per ἐθελοπερισσοθρησκιαν, id est, superfluam religionem spōte assumptam & fictam. Ad hanc rem hoc loco respicit Paulus, verum phrasis illa, volens in humilitate, volens in religione, quoniam non est vox composita non est vsitata à Græcis. Vnde locus iste forsitā inter eos est, vbi Paulus imperitus est sermone, in consequentibus eleganter extulit voce compolita, quēadmodum dicetur enarratione illius. Secūdum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem habentia sapientiæ in superstitione, &c. Expeditus fuisset sermo, si hoc modo dixisset: nemo vobis præmium eripiat per fictam humilitatem, quæ sita est in religione siue cultu angelorum. Sumitur (&) epexegeticōs pro id est, per fictam humilitatem, id est, per confictam religionem, qua colūtur angeli vt mediatores.

Ex hoc loco adhibita historia antiquitatis intelligimus, quare tam studiose Apostolus inculcarit in Epistola ad Ephes. nos habere accessum siue προσαγωγὴν ad Patrem per Christum.

Quæ non vidit ambulans) id est, ingrediens in ea, quæ non vidit, id est, sequens somnia sua. Aliū sensum dat Erasmus secutus Hieronymum: Nam vertit in his quæ non vidit falluosus incedens. Vocabulum Græcum ἐμβατεύων optime explicat Budæus in commentarijs linguæ Græce ex Demosthene Isæo & Gregorio Nazianzeno, dicens hoc esse quod ponere pedem in aliquid. D. Augustinus loco eius quo nos habemus, quæ non vidit ambulans, legit quæ non vidit inculcans, addit interim nonnullos codices omittere negationem, & legere quæ vidit inculcans, & vtranque lectionem exponit in epistola ad Saulinum, verum priorem dicit sibi magis placere.

Frustra inflatus sensu carnis suæ) id est, à carnali sensu siue mente: nam Græcè est νοὸς, id est, timent propter scientiam cœlorum, Angelorum, aliarumque rerum mirabilium, (*& non tenens caput*) id est, non obtinens caput siue excidens à capite: Sic iam diceremus quosdam non tenere Ecclesiam. Nomine capitis Christum intelligit (*ex quo totū corpus per nexus*) vt enim vitalis spiritus à cerebro in reliquum corpus per neruos diffunditur, & membris sensum & motum suppeditat: sic spiritus Christi à capite in membra illi connexa per commissuras & compagines fertur, vitamq; & motum subministrat, atque ita augescit corpus augmento Dei. Sic vero Theophylactus. Potest & hic esse sensus ex quo totum corpus per nexus & iuncturas dependens per mutuas membrorum administrationes crescit in augmentum Dei. Dum enim quisq; credentium suam partem suppeditat, & quodammodo suum symbolum adfert, vt dum Episcopus diligenter concionatur. Monachus iugiter orat. Laicus humiliter obtemperat & discita superioribus, & sic in cæteris vnumquodque quod sui est officij subministrat corpus Christi augetur & perficitur. Locus hic conferendus est cum eo, qui est in epistola ad Ephesios capite. 4. Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iunctura subministrationis. Præpositionem (in) quæ est in nostris exemplaribus. Paulus non habet, quam si omittas, erit phrasis, qualis est illa? viuit vitam: gaudet gaudium, quæ græcis familiaris est.

Augescit, inquit, augmentum, vel augescit augmento, quod est secundum Deum. Illud (Dei) opponitur inuentis hominum.

SI mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis.

SI mortui estis cum Christo, &c.) græca habent adiectū (ergo.) Si mortui estis, quomodo Latina quædam exemplaria legunt, idem etiam habet Augustinus in epistola ad Paulinum. Hieronymus vero in epistola ad Algasiam non habet: Si non habeamus, intelligere oportet. In epistola ad Romanos frequenter occurrit mortui peccato legi, &c. hic adiecit præpositionem (ab) sicut & in epistola ad Romanos capite. 6. Iustificatus à peccato: *Cum Christo*) id est, quemadmodum Christus mortuus est, cui mors vltra non dominabitur: (*ab elementis mundi*) huius sensus est. Si semel renūciastis omnibus, omnibus quæ inducere potest, siue lex Moysi, id est, litera, absque spiritu, siue philosophia, aut homo sibi relictus, Plato vel Simō: vt elementum sumatur generic̄os, non solum pro elementis Iudæorum, sed Philosophiæ quoq;, & mundus pro omni eo quod crassum est. Ille mortuus est elementis mundi, qui non ponit spem salutis in purgationibus animarum, quas tradunt Platonici, & post eos schola Simonis. Rursus renunciauit omnibus quæ humanæ accidunt iustitiæ, id est, quæcunq; humano ingenio possunt adferri, iuxta Ambrosium.

Quid adhuc tanquam viuentes in mundo). i. constituentes spem salutis in ijs quæ potest suggerere

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuggerére caro, id eſt, natura ſine gratia (*decernitis*) ita vitam agitis, quaſi illa inuenta Simonis, quæ ſuggeſsit carnalis ratio, vel litera Moyſis, ſeclusa gratia requirantur ad ſalutem. Viuere igitur in mundo, eſt viuere iuxta ea quæ oſtendunt elementa, lex ſcilicet Moyſis & naturalis ratio. Quędam exemplaria non habent præpoſitionem (in) ſed ea lectio eſt improbabilis, cùm non ſolùm Græca eam habeant, ſed etiam Aug. in Epiſtola ad Paulinum, & Hieron. in Epiſtola ad Algaſiam, & Ambro. in comment. huius loci. Decernitie Græce eſt, δογματίζεσθε, quæ vox media eſt, & accipi poteſt vel paſsiue hoc ſenſu: cur vobis adhuc præſcribuntur decreta & dogmata vitæ agendæ: cur vobis inſtituta dantur more puerorum elementariorum ab iſtis hominibus: Poteſt etiam actiue accipi hoc ſenſu: quid dogmatizatis & decernitis: quaſi inter cibos aliqui eſſent vetiti, quaſi aliqua creatura propter malum principium non eſſet contrectanda: Græca ſcholia paſsiue exponunt, Chryſ. & Theop. etiam actiuè videntur interpretari. Græcanica ſcholia ſequitur Eraſ. Nam vertit: quid quaſi viuentes in mũdo, decretis tenemini.

NE tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris? quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

NE tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris, &c.) Iſta (vt annotat Auguſt. in Epiſt. ad Paulinum) μιμητικῶς accipiuntur, hoc eſt per imitationem. Sic enim, vel illi loquebantur, qui decretis ſuis & dogmatibus ſubigere conabantur Coloſſ. vel ipſi Coloſſenſes ab illis ſeducti: ne gnſtes hoc, ne tangas iſtud, ne contrectes hoc, illud immundum eſt, hoc vetitum eſt tangi, &c. Quidam iſta ad obſeruationes Iudaicas referunt, alij ad Simoniacas: Veriſimile eſt ad vtriuſq; familiæ obſeruationes ſeu traditiones pertinere. Quę ſunt omnia in interitu ipſo vſu) quod totum genus doctrinæ & religionis ducit ad interitum animæ, dum ipſo vtimur. Hæc eſt interpretatio Aug. & Amb. Iuxta Hieron. vero & Græcos interpretes ſenſus hic eſt: Quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu. i. quæ ipſo vſu corrũpuntur & ſtercore digeruntur. Sermo enim eſt de cibo & potu qui vſu conſummuntur, & in latrinã excernuntur, vox Græca φθορά vtrumque ſenſum admittit. *Secundum præcepta & doctrinas hominum.*) Ex Paulo ſine vllo commentario diſcere licet, quæ ſunt doctrinæ hominum Vide cap. 4. Epiſtolæ ad Epheſios: Vt non circumferamur omni vento doctrinæ inequitia hominum, &c. Tales homines ſunt, quorum hic doctrinas notat & præcepta de quibus in præcedentibus dictum eſt in expoſitione illius: ſecundum traditionem hominum. *Quæ ſunt rationem*) id eſt, ſpeciem & imaginem iuxta Hieronymum, *habentia ſapientiæ*) id eſt, eruditionis: Notare videtur Gnoſt. Hieronymus refert ad Iudaizantes & deuterotas. Chryſoſtomus dubius eſt an de his, an de familia Simonis interpretari oporteat. Veriſimile eſt Apoſtolũ vtranque familiam reſpicere. Difficile eſt docere λόγον pro ſpecie ſumi ſeu imagine: quare Eraſmus in annotationibus poni hoc loco vult pro verbo, & orationem eſſe inabſolutam, eo quod μέν non habeat vocalem reſpondentem δέ, quam ſi abſoluiſſet Apoſto. dixiſſet ſecundum ipſum ad hunc modum: quæ verbotenus videntur erudita ac magnifica, cæterum re longe abſunt ab eruditione & ſapientia. Vt verbum opponatur rei. Diuus Hieronymus perfectam quidem agnoſcit orationem, ſed vocalem μέν ſiue quidem redundare dicit, quod in alijs pleriſque locis, ppter imperitiam artis Grammaticæ Apoſtolo vſu venire dicit: Augu. rationem proprie accipit, ſed ſapientiam improprie, hoc eſt, non pro vera ſapientia, ſed falſa ſiue mundana (*in ſuperſtitione*) quidam præpoſitionem (in) interpretantur vt hoc ſit quod, per. Alij loco, propter, poſitum dicunt, ſed nihil prohibet proprie ſumi, hoc ſenſu: Quæ ſita eſt in ſuperſtitione. i. cõficta religione: Quod in præcedentibus minus aperte diuiſis vocibus dixit, θέλοντες ἁγγελικεία, id eſt, volens in religione, hic eleganter admodum vnica voce compoſita extulit ἐθελοθρησκεία, quæ vox ſignificat voluntariam religionẽ, cum quis vltro fingit ſibi religionem ex cerebro ſuo. Nam θρησκεία religio dicitur, et θέλω volo. Hier. falſam religionem interpretatur. *Et humilitate*). i. quę in ficta & ſimulata animi humilitate ſita eſt, qnæ humilitas non eſt in Euãgelio, imo quę pugnat cum Euãgelio. Repetendum enim eſt illud θέλω ad humilitatem hoc modo: ἐν θέλω ταπεινοφροσύνῃ, alioqui ταπεινοφροσύνῃ virtutis vocabulum eſt. *Et non ad parcendum corpori*) Græce eſt ἀφειδία quod ſi ad verbum interpreteris, ſonat imparcentia corporis: Siquidem φείδομαι ſignificat parco, et a, particula eſt priuatiua. Volũt inquit videri non parcere corpori. Reprehendentis eſt inutilitatã rationẽ abſtinẽdi. Abſtinẽt etiã cũ iniuria & læſione corporis, citra ſpiritum reuelationis. Vide Hiero. in epiſtola ad Alg. vbi manifeſte iſtud de Iudaizantibus aſſerit: Nẽ *in honore aliquo*). i. negato ſubſidio neceſſario corpori, ad ſaturitatẽ ſiue expletionẽ eũ nis. Reprehẽdo in illis quod cõficte ſue ab xinentiæ

nentiæ tantum tribuant vt videantur longiſsimè abeſſe, à ſaturitate: Latini hæc omnia ſenſu reprehendentis accipiunt, præter Hiero. & Aug: qui illud, & non ad parcendum corpori, interpretantur quaſi ſit condolentis hoc ſenſu: Hi qui decipiuntur ficta ſuperſtitione, miſere torquent corpus ſine fructu. Ad eundem modum accipiunt quæ ſequuntur vſq; ad finẽ cap. Græci interpretes mediavia incedũt, ab illo primũ loco: Non in honore aliquo, &c. ſenſum deſiderantis inchoantes. In capite iã expoſito diligenter obſeruandũ eſt, quid propriè dicatur contra Simonem, quid contra Iudaizantes, ppriè dicatur, & quid ad vtroſq; pertineat. Philoſophia & inanis fallacia, peculiariter ad Simonis ſcholã: Traditio autẽ hominũ, ſi quis naturã vocũ & earũ vſum reſpiciat, pertinet ad vtroſq;: Ex conſequẽtia tamen textus Pauli referenda eſt ſolũmodo ad Simonẽ, ad quẽ quæ ſequũtur quoq; pertinẽt vſq; ad illud. In quo & circũciſi eſtis &c. quod, ppriè pertinet ad Iudaizãtes, & durat per totam periodũ, niſi quod in fine valde inopinate attingat Simonem, dum meminit principatuum expoliatorũ per crucem: Verum ſtatim redit ad Iudaizantes, ibi: Nemo vos iudicẽt in cibo, &c. Poſtea his omiſſis impugnat denuo Simoniacos, ibi: Nemo vos ſeducat volens in humilitate, &c. Poſtremo in epilogo diſputationis: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis, &c. indifferenter tangit vtroſque. Scriptam autem eſſe epiſtolam hanc contra familiam Simonis & Iudaizantium, ex hiſtoria antiquitatis (quam præter alios tradit Epiphanius) & ex veterũ commentarijs manifeſtũ eſt. His ita conſtitutis facilè eſt cuiuis aduertere, quam à vero ſenſu caput hoc detorqueant Lutherani. Imprimis quod Philoſophiam interpretantur argumenta quæuis à ratione inuenta in rebus pertinentibus ad fidem: vt ratio offenſa quia in mundo tam multa iniuſte fiunt, non poteſt ſtatuere quod mundus gubernetur à Deo, &c. Nihil cũ hiſtoria antiquitatis, cũ veterũ cõmentarijs & conſequentia ſcripti cõmune habet, imo tres etheologiæ additæ, & propoſitionum ſeries planè indicant Paulũ agere de certa aliqua ſpecie philoſophiæ, illa ſcilicet quæ inducebat mediatores angelos. Nam ſic ait, in Chriſto inhabitat omnis plenitudo, &c. in ipſo eſtis compleri, ille eſt caput omnis principatus: ergo vitanda eſt philoſophia, non dubiũ quin illa quæ diuerſa, & his aduerſa docet, nempe philoſophia Simoniacorum, quæ deprompta eſt ex philoſophia Platonicorum & Iouicorum philoſophorũ. Non igitur hic quę uis philoſophia reprehenditur, ſed ea quæ iam dicta eſt. Quod notandum propter eos quoque qui exiſtimant Paulum notare eos, qui in rebus theologicis immodica vtũtur philoſophia, qui licet reprehenſione ſint digniſsimi, non tamen hoc loco reprehenduntur, Deinde quod traditionem hominum exponunt de traditionibus Monachorum, quam ſit alienum à re propoſita, vel ipſe ſermo arguit.

Non enim ait Apoſtolus per, ſed ſecundum traditionem hominum, quæ Præpoſitio declarat traditionem eodem pertinere quo præcedentia, nec rem diuerſam eſſe à philoſophia & inani fallacia. Etſi vel maximè vſus fuiſſet Apoſtolus præpoſitionem per, minime tamen locum haberet ipſorum commentarius, cum ſeries ſcripti planè repugnet. Vbi enim in tota Epiſtola vel tenuis eſt mentio traditionum monaſticarũ: Si traditiones, id eſt, conſtitutiones hic Paulus prohibuiſſet, eæque ad philoſophos pertinent, & ad liturgiam Platonicorum, & ſimiles prohibuiſſet, non monaſticas, de quibus nihil hic agitur.

Eodem modo excutienda eſt particula: Secundum elementa mundi, quam illi tanquam tertiam rem ponunt, ordinationes politias intelligentes, cum nec præpoſitio (ſecundum) nec conſequentia ſcripti, eum commentarium admittat: ſed ex commentario hoc ſequeretur, quod vitandæ omnino eſſent, ſicut inanis philoſophia, ordinatores politicæ, quod eſt dogma anabaptiſtarum. Reſponderunt ipſi, ordinationes ciuiles: cauendas hactenus, ne in eis conſtituatur iuſtitia: ſed improbabilis eſt illa reſponſio, cum ſine nota diſcriminis Apoſtolus hæc omnia ex æquo mandet vitanda. Denique quæ hiſtoria antiquitatis docet Simonem, contra quem hic indubie agitur, conſtituiſſe iuſtitiam in obſeruatione politicarum legum: Addita eſt ergo & illa particula per congeriem, nec quid diuerſum ſonat à præcedentibus.

Iam quod illud (*nemo vos iudicet in cibo*) ad conſtitutiones Eccleſiaſticas de ciborum delectu & feſtorum celebratione referunt: quam indoctè id faciant, præter vocũlam (ergo) etiã hoc quod ſequitur (*quæ ſunt vmbra futurorum*) apertiſsime declarat, quæ particula plane docet ſermonem eſſe de differentijs ciborum ac dierum à lege præſcriptis. Rurſus quod illud (*nemo vos ſeducat in religione angelorum*) de cœlibatu interpretantur, quaſi dicant non hominis eſſe ſine vxore vitam agere, ſed angelorum qui ex hiſtoria antiquitatis & commentarijs veterum didicit, quæ ſit religio angelorum, ſatis mirari non poteſt impudentem hanc ipſorum commentationem.

Extra ſtatũ quoque huius Epiſtole eſt, an in nego-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in negotio salutis sic inuocandus sit Christus, vt nemo Diuorum, cum tantum hic veteragnosciangelos Simonis, siue extra Christum angelos, id est, per se aliquid valentes, quales adhibebat Simon ex sua magia. Illud: Qui tanquam viuentes in mundo δογματίζεσθε id est decreta et dogmata susscipitis de cibis, & de potu: ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris secundum præcepta & doctrinā hominum, Mire quadrare putant in canones pontificum de ieiunijs & cibis, &c. sed faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant.

In enarratione huius capitis, ostensum est Apostolum præcepta, doctrinam, & traditiones hominum vocare, quæ nihil habent consentaneum cum Scripturis, sed tantum à ratione non imbuta fide profecta sunt, qualia erant dogmata scholæ Simonis & Iudaizantium. Cum his velle conferre decreta pontificum & episcoporum, capitis est insani. Nam cum hæc ab hominibus fide imbutis, & caput Christum tenentibus profecta sint, & ad fouendam promerendamque charitatem instituta, planè sunt Euangelica. Plura de his vide in annotationibus Esaiæ super caput. 29. in enarratione illius: Timuerunt me mandato hominum & doctrinis.

Superest iam θελοθρησκεία quam vocem significare diximus voluntariam religionem, qua notari putant regulas monachorum, sed eadem prorsus imperitia: cum Apostolus istam spontaneam religionem vocet non factam ex Scripturis, neque à ratione fide imbuta: & in specie explicans dicat religionem esse angelorum, quæ vt patet ex ijs quæ in præcedentibus dicta sunt, pugnat cum Scripturis.

CAPVT III.

Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursū sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

IN præcedenti capite dixit, Colossenses mortuos vna cum Christo in Baptismo, vnaque cum illo surrexisse. Hic iam instituit exhortationem verè sanctam, pertinentque omnia quæ sequuntur ad vitæ informationem, difficilioraque sunt præstitu, quam intellectu. Si consurrexistis, inquit, sicut ante disserui particula (si) non tam dubitantis est, quam asseuerantis: quoniam, inquit, vna cum Christo surrexistis, quæ sursum sunt, id est, superna quærite, hoc esse debet studium Christiani hominis: Cum mane surgimus, non statim cogitare debemus de ientaculo & prandio, sed de cœlestibus, & Dei beneficijs, vt ex illorum memoria, in gratiarum actionem prorumpamus.

Vbi Christus est in dextera sedens.) Ipse caput vestrum est, quare vt probetis vos esse membra ipsius, mente, affectu, cogitatione ibi verse mini, vbi ipse est, quandoquidem corpore non licet. *Dextera*) exposita est in epistola ad Ephesios, & ea quæ est ad Rom. (*quæ sursum sunt*) id est, superne (*sapite*) siue vt Erasmus vertit, curate. Græce est φρονεῖτε de qua voce aliquoties dictum est. Volo, inquit, vos cœlestibus affici, non ijs, quæ suggerit mundus aut natiuitas, quæ non pertinguntad spiritum reuelationis.

Mortui enim estis) id est, renunciastis affectibus, quos suggerit caro, & desijstis illis viuere. *Et vita vestra abscondita est*) scilicet à sensu mundi, hoc est, mundus non videt vitam vestram, ne quo modo in nobis regnet spiritus, sicut nec videt vitam Christi, qui maximè viuit, quum tamen impijs non videatur viuere, (*in Deo*) id est, apud Deum.

CVm autem Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus: propter quæ, venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus ambulastis aliquando, cum viueretis in illis.

CVm autem Christus, &c.) Christus dicitur vita nostra eo loquendi modo, quo dicitur pax nostra, iustitia nostra. Hic cum apparuerit siue manifestatus fuerit in fine seculi, vt etiam mundus eum agnoscat pro Deo & redemptore. *Tunc & vos apparebitis*) siue manifestabimini, scilicet mundo. *In gloria*) tunc illiqui neglectam æstimauerunt vitam Christianorum, eam admirabuntur: & quos habuerunt in derisum, eosdem laudabunt. Vide caput quintum Sapientiæ.

Mortificate ergo, &c.) Sic mortui sumus motibus veteris hominis, vt tamen facilè renasci possint: quare restat vt eos exurgentes quotidie mortificemus. *Membra terrestria*) dicit affectus terrestres, affectus peccati, quos mortificari vult quo minùs vim exerant aduersus nos: id enim consequuntur multi, vt in ipsis non sint efficaces, licet nulli, vt in ipsis omnino non sint. (*fornicationem*) significat omnem illicitum concubitum. Est genus complectens etiam adulterium, stuprum, &c. (*Immunditiam*) hoc loco ad Venerem pertinet, alioqui omnem generaliter immunditiam significat. (*Libidinem*) Erasmus vertit molliciem, alij morbū transferunt, in nomine morbi intelligētes quod Horatius dum ait: Cum grege turpium morbo virorum. Græce est πάθος, quæ vox significat libidinem contra naturam, hinc πάθικος dicitur, qui se iniri turpi libidine patitur: vt puer pathicus, puella pathica (*auaritiam*) habet πλεονεξίαν, quæ vox eodē pertinet quo cæteræ, quamquam de studio pecuniæ quidam interpretentur: consulendus est commentarius in capite secundo & cap. 5. epistolæ ad Ephesios, fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaritia nec nominetur in vobis, quòd testimonium est cap. 5. Qui desperantes semetipsos tradiderunt immundiciæ in auaritia, quod est capite quarto, vbi vocem Græcam explanauimus. Videntur autem hæc dicta propter Simonis turpitudinem, quemadmodum & in epistola ad Ephesios annotauimus. Quo autem sensu πλεονεξία, dicatur idolorum cultus, etiam ibi annotatum est.

Propter quæ venit) id est, venire solet, Est præsentis temporis (*ira*) id est, vindicta Dei (*super filios incredulitatis*) vel vt alij vertunt, inobedientiæ Græce est, ἀπειθείας. Dixit autem hoc Apostolus Hebraicè, id est, super filios impersuasibiles, impertractabiles, non obtemperantes Euangelio, & Dei legibus: (*in quibus ambulastis*) sermo Græcus anceps est, referri potest vel ad filios inobedientes, inter quos & Colossenses aliquando fuerant, vel ad vitia quæ ante commemorauit. Quod sequitur (*quum viueretis in illis*) pro posteriori sensu facit, nam ad vitia hoc pertinet. Quare rectiùs noster interpres qui vertit, in quibus, quam Erasmus qui vertit, inter quos, verba Pauli ad certū sensum restringens. Conferenda est autem hæc epistola cum ea, quæ est ad Ephesios, vt cognoscatur quanta sit vtriusq; affinitas: omnia enim hæc etiam ibi reperiuntur.

NVnc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominē cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum, vbi non est gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.

NVnc autem deponite) non solum crassa illa, quæ iam commemorauit, sed etiā minùs crassa. (Sic Ambrosius) videlicet iram, indignationem, &c. Quid interfit inter ὀργὴν et θυμὸν, indicat annotatio in capite 4. epistolæ ad Ephesios. (*Blasphemiam*) id est, maledicentiam, (*turpem sermonem*) Paulus vnicam vocem habet αἰσχρολογίαν, quā nos vertere possimus turpiloquentiam, (*ne nolite mentiri inuicem,*) id est, alius aduersus alium, expoliantes siue exuentes vos veterem hominem. Participia hæc expoliantes & induentes apud Paulum præteriti temporis sunt hoc sensu: Postquam exuistis veterem hominem & induistis nouum.

Obseruandum hoc loco, quod vetus homo non tātùm pertinet ad portionem animæ inferiorem, id est, appetitum sensitiuū, sed etiam ad partem animæ superiorem, id est, rationem & voluntatem. Vtraque enim animæ portio, intelligenda est corrupta esse vitio Adæ, quemadmodum eruditè collegit Augustinus ex hac sententia Apostoli. Interior, inquit, homo si renouetur de die in diem, profectò vetus est antequā renouetur. Intus namq; & in interiore homine agitur, quod dicit Apost. exuite veterem hominē, & induite nouū. Est igitur vetus homo animus hominis quatenus habet vitiatam naturam ex Adam, vitam agens secundum illam infectionem. Ex hac descriptione facilè iam est intelligere, quid sit nouus homo. *August. de trin. lib. 4. cap. 3.*

Qui renouatur.) Istud hoc modo exponit Augustinus. Motibus suis anima, quos habet secūdùm carnem, aduersatur alijs motibus suis quos habet secundum spiritum: & rursus motibus suis, quos habet secundum spiritum, aduersatur alijs motib', quos habet secundùm carnem, & ideo dicitur caro concupiscere aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed & propterea de ipsa anima dictum est: Renouatur de die in diem: Neque enim ipsa in sanctitate non proficit, cum magis magisq; minuit eas quibus non consentit, carnales cupiditates. *August. contra Iul. lib. 6. cap. 5.*

In agnitionem) id est, ad agnoscendū quæ non cognoscuntur nisi per reuelationem. *Secundùm imaginem eius qui creauit illum*) id est, secundum imaginem Dei. Imago hæc consistit in memoria, voluntate, & intellectu. Qui ergo hæc tria Deo consecrat quotidie nil volendo, nihil memorando, nil cogitando, nisi quod ad honorem dei suamq; salutem pertinet, iste renouatur de die in diem, & penes has tres insignissimas potentias sit renouatio hominis. Alij interpretantur de summa perfectaque puritate Dei, ad quam dùm nitimur, renouamur. *Vbi non est gentilis & Iudæus*) In hoc negotio non refert, an Iudæus quis sit an gentilis, circumcisus an præputiatus, Barbarus an Schyta. Barbaro opposuit Schytam, nō quòd hic barbarus non sit, sed quod præ hoc, cæteri barbari, nō sint Barbari: (*sed omnia*) scilicet, iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stitia, pax, sanctitas est Christ⁹ in omnibus. (*Et*) hoc loco idem valet quod etiam. Sensus est: etiam in omnibus qualescunq; tandem sunt, id est, siue Iudęi siue Gentiles, &c.

INduite vos ergo sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, molestiam, patientiam, supportãtes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquẽ habet quærelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.

INduite vos ergo sicut electi) id est, sicut decet electos, sicut decet Sanctos, & eos qui amantur à Deo. Viscera misericordiæ siue miserationum, vt habet Paulus, id est, sitis insigniter misericordes: Hebraism⁹ est, (*Benignitatem*) id est, comitatem, sitis assabiles, non rusticè duri, *Humilitatum.*) Virtus est qua quis de se humiliter siuè modestè sentit. Græcè ταπεινοφροσύνην, vocãt modestiam, Paulus habet πραότητα, id est, mansuetudinem siue lenitatẽ (*patientiam*) Paulus habet μακροθυμίαν, id est, longanimitatẽ. *Supportantes*) siue sufferentes vos inuicẽ & condonantes vobis mutuo. Si quem offensum contingat iustam habere causam iræ ac querelæ aduersus alterum, condonet ipsi, sicut & Dominus condonauit vobis cùm essetis hostes. Hæc & quæ sequuntur, inueniuntur etiam in Epistola ad Ephesios.

SVper omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in quam & vocati estis in vno corpore, & grati estote.

SVper omnia hæc charitatem habete.) Ex capite 5. epistolæ ad Ephe. constat eum loqui de charitate proximi. *Quod est vinculum perfectionis*) sensus est, quæ charitas est vinculũ integritatis. Est breue sed insigne encomium charitatis, significat ea quæ dicta sunt, hoc est, misericordiam, benigtatem, humilitatem, &c. statim dissolui nisi adsit charitas: Ad hunc ferè modum Chrysostomus. Alij vinculum perfectionis interpretantur pro vinculo perfecto, vt sit Hebraismus. Prior sensus magis probabilis est, vt quemadmodum in corpore spiritus connectit omnia, & colligat omnia mẽbra alioqui dilapsura sic charitas intelligatur constringere siue connectere corpus virtutũ. *Et pax Christi exultet*) Græcè est βραβευέτω, id est, palmam ferat siue obtineat, id est, vincat siue superet. Sensus est: si incidat aliquid alicui cũ proximo, siue ob dignitatum diuersitatem, siue ex alia quapiam occasione, non primũ locum obtineat affectus, sed primo loco sit studium concordiæ, illa vincat & superet: cede potius tuæ opinioni, quam pacem rũpas: patere potius rerum tuarum dispendiũ: quam pax periclitetur.

Græcanica scholia βραβεύέτω interpretantur palmam distribuat, sitq; arbiter in lite si qua incidat, non iudicet in vobis ira, aut superbia, sed pax illa moderetur & palmam deferat. Græca vox vtrumq; admittit, & sensus eodem recidit. Vult Apostolus, ante omnia studendum charitati, & paci Christi, id est, ei quæ est consentanea Euangelio, quòd à pace & charitate depẽdeat Christianismus (*in quam*) id est, *ad quam & vocati estis*) id potissimum voluit Christus, vt cõcordes sui essent discipuli.

In vno corpore) voluit vos omnes vnum esse corpus, vt studiosi essetis seruandæ pacis: *Et grati estote.*) Sensus est, iuxta vocis Græcæ significationem, comes sitis, præstante in conuictu quotidiano mores amabiles. Hunc sensum amplectitur Erasmus, iuxta quem adiecit istud Apostolus, velut indicans, qua ratione inter eos pax possit consistere, nimirum si comes sint, & benigni erga omnes, propensi ad bene merendum de omnibus. Verùm ex commentarijs Græcorum & epistola ad Ephesios, videtur Paulus abusus voce εὐχάριστοι: interpretãtur enim Græci, grati sitis erga Deum, hoc sensu: Volo vos memores esse qualis ille fuerit erga vos, vt ipsi vicissim tales sitis erga alios, vel volo vos agere gratias Deo pro beneficijs acceptis, & omittere dissensiones.

VErbum Christi habitet in vobis abundãter, in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcũque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agẽtes Deo & Patri per ipsum.

VErbum) non Simonis aut Iudaizantiũ sed Christi, hoc est, sana Euangelij doctrina (*habitet in vobis*) id est, semper sit in ore vestro: quod sequitur (*abundanter*) Græcè est πλουσίως, id est, diuiter, id est: Volo vos esse assiduos in tractãdo puram Christi doctrinam. Illud (*in omni sapientia*) de industria adiectum est propter Gnosticos. *Docẽtes*) abusus est participio loco verbi, quod Græcis familiare est: docete, inquit, & commonete vos mutuo: *Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus.*) De his in Epist. ad Ephe. dictum est. *In gratiam*) Hebraismus est, cum gratia, id est, cum mentione laudis cantantes, &c. *Omne quodcunque facitis.*) Reuocat eos à schola Iudaizantium & Simonis: omnia quæ faciris in nomine Christi facite, nõ illorũ, non misceatur Moyses & angeli cum Euangelio. *Gratias agentes Deo & Patri per ipsum*) & non per alium.

MVlieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri diligite vxores, & nolite amari esse ad illas. Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Domino. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes quasi hominibus placẽtes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.

MVlieres) id est, vxores: sic enim mox Græcam vocem vertit. *Subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino*) id est, sicut id postulat Christianism⁹. *Viri diligite vxores, & ne sitis amarulenti circa illas*) morosi & intractabiles. *Filij obedite parẽtibus per omnia,*) id est, in omnibus, honestis tamẽ: *hoc enim placitum in Domino.*) Præpositionẽ (in) Græca non habent, & si omittatur, sensus planior erit. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant*) id est, deiecto, & dissiliant à cultu Dei, ne sitis ipsis ita duri, vt pigiat eos Christianismi, dicẽtes se patres habere intractabiliores quàm habebant alij non Christiani.

Serui obedite) causa, cur tam studiosè vbique præcipiat Apostolus seruis & cæteris obedientiam, depicta est in historia antiquitatis. Erant enim quidam id temporis, qui male intelligentes libertatem Christianam, docebant ab obedientia, quæ præstatur hominibus, per Christum omnes esse absolutos. Vide annotationes in Epistolã ad Ephe. Dixit, autem, *dominis carnalibus,*) & non dominis Christianis, vt significaret etiam obtemperandum Ethnicis. *Non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes.*) Hic sunt illæ duæ voces compositæ, de quibus in Epistola ad Ephes. quas nos vix multis possimus reddere: Obsequium iuxta oculum exhibitũ ὀφθαλμοδουλίαν appellant, eũ qui hominib⁹ placere studet ἀνθρωπάρεσκον dixit. *Sed in simplicitate cordis*) omnia hæc inueniuntur in Epistola ad Ephes. Facere quæ decet dominis tantum spectantibus, studij est placendi hominibus, non timoris Dei.

QVodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino & non hominibus, scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo seruite: qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, & non est personarum acceptio apud Deum.

QVodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino.) Sensus est: cogitet seruus seruitutem sibi expẽdere domino Deo, qui voluit ipsum seruum esse, & se muneratorem ab eo acceptum. Respondet cogitationi seruorum: posset dicere seruus, Dominus meus est Ethnicus, ego Christianus, no loo ei amplius seruire: Respondet quòd non Ethnico seruiat sed Christo. Vox ἀνταπόδοσις, quam noster interpres retributionẽ vertit, planè facit pro meritis operum, etiam apud Ethnicos scriptores. Nomine hæreditatis, vitam æternam expresit. *Domino Christo seruite*) verbum Græcum est anceps, vnde alij vertunt: nam Domino Christo seruitis.

Qui enim iniuriam facit) Græca non habet γὰρ sed ϰ. Cæterùm qui iniuriam facit (*recipiet*) id est, referet siue reportabit id quod iniquè gessit, hoc est, pœnas dabit, & non est personarum acceptio apud Deum. Quid enim, inquit, si ille gentilis sit, tu verò Christianus, non propterea euades supplicium.

CAPVT. IIII.



DOmini, quod iustum est & æquum, seruis præstate, scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quo modo oporteat vos vnicuique respondere.

DOmini quod iustum est, &c) Iustum vocat id, quod seruis debetur à Dominis: æquum æquabilitatem, ne alium in delitijs habeant, alium iniquè tractent. Habete, inquit, illos illo loco quo merentur. *Orationibus instate, vigilantes in ea in gratiarum actione*) id est, cum grata commemoratione beneficiorum præstitorum à Patre per Christum. Hæc scribit laicis, nunc laus est maxima, si hæc vel sacerdos præstet. Sit ergo hoc studium nostrum, saltem qui clerici sumus: *Orãtes simul & pro nobis, vt Deus aperiat ostiũ sermonis.*) Metaphora est quam miraretur etiam Cicero. Meminit hic vinculorum suorum eodem consilio, quo in Epistola ad Ephesios. *In sapientia ambulate, &c.*) id est, adhibete prudentiam in congressu cum Ethnicis. *Qui foris sunt*) id est, extra gremium Ecclesiæ, circumspecti sitis in rebus cũ ipsis gerendis: (*Redimentes tempus*) quia nihil pretiosius tempore: Vult cæterarum rerum dispendio illud redimi. Vide annotationes in epistolam ad Ephesios: *Sermo vester in gratia.*) Hebraismus est, Latinè dixisset, sermo vester habeat gratiam, id est, adferat vtilitatem sale discretionis & acrimoniæ conditus. Ad Epho. 5.

QVæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, & consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo & fideli fratre, qui ex vobis est, qui omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis.

Quæ circa me sunt) id est, quid agam Romæ, & quomodo ibi succedat Euangelium, nota vobis faciet Tychicus. Similis locus est in epistola ad Ephesios, quem ex-
Ad epist. c. 6. planans Hieronymus annotat Apostolum scripsisse eodem tempore hanc & illam quæ est ad Ephesios, quod notandum propter eos, qui hanc scriptam volunt Ephesi. (*Quem misi ad vos vt cognoscat quæ circa vos sunt*) id est, quid moliatur schola Iudaizantiũ & Simoniacorũ, & quo loco sit apud vos Christus: *Cum Onesimo*) hũc Chrysostomus facit cũ de quo ad Philæmonẽ, & hinc patet epistolam istam Romę scriptã: Siquidem Onesimus Paulo in vinculis aderat Romæ: *Qui ex vobis est*) id est, ex vestra gente nempe Phrigia.

Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ (de quo accepistis mandata. Si venerit ad vos, suscipite illũ) & Iesus qui dicitur Iustus, qui sunt ex circumcisione, hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus) scilicet, sub Nerone (*& Marcus consobrinus Barnabæ*) de quo in Actis (*suscipite illũ*) id est, agnoscite pro Christiano: *Et Iesus qui dicitur*) id est, cognominatur Iustus: (*qui sunt ex circumcisione*) id est, natura Iudæi non gentiles: *Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei*) id est, propagango Euangelio, in quo hi ex Iudæis mihi tantùm adfuerunt.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est seruus Christi Iesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.

Salutat vos Epaphras semper solicitus) Græcè est ἀγωνιζόμενος, id est, qui magnũ studium impendit, siue qui enixè laborat pro vobis in orationibus, *vt stetis*) siue vt sitis perfecti, id est, vt circa dogmata id sentiatis, quod reuera sentiendum est.

Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est Ecclesiam. Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: & ea quæ Laodicensium est, vt vobis legatur.

Salutat vos Lucas) Chrysostomus dubitat an alius. *Salutate fratres*) nomẽ est religionis, & non sanguinis: *Et Nympham*) Ambrosius mulierem facit, alij virum. *Et quæ in domo eius est Ecclesiam*) id est, domesticam eius Ecclesiam, loco (*eius*) Græcè est αὐτῆς quod pronomen masculini generis est, vnde certum est Nympham virum fuisse & non mulierem.

Et dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleat. Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

Dicite Archippo) iste videtur successisse Epaphræ. *Vide ministerium quod accepisti in Domino*) id est, per Christum, vt illud impleas continua vsque diligentia.

Memores estote vinculorum meorum) id est, precibus vestris commendate vincula mea Domino, vt audacter audeam loqui. Vel propter familiam Simonis istud addit, quasi dicat, isti non gestant vincula pro vobis, vt ego. Restat igitur vt me, nõ illos audiatis, *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum amen.*) Finis est Epistolæ, quæ est eiusdem argumenti cum ea quæ scripta est ad Ephe. nec quicquã differt ab ea. nisi quod in hac est aperta significatio Iudaicarum obseruationum: ad Ephesios verò tenuis earũ mentio: Ibi enim duo tantum loca sunt ea dere, videlicet: legem mandatorum decretis euacuans: & Gratia estis saluati per fidem, non ex operibus.

Finis Epistolæ ad Colossenses.

IN POSTERIOREM D. PETRI EPISTOLAM EXPLICATIO.

F. ADAMI S. DELPHIL.

ARGVMENTVM.

ARgumentum huius Epistolæ idem est quod Epistolæ Iudæ, annotãt hoc Græcanica schola: & ita esse deprehendet, qui hanc cum illa contulerit, Scribitur autem in commune omnibus, quibus à Gnosticis periculum erat, & nullis certis, quemadmodum nec Epistola Iudæ.

CAPVT I.

SIMON Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi, ijs qui cœqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri & Saluatoris IESV CHRISTI.

SImon Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi ijs qui æqualem) id est, eiusdem dignitatis ac prætij. Erasmus vertit, æquè pretiosam, & rectè: nam hinc vox Græca composita est: significat autem fidem per omnia indifferentem contigisse tam Gentibus quàm Iudæis, idq; ex liberali gratia Dei, quod postremùm indicat verbum sortiti sunt: *In iustitia Dei.*) Quia epistola hæc scripta est contra familiam Simonis, & nulla in ea significatio est Iudaizantium: idcirco iustitia Dei accipienda est vt opponatur non iustiæ legali, sed iustitiæ quàm pollicebatur Simon suis cultoribus. Quod ait Dei & Saluatoris, interpretãtur quidam de Patre & Filio. Alij vtrumq; ad Filium referunt & præpositionem, in, positam dicunt loco per: qui si per iustitiam merita Christi intelligant, non est probabilis ipsorum commentarius, quòd fides non sit ex merito Christi, sed ex prædestinatione: quod alij aduertentes, in iustitia Dei, interpretantur, quæ adfert iustitiam Dei vt fides in iustitia Dei hoc sit Petro, quod Paulo iustitia Dei per fidem. Verùm insolens est hæc phrasis, quare dicendum præpositionem (in) hoc loco valere Beth Hebraicum. Est autem Beth Hebræis nunc instrumenti nunc comitis. Prioris exemplum est cap. 7. Esaiæ: Radet Dominus in nouacula acuta. Posterioris verò Exodi, 13. Præcedebat eos Dominus per diem in columna nubis, &c. Hoc verò loco comitanter accipitur pro eo quod est, cum, sicut cap. 1. prioris Epistolæ ad Timotheum: Superabundauit gratia Domini nostri cum fide & dilectione, Et in Euangelio: Eamus & moriamur cũ illo, vbi Hebræus vteretur præpositione beth.

GRatia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri, quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quæ maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

Gratia vobis & pax, &c.) De his vocabulis dictum est in epistola ad Romanos, & Galat. De verbo verò adimpleatur, in Epistola Iudæ. *In cognitione*) id est, per cognitionem. *Dei & Christi Iesu Domini nostri, quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, &c.*) Interpres noster aliter legisse videtur quàm hodie habẽt Græca. Nã pro δεδωρημένης, quod participiũ est, videtur legisse δεδωρῆται, quod verbum ad hũc modum vertit Erasmus: Vt eius diuina virtus omnia nobis largita est quæ ad vitam & pietatem pertinent. *Per cognitionem eius, &c.*) Sensus est: gratia vobis & pax multiplicetur per cognitionem, quomodo per cognitionẽ omnia quæ ad vitam spiritus & pietatem pertinent, à diuina potentia nobis donata sunt, per cognitionem, inquam, non earum rerum, quas inducunt Gnostici, sed (*eius qui vocauit nos propria gloria*) id est, motus sua mirabili misericordia. Gloria huius loci est illa, quę cap. 3. ad Rom. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, id est, gratia & misericordia. Quod sequitur (*virtute*) diuersum est à superiori: Omnia diuinæ virtutis suæ: nã ibi est δύναμις, quæ pugnat cum imbecillitate: hic verò ἀρετὴ quæ opponitur vitio. Sensus est: motus virtute sua, id est, bonitate. *Per quæ maxima, &c.*) variant hic exemplaria Latina, alia habent per quem, alia per quã, alia rursus per quæ, quomodo legunt Græca. Sensus est: per quã gloriam

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam & virtutem, maxima nobis & pretiosa promissa donauit. *Vt per hoc*) Et hic variant exemplaria: quædam habẽt vt per hoc, quædam vt per hæc, & ea lectio probabilior est. Sensus est: vt per hæc promissa & beneficia, diuinæ efficiamur consortes naturæ, id est, Filij Dei. Consortium, inquit, diuinæ naturæ non per mystagogiam Simonis, non per coitum & purgationes Gnosticorũ, sed per beneficium Christi, ex agnitione Dei contingit. si freti Christo refugiamus à corruptione, quæ in mundo est per concupiscentiam, id est, si seruemus nos puros à turpitudine venerea, à libidine qua se conspurcant Gnostici.

VOs autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem: in virtute autem, scientiam: in scientia autem, abstinentiam: in abstinentia autem, patientiam: in patientia autem, pietatem: in pietate autem, amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis, charitatem.

VOs autẽ curam omnẽ subinferentes, &c.) Quod dicit tale est. quæ dixi, contigerunt vobis diuinitus, sed vestro studio adiuigilare debetis, ne inficiant vos Gnostici, qui nisi diligentes fueritis, subuertẽt & eripient vobis quæcunq; donata sunt: Vult vt nostra diligentia accedat ad dona Dei: nam participium Græcum quod noster interpres vertit subinferentes significat præterea inferentes (*ministrate*) id est, suppeditate, sicut ædificanti suppeditamus calcem & lapides. *In fide*) id est, vna cum fide vestra (*virtutem*) bona opera. *Et in virtute*) id est, cum vestra bona vita, (*scientiam*) cognitionem & cum cognitione abstinentiam. Vox Græca huius loci est illa quæ toties obuia est apud Arist. in Ethicis, nimirum ἐγκρατεια, quam ibi interpretes continentiam vertunt: Sumitur autem non pro ea moderatione, quæ est in cibo & potu, sed quæ est in re venerea & voluptate tactus. Gnosticis nihil proderit suum studium, quod intemperãtes sint, & licenter viuentes: Vos cum scientia iungite ἐγκρατείαν, et cum ἐγκρατεία patientiam aduersus maledicta & blasphemias Gnosticorum, quibus omnes non suæ sectæ infectantur. Rursum cum patientia suppeditate pietatem. quæ est verus cultus Dei: assuescite hymnis & psalmis, & canticis spiritualibus, & cum pietate subministrare (*amorem fraternitatis*) Græcè dictio composita est, φιλαδελφίαν, id est, amorem fraternũ: Quoscunque noscitis catholicos, eo nomine ipsos diligite: sensit enim de mutuo amore inter se, vt emergentibus Gnosticis ipse vehementius ament: siquidem hos fratres appellare consueuerũt Apostoli. *Cùm amore autem fraternitatis*) charitatem diuinam, videlicet illam qua Deum summè amamus.

Eius exercitium hìc commendat quæ vita est animę, sine qua nec philadelphia quicquam prodest, nec εὐσέβεια siue pietas est aliquid. In præcedentibus præpositio, in, accipi potest vel pro, cum: vel propter. Iuxta Bedam, ministrare in fide virtutem, est iungere fidei virtutem. Accepit ergo ipse (in) Hebræorum more pro Beth. adhæsionis, quale est cap. 4. Oseæ: Sanguis in sanguine tetigit se, quod Hieronymus omisso. Hębraismo vertit, sanguis sanguinem tetigit. Græcanica quoq; scholia accipiũt, in, pro Beth, adhæsionis. Nam habent: suppeditate fidei vestræ virtutẽ, id est, adiungite fidei studiũ virtutis. Accipitur autem virtus nõ pro virtute ethica: nam sic non potest seiungi ab abstinentia & cæteris sed accipitur pro bonitate. quomodo exposuimus in illa sententia: Qui vocauit nos ꝓpria gloria & virtute.

HAec enim si vobiscum adsint, & superẽt, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

HAec enim si vobis adsunt & superẽt, &c.) Si his virtutibus instructi fueritis, nec simpliciter instructi sed abunde instructi, ita vt exuperent in vobis, id est, quod dicit, superent: (*& non vacuos*) Græcè est ἀργους. Efficient vos non otiosos, nec sine fructu, Græcè est ἀκάρπους, quod Erasmus vertit, non in irritum laborantes. Sensus est: faciẽt vt vester labor nõ sit irritus, sed vt proficiatis in Christi cognitione, meliori certè cognitione quam ea, quam iactant Gnostici. (*Cui enim non præsto sunt hæc*) id est, qui non studet comparare sibi ea quę dixi, (*cæcus est*) quantumuis magnam putat se habere cognitionem (*& manu*) scilicet viam (*tentans*) adiecit hoc Apostolus, vt profundam cæcitatem exprimeret: nam luscosi magna cortatem exprimeret: nam luscosi magna corpora vident, vt ductu manuum nõ sit opus: (*oblinionem accipiens purgationis veterũ suorum delictorum,*) siquidem in hoc à peccatis sumus purgati, vt in iustitia & sanctitate vitam exigamus. Locus iste insignis est, & annotandus propter hæreticos, qui volunt sola fidem sufficere. Similis locus est in Epistola Iudæ, Superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ, siue vt Græci codices habent, vestræ fidei, &c. Nam superædificare fidei, est in fide subministrare alias virtutes.

QVapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi.

QVapropter fratres satagite magis, &c.) Gnostici adeò dediti sunt studio cognoscendi, vt quod præcipuũ est vitam vidclicet negligãt: vos fratres potius operam date, studete & incumbite, (*vt per bona opera vestra certam vestram vocationẽ*) qua vos vocati estis à Deo ad fidẽ. (*Electionem*) qua electi estis ad hæreditatem filiorũ Dei & æternam felicitatem, faciatis: vox Græca βεβαίος significat & certum, hoc est, compertum, significat & firmum siue stabilem, quomodo aliàs ferè vertit interpres. Si exponas priori modo, sensus est: vt compertũ habeatis vos à patre vocatos & electos, & non esse vobis opus mystagogijs Simonis. Si posteriori modo interpreteris, sensus est: nihil aduersus Gnosticos ita munire & stabilem ac immotum reddere hominem potest, atq; bonę vitæ studium. Verum siue vocem Græcam interpretaris vt pertineat ad cognitionem siue ad affectum, nihil facit pro hæresi huius tẽporis, quia non refert diuus Petrus hanc certitudinem ad fidem, sed ad bona opera siue ad virtutes, quas antè recẽsuit, quæ certitudo probabilitatis est. Græcanica scholia interpretantur vt nullo modo seruire possit hæresi de fide speciali & securitate perseuerantiæ. Certam aiunt & firmam facite vocationem vestram & electionẽ, alijs vitam vestram, & mores considerantibus: (*hæc enim*) scilicet, bona opera vel virtutes, quas superius cõmemorauit. Quod posterius addimus propter Græcos codices, in quibus non est expressa mentio operũ. (*Non peccabitis*) vocem Græcam magis propriè vertit interpres in Epistola ad Rom. cap. 11. Offenderunt vt caderent. Non enim sensus est: nunquam committetis peccatũ, quod generale est, sed non offendetis siue nõ impingetis in errores Gnosticorum. Multis haud dubiè causa ruinæ in hæresim hac tempestate est, quòd non exerceant se in operibus virtutum.

Sic enim) id est, si in his virtutibus exercemini: (*abundanter*) Græce est πλουσίως, id est, diuiter siue opulenter. *Ministrabitur*) id est, suppeditabitur vobis introit⁹ in æternũ regnũ: non impedient ingressum ad cœlos Angeli Simonis, vt schola illa nugatur.

PRopter quod incipiam vos semper commonere de his & quidem scientes & cõfirmatos vos in præsenti veritate. Iustum autem arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei secũdum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

PRopter quod incipiam) Græcè est, non negligam, nõ omittam. *Vos de his*) id est, de hocargumento. *Semper commonere*) tametsi (*sciatis & confirmati sitis in præsenti veritate*) id est, in hoc genere doctrinæ, de quo nunc scribo vobis. Ciuiliter dictum: sic enim mitigat admonitionem. Simile est in Epistola Iudæ: commonere vos volo scientes semel omnia. nec abs re id se facturũ dicit: id enim iustum est cum sit Apostolus: *Iustũ* (inquit) *arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo*) id est, in hoc corpore, id est, quamdiu viuo. *Suscitare*) siue excitare vos. *In commonitione*) id est, per commonitionem, maximè cum sciam breui futurum, vt deponam hoc tabernaculum, id est, corpus hoc, quod veluti tabernaculum animæ circumfero. *Secundum quòd & Dominus Iesus Christus significauit mihi.*) Non est verisimile Apostolum Petrũ respexisse ad locum, qui est cap. 21. Ioan. vt habent concordãtiæ marginales: sed ad nouam reuelationem, quasi dicat: Certus sum ex reuelatione mihi iam facta. Hinc colligimus, quod senex hanc Epistolam scripserit.

DAbo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Non enim doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.

DAbo autem operam) vel vt Erasmus vertit, quin & operam dabo. Quod sequitur (*frequenter*) Græcè vehementius est ἑκάστοτε, id est, semper, quod et Erasmus refert ad verbum quòd præcedit dabo operã, sed magis verisimile est pertinere ad memoriam facere, quod sequitur. Sensus est: diligentia mea efficiciam, vt doctrina hęc semel infigatur animis vestris, vt positis vnoquoque tempore etiam post meam mortem meminisse huius, id est, argumẽti istius, de quo nũc ago. Habere, positũ est pro, posse, quod Græcis familiare est: vt possitis facere mentionẽ horum, Nec est Græcè obitus sed exitus, in quo seruauit metaphoram: Meminerat enim tabernaculi. Dilucidius fuisset si ποιεῖσθε quod infinitũ est, vertisset per verbum infinitiuum facere, et ἔχειν reddidisset per verbum posse, hoc modo: dabo operam & frequẽter, posse vos post exitum meũ horum mentionem facere.

Non enim doctas fabulas sequuti.) Variant hic exemplaria, alia habent doctes, alia indoctas: nec ex Græca voce constare potest quid verterit interpres. Est enim participiũ illius verbi à quo deducitur Sophista quo vocabulo significatur & sapiens, & is qui fictam sapientiæ speciem iactitat. Pertinet ergo vox ad eruditionẽ & insciti ã. Si legamus, indoctas, rectè quadarat cũ ratione scripti nam Gnosticorũ Theologia constabat me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re indoctis nugis hinc inde collectis ex poëtis, ex Philosophis, & alijs atq; alijs. Erasmus vertit, arte compositas fabulas, imitans Græcanica scholia. Sensus est: si fabulas docuissem, mors instans potuisset me commonere ad resipiscendum, ad mutandum sententiam, sed recta sunt quæ docui, quare non desinam inculcare.

Est egregia causa solicitudinis Apostoli. Pro virtute Græci habent δυνάμιν, id est, potentiam, pro præsentia παρουσίαν quam vocem alias vertit aduentum, ponitur & pro πλουσία, id est, opulentia. Sensus est, potentiam Christi, & quid possit beneficium ipsius, item quid præsens in hac vita Christus egerit, & ipsius miracula, non docui ex meo ingenio, confictis fabulis, sed & cætera. Pro præsentia, nonnulli codices habent, præscientiam: sed interpretem vertisse presentiam, & deinde scribarum vitio mutatum fuisse in præscientiam, certum est ex Græca voce, quæ nihil affine habet cũ præscientia. Quare quæ tradit hic Lyranus de cognitione Christi licet vera, tamen parerga sunt & extra propositum, nec fundamenta habent ex hoc loco: *Sed speculatores facili & cætera.*) Quæ vidi inquit, quæ coram inspexi & intuitus sum, tradidi vobis. Illius, hic masculini generis est, & refertur ad Christum, non ad magnitudinem.

Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & hãc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.

Accipiens enim) Participio abusus est pro verbo, iuxta idioma sermonis Hebræi: annotant hoc Græcanica scholia. Accipiens fuit, id est, accepit ipse, nimirum Christus, non Angeli mediatores, quos inducit Simon. *A Deo Patre honorem & gloriam.*) Quis sit honor hic & gloria, explicat quòd sequitur. *Voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria,*) id est, è nube, in qua magnificè apparuit. *Hic est filius meus dilectus*) Græcè additur articulus, hic est, ille, Filius meus dilectus & nomen est non participium, dilectus: Est enim ἀγαπητός, quã vocem interpres alias fere charissimus vertere solet, & omnino plus quiddam significat quàm dilectus. Hieronymus in epistola Pauli ad Philæmo. annotat magis sonare diligibilem quàm dilectum, atq; in re ipsa hoc interesse, quod ἀγαπιμένος, id est, dilectus esse possit, qui non sit ἀγάπητος, id est, dignus qui diligatur, veluti cùm inimicos ex mãdato Christi diligimus: sunt quidẽ nobis ἀγαπιμένοι, id est, dilecti sed non ἀγάπητοι: (*in quo mihi cũplacui,*) id est, in quo oblector, in quo mihi vnicè placeo, qui est dilicium, siue vt Latinè dicamus deliciæ cordis mei. εὐδοκία quod verbũ hoc loci ponitur, peculiare est diuinis literis, quo propensum animum ac præcipuum quendam affectum significat. Potest & hoc modo exponi, in quo visum est mihi misereri vltro, & benefacere homini, per quem placuit mihi saluare humanũ genus spontanea misericordia. Vtriusq; interpretationis meminit Euthymius super Matthæũ. Posterior solidior est, si inspiciamus naturam vocis Hebrææ, atq; vocabulũ Græcum. Hieronymus effictum putat à 70. vide Hieronymum in cap. 1. ad Ephesios. *Et hanc vocem audiuimus.*) Colligit hinc Beda, indubitatum huius Epistolę authorem esse D. Petrum, alioqui impudenter mendacis hominis esset dicere, se hanc vocem in monte audiuisse. Montem vocat sanctum propter ea quæ in eo exhibita sunt, quæ plena erãt numinis ac maiestatis. Historia est apud Matthæum cap. 27.

ET habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit.

ET habemus firmiorem Propheticum sermonem.) Variæ sunt huius loci interpretationes. Erasmus tres habet: Græcis inquit subinde mos est, cõparatiuum pro positiuo vsurpare, hæc est prima interpretatio, vt Petrus firmiorem pro firmo dixerit. Verũ quia propheticũ sermonem comparat cum Euãgelica historia, & relatione sua de illã in monte apparitione, nõ est probabilis interpretatio. Pergit deinde Erasmus: Nõ simpliciter propheticũ sermonẽ firmioré, sed tam factum firmiorem attestante dictis illorum voce Patris: Hæc est secunda interpretatio, sed de hac re nihil agitur hic. Postremò, Pater ipse, inquit, quodammodo Filij sui Prophetia fuit ac præco, prædicens palàm omnia sibi placitura, quæ ille dicturus aut facturus esset, atq; hic sermo propheticus firmior est sermone prophetarũ: Hæc est tertia interpretatio, vt sermo propheticus sumatur pro Patris testimonio, & hanc interpretationem cæteris præfert, & putat Germanam esse Petri, sed difficilè est ostendere quomodo hæc interpretatio seruiat instituto. Quare amplectendus est commentarius, qui interpretatur in hunc modum: Habemus firmiorem, id est, certiorem & compertiorem. Est enim hic βεβαιότερον, quod comparatiuum est nominis βέβαιος, de quo dictum est in præcedẽtibus. Id enim temporis sermo prophetarum spectatior erat

erat & latius receptus, quàm sermo Apostolorũ & Euangelistarum. Sensus est: si quis nobis vel Apostolorum scriptis vt recentibus nolit credere, legat prophetas receptiores iam, & statim damnabit doctrinam Simonis, inueniet vbique Christum induci mediatorem, non Angelos Simonis: videbit Christum proponi magistrum, cuius doctrinæ inhærendum sit, contempta doctrina Gnosticorum: Cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies, id est, cognitio pura Christianismi illucescat. *Et lucifer oriatur, &c.*) Istud eandem sententiam habet cum priori. *Hoc primum intelligentes.*) Aduertere inquit hic oportet, quod prophetica scriptura non sit priuatæ interpretionis: res tota est supra captum humanæ rationis. Quare sensus petendus est ab ijs, qui eum acceperunt à Christo, qui ostium est Prophetarum, qui hunc deposuit apud Apostol⁹ & discipulos & illi apud Ecclesias. Gnostici pro suo arbitrio recipiunt vel reijciunt has aut illas scripturas, & quas recipiũt, pro suo ingenio interpretantur. Vos nolo hic sequi priuatum vestrum sensum.

NOn enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.

NOn enim voluntate humana allata est aliquando Prephetia) probatio est prioris. Scriptæ sunt magisterio spiritus, igitur & magisterio spiritus discendæ sunt scripturę: non igitur priuati sunt ingenij, sed ad publicam & ad catholicam pertinent Ecclesiam, atq; ab ea petenda est earum interpretatio.

CAPVT II.



Verunt verò & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mẽdaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negãt, superducentes sibi celerem perditionem.

FVerunt verò & Pseudoprophetæ.) Ex mentione Prophetarum transit ad principale argumẽtum de Pseudoprophetis, de quibus apud Iudam penè eadem, omniaq; facilia sunt, dum intelligimus Apostolum ad certum genus hominum dirigere oculos, quemadmodum fit in omnibus catholicis & Apostolicis Epistolis, quæ ex certa occasione sunt scriptæ. In præfatione quam hactenus exposuimus, tres habemus locos communes admodum insignes.

Primus est, cognitionem rei Christianæ absque exercitio virtutum nihil prodesse. Secundus est, nihil nos ita in fide retinere ad quam vocati sumus, & stabilire aduersus hæreses, quãm strenuum virtutum studiũ. Vocatio nãq; ibi & electio non tam ad æternas pertinet, quàm eas quibus quotidie vocamur ad fidem. Tertius est, scripturã quam sacram vocamus, non esse priuatæ interpretationis.

Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo) scilicet, Iudaico. *Sicut & in vobis erunt magistri mendaces*) Græcis est vnica dictio ψευδοδιδασκολοι, quos Paulus vocat ἑτεροδιδασκάλους. Etsi Christus gubernet Ecclesiã, occulto tamen suo iudicio sinet exoriri hæreses. Apte autem comparat pseudoprophetis, qui sub Moyse fuerunt, hæreticos post Christum exurgentes, quia sicut illi audebant falsò dicere: Hæc dicit Dominus & cætera, ita hi non verentur dicere: hoc est verbum Dei ex priuato suo sensu, non attendẽtes quid Patres, quid Ecclesiæ consensus doceat, (*qui introducent*) id est, clam & obiter inducent prætextu Christianismi. Istud est proprium hæreticorum. Sic nostri hæretici iactitant se obrutum: adinuentionibus hominum Christi beneficiũ, in Lucem reuocare, qui magnus est prætextus. Iudas habet simile verbũ: Subintroierunt enim quidam homines, &c. *Sectas perditionis*) id est, hæreses adferẽtes perniciem. *Et eum qui emit eos*) id est, Christum qui eos suo sanguine mercatus est, abnegant. Est mirabile πάθος, vide Epistolam Iudæ. *Superinducentes*) id est, accersentes (*sibi celerem perditionem*) id est, interitum.

ET multi sequẽtur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.

ET multi sequentur eorum luxurias.) Græca, quæ nunc in manibus sunt, habẽt, multi sequuntur eorum exitia, siue perditiones. Noster interpres vel legit ἀσωτείαις pro ἀπωλείαις vel ad sensum reddidit: *Per quos via veritatis*) id est, doctrina Euangelij, verus & purus christianissimus. *Blasphemabitur*) id est maledictis & conuitijs afficietur. Ad Ephe. cap. 5.

Et in auaritia.) Hic est πλεονεξία vox frequens Paulo, de qua dictum est in Epistola ad Colossenses: Hoc tamen loco specialiter accipitur pro φιλαργυρία pro improbo studio pecuniæ, propter verbum negotiandi, quod ad auaritiam proprij nominis pertinet. Factitijs inquit & compositis sermonibus vos cauponabuntur, docendo abutentur vobis ad quæstum suũ vt sunt auari. Iudas quoq; in epistola sua notat eos auaritię, cum quo & consentit historia antiquitatis: Ad Colos. cap. 3.

Quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quibus iudicium) id est, Phrasi Hebræa damnatio. *Iam olim*) siue ab æterno definita non tardat. *Et perditio eorum non dormitat*) id est, quamuis ipsi securi sint, tamen certum impendet eis exitium.

SI enim Deus Angelis peccantibus nõ pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, & originali mundo non pepercit, sed octauũ Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuiũ mundo impiorum inducens.

SI enim Deus Angelis) qui multò nobiliores sunt naturæ non (*pepercit, sed rudentibus inferni.*) Noster interpres vel aliter legit, vel reddidit ad sensum. Nam Græca quæ hodie sunt in manibus, habent: cathenis caliginis, id est, ducentibus ad caliginem. Nomine tartari aërem turbulentum significat. Vide annotationes in Epistolam Iudæ circa illum locum: sub caligine reseruauit.

Et originali mundo) repetendum est, si: Est secundùm exemplum: Rursus si mundo, cùm esset in prima origine sua? Erasmus ad verbum reddidit: prisco mũdo non pepercit. *Sed octauũ Noë*) inter eos enim, qui aquis diluuij deleti nõ sunt. octauus fuit. Iustitia, cuius præco hic appellatur, intelligenda est non ciuilis aut politica, sed ea quę à Deo est.

ET ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigẽs, euersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt ponens, & iustum Lot oppressum à nefandorũ iniurià ac luxuriosa, conuersatione eripuit: adspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

ET ciuitas Sodomorum) & hic repetendũ est (si.) Est tertium exemplum. Præterea si ciuitates pẽtapoleos, inter quas præcipuæ erant Sodoma & Gomorrha in cinerem redactas, siue cum redigisset: est enim participium præteriti temporis, (*euersione damnauit*) id est, euertendo puniuit, Hebraismus est: *Et iustum Lot oppressum à nephandorum iniuria.*) Illud (iniuria) non est in Græcis exemplaribus, nec Latina omnia habent (oppressum:) Græce est κατα πονούμενον, id est, defatigatum, delassatum, confectum. Luxuriosam conuersationem, dixit pro lasciua siue libidinosa. *Adspectu enim & auditu iustus erat*) nõ ferens nec audire nec videre Sodomiam. *Habitans inter illos qui cruciabant*) significat Lot cùm oculos haberet sanctos, & aures sanctas, id est, abhorrentes ab omni turpitudine, grauiter discrutiatum fuisse: quod viuens inter illos cogeretur quotidiè videre & audire quę nollet. Hactenus suspẽsa fuit oratio, iam redditur altera pars.

NOuit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciando: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, Dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes: sectas non metuunt introducere, blasphemantes, vbi Angeli, fortitudine & virtute cùm sint maiores, non portant aduersùm se execrabile iudicium.

NOuit Dominus pios de tentatione.) Quapropter durantes & abhorrentes à turpitudine Gnosticorum, ipsi vos committite gubernandos (*iniquos verò nouit in diem iudicij puniendos seruare*) quare non euadent hi damnationem. *Magis autem*) siue vt Græci legunt, maximè autem illos qui carnem sequentes in concupiscentia immunditiæ vitam exigunt. Id enim est ambulare iuxta proprietatem sermonis Hebræi. Scite autem à communibus exemplis ad principale venit argumentum, notãs impuros Gnosticos. Sic Græca scholia: Non minùs ingeniosus transitus est in principio capitis, vbi quoque legenda sunt Græcanica scholia. Nam optimè explicant scopum Epistolæ (*Dominationemque contemnunt.*) Expositio petatur ex Epistola Iudæ. *Audaces, sibi placẽtes*) hæc aptissima sunt Simonis scholæ. Nemini, inquit, parcunt, ne ipsi quidem numini: omni metu postposito audent non solum de Angelis, verumetiam de Patre ingenito quiduis fabulari, hoc est, quod ait, audaces: deinde, inquit, præfracti sunt, quòd vulgò dicunt sui sensus suique capitis, insequuntur somnia sua, non attendunt quid doceat Scriptura, aut consensus habeat Ecclesiæ, hoc est, quod dicit αὐθάδεις, quod noster interpres vertit, sibi placentes. *Sectas non metuunt introducere*) Græcè non habetur introducere, nec Latina omnia habent. Nec sectas hic idem vocabulum est quòd antè, vbi dicũt: qui introducent sectas perditionis. Nam illic est hæresis αἱρεσις, hic verò δόξας, quæ vox ambigua est ad sectas siue opiniones, & gloriam, siue splendores seu maiestates. Græcanica scholia posterius amplectuntur. Eos, inquiunt, qui gloria & maiestate præcellunt, non verentur maledictis incessere: vt participiũ blasphemantes infiniti verbi loco positum sit, quod Græcis familiare est. Si respiciamus ad locum Iudæ, commentarius hic valde probabilis est. Eodem enim sensu videtur Apostolus Petrus dixisse δόξας non metuunt blasphemare, quo Iudas de ijsdem loquens ait: δόξας blasphemant.

Quare verò interpres illic maiestates transtulerit, hic sectas, inquirat studiosus: Vbi Angeli græcè magis quàm Latinè hoc dixit. Nos

Nos aduersatiuã per cũ elegantiùs exprimimus. (*Portant*) Græcè est φέρυσι, id est, ferunt (*aduersùm se*) Græcè est κατ' αὐτῶν, quod interpretari licet vel reciproce vel non reciproce, aduersus se vel aduersus illas, vt referatur ad δόξας, quo nomine significantur creaturæ, quas Deus peculiariter eminere voluit, inter quas sunt & mali angeli. Sensus est (secundùm Græcanica scholia.) Angeli boni non ferunt, id est, non proferunt aduersus dęmones blasphemum iudicium, nõ sustinent præ modestia impingere notam blasphemiæ, vel imprecari pœnam pro blasphemia ipsi diabolo, eo quòd gloriam aliquam & splendorem participet, ac insignis creatura Dei sit. Commentarius probabilis est, si respiciamus ad locum Iudæ: cùm Michael archangelus cum diabolo disputans, cui omnino similis est.

HI verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ: voluptatem existimantes, dieì delicias, coinquinationes, & maculæ, delicijs affluentes in cõuiuijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viam errauerunt, sequuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem verò habuit suæ vesaniæ.

HI verò velut irrationabilia pecora) siue vt Erasm. vertit, velut bruta animantia. Græcè est ἄλογα ζῶα. Eædẽ voces sunt apud Iudam, vbi interpres vertit, muta animalia. Vox ἄλογα vtrumque significat. (*Naturaliter*) siue natura. *In captionem*) in prædam, in exitium. *Et in perniciem*) scilicet, nata siue genita: Id enim vocabulum exprimitur in Græcis codicibus. *In his quæ ignorant blasphemantes.*) Illud expositum est in Iuda. Res supra captum naturæ irreuerenter & fabulose tractabant: naturalia verò pollute habebãt. *In corruptione sua*) qua sua corpora violant, & mysteria polluũt. *Peribunt percipiẽtes*) reportantes. *Mercedem iniustitiæ*) vox generalis est pertinẽs ad quæuis vitia. *Voluptatem existimantes diei*) id est, dieculares (*delicias*) id est, posse vno & altero die delitiari, eam putant vnicam & summam voluptatẽ, cum vera & solida voluptas perpetua sit, nec delectationibus gustus aut tactus quæ præterierunt, sed in cognitione Dei & vera religione sita sit. *Coinquinationes*) nonnulla exemplaria habent, coinquinationis, in genitiuo. Sed nominandi casu legendum esse, ex Græcis certum est. Gnosticos autem maculas vocat & labes quòd omnia ipsorum polluta essent, & animus, & corpus, & vestes vt eleganter de illis dixit. B. Iudas. Est enallage qualitatis, quæ facit ad vehementiam: Veluti vehementius est, si aliquem scelus appellem, quàm scelestum. *In conuiuijs suis*) Græca quę nunc sunt in manibus, habent ἐν ταῖς ἀπάταις, id est, in erroribus siue deceptionibus suis. Noster interpres legit ἐν ἀγάπαις, & ita legendũ esse apud Iudã velut certũ est: (*luxuriantes*) hoc interpres Augustini vertit coępulantes. Noster verò in Epistola Iudæ transtulit conuiuantes, hic aliter vertit, ideo fortasis quod præcesserit, in cõuiuijs, quod apud Iudã vertit, in epulis. Ex hoc quod sequitur (*vobiscum*) discimus Gnosti. solitos immiscere se conuiuijs publicis Christianorum. Datiuum, ὑμῖν, id est, vobis, quem noster interpres retulit ad participiũ proximè præcedens. Erasmus pertinere vult ad participiũ ἐντρυφῶντες, quod ipse vertit insultantes. Sed contra eum faciunt Græcanica scholia quæ exponunt vt noster interpres, licet alioqui ambiguum sit ad deliciari & insultare. *Oculos habentes plenos adulterij.*) Tanta, inquit, est libido ipsorum, vt per oculos se prodat, quos habẽt maximè lasciuos, maximè impendentes. Illud (*incessabilis*) accusatiui casus est apud Græcos pluralis numeri, pertinens ad oculos, hoc sensu, oculos habentes, qui cessare nequeunt à peccando, vsque intuentur libidinosè fœminas. (*Pellicientes*) Græcè est δελεάζοντες, id est, inescãtes. Nam δέλεαρ esca: *Cor exercitatũ auaritia*) id est, cupiditate siue impudicitia, siue etiã possessionũ: Sic Græcanica scholia. Faciunt ergo liberum vt intelligamus vel auaritiam proprij nominis, vel immodicam libidinẽ: Græcè est, πλεονεξία, quam vocem Hieronymus in cõmentarijs: quos edidit in Epistolam ad Ephesios pertinere vult apud Paulũ ad libidinẽ, idcij; propter circumstantiã, quę hic alia est et magis ad φιλαργυρίαν inuitat, ob exemplũ Balaam, quod mox inducitur: *Maledictionis filij*) Hebraismus est, id est, maledicti siue execrandi, qui relicta Christi doctrina errauerunt. Nullis, inquit, certæ doctrinę sedibus consistunt, sed nunc hoc nũc illud docent, pro vt commodũ vident quæstui. *Secuti viam Balaam ex Bosor*) id est, nati, id est, filij Bosor. *Qui mercedem iniquitatis*) id est, coniunctam cum iniquitate (*amauit, correptionem vero habuit*) id est, correptus siue redargutus fuit de sua vesania, vel de sua iniquitate, vt iam habent Græca. Noster interpres pro παρανομίας legisse videtur παραφρονίας, nisi fortè ad sensum vertit.

In lib. de fide & operibus cap. 25. c

SVbiugale mutum animal, in hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

exagitatæ, quibus caligo tenebrarũ reseruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululũ effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis.

SVbiugale mutum animal, &c.) Subticetur causalis cõiunctio, quòd Hebræis familiare est, quare hoc modo legi potest: Nam animal subiugale mutum (*in voce hominis*) id est, humana voce (*loquens*) Hebraismus est.

Hi sunt fontes sine aqua) post exemplum inductum Balaam, sermonẽ resumit de impuris Gnosticis. Sic Græcanica scholia. Quẽadmodum fons aqua carens, procul venientibus læta promittit: dum verò inspicitur, fallit: ita & hi miram promittunt & pietatẽ & eruditionem, cùm ipsi impij sint & inerudi, quod tum demum agnoscitur, dũ propiùs inspicitur vita eorum & doctrina. *Nebulæ turbinibus exagitatæ*) id est, quæ raptantur huc atque illuc. Inconstantes sunt, inquit, in dogmatibus suis, Ob eandem causam vocat eos Iudas sydera erratica. *Quibus caligo tenebrarum reseruatur.*) Eadẽ sunt apud Iudam, licet ibi paulò aliter verterit interpres.

Superba enim vanitatis loquẽtes) mirè hæc quadrant in scholam Simonis. Nam soli sibi vendicabat scientiam, idq; rerum maximarum, quę superant humanũ captum, de quibus vanissimè nugabatur. *Pelliciunt*) ad verbum est, inescant. *In desiderijs carnis luxuriæ*) id est, per concupiscentias libidinis carnalis vel lasciuiæ. Vocabulo luxuriæ interpres noster ferè abutitur pro libidine, cùm alioqui luxum propriè significet. *Eos qui paululũ effugiunt*) Græcè est participium præteriti tẽporis. Sensus est: si qui ab ista schola Simonis nonnihil refugerint, vel ad tempus desciuerint, illos rursus inescant libidine aspe insignis cuiusdam eruditionis, sed quæ reuera futilis est. *Qui in errore conuersantur.*) Referũt quidã ad effugiunt, hoc sensu: qui effugiũt eos, qui in errore conuersantur, scilicet, Gnosticos. Alij referũt ad verbũ, pelliciunt, hoc modo: qui pelliciunt tũ eos, qui paululũ refugerint, tũ eos qui in errore cũuersantur. *Libertatem eis promittẽtes*) id est, doctrinæ suæ cultoribus pollicentes liberũ exitum ad Patrem vniuersorũ, quẽ cæteris negant, qui à quotidiana Venere, & multiplici coitu siue πολυμιξία abhorrent, vel in eis strennuè se non exercẽt. Vide Epiha. in hæresi Nicolaitarum. Gnostici & Carpocrat. Valde etiam hæc quadrant in hæreticos nostri temporis, qui sola fide promittunt hominibus salutem, docentes Christiano nihil esse periculi ab inferno etiamsi perditè viuat, modo credat in Christũ & fidem seruet incolumem. Cõtra quam hæresim scripsit August. librum de fide & operibus, vbi & sententiam hanc Apostoli citat: vide capite vigesimo quarto cum sequẽtibus. *Cùm ipsi serui sint corruptionis*) id est, addicti interuitutem ipsi libidini. Nam hanc intelligit nomine corruptionis.

A Quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, his rursus implicati superãtur, facta sunt eis posteriora, deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditũ est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbij.

A Quo enim quis superatus est, huius & seruus est) ergo qui à libidine est superatus, seruus est libidinis, & sic de reliquis vitijs. *Si enim refugientes*) siue posteaquàm refugerint, Est enim Græcis participium præteriti temporis: (*in cognitione*) id est, per cognitionem, quam tradit Euangelium. *Hi rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*) Alludit ad locum, qui est cap. 12. apud Matthæum.

Melius enim erat illi non cognoscere viam) siue vt Græci habent, non cognouisse, qua peruenitur ad veram iustitiam, quæ nimirũ valet apud Deum & valebit in extremo iudicio. *Quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato*) Non est hoc loco intelligendũ (inquit Augustinus) sanctum mandatum, quo præceptum est vt in Deum credamus, quanquam eo ipso torum concinnetur, si intelligamus eam fidem credentium, quæ per dilectionẽ operatur. Sed apertè expressit quid intelligeret per sanctum mandatum, scilicet, quo præceptum est, vt ab huius mundi coinquinationibus recedentes casta conuersatione viuamus. Sic enim ait, si refugiẽtes coinquinationes mundi per cognitionem, & nõ ait refugientes ignorãtiam, vel refugientes infidelitatem mundi, aut tale quippiam, sed coinquinationes mundi, in quibus est vtique omnis immundicia flagitorum: vide cap. 25. lib. de fide & ope.

Canis reuersus ad suum vomitum: & Sus lota in volutabro luti.

Canis reuersus ad vomitum suum.) Istud in multis hodie competit, sed propijsimè quadrat in Nicolaum, Gnosticos, & ab his seductos, vt videre est apud Epiphanium in horum hæresi. *Et sus lota in volutabro luti*) siue in volutabrum: nam Græcis est ἐις, cum accusatiuo, vt subaudias, reuersa, quod in translatione sua expressit Erasmus. Nam liber canis reuersus id suum ipsius vomitum, & sus lota reuersa ad volutabrum cœni. Pro cœno siue luto Græce est κύλισμα, à quo vt annotauimus nomen acceperunt Gnostici, vt dicantur βορβορῖται.

CAPVT III.

HAnc ecce vobis charissimi secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione synceram mentem, vt memores sitis eorum quæ prædixi verborum à sanctis prophetis & Apostolorum vestrorum præceptorum Domini & Saluatoris.

HAnc ecce vobis charissimi secundam scribo Epistolam, &c.) Græca, quæ hodie sunt in manibus, habent: Hasce iam vobis charissimi alteras scribo literas. Noster interpres loco ἤδη legisse videtur ἥδου (*in quibus exercito*) siue extimulo. *In commonitione*) id est, per commonitionem. Vtraque ergo epistola est monitoria: Monet vt & Prophetas legant, & Apostolicarum præceptionũ sint memores: Ea quæ ad pietatem pertinent & beneficium Christi, optimè inquit, discetis ex Prophetis, illis legendis constabit vanitas doctrinæ Simoniacæ: Noster textus obscurus est, Græcus ad hunc modum habet: vt memores sitis prius dictorum verborum siue verborum quæ prædixi à sanctis Prophetis acceptorum, Soleo, inquit, interdocendum adducere Prophetas, illorũ verborum quæ à Prophetis accepi siue citaui, volo vos esse memores. Præterea memores vos esse volo præceptorum, id est, mandatorum, quæ tradita sunt vobis ab Apostolis, quæ Apostolorum præcepta Domini mandata sunt: Sic quidam, vt eadem intelligantur præcepta Apostolorum & Seruatoris. Alij inter hæc distingunt, vt ipsos meminisse velit præceptorum tum Apostolorum tũ Saluatoris. Sunt tertij qui genitiuos hos, Domini & Saluatoris, referunt ad genitiuũ qui præcesit, Apostolorum, inter quos Erasmus est, Habet enim translatio eius ad hunc modum, vt memores sitis verborum, quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis & mandati nostri, qui sumus Apostoli Domini & Saluatoris.

HOc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes. Vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.

HOc primum) id est, ante omnia. *Scientes quod venient in nouissimis diebus*) qui sint dies nouissimi, expositum est in epistola Iudæ, & extat hac de re epistola Augu. ad Hesichium. Quod sequitur (*in deceptione*) non habent Græca exemplaria, quæ hodie in manibus sunt. Interpres tamen quo vsus est Aug. illud legisse videtur. vt videre est lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 18 (*illusores*) id est, impostores. Iuxta proprias concupiscentias ambulantes, id est, qui facient quod lubebit dicentes. *Vbi est promissio*) scilicet resurrectionis, cuius toties in Euengelio est mentio. *Aut aduentus eius*) scilicet ad iudicium: Græca omittunt coniunctionem, aut, & legunt vbi est promissio aduentus eius?

Interpres quoque Augustini omittit coniunctionem. Nam habet, vbi est ipsius præsentiæ promissum. Consulenda sunt vetusta exemplaria Latina, num omnia habeant coniunctionem. Conabantur Gnostici suis persuadere non futurum extremum iudicium, vt sublato metu iudicij liberè exercerent turpitudinem, nec à nefanda libidine reuocarentur: Sic Græcanica scholia. Cœpit autem hæresis Gnosticorum temporibus Apostolorum, & duravit vsque ad tempora Epiphanij. Vocem Græcam quam hic vertit aduentus, primo capite præsentiam vertit.

Ex quo enim patres) id est, prisci illi mortales. Adam, Abraham, & Noë & cæteri (*dormierunt omnia sic perseuerant*) scilicet vt fuerũt. *Ab initio creaturæ*) siue creationis. Quid ergo metuimus, mundum periturum: nosq; resurrecturos, cum huius rei nulla vsquam significatio sit. Est argumentum Gnosticorum.

LAtet enim eos hoc volentes, quod cœli erãt prius, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt. Cœli autem qui nũc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

LAtet enim eos volentes) id est, volentes, & sponte hoc nesciunt. Noluut aduertere quod cœli iam olim fuerũt, & terra ex aqua & per aquam consistens. Alij autem vertunt consistentes, vt ad cœlos quoque pertineat, cuius versionis & Beda meminit in commentarijs. Interpres Augustini sic reddidit, vt nescias an ad terram solum pertineat, an ad cœlos quoque. Vertit enim ad hunc modum.

Latet enim eos hoc volentes, quia cœli erant olim & terra, de aqua & per aquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

constituta, vbi incertum est an singularis numeri sit constituta, an pluralis. Dicitur enim terra consistere ex aqua, non quod sit composita & formata ex aquis, sed quod ex aquis emerserit & apparuerit. Eadem dicitur per aquas consistere, quia vt corpus animantis venis sanguinis, ita hæc venis aquarum plena est, quæ ipsam reddunt irriguam, ne redigatur in puluerem. Cœli quoq; qui terris proximi sunt, nimirum aerij ex aqua, id est, nubibus & vaporibus aqueis cõsistunt. In hunc fere modum interpretatur Beda. Alij nomine aquæ intelligunt abyssum ac rudem indigestamq; molem, quam Poetæ dixere chaos. Qui commentarius nõ omnino improbabilis videtur. Nomine autem cœlorum, intelligi huncaërem nebulosum ex consequentibus manifestum est.

Per quæ) scilicet cœlum & terram, siquidem cœlo catharactæ apertæ sunt, atque è terra fontes aquarum eruperunt, (*qui tunc erat mundus*) siue illorum temporum mundus aqua inundatus perijt. Mundus perisse dicitur locutione Synecdochica, quia eius pars perijt, non quidem simpliciter sed per tropum. Rursus quare aquis diluuij prior terræ facies deleta est, quæ etiam magnam aëris partem occupauerunt. Vide August. libro 12. de ciuitate Dei, cap. 17. rursus capite. 24.

Cœli autem qui nunc sunt & terra) id est, mundus qui pro eo mundo qui diluuio perijt. *Verbo Dei*) id est, iussu Dei, repositus est, seruatur igni vsque ad diem iudicij. Ex hoc loco colligit Augustinus, & post eum Beda cœlos intelligi oportere imo hos. Nam hi post diluuium repositi sunt, non supremi illi in quibus Sol, Luna sydera sunt constituta, cũ ad illos nõ peruenerint aquæ diluuij. Illud (vsque in diem iudicij) alium sensum habet secundum Augustinum, & alium secundum alios: Siquidem Augustinus peracto iudicio, & impijs in æternum ignem missis, mundum conflagratione arsurum dicit. Alij hanc conflagrationem futuram aiunt ante iudicium. Vide Augustiuum lib: 2. de ciuitate Dei, cap. 14. rursus cap. 16. Diem consuetudine Scripturæ pro tempore posuit. Nam per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum est. Vide August. cap. 1. iam dicti libri.

VNum vero hoc non lateat vos charissimi quod vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus. Non tardat Dominus promissi, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.

VNum vero) Ad sensum humanum videtur Dominus multũ protrahere suum aduentum, sed nulla est dilatio, quia vnus dies apud Deum perinde est, vt mille anni, & mille anni vt dies vnus, ac proinde ad veritatis sensum non tardat, nec in longum extrahit Dominus promissionem suam. Repetendum hic est, quod in superiori capite annotatum est, videlicet: Hebræos sæpe dissimulare coniunctiones. Subticetur enim hoc loco dictio illatiua (ergo): non tardat ergo Dominus promissionem suam. Nonnulla exemplaria habent promissi, in genitiuo, quomodo græca leguut, tunc est Hebraismus: Dominus promissi, id est, qui promisit, (*sed patiens agit*) Peccata nostra quæ sunt maxima, merentur accelerari iudicium sed Dominus differt vt inuitet omnes ad resipiscentiam. Pœnitentia hoc loco intelligenda est, tum ea quærela ipsorum est, tum ea quæ nondum est baptisatorum.

ADdueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli, magno impetu transient: elementa vero calore soluentur. Terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

ADueniet autem dies Domini sicut fur) Dies Domini veniet improuisus. *In quo cœli*) illi vtique qui post diluuium repositi sunt. *Magno impetu*) id est, in morem procellæ transibunt, non quidem ablatione sui, sed immutatione. *Elementa vero*) illa videlicet quæ in imis hic sunt. Sic Augustinus lib. de ciuitat. Dei. 20. cap. 20. Beda omnia. 4. elementa intelligit, cui fauet sermo indefinitus. Pro August. faciunt quæ præcesserunt de diluuio. *Calore*) id est, ardore ignis. Sic enim eandem vocem vertit in consequentibus. Græce est καυσούμενα, id est, æstuantia soluentur. Quatuor, inquit, Beda sunt elementa, quæ omnia ignis ille maximus consumet, duo quidem in totum vt pœnitus non sint, nimirum ignem & aquam, duo vero in meliorem restituet faciem, terram videlicet & aërem, quod hinc colligit, quia sequitur: Nouos quidem cœlos & nouam terram expectamus, non dixit ait, alios cœlos sed nouos, non ergo interibunt: sed immutabuntur.

De igne autem & aqua nihil tale legimus imo & in apocalypsi dicitur: & margiam nõ est, vnde putat illa secundum substantiam peritura, quæ Scriptura non mouit Augustinum. Nam tractans eam lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 16. amat, inquit, prophetica locutio proprijs verbis translata miscere, vnde quod ait: Mare iam non est hic ponit dixisse, quomodo in præcedentibus dixit: Exhibebit

bebit mare mortuos suos, vbi mare figurati nominis est & pro mundo accipitur. Nam seculum hoc, vita mortalium turbulentum & procellosum, tunc non erit. Quod ergo Augustinus eo loco dubium reliquit, Beda deliuit, à quo dissentiunt doctores posteriores, quos scholasticos vocamus, qui docent omnia elementa secundum substantiam permansura. Inter quos Bonauentura interpretatur Bedam, quod voluerit tantum notare maiorem futuram mutationem in igne & aqua, quam in reliquis elementis. Sed nimis est extorta illa expositio. *Terra autem & quæ in ipsa sunt opera*) id est, plantæ ac bruta animantia quæ sic exurentur, vt semel intereant. Terra autem hactenus, quia ipsius quæ nunc est, facies, desinet esse.

CVm igitur hæc omnia dissoluenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos vero cœlos & nouam terram & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

CVm igitur hæc omnia dissoluenda sunt) Nã ob labem & immundiciam, quam propter nos contraxerunt, egent purgatione antequam induere possunt immortaliatẽ. *Quales oportet vos esse*) id est, quam sanctè conuersari oportet, quamque pura mente Deum colere, id est, quam alienos vos esse oportet à vita & religione Gnosticorum, Græca habent C: um igitur hæc omnia dissoluantur. Frequentes sunt Apostoli in commemoratione futuri iudicij, & eorum quæ iudicium sequentur, eaque velut iam præsentia suorum animis ingerunt, vt efficatius abducant eos ab amore præsentium. Qua in re, ipsos, imitari oportet concionatores, sed & quilibet nostrum frequenter sibi debet antè oculos ponere diem hunc, si velit inquinamenta mundi vitare. *Expectantes*) vox Græca, qua vtitur Paulus ad Rom. dum ait: Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, longe significantior est, vt in annotationibus illius Epistole dictum est: (*& properantes*) Illud est hominis cupientis iam adesse iudicium, qui nondum tales sumus vt optemus diem Domini, rogemus vt eum possimus optare, quo nunquã pertingemus nisi etiam venialia peccata, quantum patitur infirmitas humana, vitare studeamus: *Per quem*) Ad diem refertur non ad Dominum, nam Græcis fœminini generis est. Cœli ardentes illi vtiq; qui post diluuium repositi sunt, id est, aer hic nebulosus terræ proximus. Hoc patet ex præcedentibus. An supremi cœli arsuri sint quæstio est inter doctos: In hoc capite eius rei nulla est mentio. *Et elementa ignis ardore*) qui ignis tantum spacij occupabit, quantum olim crescendo occupauerunt aquæ diluuij: Sic Augustinus (*tabescent*) id est, liquescent, in præcedentibus dixit hoc, soluentur.

Nouos vero cœlos & nouam terram, &c.) Augustini interpres hanc sententiam vertit in hunc modum: Nouos vero cœlos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus: & hoc modo habent Græca. Consulenda sunt vetusta exemplaria Latina, num quædam habeant præpositionem (secundum). *In quibus iustitia habitat*) Illud videri posit contra Augustinum, siquidem epitheton supernorum cœlorum videtur, quod in ijs iustitia habitat: verum cum Argumentum Augustini sumptum ex circunstantis de mundo, qui diluuio perijt, vehemens sit, dicendum iustitiam post iudicium in habitare hunc aërem & terram, quia post non amplius vanitati subiecta erunt, carebunt quoque labe & immundicia, quam ex peccatis hominum iam contrahunt. Vel dicendum illud (in quibus) referri non ad cœlos ac terram, sed ad expectantes, quod placuit Erasmo: Mihi, inquit, videtur referri ad nos, qui expectamꝰ nouos cœlos & nouã terram, si iuste viuamus, vt mereamur frui nouitate creaturæ. Sensus ergo est: cœlos nouos & terram nouam expectamus nos Christiani, nos inquam in quibus iustitia habitat.

PRopter quod charissimi, hæc expectantes satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace: & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini, sicut & charissimus Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.

PRopter quod charissimi hæc expectantes satagite) id est, operam date. Est verbum studij ac diligentiæ: (*immaculati*) id est puri à turpitudine Gnosticorum, & inuiolati siue incontaminati. Ad verbum est, irreprehensibiles (*ei*) id est, à Deo (*Inueniri in pace.*) Est pax illius loci: Iustificati ex fide pacem habemus, vbi pro tranquillitate mentis accipitur. ad Rom. 5.

Et Domini nostri longanimitatem) qua videtur differre aduentum suum. *Salutem arbitramini*) vt ante exposuit, dicens ipsum differre vt omnes ad pœnitentiam inuitet: *Sicut & charissimus Frater noster Paulus*) quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

meminit hic singularis sapientiæ Paul. non est verisimile quod eam velit sitam in hoc, quod Paulus, Domini longanimitatem interpretatus sit salutem multorum: hoc enim non est tam admirabilis sapientiæ. Quare (sicut) referendum est non ad sententiam proximè præcedentem, sed ad totum negotium de quo agit hac epistola, ad quod inuitat etiam pluralis numerus, qui sequitur: *Loquens in eis de his*) scilicet erroribus quos inducit schola Simonis, quæ particula non leuiter transmitti debet: docet enim nos quæ sit magna pars argumenti epistolarum Paulinarum.

In quibus) Græcè est neutri generis: Inter quæ scilicet scripta Pauli, (*sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti*) suo tamen iudicio doctissimi, vt erant Gnostici & instabiles, parum firmi in fide (*deprauant*) id est, detorquent. Quæ loca Pauli ad hæresim suam statuendam detorserunt Gnostici, petendum est ex Epiphanio.

VOs igitur fratres præscientes, custodite ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi: Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen.

VOs igitur fratres præscientes) id est, præmoniti à me (*custodite*) A prius vertit Erasmus cauete (*ne insipientium*) Græcè est nepharioru. Et est apud eos vagus ille error, vn de dicuntur stellæ erraticæ, (*traducti*) id est, abducti. *Excidatis à propria firmitate*) id est, à doctrina quam primo hausistis ab Apostolis: Ne admittatis, inquit, nouitiam doctrinam: *Crescite vero*) id est, date operam vt crescatis in cognitione: Gnostici iactant cognitionem, sed ea vana est, vos in vera cognitione crescite. Cognitio Christi tam multa complectitur, vt in ea semper liceat crescere. Apostolus Petrus in hoc conuenit cum Paulo, quod frequentissimè meminit cognitionis, non ita Apostolus Iudas: ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis.

Finis secundæ Epistolæ Diui Petri.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM IVDAE.

IVdas docuit in Asia minore, vbi florebat schola Simonis vnde verisimile est eodem ipsum spectasse in hac Epistola sua, quo Paulus in Epistola ad Ephesios, & ea quæ ad Colossenses est scripta. Quare post illarum enarrationem hanc interpretandam suscepimus. Scripsit autem post obitum Pauli & Petri, Simoniacis iam liberè turpitudinem suam exercentibus. Annotant hoc Græcanica scholia, quæ etiam meminerunt Epiphanij, qui imprimis legendus est propter cognitionem historiæ. Hic in Gnosticis (quorum origo in Simone est, & quintum ab eo locum habent. Nam in medio sunt Menander, Saturnius, Basilides, Nicolaus) post expositam polymixiam, & abominabilem ipsorum synaxim, postque monstrosam libidinem commemoratam, tandem infert. Quare de his commotus Spiritus Sanctus in Apostolo Iuda ait: Quæcunque naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur, &c. Vides iuxta Epiphanij sententiam, occasionem Epistolæ præbuisse Gnosticos. Et Oecumenius nominatim in suis scholijs, meminit nunc Simonis, nunc Nicolai, nunc Borboritarum, quo nomine Gnosticos significat, quod pene tota ipsorum doctrina in abominandis turpitudinibus versaretur, βόρβορος enim Græce lutum significat siue cœnum hinc Borboritæ, id est, lutulenti & cœnosi. Et sanè qui vitam horum, & doctrinam contulerit cum hac Iudæ Epistola, nihil dubitabit de argumento.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM B. IVDAE APOSTOLI EXPOSITIO F. ADAMI S. DELPHIL.

CAPVT VNVM.

IVdas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis, misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.

IVdas Iesu Christi seruus, &c.) De vocabulo (seruus) in præcedentibus Epistolis dictũ est. Sensus est: non agnosco alium Dominũ quam Iesum Christum, non angelos Simonis, non Enneas. *Frater autem Iacobi*) hoc adijcit quod Iacobus ille Hierosolymitanus primus Episcopus summæ fuerit apud omnes etiam ipsos Iudæos authorisatis. *His qui sunt in Deo Patre*) non in mystagogijs Simonis. Prodilectis. Græci legunt ἡγιασμένοις, id est, his qui sunt in Deo Patre sanctificati, nostertamen interpres legisse videtur ἠγαπημένοις. *Et Christo Iesu conseruatis*) Id est, custoditis, sicut in primo Regum cap. 24. Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium: & subauditur (adhuc) Sensus est, qui adhuc retinetis doctrinam Christi, quã accepistis. Quod sequitur (*vocatis*) nomẽ est, non participium. Hactenus titulus Epistolæ, sequitur salutatio.

Misericordia vobis & pax & charitas adimpleatur) pars misericordiæ est credidisse: multiplicatur dum fidem præstamus opere. Vocem Græcam quam hic vertit adimpleatur, in priori Epistola diui Petri vertit multiplicetur. idque proprie. Est enim πληθυνθείη. Eadem vox apud Petrum in poste. Epistola, vbi vertit adimpleatur. Ex hac Iudæ & duabus Epistolis Petri discimus, quod verbum subaudiendum sit in salutationib. Paulinis.

CHarissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute,

Universidad de Deusto
Biblioteca

necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.

C*Harissimi, omnem solicitudinem faciens,*) Est exordium Epistolæ. Sensus est, cùm ipse ex me solicitus essem ad scribendũ vobis, cum eo me ferret meus erga vos animus vidi me incidisse in id tempus in quo necessarium est, etiam propter inualescentes hæreses, scribere vobis de communi salute, vidi solicitudinem & deuotionem animi mei factam necessitatem. Potest & hic esse sensus cum esset mihi mirum studium scribendi vobis de communi salute, non potui nõ scribere, id est, non potui non obsequi desiderio animi mei. Hunc sensum expressit Eras. in translatione sua. Prior magis placet. *Deprecans*) siue adhortans: Græce est παρακαλῶν. *Supercertari*) siue supercertare, quæ lectio melior est & verisimilior. Græce est ἐπαγωνίζεσθαι, vbi præpositio ἐπὶ, auget significationem verbi. Sensus est: cupio vos diligentem operam nauare pro retinenda vera fide, volo vos in hoc incumbere & magnum laborem adhibere & studium, ne eripiatur vobis fides. *Quæ semel tradita est sanctis*) Sanctis vocabulũ est scholæ Christianę.

S*Vbintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti in hoc iudicium) impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*

S*Vbintroierunt enim*) id est, obiter subierũt & clanculum prætextu scientiæ & doctrinæ. Iactabat enim familia Simonis & cæteris ipsi Gnostici scientiam: vnde & nomen acceperunt. *Qui olim præscripti sunt.*) Dubiũ est enim sit sententia, quod de Gnosticis olim vaticinati sunt prophetæ, an quod Petrus & Paulus de eis scripserint. Vocabulum προγεγραμμένοι, inuitat ad priorem sententiam, vt intelligamus in veteri testamento depictos Gnost. Vide cap. 15. Episto. ad Ro. Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, quo loco est προεγράφη, et certum est ad vetus testamentum pertinere. Quare rectè vertit Eras. Nam quæcunq; ante sunt scripta, ad nostrã doctrinam, &c. Vide præterea cap. 3. Epist. ad Gal. Ante quorũ oculos Iesus Christus præscript' est, vbi rursum est προεγράφη, vox huius loci, id est, præscriptus siue antescriptus, nimirum in Prophetis: Sic Hieronymus. Eodem inuitat vocula πάλαι, quæ licet omnia hæc significet, olim pridem, paulo ante, frequentius tamen in sacris literis pertinet ad tẽpus, quod multò ante præcessit. Sic ad Heb. cap. 2. Multifariam multisque modis olim Deus, &c. Huc quoque inuitant exempla quæ subijcit Iudas de Israelitis, Zodomitis, de Angelis resugis, quę omnia videntur adumbrare. Gnost. In hoc iudicium κρῖμα pro κατάκριμα posuit iuxta idioma sermonis Hebræi. Sensus est: qui olim præscripti sunt in hoc genus condemnationis, vt hæc paterentur. *Domini nostri gratiam*) Schola Simonis & maximè Gnostici captabant ex Euangelio occasionem commendandæ turpitudinis & nequitiæ suæ, vt videre est apud Epiphanium in horum hæresi. Istud est quod gratiam Domini nostri, id est, Euangelium, ipsos transferre dicit in luxuriam, id est, in defensionem lasciuiæ, siue in defensionem obscœnæ illius libidinis, à qua nomen habent. Diximus enim alio nomine ipsos appellari Borboritas à cœnosa turpitudine. Istud etiam mire competit in hæreticos nostri temporis, qui freti libertate Christiana, putant quiduis sibi licere. *Et solum dominatorem*) pro dominatore Græce est δεσπότης, quam vocem Erasmus vertit herum, deducitur autem à vinculis. Est enim δεσπότης, qui habet res in sua potestate, sicut qui vinctos tenet aliquos, is eos in sua potestate habet. Eadem voce vsus est Apostolus in poster. Epist. ad Thimoth. cap. 2. ea parte qua dicit: In magna autẽ domo non solũ sunt vasa aurea, &c. Hi, inquit, negant Deum Patrem, qui tamen vnus est herus omnium, quæ sunt in cœlis & in terra, cui subsunt reliquæ potestates omnes. In scholam Simonis istud competere patet ex Epiphanio: Inducebat enim illa alios fabricatores orbium cœlestium, & mundi huius Inferioris. Hic sensus primo se offert, legenti Græcum textum. Nam habet hoc modo: Deum qui solus est herus, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes. Verum diligentius inspicienti probabilius apparet vtrumque referri ad Filium, quomodo interpretantur Græca. scholia. Nam Petrus qui idem cum Iuda tractat argumentum, ex quo & diuus Iudas locum hunc transcripsit solius meminit Filij cap. 2. posterioris suæ Epistolæ. Sed & Apostolus Iudas in consequentibus non nisi Filij mentionem facit hunc schola Simonis variè negabat, dicens ipsum nou vere natum, non vere passum, nõ vere resurrexisse, vel etiam ipsum esse Christum non nisi patronimicè, id est, denominari Christum à supremo Christo, sed non habere essentiam Christi. Quare commentarius ille, quia interpretantur negantes, scilicet, factis nimis est generalis competens quibusuis malis.

C*Ommonere autem vos volo, scientes semel omnia, quod Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundo eos qui non crediderunt perdidit: Angelos vero qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

C*Ommonere autem vos volo, &c.*) Propter istos commonefacere vos statui, nam adferunt perniciem animarum (*scientes semel*) scilicet per primam prædicationem, quam in initio accepistis: vt (semel) pertineat ad prius acceptam doctrinam, & opponatur diuersæ doctrinæ. Vbi nos habemus omnia, Græci habent τοῦτο, id est, hoc scientes semel, hoc (*quod Iesus*) Græce est κύριος, id est, Dominus: quod contra eos facit, qui hic Iesum Naue intelligunt. *Populum de terra Aegypti saluans*) Græce est participium præteriti temporis σώσας, id est, cum saluasset, (*secundo*) id est, deinde siue postea. Eos qui non crediderunt) id est, qui non perseuerauerunt in vera fide & doctrina, sed adhæserunt Chorę & alijs (*perdidit.*) Admonitio Iudę ista est: Consecuti estis maxima beneficia à Deo videte ne per incredulitatem vobis contingat, quod contigit veteri populo, qui non perseuerauit in fide.

Angelos vero qui non seruauerunt suũ, principatum.) Est alterum exemplum vox Græca ἀρχὴ significat et potestatem et originem. Vnde quidam interpretantur: qui non seruauerunt suam originem, siue qui non seruauerunt primam illam, in qua conditi fuerant naturam, hoc est, qui conditi recti facti sunt mali: hoc placuit. Erasmo græcanica scholia exponere videntur ἀρχὴν magistratum, hoc est, Angelicæ dignitatis honorem, quomodo intellexit noster interpres. *Sed dereliquerunt suum domicilium,*) id est, vitæ cœlestis institutum siue rationem: Sic Oecumenius (*in iudicium*) id est, ad iudicium, (*magni diei.*) Nonnulli codices habent, Dei: Sed ex græcis, & Latinis exemplaribus vetustis constat diei, esse legendum. Hoc sermone significat extremum iudicium: nomine vero caliginis aerem caliginosum, in quem veluti in carcerem detrusi sunt dæmones & reconditi vsque ad illud iudicium. Locum hunc in posteriori sua Epistola Petrus tartarum appellat, quod turbulentissimus sit à verbo ταράσσω, quod significat turbo siue confundo, Admonitio est ista: Angelis plurima beneficia contigerant, vt nunc vobis, hi tamen deficientes à Deo malè perierunt, videte ne idem vobis contingat, si priorem doctrinam relinquatis.

S*Icut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram facti sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes, similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, Maiestatem autem blasphemant.*

S*Icut Sodoma & Gomorrha*) quæ præcipue erant & his, finitimæ ciuitates Adama Seboim, &c. *Simili modo exfornicatæ*) id est, ad similem modum cum illis, omni inconcessæ libidini deditæ, & secutæ (*carnem alteram*) hic difficultas est. Quidam carnem alteram interpretantur carnem masculam, qui commentarius probabilis est, quia infames erant Zodomitæ, & in his depicti gnostici, ob illud vitium. Alij carnem alteram exponunt non suam, non proprij coniugij: Vnde Erasmus vertit carnem alienam. Est autem caro aliena, omnis caro præter carnem vxoris & mariti. Non habemus similia loca in Scripturis, nisi forte Leuitici capite. 19. ea parte qua dicitur: Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animalibus, quod Septuaginta transtulerunt: cum altero iugo siue cum diuerso iugo. Adverbum Hebraicè est, non facies coire mixtum. *Facti sunt exemplum*) id est, propositæ sunt exemplo, &c. Istud est tertium exemplum. *Similiter & hi*) scilicet gnostici carnem polluunt. Græci non simpliciter habent, hi, sed addunt, somniantes, quam vocẽ quia Epiphanius etiam agnoscit & exponit, & post eum Oecumenius, non debemus præterire. Tradit Epiph. non de insomnijs in somno dici, sed de fabulosa gnosticorum nugacitate, hoc sensu: Somniantes, id est, delirantes & dicentes, quæ non sciunt. Pro se adducit Epiphanius, quod sequitur apud Iudam. (*Blasphemantes quæ ignorant*) Oecumenius aliter interpretatur in hunc modũ: Somniantes, id est, opus libidinis incomplete agentes sicut insomnia sunt incompleta. Quæ autem sit ista incompleta libido, explicat ipse ex parte: nos silentio statuimus præterire, ne polluamus aures vestras: Qui scire desiderat, legat Epiphaniũ in confutatione falsò appellatæ scientiæ, quæ hæresis est gnosticorum, vel Irenæum ex quo multa transcripsit Epiphanius. *Dominationem autem spernunt*) putant quidam hæc pertinere ad contemptum magistratũ, sed contempsisse magistratum, gnostic. eos non legimus, imo Neronem adorabat Simon. Quare Græcanica scholia κυριότητα exponunt δεσπότειαν, hoc sensu: Aduersus numen diuinum siue diuinam naturam insaniunt. Dominum huius aspernantes, & alios inducentes fabricatores mundi: Habent & alium commentarium qui non tantopere placet, vt dominationem contemnere sit τελετὴν, id est, sacrificium seu missam spernere, dum adhibent genituram & alia abominanda, de quibus Epiphanius: (*maiestatem autem*) græcè est numero multitudinis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

maiestates. Alij vertunt glorias. Paulus habet δόξας. Quicunque, inquit, post numen illud sunt adhibiti ad regimen mundi, hoc est, Angelos Dei ministros & prouinciarum rectores blasphemant. Similis loquendi forma est, Psalm. 77. Et dedit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, vbi virtutem & pulchritudinem nominat arcam: Est enallage qualitatis, sicut dicimus Cæsaream Maiestatem. Constat autem ex historia antiquitatis scholam hanc mirabilia finxisse de Angelis, & indigna prorsus excogitasse. Græcanica scholia (doxas) variè interpretantur. Primò vetus & nouum testamentum intelligunt, quæ expositio durior est: Deinde Apostolicos viros accipiunt, quæ interpretatio esset valde probabilis, si constaret ex historia antiquitatis, quod Apostolos lacessere sint soliti. Probabilissimum est δόξας esse, in quibus peculiariter relucet maiestas diuini numinis, vt non solum Angeli appellentur gloriæ, sed & Moyses & Prophetæ, quos certum est Simonem & Gnosticos mire contempsisse.

CVm Michael archangelus, cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Deus: hi autem quæcunq; quidem ignorant, blasphemant, quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.

CVm Michael archangelus, &c.) Græce est hoc de μιχαὴλ id eũ, Michael siue at Michael: Ex qua lectione constat aduersatiuam esse. Argumentatur Apostolus hoc modo: Michael Archangelus cum aduersus diabolum disceptaret, non ausus est ei notam impingere blasphemiæ, licet mereretur: multo minus hi debent in dominationem et δόξας maledicta congerere. Altercari Græce est διαλεγέσαι, quod significat disserere seu disceptare. Quid autem tractauerint inter se non constat: Græca scholia putant disceptationem fuisse, num honorifice fuerit sepeliendum corpus Moysi, diabolo contendente, quod non, propter cædem Aegyptij. Verum nihil est certum. Quod sequitur (*non est ausus iudicium inferre blasphemiæ*) amphibologiam habet. Nam potest hoc modo intelligi: non ausus est ei insligere pœnam pro blasphemia, illa videlicet qua vsus fuerat diabolus contra Moysen. Posit & hoc modo intelligi: non ausus est ei impingere notam maledicti, id est, non ausus est blasphemare eum, eo quod diabolus licet malus, nobilis tamen creatura Dei sit. Conferendus est locus cum eo qui est apud Petrum posteriori Epistola, capite. 2. Non portant aduersus se execrabile iudicium, quem Græca scholia nihil putant ab hoc differre.) *Sed dixit, imperet tibi Deus*) siue vt Græca habent, increpet te Deus, quomodo etiam vetusta quædam exemplaria Latina legunt. Sensus est: puniat te Deus, non ego meis maledictis. Ab hac modestia angeli, multum absunt hæretici nostri temporis, qui non verentur Augustinum, Hieronymum, Basilium, qui vere sunt δόξαι conuitiis infestare, imo in Ecclesiam super quam gloria Domini orta est, blasphema ora sua soluunt, quæ res plane arguit quo ducantur spiritu. Vsus est autem Iudas isto testimonio sumpto ex apocriphis Hebræorum, non quod putauerit illud non apocriphum esse, sed quod scirbat illis, qui aliquid tribuebant illis apocriphis, (*hi autem quæcunque quidem ignorant.*) Omnia quæ posita sunt supra captum humanum, hoc est, maiestatem numinis, dispensationem salutis humanæ, &c. quære quirunt obedientiam fidei (*blasphemant*) *quæ autem naturaliter*) vt ea quæ gustu, quæ tactu, alijsque sensibus percipiuntur. *Tanquam muta animalia*) siue rationis expertia. Græce est ἀλογα, quam vocẽ in posl. Epist. Petri vertit irrationalia, (*norunt in his corrumpuntur*) per immoderatam libidinem. Explicatur locus iste ab Epiphanio in hæresi Gnosticorum. Hactenus præcipuum tractauit argumentum. Epistola hæc paræneticа est, hoc est, tota versatur in exhortatione. Post salutationem quæ Hebraica est non vsitata Græcis aut Latinis, hoc ponit exordium: Charissimi omnes solicitudinẽ faciens scribendi, &c. In quo beneuolentiam captat & attentionem: Beneuolentiam autem, dum vocat eos charos sibi, & solicitudinem se habere dicit de salute ipsorum: Attentionem vero dum ait, etiam necessarium fuisse scribere. Exordio subijcit breuissimam narrationem hanc. Deprecans supercertari, semel traditæ sanctis fidei. Cuius ethiologiam adijcit: Subintroierunt enim quidã homines, &c. ac si dicat, quod tam studiosè hortor vos elaborare siue incũbere retinendæ fidei, quæ semel tradita est Christianis, mouet me magna causa, hæc nimirũ: Subintroierunt quidẽ impij, vbi mire suo loco dixit impij, quod illi maxime iactarent pietatem, & sub vmbra pietatis & doctrinæ insinuarent se hominibus. Deinde principalem ponit præpositionem. Commonere autẽ vos volo, &c. quantacunque & qualiacunque sunt beneficia quæ per Christum estis consecuti, amittetis nisi caueatis ab illis hominibus. Id docet tribus exemplis in quibus vult depictos gnosti. Sicut veteres Israelitæ non

non contenti vero Deo, alios quærebant Deos: Sic Gnostici alios mediatores, quemadmodum dictum est in Epistola ad Ephesios: Sicut item illi non parcebant Moysi, & illis quos Deus voluit dignitate præcellere: sic & hi Gnostici nec Angelis parcunt, de quibus quiduis nugari audent, nec Moysen & Prophetas maiestate & gloria præcellentes agnoscunt. Item sicut angelus numen contempsit diuinum, sic & hi faciunt: Sodomitarum autem qualitas nota est. Quæ iam sequuntur facillima sunt illi, qui tenet ipsum argumentum.

VAE illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.

VAE illis qui) siue (vt nonnulla exemplaria habẽt) quia Græce est οτι, id est, quoniam (*in via Cain abierunt*) multiplex hoc loco Hebraismus est. Primo in voce, abte, quæ Hebræis pertinet ad institutionem vitæ. Sic dicitur in principio Psalmorum: Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum. Deinde in (via) pro vitæ tenore, sicut ibi: Et in via peccatorum non stetit. Postremo in præterito quod pro præsenti vsurpatur. Sensus est: Væ gnosticis quia sequuntur talem vitæ rationem qualem Cain, siue quia vitam Cain. Nam sicut Cain factus est profugus in terra à facie Domini, sic isti in sua politia & doctrina non respiciunt scripturas, sed sua vbique sequuntur somnia. Aliter interpretantur Græca. schol. quæ duplicem adferunt commentarium, & licet vterque mirè competat in gnost. minus tamen placet, quia durior. *Et errore Balaam*) id est, secundum errorem Balaam. *Mercede effusi sunt*) Effundere est se permittere quibusuis affectibus. Omnia animi sui libidinibus permittunt, inquit, non temperant sibi, nec abstinent ab vllo scelere, quæ sum præferunt pietati. Illud agnoscitur ex historia antiquitatis. Simon enim propter pecuniam communicare volebat Spiritum sanctum. Pro mercede Græce est μισθὸς, quem genitiuum Eras. refert ad errorem. Nam vertit: Et deceptione mercedis qua deceptus fuit Balaã effusi sunt. Sed faciunt contra ipsum Græcan. scholia, quæ referunt ad id quod sequitur: effusi sunt, vt regatur vi voculæ subauditæ ἕνεκα siue χάριν: *Et in contradictione Core perierunt,*) quia rapiunt ad se & vendicant sibi honores, & munia Episcoporum & doctorum. Præpositio (in) iuxta Græcos redundat. Omnibus his ostendit gnost. in veteri testamento esse præscriptos & præfiguratos.

HI sunt in epulis suis, maculæ conuiuantes, sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia. Quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.

HI sunt in epulis suis.) Ad verbum est, in dilectionibus vestris. Eras. vertit inter charitates vestras. Constat ex historia antiquitatis, Christianis veteribus morem fuisse plane solemnem, pauperibus exhibere conuiuia, quæ vulgo tum ἀγάπαι dicebantur, quam vocem in apologetico iactat Tertullianus. quod quemadmodum teste Cicerone longe honestiori vocabulo Latina prãdia sua conuiuia dixere, quam græci ἐρανίδεια. Sic Christiani adhuc multo honestiori agapas dixerint. Ista est vox huius loci, qua Epiphanius vtitur in hæresi gnosticorum. Communes, inquit, vxores habẽt, & si quis peregrinus accesserit de ipsorum dogmate, larga & opipara conuiuia instruunt: vbi autem cõpotarunt, & venas facietate implerũt ad cœstrum se conuertunt, & vir quidem concedens alteri vxorem suam, ad ipsam dicit surge et fac ἀγάπην; id est, dilectionem cum fratre: Miseri autem illi vbi inter se commixti fuerint, horrenda aggrediuntur, quæ deinde refert Epiph. Quia ergo inter conuiuia turpia designabant, maculas eos vocat, græci σπιλάδες, quam vocem Oecum. saxa interpretatur, sed ex Apost. Pet. qui vtitur voce σπίλος, constat hic intelligi maculas. Conuiuantes sine timore) græcè est aduerbium ἀφόβως, id est, intrepidè siue secure, non more sanctorum, qui timide corpora sua reficiunt, soliciti semper ne gulæ plus æquo permittant: Semetipsos pascentes. i. pastorum in morem seipsos agentes & ducentes, & sibi ipsis pastores: Se, inquit, habent regulam vitæ & dogmatum, non Apostolo. ad sua somnia & figmenta vitam componunt, & fidem non ad Scripturas, Ad hunc modum interpretantur græci aliqui. Sensus iste videri poterat, seipsos pascentes, neglecto grege: Qui sensus est apud Ezech. cap. 34. Forsitan interpretes mouit quod. 70. in locos Ezechielis habeant non verbum ποιμαίνω sed βόσκω, (*nubes sine aqua*) sensus est: Quemadmodum nubes aqua carentes, ad quæcunq; loca perueuerint, non refrigerium ex imbre quem non habent, sed caliginem ipsis inducunt: sic doctrina horum nou adfert solidam consolationem, sed errorem effundit. Sic ferè græcanica scholia. Alij interpretantur (*nubes sine aqua,*) id est, cupientes videri Apostoli sine spiritu Apostolico, & sine aqua doctrinæ. Hos mouet quod apud Esaiam Apostoli nubes dicantur: *Quæ à ventis circumferuntur*) notat inconstantiam dogmatũ. *Arbores Autumnales*) id est, extremi Autumni. Esa. 5. & 60.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tumni. Solent enim nouellæ arbores extremo Autumno præter rationem temporis florere, idq; agricolis indicat eas mox emorituras (*infructuosæ.*) Videtur esse interpretatio prioris: *Bis mortuæ*) scilicet ante Baptismum. (*eradicatæ*) desperati, de quibus non speratur fructus, sicut de arboribus radicitus euulsis. *Fluctus feri maris*) fèri, epitheton est fluctus, non maris, vt patet ex Græco. Erasmus ad vitandam amphibologiam vertit vnde efferræ maris. His ipsos cõparat, quod blasphemiam suam in cœlum vsque extendant. *Despumantes suas confusiones*) siue dedecora sua: nam post commixtionem, vbi fluxum corporum suorum Patri obtulerũt vniuersorum. Absumunt ipsum, absorbent que instar canum & suum, decoquentes, spriam immundiciam. *Sydera errantia*) ad inconstantiam doctrinæ pertinet. *Quibus procella*) siue vt alias vertit) caligo. Tenebrarum seruata est in æternum) hoc est, qui sunt victimæ inferni.

PRophetauit autem & de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis milibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerũt & de omnibus duris quæ loquuti sunt contra eum peccatores impij.

PRophetaait autem & de his, &c.) Negabant Gnostici futurum iudicium, quare hanc scripturam adducit receptam ab eis, aduersus quos scribit, licet ex libro sit apocripho. *Venit*) præteriti temporis est, quod patet ex Græco: vsurpatur autem pro futuro more prophetico. Sensus est, nemo sibi blandiatur, veniet Dominus non solus, sed cum milibus multis sanctorum, & iudicabit omnium vitam & doctrinam. Illud (*de omnibus duris*) proprie ad Gnosticos pertinet, qui loquuntur dura contra Deum. Priora omnes impios respiciunt.

HI sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa.

HI sunt murmuratores querulosi, &c.) Pergit eos describere ex moribus: Hi, inquit, contra diaconos, sacerdotes, Episcopos, & reliquos diuersa sentientes murmurant apud se, & indignantur tacite sub dentibus, sed & apud alios de his conqueruntur, ipsosque vbi & apud quos possunt traducunt: (*& os eorum loquitur superbiam.*) Pertinet ad iactationem scientiæ, vnde & nomen acceperunt: omnino verisimile est legendum esse, & os eorum loquitur superba. Nam non solum Græca & emendatiora Latina sic legunt, sed & Apostolus Petrus, quem imitatus est Iudas habet superba. *Mirantes personas.*) adulantur inquit, principibus & diuitibus. *Quæstus causa.*) Secundum Græcanica scholia explicat quod antedixerat: mercede effusi. Constat ex historia antiquitatis. Simoné honoraſſe Neronẽ gratia quæstus & apud ipsum accusasse quos Galilæos vocabat, id est, Christianos. Annotandum hoc loco quod Apostolorum tempore, ex vita sumebatur non omnino fallax argumentum siue iudicium de doctrina, quã ob causam Beatus Iudas hic exacte vitam Gnosticorum depingit: hodie autem sic vigent in nobis desideria, vt sit vix discrimen inter catholicum & hæreticum.

VOs autem charissimi memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

VOs autem charissimi memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis.) A Petro in. 2. Epistola, & à Paulo in omnibus fere Epistolis, quorum authoritas est probatissima. Præter loca in margine librorum nostrorum annotata videtur Iudas respexisse ad Acta Apostolorum: legatur illius voluminis. 20. caput. Græcanica scholia hinc colligunt Indam longæuum fuisse, & vixisse post alios Apost. *Qui dicebant vobis quoniam*) id est, *quod in nouissimis temporibus, &c.*) Quidam intelligunt de Antechristi tempore, quod parum probabile est: nam mouet præsentes nec dat vel tenuem significationem futuri temporis. Porro Apostoli nouissima tempora nominant, totum tempus à Christo nato, ad extremum vsque iudicium: respiciunt enim ad Prophetas, quitempus Euangelicum nominant nouissimos dies, vt Esaias cap. 2. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini.

HI sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

HI sunt qui segregant semetipsos) ab Apostolorum doctrina, & Episcoporum: Nulla res clarius docet Lutherum, Melanthonem, Caluinum Bucerum hæreticos esse, quam quod segregent se à doctrina Chrysostomi, Basilij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, &c. (*animales*) vox hæc ab anima dicitur, non ab animali, eadem voce visus est Paulus capite secundo prioris Epistolæ ad Corinthios: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*: Græce est ψυχικὸς, id est animalis, ψυχὴ autem anima est. Non solum autem homo Ethnicus qui nec adulteratur, nec furatur, & concupiscentias quantum per naturam licet refrenat animalis est: sed & quicunque non habet spiritum reuelationis, sed ea tantum quæ natura suppeditat, aut ratio humana dare potest, anima lis secundum Paulum est & Iudam. Nam ψυχικὸν, id est, animalem opponunt πνευματικῷ, id est, spirituali homini. Spiritualẽ vocant, qui in dijudicandis dogmatibus, aut interpretandis Scripturis, & alijs in rebus spiritum sequitur, qui supra rationem est. vnde Iudas mox subiungit. *Spiritum habentes*) velut interpretans animales.

VOs autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.

VOs autem charissimi,) Illi quidem ita se habent, inquit: *Vos autem superdificantes vosmetipsos, &c.*) eadem admonitio nũc locum habet, vt videlicet fidei traditæ ante Lutheranissimum nos & omnia nostra superstruamus. Illud: *In spiritu sancto*) quidam referunt ad præcedentia. Græcanica scholia pertinere putant ad sequentia, quæ etiam de publicis precibus exponunt, quod ait Apostolus orantes. hoc sensu. Gnostici habent cœtus obscœnos, vos in vestris cœtibus sequimini spiritum (*vosmetipsos in dilectione Dei seruate*) Id est, custodite, hæc custodia difficillima est, & rarus inuenitur qui non alicubi hanc negligat, propter istud institutа sunt cœnobia, & quia non sufficit hic diligentia nostra, sed opus est imprimis misericordia & gratia Dei, hanc ambire debemus & si non tam vbertim vt volumus proueniat, non oportet desponderе animum, sed perdurare & expectare: etsi non statim, saltem aliquando continget quod cupimus, si non hoc anno, saltem futuro: Istud est quod dicit: *Expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam*) id est, in finem vitæ æternæ.

ET hos quidem arguite iudicatos, illos vero saluate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore, odientes & eam quæ carnalis est maculatam tunicam.

ET hos quidem arguite indicatos) vos qui ita viuitis, vt nunc dixi, Gnosticos qui sunt insanabiles arguite, hoc est, prodite sitie in apertum proferte, manifestate omnibus impietatem ipsorum. Iudicatos. Græcè est διακεκριμένους, id est diiudicantes siue dũ dijudicamini. Potest enim & actiuè & passiuè accipi. Græca scholia actiuè exponunt. Si inquiunt, adhibito iudicio vestro faciant secessionem à vobis. Erasmus passiuè accipit, nam vertit: dum dijudicamini. *Illos vero*) quibus videlicet exitium imminet vel periculum à Gnosticis. *Saluate de igne rapientes*) de igne Zodomitico, id est, de igne libidinis, siue incendio libidinis: Alijs autem miseremini in timore) Sensus est, qui ducti misericordia loqui volunt cum Gnost. vt lucrifaciant ipsos, faciant hoc in timore, timentes ne ipsi corripiantur hac ipsorum hæresi: *Odientes & eam quæ carnalis est maculatam tunicam*) id est, turpes affectus carnis, & carnalem Gnost. conuersationem. Græca admittunt & hunc sensum: odientes à carne sordidatam tunicam. Turpitudo Gnost: non solum ipsorum opera inficit, sed & vestes maculat, atque ad ipsas transit. Vterque sensus bonus est. Ad posteriorem vehementer inuitat coniunctio (&) quæ videtur requirere hunc sensum: odio habentes non solum ipsa turpia facta carnis, verum etiam tunicã Gnosticorum, quæ ex carne ipsorum est conspurcata.

EI autem qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectũ gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini nostri Iesu Christi, soli Deo saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum, gloria & magnificentia, imperium, & potestas ante omnia secula, & nunc, & in omnia secula seculorum, Amen.

EI autem qui potens est vos conseruare. &c) Est δοξολογία, qua voluit concludere Epistolam, vt disceremus gloriam non nobis vsurpare, sed Deo tribuere, à quo est donum perseuerantiæ, & omne bonum.

Finis Epistolæ Iudæ.

IN PRIO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN PRIOREM EPISTOLAM D. PAVLI AD TIMOTHEVM EXPOSITIO F. ADAMI S. DELPHII.

ARGVMENTVM.

EPistolæ ad Timotheum vtriusque, & eius quæ ad Titum est scripta, scopus idem est, nimirum: vt qui publice docent, eximij sint, & exolerati. Quod dicimus, ex ipsarum enarratione euadet manifestum. Verum licet scopus sit idem, occasio tamen siue scribendi ratio diuersa est. Nam hãc propter Iudaizantes: vtranque vero ad Timotheum propter scholam potissimum Simonis scripsit. Quare cum quatuor proxime expositis, duas has conferre oportet, maximeque cum Epistola ad Ephesios, quorum Episcopus fuit Timotheus, quam explicat Epistola ad Colloss. quæ magis in spem designat, de quibus est sermo, quos omnium clarissimè depinxit Epistola Iudæ, Item Petri secunda.

CAPVT I.

PAVLus Apostolus Iesu Christi, secundum imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu, spei nostræ, Timotheo dilecto filio in fide: gratia & misericordia & pax à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro.

Paulus Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei, &c.) id est, secundum iniunctionem siue delegationem Patris, qui per filium exemit nos à diaboli tyrannide, & transtulit in sortem Sanctorum: (*& secundum imperium Iesu Christi*) qui est spes nostra quia per ipsum vitam speramus nos consecuturos, non per Moysen, non per Angelos Simonis, non per liturgias Platonicorum, *Timotheo dilecto*) Græcè est Germano (*filio in fide.*) Germanum vocat verum ac ingenuum non corruptum diuersa doctrina. *Gratia*) id est remissio peccatorum. *Et misericordia*) Hoc addit, quod non satis sit gaudere peccatorum remissione, nisi Deus & alia dona addat, quibus tentationum impetus frangi queant. Opto igitur tibi dona illa, quibus aduersa mala omnia & ea potissimum, quæ nos à Christo abducere conatur, muniaris. De pace dictum est in epistola ad Romanos.

Sicut rogaui te vt remanes Ephesi cum irem in Macedoniam, vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

Sicut rogaui te) siue hortatus sum: nam vox Græca anceps. *Vt remanerem Ephesi,*) Metropolis est Asiæ minoris. Macedoniæ metropolis est Thessalonica. *Vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent*) non absoluit Apostolus orationem, desideratur enim (sic facito) Aliter docere est diuersum doctrinæ genus ab eo quod est traditum adferre, sic Græcam vocem ἑτεροδιδασκαλῆν explicat Ghrysostomus, & post eum Theophylactus. Sed & Paulus capite. 6. huius epistolæ seipsum interpretatur, dum ait: Si quis aliter docet, siue vt ipse habet ἑτεροδιδασκαλῆ, & non acquieuit sanis sermonibus, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ. Et ad Galatas capite. 1. dixit hanc rem, Euangelizare præter id quod Euangelizatum est. Fabulas & genealogias. Vetus hæresis periphrasin facit legis siue veteris testamenti. Chrysostomus non legem significari dicit per fabulas, sed falsas traditiones. Refert ergo ipse ad δευτερώσεις, Iudæorum, quales nunc sunt in Thalmud & in Cabala. Cum Chrysostomo sentit Theophylactus, item Græca scholia et Ambrosius ad δευτερώσεις, refert, quanquam Erasmus in annotationibus putat ipsum intellexisse legem Moysi, sed

sed falsus est in diligentia: meminit quidem Ambrosius circuncisionis atq; aliorum, sed de ijs loquitur quæ extra Scripturam sunt. Genealogias interminatas vocat. quę finem non habent. Repetebant enim Iudæi altissimè seriem progenitorum suorum, ab ipso scilicet Abraham: quod faciebant partim, vt peritiæ multæ & scientiæ opinionem sibi conquirerent, partim vt suam iactarent nobilitatem, quòd ab his vel illis parentibus ortum habeant. Tres Græci, videlicet Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius quod dicitur hic, referunt quoq; ad fabulas & theogonias Gentilium. Pro qua sentẽtia facit historia, sed non consequentia scripti. Nam statim subijcitur mentio legis doctorum, quod certũ est ad Iudaizantes pertinere. Alioqui hæc aptissimè quadrarent in scholam Simonis. *Quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem*) id est, profectũ in vero Christianismo, (*in fide & pietate*) Hæc pro ratione illorum temporũ à Paulo præscripta sunt Timotheo, nostrum est similia cauere, nempe à nimia curiositate, quæ est circa plurimas quæstiones, ex quibus nullus verus pietatis fructus prouenit.

FInis autem præcepti, est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

Finis autem præcepti est charitas de corde.) Vocula (autem) ad corrigendi formulas pertinet, nos ferè exprimimus per particulam, atqui vel imo. Sensus est: qui deuteroſibus intendunt & genealogijs, non solùm agunt præter Euangelium, verùm etiã ignorant finem legis Mosaicæ, qui est charitas. Vocabulum, finis, est ambiguum: significat & id, ad quod cætera referuntur: In qua significatione ferè vsurpatur à philosophis: Significat prætereà consummationem siue plenitudinem, vtraque significatio optimè congruit. In voce præcepti tropus est, accipitur enim pro tota lege. Locum hunc tractat August. lib. 1. de doctrina Christiana, quem legere oportet à cap. 35. vsque ad finem libri: (*de corde puro*) id est, vacuo cupiditate & amore sui, vt nihil aliud (inquit Aug.) diligatur quàm quod diligendum est (*conscientia bona*) id est, nullius criminis sibi conscia. Hoc (ait Augustinus) propter spem addit. Ille enim se ad id quod credit & diligit, peruenturum desperat, cui conscientiæ malæ scrupulus inest: (*non ficta*) id est, quæ caret mendacio seu hypocrisi, hoc est, qua ex animo creditur in Iesum. Hæc ergo tria, spes, fides, charitas, finis sunt præcepti: (*à quibus*) scilicet fide, spe, & charitate, (*quidam*) in medijs suis studijs: (*aberrantes*) Græcè est participium præteriti temporis, & sumpta est vox à iaculatoribus. Cùm inquit à scopo legis iam dicto aberrassent, vel quia nescibant hunc esse scopum legis, vel quia eum nõ curabant: *Conuersi sunt in vaniloquium*) id est, deflexerũt ed inane & futile studium. Græcè est εἰς ματαιολογίαν, quæ vox quantũ ad pronunciationem attinet, non multum abest à theologia, cùm res multum inter se discrepat. Quare nobis quoq; cauẽdum, ne sic sectemur theologiam, vt in matheologiam incidamus, quod ijs euenit, qui in lectione Scripturarũ non hoc primo quærunt, vt inflammentur, vt transformentur in Christũ: sed legunt eas ob id potissimum, vt arment se ad diatribas, vt scientiæ opinionem sibi conquirant. *Volentes esse legis doctores*) vendicantes sibi legis peritiam, & ambientes titulum magisterij, cùm sint legis imperiti: (*non intelligentes*) neque principia doctrinę suæ, neque conclusionem.

SCimus autem quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mẽdacibus, & periuris, & si aliquid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

Scimus autem quia bona est lex.) Est antipophora: Non inquit damno quòd studeant legi, vel quod tractent legẽ, sed quod non rectè studeant, quod non rectè tractẽt, quod non referant sua ad verum scopũ. *Siquidem lex bona est. si quis legitimè ea vtatur*) id est, operam ei det, illamq; tractet oculis perpetuo conuersis ad prædictum finem legis, nempe charitatẽ ex corde puro. Hic videtur esse sensus ex præcedentibus, in quibus reprehendit inane & futilè studium situm in fabulis & genealogijs sine carẽtibus, quòd tale studium nihil cõducat ad finem præcepti. Verùm quòd sequitur. *Sciens hoc quia lex iusto non est posita*) generaliorem videtur admittere sententiam. Sensus est: Non quod iustus amplius non teneatur lege, sed quod lex pedagogus sit, hoc est, posita non propter iustos sed propter iniustos, hoc est, ad coercendas transgressiones, & custodiendos homines in eandem fidem, quæ reuelãda erat. Vide firmum huius loci commentarium Augustini, libro de spiritu & litera cap. 9. & 10.

Non subditis) vox Græca significat, qui subdi nolunt, nec ferunt imperiũ. Pro (*sceleratis*) Græce est ἀνοσίοις, vox cõposita est

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex ἀ priuatiua particula et ὅσιος. Dicitur autem ὅσιος ab ἄζομαι, quod est veneror. Ανόσιος ergo is appellatur, qui non veretur nec deos nec homines. Vnde Erasmus transtulit irreuerentibus. Vox sequẽs ad eos pertinet, qui simpliciter prophani sunt & alieni à sacris. Plagiarij dicuntur, non qui plagas aut verbera alijs inferunt, vt hoc loco quidam interpretantur, sed qui aliena mancipia furto subducunt. Nam ἀνδραποδον, Græcis mãcipiũ est, hinc ἀνδραποδιστὴς, quasi dicas fur mancipiacius.

Et si quid aliud sanæ doctrinæ [illegible]satur, quæ est secundum Euangelium) quo agnoscitur Deus esse, qui gratia sua iustificat hominem ipsũq; vires præbet, quibus quod præcipitur, præstare valeat. Hic sensus cognoscitur ex collatione aliorum locorum. Ad Rom. 3. omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Esaiæ 58. Gloria Domini colliget te. Rursus 60. cap. Gloria eius videbitur in te.

GRatias ago ei qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponẽs in ministerio, qui priùs blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

GRatias ago ei, &c.) Tria hactenus proposuit Apostolus, quæ obseruare oportet. Primum quisnam sit finis legis, vt ad eũ contendat quisquis est verè studiosus legis. Secundum est, quid lex præstet homini. Tertium, quid Euangelium siue gratia Christi, & quia dixerat creditum, id est, concreditũ siue commissum sibi Euangelium gloriæ, ne suis meritis id vendicare sibi videretur, adiecit: gratias ago ei, qui me confortauit in Christo. Præpositio (in) iuxta Græcos redundat: ad verbum est, qui me potentem reddidit Christo, id est, qui ad prædicandum ad propagandum Christi Euangelium me fortem effecit. Erat enim tum labor ingens, & res maximis periculis coniuncta annũciare Christum. *Quia fidelem me existimauit*) fidelis hoc loco accipitur quo modo apud scriptores ethnicos, Alius eius vocis vsus est in epist. ad Ephe. Quod fidelem me existimauit, hoc declarauit cum Apostolici muneris functionem mihi cõmisit, hoc est quod ait. Ponens in ministerio: (*qui priùs blasphemus fui.*) Istud addit vt magis commendet Dei misericordiam ac benignitatẽ. Nec solùm blasphemus, inquit, sed & Persecutor, ἱμοῦ δρίσας, quod nostri interpres vertit contumeliosum, sed magis significat eũ, qui vim facit, id est, oppressorem & violentum. Persequebar inquit & illata vi abolere conabar nomẽ Christianum: (*sed misericordiam*) Græce est, ἀλλὰ καὶ, id est, sed et misericordiam, quasi dicat, non solum veniam consecutus sum, cùm talis fuerim, sed & misericordiam, vt fierem Apostolus (*quia ignorans feci*) non feci inquit inuidia aut ambitione corruptus, sed Zelo veritatis: nesciebam Iesum esse Christũ, id est, Messiam Iudæis promissum, hoc est quod ait, in incredulitate.

Ad Ephe. 6. cap.

SVperabundauit autẽ gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

SVperabundauit autem gratia Domini, &c.) Sensus est: alijs pluribus beneficijs post comissum Euangeliũ me persecutus est Dominus, dedit spiritum prophetiæ, gratiã curationum, &c. *Cum fide & dilectione*) potest sensus esse, dedit mihi ista magna dona cum fide & dilectione, id est, vna cum ijs fidem & charitatem, vt (μετὰ) sit comitis, quanquam ex cap. 4. huius epistolæ, & interpretatione Chrysost. videatur præpositio (cum) non esse comitis, sed medij & instrumenti, vt sit sensus: Cõsecutus sum hæc dona per fidem & charitatem, id est, medio fidei & charitatis, charitatis inquam quæ est propria Christianismo. Habet enim & lex & natura suam dilectionem, hoc est quod ait: cum dilectione quæ est in Christo Iesu.

Fidelis sermo) digressus erat Apostolus, reditiam à digressione, ostendẽs quæ nam sit vera, & Christiana, & Euangelica doctrina. Sensus est: vt redeam ad id quod primò cœperam, ostendi qui diuertant à sana doctrina & vtili studio: dicam nũc quod sit caput sanæ doctrinæ, nempe: Quòd Christus Iesus venit in hunc mundum, &c. Fidelis hoc loco pro certo firmo & indubitato ponitur. Indubitatus sermo & dignus quem modis omnib⁹ amplectamur, videlicet quòd Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Saluos facit remittẽdo peccata, iustificando, vires præstando quibus quòd præcipitur implere valeant: Demum pro meritis bonæ vitæ dando vitam æternã, ad quæ inefficax fuit lex, vt ad Rom. docet Apostolus: *Quorũ primus ego sum*) id est, maximus ego sum, Hic commentarius erat dictum D. Francisci, qui dicere solebat syncerè nulla socratica iconia, se maximũ peccatorum. Nam si latrones aiebat & alij scelerati donati essent ea gratia, qua ego multo sanctius vterentur ea quã ego. Istud de se quisque agnoscere debet, sed & hoc, quod nullũ est tam horrendũ peccatum, in quod nõ incideret, nisi gratia Dei perseueraret. Paulus hoc loco respexit ad ardorem, quo persequebatur nomẽ Christianum. Vnde Augustinus, tractãs hunc locũ, nemo inquit acrior inter persecutores, nemo ergo peior inter peccatores: Vide ipsum de verbis Apostoli, sermone 10.

Nihil ya. si male quæ hæc.

SEd ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.

SEd ideo misericordiam consecutus sum) causa hæc diuersa est ab ea cuius paulo antè fecit mentionem, cum ait quia ignorans feci in incredulitate: *Vt in me primo.*) Nomen est non aduerbiũ, vt in me qui primus sum, id est, qui sum præcipuus & maximus peccatorum, *vt ostenderet omnem patientiam*) siue vt Augustini interpres vertit, longanimitatem: Est enim Græcè μακροθυμία, id est, longanimitas. Annotat Chrysostomus non dixisse Apostolum, vt ostenderet in me lõganimitatem, sed omnem longanimitatẽ. Insignis enim longanimitas fuit, quod cùm vnico nutu perdere posset, tam diu sustinuerit furẽtem Paulum: *Ad informationem eorum.*) Erasmus vertit ad exprimendum exemplarijs, qui crediturí sunt. Græcè est πρὸς ὑποτύπωσιν. Est autẽ hypotyposis, cũ res ad viuum expressa subijcitur oculis. In Paulo igitur Deus exemplum proposuit, & figuram expresit quomodo se gerat erga peccatores, vt nemo iam quantumuis grauibus sceleribus depressus, de se desperet, imo eandem se consecuturum veniam hoc exemplo præsumat.

Regi autem seculorum immortali inuisibili.) Quoniam autem magnum aliquid de Filio locutus fuerat, quod videlicet tantam vim dilectionis ostenderit, ne quis forte putaret Patrem ab ea charitate remoueri, & ipsi gloriam refert, cùm protinus addidit, Regi autem seculorum. Pro his inquit non tantum Filio, sed & Patri referimus gloriã, Sic Chrysostomus. Refert ergo ipse ad Patrem: Idem facit Theophylact⁹ & Ambrosius, pro quibus facit particula aduersatiua (autem.)

HOc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te Prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidã repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

HOc præceptum) videlicet quod præcesserit de beneficio Christi, quod ipse venit peccatores saluos facere, vel quod præcesserit de lege: finis autem præcepti est charitas de corde puro, &c. Non est autem præceptum istud referendum ad id quod sequitur: Vt milites in eis, &c. Nam loco (vt) Græcis est ἵνα non ὅτι: *Secundùm præcedẽtes in te prophetias,*) Ambrosius legit secundùm præcedẽtes in te philosophias: Sensus est: sicut spiritu prophetiæ admonitus feci te Episcopũ, ita iuxta eandem prophetiam nunc tibi cõmendo hoc præceptum. Est hoc loco prophetia qualis Act. cap. 13. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabã in opus, ad quod assumpsi eos: Iuxta reuelationem enim selegerat Paulus Timotheum in discipulum, & Episcopum fecerat. *Vt milites*) id temporis officiũ Episcopi erat, militiam exercere propter varios fidei hostes, (*in illis*) id est, secundùm illas, hoc est, iuxta prophetias quæ de te præcesserunt. Sensus est, vt apte milites, respondens prophetijs quæ de te datæ fuerunt: *Habens fidem*) hoc ad dogmata pertinet. *Et cõscientiam bonam*) istud pertinet ad vitam. Vt inquit non sis tibi conscius alicuius criminis. *Quam quidem repellentes*) Græcis est participium præteriti temporis, qua repulsa quidam, id est, contẽpta conscientia. *Circa fidem naufragauerunt*) dixisset latinius, naufragium fecerunt per Apostasiam, hæresim vel scisma. Ex hoc loco discimus quòd multis causa ruinæ in hęresim, sit mala vita: (*ex quibus*) id est, de quorum numero est Hymenæus & Alexander. *Quos tradidi sathanæ*) Chrysost. Theophy. Oecum. interpretantur istud de excommunicatione. Non vtitur autem Paulus voce excommunicationis, quod id ipse habebat peculiare, vt quos excommunicaret etiam diabolo traderet iuxta corpus vexandos. *Vt discant non blasphemare*) id est, vt ex præsenti correptione discant non contemnere futurum iudicium. Ex hoc capite discãt Episcopi, pastores, concionatores vt caueant sibi ab ἑτεροδιδασκαλίᾳ, à fabulis, et ijs quæ aliena sunt à doctrina semel tradita, breuiter ab omnibus quæ fidem, spem, & charitatem non ædificant.

CAPVT II.



OBsecro igitur primùm omniũ fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate cõstituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.

OBsecro igitur) siue adhortor: nam Græce est παρακαλῶ, quæ vox anceps est: (*primùm omniũ*) genitiuus, omniũ referri potest vel ad præcedentia, hoc sensu: obsecro vt ante omnia fiãt deprecationes: Vel ad sequen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentia, hoc sensu: adhortor vt deprecationes fiant ab omnibus, quanquam prius sit magis probabile. Quid discriminis sit inter obsecrationes orationes, & postulationes, petendum est non ex Latinis vocibus sed Græcis, δεήσεις quæ vox primo loco ponitur. Græcanica scholia referunt ad deprecationem, qua rogamus vt liberemur à malis: προσευχὰς quæ secundo loco ponitur, ad orationem, qua precamur vt nobis contingant bona: Ἐντεύξεις autem ad interpellationem, qua de his quæ nos lædunt querimur. Cum quibus sentit Theoph. nisi quod postremam vocem pertinere dicat ad preces, quibus pro persecutoribus oramus vt ad viam redeant. August. in epist. ad Paulinum, quæ est nu. 59. late de his vocibus disserit, & quicquid hic dicitur ad lyturgiam refert & sacrificium missæ. Obsecrationes ait pertinere ad preces, quæ fiunt in missa ante consecrationem: Orationes ad preces, quæ fiũt dum benedicitur & sanctificatur hostia, & distribuitur, comminuitur. Postulationes sunt preces, quibus benedicitur populus, quibus & antistes suos, id est, clientes misericordissime offert potestati. Quibus inquit peractis & participato tanto Sacramẽto gratiarum actio cuncta concludit, quam etiam in his verbis vltimam commendauit Apost. Ex quo commentario discimus hæc pertinere ad preces publicas. Idem facit Chrys. Theoph. & Oecu. qui omnes sacerdotes, sacri, & mysteriorum meminerunt. Est alius commentarius qui obsecrationes, orationes, postulationes eodem pertinere dicit, vt sit congeries vocum, qua vsum vult Apost. eam vehementiæ, vt quod mandat, omnino fiat: Cuius commentarij etiam Theo. meminit, nec male respondet quod est cap. 4. ad Phil. Rursus quod cap. 6. ad Ephesios. *Pro omnibus hominibus*) etiam ethnicis (*qui in sublimitate*) & eminentia. *Constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus*) quod contingit prudenter administrante rempublicam magistratu. Dicit *in omni pietate*) vt significet se non solùm loqui de ea quæ est in dogmatibus, sed & de ea quæ est in vitæ integritate. Castitatem vocat, non solùm temperantiam à libidine, sed quæ in omni virtute cerni debet, vnde recte Erasmus vertit in omni honestate. Græce est σεμνότης, quæ vox ad omnem morum grauitatem pertinet.

Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Hoc enim) nempe orare pro omnib' etiam ethnicis. *Bonũ est & acceptum coram Saluatore nostro Deo qui omnes homines vult saluos fieri.*) Locus hic difficilis est, in quo explicando variant tam Greci quàm Latini. Ambro. cum quo sentiũt Græc. scho. interpretatur de voluntate Dei propriè dicta de qua ad Ro. Volũtati eius quis resistet, dicés latere conditionem hanc nempe: qui vult oés saluos fieri, si modo ipsi velint. Quicõment. non placet August. quod multi salui haud fiant, nõ quia ipsi nolũt, sed quia Deus non vult, quod sine vlla inquit caligine manifestatur in paruulis, qui discedũt absq; Baptismo. Et si quis pro Ambro. respondeat, sermonem esse de adultis. Obijcit Aug. Quomodo voluit Deus saluos fieri de quibus apud Matth. dicitur: Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & in cinere pœnitentiã egissent. Quare sententiam Apost. ipse hoc modo interpretatur: Qui vult omnes homines, id est, omne genus hominum saluum fieri, qua phrasi & Saluatorem vsum dicit in Euãgelio. Decimatis mentam, & rutam, & omne olus, id est, omne olerum genus. Sed quæri ex Aug. posset, ánne quoddam genus hominũ infantes sunt, qui in vtero materno moriuntur? Hoc autem genus quomodo Deus vult saluũ fieri? Rursum quæri posit, ánne propositio hæc: Deus vult omnes homines saluos fieri, sit perpetuæ veritatis? quod si ita quomodo Deus voluit saluas fieri gentes tempore legis veteris, quãdo siuit eas ingredi vias suas? Tertiò quæri posit ánne in subiecta sententia, vnus mediator Dei & hominum qui dedit semetipsum pro omnibus, & non solùm de quolibet genere hominum? Postremò quæri posset, ánne (Deus vult, &c.) propositio hæc eadẽ sit cum illa Petri: Non vult Deus aliquos perire, sed omnes ad pœnitẽtiam reuerti? quam certum est generalem continere sententiam.

Dat Augustinus & aliam interpretationẽ, hanc nimirum: nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri Deus voluerit. Similem locum adducit ex Euangelio Ioannis: Ipse illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, nõ quod omnes illuminentur sed quod nemo illuminetur nisi per Christum: Et declarans quomodo interpretatio hæc instituto Apostoli conueniat, adiũgit: Quia nullus saluus sit, nisi quẽ vult Deus saluum fieri, ideo rogandus est vt velit, quia necesse est fieri si voluerit. Sed quia istud Timotheo quem instruit notissimum fuit, non videtur id voluisse Apostolus. Expositiones hæ sunt in Enchridio cap. 30. quæ in hoc cũ Ambrosiana conueniũt, quod de voluntate proprij nominis sententiam Apostoli interpretentur. Alij voluntatem figuratam accipiunt, pro voluntate quã vocant signi, quia Deus præcepta sua & cõsilia,

silia, quibus ad salutem instruit & inuitat, proponit omnibus, dicitur velle omnes saluos fieri. Sic dicimus literas principis esse voluntatem ipsius, cùm eius rei potius signum sint. Eadem figura sceptrum dicimus pro imperio, quia illius nota est, figura hæc metonomia dicitur

Est alius commentarius qui, velle, accipit quidem propriè, sed in significatione minus vsitata, pro cupere & optare, quomodo aliquoties obuium est in Euangelio Ioan. vt Domine volumus Iesum videre. Rursus: pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum & ipsi sint mecum. Quo etiam loquẽdi modo in vulgari sermone vtimur, vt cùm dicimus: Volo vt tibi omnia ex animi tui sententia eueniant. Sensus proinde est: Deum quãtum in se est, cupere omnium salutem, quẽ affectum Dei & desiderium exprimunt illæ Scripturæ: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Venite omnes ad me, qui laboratis, & ego reficiam vos: Quoties volui vos congregare. &c. Et apud Esaiam vbi impio populo loquitur: Vtinam attendisset mandata mea, vnde apud eundem tãquam qui cogatur propter scelera nostra nos punire, dicit: Heu ego (quod dolentis est) quia consolabor super hostibus meis. Quomodo autem affectus tribuuntur Deo, an per metaphoram, an potiùs per catacresin, an per alium tropum, inquirat studiosus.

VNus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est, in quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide & charitate.

VNus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum.) Est ratio dialectica: Quia vnus est omnium Deus, quia vnus est omnium etiam infidelium reconciliator, manifestum est Deum petere & desiderare salutem omnium. Videndum hic num vocabulum mediatoris conueniat soli Christo? Difficilis est eius explicatio, quod nusquã in reliqua Scriptura reperiatur quam apud Paulum, idq; duobus duntaxat locis, hoc nimirum, & ad Galat. 3. Erasmus putat recte transferri vocem Græcã, quæ est μεσίτης, si quis dicat conciliatorem vel intercessorem. Tertullianus de resurrectione carnis sequestrem vertit.

Apud prophanos scriptores vox ea significat eum, qui mediat inter partes, hoc est, qui sese interponit. Iuxta quam significationem, quam habet etiam Latina vox, nulla impietas est, alijs eam à Christo tribuere. Recte competit in sacerdotes, vt videre est in Epistola ad Heb. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum: Augustinus tamen cùm admittat plures aduocatos, interpellatores, intercessores, agnoscere non vult nisi vnum mediatorem. lib. 2. contra Epistolam Permeniani, cap. 8. Pro quo, inquit, nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusq; mediator est: deinde paucis interiectis: Si, inquit Paulus, esset mediator, essent vtiq; & reliqui Apostoli, & sic multi mediatores essent. Nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dicit: Vnus enim mediator Dei & hominum.

Sed quæri posset ex August. cùm Christus in Scripturis dicitur aduocatus, item interpellator & pacificator, & interim hæc vocabula alijs etiam tribuantur, cur non nomen mediatoris alijs posset tribui? licet alia atque alia ratione? Videlicet vt Christus sit ille summæ & eximiæ notæ mediator, qui non precibus tantum intercedentibus, sed precio mortis suæ & sanguinis, totum humanum genus Deo reconciliauit. Quomodo si accipias vocabulum mediatoris hoc loco, optimè constat ratio Pauli. Quæri posset etiam, cur magis mediator sit pro quo non mediat aliquis alius, quàm intercessor pro quo non intercedit alter. August. & alijs locis habet hanc doctrinam de mediatore, nisi respexerit ipse naturam diuinam, quam Christus coniunctam habuit humanæ, non videtur ratio cur mediatoris vocabulũ proprium faciat Christo. Certè lib. 9. de ciuitate Dei cap. 15. Videtur illi tale quid in illa voce includi: Vt videlicet secundùm Scripturæ vsum mediator sit ille, qui vtriusque naturæ particeps est.

Qui dedit redemptionem, &c.) Redemptio hoc loco non est nomen verbale, quod est cap. 3. epistolæ ad Rom. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu, vbi est ἀπολύτρωσις. Nec rursus quod in Psal. Et copiosa apud eũ redemptio, vbi est λύτρωσις, sed est ἀντίλύτρον. Vocant autem Græci λύτρον, preciũ quo redimuntur captiui ab hostibus in bello, aut piratis, quòd vulgò ransonam vocant. Verùm Apostolus quo magis explicaret Christi cõmutationem: qua suo capite commutauit nos omnes, voce copolita vsus est, dicens ἀντίλυτρον quæ vox significat, cùm caput capite, vita redimitur vita, voce simplici vsus est Saluator in Euangelio: Venit filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis, id est, precium pro redemptione multorum. Sic eam vocem vertit Hierony. in Exod. Etiam Latinis vox redemptio ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando pretium significat, vt impetrata redemptione, id est, pecunia pro redemptione. Qui ergo dedit pretium redemptionis seipsum pro omnib⁹, Refert obseruare Scripturas quarum quædam dicunt Christum mortuum pro omnibus, quædam non pro omnibus sed pro multis, vt est illa quã mox ex Matth. 20. induximus, Venit filius hominis, &c. Rursus illa quę est cap. 26. apud eundem: Hic est sanguis noui test. qui pro vobis & pro multis effundetur, &c. Rursus apud Esaiam: Ipse asperget gentes multas. Quam locutionis diuersitatem qui intelligere desiderat, legat librum Augustin. quo respondet ad articulos sibi falso impositos. In responsione ad primum articulum sic habet: Quod ad magnitudinem & potentiam pretij attinet, sanguis Christi est redemptio totius mundi: Sed qui hoc seculum sine fide Christi & redemptionis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Deinde paucis intericctis: Poculũ immortalitatis, quod confectũ est de infirmitate nostra & virtute dominica, habet quidẽ in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non ꝓficit.

Esai. 52.

Cuius testamentum temporibus istis confirmatum est.) Variè istud exponitur. Secundùm Ambrosium sensus hic est: Apertum redemptionis factæ datum est documentũ in descensu Christi ad inferos, & ipsius à morte resurrectione. Rursus in Apostolorum prædicatione, confirmante eam Deo sequentibus signis: (*in quo*) siue vt Erasmus vertit, ad quod: nam Græcè est ὃς ὁ, de qua præpositione aliquoties dictũ est in præcedentibus Epistolis: *Ego positus sum prædicator*) siue præco: Nam Græcè est κῆρυξ, (*doctor gentium*) in ijs quæ ad fidem Christi pertinent, & ad Euangelicam veritatem. Hactenus ab illo loco: Cuius testimonium, &c. velut parenthesis fuit, quam interijcit propter Matheologos. Iam redit ad id quod cœperat.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, nõ in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.

1. Petri 3.

Volo ergo viros orare.) Et hic retinent doctores interpretationem de oratione publica, alioqui quod additur. *In omni loco*) poterat aliò inuitare, sed positũ dicunt hoc loco ab Apostolo propter Iudæos, qui vt sacrificia offerre, ita & orare solum Hierosolymis permissum arbitrabantur. Vbiq; ergo orare secundum hoc, est orare in omni loco constituto ad orandum.

Leuantes puras manus) puras dicit, hoc loco non lotas more Iudæorum, sed mundas à rapinis, à libidine, à pugnis, à sanguine. *Sine ira & disceptatione.*) Istud probabilem facit commentarium de precibus publicis, similiter id quod de mulieribus sequitur. Nam quis locus iræ est in priuatis orationibus? Rursus quid refert quo amictu mulier vratur, dum priuatim orat in cubiculo? Chrysostomus tamen iram interpretatur pro iniuriarum memoria, & disceptationem pro hæsitatione & ambiguitate. Cumq; hac sententia conueniunt non solum Græcanica scholia, sed & interpres noster capite 4. ad Romanos vertit vocem Græcam per hæsitationem: Et non hæsitauit, inquit, diffidẽtia. Eadem vox est capite primo ad Romanos: Euanuerunt in cogitationibus suis. Rursus capite 2. Inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus: Vbi sciendum est vocem Græcam διαλογισμὸς, significare non simplicem cogitationem, sed talem qualis est in ratiocinante, & expẽdente, & dijudicante, Disceptationi huic, qua secundum Chrysostomum quis intra seipsum disceptat, cogitans aut dicens, putásne audiet me Deus? putásne me temere & vanè precari? opponitur fides, de qua Saluator in Euangelio: Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credẽtes accipietis. Hæc etiam in priuatis orationibus locum habet. *Marc. 11.*

Similiter & mulieres) scilicet, volo orare in omni loco tollentes puras manus sine ira & disceptatione, nec hoc solum, sed & *in Habitu ornato*) siue modesto: Nam Græca vox κόσμιος vtrumque significat, et posterior significatio aptior est: Nam quorsum attinet admonere mulierculas, ne cultu vtãtur fœdido, cùm sua sponte nimis comantur. Habitus Græcè est καταστολὴ, quæ vox longiorem habitum significat vndequaque tegentem. Iubet igitur Apostolus fœminas vti modesto amictu, & qui vndiq; ipsas tegat vt mulieb rem pudicitiam decet.

Cum verecundia & sobrietate ornantes se.) Vocem Græcam quam hic sobrietatem vertit, aliàs transfert pudicitiam, quæ significatio maximè placet Hieronymo. Verùm licet σωφροσύνη, anceps sit magis, tamen sobrietatem sonat & sanitatem mentis, quàm pudicitiam.

Non in tortis crinibus) hoc interpres per periphrasin reddidit: Græcis est vnica dictio πλέγμα, *vel veste pretiosa*) siue, vt Erasmus vestitu sumptuoso: Hic quisq; cogitet apud se, quantopere displiceat Deo in viris luxus vestium & sumptuositas, cùm tantus Apostolus tam studiosè ea de re fœminis scripserit, in quo sexu hæc vtcũq; tolerari possent. *Sed quod decet mulieres promittentes*) id est, præferentes, moribus & vita (*pietatẽ.*) Pietas hoc loco respicit Deum, nam Paulus habet θεοσέβειαν, ne quis putet de pietate erga liberos sermonem esse.

Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari in virũ, sed esse in silentio.

Mulier in silentio discat) Vir & mulier hoc loco nomina sunt sexus, nõ coniugij. Teneat, inquit Chrysostomus fœmina se in numero discentium, nec sibi vsurpet partes doctoris: *Cum omni subiectione*) id est, submissione, non respõsare debet doctioribus, nec vocem emittere. Omnia autem intelligũtur de cœtu publico: (*neq; dominari*) Græcè est, αὐθεντεῖν, id est, authoritate vti, quasi ipsi posset aliquid autenticum adferre inter viros, quæ partes sunt docentium: habent plerumq; mulieres non minùs spiritum Dei quam viri, non tamen pronunciare eas permittit Apostolus. Quod annotandum est propter homines nostri temporis, qui putant omnes in consilijs audiendos. Nam non ex spiritu qui latet, metiendę sunt partes docentium, sed ex natura & politia publica. Discimus ex hoc loco vitium id fuisse primitiuæ Ecclesiæ, quod passim omnes sibi sumerent partes docendi, quod obseruare oportet, quia facit ad intelligendum scopum Epistolæ.

Adam enim primus formatus est, deinde Eua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.

Adam enim primus formatus est.) Ratio est philosophica: Præstat, inquit, vir mulieri, tum ordine formationis, tum vigore rationis. Illud (*Adam nõ est seductus*) variè exponitur, verum optimus commentarius ille est, qui habet: non est seductus credendo vera esse quæ proponebat serpens, quamuis in hoc seductus fuit, quod parendum putauerit vxori, & crediderit leuiorem forè noxam, quam postea sit expertus. *Mulier autem seducta fuit*) credendo serpenti dicenti: eritis sicut dij adeo vt ad fructum ligni vetiti extenderit manum.

Saluabitur autem per filiorum generationem) Istud opponitur doctrinæ mulierum, licet non doceant, non deest tamen illis quod agant, conuenit illis non librorum tractatio sed liberorum. Hinc discimus quantum errent nostræ mulierculæ differentes passim hodie de Euangelio. Respondet D. Basilius Oeconomo Cæsaris volenti aliquid ex scripturis pro hæresi Arriana dicere: tuum, inquit, est pulmentũ Cæsari parare, non Euãgelium exponere. Est hoc loco varia lectio, quædam exemplaria habent permanserit, in singulari numero. Alia, permanserint, in plurali numero. Græca constanter legunt, permanserint, vt referatur ad Filios. Hieronymus aduersus Ioui. hunc locum exponens, palam testatur ita legendum esse. Sed & Chrysostomus in hanc sententiam exponit dicens: Hac ratione saluari posse mulierem si quos genuerit liberos, curaris diligẽter in fide Christi castisq; moribus instituendos. Sanctificatio hoc loco pertinet ad puritatem totius vitæ, non ad moderatum vsum coniugij.

CAPVT III.

FIDELIS sermo. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Fidelis sermo) Hac præfatiuncula vti solet Apostolus rem certam & indubitatam docturus, hoc loco opponere videtur matheologiæ. Sensus est: quod iam dicturus sim, minimè vanum est. Chrysostomus & Theophylactus ad superiora referunt, vt voluerit Apostolus certum esse & indubitatũ, quod dixit, mulierem saluari gignendis & rectè instituendis liberis. Verum altera expositio probabilior est.

Si quis Episcopatum, &c.) Grauis est quæstio & multæ ac magnæ eruditionis: num nomen Episcopus ad eos tantũ pertineat, quos hodie vocam⁹ Episcopos, an etiam ad quosuis sacerdotes. Thomas & Albertus Pighius putant genericum nomen esse, & complecti etiam simplicem sacerdotem: hanc suam sententiam probare conantur ex loco qui est in Actis 20. vbi Paulus conuocatis Ecclesiæ Ephesinæ presbyteris dicit: Attendite vniuerso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, cum Ecclesiæ Ephesinæ sicut & aliarum Ecclesiarum tantum vnus fuerit Episcopus proprij nominis, quæ ipsorum ratio parum conuincit. Nam vt demus ibi nomen esse genericum, non tamen ob id necesse est & hic nomen esse genericũ. Iam si quis diligenter textum inspiciat, videbit ad diuersorum locorum Episcopos sermonem esse in Actis. Nam dicitur ibi vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam. Rursus & nunc amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei. Ex quibus locis probabile fit ad ciuitatem Ephesiorum tanquam Asiæ metropolim, totius Asianæ Ecclesiæ Episcopos siue Antistites Apostolum cõuocasse, pro qua sententia planè facit quod dicitur. Attendite gregi, in quo posuit, vos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod in simplices sacerdotes locum non habet. Sed & Chrysostomus hoc loco Episcopum intelligit, qui est in Ecclesia hoc, quod maritus in familia. Ambrosius quoque sedis & cathedræ meminit, quæ non conueniunt simplicibus sacerdotibus. Ipsa præterea vocis ethymologia non satis consonat sententiæ Pighij, siue sumptam dicas à Græcis in ea significatione qua vsus est Cicero ad Pompeium, siue ab Hebræis in ea significatione
Psalm. 105. in qua scriptura vtitur, vt in Psalm Episcopatum eius accipiet alter. Et Esdræ 11. vbi eandem vocem Hieronymus præpositum vertit.

Si quis epistolas Pauli cum historia antiquitatis diligenter cõferat, reperiet non absimile vero Episcopos tum dictos, non quidem omnes inferioris ordinis sacerdotes, sed antistites & quos ipsi antistites siue episcopi proprij nominis ex suis familijs mittebant ad instituendum eos, quibus ipsi specialiter adesse non poterant, hoc est, ad erudiendum illos qui in pagis habitabant & vicis, adiacentibus ciuitatibus, in quibus Episcopi residebant, quòd genus sacerdotum nunc curatos vocamus. Repetendum hic est quòd in explicatione argumenti annotauimus, videlicet scopum Pauli in hac Epistola esse, monere Timotheum, vt diligenter videat quos in tanta turba methelogorum constituat, qui publicè doceant. Non autem id agit vt hierarchiam Ecclesiæ instituat.

Quare nihil mirum quod non meminerit hic simplicium sacerdotum, quod qui aduertit nihil mouebitur ad rationacionem illam, qua colligere quidam nituntur nihil discriminis esse inter Episcopum & simplicem sacerdotem, quod à mentione Episcoporum mox ad diaconos se trãsferat Apostolus, nulla sacerdotum facta mentione. Rursus qua colligere nituntur monachos non pertinere ad Ecclesiæ hierarchiã, quod ipsorum nulla hic fit mentio. Num autem appeti posset à quoquam Episcopatus, non est huius loci. Apost. dicit bonum opus desiderare, qui Episcopatũ desiderat, num autem rectè desideret non disputat, sed eo agit Thomas in secunda secũdæ quæst. 185. qui doctrinam suam transcripsit ex libro 19. August. de ciuitate Dei, capite 19. Bonũ opus hoc loco intelligitur præclarum opus, quomodo vertit interpres Ambro. siue honestum opus, quomodo Erasmus transtulit, id quod magis sonat vox Græca.

OPortet enim Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobriũ, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorẽ, non vinolentum, non percussorem, sed modestũ, non litigiosum, nõ cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.

OPortet autem Episcopum irreprehensibilẽ esse) hoc in Epistola ad Titũ: sine crimine, dixit, id est, oportet eũ esse talem, quẽ nemo queat iure reprehendere. *Vnius vxoris virũ*) Certum est hoc loco non velle, neminem fieri oportere Episcopum, nisi qui maritus sit cum ad munus Episcopi exercendum aptior multò sit is, qui vxore caret, quàm alius, sed in re vxoria modum constituit, hocq; vult vt futurus Episcopus defuncta priori non duxerit secundam vxorem: Sic sanè August. Chrysost. Ambro. & cæteri tum Græci tum Latini. Habet Chrysost. & alium cõmentarium, qui hodie valde accipitur à Lutheranis, vt sensus sit: Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse, hoc est, qui non simul plures habeat vxores, quorũ vtrũq; ait Chrysostomus Iudæis licitũ fuit, vtrunq; commentarium admittunt verba Pauli. Nam vxoris vnius vir rectè dici potest, qui iam secũdam habet, & Bigamus ex prima vocis institutione est, qui simul duas habet vxores: Sed videndum num verisimilis sit posterior Chrysostomi commentarius, cum Pauli tempore non esset consuetudo Iudæis duas vxores ducendi. Sanè in Epistola ad Titum Chrysostomus priorem tantum ponit interpretationem, & causam reddens, quare Apostolus Episcopum velit vnius vxoris maritum esse, dicit: qui vxori defunctæ non seruauit fidem, quomodo Ecclesiæ fidelis erit. Adfert & aliam causam, inquit, prædicatorem continentiæ merito continentem esse oportet. D. Ambrosius ait causam esse, dignitatem ordinis sacerdotalis. Eadem causa est apud Epipha. 2. lib. contra hæreses, tomo primò hæresi quinquagesima nona, quæ Catharrorum est. Addit ibi Epiphanius, maritum admissum ad Episcopatum ex more Ecclesiæ, etiam ab vsu legitimo vxoris abstinere, locus lectu est dignissimus. Hieronymus in epistola ad Oceanum quatuor refert huius loci expositiones, inter quas secundam (quæ est ne vno tempore plures habeat vxores, cum adhibere se dicat ceu malo nodo malum cuneum) satis indicat sibi non placere, quam uis ea sola placeat Pomerano. Et non esse de sententia Apostoli liquet ex simili loco, qui est capite 5. huius epistolæ: Vidua deligatur, quæ fuerit vnius viri vxor, vbi haud dubiè non potest accipi talis vidua, quæ simul duos habuerit maritos. Nã illud nullis vnquam mulieribus permissum fuit. Iam si Apostolus sacerdotib⁹ peculiariter vetat, imo Episcopis vetat, ne simul duas habeant vxores, videtur id permittere laicis quod absurdissimum est.

Sobrium)

Sobrium) Paulus habet νηφάλιον, quã vocem admonet Hieronymus ambiguam esse, significantem & sobrium & vigilantẽ. Chrysostomo posterius significatũ placuit: (*prudentem*) Paulus habet σώφρονα, σωφροσύνη, apud Aristotelem in æthicis temperantia est vna ex quatuor illis præcipuis virtutibus. Apud Augustinum eadem vox & iam fortitudinem & modestiam complectitur, vt sit virtus moderans omnes appetitus inhonestos, secundũm nostrum interpretem etiam prudentiam cõplectitur, quod vocis significatum etiam agnoscit Hier. licet ipse maluerit verti σώφρονα, castum, dicẽs interpretem vocis ambiguitate deceptum, dum vertit prudentem. Sed quæri posset ex Hier. si vox anceps est significans & castum & prudentem, quare deceptus est interpres vertens prudentem? An prudentia non congruit Episcopo?

Ornatum) id est, & in motu & in incessu & in habitu & in sermone & cæteris omnibus compositũ. Vide Hieronymum in Epist. ad Oceanũ. Paulus habet κόσμιον. Quod sequitur (*pudicũ*) iuxta Græcos codices redũdat. (*Hospitalem*) id est, qui non amicos solùm & familiares recipit hospitio, sed extraneos quoque Paulus enim habet φιλόξενον, quod significat hospitalem siue peregrinorum amantem: (*doctorem*) Græcam vocem vertit Erasmus aptum ad docendum, & rectè: nam est διδακτικόν. Ineruditus enim, blesus infacundus, ad munus Episcopi ineptus est. Nã talis non est διδακτικὸς, id est, docibilis siue aptus ad docendum. Vide Hieronymum libro 1. aduersus Pelagianos, διδακτικόν, inquit, id est, qui docere posit, & non vt Latina simplicitas vertit, docilem, cum cæteris virtutibus difficulter inuenies.

Non vinolentum) quod interpres Ambro sic vertit non obnoxium vino: Istud pluribus & explicatius mox opponit Apost. cùm de diaconis loquens ait, nõ multo vino deditos. Multa namq; potio etiam citra temulentiam animæ, mentisq; vim laxat, etsi non prorsus iudicium adimat.

Non percussorem) per tropum accipitur. Pertinet enim hoc loco non ad violentiam manuum sed ad acerbitatem linguæ, nec æquus sit & improbus obiurgator: Sic Hieron. vnde & Horatius in Odis: patriæ verbera linguæ.

Sed modestum, id est, æquum, mansuetũ, humanum. Græce est επιεικῆ, (*nõ litigiosum*) Græce est vna dictio ἄμαχον, id est, alienum à pugna. *Non cupidum*) & hic vna dictio est ἀφιλάργυρον, id est, alienum ab auaritia, qui est studium pecuniæ. *Suæ domui bene præpositum*) id est, qui bene præsit familiæ suæ (*filios habentem subditos cum omni castitate*) siue (vt Erasm. vertit) reuerentia: Græce est σεμνότητ῾, quæ vox multa significat, videlicet grauitatem, reuerentiam, pudorem, liberalem & ingenuum. Vult ergo Paulus illum institui Episcopum, qui filios habeat morigeros, & liberali præditos pudore, qui moribus compositis educationem patris sanctam comprobent alijs.

SI quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiã habebit? Non neophitum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.

SI quis autem domui suæ siue familiæ præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei,) in qua tam diuersorum ingeniorum & morum homines sunt, rectè curauerit? (*Non neophitum*) Græca vox est, significans nuper natum siue nuper insitum, qua Apost. recens baptisatum vocat: (*ne in superbiam elatus*) scilicet, occasione noui honoris. *Incidat in iudicii*) id est, condemnationem, in quam denenit diabolus ob superbiam. Erasm. hoc loco, diaboli, rectè verti posse putat, calumniatoris, vt sensus sit: ne elatus & plus nimio sibi placens incidat in condemnationem maledicorum hominũ, qui nihil aliud quærunt, quàm habere ansam calumniandi. Verum Chrys. & alij Græci interpretantur pro dæmone.

Oportet autem & illum testimonium habere bonum ab ijs qui) à fide & religione Christiana alieni sunt. *Vt non in opprobrium incidat*) & per probra humana (*in laqueum diaboli.*) Si enim audiat Episcopus à gentibus proba, si audiat sibi obiici veteris vitæ mala, incidet in Apostasiam, vel inimicitias suscipiet, vel despondebit animum, hoc est, quod dicit, & in laqueum diaboli.

DIacones similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrũ sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.

DIacones similiter pudicos, &c.) Lutherani diacones putant esse præfectos mensæ, vt in actis dicitur & custodes thesaurorum Ecclesiæ. Sed vetus theologia ostendit diaconos esse, qui adstant pra tuli sacrificãti, eique ministerium præstant, hos imprimis pudicos esse vult quod Græce est σεμνοὺς, id est, graues, constantes, et tales qui vita & moribus disciplinam in omnibus præ se ferant Christianam: deinde addit. *Non bilin-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilingues) quod Græcè est διλόγους, id est, duplices in sermone alia corde sentientes, alia ore proloquentes, aliaq; his, aliaq; illis: quod vitium cum in omnibus, tum in ministris verbi præcipuè, atque ijs qui ministerio verbi destinantur imprimis, turpe est & fœdum, vt quorum ora & lingua spiritus sancti organa sunt.

Non turpe lucrum sectantes) id est, sub prætextu religionis studentes quæstui. Pro tribus his verbis Apostolus habet vnicum cōpositum ἀισχροκερδεῖς. *Habentes mysterium fidei*) id est, arcana fidei, quæ non omnibus reuelanda sunt, vel etiam totam fidē. Potest enim pro certo mysterio accipi, vt sit mysterium specialis nominis. Potest etiam sumi pro tota professione Christianismi & prædicatione crucis Christi.

Et hi autem probentur primum) quod Episcopis præcœpi, etiam de diaconis obseruari volo, videlicet ne instituātur neophyti, sed quorum vita diu in Christianismo spectata est. Primùm probentur, deinde ministrent si reperti fuerint eiusmodi vt nemo possit eos criminari. Siquidem Græca vox, qua hic vtitur Apostolus, significat eum cui nullum crimen possit impingi, non solum qui nullum habeat crimen, dicta ab ἐγκαλεῖν, quod est in ius vocare & crimen imponere.

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες, qui filijs suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multā fiduciam in fide quæ in Christo.

Mulieres similiter pudicas) Nonnulli simpliciter de quibusuis fœminis interpretantur. Verum ipse sermonis tenor declarat ipsum de vxoribus Episcoporum loqui, & diaconorum. Vnde Eras. Græcam vocem γυναῖκας, quæ alioquin anceps est, rectè vxores hoc loco vertit. Annotat Ambrosius Cataphrygas ex hoc loco sumpsisse occasionē errandi, vt dicerent mulieres ordinandas diaconas, vt viri ordinantur. Vnde certò colligitur illis temporibus non tantùm mensārum ministros fuisse diaconos, sed quales hodie sunt in officijs Ecclesiasticis: Pudicas dicit non solum castas mente, sed honestas præterea in sensibus exterioribus: Græcè est σεμνάς, id est, graues siue compositas.

Non detrahentes) id est, calumniatrices: Græcis est illa vox, quam in præcedentibus interpres reliquit non versam: ne in iudiciū & in laqueum incidat diaboli, quod ideo fecit, quod putaret insignem illum calumniatorem, qui per antonomasiam in Scripturis diabolus appellatur, illis locis significari: (*sobrias*) est illa vox apud Paulum quā paulò antè diximus ambiguam esse ad sobriū, id est, non temulentum, & ad vigilantem: (*fideles in omnibus*) tum in ijs quæ ad eorum spectant, tum in ijs quæ pertinent ad facultatem dispensationis, vt non sint adulteræ, impuræ, furaces.

Diaconi sint vnius vxoris viri) in præcedentibus expositum est. *Qui enim bene ministrauerint, &c.*) qui, inquit, Chrysostomus in his quæ inferiora sunt diligentiam suam vigilantiāq; monstrauerint, facilè ad ea quæ sunt superiora atq; excellentiora perueniēt. Videtur sentire de sacerdotio, de quo apertè interpretatur Ambrosius. Digni, inquit, efficientur sacerdotio. Alij malunt intelligere de gradu siue profectu in donis spiritualibus: (*& multam fiduciam*) Ambrosius intelligit fiduciam quiduis impetrandi. Græcè est παῤῥησίαν, de qua voce in Epistolis præcedentibus aliquoties dictum est. Significat libertatem ingenuè agēdi, multam, inquit, libertatem acquirent in fide Christi.

Hæc tibi scribo fili Timothee, sperans me ad te venire citò. Si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.

Hæc tibi scribo fili Timothee. Vt scias quo modo oporteat te in domo Dei conuersari) scilicet, quantum ad ea quę supra proposui. Hic est scopus eorū quę hactenus dicta sunt à Paulo. Nobis quoq; cogitandum frequēter, quod versemur non in Academia Platonis, nec in schola Aristotelis, sed in domo Dei, in Ecclesia catholica, quæ columna & basis, ac sedes veri est, siue in qua residet veritas, quæ res nobis calcar addere debet ad puriorem vitam sectandam.

Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatū est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Et manifestè magnū est) Ostendit cur difficile sit cōuersari rectè in ecclesia quod ea custodiat magnum mysterium, nempe dispensationem carnis assumptæ: Est enim hic mysteriū generalis nominis. Loco (manifestè) Eras. vertit citra cōtrouersiam: Græce est ὁμολογουμένως, quod perinde sonat ac si dicas confessè. Ambrosius periphrasi reddidit, & quidem (inquit) omnium confessione magnum est pietatis, id est, religionis Christianæ Sacramentum, pro quo D. Paulus habet mysterium. Pauca verba, Deus homo, sed incomprehensibile mysterium, quod manifestum est in carne. Per stitione oratoria explicat partes huius magni mysterij. Caro accipitur quomodo in Epistola ad Galat. Tentationem vestram in carne mea. Et in Epistola ad Hebr. *Qui in diebus carnis, &c.*) Quibus locis pro imbecillitate ac infirmitate ponitur, atque in hac significatione Apostolo vox familiaris est. Sēsus est: quod manifestū est, id est, primo omnium apparuit in humanitate aę infirmitate. Nam Christus contēptus, ac in laboribus & miserijs perpetuo vixit. *Iustificatum est in spiritu*) Phrasis est Hebraica, similis est in Psal. Iudicia Domini iustificata in semetipsis, id est, consummata, quibus nemo possit detrahere. Sic in Euangelio: Iustificata est sapientia à filijs suis, id est, comprobata & absoluta ab omni calumnia. Sēsus ergo est: iustificatum in spiritu, id est, ad hanc carnem accessere diuinitatis signa, vt nihil contra hoc mysterium possit dici, vt omnes quantumuis mali, velint nolint, cogātur laudare sapiens Dei consiliū, de reparando humano genere per carnem à Christo assumptam.

Apparuit angelis) nimirum per Ecclesiā: Hunc commentariū tradit ipse Apostolus in Epistola ad Ephe. cap. 3. vt innotescat principibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapiētia Dei: (*prædicatum est gentibus*) quarum nullus hactenus habitus est respectus. *Creditum est in mundo*) id est, vbique recipitur & adhibetur ei fides, Romani, Græci, imo Gentes Essere ac Barbaræ amplectūtur. Mirandum sanè sola prædicatione tenuium hominum, tot populos à patrijs legibus ac veteribus suis erroribus abduci potuisse. *Assumptum est in gloria.*) Nam post crucem manifestata persona sua ac virtute, Saluator palam, famulantibus nubibus adscendit gloriosus in cœlum. Istud igitur, magnitudo inquam mysterij causa est cur tanta requiratur diligentia in Episcopo: Res vna omnium difficillima est comprehendere quæ sit longitudo, latitudo, & profunditas crucis Christi.

CAPVT IIII.



Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendaciū, & cauteriatā habentium suā conscientiam, prohibentiū nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendū cū gratiarū actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem.

Spiritus aūt, &c.) Præter hoc inquit quod iam dixi, quòd videlicet tāta sit difficultas in mysterio hoc, etiam acuere debet diligentiam Episcopi, quod posterioribus seculis exorientur seductores, (*manifestè dicit*) id est, certo dicit & diserte quasi conceptis verbis. Alia vox est quàm in superiori capite vbi dicit: manifestè magnū est pietatis Sacramētum. Ibi enim est ὁμολογουμένως, hic verò ῥητῶς, qua voce etiā Aristoteles vtitur lib. 8. Ethicor. cap. 13. Actorū cap. 20. Spiritus aliquid dicit Apostolo Paulo, sed non ῥητῶς, id est, præcisis siue præscriptis vel expressis verbis. Ignorabat enim Apostolus in specie quid sibi euenturum esset Hierosoly. *Nouissima tēpora*) ex phrasi Scripturæ significāt ætatem Christi vsq; ad vltimum iudicium, quanquā hoc loco non sit nouissimis, sed posterioribus temporibus. Est enim Græcè ὕστεροι. Ex circunstantijs videtur hic esse sensus Pauli: Tā breui sunt exorituræ hæreses istæ, vt iam nūc opus sit vigilantia. Nouissimis ergo tēporibus, id est, paulò post, quamquam alij interpretentur de temporibus multò post secuturis. *Discedent*) id est, deficient siue desciscēt. *Quidam à fide.*) De Manichæis inquit Chrysost. & Eucratitis Marcionitis, omniumq; illorum officina sermo est. Idem commentarius est apud Theophylactū, Oecum. & Ambros. Porrò Manichæum Marcionem & Encratitarū duces, spiritus erroris vocat, quod eiusmodi spiritibus afflati sua sunt locuti. Sic Chrysostomus: Ex quo commentario mox intelligitur quæ sit doctrina dæmoniorum.

Quod additur (*in hypocrisi loquentiū mendacium*) ex August. & Epiphanio intelligūtur Manichæi & Eucratitæ qui cùm intra parietes turpiter viuerent, essentq; impurissimi, tamen miram præ se ferebant sanctitatē, simulate & fallaciter omnia agentes. *Cauteriatam habentium conscientiam.*) Candenti ferro notabantur olim malefici stigmatis impressis cuti: At isti non corpus sed animū habent stigmaticum, siue cauterio inustum ob vitæ dedecora, quorum ipsi sibi conscij sunt. *Prohibentium nubere*) siue vt aliqui vertunt contrahere matrimonium: (*abstinere à cibis*) putant quidam Apostolum hic oblitum sui, nec aduertisse vocem deesse: vnde Erasmus in translatione sua verbum de suo adijciens vertit iubentium abstinere à cibis. Sed Græcanica scholia ostendunt esse atticissimum & phrasin nusquam non obuiam apud ethnicos scriptores & prophanos, adducunt multa exempla. Et inter cætera cum legimus inquiunt prohibuit eum ne perpetraret absurda, nō intelligimus quod ad absurditatem eum hortatus sit, sed contrariū. dictum est veteres tum Græcos tum Latinos hæc de Manichæis, Marcionistis, Eucratitis interpretari. Iam studiosi est videre, quid de cibis, de nuptijs senserint: Ité num iam, tum tempore Pauli inceperint hæreses istæ.

Epipha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epiphanius in hæresi Eucratitarum, quæ est. 47. Nuptias inquit hi reijciunt, ex satana has esse dicentes: Animata verò abominantes interdicũt, non continentiæ gratia, neque honestæ vitæ, sed propter timorem & imaginationem, vt ne condemnentur ab animatorum esu. In hæresi verò Martionis, quæ est. 42. sic scribit: Docet nempe Martion animatis non vesci, pronunciãs reos esse iudicij eos qui carnem edunt, velut qui animas edunt. Deinde in hæresi Manichæorũ quæ est. 66. in hunc modum ait. Edentem carnes, Manichæus animam edere dicit, & esse ipsum rerum vt & ipse tale quid fiat: Si taurum edit, vt taurus fiat: si porcum edat vt porcus fiat, & sic de reliquis. Quapropter ab animatis abstinent isti, Et si quis inquit Manichæus vxorem duxerit, etiam ipse post discessum ex hac vita in aliud corpus transit, & sit mulier, quò etiam ipse nubat. Iam si consulamus Epiphanium, videbimus initia harum hæresium cœpisse tempore Apostoli. Nam Saturninus discipulus Simonis Magi damnabat nuptias, vt refert Epiphanius hæresi. 23. easq; & coitum coniugalem ex diabolo esse dicebat, propter partem corporalem cuius vsus est in cõcubitu. Et ad scholam Simonis respicere Apostolũ docet consequentia scripti, vt mox ostendemus. Hæc ipitur torquere ad sanctissimos pontifices, qui noluerunt sacerdotes matrimonia contrahere, vt aptiores essent ad munus suũ exercendum: Rursus ad D. Franciscum qui suos certis temporibus ieiunare voluit continentiæ gratia & refrenandæ concupiscentię. impium est commentum Lutheranorũ.

Quæ omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarũ actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Quod omnis creatura Dei bona est.) Istud sanè palam indicat præcedentia locum non habere in pontifices, & eos qui regulas condiderunt monachorum. Non enim iubent hi abstinere à cibis, quasi inter cibos aliqui per se immundi essent: vel à nuptijs, quasi illæ per se malæ essent, & ex satana: Sed hoc faciunt prædictæ hæreses: illas proinde hic notat Apostolus, nihil inquit reijciendum, hoc est, nullus cibus quasi sua natura immundus abijciendus est aut fugiendus, modo cum gratiarum actione percipiatur.

Sanctificatur enim,) vt non polluatur qui eo vescitur per orationem & benedictionẽ, quæ fit per verbum Dei, quòd sanctificat omnia. Si quis verò absq; gratiarum actione comedat, polluitur non per cibum, quia nihil intrans in os coinquinat hominem, sed per ingratitudinem quæ de corde procedit. Quærit Chrysostomus an is qui sciens & prudens idolotito, hoc est, carne idolis immolata vescitur, polluatur? Respondet pollui non per esum carnium, sed per inobedientiam & legis præuaricationem. Idem iam respondendum de ijs, qui in quadragesima carnibus vescuntur, pollui ipsos, non per esum carnium quasi illæ immũdæ essent, sed per inobedientiam. Alij quod dicitur: Sanctificatur enim per verbum Dei, &c. paulò alter exponunt, hoc modo: Si putatis demones habere vim vllam in cibos, cogitate id totum purgari per preces & verbum Dei. Et dubium non est: ante fidem Christi in creaturis magnam vim obtinuisse diabolum.

Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ assequutus es.

Hæc proponens fratribus, &c.) nimirum de cibis & cæteris, quæ iam dixi. Commentarij aliquo modo nos dubios faciunt: An Paulus de multo an paulò post exoturis errorib⁹ loquatur, sed cõsequentia scripti, quæ monet tum temporis à Timotheo proponenda fuisse ista, conuincit ad illius temporis errores, respicere Apostolũ: Tam breui grassaturæ sunt hæreses istæ, vt iam velim te vigilare, & de his cõmonere tuos. Respicit igitur ad familiã Simonis, quæ Theologiam suam hausit potissimum ex philosophia Platonis. Et sicut Platonici peculiares sibi dæmones habebant, per quos purgari se credebant ad φιλίαν, et omnem veritatem: sic & schola ista Simonis. Quare doctrinam huius, doctrinam dæmoniorũ vocat: In præcedentibus meminimus Chrysost. Theoph. Oecu. Ambros. quibus adijciendus est August. Is contra Adimantum Manichæum cap. 14. cum locum hunc Apostoli exposuisset: In nouissimis temporibus, &c. Illos, inquit, propriè designat qui à carnibus temperant, non propterea vt concupiscentiam refrenent aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant. Non igitur hæc locum habent in Ecclesiam Romanam, quæ nullos cibos damnat, sed certum eorum vsum præscribit. Hæc si admonueris, bonus eris, id est, subseruiens Christo Iesu.

Enutriti verbis fidei) Græcis est participiũ verbi medij, vnde quidam interpretantur actiue, nec est præteriti temporis sed præsentis: *Assecutus*) dilucidius vertisset assectatus. Sensus est: quam vsque secutus es. Sic Græcanica scholia, in qua inquiũt educatus ab & ab adolescentia verbis.

Neptas autem & aniles fabulas deuita: exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Fidelis sermo & omni acceptione dignus.

Neptas autem & aniles fabulas.) Referunt ferè commentarij ad deuteroses Iudæorũ. Sed omnino verisimile est Apostolum respexisse ad somnia & fabulas hæreticorũ, quorum iam meminit siue Manichæorum siue Simoniacorum: (*exerce autem teipsum ad pietatem*) id est, secundum Chrisostomum ad fidem puram vitamq; rectam. Eodem modo interpretantur Græcanica scholia, vt pietas sit generale nomen complectens totum Christianismum. Ambrosius de operibus misericordiæ istud exponens nomine corporalis exercitationis, significari vult ieiunium quod prodesse dicit, sed parum, vt scilicet sit carnis frenum. Qui commentarius non placet. D. Chrysostomo: Verba eius sunt: Quidam hoc Apostolum de ieiunio aiunt dixisse, sed profecto errant, neq; enim est corporalis exercitatio ieiunium sed spiritualis. Nam si corporalis esset, corpus vtique nutriret, nunc vero illud macerat & extenuat. Intelligit ergo ipse per corporalem exercitationem, eam quæ corpus vegetum ac robustum reddit, quæque soli corpori ac commodata est. Sensus est, tu docebis populum, quæ iam te docui. Sed quantum ad te attinet, cogita te athletã, hoc est, quod dicit exerce. Nam imperatiuus est, à verbo γυμνάζω, sed exercitium tuum sit in pietate. Nã corporalis exercitatio quæ est istorum vulgarium athletarum parum confert, & non nisi ad præsentem vitam. Pietas autem magna parit commoda, non hic solum, sed multo magis in futuro. Istud ergo: Nam corporalis exercitatio, &c. ratio est similitudinis inuolutæ in verbo, exerce: Sic Chrysostomus. Cuius rei gratia inquit corporalis exercitationis mentionem facit: vt scilicet ex collatione huius ostenderet eminentiam. Idem habent Græcanica scholia. Comparatio inquiunt est à minore.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus) Chrysostomus refert ad præcedentia, & fauet coniunctio (enim) quæ sequitur. Sensus est: Quod iam dixi de pietate, eam habere promissionem tum præsentis tum futuræ vitæ, certum & indubitatum est, dignumque quod modis omnibus acceptetur.

In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maxime fidelium. Præcipe hæc & doce.

In hoc enim) huius rei gratia ob spem veræ

vitæ æternæ: Expletiue enim additur illud, quia speramus in Deum viuum. *Laboramus*) Magnos labores subimus (*& maledicimur*) id est, contumelias, iniurias & etiam maledicta sustinemus: Illud (*qui est Saluator omnium*) variè exponitur: Quidam referunt ad salutem corporum, vt intelligatur illud cõseruare quod consequitur creationem: Nã omnia creata virtute diuina conseruantur, ne in nihilum recidant. Secundum quam interpretationem melius verteretur, seruator, vox est, quam etiam agnosceret Cicero. Nõ enim est propria Christo, qui saluator dicitur propriè, non seruator: nam sunt diuersæ notiones harum vocum. Ad eundem modum accipitur in Psal. Homines & iumenta saluabis Domine. Alij referunt ad salutem animæ, quorum commentarius optimè intelligitur ex lib. Augustini, quo respondet ad articulos sibi falsò impositos. Verba ipsius annotauimus in enarratione illius loci: Vnus mediator Dei & hominum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Alij de vtraque salute interpretantur, hoc sensu: qui in hac vita saluator est omnium hominum, in futuro autem non omnium, sed fidelium solum (*præcipe hæc*) scilicet quę iam dixi.

Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.

Nemo adolescentiam tuam contemnat.) Sensus est: quantum in te est adnigila, ne merito contemnaris. *Exemplum esto fidelium*) id est, typus & forma, ex cuius vita & moribus ipsi vitam suam & mores exprimant. In quibus autem ipsum velit esse typum & exemplar alijs, explicat dum adiungit (*in verbo*) id est, doctrina, exprimant alij tuam doctrinam, ne misceas doctrinam dæmoniorum aut μαθολογίαν. *In conuersatione*) id est, vita & viuendi consuetudine. Castitatem dicit puritatem totius vitæ.

Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his esto vt profectus tuus manifestus sit omnibus.

Noli negligere gratiam quæ in te est) id est, quam accepisti ad institutionem Ecclesiæ, & omne religionis obsequium: Græce est χάρισμα id est, donum, et interpretantur græca scholia authoritatem docendi. Quæ (inquit) *data est tibi per prophetiam*) quando diuini spiritus instinctu elegi te in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopum. Accipitur prophetia enim hoc loco quomodo in primo cap. Secundū præcedentes in te prophetias: *Cum impositione manuum presbyterij*:) præpositio, cum, hoc loco instrumentum significat non comitem. Sensus est: per impositionem manuum presbyterij: Non de presbyteris ait Chryso. sed de Episcopis istud dicit Apostolus. Non enim presbyterieum ordinarunt, Accipit ergo ipse nomen presbyterij chorum presbyterorum, id est, Episcoporum, quibus dantibus & imponentibus manum Timotheus creatus est Episcopus, & confirmatus, quamuis ad id muneris à Paulo per Propheriam electus fuerit. Ad eundē modum interpretantur Græcanica scholia. Quare indocta est illa annotatio Erasmi in hunc locum, qui habet, Antiquis inter presbyterum, sacerdotem, & Episcopum nihil interfuisse, Inhæsit Erasmus nimis Hieron. debuerat & aliorum veterum sententiam expendere & conferre.

1. capi. huius epistola.

Hæc meditare) id est, hæc exerce. Est enim meditari studiose exerceri in re aliqua: In his esto vt profectus tuus manifestus sit (*omnibus*) Græce additur præpositio, in omnibus, etiam in doctrina. Quamquam incertum est an ad res, vel ad personas pertineat.

Attende enim tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluū facies, & eos qui te audiunt.

Attende enim tibi & doctrinæ, &c.) coniunctio enim, iuxta Græcos redundat: *Insta*) id est, persiste, siue perseuera in illis. *Hoc enim faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audient.*) Obseruandum hoc loco, quod Paulus Episcopum recte suo munere fungentem, saluatorem vocet. Quare nulla est impietas in sermone, quo D. virginem spem nostram dicimus, cum iuxta Scripturam & Saluatricem appellare eam liceat.

CAPVT V.

Seniores ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, iuuenes, vt fratres, anus, vt matres. iuuenculas vt sorores in omni castitate.

HActenus tractauit Apostl. locos quosdam communes fidei ac morum, de vero studio, de beneficio Christi, de præcibus publicis, de Episcopis quales esse oporteat, dixit etiam de erroribus breui exorituris: Nunc alia quædam prosequitur. Neq; enim necesse est in epist. seriem illam & totum ductum seruare. *Seniorem*) Græce est presbyterum, ætatis vocabulum, hoc loco non est ordinis: (*ne increpaueris*) Græce est ἐπιπλήξῃς, quæ vox significat plagam infligere, sed transferunt hoc loco ad id quod est aspere fæueque obiurgare. Eadem metaphora vsus est. 3. cap. nolens Episcopum esse πλήκτην, siue percussorem, hoc est, acrem obiurgatorem. *Sed obsecra*) quod Amb. vertit exhortare: Græca vox ambigua est. *Iuuenes*) Paulus habet iuniores. *Anus*) id est, mulieres ætate grandiores, Græce est, πρεσβυτέρους, eadem vox quæ in principio capitis, licet alterius generis. *Iuuenculas*) Rursus est iuniores. Sed verisimile est comparatiua posita loco positiuorum. *In omni castitate*) id est, puritate, vt ne suspicionem quidam incurrant alicuius mali. Verisimile est Apostolum hęc non admoniturum fuisse, nisi fuisset adolescens Timotheus.

Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet discant primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptū est coram Deo.

Viduas honora) prolixus hoc loco tractatus est de viduis, & nobis difficilis, propterea quod hac tempestate huiusmodi viduæ non reperiantur: quando autem incœperint instituta huiusmodi viduarū, & quando desierint, & num in commune vixerint, ex historijs petendum est. Multa de his habet Chrys. lib. 3. de dignitate sacerdotali. In hoc quod ait: quæ vere viduæ sunt, alludit ad Ethimologiam Græce vocis. Nam χήρα dicitur à verbo χήρω, quod est desolor ac destituo, siue orbo. Sed & in Latinis vidua à viduando dicitur, hoc est, orbando: hinc viduitas pro desolatione & solitudine. Sensus ergo est: quæ verè viduæ sunt, id est, omnino desolatæ ac destitutæ & non viro tantum orbatæ, ita paulo inferius explicat ipse Apost. Ita etiam vidua filios, aut nepotes habens: (*discat primum*) id est, secundum Amb. antequam vidua Ecclesiæ fiat, antequam ab Ecclesia sustentetur, & Ecclesiasticæ incumbat disciplinæ. Certo enim & peculiari modo viuebant: Loco, regere habet Amb. pie tractare: Græce est ἰδιοκυβερνᾶν, quæ vox significat imbuere, aut etiam exercere pietatē. Sensus est: discat familiam suam ad Christum instituere. *Et mutuam vicem reddere parentibus*) Redduntur vices parentibus, dum benefit filijs ac nepotibus, dum in timore Dei educantur. Græci codices qui hodie in manibus sunt, legunt (discant) numero multitudinis, vt ad filios & nepotes pertineat, qui sic instituendi sunt à matre vel auia, vt pij sunt erga progenitores: Atque in hanc sententiam interpretatur Theophyl. Verum Chrysostomus ad viduam refert, dicens, hoc esse reddendum in nepotibus, quod in defunctis parentibus

rentibus vidua non possit. Videtur ergo ipse legisse (discat) in singulari numero. Græcanica scholia cum primum de vidua interpretantur, secundo ad filios & nepotes referunt. Ex quibus discimus etiam Græcos codices id temporis variasse.

Quæ autem verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die, Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est. Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint.

Quæ autem vere vidua est) quod velut exponens, addit. *Et desolata*) vt coniunctio, &, epexegesin habeat. Sensus est: quæ non solum viro orbata est, sed & liberorum solatio destituta & nepotum, & breuiter omnium omnino hominum: *Speret in Deum & instet obsecrationibus.*) Si Paulus istud postulet à viduis vt assiduę sint noctuque & die in precibus, quid faciendum clericis: quid faciendum sacerdotibus: D. Ambrosi. indicandi modo legit, sperat in Deum, & instat siue perseuerat: quæ lectio Græcorum est, vt Apost. non præcipiat quid velit facere viduas, sed explicet descriptione quas veras viduas dixerit, Atque ita locum hunc interpretatur Chrysostomus.

Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est.) Participium, viuens, referri potest vel ad præcedentia, vel ad sequentia: Verum sensus argutior est, si referatur ad sequentia, quod faciunt Græci, vt duo contraria coniungat Apostolus, quasi dicat: Viuens non viuit, viuit quidem secundum corpus, secundum spiritum vero mortua est. Illud merito terrere debet sacerdotes, qui in deliciis agunt. Si, inquit Chrysostomus, ita prohibentur deliciæ, vbi ætas & sexus infirmior est, quid dicturi sunt viri qui se deliciis soluunt.

Si quis autem suorum, & maxime domesticorum non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Vidua deligatur non minor sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsequuta est.

Si quis autem suorum) Eras. non male vertit, si qua, scilicet, vidua, vt sit perpetuus sermo: & ad viduam pertinere admonent Græca scholia. Suos dicit qui eam genere contingunt, & quia contingit suos esse putant amicos, non autem etiam domesticos, id circo addit (*maxime domesticorum.*) Curam siue prouidentiam appellat tum illam, quæ circa animum est, tum illam quæ est circa corpus. Infideli deteriorem pronunciat, quia gentiles licet non omnibus ac saltem cognatis prouident naturæ lege inducti. Quod præcedit (*fidem negauit*) intellige negauit factis & opere, quanquam in intellectu fidem seruet.

Vidua deligatur, &c.) Quæstio hic est, num ad præpositam viduarum tantum istud pertineat, an ad omnes: hoc est, num eligi hoc loco sit præfici cæteris, an simpliciter admittiad consortium.

Si spectes vocem Latinam, non alienus fuerit prior sensus. Verum vox Græca significat simpliciter in numerum adscribi siue in catalogum redigi, quod pertineat ad omnes: & ita exponit D. Chrysost. Cæterum quod Paulus hic tam grandæuam requirit, nimirum sexaginta vt minus annorum, indicio nobis est non solam paupertatem in ipsis viduis spectatam fuisse.

Quæ fuerit vnius viri vxor) miranda hic Pauli seueritas qui nec septuagenarium ad eleemosynas ecclesiæ admitteret, si secundo fuisset nupta: vnde colligimus aliquid officij incubuisse istis viduis. Quod si istud in suis mulierculis requirit Paulus, quid mirum Ecclesiam in sacerdotibus id requirere: Bonum etiam argumentū est quod hinc ducitur contra Pomeranum, videlicet in precedentibus non dici vnius vxoris virum Episcopum, qui simul duas habeat vxores, vt ibi notauimus: (*si filios educauit*) s. vt oportet. i. si ad pietatem instituit. Paulus habet diction em compositam. (*si hospitio recepit*) & hic dictio composita est, atque ideo iucundior sermo. *Si sanctorum pedes lauit*) hoc addit, quia nonnullæ hospitio excipiunt sanctos: sed interim ancillarum non sua in illis excipiendis vtuntur opera: Non vult ergo viduam mollem & delicatam. Quod sequitur: *Si omne opus bonum subsecuta est*) Erasmus non male vertit, si in omni opere bono fuerit assidua.

Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: simul autem & otiosæ discunt circumire domos: non solum otiosæ, sed verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Adolescentiores autem) Erasmus comparatiue intelligit minores quam septuaginta annorum. Alij positiuè accipiunt pro adolescentulis siue iuuenculis, atque ita vertit Hieronym. in Epistola ad Geruntiam de Monogamia, & congruit magis sequentibus. Illud (*deuita*) satis incommode versum est. Græca vox significat reijce & refuta, hoc est, ne recipias alendas: (*cum enim luxuriatæ fuerint*) id est, vbi lasciuierint, qualem lasciuiam videmus in equis bene pastis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& cæteris iumentis, quæ cum pabulo ferociunt, atque abruptis habenis suopte feruntur arbitrio. Quod additur (*in Christo*) dilucidius vertisset, in Christum, id est, contra Christum vel aduersus Christum. Cum lasciuierint in iniuriam Christi, quem in sponsum & in maritum sibi delegerant. Sic Hier. & Græci interpretes: Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt) quia violauerunt votum siue professionem siue pactum cum Deo initum.

Refert hic obseruare, quomodo veteres hunc locum sint interpretati. Chryso. Oecumen. Theophylact. idem interpretantur διαθήκην, id est, pactum, Epiphanius ὑπαγγελίαν, id est, promissionem. Amb. professionem, Aug. votum, Vide Epiph. lib. 2. contra hæreses hæresi. 48, Vide Aug, de sancta virginitate cap. 33. & de adulter. coniug. cap. 4. Reliquos vide in commen. huius loci. Cum horum interpretatione conferantur commentarij Lutheranorum, qui fidem interpretantur de fide qua creditur Euangelio. In confirmationem suæ sententiæ adferūt, quod in præcedentibus Apostolus ea voce sic vsus sit, dum ait: Si quis suorum curam non habet, fidem negauit, quasi non & ab ipsis interpretibus aliter sumatur presbyter, dum dicitur in principio capitis. Seniorem ne increpaueris: & aliter dum sequitur: Qui bene præsunt presbyteri. Adferunt & aliud argumentum: dicunt nec Græcam, nec phrasin Hebræam habere, vt fidem irritam facere sit vota violare: sed videndū num de vocibus coniunctis loquantur, an de singulis seorsim: Voces has sic sumi in Scriptura patet. Nam Numerorum. 30. legimus: Si quis Domino votum vouerit, non faciet irritum verbum suum. Rursus: Vota irrita erunt. Rursus: Promissiones irritas fecit meas. Et cap. 17. Gen. Pactum meum irritum fecit, vbi est vox Hebræis propria. græca phrasis est in Epistola ad Hebr. Irritam quis faciens legem Moysi. Rursum in Psal. Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Et apud Marcum, capite. 7. Bene irritum fecisti verbum Dei, vbi est vox Pauli ἀθετεῖν.

Heb. 12. Psalm. 88.

Iam alteram vocem quæ est πίστις siue fides pro pacto poni, & promissione certum est in Epistola ad Romanos, vbi capite. 3. dicitur: nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit: Quare reiecta horum sententia, retinenda est interpretatio veterum tam græcorum quam Latinorum, vt intelligantur damnationi obnoxiæ, quia votum continentiæ violarunt.

VOlo erga iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt retro post Satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur Ecclesia: Vt ijs quæ vere viduæ sunt, sufficiat.

VOlo ergo iuniores nubere) non absoluta voluntate, sed ne lasciuiant & cætera admittant, quæ iam dixi. Sic Hieron. in Epist. ad Gerontiam, vbi vere insignis est. Et Chrysostomus in comment. huius loci. Illud, inquit, dicit non quod adolescentulas viduas esse nolit, sed quod adulteras esse vetet, nolens otiolas esse & loqui quæ non decent, ea causa sublata non prohibet iuniores viduas. Ad eundem modum interpretantur Græcan. scholia, & addunt: Volo iuniores nubere, scilicet, ante votum. Seipsas Christo non despondeant, inquiunt, & ita nubant: hoc enim peccato vacat, illud autem impium est & sceleſtum.

Illud (*matres familias esse*) græce iucundius est voce composita οἰκοδεσποτεῖν, id est familiam administrare seu gubernare: (*nullam occasionem dare aduersario*) vt maledicat fidei: hoc enim (*maledicti gratia.*)

Iam enim quædam conuersæ sunt,) Sensus est Christo quem in sponsum delegerant, contempto deflexerunt secutæ satanam. Hæc est causa quare adolescentulas nubere velit. Si *quis fidelis*) addunt græci codices: vel si quis fidelis habet viduas, subministret illis id est, sumptibus suis illas alat, & non onere Ecclesiæ. *Vt ijs quæ vere viduæ sunt sufficiat,*) scilicet Ecclesia, vt satis esse posset & idonea ad alendum vere viduas. Hic est finis tractatus de viduis: Quę iam sequuntur pertinent ad presbyteros.

QVi bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua.

PResbyteri) hoc loco est vocabulum ordinis, & refert Chrysostomus ad Præsules siue Episcopos, cui fauet verbum præsules siue Episcopos, cui fauet verbum præsunt. Honorem vocat subsidium, & non vult garem istum honorē vt discedere de via, aperire caput, flectere genu. Quod ait (*duplici*) græca scholia, dictum putant per comparationem ad viduas, quas in præcedenti tractatu honorari voluit Apostolus, hoc est, alij stipendio Ecclesiæ. Addunt & aliū commentarium, qui magis probabilis est: Duplici honore, inquiunt, id est, magno stipendio, vt iubeat Apostol. abundanter illis subministrari necessaria, quo libere valeāt, exequi munus suum (*dicit enim Scriptura, non alligabis os boui trituranti*) boues triturantes Episcopi sunt & doctores: Ita omnes commentarij

mentarij. Sed quæstio est num Apostolus testimonium hoc secundum allegoriam citet, an potius ad literam, vt in voce bonis metaphora sis: Quidam hoc, illud alij ample ctuntur: vtrunq; probabile est. Moris enim apud Palestinos, circumacto iumento triturare. Testimonio legis adijcit Apostolo. aliud ex Euangelio descriptum. *Dignus est operarius mercede sua,*) Mercedem intellige non seruilem & proprij nominis, sed necessariarum rerum subministrationem. Quæstio hic est, num Episcopi & Pastores qui nō præstant quod officij sui est, iuste requirant fructus. Ex iure diuino quod hic proponit Apostolus, nihil videtur ipsis debitum. Nam boues sunt non triturantes: Verum præter ius diuinum inspiciendum est ius canonicum, & ius ex legatis & fundatoribus proueniens piorum, qui bona sua reliquerunt Episcopis & alijs Ecclesiæ ministris.

ADuersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus: Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias, sine præiudicio nihil faciens, in alteram partem declinando. Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.

ADuersus presbyterum) Chrysostomus ad ætatem refert, quod nimirum est, præsertim cum secundum ipsum Timotheus Archiepiscopus fuerat. Ad ætatem quoque refert Theo. & Græc. scholia. Ambrosius significationem ordinis retinet, quod multo probabilius est: Id inquit, honoris deferas ordini Episcoporum, ne etiam pro tribunali sedens ad causam audiendam admittas accusationē contra eos, nisi hac cōditione. Ex hoc loco discimus cognitionem aliquā causarum forensium olim fuisse apud Episcopos. Et dicit Chrysost. partem hanc Episcoporum longe difficillimam esse, Ambr. quoque & Augustinus de huius rei difficultate quæruntur.

Peccantes autem coram omnibus argue) Sensus est: Nolo sic te parcere ordini quin Episcopos quos constiterit peccasse, vel quia per testes approbatum est, vel quia eorum peccata alijs manifesta sunt, arguere possis. Causam quare coram omnibus argui velit, explicat, dum addit. *Vt & cæteri timorem habeant,*) & timore contineantur in iustitia.

Testor coram Deo) id est, obtestor te interposito non solum nomine Patris & Filij, sed & sanctorum Angelorum, in quorum conspectu consistimus. *Vt hæc*) scilicet quæ dixi custodias. Secundum Ambrosium refertur ad ordinationem Ecclesiæ clericorum & viduarum. Alij interpretantur, vt ad iudicia tantum pertineat, hoc sensu: vt hæc quæ in præcedenti sententia dixi, custodias (*sine præiudicio nihil faciens,*) id est, nisi prius iudicaueris apud te, quid in tribunali sis iudicaturus. Cui sententiæ fauet quod sequitur: *In alteram partem declinando*) in quo alludit ad bilancem indifferentem ad vtrumque. Sensus est: commune & æquum his qui iudicandi sunt te præbeas, vt te nullus anticipet, nemo conciliet. Si Amb. sequamur, sensus huius: Sine præiudicio nihil faciens, hic erit: Nihil in omnibus absque diligenti indagatione siue dijudicatione præuia agas. Erasmus præiudicium in longè alia significatione accipit, scilicet pro præcipitato iudicio, cum ex concepta opinione temere quippiam agitur, & refert ipse ad præcedentia. Ad eundem modum interpretantur Græc. scho. Vt hæc custodias, inquiunt, absque præcipitatione iudicij, hoc est, vt nihil eorum quæ dicta sunt, temere & imprudenter, ac non præeunte iudicio & concilio agas.

Manus cito nemini imposueris,) scilicet ad absoluendum: Sic quidam. Verum Græca. schol. de ordinatione interpretantur, hoc sensu: Neminem ordines, nisi cuius vitam probe perspectam habeas: Neque communicaueris peccatis alienis,) Hinc colligimus quod is qui indignum instituit seu ordinat particeps efficiatur, & communicet peccatis, quæ ab ipso committuntur. Quod diligenter attendere debent, non solum Episcopi, sed & ipsorum conciliarij.

TEipsum castum custodi. Noli adhuc aquā bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

TEipsum castum custodi,) id est, purum & immaculatum. Magnam enim puritatem requirit religio. *Noli adhuc aquam bibere*) pro noli adhuc græce est μηκέτι, quod Erasmus vertit, ne post hac. Ex qua particula Hieronymus raciocinatur Timotheum vsque ad id tempus aquam potitasse. Commentarius Amb. in hunc locum sic habet: vult Deus prudenter sibi seruiri, ne nimietate debiles efficiamur, & postea medicorū suffragia requiramus. *Sed modico vino vtere*) Locus hic pulcherrime tractatur à Chryso. homelia prima ad populum Antiochenū.

QVorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

QVorundam hominum peccata manifesta sunt) siue vt græce est, ante manifesta sunt. Putat Chrysostomus hæc adiecta, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sciret Timotheus, quid in multitudine ordinandorum esset faciendum, Quorundā inquit, peccata palam incurrunt in oculos, seseque, pdunt, vt facile de ijs sit iudicare, at quæ hæc, non debent te latere: quorundam vero subsequuntur postea, dum electi sunt & ordinati, quæ perspicacibus lynceisque oculis obseruare debes: si quid præter hæc egeris, communicabis peccatis: *Similiter & facta bona manifesta sunt,*) Rursus est προόδυλα, id est, ante manifesta (*& quæ aliter se habent*) scilicet quam bonum est, id est, *Peccata abscondi non possunt*) quin tandem appareant & in lucem veniant.

CAPVT VI.

QVicunque sunt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt.

QVicunque sunt sub iugo serui, &c) quod tam studiose & toties in suis Epistolis hanc rem inculcet Apostolus, indicio nobis est, iam tum fuisse aliquos, qui male intelligentes libertatem Christianam, putarent cum hac non consistere seruitutem: maximè quæ dominis Ethnicis exhibebatur. Illud: Ne nomen Domini & doctrina blasphemetur) hunc habet sensum: ne nomen Christi & Euangelium, quod nos discipuli propagandum suscepimus, male audiat. Si enim domini seruos à fide Christi suscepta experiantur immorigeros aut contumaces, ascribent id doctrinæ Euāgelicæ, & in Christi doctrinam reijcient. *Qui autem fideles habent dominos non contēnant quia fratres sunt*) id est, Christiani sunt. Hinc discimus Paulum in præcedenti sententia monuisse seruos dominorum Ethnicorum. Illud: *Qui beneficij participes sunt*) id est, qui beneficentia iuuantur, referur ad seruos non ad dominos. Sensus est: Cogitent serui quod accipiant multa illa beneficia à dominis suis, ab illis siquidem aluntur, ab illis vestiuntur, eorum præterea munere Christiani sunt: reddant ergo beneficium, bene & fideliter seruiendo.

HAEc doce & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborū, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

HAEc doce & exhortare. *Si quis aliter docet*, redit ad id quod cœpit in prima parte Epistolæ, Græce iucundius est voce composita. Si quis ἑτεροδιδασκαλεῖ, id est, diuersa docet, id est, impertinentia siue ex deuterosibus Iudæorum, siue ex philosophia Ethnicorum, siue ex magia Simonis vel doctrinis dæmoniorum, Hodie aliter docent: non solum qui hæreses prædicant, sed etiam ij qui nugas adferunt & commentitia exempla vel falsa miracula. *Non acquiescit*) ad verbum est: & non accedit. *Sanis sermonibus*) Non est verisimile tunc inter Christianos fuisse qui Christi doctrinam reprehenderent. Quare quod dicit (*& non acquiescit*) intelligendum est hoc sensu & non consentanea dicit doctrinæ Christi. *Et ei quæ secundum pietatem est*) id est, quæ sapit cultum Dei, qui consistit in fide, spe & charitate: (*superbus*) subauditur verbum (est) Græce est τετύφωται, id est, inflatus est (*nihil sciens, sed languēs circa quæstiones*) Græce est νοσῶν, id est, ægrotans, sed transfertur hoc loco ad animū, vt νοσοῦντες, dicantur, qui desipiunt seu delirant, id est, animi morbo laborant, vt qui iudicant id sectandum quod non est sectandum qui magnum impendunt laborem in inquirenda veritate rei, non admodum frugiferæ ad fidei profectum, velut si sacerdos totam terat ætatem in studijs mathematicis. Reprehendit ergo hoc loco Paulus studia inutilia, & quæstiones futiles illorum temporum. Lutherani pertinere putant ad commentarios scholasticos in sententias Magistri conscriptos. Sed tales quæstiones plurimum frequenter adferunt frugis, quanquā fatendum est nonnihil à plerisque hac in re peccatum fuisse. Blasphemiā nonnulli commentarij interpretari videntur, vt sit vocabulum specialis nominis, sed probabilius est generaliter pro maledicentia poni: nāscuntur enim ex huiusmodi disputationibus & verborum pugnis (quas eleganter Apostolus λογομαχίας, dictione composita vocat) conuitia. Quod additur: *Suspitiones malæ*) interpretātur Græci opiniones & peruersa dogmata. Vocem Pauli Cicero intelligentiam vertit et notitiam: Est διάνοια. *Conflictationes*) Græcis non simpliciter est διαπλέκεσθαι, quo nomine congressus & disputationes scholasticas significant, sed addita præpositione παρά, quæ sæpius id efficit, vt vox cum qua componitur, in malam partem sonet. Significat igitur conflictationes inutiles & nihil ad rem pertinentes. In hunc modum interpretatur Theophylactus: παραδιατρίβεσθαι, inquit, id est, scholæ superuacaneæ. Scholia Græcanica putant metaphoram sumptam à scabiosis, qui mutuo confricta contactuque morbum communicant: Vt sensus sit: ex quibus oriuntur opinionum peruersorum dogmatum affricationes. Meminit huius cōmentarij & Theophylactus, meminit & Chrysostomus. Quēadmodum inquiunt, scabiosæ oues, si confricentur cæteris, etiam quæ sanæ sunt, morbo tentantur. Ita & hi homines, si simplicioribus quibusque inuersentur, venenata prauitatis eos inficiunt. *Qui veritati priuati sunt*) id est, quibus veritas adempta est, iuxta illud Publij: Nimium altercando, veritas amittitur. *Existimantium pietatem*) id est, religionem Christianam rem esse quæstuosam. Quidam Iudæi & gentiles ad fidē conuersi sectas suas miscebant Christianismo, atque hac ratione docendo, quæstum venabantur. De horum non vulgi auaritia loquitur Apostolus.

EST autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

EST autem quæstus magnus) visus est dixisse religionem non esse quæstum, hic corrigit se: Magnus, inquit, quæstus est pietas, sed nō ita quomodo isti existimant, sed excellentiori modo: nā parit æterna bona. Illud: *Cum sufficientia,*) Erasmus non male vertit, cum animo sua sorte contento: Græce est αὐτάρκεια, vocabulum philosophicum, significans vbi quis contentus est suis, nec aliunde desiderat quicquam. Talis erat Apostolus, ego inquit didici in quibus sum, id est, ijs quæ ad manum sunt, contentus esse. Ad Philip. cap. vlti. vbi est αὐτάρκεια, vox huius loci.

Nihil enim intulimus in hunc mūdum,) Si quis doctrinam hanc bene imbibisset, & frequenter ad memoriam reuocaret, nempe quod non plus secum feret ex hac vita discedens, rex aut princeps, quam agricola vel quis è plebe, sanè nihil præter vestimenta ad carnis nuditatem tegendam, & alimenta ad corpus in vita sulciendum necessaria, in hoc mundo appeteret.

NAm qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergūt homines in interitum & perditionē. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

NAm qui volunt diuites fieri) per occasionem detestatur studium pecuniæ, & præsertim in doctore Ecclesiastico: & reuera nihil tam perniciosum est, quam si Ecclesiasticus maximè qui est in sublimi loco, studeat congregandis diuitijs. Rationem eius reddit Ambrosius: Quanto, inquit, quis honorificentior ordine est, tanto magis sua debet imitandum se in hac re, quæ in vita ista procliuis est. Annotat Chrysostomus dixisse Apostolum non hoc modo: non qui diuites sunt, sed qui volunt diuites fieri, vt intelligas, non diuitias, sed harum cupiditatem damnasse Apostolum: *Incidunt in tentationem,*) Sensus est: qui tenentur studio pecuniæ, variè solicitantur ad diuinas leges & humanas transgrediendas. *Et in laqueum diaboli*) ita irretiantur varijs peccatis. *Et desideria multa*) & stulta & noxia. *Quæ mergunt*) vox Græca significantior est, quæ alte demergunt hominem, ita vt emergere nequeat. Admonitio hæc frequenter versare debet ante oculos eorum, maximè qui futuri sunt sacerdotes, vt animum studeant etiam dum adolescentes sunt, ab amore diuitiarum liberum seruare. Radix enim vnde omnia mala pollulare solent, est cupiditas, id est, studium pecuniæ. Non enim hoc loco est πλεονεξία, de qua voce aliquoties diximus, sed φιλαργυρία, quam Ambrosius hoc loco auaritiam vertit, quod annotandū est, ne quis de gloriæ, de imperij, vel de alterius generis cupiditate Apostolum loqui existimet. Auarus dum cupiditatem suam quæ inexplebilis est, explere cupit: & adulteria, & sacrilegia, & homicidia, & nihil non admittit, vt rectè exclamet Poeta. Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames. Et Sap. in Ecclesiastico: Auaro nihil est sceleratius, hic enim & animam suam vænalem habet. *Quam quidem appetentes*) Diximus Græcam vocem significare studium pecuniæ, quare mollius cum ea hæret, illud (quam) refert enim pecuniam, quæ vox in compositō nomine φιλαργυρία includitur. Errauerūt à fide) Hinc discimus, quam detestabile vitiū sit auaritia, quod hominē etiā in errorē deducit. *Et inseruerunt se doloribus multis*) Siquidem studium pecuniæ spinarum in modum stringentis: manus ex omni parte cruciat curis, vigilijs, & terroribus, ipsum trāsfigens. Sic Græca scholia. Et ad eundem modum interpretantur alij tam Græci quā Latini interpretes, Nā sine dubio locus ita interpretandus fuisset, si Græce locutus fuisset Apostolus, nunc autem Hebraizat dolores vsurpans pro ipsis sceleribus & malis culpæ. Hebræis siquidā AMAL, propriè laborē significat qualis est merentiū & eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui laborando artus fatigant. Vnde deflexerunt vocem ad significandum defatigationem, quæ, quia cum dolore plerunque coniuncta est, deinde pro dolore vsurpatur & postremo deflexerunt vocem ad ipsam culpam seu scelus designandum, quod dolorum causa est. Hebræorum magistri hanc vocem tractantes, multa proponunt significata, quasi ex æquo ad omnia illa pertineat, cum reuera vna tantum sit naturalis significatio eius, & varius flexus. Numero. 23. Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel. Illud (simulachrum) est dolor huius loci. Vnde Rabbi. Salomon interpretatur: non est præuaricatio in Israel. Alius: non est iniquitas, non est calumnia, non est labor. Chaldæus interpres: non est simulachrum, quomodo vertit Hieron. Eadem vox habetur Psal. 7. Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem pro dolore Hebraicè est AMAL. Sic Iob. 5. De humo non egredietur dolor, quod alius vertit, è terra, non orietur peruersitas. Esaiæ. 10. scribentes iniustitiam scripserunt. Omnibus his locis est AMAL. Vult ergo hoc loco Apostolus auaritiam non esse solam, sed qui vitio huic deditus est, multis se maculare peccatis. Nã quod diuitiæ curas adferant, palam est, post quam in errorem fidei pertraxerunt.

TV autem ô homo Dei, hæc fuge, sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quã vocatus es & confessus bonam confessionem coram multis testibus.

TV autem ô homo Dei) id est, qui populo in rebus Dei præes, qui pastorem agis & Episcopum. *Hæc fuge, sectare vero iustitiam*) Non dixit ab his discede, illis vero adhære: sed quod vehementius est, fuge, & persequere, siue vt noster vertit interpres, sectare. Est ergo epithasis in his duobus verbis. Qui omnibus modis agit, vt auctior in iustitia sit hoc anno quam erat superiori, is sectatur iustitiam. Pietas hoc loco non est θεοσέβεια sed εὐσέβεια, Virtutes quas hic enumerat, necessariæ sunt Episcopis.

Certa bonum certamen) hoc propositum est Christianis, id significat genitiuus (fidei) qui additur: (*apprehendere vitam æternam*) quę palma est certaminis huius (*in quã*) siue ad quam (*vocatus es, &*) cuius gratia, *confessus es bonam confessionem*) iuxta Amb. & Græc. schol. Apost. commonefacit. Timo. voti siue professionis factæ in Baptismo, Comment. Amb. rectius intelligetur, si conferatur cum cap. 20. libri quem de Eccles. Hierarchia, conscripsit Diony. in quo actio Baptismi pulcherrime explicatur.

PRæcipio tibi coram Deo qui viuificat omnes, & Christo Iesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens rex regum & Dominus Dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videri potest, cui honor & imperium sempiternum, Amen.

PRæcipio tibi coram Deo) nomen est personæ: siquidem partem significat. Addit illud Apostol. vt quæ mandat velut ab ipso Domino accepta custodiat Tim. & semper testem sub quo hæc audit ante oculos habeę commoueatur animo: Sic Chry. quanquam non tam propter Timo. quam propter eius successores putat Ambr. Apost. hæc dixisse. Valde in loco posuit illud (*qui viuificat omnia.*) Si quidem adhortatur Timo. ad certamen subeundum. Apte etiam postquã meminit Christi, adiecit. *Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato*) vt in hunc respiciens Tim. excitetur ad paria. *Mandatum*) illud intelligit, quod supra posuit: Certa bonũ certamen fidei. Quanquam alij heterosin numeri esse volũt, & sensum esse: Vt serues quæcunque mandaui. Quod sequitur (*sine macula*) Græcis est vnica dictio compolita & adiectiua. Hæc Eras. refert non ad mandatum, sed ad ipsum Timo: Nam in hunc modum vertit: At serues præceptum immaculatus & irreprehensibilis. Græcus sermo vtrumque admittit, & sensus semper eodẽ recidit: *Vsque in aduentum Domini*) Paulus & Apostol. semper ante oculos habens diem iudicij, non ad terrorem solum, sed imprimis ad consolationem.

Hinc illa frequens mentio aduentus Domini in Epistolis & concionibus ipsorum (*quem*) refert aduentum, non Christum: quod ex Græcis liquet, quanquam Græcis non sit παρουσία, id est, aduentus, sed ἐπιφανεία id est, apparitio, quam suis temporibus, id est, sibi soli cognitis ostendet beatus ille: præponitur enim Græce articulus: (*& solus potens*) Græce nomen substantiuũ est, & talis planè vox qualis est Latinis satrapa: vnde Eras. vertit, solus princeps, Græca voce vsus est Cicero ad Atticum, & ethimologiam eius exprimens Strabo, dicit reges δυνάσας vocari, propterea quod plurimum possunt, pollentque. *Solus*) excludit non Christum, sed eos qui alterius sunt naturæ: Iam propter creaturas addendum est, solus potens, scilicet ex sua natura. Nonnulli Platonici interpretantur hoc, hoc sensu: Apud Deum est perfecta Idæa, & exemplar potẽtiæ: His libẽter accedit Aug. Verisimile est Paul. hæc posuisse, ppter scholã Simonis:

Solus

Solus Deus potens est, Solus ipse per se habet immortalitatem, non sunt immortales vllæ potestates per se, quod vult Simon Magus & eius soboles. Solus Deus inhabitat lucem inaccessibilem: nam comprehendi nequit. De videndo Deo vide Aug. ad Paulinum Epistola. 102.

DIuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum, Amen.

DIuitibus huius seculi præcipe) scilicet ne elato sint animo, nec arroganter de se sentiant, ne persuadeant magnos se esse. Iucundius Græce composita voce est ὑψηλοφρονεῖν. Præcipe præterea, ne spem ponant in diuitiarum incertitudine, hoc est, phrasi Hebræa, in diuitijs incertis. Est elegans epitheton diuitiarum huius temporis, quas qui hodie habet, an cras habiturus sit, nescit. Sed *in Deo viuo qui præstat nobis omnia abunde*,) id est, diuiter siue opulentè. Est enim græce πλούσιος.

O Timothee depositum custodi) id est, serua quod tibi à me commissum est. Sentit dispensationem Euangelij, id est, doctrinam siue docendi rationem, quam illi in initio commendarat. Locum hunc insigniter tractat Vincentius Gallus in doctissimo illo libello, quem conscripsit aduersus hæreticos. *Deuitans prophanas vocum nouitates,*) Proprium erat sectatoribus Simonis Magi prodigiosas habere voces, & quidem rerum inanium: Has intelligit Apostolus per κενοφωνίας, quæ vox si in principio scribatur diphthongo αι hoc significat quod vertit interpres: Si vero per ε, vocum inanitates significat, atque ita legunt græcanica scholia. Res quam tractat hic Apostolus, tota petenda est ex historia antiquitatis, cuius diligens imprimis scriptor est Epiphanius: *Et oppositiones falsi nominis scientiæ*) siue falso appellatæ scientiæ. Pro (falsi nominis) græce est vox composita, qua vtitur & Epiphanius qui optime explicat, quæ fuerit hæc falso dicta scientia: Hæresis fuit gnosticorum. Chrysostomus quoque in commentarijs huius loci nominatim meminit gnosticorum: Item Theophylactus: (*quam quidam promittentes*) id est, profitentes sicut dicimus professores linguarum: (*Circa fidem exciderunt*) græca vox propria est his, qui à scopo aberrant: Vsus est eadem Apostolus in primo capite huius Epistolæ, vbi interpres aliter eam transtulit dum ait: A quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, & cætera, gratia tecum, Amen.

Finis Epistolæ primæ ad Timotheum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN POSTERIOREM EPISTOLAM CATHOLICAM D. PAVLI AD TIMOTHEVM EXPOSITIO.

P. ADAMI SASBOVT
DELPHII.

ARGVMENTVM.

ARgumentum huius Epistolæ idem est, quod prioris ad Timotheum: quod hæc in genere, id prior in specie explicat: quare vice commentary hæc nobis erit. Tantum de argumento.

CAPVT I.

PAVlus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu Timotheo charissimo filio, gratia & misericordia, & pax à Deo Patre nostro, & Christo Iesu Domino nostro.

SAlutis loco gratiam, misericordiam pacemque precatur: quæ quid inter se differant, dictum est in præcedente Epistola. Illud (*Apostolus secundum promissionem vitæ*) Hebraismum habet. Sensus est: Apostolus sum vt doceam promissionem vitæ, quæ contingit per Christum: siue vitæ, quæ propria est Euangelio ac Christianismo, quæ est futura vita: Nam præsens vita est legis. Hæc de salutatione. Sequitur exordium.

GRatias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lachrimarum tuarum, vt gaudeo implear, recordationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quod & in te.

GRatias ago Deo meo cui seruio) siue quem colo: nam Græce est λατρεύω, de qua voce est dictum in Epistola ad Romanos. (*à progenitoribus*,) id est, ita vt factum est à progenitoribus, siue à maioribus meis: Significat se natum ex ijs, qui longa serie retro fuerunt cultores Dei. *In conscientia pura*) id est, in vitæ puritate. Siquidem Paulo familiare est, conscientiam vsurpare pro vita, quemadmodum in commentarijs huius loci annotat Chrysostomus. Alij conscientiam proprie accipiunt, & (*à progenitoribus*) exponunt à prima vita, vt sensus ille sit. Nunquam etiam cùm Ecclesiam persequerer, aliter docui quam sentirem, quam etiam conscientia dictaret mihi. *Quod sine intermissione habeam tui memoriam*,) id est, quod vsque tui mentionem faciam in precibus meis, quas fundo ad Deum nocte ac die. Et nobis semper captanda sunt tempora orandi & per diem & per noctem, cum tum fouetur pietas (*desiderans te videre.*) Teneor, inquit, desiderio videndi te ja vinculis his: *Memor lachrymarum tuarum*,) quas scilicet fundebas in proximo à me discessu. Illud per hyperbaton interiectum est. *Vt gaudio implear*) cupio inquit te videre, vt gaudio lætitiæ de te implear. Quod sequitur (*recordationem accipiens*) referendum est ad desiderans: desidero te videre, quia recordor fidei tuæ non fictæ, id est, synceræ tuæ fidei: (*quæ & habitauit*) firmiter inhærere & permanere, exponunt Hebræi per habitare: *In auia tua Loide. & matre tua Eunice*,) Postremus nomen à victoria Græcis dicitur, non vt quidam interpretantur à fortuna quæ ipsis appellatur τύχη. *Certus sum autem*,) Græce est πέπεισμαι, id est, persuasus sum. *Quod & in te*) scilicet ea fides inhabitet. Ex hoc loco discimus vocem Græcam πείθομαι pertinere ad quamuis persuasionem natam ex certis aliquibus indicijs, & non ad eam solum quæ fidei est. Nemo enim dixerit Paulum fide Christiana credidisse Timotheum fuisse fidelem, & alienum ob omni affectu gentilitatis & Iudaismi. Locus notandus est propter Lutheranos, qui vocem hanc vrgent cap. 8. ad Ro. ad statuendum dogma suum, quod conceperunt de fide speciali. Non minus illustris locus est cap. 15. ad Ro. Certus sum autem & ipse de vobis, quod pleni estis dilectione. Rursus cap. 6. Epist. ad Hebr. Confidimus de vobis meliora & viciniora saluti: quibus locis certum est πίστεως μᾶι, ad aliam pertinere persuasionem, quam sit ea quæ ex fide nascitur.

PRopter quam causam admoneo te, vt resuscitet gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuũ mearum. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis.*

PRopter quam causam.) Quia spectata est mihi fides tua, quam velut hæreditarium bonum à parentibus accepisti. *Admoneo te vt resuscites*) metaphora sumpta est ab igne, qui follibus excitatur. Hoc liquet ex Græca voce ἀναζωπυρεῖν, qua hoc loco vsus est Paulus: (*gratiam Dei*) id est, donũ spiritus quod accepisti ad institutionem Ecclesiæ, & omne religionis obsequium: (*per impositionem manuum mearum*) videlicet quando te Episcopum instituí & consecraui. Donum hoc excitari vult attentione & diuinis negotijs & exercitijs: Nos quoque nisi gratiam Dei nobis collatam, quotidie tum precibus, tũ pijs meditationibus velut quibusdam follibus suscitemus, mox sentiemus spiritum nostrum refrigescere, & tandem extingui.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris.) Hic quæritur, quibus, nobis Christianis: an Episcopis. Commsntarij non satis explicant: Circunstantiæ literæ exigere videntur, vt Episcopos intelligamus, quibus per impositionem manuum peculiaris data est. Nobis igitur qui Episcopi constituti sumus, non dedit Deus spiritum timoris. Græce est δειλίας, quæ vox proprie de ijs dicitur qui ob ignauiam refugiunt & detractant periculum, animoque sunt pauido. Vtitur ea Aristoteles in ethicis, & ab interpretibus vertitur timiditas: (*sed virtutis*) id est, potentiæ, roboris, fortitudinis, vt audeamus periculis nos exponere. Est enim Græce δυνάμεως: (*& dilectionis*) vt non deseramus proximum: (*& sobrietatis*) vt in aduersis simus sobrij, id est, sanæ mentis. Alia hoc loco vox est quam capite. 2. prioris Epistolæ, vbi est σωφροσύνη, hic σωφρονισμὸς, quod verbale est à verbo σωφρονίζω, quod moderari significat & refrenare. Quare sensus est: datus est nobis spiritus per quem tristia quæ nobis occurrerint, & aduersa quæque ita moderamur, vt neque deijciamur animo grauiterque ea feramus, sed planè moderatè.

NOli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora Euangelico secundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia.

NOli itaque erubescere testimonium Domini, &c. Non pudeat te Euangelij, neque apud paganos qui concionem crucis reddent, atque ob eam persecutionem mouent, neque apud sectatores diuersa docentes, & veros Euangelistas traducentes: Sed *collabora Euangelio*) sic dilucidius vertisset: simul affligere cum Euangelio, hoc est, particeps esto afflictionum quæ prædicationem Euangelicam comitantur. Est enim Græce συγκακοπάθησον. Et quia supra hominem aliquid requiritur, idcirco addit: *Secundum virtutem.*) Scio inquit non humanæ virtutis esse pati pro Euangelio, verum in afflictionibus & tormentis aderit tibi Deus. *Qui nos liberauit*) Ambrosius legit saluauit, imitatus Græcos: *Et vocauit vocatione sancta*) (sanctam dicit, quia cum peccatores essemus, sanctos nos fecit. Sic Chrysostomus: Meminit autem salutionis, & vocationis, vt doceat quantum adiumentum Dei sit expectandum in persecutionibus: Ac si dicat, cogita qualis eras ante vocationem ad fidẽ, & qualis postea euaseris: Quod sensisti à vocatione, id multò vberius senties, vbi inciderit periculum vitæ propter Euangelium. Postquam accessisti ad fidem, sensisti magnam mutationem & mirabilem virtutem spiritus, maiorem senties grassante persecutione. Istud est frigidum apud eos, qui non senserunt potentiam hanc & efficaciam diuini spiritus, & qui sentiunt hodie parum sentiunt, si spectentur primitiuæ Ecclesiæ. Quod sequitur, *Non secundum opera nostra*) magnum adfert pondus exhortationi. Secundum Chry. argumentum est à minori. Si tanta nobis præstitit Deus, nullis nostris meritis præcedentibus, imo cum inimici essemus, multo magis cum operantes filios viderit: cooperator accedet. Vbi notandum in commentarijs Chrys. contra hostes liberi arbitri, Deum cooperari nobis. *Propositum*) opponit Apostolus merito operum, ac si dicat: secundũ gratuitã electionẽ, secundum merũ beneplacitum vocauit nos (*secundum gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu*), i. per Christum Iesum. *Ante tempora secularia*) id est, antequam cœpissent cum seculo tempora ista, quæ spacijs suis voluũtur &

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur & transeunt. Sicut enim Pater ab æterno prædestinauit nos saluare, ita etiam ab æterno modum salutis nostræ præuidit. Quod ergo dicit: quę data est nobis, intelligendũ est, prouidentia diuina.

1. Timo. 2. b

Manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium, in quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister gentium. Ob quam causam etiam hæc patior. sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.

Manifestata est autem nunc, &c.) id est, patefacta est hęc gratia & declarata. Per *illuminationem Saluatoris*) id est, per illustrationem. Erasmus vertit per apparitionem. Vocabulum Græcum ἐπιφανείαν vtrunque significat. Interpres vltimo capite præcedentis Epistolę, aduentum, vertit: *Qui destruxit mortem*) quia eum qui mortis habebat imperium, id est, diabolum deuicit, & stimulũ mortis, quod est peccatum aboleuit in cruce, omnibusque obtemperantibus sibi promeruit immortalitatem. *Illuminauit autem*) id est, in lucem produxit ostendit & patefecit nobis vitam. Vt intelligamus qua in re ea posita sit, & quo modo ea obtineri possit, porro ne accipias de vulgari vita, adiecit: *Et incorruptionem*) id est, vitam æternam in lucem produxit. *Per Euangelium*) quod attulit in mundum. *In quo*) siue in quod, nempe Euangelium. Nam Græce est εἰς ὃ. *Positus sum ego prædicator & Apostolus & magister gentium. Ob quam causam*) quia annuntio Euangelium & resurrectionem corporum. *Hæc patior*) vincula videlicet & carceres: *Sed non confundor*) eadem vox est quæ supra: Noli erubescere. Sensus est, non pudet me vinculorum.

Scio enim cui credidi:) Credere istud ambiguum est, tam apud græcos quam apud Latinos. Significat enim & fidem habere & committere. An in priori vel in posteriori significatione accipiat hoc loco Apostolus, non satis liquet ex textu: verisimile tamen est, in priori ipsum vti voce hac: (*& certus sum*) hic rursus est πεπεισμαι, de qua voce superius dictum. *Quia potens est depositum meum seruare.*) Qui bonum aliquid agit in vita hac, is illud deponit quasi apud Dominum, recepturus vbi iudicij dies aduenerit. Est autem hoc loco hyperbaton, ordo iste est: Scio & certus sum, quod is cui credidi, potens sit, quicquid apud illum depono, seruare in illum diem. Expatiatur hic Chrysostomus aduersus eos, qui contemnunt suos præpositos ob corruptos mores: locus lectu dignissimus est.

Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

Formam habe sanorum verborum.) Est hic alia prorsus materia. Notanda sunt loca prioris epistolæ de prophanis vocum nouitatibus, de oppositionibus falso appellatæ scientiæ, de ijs qui non accedunt tanis seruonibus, sed aliter docent. Istorum contemplationem dicit Apostolus: *Formam habe sanorum verborum,*) Pro forma Græce est, ὑποτύπωσιν, quæ vox sumpta est a pictoribus, qui antequam colores inducunt, lineas trahunt & imaginem adumbrant, quod in comment. sic explicat Chrysostomus. Pictorum more imaginem tibi virtutis impressimus, & omnium quæ Deo grata sunt velut normam primitiuam que formam indidimus animo tuo. Hanc igitur retineto firmiter, & siue de fide, siue de charitate, siue de castitate opus sit loqui aliquid aut deinde tibi exemplaria accipe. Sensus est: habe, id est, retine: frequenter enim sic accipitur Græcorum ἔχω: formam id est, informationem à me animo tuo impressam, siue illa scripto, siue voce sit tradita. Augustinus de doctrina Christiana docet pleraque in diuinis ad certam legem eloquenda esse. Tale aliquid monet hic Apostolus docui te methodum explicandi mysteria, hanc retine. Ex eo quod sequitur, quæ à me audisti, Discimus hanc hypotipolin viua voce traditam esse. Et Chrysostomus vrget verbum audisti, pro auctoritate traditionum, de quibus & hic, sicut ad Thessalo. magnifice sentit.

Quod additur (*in fide & dilectione*) plane Paulinum est, nec græcum nec Latinum. Sensus est: habe formam sanorum verborum quæ sunt de fide, siue quæ versantur circa fidem & dilectionem. Vt præpositio, in, materiam significet siue obiectum. Neutram quamuis fidem quis accipiat, addit: *In Christo Iesu*) ac si dicat, in fide consentanea Christo. Est restrictio fidei & dilectionis.

Bonum depositum custodi, &c.) Depositum vocat ipsam informationem doctrinæ de fide, dilectione, & alijs rebus fidei religionique, quam apud Timotheum veluti egregium thesaurum deposuerat. Discimus ex hoc loco, tempore Pauli non apud vulgus, sed apud episcopos deposita fuisse mysteria religionis: Plebi id tantũ sciendũ est, quod ad mores formandos, & ad vitam pertinet. Hæc est Theologia Nazianzeni & reliquorũ veterum.

veterum. Porrò quia erat difficilè puritatem doctrinæ seruare inter tot hæreses, præsertim homini iuueni, idcirco addit: *Per Spiritum Sanctum*) ac si dicat: cura gratiam Spiritus habere in te manentem, & facilè custodies egregium hoc depositum.

Scis enim hoc, quòd auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phygellus et Hermogenes. Det misericordiã Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. Et quanta Epheſi ministrauit mihi, tu melius nosti.

Scis enim hoc) illud (enim) non est in Græcis, neque in vetustis Latinis exemplaribus. *Omnes in Asia sunt*) id est, omnes Asiatici. Intelligit autem de ijs qui nunc Romæ agebant. Sic Chrysostomus, vnde annotat Græca. schol. præpositionem (in) positam loco (ex.) Omnes qui ex Asia sunt. Excipit autem Onesiphorum. (*Det*) (inquit) *misericordiam Dominus Onesiphori domui*) toti familiæ bene precatur, & misericordiam optat propter herum. Hic, inquit, me sæpe refrigerauit, id est, refocillauit siue verbo, siue substantia & subsidio. *Dedit illi Dominus inuenire misericordiam à Deo*) Græci codices legunt, à Domino: quomodo etiam habent vetusta Latina exemplaria. Phrasis hæc, det illi Dominus à Domino: Hebræa est. Similis est in Gene. cap. 19. Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur à Domino. Rursus Esaiæ 8. Ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israël à Domino, id est, à seipso. Sic Chrysost. Vsurpant enim Hebræi nomẽ personæ loco pronominis reciproci: Vel est similis phrasis illi qua dicimus: Oues tactas de cœlo, id est, cœlitus. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino, id est, diuinitus: (*in die illa*) significat diem iudicij. Certum est non optare hic Paulum misericordiã Onesiphoro in illa die, quasi ei optet condonari tunc mortale peccatum, cum ante tribunal Christi post hanc vitam non sit remissio. Quare hoc sensu intelligendũ est quod ait, sic eum gubernet Dominus in hoc mortali corpore, vt declaretur in illa die misericordia Dei ipsi fuisse exhibita. Vel hoc modo: det ei inuenire misericordiam, id est, effectum misericordiæ, idq; in corpore. *Et quanta Epheſi ministrauit mihi.*) Illud, mihi non est in Græcis codicibus, nec commentarij dant eius vllam significationem, imo Ambrosius exponit vt locum non habet.

CAPVT II.

Tu ergo fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commẽda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere.

IN primo capite duo potissimum egit Apost. hortatus est ad subeundum martyrium, & ad studium confirmandæ puritatis doctrinæ contra hæreses, quæ duo etiam in hoc 2. cap. miscet. Priora capitis pertinent ad solicitudinem doctrinæ. Quæ sequuntur, propria sunt solicitudini ad martyrium.

Tu ergo) Quia, inquit, destitutus sum ab Asianis (*confortare tu*) id est, esto constans, fortis, & robustus (*in gratia*) id est, in docendo ac propagando doctrinam de gratia quæ est per Christum: Perge, inquit, docere Patrem reconciliatum humano generi, idq; per vnicum Filium, per vnicum mediatore Christum. Non moreris hic Iudæos, qui quærũt iustitiam quæ ex lege est, neq; moreris Simonis scholam quæ induxit alios mediatores. Vel confortare in gratia, id est, per gratiam quam habes adiuuantem. Prior expositio Ambrosij est, cui fauet materia subiecta: Posterior vero Chrysost. cui fauet vsus Scripturæ.

Et quæ audisti à me.) Locum hunc aliter distinguunt Græci codices, aliter Latini. Iuxta Græcos ibi: per multos testes, perfecta est periodus, & principiũ nouæ periodi ibi est: hoc commenda. Iuxta Latinos verò finitur periodus ibi: in Christo Iesu, & quod sequitur: quæ audisti à me, refertur ad verbum, commenda. Iuxta priorem distinctionem subaudiendum est (in his) quod in translatione sua expressit Erasm. vertit enim ad hũc modum: Tu ergo fili mi, fortis esto in gratia quę est in Christo Iesu & in his quę audisti à me per multos testes. Latinorum distinctionem sequitur Chrysost. Ea, inquit, quæ audisti à me per multos testes non clam, nõ secreto, sed coram multis alijs: (*commenda*) non dicit esse, sed velut thesaurum crede. Clemens lib. 7. Hypotyposeon (vt referunt Græca. scho.) illud per multos testes interpretatur, per testimonia ex lege & prophetis à me inducta. Quæ interpretatio multum diuersa est à Chrysost. sed nõ minus insignis. Vult autem ea commẽdari non quibusuis, sed (*fidelibus hominibus*) id est, qui fide & nõ rationibus humanis metiuntur doctrinam Euangelij, vt Simon & eius familia. Sic Chrysosto. Habet & alium commentarium qui magis ad rem facit. Vel fidelibus, inquit, qui prodituri non sunt gratiam prædicationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

leuiter, nec hoc contentus Apostolus: adiecit. *Qui idonei erunt & alios docere.*) Hinc patet non sermonem esse de laicis, sed de presbyteris & Episcopis, vt rectè annotant Græci schol. & ante hæc Ambr.

Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Nã & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit.

Labora sicut bonus miles) id est, feres afflictiones: Nam id significat κακοπαθεῖν, qua voce vsus est in præcedenti capite. *Sicut bonus miles*) id est, egregius miles Christi: *Nemo militans Deo*) illud Deo, non est in Græcis exempl. nec Latina omnia habent, & omnino videtur esse absoluta & generalis sententia, ex qua tamen Paulus aliquid inferre vult ad rem pertinens. Nemo qui militat, rem domesticam curat, sed imperatoris sui negotium agit. Multo magis id conuenit facere eum qui militat Euangelio.

Negotia secularia) vocat victus & vitæ occupationes, vt patet ex Græcis vocibus. Miles, inquit, nõ est solicitus de victu, sed rem victoriæ agit: *Vt placeat ei, cui se probauit*) id est, duci & imperatori exercitus, siue ille qui agit delectum. Erasmus vertit, vt ei qui se in militiam delegit, placeat. Atque ad eum modum habent Græca. Vnde magna suspicio est interpretem vertisse: non, cui, sed qui se probauit. Consulenda sunt vetusta exemplaria.

Nam & qui certat in agone) id est, athleta (*non coronabitur*) Græce est στεφανῶται, id est, coronatur, quod ad molem sententiæ accommodatius est, pro eo quod est, non meretur coronari, nisi omnes leges athletarum præstet, non satis est quomodocunque certare, sed vincere oportet.

Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere. Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundùm Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum.

Laborantem agricolam.) Vis facienda est in eo quod ait, laborantem, quod accipit Chrysost. & post eũ Theo. de acri & difficili labore propter vocẽ Græcã κοπιῶντα, quæ potest vel præsentis tempotis esse vel præteriti, magis hic conuenit significatio præsentis, maximè dum aduerbium, primũ cum Eras. referimus non ad verbum, accipere, sed ad ipsum participium, hoc modo: Oportet agricolam accipere fructus, sed si prius laborauerit. Sunt autem hæc tria: Nemo qui militat, &c. Is qui certat, &c. Laborantem agricolam, &c. paradigmata iuxta Chrysost. & Theophy. id est obscuræ sententiæ & parabolæ, quæ ex dimidio aperiunt rem, & ex dimidio relinquunt coniciendam. Quia verò id exigit natura paradigmatum & parabolarum vt generatim accipiantur, non aliter interpretari debent tres superiores sententiæ, quàm si in Cicerone reperiãtur, quamuis alio accommodentur. Ex quo plane verisimile fit, datiuum (Deo.) Nemo militans Deo, redundare: Et ex eodem fonte patet hoc loco, secularia negotia, non esse negotia quæ Ecclesiastica non sunt, sed occupationes quærendi victus. Mirum verò cur Paulus tam solicitus hic sit de Timotheo, cuius fidem tam habebat spectatam, nisi nobis hæc velit dicta, quos monitos vult, vt non satagamus de victu comparãdo, sed precibus incombamus & studijs sacris.

Intellige quæ dico.) Hic est commentarius superiorum: Proposui, inquit, tres parabolas, militis, Athletæ, & agricolæ, quorum vnusquisq; cæteris curis omissis, suũ munus gnauiter obit, neq; deest præmiũ si suo prius functus fuerit officio. Perpende iã quorsum spectent hæ meæ parabolæ, cogita teesse Episcopum.

Non est delicata res, Episcopũ agere, considera quid agat miles, quid toleret Athleta, quos labores subeat agricola, atq; ex his disce non otiandum tibi, sed laborandum, sed sudandum, sed pericula obeunda, cùm & miles sis. Athleta, & agricola, licet in alio militiæ genere, certaminis, & agriculturæ. *Dabit enim tibi Dominus in omnibus*) siue popularibus siue alijs sentẽtijs (*intelligentiam.*) Chrysostomus & Theoph. legunt & interpretantur det tibi Dominus in omnib⁹ intellectum, vt sit precantis, atq; ea lectio est in Græcis codicibus qui hodie in manibus sunt. Hactenus ab illo loco: Labora sicut bonus miles, hortatus est ad labores perpetiẽdos: quæ iam sequuntur, dubium est an eodem pertineant, an alio sint referenda. Quidam interpretantur vt pergat hortari ad labores tolerandos, & subeundum martyriũ, si fortè instet. Alij putant illum tranire ad hæreticos, qui docebant Deum non delicẽ disse reuera in carnem, nec Christum verè passum fuisse, sed omnia hæc in phantasia contigisse. Verùm quia additur: Ex semine Dauid, & secundùm Euangelium meũ, probabile magis est, Apostolum hortari Timotheum ad retinendam doctrinæ puritatẽ de resurrectiõe, quàm ad martyriũ subeundũ.

Memor (inquit) *esto Dominum resurrexisse*) id est, verè & non phantasticè. *Ex semine Dauid.*) Metaphora est, id est, è posteritate Dauid, ex qua verè prodijt secundum carnem. Quicquid ergo dicunt isti heterodidascali, tu retine hoc, Christum verè natum, verè passum, verè resurrexisse. *Secundũ Euangelium meum*) id est, doctrinam & prædicationem meam. Errant, inquit, Chrysostomus, qui aliud docebant, quos alio in loco notat. Ambrosius quoque hoc dictum ait, vt excludat malæ mentis falsa colloquia, & quia de natura Christi multæ extiterũt hæreses, explicant commentarij in specie, de qua hæresi hic fit sermo, idq; faciunt probabiliter, quia quæ adferunt, sunt conformia historiæ illius temporis, quam discere licet ex Augustino, ad Quod vult Deum: & ex Epiph. de hæresibus. Simon asserebat Christum non verè passum, nec verè resurrexisse, Basilides pro Christo passum dicebat Simonem Cyrenẽsem. Cerynthus fatebatur quidem passum, sed in extremo demum iudicio resurrecturum aiebat, atq; ob eam hæresim Epiph. dicit Paulum scripsisse: Si Christus non resurrexit, neq; mortui resurgent. Rursus: Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra, inanis est prædicatio nostra. Ex his patet, non propter gentiles hæc dicta, quod alioqui poterat videri, sed propter hæreses illius temporis. Hac igitur parte, Epistola hæc pertinet ad alias quinque proximè enarratas. In Gnosticis quoque Epipha. habet nonnulla, quæ huc faciunt. Hi (inquit) carnem aiunt perire & non resurgere: Christum non ex Maria natum, sed per Mariam ostensum: carnem vero ipsum non suscepisse, sed apparentiam solum esse: (*in quo*) id est, propter quod cuius gratia laboro. Rursus est, κακοπαθῶ, id est, affligor et dura perpetior. *Quasi malè operans*) id est, tãquam maleficus, tanquam facinorosus quispiam. Frequenter istud inculcat, vt excitet Timotheum ad paria subeunda: *Sed verbum Dei non est alligatum*) licet corpus stringatur, lingua nequaquam ligata est, non cesso etiam in vinculis docere Euangelium, tùm verbo, tùm scripto.

Ideò omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cœlesti. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.

Ideò omnia sustineo, &c.) Istud ideò referre oportet ad priora, videlicet resurrexisse Christum. *Omnia sustineo*) minas scilicet verbera, pericula mortis. Annotat. Chrysostomus quod non dixerit Paulus, propter hos aut illos, sed simpliciter, propter electos, vt omnium locorum & temporum electos intelligas. Magna charitas Apostoli quam & nos imitari debemus, studentes conseruare puritatem doctrinæ propter electos: *Vt & ipsi salutem consequantur*) non hanc momẽtaneam, fluxam, mundanam: sed eam quæ est in Christo, hoc est, salutem æternam. Vnde addit (*cum gloria cœlesti, &c.*)

Fidelis sermo.) Hæc formula hoc loco tantùm est, & in priori Epistola ad Timotheum, ac ea quæ scripta est ad Titum. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, referunt ad superiora secundùm quos fidelis siue certus & indubitatus sermo est quo electi salutem consequamur, per Christum eumq; vnicum. Latini exponunt vt pertineat ad sequentia. Si cum Græcis referamus ad superiora, particula (nam) quæ sequitur, verè causalis est. Si cum Latinis dicam⁹ pertinere ad sequentia tum Pleonasmus est, & redundat particula (nam) more Hæbraico.

Nam si commortui sumus) scilicet perpetiendo tristia & acerba. *Conuiuimus*) ea vita qua viuit ipse resurgens à mortuis: Sic Chrysostomus. Si inquit in his quæ tristia sunt laborisq; plenissima communicamus Christo, certè & in his quę plena sunt felicitate ei communicabimus. Secundùm hanc expositionem exhortatio est ad martyriũ. Aliter Ambrosius interpretatur: si commortui, inquit, id est, si mortificemus iam membra nostra quæ super terram sunt, si iam studeamus nos vincere, & cupiditates nostras deprimere, etiam conuiuemus. Habet Ambrosius pro se loca similia: Verùm circunstantia literæ magis fauet Chrysosto. cuius sententiam probabilem planè facit, quod additur: Si *sustinebimus*) Græci in præsenti legũt si sustinemus. Sensus est: Si sufferimus & in malis perdurauerimus, sicut Christus perdurauit, etiam cum illo vnà regnabimus. *Si negauerimus*) si metu tormentorum vel persecutionibus presi, Christum negamus, etiam ipse negabit nos. Alludere videtur ad locum, qui est capite 12. Euangelij secundùm Lucam. *Si non credimus, ille tamen fidelis*) id est, verax permanet. *Negare seipsum non potest*) id est, non potest non præstare quod promisit in Scripturis sacris, fieri non potest, vt cui natura veritas est, in quoquam fallat. Similis locus est in epistola ad Romanos vbi dicitur. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit.

Hæc commone testificans coram Domino. Noli contendere verbis: nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Solicitè autem cura, teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractãtem verbum veritatis.

Hæc commone testificans coram Deo) id est, interposito timore qui debetur Deo:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic quidam. Alij aliter, hoc modo: coram Deo, id est, testem capiens Deum, vt intelligant si se contempserint, quis ipsos sit iudicaturus.

Noli contendere verbis) interpres noster aliter hæc intelligit quã Græci interpretes, qui infinitiuum referunt nõ ad Timotheũ, sed ad cæteros hoc sensu: Hæc admone contestans coram Domino, ne verborum pugnas sequantur. Cõtendere verbis apud Paulum est composita dictio λογομαχέιν. Intelligitur autẽ totus iste locus ex priori ad Timoth. epist. ex qua discimus sermonem hic esse contra familiam Simonis. Vide cap. 6. vbi agit de λογομαχία, id est, pugna verborum. *Ad nihil enim vtile est nisi ad subuersionẽ audientium*) quia hinc sequuntur studia partium, vt vnus dicat, ego sequor hunc doctorem: alius ego illum sequor, quod studium ineptũ est. Istud in priori epistola dixit. Ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, &cæt.

Solicitè autem cura) Est hic σπούδασον, quod verbum studij est, & diligentiæ: & variè vertitur ab interprete nostro, nunc vertit satagere, vt in capite 3. posterioris Epistolæ D. Petri, nũc festinare, vt capite 4. ad Hebræos, nunc aliter & aliter. Stude, inquit, teipsum exhibere Deo probabilem, Græcè est δόκιμον, id est, probatum, quem Deus probet. *Operarium inconfusibilem*) id est, ministrum non erubescẽtem, id est, quẽ in nulla re impediat pudor: quin libere dicas quod sentias, quin liberè profitearis fidem & religionem Christi, tum coram gentibus tum coram Iudæis. In principio religionis stultitia erat gẽtibus, spem ponere in cruce Christi, & idem scandalum erat Iudæis.

Rectè tractantem) Græcis vnica dictio est ὀρθοτομοῦντα, quæ perinde sonat ac si dicas, rectè secantem. Putant quidã metaphoram sumptã à coriarijs qui superflua secant, alij à cocis quorum est rectè diuidere cibos. Plato alicubi imperitum dialectices, malum appellat cocum, quod non noscat rectè diuidere. Interpres noster bona fide sensum reddit. Qui hodie coram plebæa multitudine de libero arbitrio de prædestinatione, & id genus alijs disserunt, non rectè secant verbum veritatis. Nam licet sana sunt quæ dicunt, non tamen loco suo dicunt. Secundùm Chrysost. sensus est: incumbe vt adulterina scholæ Simonis sumpta ex poësi, ex philosophia, ex magia, resecentur & abscindantur. Verum adulterina hæc non sunt in verbo veritatis, quod tamen rectè Apostolus secari vult. Quare posterior metaphora magis hic locum habet.

Prophana autẽ & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymeneus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem.

Prophana autem & vaniloquia) cõiunctio (&) redundat. Nam Græca nulla habent, nec in Latinis emendatoribus inuenitur. Istud in priori Epistola vertit, prophanas vocum nouitates: quia vbi legit καινοφωνίας, per diphthongon, hic verò κενοφωνίας, per ι. Interpres Ambrosij per ει legit, nam vertit, vocum nouitates, non vocum inanitatem. Non autem id agit Apostolus, ne vtamur vocibus nouis siue Græcis, siue barbaris, à nobis aut alijs confictis, modo res significent de quibus Scriptura tractat: sed ne nouas & inauditas voces inducamus, significãtes res prophanas, quales fingebant Simoniaci de quibus Epiph. in horum hæresi.

Multum enim proficiunt ad impietatẽ.) Græcis est verbũ futuri tẽporis, proficient, vt sit prophetia, nec est multũ, sed amplius. Sensus est iste: vocũ nouitates prophanæ, quas inuehunt sectatores Simonis, amplius proficient ad impietatẽ. *Et sermo eorũ*) qui autẽ res sunt talium vocũ. *Serpit*) Rursus Græcis verbum est futuri temporis, & Latini nonnulli legunt, serpet, in futuro. Sensus est: horum sermo nõ consistet in vna vel altera specie impietatis, sed semper perget in maiorẽ impietatẽ. Secundùm hanc expositionẽ referetur ad rem in se. Potest etiã referri ad personas, hoc sensu: Vt cancer locũ, quem occupauit depascitur, & inde ad vicina serpit, eaque inficit: sic per hos alij semper & alij inficiemur. Est autẽ cancer hoc loco morbus, nõ animal, vt ex Græco patet, & loco serpet, duę voces sunt apud Paulum, quas si interpreteris perinde sonat ac si dicas, passionem habebit: *Ex quibus*) id est, de quorũ numero. *Est Hymenæus & Phyletus qui à veritate exciderunt*) siue vt Erasmus vertit, aberrauerunt. De Græca voce dictum est in præcedenti Epistola, habet metaphoram quæ sumpta est à collimantibus ad scopum & collimando aberrantibus: nam hoc est ἁμαρτεῖν. Sic hi dum nimium subtiles sunt veritatis indagatores, circa veritatem aberrauerunt (*dicentes resurrectionem esse iam factam*) per liberos si licet genitos ab vnoquoque generante, quod hi parentes suos referãt, seipsos: defunctos veluti viuos exhibeant. Sic Epiphanius in hæresi Archonticorũ, quæ apud ipsum est hæresi. 40. Cum ipso sentiunt Graecorum scholia. Item: D. Ambrosius. *Et subuerterunt quorundam fidem*) Mirum quod Christiani donati tot charismatibus spiritus, ita potuerunt subuerti, vt planè fierent apostatæ à fide: Mirum etiam Christum permittisse tam abominabiles hæreses exurgere initio

suæ religionis. Græci in præsenti legunt ἀναστρέφουσι, quasi adhuc perseuerent in suo peruerso studio.

Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognouit Dominus qui sunt sui. Et discedat ab iniquitate omnis qui nuncat nomen Domini.

Sed firmum fundamentum Dei, &c.) vel vt alij vertunt, firmũ tamen Dei fundamẽtum stat. Est solutio tacitæ obiectionis, quæ posset fieri à quopiam demirante, in paucitate illa primitiuæ Ecclesiæ hæreses exoriri. Posset enim quis suspicari, fundamentũ Dei breui ruiturum, quod in ea paucitate christianorũ ita multi & ex præcipuis defecerint à fide. Dicit ergo Apostolus, subuerterunt quidẽ ipsi quorundam fidẽ, sed interim firmũ Dei fundamentũ manet immotũ & inconcussum, & stat, id est, nõ subuertetur. Est aũt fundamentum hoc, ratio & consiliũ dei de dispensatione salutis humanæ. Alij interpretantur promissiones siue prædicationes in Scripturis positas de dicto consilio: Alij Euangelium quatenus explicat hoc fundamentum, quæ omnia eodẽ recidunt. Ambr. intelligit fidẽ, quã seruat Deus in promissis, vt sensus sit: firmum fundamentũ Dei stat, id est, nõ impedietur promissum Dei, certò præstabit quod promisit. Alij nomine fundamenti, librũ vitæ accipiunt. August. lib. 2. de ciuitate Dei cap. 7. simili omnino schemate vtitur, quo hic Paulus, nẽpe procatalepsi, vbi per hoc fundamentum intelligere videtur, Ecclesiã electorum ad vitam, & non ad gratiã solùm. Eodẽ modo intelligit in libro quem scripsit de cathechizandis rudibus capite 11. Rursus tractat. 15. super Euãgelium Iohannis & aliquot alijs locis.

Habens signaculum hoc) sensus est: Hoc fundamentum, æternum scilicet Dei cõsilium, quo ante tempora secularia decreuit humanum genus saluare, signatum est siue obsignatũ est aliquo signaculo siue sigillo isto scilicet. (*Nouit Dominus qui sunt sui*) id est, qui præsciti sunt & prædestinati. Locus hic rectius intelligitur, dum cõfertur cum cap. 10. Apocalypsis, cuius initiũ est. Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentẽ clauem abyssi, & apprehendit draconem & misit eum in abyssum & clausit & signauit super illum. Quem locum tractãs August. lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 7. sic scribit: quod additum est signauit, significare mihi videtur, quod occultum esse voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineãt, hoc quippe in seculo isto prorsus latet. Quia & qui videtur stare, vtrũ casurus sit: & qui videtur iacere, vtrum surrecturus sit, incertũ est, vide etiã cap. 10. Apocalypsis. Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, id est, ob signa velut occultanda, vtrobiq; est verbum σφραγίζω, vnde deducitur nomen huius loci, quod interpres signaculũ vertit. Verùm quamuis lateat qui sint saluandi, & fundamentum Dei obsignatum sit, nequaquã tamen perplexi esse debemus, sed sperare & magna fiducia expectare promissa Dei, modo seruemus fidem rectam, & mores præstemus incorruptos hoc si fecerimus, diuiter ministrabitur nobis ingressus in regnum, sicut ait Apostolus Petrus. Videtur autẽ allusisse Apostolus ad locum qui est Numer. cap. 16. vbi, Chore, Datham, & Abyron tumultuantibus dixit Moyses: notum faciet Dominus qui ad eum pertineant, vbi ad verbũ in Hebræo est, qui sunt sui. *Et discedat ab iniquitate.*) Illud est alterum sigillum. Nemo putet sufficere quod acceperit nomen Christi, requiritur præterea quod discedat ab iniquitate doctrinę, Sic Theophylactus, vt iniquitas opponatur falsitati. Similis locus est in epistola ad Romanos: Credũt autem iniquitati, id est, falsis diuersisq; doctrinis. Alij nomine iniquitatis turpitudinem accipiunt, vterq; commentarius bonus est. Nam schola Simonis præter absurditatem dogmatũ, habebat admirandam vitæ fœditatem. Hic quoq; allusisse videtur ad cap. 16. Numerorum vbi dicitur, Recedite à tabernaculis hominum impiorum. Sic vos recedite & separamini à tabernaculis hæreticorum. Quod sequitur: *Omnis qui inuocat nomen Domini*) Græci legũt, omnis qui nominat nomẽ Domini, quomodo etiam habẽt antiqui codices Latini. Simonis schola (vt est apud Irenæum & Epipha.) abutebatur prætextu nominis Christi, sed nõ meminerat istius. *Discedat ab iniquitate.*) Dicit ergo Apostolus, non satis est ore profiteri Christũ, sed præterea oportet discedere à doctrina falsa & improbra vita, tandem detracto sigillo apparebit qui sint Christi.

In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem. quædam autem in contumeliam: Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.

In magna autem domo, &c.) Est alia eiusdẽ solutio, nẽpe tacitæ admirationis, de qua dictum est in præcedentibus. Nemo miretur hæc fieri in Ecclesia, cogitet alias familias in quib' reperitur varia supellex, in quibus conspiciuntur & aurea & argentea ac lignea vasa, simul & testacea. Sic in Ecclesia mali sunt & boni damnandi & saluandi. Est parabola, sicut fuerunt tres illæ superiores. Ad hunc modum interpretatur Cyprianus

Universidad de Deusto
Biblioteca

in epistola ad Antonianũ, per magnam domum intelligendo Ecclesiam, parabolicè tamen. Ad eundem modum exponit Ambrosius in commentarijs huius loci, verba eius sunt. Hoc dicto Apostolus significauit in Ecclesia diuersos esse homines, quosdã bonos & summos viros, quos in auro intelligi vult: quosdam bonos tantum, quos in argento designat: alios verò non bonos, quos vasa lignea & fictilia appellat. Chrysostomus verò & Theophylactus negant magnã domum hic posse accipi Ecclesiã, quod in ea vasa omnia munda sint, quare de toto mundo interpretantur. Vbi ne seducamur, oportet videre alia loca Chrysost. & conferre cum sententijs aliorum veterum, qui asserunt hæresim esse Nouatianorum & Donatistarũ, qui asserũt malos nõ esse in Ecclesia. D. Aug. cũ varijs locis doceat Ecclesiam cõplecti bonos pariter & malos, nonnullis interim aliud videtur dicere, ac segregare malos à corpore Christi, quod est Ecclesia, quibus locis respexit ad inuisibilem charitatis compagem, sicut hoc loco Chrysosto. Pro Ambro. facit ratio scripti, quam & ipse vrget aduersus Nouat. qui de toto mundo interpretabatur quod hic dicitur, ne cogeretur malos admittere in Ecclesia, vnde & eum insanũ appellat. De Hymenæo & Phileto cùm Apostolus esset locutus, statim, inquit, de magna domo subiecit, ne esset mirabile in Ecclesia videri homines dissentiẽtes. Iam difficultas est anne Hymenæus & Philetus fuerunt hæretici. Si hæretici, quomodo in Ecclesia? August. propensus fuisse videtur ad agnoscendum, istos Ecclesiam exisse: propter authoritatem tamẽ Cypriani quam citat ex epistola ad Antonianum, dicit eos nõdum exisse, sed pertinere hic ad magnam domum propter Sacramenta non mutata, sed ea locutio impropria valde est. Vide Aug. lib. 3. contra Donat. de bap. cap. 19. vide prætereà ipsum libro quem contra Donat. scripsit, post collationem. Si Hymenæum, inquit, fecimus hæreticũ, potest intelligi vt Apostolus respexerit ad aliud tempus quo nondũ sic erat, quo tamen tempore vas erat in cõtumeliam, sicut Paulus, cùm persequeretur Ecclesiam, vas in honorem.

Si quis ergo emundauerit sẽ) Vides, ait Chrysostom. vt non naturæ sit vel aureum esse vel fictilem, sed voluntatis: vas erat fictile Paulus, sed euasit in aureum. Vas fuit aureum Iudas, sed in fictilẽ euasit. Chrysost. ergo vasa fictilia sunt, immundi homines, hoc est omnes in peccato mortali existẽtes. Aliter Aug. secundùm quem vas aureũ erat Paulus, etiam tum cum persequeretur Ecclesiam, nimirum quia prædestinatus: Cui fauere videtur cap. 9. Epistolæ ad Rom. vbi videtur Paulus dicere, quòd esse vas in honorem, non sit nostræ voluntatis, sed prædestinationis. Cũ Chrysost. sentit Ambro. enarrans hunc locum: Nunc alia, inquit, hæresis conuincitur, &c. Rursus alludit Apostolus ad cap. 16. Numeri.

Si quis emundauerit se ab istis) scilicet Phileto & Hymenæo ac eorum socijs. Vel generaliter ab istis dedecorosis, sicut populꝰ Dei in Numeris segregauit seà Chore. Datham & Abiron. *Erit vas in honorem.*) Hic ponenda est hypostigme, deinde post *Sanctificatũ*) deinde post. *Vtilẽ Domino*) quod Græcè est euchriston, id est, accommodatũ vsibus domini. *Ad omne opus bonum paratum*) participium est paratum, vt intelligas non promptum, sed præparatum à Deo.

IVuenilia autem desideria fuge, sectare verò iustitiam, fidem, spem & charitatem, & pacem cum ijs qui inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenẽtur ad ipsius voluntatẽ.

IVuenalia autem desideria fuge,) significat nõ quæuis iuuenum desideria, sed qualia erant Hymenæi & Phileti, qui superba animositate studebant videri docti quo studio subuersi sunt. Istud habet ratio scripti, quare sensus est, fuge appetitum inanis gloriæ, iactantiam, Philauthiam, & ea desideria, quæ iactantiam, Philauthiam, & ea desideria, quę culpaui in istis hominibꝰ. Est difficilè istud præstare, excludere videlicet semper appetitum glorię & eius motus reprimere, quibus qui semel se permiserunt, infelicissimi sunt. Chrysost. tamen & ea quæ ad libidines pertinent, & generaliter quæuis desideria quibus ætas illa teneri solet, accipit.

Sectare verò iustitiam) Iustitia hoc loco generale vocabulum est, cõplectitur enim totius vitæ innocentiam. Apud Simonem nõ est vitæ innocentia, sed maxima vitæ turpitudo: tu verò sectare iustitiam, fidem, spem, charitatem & pacem cum ijs qui inuocant Dominum, id est, omnibus qui sunt eiusdẽ religiõis. In Epistola ad Ephesios valde hoc agit, vt sepositis cõtentionibus, quales erãt in schola Simonis, sectentur pacem & charitatem. Idem hic agit. Si quis tamen respiciat ad primum caput præcedentis Epistolæ, putabit Apostolum solicitum esse de Iudaizantibus. Nam eos respicit dum ait: finis præcepti est charitas, docens legem Moysi non eo pertinere, vt subtiliter disputemus, sed vt amemus & præstemus quæ lex præcepit. Vo-

rum siue de Iudaizantibus siue Simoniacis propriè, siue de vtrisq; solicitus sit, certum est sensum esse. Noli videri doctus, sed magis studę præstare innocentiam.

Stultas autem) id est, tatuas siue friuolas, quæ nihil ad pietatem faciunt. *Et sine disciplina*) Græcis vna vox ἀπαιδεύτους, id est, ineruditas quæstiones, quales habet schla tam Simonis quam Iudaizantium. *Denita*) id est, reijce & aspernare nec admitte. *Sciẽs quod generant*) id est, quod pariant lites Paulus μάχας, habet. Eleganter huiusce modi rixosas quæstiones vocauit μάχας, id est, pugnas per metaphoram. (*Seruum autẽ Domini non oportet litigare*) rursum est μαχεσθαι, id est, pugnare. *Sed mansuetum esse*) id est, placidũ erga omnes discendi cupidos. *Docibilem*) Paulus habet διδακτικὸν, id est, idoneum et paratũ ad docendum, id est, talem qui docere malit quã litigare siue pugnare. *Patientem*) id est, tolerantem, proteruos & improbos, qui audire recusant. Id enim significat hoc loco ἀνεξίκακος, et non quomodo in miserijs et doloribus quis patiens est. *Cum modestia corripientem*) siue vt alij vertunt, erudientem. Vox Græca ad vtrumq; anceps est. *Eos qui resistunt veritati*) Datiuum, veritati, verisimile est redundare: nam in quibusdam Latinis non inuenitur, & nulla Græca habent. D. Ambrosius legit, corrigentem eos qui diuersa sentiunt. Ad eum modum vertit interpres quo vsus est Augustinus. Vide cap. 5. de correptione & gratia. Vox Græca significat diuersum quid de re statuere. Iam hæc dicta oportet intelligi, nisi sint hæretici & animo compositi ad superbam animositatem. Nam tales Apostolus vitari iubet: Ne quando Augustinus legit, ne forte. Græcè est μήποτε, quæ particula secũdùm Chrysostomum in rebus dubijs ponitur, igitur ab illis solùm decedendum est, quos certum est non esse reuocandos, quales sunt, qui animo hæretico & ex contentione aliquid dicunt, ne videantur victi. Pœnitentia intelligenda est, non ea solum quæ intellectu accipitur, sed & ea quæ ad affectum pertinet, qua fit vt erraſſe se cognoscat homo, & erraſſe doleat, plangat, & vt ignoscatur sibi, oret. Vide Augustinum de correptione & gratia cap. 5. Vbi etiam ex hoc loco annotat. Quamuis doctè quis & commodè doceat, nisi Dei adsit gratia, non sequi pœnitentiam. *Et resipiscant*) ad verbum est, ad sobrietatem redeant. Ergo qui sequuntur diuersa dogmata, temulenti sunt. *A diaboli laqueis à quo captiui*) siue capti sunt, quomodo capitur fera. Nam hinc vox Græca ethymologiam habet. *Ad ipsius voluntatẽ*) sic vt sua voluntate ipsi se liberare nequeant, nisi gratia Dei adiuti fuerint.

CAPVT III.

HOC autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

HOc autem scito, quia in nouissimis diebus, &cæt.) Dicit istud eo consilio quo illud: In magna autem domo, &c. ne admiretur aut offendatur Thimotheus vel quis alius, si videat in Ecclesia multos malos. A tempore Abel vsque ad Christum semper fuerunt mali permixti bonis, & erunt vsque ad finem seculi, & eo plures, quo magis appropinquabit ad finem. Nouissimos dies, quidam referunt ad tempora Antichristi: Verùm circunstantiæ diligenter obseruatæ conuincunt aliquo modo ad tempora Pauli pertinere. *Instabunt*) sic vt iam incipiant. *Tempora periculosa*) ad verbum est, tempora grauia, id est, pessima. Secundùm Chrysost. appellantur tempora vel bona vel mala ex his, quæ in illis contingunt, per metonymiam: (*& erunt*) vocula (&) accipitur epexegeticως. Græci habent, erunt enim homines, &c. sicut dicimus: Hoc anno erunt homines obnoxij febri, id est, vulgo, multi. Sic intelligendum est quod hic dicit Paulus: *Erunt homines seipsos amantes*) id est, bona hominum pars erit talis. Hunc esse sensum patet ex Græco. *Seipsos amantes*) vnica dictio est apud Paulum, φίλαυτοι, id est, sui amantes & sibi placentes, hoc est, proprijs studentes commodis, id agentes tantum, vt sibi bene sit, securi interim, quid accidat vicinis vel consanguineis.

Cupidi) Græcè est φιλάργυροι, id est, studiosi quæstus & pecuniarũ (*elati*) vox Græca ad iactantiam pertinet. Est enim ἀλαζόνες: Iactabunt inquit scientiam & sanctimoniam suam: (*superbi.*) Optime hęc intelligũtur ex moribus Simonis. *Blasphemi*) id est, maledici. *Scelesti*) Græcè est ἀνόσιοι, id est, sine sanctitate, in quibꝰ nihil est sanctimoniæ. Ambro. vertit, impij: (*sine affectione*) Græcè est ἄστοργοι, quæ vox proprie de illis dicitur, qui nullo affectu sunt in suos, puta liberos aut vxores. *Sine pace*) Græcè est ἄσπονδοι, quod Erasmus vertit, nescij fœderis. Quemadmodũ ergo præcedens vox ad domesticos pertinet, ita hæc ad alienos, cum quibus boni fœderis & amicitiæ vinculis copulari solẽt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui natura coniuncti non sunt. Huiumodi fœdera isti homines nescient & si inierint, violabũt: (*criminatores*) Græcè est διάβολοι, id est, calumniatores siue delatores: (*incontinentes*) Græcè est ἀκρατεῖς: Aristoteles in æthicis distinguit ab intemperantibus: Alij non distinguunt: Chrysost. generaliter accipit. Incontinentes (inquit) linguæ, ventris cæterorũq; omnium. Quid Paulus senserit, difficile est dicere: (*sine benignitate*) Græcè est ἀφιλάγαθοι, quæ vox perinde sonat ac si dicas: non amici bonis, vel sine amore bonorum. Si quem videbunt insigniter bonũ, pium, iustum, nihil tamẽ afficient ei: *Proditores*) Græce est προδόται, et interpretatur Chrysost. desertores amicitiæ & fodalitatis. *Proterui*) Græce est προπετεῖς, id est, præcipites siue temerarij. *Tumidi*) Græcè est τετυφωμένοι, quam vocem qui velit iutelligere legat confessiones August. in quibus frequens mentio est tyhpi: significat autem eos qui sibi vidétur insignes in rẽ quapiam, & opinione quam de se habent, tument. *Voluptatum amatores magis quàm Dei*) Mire hoc quadrat in familiam Simonis, Et Epiph. hæresi. 26. citans hæc verba Apost. dicit propter Gnosticos ea ab Apo. dicta. Quare multum probabile est, ista ad tẽpora Pauli pertinere. *Habentem speciem quidem pietatis.*) Pro specie Paulus habet μόρφωσιν, quod perinde sonat quasi dicat, formationem. Notat eos qui dictis norunt præscribere alijs, quomodo debeant viuere pie, cùm ipsi diuersa sequantur. Virtus huius loci non est ἀρετὴ, sed δύναμις, Vnde Eras. vertit, habentes formam pietatis, cùm vim eius abnegarint. Sẽsus est: id in quo sita est pietas Christiana, abijciũt, vt amorem, spem, &c.

ET hos deuita: ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.

ET *hos deuita.*) Ad verbum est, auersare, quod vehemẽtius est quàm deuita. Hic est argumẽtum quòd Apostolus loquatur de suo seculo: nisi enim tempore Timothei fuissent tales, quorsum fuisset opus hac admonitione? *Ex his enim sunt.*) Notandũ est est verbum præsens temporis: Iam sunt, inquit, qui penetrant domos siue qui subeant in domos. Apertè notat impudentiam illorum: miscent se familijs, nunc vni, nunc alteri: *Et captiuas ducũt mulierculas*) id est, dogmatibus suis faciunt ipsas sibi obnoxias: (*oneratas peccatis*) id est, accumulatas, & variorum peccatorum confusione (qualis est in aceruis) obrutas. Id enim significat σεσωρευμένα, qua voce vtitur hic Paulus: *Quæ ducuntur varijs desiderijs*) id est, concupiscentijs pecuniarum, gloriæ, iactantiæ, honoris, delitiarum, voluptatum & aliarum, quas noluit Apostolus exprimere: Hæc res facit, vt possint capi ab hęreticis. Vides inquit Chrysostomus, vnde fuerint capturæ eorũ opportunæ. Eadem res in causa est, vt multi capiantur hodie à Lutheranis: *Semper discentes & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.*) Sermo Pauli vehementior est in Græco: Habet enim ad hunc modum, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis venire valentes, partim vitio magistrorum, quia schola Simonis falsò promittebat scientiam, partim quia peccatis obrutæ erant, quibus excæcatur mens.

QVemadmodum autem Ioannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistũt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed vltrà non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit in omnibus, sicut & illorum fuit.

QVemadmodum autem Ioannes & Mambres.) Qui fuerint hi non satis certum est, nisi quod Chrysostomus dicat eos fuisse magos Egyptiorum qui in Exodo portẽtis edendis certarunt cum Moyse: habuisse autem Paulum eorum nomina ex traditione Hebræorum, aut ex reuelatione Spiritus, verisimile est. *Et hi resistunt veritati.*) Est autem hic aliud verbum quàm priùs, propriè significans resistere, ibi significabat aliter statuere. Omnia quæ hic toties dicuntur in præsenti, faciunt vt pene absurdum videatur nouissimos dies interpretari, vt ad tempora Antichristi solum pertineant: *corrupti mente*) id est, iudicio mentis: *Reprobi circa fidem.*) Sic intenti sunt phantasijs suis, vt non possint redire ad veritatem fidei: Sed vltra non proficient. Sensus est: studium quo tenentur, vt quàm plurimos pertrahant in suam partem, amplius nõ habebit successum, am addit: *Insipientia enim eorum*) siue causam addit: *Insipientia enim eorum*) siue amentia (*manifesta erit in omnibus.*) Istud facilè agnoscimus, omnibus notissimam fuisse vanitatem.

TV autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.

TV autem assecutus es, &c.) Non est sensus, assecutus es ingenio quomodo discipulum dicimus assequi præceptorem docentem: sed à principio vsq; ad finem adiuuisti mihi, versat' es mecũ in omnibus rebus familiariter, audisti doctrinam meam, visti conuersationem meam, &c. Id enim significat παρακολουθεῖν. Doctrinam suam opponit doctrinę illorum de quibus iam dixit: *Institutionem*) vocat vitæ modum, (*propositum*) alacritatem & promptitudinẽ animæ, (*fidem*) constantiam in retinenda fide. *Longanimitatem*) aduersus hæreticos. *Dilectionem*) erga omnes. *Patientiam*) aduersus flagra. *Persecutionem*) vel hinc patet illud, assecutus es non esse quod adeptus es: nemo enim dicitur assequi persecutionem. Sensus est: mihi in persecutionibus adfuisti, tum aderas cùm multa aduersa tolerarem. *Qualia mihi facta sunt.*) Illud, qualia, accipit Erasmus quasi esset relatiuum, & referat specificetq; persecutiones. Alij interpretantur vt per admirationem & emphaticos ponatur, sicut quum dicimus: quam non ibi miseriam vidi? Secundùm hos est noua periodus. Et sensus est: qualia, id est, quàm acerba, quàm grauia mihi acciderunt Antiochiæ. *Et ex omnibus eripuit me Dominus.*) Hoc dicit, vt hortetur Timotheum ad similia.

ET omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes.

ET *omnes qui piè volunt viuere.*) Quid de me, inquit dico, cùm omnes qui piè volunt viuere, &c. Istud videri possit ad eam tantùm ætatem pertinere, sed reclamant cõmentarij Græcorum, quàm Latinorum, qui constanter interpretantur, vt pertineat ad omnes pios omnium temporum & ætatum. Iam quæstio est, quo pacto priuatus aliquis homo, cui cum nemine conuersatio aut negotium est, persecutionem patiatur? Explicat hoc August. lib. 2. contra Gaudentium cap. 13. & 14. Rursus libr. 18. de ciuit. Dei cap. 51. Secundùm quem persecutionem pati, est dure & molestè affici vel à seipso vel ab alio. Mater Augustini persecutionem patiebatur, dum grauissimè die ac nocte cruciabatur propter hæresim & errores filij. Sic omnis iustus persecutionem patitur, videns in quibus erroribus sit mundus, etiam nullo insestante vel vexante corpus ipsius. Sensum hunc generalem probabilem facit August. adductis alijs locis similibus. Psal. 118. Vidi præuaricantes & tabescebam. Secundæ ad Corinth. 11. Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Secundæ Petri cap. Iustam animam iniquis operibus cruciabant. Sermo est de Lot & Sodomitis. Ambro. etiã generaliter accipit, sed aliter quàm August. vt persecutionem pati sit, non animo cruciari, sed odio haberi ab alijs: Omnes, inquit, qui in Christo rectè conuersantur, odio habentur etiam à corporis sui mẽbris, id est, à Christianis. Chrysost. quoq; generalem sensum amplectitur, diuersum tamen à superiore. Vult enim is omnes pios persecutionem pati, quia dolores, tristitias, pressuras multas patiuntur, dum studeant operari salutem suam: quia arcta est via quæ ducit ad vitam. Si quis persecutiones propriè velit accipere, necesse erit vt sententiam Apost. ad pios illius temporis referat. *Mali autem homines & seductores proficient in peius*) id est, profectum habebunt in peius: *Errantes & in errorem mittentes*) Paulus habet seducti & seducentes. Hinc patet sermonem esse ipsi non de ethnicis hominibus. Græca. scholia in illum locum (sed vltra nõ proficient) sic scribunt: Cum in superioribus dixerat: ad maiorem proficient impietatem, quomodo hic dicit, vltra non proficient? Respondent, ibi dicit quod qui seducere cœperant, nequaquam cessabunt siue desistent, sed peiora semper excogitabũt. Hic vero, quod non desipient neq; rapient amplius eos, qui sanæ mẽtis sunt. Addimus: eos qui sanæ mentis sunt, quia in progressu dicit, quod & ipsi errabunt, & alios in errorem adducent.

TV verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris, & quòd ab infantia Sacras literas nosti, quæ te possunt instituere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu.

TV *verò permane.*) Sine eos iactare falsi nominis scientiam, tu perstа in semel accepta doctrina, nec eis adhæreas. Locus hic quo monet discipulum suum vt permaneat in semel tradita doctrina, & plures aliæ circunstantiæ textus peculiariter respicientes Timotheum docent, non sic de futuris temporibus fuisse solicitũ Apostolum, vt nihil pertineret res ad sua tempora. Neque tamen putandus est absq; ratione in futuro dixisse, instabunt, quia huiusmodi quales describit hoc capite, plures erunt postea, quanto magis appropinquabitur ad finem. Quare nouissimi dies complectuntur totum tempus gratiæ. Sic Petrus Act. 2. tempus suum significatum interpretatur à Iohële per nouissimos dies. Erant ergo Apostoli in nouissimis diebus, sumus & nos, erunt quoq; post nos, donec perueniatur ad nouissimũ nouissimorum, de quo Saluator. Suscitabo eum in nouissimo die, vbi est alia phrasis quàm in Paulo & Prophetis.

Quod sequitur: *Credita sunt tibi*) duplicem admittit sensum, vel vt intelligas credita sunt, id est, commissa: vel credita sunt, id est, quę credidisti & plena fide accepisti. Priùs sequitur Erasmus: nã vertit, quæ cõcredita tibi sunt. Posterius amplectũtur Græci interpretes, vnde aliter ipsi vertissent quã Eras.

Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad verbum est quæ creditus es. Cui similis phrasis est apud Mattheum capite 11. pauperes euangelizantur, id est, docentur Euãgelium: *sciens à quo didiceris*) id est, qualis ille sit, qui hac in re tibi doctor fuit. Nõ enim talis, qualis illi qui diuersã docent, qui sunt impuræ vitæ. Duas ponit causas, quare ipsum immotum persistere oporteat. Altera est, quod non à quouis sed à Paulo de his edoctus sit. Altera, quod ab ipsa statim pueritia sacras literas imbiberit. Nomine sacrarum literarum vetus testamentum intelligit. *Quæ te possunt instruere*) scilicet, post hac quando me amplius non veteris doctore, hæ, inquit, literæ præstabunt tibi, quod ego tibi hactenus præstiti, nihil erit opus schola Simonis. Pro instruere Græce est σοφιῶσῃ, id est, erudire & sapientem reddere. *Ad salutem per fidem*) id est, si veram fidem adhibeas scripturis, eamq; non quamuis, sed qua in Messiam creditur, hoc est, Iesum Christum de Maria virgine natum.

Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

Omnis scriptura) scilicet, sacra. Nam supra meminit sacrarum literarum. Circunstantia igitur & similia loca docent nomine Scripturæ per antonomasiam significari Biblia. Loca sunt: Vt implerentur Scripturæ: Non potest solui Scriptura. Nõ legistis Scripturam: Qui credit in me sicut dicit Scriptura. Erratis nescientes Scripturam, &c. Diuinitus inspirata, quæstio est an istud sit prædicatum an pars subiecti, Græci faciunt prædicatum, hoc sensu: Omnis Scriptura est diuinitus inspirata, & eadem vtilis est ad docendum. Dicitur autem diuinitus inspirata, quia immediatè per reuelationem accepta est, quod non conuenit Scripturis philosophorum. Omnis (inquit) id est, tota est diuinitus inspirata, & proinde non continet commenta humana, qualia tradit Simon ex Poetis & Philosophis. In ea inuenies quod proponas populo tuo & clero, hoc est quod dicit: *Vtilis est ad docendum.*) In ea inuenies, quo redarguas Menandrum & reliquos hæreticos, hoc est, quod dicit: *Ad arguendum.*) Item inuenies in ea quo corrigas quod perperam dictum est: Omnino enim verisimile est legendum esse, ad corrigendum, quomodo & Latina quædam habent. Nam id sonat πρὸς ἐπανόρθωσιν. (*Ad erudiendum*) Græce πρὸς παιδείαν. παιδεία vox propria scholarum est: hinc pedagogia in quibus elementa scientiarum traduntur. Si, inquit, tradere velis institutionem elementariam, & erudire quempiam quid sit iustitia Christiana, ad hoc vtilis tibi erit Scriptura. Quod præcedit, docere, ad omnes pertinet: præpositio (in) obiecti est, significans de vel circa. *In iustitia*) id est, de iustitia. (*Vt perfectus sit*) id est, omnibus numeris absolutus, sicut dicimus absolutum mathematicum, absolutũ philosophum. (*Homo Dei*) id est, peculiariter addictus diuino obsequio & cultui, vt sunt sacerdotes & Episcopi. Loca similia sunt in libris Regum & Paralip. vbi Helias aliquoties dicitur homo, vel (vt in Hebræo est) vir Dei. Item Elizeus, Et in priori epist. cap. Timotheum vocat hominem Dei. *Ad omne opus bonum instructus.*) Loquitur proprie de opere ministerij. Sensus est absolutus ad præstandum quoduis officium Episcopale, præsertim pertinens ad docendum. *Istud instructus*) professorum est, quale erat illud, perfectus. Ex hoc loco quo tam multis verbis hortatur Apostolus Timotheum discipulum suum ad lectionem scripturæ, vt possit præstare munus Episcopi illis temporibus quibus pullulabant hæreses, discimus nihil vtilius hac tempestate quam diligenter euoluere scripturas, quarum cognitione qui polleat, rupem gestat in pectore immotam aduersus hæreticos & Lutheranos, Oecolampadianos & Suuinglianos, & reliquos eius farinæ homines.

Marc. 14. Matth. 21. Ioan. 7. Marc. 12.

CAPVT IIII.



Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est, viuos & mortuos per aduentum ipsius, & regnum eius, prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Testificor coram Deo & Iesu Christo.) Pergit Apostolus adhortari Timotheum ad retinendam puritatem doctrinæ. In priori epistola capite sexto dixit: præcipio tibi coram Deo &, &c. hic dixit: *Obtestor*) quod est vehementius. (*Coram Deo*) id est, Patre. Nam ex consuetudine Scripturæ quando post mentionem Dei sequitur mentio Christi: Deus, nomen est personæ & non substantiæ: addens deinde quod terribilis est. *Qui iudicaturus est viuos & mortuos.*) Non consultis commentarijs sensus videri posset, qui iudicaturus est viuos, id est, iam adhuc viuentes & mortuos, id est, olim iam defunctos. Sed nullus commentarius habet eum sensum. Proponunt autem duos alios: Qui iudicaturus est viuos, id est, iustos, inquit Chrysosto. & mortuos, id est, peccatores. Siue viuos ait, id est, qui tempore iudicij reperientur viui, & rapientur obuiam

obuiam Christo in aëra: & mortuos, id est, qui tunc non viuent. Chrysostom. sequuntur alij Græci, sed & Latini. Vide August. in Enchri. cap. 55. (*per aduentum eius.*) Istud secundùm nostrum interpretẽ videtur referendum ad, obtestari, sed Chrysost. Theophy. Oecum. exponunt vt pertineat ad iudicare. Pro quibus facit Græca præpositio κατὰ, qua vtitur hic Paulus, quæ frequentissimè seruit tempori, nunquam autem obtestationi. Exponunt autem ipsi κατὰ per ἐν, id est, in, quos imitatus Erasmus vertit: in apparitione sua. Addit tamen Chrysostomus quod videtur facere pro nostro interprete, cùm ait: Siue testificor tibi aduentum eius quod horũ te admonui. Posset seruari præpositio (per) referendo ad verbum iudicare, vt significet modum, sicut dicimus: fecit hoc per vim, id enim explicant Græci per κατὰ. Sensus tum erit: iudicaturus est viuos & mortuos illustratione aduentus sui. Significat enim Græca vox, ἐπιφανία, non simpliciter aduentum, sed illustrem aduentũ. Non autem veniet vt ante venit in humilitate, sed cũ gloria, cum maiestate, cũ regno.

Prædica verbum) ex hoc loco quo non vetetur Apostolus charissimum & optimum Timotheum, de cuius sanctimonia tam magnificè sentit, obtestari interposito nomine Dei, qui iudicaturus est viuos & mortuos, quod apud duros homines fieri solet, discimus quàm fuerit cordi res hæc Apostolo, quamque egrè omnibus seculis conseruari poterit puritas doctrinæ. Cogitent pastores & Episcopi obtestationem hanc sibi quoque factam & non soli Timotheo, vt extimulentur ad præstandum ea quæ sequuntur. *Prædica verbum*) id est, stude propagare Euangeliũ Christi. *Insta oportunè, importunè*) prouerbialis sermo est, id est, assidue & instanter hoc age (*argue*) id est, argumentis deuince eos qui diuersa sentiunt. Significat hæc vox etiam reprehendere, verũm quia sequitur (*increpa*) magis conuenit prior significatio: (*in omni patientia*) id est, longanimitate nam Græcè est μακροθυμία.

Erit enim tempus cum sanam doctrinam nõ sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

Erit enim tempus) sic vt nihilominus iam sit, dicit tamen erit, quòd posteà multò magis sit futurum tale tempus (*cùm sanam doctrinam non sustinebunt.*) Propter hanc causam, inquit, volo te occupare animos tuorũ sana doctrina, ne ab hæreticis capiantur. Hæreses de quibus agit in his Epistolis, iam habebãt authores suos tempore Pauli, ex quibus iam præsentibus videbat quid sequuturum erat, non autem vt propheta de futuris loquitur.

Sed ad sua desideria) id est, desiderantes audire quæ seruiunt suæ libidini, quę oblectãt carnem, quæ faciant ad gratiam. *Coacernabunt sibi magistros*) vide locum capitis præcedentis. Captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, ibi est σωρεύω, hic ἐπισωρεύω. Significat ergo Apostolus confusam doctorum multitudinem: sine delectu, inquit, & iudicio assciscent sibi vanos doctores. Vide comment. Chrysost. in hunc locum, item Theophyl. & Oecumen. ex illis disces quàm alienum sit à veterũ Theologia Episcopos, à vulgo eligi, quod faciunt hodie Lutherani. Quod sequitur (*prurientes*) participium causale est nominatiui casus: Sensus est: pruriunt & titillantur auribus, & propterea asciscunt sibi doctores, qui aures scalpant sibi blandis verbis, non qui rodant mordaci vero. Dilucidius vertisset interpres si dixisset, cùm pruriant, vel propterea quod pruriunt auribus.

Et à veritate auditum auertẽt) id est, à synceritate doctrinæ. Sic auertunt multi hodie auditum dum audiunt mentionem purgatorij, dum audiunt ieiunandum esse, confitendum esse, &c.

Ad fabulas conuertentur) quales sunt Iudaizantium, & imprimis familiæ Simonis. Ambrosius refert ad fabulas Manichæorum sed Manichæorum fons est Simon. Fabulas has explicat Epiphanius tomo. 2. primo libro de hæresibus.

Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum impple. Sobrius esto: Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi Dominus illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.

Tu verò vigila in omnibus.) Tempus hoc, inquit, adeò propè est, vt iam opus sit vigilantia. Pro labora, Græca est, κακοπάθησον, id est, obdura in malis quæ comitantur, prædicationem Euangelij. *Opus fac Euangelistæ*) id est, prædicatoris gratiæ, (*ministeriũ tuum impple*) Græce est πληροφόρησον, id est, facito plenam fidẽ tuæ predicationis. Quod sequitur (*sobrius esto*) non est in Græcis exemplaribus, nec Latina omnia habent.

Ego enim iã delibor) id est, immolor, quod quia obscurè dictum erat, addit quod est clarius. *Et tempus resolutionis meæ*) id est, mortis meæ nunc instat. Hæc est causa, cur tam diligenter adhortatus sit Timotheũ ad retinendam puritatem doctrinæ.

Bonum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bonum certamen certaui) id est, præclarum & egregium certamen: id enim significat καλὸν. *Cursum consummaui*) intelligit de cursu qualis est eorum, qui in stadio currunt. *Fidem seruaui*) nullis auocamentis, nullis illecebris nec minis cessi. Non est iactatio, sed exhortatio ad similia: (*in reliquo*) id est, quod superest. *Reposita est mihi corona iustitiæ.*) Iustitiam hic dicit omnem virtutem, hoc iam restat, vt operum meorum mihi reddatur præmium. Sic Græci interpretes. Alij coronam iustitiæ interpretantur coronam iustam, vt sit Hebraismus. *Quam reddet mihi Dominus*) id est, Christus. *In illa die*) Phrasi Scripturæ dicit, in illa die, cum nihil præcesserit, intellgens diem iudicij. Sic cap. 1. huius epist. Certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Annotãt Græci Apo. non dixisse (dabit) sed (reddet) veluti debitum quoddã & creditum, vnde & corona iusta appellatur. *Nõ solum autem mihi, sed & ijs qui*) Græci habent sed & omnibus. Vehementer his dictis erigit Timotheum. Ex hoc loco constat Paulum per coronam iustitiæ non intelligere accidẽtale aliquod præmium doctoribus vel Apost. debitum, sed ipsam vitam æternam. Nam hanc dicit omnibus paratam qui diligunt aduẽtum Christi, id est, qui cupiunt adesse diem Domini, & in aduentũ illius se per bona opera parant, ne tum confundantur.

Ad Col. 4.

Festina ad me venire cito: Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerio: Tychicum autem misi Ephesum.

Festina ad me venire.) Quia in vinculis agebat, cupiebat Timotheum accelerare iter, non sua sed plublici causã. (*Demas me reliquit*) id est, deseruit captiuum me, cùm ante vincula mecum egisset. *Diligens hoc seculum*) id est, requiem & quietem huius vitæ amans, atq; in tuto esse. *Et abijt Thessalonicam*) vt longè scilicet abesse à periculis. *Crescens in Galatiam*) missus eò à me, gratia Euãgelij. *Titus in Dalmatiam.*) Titus hic fuit (iuxta Chrysost.) Cretæ Episcopus. (*Lucas*) id est, qui Euangelium conscripsit & acta Apostolorum. *Marcum assume, est enim mihi vtilis ad ministerium Euangelicum.*) Aduertere hic oportet studium Pauli, qui in vinculis agẽs, curam gerebat tam diuersarum prouinciarum, Dalmatiæ, &c.

Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddat illi Dominus secundùm opera eius quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris.

Penulam quam reliqui Troade) penula genus pallij est, quo vtuntur aduersus imbres. Dicit Apostolum hanc petijsse Chrysostomus ex tam longinquo loco asseri, ne cui Romæ molestus esse cogeretur. Libros suos habere vult cũ iam vicinus sit mori, vt eos communicaret excerpendos credentibus Romanis. Libri videntur scripti ab alijs, membranæ ab ipso Paulo.

Alexander (faber) *ærarius multa mala mihi ostendit*) phrasis Hebræa est, pro exhibuit, varijs modis afflixit me, inquit: *Reddet ei Dominus secundùm opera eius.*) Exemplaria nõnulla habent, reddat: Verùm Augustinus in sermone Domini in monte legendum dicit, reddet, ad quem modum videntur etiam legisse Græci interpretes. Quam lectionem si sequamur, nõ erit locus hic illi quæstioni: an liceat cuipiam imprecari malum? Si tamen legamus, reddat, iuxta veteres, est schema quo nomine voti non accipitur votum, sed prædictio futuri. Thomas putat etiam simpliciter licere imprecari alteri malũ non sub ratione mali sed iusti. Vide ipsum secunda secundæ, quæstione 25. articulo. An peccatores diligendi sunt: Item quæstione 76. Arti. 1. Verùm difficilè est istud ponatur in praxi: (*quem & tu deuita*) id est, ergo hic ex illis, qui diuersa docebant. caue. *Valde enim restitit verbis nostris.*) Erat

In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.

In prima mea defensione) id est, cùm primò omnium venirem Romam vinctus ex Ierusalem, & dicerem causam ad tribunal Neronis. Sic veteres: Neotericus quidem de prima defensione in hac eadem causa exponit, sed priùs amplectendum propter sequentia. Vide Eusebiũ lib. 2. de Eccles. histor. cap. 22. *Dominus autẽ mihi adstitit vt per me prædicatio impleatur.*) Apertius vertillet, impleretur, id est, ad plenum persuaderetur, & certam haberet fidem, vel certè vt prædicatio per me cœpta absolueretur, & omnes gentes audirent Euangelium, vt sequens particula exponat præcedentem, & prædicationẽ impleri sit omnes gentes audire prædicationẽ. Hinc videtur quòd in præcedentibus locutus sit Apostolus de prima vice, qua venit Romam. Siquidem illo decem annorũ spacio quod inter primam captiuitatem fuit, multis gentibus annunciauit Euangelium.

Et liberatus sum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum

um faciet in regnum suum cœleste: cui gloria in secula seculorum, Amen. Saluta Priscillam & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo, Gratia vobiscum, Amen:

Et liberatus sum de ore leonis,) Est hic noua periodus. Loco coniunctionis (&) nonnulla exemplaria habent, quare, sed malè, vt patet ex Græcis & emendationibus Latinis. Nomine leonis iuxta Eusebium, Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium. Neronem significat propter crudelitatem. Hinc etiam coniectura sumitur, Paulum egisse prius de prima vice, qua venit Romam. Nam secunda vice non euasit.

Liberauit me Dominus) Ambrosius legit in futuro, liberabit, vt patet ex commentarijs, Item Chrysostomus legit & interpretatur, liberabit. Similiter Theophylactus, Oecumenius, & Eusebius: Emendatiora quoque Latina habent, liberabit, in futuro. Adijciunt hic Græca coniunctionem (&) hoc modo: & liberabit me Dominus, vt sit collatio vtriusque vicis. Liberatus sum de ore leonis ante decem annos, & nunc etiam liberabit me Dominus: sed (*ab omni opere malo*) id est, re mala faciet, vt nec minis vllis nec terroribus cedam, efficiet vt in confessione fidei persistam vsque ad mortem.

Et saluum faciet in regnum suum cœleste.) interpretatio est præcedentis. Quæ sequuntur non opus habent expositione.

Gratia vobiscum, Amen.

* *
*

Finis Epistolæ posterioris ad Timotheum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EPISTOLAM BEATI PAVLI APOSTOLI AD TITVM EXPOSITIO. F. ADAMI S. DELPHIL.

CAPVT I.

Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia, manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei. Tito dilecto filio secundum communem fidem gratia & pax à Deo Patre & Christo Iesu Saluatore nostro.

ARgumentum huius Epistolæ expositum est in priori ad Timotheum. Loco salutis, gratiam, misericordiam, pacemque precatur. Hæc enim tria leguntur in Græcis codicibus, de quibus omnibus dictum est in præcedentibus epistolis. Quod ait *(secundum fidem electorum)* refertur tam ad seruum quam ad Apo. estque phrasis mere Hebræa. Sensus est: in hoc seruio Deo, & à Christo Iesu missus sum, vt electis fidem annunciem. Similis phrasis est cap. 1. poste. epist. ad Tim. vbi Apost. se vocat secundum promissionem vitæ, quæ est, &c. Phrasin hanc non aduertit Chrysostomus, vnde nouè omnino interpretatur, volens hunc esse sensum. Apostolus sum eo quod electi Dei mihi sunt concrediti. Accipit ergo præpositionem κατὰ, id est, secundum, vt idem valeat quod διὰ, id est, per, et πίστιν, quod noster interpres vertit fidem, pro commissione, quòd πιστεύειν subinde committere significat, quemadmodum apud nos credere. Chryso. sequuntur Græca scholia, addunt tamen & aliam expositionem. Vel secundum fidem electorum in quibus sunt, id est, vt per me electi Dei credant, quæ expositio etiã apud Theophyl. est, & accedit ad Hebraismum. Accipitur ergo (secundum) vt sit obiecti & materiæ circa quam, vt loquuntur scholæ. Ministerium meum & munus creditum mihi, est siue versatur circa fidem & agnitionem veritatis. Enumerat ea quibus conciliat sibi beneuolentiam, quæ nos mouere debent vt aliter legamus Paulum, quam vel Aristo. vel Platonem, vel quempiam aliorum Philos. Sensus est: seruus Dei sum & Apostolus Christi ad patefaciendam veritatẽ hactenus paucissimis cognitam. Veritatem iuxta Græcos interpretes opponit figuræ seu vmbræ: *(Quæ secundum pietatem est)* id est, quæ sita est in vero Dei cultu, quæ excludit superstitionẽ. Iudaizantes nugantur de litera occidente, de alijs multis nihil ad pietatem conferentibus. *Veritas quam ego doceo, ea secundum pietatem est.*) Hic (secundum) etiam est Hebraicum, sed minus adhorrens à consuetudine Latina. Nam Latinis secundum pietatem, sonat consentaneum pietati. Sed aduertẽti ad morem Paulinum probabitur magis quod diximus. Vide cap. 2. Epist. ad Colos. vbi ter repetitur (secundum) in hac significatione. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam secundum traditionem hominum. Secundum elementa mundi, & non secundũ Christum. Sensus est: Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam, quæ versatur circa traditiones, siue quæ sita est in traditionibus, humano & non Christi spiritu proditis. Sic ad Ephe. cap. 4. Deponite veterem hominem secundum priſtinam conuersãtionem, id est, qui versatur in priſtinis moribus, quod Latinius dixit ad Colos. Veterem hominem cum actibus suis. *In spem vitæ æternæ*) Erat & Iudæis cultus quidẽ Dei notus sed non in spe vitæ æternæ, sed temporalis. Vnde scriptum est: Qui fecerit ea viuet in illis. Pietas autem quã ego doceo, habet spem vitæ æternæ. *Quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia*) id est, ante tempora mundi conditi. Facit istud ad magnitudinem beneficij, quod ante mundũ conditum Deus cogitarit de nobis, atque id accendere nos debet ad redamandum ipsum. Quærit Hieronymus. Cui promisit: & respondet quod Filio suo. Chrysostomus per catachresin accipit prædestinauit. Ante tempora secularia. Erasmus vertit ante tempora æterna, quomodo etiam legit Augustinus, sed accipit æterna, non quæ nullum habuerint initium, sed ante quæ nulla fuerunt tempora. Intelligit ergo ista sex milia annorum, quæ fluxerunt à conditio orbe. Hieronymus accipit illas æternitates, quæ præcesserunt mundum conditum. Sex milia, inquit, nec dum nostri orbis implentur anni, sed quantas prius æternitates.

quanta tempora, quantas seculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, troni, dominationes, cæteræque virtutes seruierunt Deo, & absque temporum vicibus atque mensuris Deo iubente substiterunt. Ante hæc itaque omnia tempora, quæ nec sermo eloqui, nec mens comprehendere potest, promisit Deus. Iuxta quem commentarium tempus non accipitur pro vero tempore, quale non fuit ante mundum conditum, sed pro eo quod est tempus secundum imaginationem, hoc est, tempus accipitur per catachresin. Sciendum interim Hieronymum in commentarijs suis frequenter transcribere sententias Græcorum, non quod eas ipse probet, sed vt sciat posteritas quid senserint priores. Alij figurate accipiunt, æterna pro valde antiquis per hyperbolen, & tempus propriè sumunt. Est quartus commentarius, qui ante tempora secularia, interpretatur ante quamuis cuiusuis rei durationem. Sed hic attendit nimis ad consuetudinem Aristotelicam, cum alium vsum habeat vox ea in Scripturis. Comment. hunc reijciunt alij, quod seculum propriè spacium sit centum annorum, vnde carmen seculare Horatij dicitur, in quo tractatur de sacrificijs quæ fiebant de centesimo in centesimum annum. Verum hi non aduertunt comment illum interpretari non Latinam vocem, sed Græcam nempe αἰῶνα.

Manifestauit autem temporibus suis,) hoc loco alia vox est quam paulò ante ibi erat χρόνος, hic est, καιρὸς, quæ vox proprie articulum temporis significat. Vbi certa illa momenta temporum huic negotio præscripta venerunt, tum manifestauit Deus verbum suum, id est, Filium suum iuxta Hieronymum. Chrysostomus verbum Euangelij intelligit. Vtrumque est probabile: (*in prædicatione*) id est, per prædicationem, (*quæ credita*) id est, commissa est mihi. *Secundum præceptum*) in priori Epistola ad Timotheum capite primo, hoc vertit secundum imperium: Græcis eadem vox est quam Erasmus vertit delegationem. Præpositio κατὰ sumi videtur pro διὰ, secundum præceptum, id est, per præceptum. Chrysostomus accipit præceptum propriè, vt distinguatur à consilio. Dicit enim Paulo sic præceptum fuisse, vt non esset ei liberum omittere.

Annotanda sunt semina principcIis argumenti sparsa in exordio. Apostolus sum, inquit, ad prædicandum fidei gratiam, non Moysen. Item ad docendum in quo situs sit verus Dei cultus, & non Iudaicas fabulas. Rursus hi homines sumunt sibi partes docendi, mihi hoc munus iniunctũ est, idque à Saluatore Deo.

Tito dilecto) Græce est γνησίῳ, id est, vero legitimo, proprio ac Germano filio. Quanquam Hieronymus neget vocem Latino sermone explicari posse. Quam autem familiare fuerit Titus Paulo, liquet ex posteriori Epistola ad Corinthi. vbi frequens eius mentio fit. Vide cap. 2. 7. 8. 12. Item ex capite. 2. Epistolæ ad Galatas, & cap. 4. posteri. ad Timotheum.

Chrysostomus etiam citat Acta Apostolorum, sed difficile esset ostendere in Actis mentionem esse Titi huius: *(secundum fidem)* probabile est κατὰ valere διὰ. Nam Græci dicunt peccata aliqua committi cogitatione, non solum vtuntur præpositione διὰ, sed etiam κατὰ. Vide annotationes in in caput. 4. posterioris ad Timotheum super illud: qui venturus est iudicare viuos & mortuos per aduentum eius, quo loco Græce est κατὰ. Huc facit quod in Epistola priori ad Timotheum, capite. 1. illud exprimat per (in) dilecto filio in fide. Familiare autem est Paulo (in) pro (per) vsurpare. Cõmunem dicit non omnium qui in Christo credebant fidem, sed suam & Titi, Sic Hieronymus & probabiliter. Solet enim Paulus in salutatione vsurpare principalis argumenti semina. Sensus est: multi aliter docent, tu mecum sentis, & eandem retines fidem. Alius commentarius communem fidem interpretatur fidem catholicam, sed minus probabiliter. Ex eo quod in mera salutatione tam prolixus est, licet colligere Apostolum Paulum fuisse vberi ingenio, qualeagnoscimus in Augustino.

Huius rei gratia reliquite Creta, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habent fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.

Huius rei gratia reliqui te in Creta insula,) Nam solet Titus Paulum comitari:) *vt ea quæ desunt corrigas.*) Loquitur de correctione fidei & doctrinæ. Non est autem simpliciter corrigas Græce, sed supercorrigas. Sensus est: ea quæ à me correcta sunt, & nec dum ad plenam veri lineam sunt retractata, à te corrigantur. Emphasis vocis Græce annotauit Hieronymus in commentarijs huius loci: (*& constituas per ciuitates*) id est, oppidatim (*presbyteros*) non quos vel ipse amas, vel quorum obsequijs es delinitus, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. *Sed sicut disposui tibi*) Consilium istud Pauli est loco boni commentarij. Est au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem consilium, ne munera Ecclesiastica committantur vulgo quibusuis, sed exploratis & idoneis, idque propter præsentem illius temporis statum, quod tum emergerent passim qui diuersa docerent, quique abuterentur religione ad quæstum & ad luxum, quos per eruditos Episcopos argui oportebat. Huc pertinet illud (enim) quod sequitur: *Sunt enim multi inobedientes*) Græce est ἀνυπότακτοι, id est, qui nolunt cogi in ordinem, sed suo volunt spiritu docere. Sic in priori Epistola ad Timoth. cap. 3. post catalogum virtutum quas requirit in Episcopo, subijcit: hæc tibi scribo vt scias quomodo in domo Dei oporteat te conuersari, &c. & paucis interiectis infert: spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam, &c. Quibus animaduersis palam est. Paulo in his Epistolis curæ fuisse, vt non nisi certi eligerentur ad munus Episcopi.

Si quis sine crimine est,) Istud, si quis, explicat quod dixit, sicut disposui tibi: Tales tibi disposui ordinandos, nempe si quis sine crimine est. i. si quis non possit merito accusari siue probabiliter criminari. Id enim proprie significat vox Græca ἀνέγκλητος, et non vacantem omni culpa. *Vnius vxoris vir*) volunt quidam id sentire hic Apostol. vt Episcopus vxorem habeat, sed ex commentarijs veterum, & ijs quæ in cap. 3. prioris Epistolæ ad Timoth. annotauimus facilè hoc refutatur, Alij Apostolum hic præcipere volunt, ne is qui Episcopus eligendus est vno tempore duas pariter habeat vxores. Quæ sententia refertur ab Hieronymo in commentarijs huius loci, sed refertur tantum, & in Epistola ad Oceanum ostendit sibi non placere: & nullo modo probabilem esse patet ex simili loco de viduis: Vide annotationes in capite. 3. & 5. prioris epistolæ ad Timotheum. Verus sensus est: ne instituatur Episcopus, qui post defunctam vxorem priorem, duxerit alteram. De causa huius præcepti variant commentarij. Epipha. hære. 59. sic scribit: Non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos qui à nuptijs mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt propter excellentem sacerdotij honorem & dignitatem. Hieronymus in commentarijs huius loci ad hunc habet modum: Quod ait Apost. vnius vxoris vir, sic intelligere debemus, vt non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem, sed quo is possit ad monogamiam & continentiam exhortari, qui sui exemplum præferat in docendo. Chrysostomus enarrans hunc locum sic scribit. Qui defunctæ vxori beneuolentiâ non seruauit, quomodo poterit esse bonus magister Ecclesiæ: imo quibus criminibus, id est, accusatio nibus subijcietur indies: Nam licet per leges secundæ nuptiæ permittantur, multis tamé accusationib⁹ ea res patet. Causa ergo Chrysost. est, quod peribit illi authoritas, & habebitur salax, nec omnino vacabit crimine, qui defuncta priori duxerit vxorem alterâ. Hæc causa valde congruit consilio Apostoli, qui eo tempore propter errores hominum cupiebat quam maxime insignes & inculpatos eligi Episcopos. Eandem causam habent Græc. scholia. Alius quidam commentarius rationem hanc repudiat, ignorans forte esse illorum veterum, eo quod Episcopus etiam institui possit qui plures habuerit meritrices, sed an Paulus tum ad Episcopatum admisisset talem, dubium est. vel potius non est dubium, cum velit Episcopum esse ἀνέγκλητον, id est, non solum vacantem crimine. sed talem omnino cui nemo crimen probabiliter obijcere possit. Is autem scriptor nimis inhæsit Aug. qui in hac re respexit ad rationem Sacramenti coniugij. Studiosorũ est videre, quid secutus Augustinus dederit eam rationem. Ambrosius enarrans cap. 3. prioris Epistolæ ad Timotheum eandem causam habet, quam Epiph.

Aug. libro de conjugijs adulterinis. cap. 18.

Filios habens fideles.) Sine crimine esse, ait Hiero. in nostra est potestate. Cæterum quod sequitur, habere fideles, extra nostrã voluntatem est. *Non in accusatione luxurie,*) id est, non obnoxios accusationi luxus, id est, non commessatores. Est enim Græce ἀσωτία. *Non subditos*) id est, rebelles parentibus. Tam sanctum, inquit Hieronymus sacerdotij nomen est, vt nobis etiam ea, quæ extra nos sunt posita, reputentur, non quo pro pter vitia nostra Episcopi non fiamus, sed quod propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi sumus. Qua enim liberta te possimus alienos filios corripere, & docere quæ recta sunt, cum statim nobis possit qui fuerit correptus, ingerere: ante doce filios tuos.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Oportet enim Episcopum, &c.) ergo inquit Hieron. idem est presbyter qui Episcopus. Ex quo statuere volunt Lutherani, nihil esse plus potestatis Episcopo Leodiensi quam simplici sacerdoti, sed loquitur Hiero: non nisi de coniunctione nominis ac regiminis hactenus, quod indiscretè tum

tum regerentur Ecclesiæ etiam ab ijs, qui non erant proprij earum Episcopi. Non autem vult prioribus temporibus communionem fuisse potestatis, cum in Epist. ad Euagrium palam scribat. Episcopum presbytero ordinatione superiorem esse. Quod ergo hic dicit Episcopos solum consuetudine presbyteris esse prælatos, intellige de re de qua agitur nempe regiminis exercitio, non quin in potestate ordinis etiam diuinitus collata, sint maiores Episcopi presbyteris. Idem cum Hiero. est quod habet Chrisosto. enarrans cap. 3. prioris epist. ad Tim. vbi ait inter Episcopos & presbyteros interesse fere nihil, quantum ad regimen sed sola ordinatione differre, vbi expedit inspicere vocẽ Græcam ordinationis, quæ est χειροτονία. Simile cum Chrys. habet Oec. in comment. eiusdem cap. Et hæc loca explicant Hieron. sententiam. Idem habet Amb. in comment. ad Tim. Episcopi inquit & presbyteri ordinatio eadem est, intellige passiua, vterque enim sacerdos est, sed Episcopus est primus. Vnde quemadmodum ordinet Episcopum ostendit: neque enim fas erat aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem. Nemo enim tribuit quod non accepit, Vbi fatetur Ambr. Episcopum & Sacerdotem ordinatione differre actiua. Epiph. lib. 3. contra hæreses, hæreticum appellat Aerium, quod confunderet hos ordines. Vide ipsum hæresi. 75. *Sine crimine*) Græcis est ἀνέγκλητον, de qua voce dictum est in præced. (*non superbum*). i. non tumentem & placentem sibi quod Episcopus sit, sed si qui suos populariter regat (*non iracundum*) vt si incidat in diuersa docentes non statim excandescat, sed ferat huiusmodi maximè quando spes lucri est. Tria sequẽtia eadem sunt in priori Epist. ad Tim. cap. 3. & eodem ordine iuxta Græcos. Quod noster inter prés tribus vocibus (*turpis lucri cupidũ*) Apostolus vnica dictione composita extulit dicens αἰσχροκερδῆ: Sentit autem omne studium lucri turpe esse in Episcopo, quod is præ se ferre debeat maximum diuitiarum contemptum. *Non percussorem*) Hiero. pertinere vult non ad pugnos, sed ad linguam contumeliosam ac iurgiosam. Ad eundem modum interpretatur Chrys. & Græc. scho. Huc vsque quid non debeat esse Episcopus dixit, nunc quid habere debeat, explicat. Im primis vult esse (*hospitalem*) hoc est, qui ad ædes suas suscipiat eos, qui ad res suas agendas ad ipsum conueniunt. Deinde vult esse (*benignum*) Græce est φιλάγαθον, quod Hierony. vertit bonorum amatorem, & referri potest vel ad homines, vt sensus sit, complectente bonos: Vel ad res ipsas, vt sensus sit, bonarum rerum studiosum. Similis originis vox est in posteriori Epistola ad Timotheum cap. 3. Sine benignitate, cuius loco Græcis est ἀφιλάγαθοι, Quod sequitur (*prudentem, sobrium*) Græcis non nisi vna vox est σώφρονα, de qua dictum est in priori Epistola ad Timotheum.

Sanctum) Paulus ὅσιον quod Hierony. significare vult sanctitate esse mixtam pietati, quæ ad Deum refertur: Quem enim nos sanctum, id est, purum à vitijs Græci ἁγίον vocant: quem autem illi ὅσιον, nos inquit piũ in Deum possumus appellare. *Continentem*) Græce est ἐγκρατῆ, quod (vt indicat Hiero.) quidam non recte referunt ad solam libidinem, cum ad omnes pertineat affectus, iram auaritiam, ambitionem, inuidiam, tumorem, quibus omnibus superiorem vult esse Episcopum. Ad eundem modum interpretatur Chrys. sed difficile est dicere, quid apud Paulum sit ἐγκράτεια. Amplectentem id est, studiosè retinentem alijs conantibus eripere. *Qui secundum doctrinam est*:) Illud opponit Chrys. rethoricis ratiocinationibus, & argutis conclusiunculis. Non studeat Episcopus videri nimis Aristotelicus aut rhetoricæ peritus, sed hoc agat vt erudiat suos in fide. De præpositione (secundum) dictũ est in principio epist. Sermonem fidelem vocat veritatem, vel qui nobis fidei gratiam tradit & suppeditat. Sic post Chrysost. Græcanica scholia. Amb. legit tenacem eius qui secundum doctrinam est fidelis sermonis. Græcam vocem ἀντεχόμενον, elegantissime exprimens. Nam ἀντέχεσθαι proprie dicitur qui adhæret alicui velut vnguibus affixus, nec se finit auelli: (*vt potens sit exhortari in doctrina sana*) id est, per doctrinam sanam, quod addit propter Iudaizantes. Chrysost. dicit sanam doctrinam esse, quæ petitur ex Scripturis & occultis earum sensibus. *Et eos qui contradicunt arguere*) id est, argumentis euincere & repellere eorum errores. Scripturarum hanc peritiam potissimum requirit in Episcopo Chrysostomus, & ingemiscit in commentarijs, quod eius rei nulla fere suo tempore cura haberetur. Ingemiscit & Hier. quod viderit suo seculo multos longè abesse ab hac descriptione Episcopi: Ingemiscamus & nos idem conspicientes, & oremus Deum, vt aliter prouideat gregi suo, sed & laboremus ipsi, vt aliquando meliora præstemus, hoc est, dum hic in studijs agimus, operam demus, vt quandoq; possimus exhortari in doctrina sana.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores, maximè qui de circuncisione sunt: quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnt enim multi, &c.) vocula (enim) redundat iuxta Græcos (*inobedientes*) Græce est ἀνυπότακτοι, id est, qui in ordinem cogi nolunt: Erasmus vertit intractabiles: Sententia est exposita in præcedentibus: (*vaniloqui*) Græce est ματαιολογοι, id est, qui friuola docent, qui leuia exempla adducunt in concione, qui religionem constituunt in rebus anilibus: (*seductores*) Græce est dictio composita φενακίσται, quæ perinde sonat, quasi dicas mentium deceptores, vt intelligas sermonem esse de his qui male instituunt in doctrina, quique malis & prauis opinionibus inficiunt mentem, & non de his qui seducunt ad prostibula. *Maxime qui de circumcisione sunt*) id est, de populo Iudaico: Hic est aliqua significatio illius alterius scholę. Nam si maxime tales sunt qui de circuncisione sunt, ergo & alij quidam tales sunt: Quamuis possit dici illud adiectum à Paulo, propter eos qui ex gentibus conuersi erant ad fidem, & inde à Iudaizantibus subuersi: *Quos oportet redargui*) Græce est ἐπιστομίζειν, id est, quibus oportet occludere & obturare os (vel vt Hieronymus vertit) silétium inijcere. *Qui subuertunt vniuersas domos*) id est, totas familias subuertunt. Docentes quæ non oportet) de differentijs scilicet ciborum, de circuncisione & alijs. *Turpis lucri gratia*) Ergo Iudaizantes hi peiores illis erant, de quibus in Epistola ad Romanos, qui eadem docebant, sed zelo legis adducti.

Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium se à veritate.

Dixit quidam ex illis) id est, ex illorum gente. *Proprius ipsorum propheta*) Prophetam vocat poetã, vel per ironiam, quasi talibus Christianis talis congruerent Prophetæ, vel quod is Epimenidis liber, vnde versiculus ille desumptus est, titulum habeat περὶ τῶν χρησμῶν, id est, de oraculis, vel propter qualitatem prophetiæ, per eam figuram, qua dicimus inexplicitosque Platones, pro his qui Platoni similes sunt. Proprium autem appellat, quod Cretensis fuerit ipse, qui hæc de Cretensibus scripsit. Quod ad textum sermonis pertinet, dicit Hier. referendum istud ad superiora hoc modo: huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, dixit quidam proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces &c. Vel si cui hoc inquit absurdum videtur propterea quod multa in medio sunt, aptandum erit ijs quæ magis vicina sunt, hoc modo. Sunt multi inobedientes, vaniloqui, seductores, quibus oportet os, qui vtique quia in Creta erant. Cretenses fuisse credendi sunt, dixit quidam proprius ipsorũ propheta. *Cretenses semper mendaces*) versus integer est Heroicus apud Epimenidem. Pro bestijs Græce est θηρία, quæ vox non bestias simpliciter, sed veneno noxias bestias significat. Ventres pigros appellat, quod ventri & inerti otio dediti essent.

Quam ob causam, &c.) quia videlicet ipsi homines duri sunt. *Increpa illos dure*) Græce est ἀποτόμως, id est, præcise, ad viuum, seuerè: (*vt sani sint in fide*) vt rectè se gerant in fide. Chrysost. in eos dictum putat, qui differentias ciborum obseruabant: Sic & Hieron. idem habet consequentia scripti, alioqui ex se generale est: (*non attendentes Iudaicis fabulis*) quasi absque obseruatione ciborum quam præscribit lex Moysi, fides iustificare non posset. Sic Chrysost. Accipit ergo per fabulas quæcunq; ceremonialia sunt apud Moysen, & post Christum exhibentur seu obseruantur. Hierony. intelligit commenta Rabbinorum, pro quo facit quod sequitur *Et mandatis hominum*) quæ secundum se considerata ad vtramq; scholam pertinent, sed ex circunstantijs iudicandum est, quomodo quoquo loco sumantur. Hæc pertinent ad deuteroses & traditiones Thalmudicas quæ plane fictitiæ erant. De his mandatis mentio est apud Matth. 15. *Auersantium se à veritate*) ad verbum græce est: auersantium veritatem: Noster interpres putauit in voce ἀποστρεφομένων, intelligi reciprocum pronomen, quemadmodum in psalm. Immittet Angelus Domini, scilicet se in circuitu timentium eum, &c.

Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati & increduli, & ad omne opus bonum reprobi.

Omnia munda mundis) sermo est de cibis. Inter Iudaizantes, vt ex commentarijs patet, varietas erat: Quidam enim putabant quosdam cibos immundos suapte natura: Alij immundos dicebant propter legem Moysi. Sic Leuit. 11. porcus dicitur immundus, item lepus, quod, quo sensu accipiendum est, explicat Aug. contra Faustum cap. 4. dicens porcum immundum dici non natura sed significatione. Significabat enim hominem turpi voluptati deditum, & eam significationem retinuit quoad Deo placuit nimirum vsq; ad tempus lucis Euangelicæ. Quod autem Apost. Acto. 15. prohibuerint esum suffocati id fecerunt non ob significationem, sed quod viderent abstinentiam à suffocato conducere ad aliquid Deo gratum, nempe ad concordiam gentium & Indæorum. Sic & hodie Pontifices prohibent Christianis esum carnis in ieiunio, nõ quod putent cibum vllum immundum iã, vel natura, vel significatione, sed quod delectus hic ciborum à Christianis obseruatus, facit ad refrenationem carnis, & mentis eleuationem. Alij aliter explicant, solutionẽ petentes ex textu Hebraico. Nam Hebraice non dicitur absolute, porcus erit immundus, vel lepus, sed immundus vobis (quamuis non semper addit id in sua versione Hieron.) hoc est (phrasi Hebræa) prohibitus & vetitus, quem sensum textus ipse explicat dum subijcit: De carne eorum nolo vos comedere. Similiter accipiendum est quod dicit, de his quæ in aquis sunt: Quicquid pinnulas & squammas non habet, abominabile vobis execrandumque erit, hoc est, carnes eorum non comedetis. Verus igitur sensus Leuitici explicandus est per figuram, & si quæratur, cur Deus ab his aut illis cibis illi populo abstinere iusserit: veniendum est ad id quod habet Augustinus de significatione, Chry. putat multos cibos prohibitos in lege propter nimietatem deliciarum amputandam: Ambrosius propter Iudæorum ceruicositatem coercendam. Aristæas Ptolomæi Satelles eandem causam tradit, quam Augustinus.

Coinquinatis autem & infidelibus, nihil est mundum) quæstio hic est, an eleemosyna hominis infidelis peccatum sit: id enim videtur docere hæc sententia: Respondet quidã, sermonem esse formalem: Infidelibus, vt in fideles sunt, & ex infidelitate operantur, nihil est mundum: Qui commentarius licet bonus, non tamen exactus est. Propius rem ipsam & sententiam Pauli explicat August. lib. 31. contra Faustum capite. 4. intelligens quod hic dicitur non de eleemosyna, & id genus alijs actionibus, sed de cibis hoc sensu. Infidelis siue comedat, siue abstineat, non sanctæ nec iuste comedit vel abstinet, quia praua opinione vtrumque facit. Eodẽ loco explicat quos appellet conquinatos & infideles. Illos (inquit) qui tempore reuelatæ gratiæ, adhuc illas vmbras futurorum ita custodiendas putarent, vt sine his gentes salutem, quæ in Christo est, percipere non posse contenderent: immundos dicit Apostolus, quod carnaliter saperent: & infideles quod tempus gratiæ à legis tempore non discernerent: Sed inquinatæ sint eorũ mens & conscientia) est periphrasis hominis interioris: Totus homo est pollutus & contaminatus.

Confitentur se nosse Deum) aptius vertisset, profitentur se nosse Deum, nam & hoc græca vox significat: (*factis autem negant*) Opera eorum picturæ sunt, in quibus relucet magis infidelitas quam fides: (*cum sint abominati*) id est, execrandi vita & moribus & toto interno homine. Quod sequitur (*increduli*) aptius vertisset impersuasibiles, quibus nulla ratione veritas persuaderi potest: Ad *omne opus bonum reprobi,*) id est, de quibus nihil boni est sperandum.

CAPVT II.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinã. Senes, vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, patientia.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam, Aduertenda est vocula aduersatiua (autem). Sensus hic est: Omissis fabulis Iudaicis, de quibus iam dixi, & mandatis hominum, loquere quæ decent sanam doctrinam, & docens quæ ea sint, adijcit. *Senes vt sobrij sint*) id est, non temulenti, quanquam vox græca ambigua est ad sobrium & vigilantem (*pudici*) Amb. vertit graues. græce est σεμνους: Sint seueri et præditi grauitate morum. Significat tamen ea vox interdum pudicitiam quæ cohibet libidines, sed ratius, (*prudentes*) Græce est σωφρονας, de qua voce dictum est capit. 3. prioris Epistolæ ad Tim. *Sani in fide & dilectione, &c.*) Sensus est: probabiliter sentient, sincerè diligant, sint patientes vt docet sana fides. Illa Dositæi & quorundam Iudaizantium patientia insana est.

Anus similiter, in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant. Adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei.

Anus similiter) scilicet hortare: vt eo amictu, eoq; corporis incessu, & motu sint, qui deceat matronas Christianas. Videri possit istud idem esse cum eo quod est cap. 2. prioris epistolæ ad Timoth: Similiter mulieres in habitu ornato, verum diuersæ voces sunt apud Græcos. Ad Tim. est καταστολὴ quæ vox ad vestitum pertinet. Hic est κατάστημα, quæ vox pertinet ad omnem corporis habitum. Significat enim exteriorem faciem, quam exhibemus in loquendo in ridendo, in eo medendo, in incedendo, *Non criminatrices*) Non calumnientur facta aliorum, In priori ad Timot: dixit hoc, non detrahen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trahentes, Græcis vtrobique eadem vox est. *Non multo vino seruientes.* Non sint addictæ multo vino quasi seruæ. Idem est in priori ad Timo. nisi quod pro seruire ibi sit attendere: Non multo vino attendētes. Interpres tamen vtrobique eodem modo vertit. *Bene docentes*) Græcis est vnica dictio composita καλοδιδασκάλους, sint magistræ rerum honestarum. Refertur ad exemplum vitæ: Chrisosto. etiam refert ad magisterium docendi verbo. Quanquam enim Apostolus inhibeat mulieri, ne in cœtu virorum doceat, permittit tamen ei, vt adolescentulas & sui sexus homines, domi intra parietes erudiat. Quod addit: *Vt prudentiam doceant*) Græcis vnica dictio est σωφρονίσωσι, vnde verbale nomen σωφρονισμων, quo vtitur Apostolus capit. 1. post. ad Timo. vbi interpres sobrietatem vertit. Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis & sobrietatis. Ad hoc verbum referunt Græci accusatiuum qui sequitur, adolescentulas, hoc sensu: Anus doceant adolescentulas moderationem siue temperantiā, doceant illas viros diligere, amare liberos, &c. alicui videri posit noua periodus: & sensus iste. Adulescentulas hortare vt viros suos ament &c. Pro tribus vocibus (curam domus habentes) Græce habent vnicā οἰκουρούς quæ perinde sonat ac si dicas, domus custodes, domi rem curent, & quæ peperit maritus, seruent. Vt non blasphemetur verbum Dei, id est, ne Euangelium Christi, & doctrina male audiat apud ethnicos: quod nunc sunt pauci monachi, hoc tunc erant pauci Christiani, & similiter sicut nunc in monachos, ita tunc in Christianos, omnium oculi iniecti erant.

Iuuenes similiter hortare, vt sobrij sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Iuuenes similiter hortare, vt sobrij sint) Hoc est, vt præstent temperantiam. Græce est σωφρονεῖν, verbum ambiguæ significationis. *In omnibus teipsum exemplum præbe*) aptius vertisset, exemplar, id est, formam ad quam alij componant mores suos: Græce est τύπον. Idem est ad Timotheum priorisEpistolæ cap. 4. In doctrina, in integritate vitæ, in grauitate morum. Quod ad lectionem attinet. Græci hoc modo legunt: In doctrina integritatem, grauitatem, pro quibus facit quod sequitur (*Verbum sanū irreprehensibile*) quod regitur à verbo repetito, præbe scilicet. Secundum quam lectionem, sensus est: in hac docendi prouincia præbe integritatem vitæ, grauitatem morum, non loquaris nisi quod sanum sit, & tale quod contemni non possit, vel argui. Vtrumq; enim sig. vox Pauli ἀκατάγνωστον: Theo. integritatem & grauitatem interpretatur, non vt pertineant ad mores & vitam, sed ad doctrinam hoc sensu: quæ doces, sint integra, sint non corrupta, non sint falsa: rursus non sint leuia & anilia sed grauia. *Vt is qui ex aduerso est*) id est, aduersarius, hunc autem intelligit vel eum qui diuersa docet, vel ethnicum quemuis, qui diuersam sequitur vitæ rationem. *Reuereatur*) id est, pudefiat & rubore suffundatur. (*Nihil habens*) id est, potens, nam ἐχέφρ cum infinitiuo verbo significat posse apud Græcos.

Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes: non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Conf. 1. Pet. 2.

Seruos dominis suis subditos esse,) In omnibus pene Epistolis Apostolus istud præscribit seruis, & solet eius reddi ratio hæc. Quod iam tum inceperat hæresis, quæ sentiret omnes per Christum esse liberos, nec quenquam subesse debere alteri, maximè si illi ethnicus esset. Chrysostomus aliam adfert causam hoc loco, dicens Apostolum ad istud hortari seruos, vt hoc modo domini gentiles ad Christum conuertantur. Cum enim seruorum genus fere improbum sit, durum, intractabile, & illiberale, non poterunt non mirari ipsi ethnici doctrinā Christi, & assici ei, si viderint per eam etiam seruitis conditiones homines fieri bonos. Hæc ratio Chrysostomi insignis est, & forte magis locū habet quam vulgaris illa, quod Paulus vbi monet seruos, moneat & dominos, vt videatur omne genus hominum voluisse instituere. Pro Chrysostomo quoque facit quod hic dicit Apostolus. *Doctrinam Saluatoris ornent in omnibus.*) Meminisse debemus in alijs quoque locis rationis huius, an & ibi quadret magis quam ratio vulgaris. Particulam (in omnibus) referunt quidam ad id quod præcedit, videlicet subditos esse. Alij ad id quod sequitur, videlicet placentes. Eadem varietas est in hac particula, ea parte qua dicit: In omnibus teipsum præbe exemplum, vbi Hieronymus eam pertinere vult ad præcedentia. Iuuenes, inquit, hortare vt sobrij sint, hoc est, pudici in omnibus, tam scilicet mente quam corpore. Tam opere quam cogitatione, vt nulla sit in adolescente turpitudinis suspicio.

Quod sequitur (*non contradicentes*) elegantèr vertit Ambrosi. non responsatores vult vt cedant imperijs, & quod iniunctum est,

est, mox exequantur, non respondentes, nec secum musitantes, quod serui solent. Non *fraudantes*) Græca vox νοσφίζειν, significat aliquid decerpere, ac fructum detrahere, cū totam rem non ausis tollere, & istud seruorum proprium est. Sensus est: nihil furto tollentes ex rebus dominorum, vel nihil ministerij subtrahentes dominis suis, non sibi suffurentur tempus, sed in omnibus fideles se exhibeant. Fidem dixit pro fidelitate ostendentes pro præstantes phrasi Hebræa. *Doctrinam Saluatoris Dei nostri*) id est, Christi. *Ornent in omnibus*) Ornatus doctrinę, bona vita est.

Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Apparuit enim gratia Dei, &c.) Causalis ista variè exponitur. Chrysostomus putat causam reddi, cur serui debeant esse quales descripsit: quia, inquit, nacti sunt instructorem Deum, decet vt quæ eius doctrina iubet, faciant. Rursus quia per Christum liberati sunt, turpissimum foret ipsos redire ad pristina vitia, & non quæ meliora sunt, sectari. Hiero. coniunctionem (enim) altius refert, nempe ad omnia præcedentia: habet enim in hunc modum: Post catalogum doctrinæ ad Titū, quid senes, quid anus, quid adolescentulas & iuuenes, quid ad extremum seruos erudire deberet, recte intulit. *Apparuit enim, &c.*) Hoc ergo à Chrysosto. differt Hieronymus quod ille ad seruos tantum refert, ipse vero ad omnes. Meminerint omnes, quod Christus ad hæc docenda sit natus, & proinde quisque conetur præstare quod se deceat. Alij putant non propriè hic causam reddi, sed Paulum occurrere obiectioni tacitę, quasi dicat, non est mirandum quod de seruis mentionem feci, quos ethnici penè habent pro brutis, quia Christus omnibus saluandis venit. Omnia sunt valde probabilia. Græci codices qui hodie in manibus sunt, hoc modo legunt: Apparuit enim gratia Dei salutifera omnibus. Verum Hiero. in textu addito commentarijs, legit, Saluatoris. In commentarijs quoque ter eo modo legit, & ne quis putet id indiligentia scribarum contigisse, interpretatio quam dat, indicat ipsum legisse Saluatoris, vnde periclitatur fides nouitiorum Græcorum;

(*omnibus hominibus*) id est, cuiuscunq; conditionis hominibus, tam seruis quam liberis: rursus cuiuscunque sexus nationis viris & fœminis, Græcis & barbaris, &c. *Vt abnegantes impietatem*) Græce est participiū præteriti temporis: vt abnegata impietate, id est, dogmatibus à sana fide alienis, & secularibus desiderijs, ad quæ mundus sine spiritu Christi nos ducit, quæ cum sint seculi, cum nube seculi transeunt. Semel abnegare falsa dogmata, rursus furta & adulteria, non est difficile: sed semel valedicere omnibus mundanis desiderijs, in nulla re quærere vanam gloriam, non quærere in cibis nec vestibus nisi solam necessitatem hoc opus hic labor est. Inuenitur interdum qui negare incipit, sed paucissimi abnegant, quod verbum vrget Chrysostomus.

Sobrie) Græce est σοφρόνως, vocabulum illud litigiosum Hieron. ferè pudicitiam vertit: Noster interpres nunc sobrietatem, nunc prudentiam: Chrysostomus accipit generaliter, vt significet mediocritatem nō in voluptatibus tantum tactus, sed etiam in appetendis diuitijs alijs. Ad eundem modum exponunt eam vocem Græca scholia: (*iustè*) scilicet erga proximum. *Pie*) id est, religiosè erga Deum. *Expectantes beatam spem*) Figuratus sermo est, id est, beatam immortalitatem: *Aduentum gloriæ,*) Est Hebraismus pro aduentu gloriosō, Alij vertunt apparitionem siue illustrationem: Vox Græca vtrumque significat.

Magnum Deum Filium vocat: Sic Chrysost. vbi sunt, inquit, qui maiorē Patre Filium dicunt: Idem habet Hier. in cuius commentario inter cætera hoc notandum est, quod dicit: sicut impietas māgni Dei reformidat aduentum, ita secura de opere suo & de fide illum pietas præstolatur. Quæ sententia displiceret Lutheranis, quod securitatem partim operi tribuat, quam ipsi ascribunt fidei soli. Catholici cum Hier. vtrūq; coniungunt qui etiam de securitate hac longè aliter loquuntur quam Lutherani. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret,*) id est, numerato pretio liberaret ab omni impietate. Indignissimū proinde fuerit redire ad pristina vitia. *Et mundaret sibi populum acceptabilem*) Græce est περιούσιον, quam vocem negat Hieronymus se potuisse discere à sapientibus seculi huius, quod non esset apud prophanos scriptores illius vsus. D. Chrysostomus interpretatur per vocabulum æque obscurum. Populum περιούσιον, inquit, id est, ἐξηλαγμένον, quod ipsius interpres vertit mutatum: quæ significatio parum hic quadrat. Quare de hac voce consulendi sunt sapiētes huius seculi, quod facit Budæus, qui ex Theod. & Theophrast.

docet

Universidad de Deusto
Biblioteca

docet significare rarum, inusitatũ, peregrinum, quæ significatio optimè locum habet. Apostolus vocem suam sumpsit à septuaginta, capite enim. 19. Exodi sic habent. Eritis mihi populus περιούσιος de cunctis Gentibus. Rursus. 7. cap. Deut. Elegit te Dominus tuus vt sis ipsi populus περιούσιος, præ cunctis populis. Ad quæ loca apertè alluſit Apostolus. Quare excutienda est vox Hebræa, quæ illis locis ponitur, ea autem est SEGOLA, quam Rabbi Dauid significare vult peculiare siue singulare, Rabbi Salomon thesaurum dilectum. Rabbi Abraham rem gloriosam & desiderabilem. Ex loco qui est in Ecclesiaste palam videtur ad thesauros pertinere: nam cap. 2. sic dicitur: Coaceruaui mihi aurum & argentum, & substantias regum & prouinciarum quod Hier. ibi vertit substantias, hoc est, facultates. Hebræis est SEGOLA cum quo loco si quis cõferat quod habet Chry. videbit vocem illam περιούσιον significare aliquid eximiũ, quod tum est in genere substantiarum. Sensus ergo est: Christum in hoc venisse, docuisse, & passum esse, vt faceret nos populum sibi peculiarem, populum eximium, præcipuum & qui sit loco reconditi thesauri. *Sectatorem bonorum operum*) Hieronymus vertit emulatorem bonorum operum, nam id Græce significat ζηλώτης, cuius vocis emphasin annotat Chrysostomus. Vides, inquit, vt non simpliciter opera virtutis à nobis exigantur: addit namque ζηλώτην, id est, magna cum alacritate & ingenti studio, & animo opera virtutis capescente.

HAEc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

HAEc loquere, &c.) id est, doce. Primum inquit Hieronymus ad doctrinam pertinet, verum quia plerique cunctatores sunt etiam postquam nouerint quid agendum sit, idcirco addit (*exhortare,*) Iam quia nonnulli nec exhortatione mouentur ad meliora, tertium ponit (*arguè*) nec simpliciter, sed adijcit: *Cum omni imperio*) id est, authoritate & potestate. Quemadmodum in præcedentibus epistolis Timotheo, ita etiam hic Tito præscribit, quid populo proponere debeat. Atque ex hoc cap. & sequentibus, concionatoribus Christianis petenda sunt themata, & ea populariter exponenda. Inter cæteta autem quæ à Tito proponi vult, hoc vnum est, nempe Christum tam dira passum, vt nos redimeret ab iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, qui in suo officio præstando esset sectator honestatis. Quod argumentũ nunquam satis inculcari potest populo. Vehementer quoq; concionatoribus conandũ, vt præstent id quod sequitur. *Nemo te contemnat*) ad quod etiam Timotheum hortatur, nemo, inquit, contemnat tuam adolescentiam, hoc est, ita te gere, vt nemo licet iunenis sis, merito te cõtemnere possit. D. tamen Hieronymus locum hunc separat ab eo qui ad Timotheum est, quod ibi fit καταφρονέω, quod etiam in bonam partem accipi potest, veluti cum quis cruciatus & mortem contemnit propter Christum. Hic περιφρονέω, quod putat esse despicere velut infra se positum. Quare locum ad Timotheum interpretatur vt iam diximus. Huius vero sensum hunc esse vult: ita viue vt nemo sit qui sibi melior videri possit quam ipse sis, verum Chrysostomus nullam facit differentiam, neque Theophylactus inter verbum huius loci & illius, mò Græca scholia alterum per alterum interpretantur.

CAPVT III.



Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

Admone illos principibus, &c. Græca vox (vt annotat Hieron.) non tam princeps sonat quam principatus: Admone illos, vt principibus & potestatibus subditi sint. Discunt quidam propterea hæc dicere Apostolum, quod eo sæculo quidam putarẽt Christianos non teneri imperio principum gentilium. Sed videndum ex qua historia ille commentarius sit depromptus. An id habet Epiphanius vel Iræneus: verisimile omnino est ad hæc hortari Apostolũ subditos, quod putaret ipsos hac ratione principes gentiles posse lucrifacere Christo. Hanc rationem reddit Chrysostomus in præcedenti capite, vbi agitur de seruis. Prior commentarius est Hieronymi, qui putat hæc dicta propter dogma Iudæ Galilæi, de quo capit. 5. Actor. Sed ex chronicis discimus id accidisse anno 2. Christi nati. Quare nisi aliunde constiterit dogma illud etiam tempore Pauli adhuc perduraſſe, non erit probabile quod ait Hieronymus.

Quod sequitur (*dicto obedire*) Apostolus compositio verbo dixit πειθαρχέω, quod prius est magistratibus parere. Admone illos vt magistratibus pareant etiamsi Ethnici sint, & ipsi Christiani sint. Hieronym. omittit illud (dicto) & simpliciter legit (obedire) cum quo verbo iungit quod sequitur: *Ad omne opus bonum,*) Si bonum, inquit, est quod iubet Imperator & Præses, iubentis obtempera voluntati. Sin vero malum, respondet quod in actibus Apostolorum scriptum est. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Verum distinctionis huius nõ est mentio apud cæteros, sed quod dicitur, ad omne opus bonum, referunt omnes ad id quod sequitur, paratos esse hoc sensu: Admone illos vt ad omne opus, modo malum non sit, promptos præbeant se magistratui. Non enim hoc loco sermo est de priuato cuiusque opere.

Neminem blasphemare) id est, ne sint maledici in eos, qui gerunt publica munera. Rursus ne cum magistratu iniungente vectigal, pugnas suscipiant verborum, hoc est quod dicit (*non litigiosos*) quod Græce est ἀμάχους id est, non pugnaces, Non agit Paulus hic de lite quam quis habet cum sodali, (*sed modestos*) id est, moderatos, etiam si iniungatur aliquid durius, modestè agant. *Omnem ostendentes*) id est, exhibentes mansuetudinem (*ad omnes homines*) etiam erga gentiles & alioqui malos. Hic deflectit Apostolus sermonem ad omnes, quanquam iuxta præcedentia posit videri istud proprius pertinere ad magistratum.

ERamus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

ERamus enim aliquando, &c.) Ne moueat nos quod magistratus sit Ethnicus & malus nam tales & nos fuimus olim. Variant hic comment. Hiero. exponit nos Apostoli, Chrysost. nos credentes vt ad omnes pertineat, quod magis probabile est. Insipientia interdum in Scriptura stultitiam significat cum impietate iunctam: (*increduli*) Ambro. vertit inobsequentes. Hiero. inobedientes. Cyprianus contumaces. Græce est ἀνυπήκοοι, id est, quibus veritas persuaderi non potest: (*errantes*) vago illo errore vnde planetæ dicuntur: *Seruientes desiderijs & voluptatibus varijs*) id est, toti addicti his voluptatibus: (*in malitia*) Græce est κακία, generalis nominis vocabulum: (*odibiles*) id est, qui ab omnibus odium promerebamur, & odio nos mutuo prosequentes. Hier. qui hæc ad Apost. refert, dicit etiam Paulum ante fidem in Christum non potuisse æstuantem flammam restringere voluptatum, cum non esset templum Dei.

Cum autem benignitas, &c.) Posset cogitare Christianus aliquis, se ante fidem Christi vixisse sine adulterio, cui vitio obnoxium videt magistratum: rursus multa se exercuisse opera virtutum, atque ob hæc se vocatum à Deo, in infidelitate permanente magistratu. Respondet Paulus, neminem propter sua merita vocatum, sed ob solam Dei misericordiam, quæ consequentia aduertenda est. Cũ, inquit, benignitas, virtus est iuxta Stoicos, qua vltro studemus bene mereri de alijs. *Et humanitas*) Hoc loco humanitatem interpretantur quidam incarnationẽ Christi, sed non rectè, quod patet non solum ex Græca voce, quæ est φιλανθρωπία, et non aliud significat quam studium & amorem erga homines: sed etiam ex eo quod additur: *Saluatoris nostri Dei*) quod certum est ad Patrem pertinere, cum mox sequatur mẽtio Filij. Vnde Hieronymus diligentius, inquit, attendamus, & inueniemus in præsenti capitulo manifestissimam trinitatem. benignitas quippe atque clementia Saluatoris nostri Dei, non alterius quam Dei Patris accipi potest. *Apparuit*) id est, illuxit, quæ ante Christi aduentum latebat. Non ex operibus iustitiæ, id est, non merito operum. *Sed secundum misericordiam*) Præpositionem: secũdum, nouè vsurpauit pro, propter, (*saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis.*) Periphrasis est Baptismi. Per Baptismum siquidem regeneramur & efficimur noua creatura, idque virtute spiritus quem dicit in nos effusum, quod verbum abundantiam significat, nec hoc contentus addit, abunde, id est, opulente seu diuiter: mirè exprimit benignitatem Patris erga ingratissimos homines.

Vt iustificati gratia ipsius) non merito vel debito iustitiæ. *Hæredes simus secundum spem vitæ æternæ*) id est, speremus vitam æternam aliquando forè nobis hæreditatem.

FIdelis sermo est. Et de his volo te confirmare; vt curent boni operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles, & vanæ. 1. Tim. 1. b 2. Tim. 2. a

FIdelis sermo est) Chrysost. refert ad superiora: Quæ dixi de benignitate: & ineffabili eius erga nos clementia, rursus de spe nostra quod ea non sit inanis, vt quæ innitatur tantæ bonitati: hæc inquam nõ sunt fabulosa vt Iudaica, sed certa, sed indubitata sed vera & omnibus vobis amplectenda. Hieronymus quoque ad superiora refert. Diuus Ambrosius iungit cum inferioribus.

Et de his volo te confirmare) siue asseuerare;

Coniun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Coniunctio (&) non est in Græcis codicibus, qui hodie in manibus sunt: Verum Chrysostomus legit in textu, & in commentarijs, & ad hunc modum exponit: Volo te de his præcedentibus dissererе apud populum, & hac occasione prouocare non solum ad humilitatem & modestiam, sed etiam ad eleemosynam. Accipit ergo Chrysostomus vocula (vt) quæ sequitur finaliter. Vt curent *bonis operibus præesse*) id est, munificentiæ studeant. Ambrosius in hoc conuenit cum Chrysosto. quod non de quibusuis operibus interpretetur, sed de operibus humanitatis & benignitatis. D. Hieronymus generaliter accipit opera. Illud (præesse) noue dictum est, nec satis liquet quæ sit phrasis. Chrysostomus interpretatur quasi velit fratrem non solum pecunia iuuandum, sed etiam προσασία, id est suscipiendo eius defensionem.

Stultas autem quæstiones) quales sunt Iudaizantium. *Et genealogias*) De studio Iudæorum circa genealogias mira scribit Hieronarrans hunc locum: *Et contentionis*) quæ scilicet nascũtur ex huiusmodi rebus, quan quam alij generaliter exponunt de quibusuis contentionibus. *Et pugnas legis*) græce est adiectiuum, legales pugnas, quod Hieronymus explicans, quæ veniunt ex lege, inquit.

HAEreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Cum misero ad te Arteman, aut Tichicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitum & Apollo solicitè præmitte, vt nihil illis desit.

HAEreticum hominem) id est, hominem studiosum sectæ constituendæ & propensum ad noua defendenda (*post vnam & secundam correptionem deuita*) Latinius dixit set, post vnam atque alteram admonitionẽ siue reprehensionem. Nam vox græca νουθεσία, vtrunque significat: *Sciens quia subuersus est*) quia dixit pro quod: (*& delinquit*) non vt adulter, sed sciens se oppugnare veritatem, hoc est, quod dicit: *Proprio iudicio condemnatus*) quod Græce est αὐτοκατάκριτος, dictione composita, id est, per se damnatus. *Apollo solicite præmitte,*) Græce est προπέμψον, id est, deducito siue prosequere, quod officiũ solemus hospitibus exhibere. Chrysostomus exponit instrue, ne quid desit ad vitæ commoditatem.

Discant autem & nostri, bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen.

Discant autem & nostri bonis operibus præesse) Ego Christianis peperci, sed discant ipsi munifici esse, maxime erga doctores. Nam ipsi multis egent.

Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen.

Finis Epistolæ ad Titum.

ARGVMENTVM

INter Epistolas hactenus à nobis enarratas, quatuor præcipuè ad familiam Iudaizantium pertinent, videlicet ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses & ea quæ ad Titum est scripta: reliquæ verò sex ad scholam Simonis propriè pertinent. Prioris ordinis Epistolis quidam annumerant eã, quæ ad Hebræos est scripta. Volunt enim eam scriptam propter infirmos Iudæos, qui Moysen, cui à pueris erant assueti, non audebãt relinquere, sed hunc cum Christo iungebant. Hac occasione dicunt Apostolum tam multum occupatum esse in declaranda magnitudine & excellentia Christi, qui hac perspecta audeant negligere Moysen, eademq; occasione tam prolixam ipsum disputationem texere de sacerdotio Christi & lege noua, vt à sacerdotio Aaronico & veteri lege ipsos abducat. Nam licet magna hæc videantur, tamẽ ad Christi sacerdotium & eius legem collata, sunt parua, imo nullum iam momentum habere ostendit postquàm Christus exhibitus est. In hac sententia est, qui Græcum argumentum, quod in Græcis codicibus huic Epistolæ hodie præfigitur, conscripsit. Item Primasius August. discipulus & Sedulius. D. Chrysost. aliter sentit. Putat enim ipse Apostolum hunc laborem sumpsisse propter Iudæos qui ob fidem Christi & eius religionem multa ac dura patiebantur à magistratu Iudaico Hierosolymis & in Palestina. Nam licet imperium penes Romanos esset, tamen permittebant Romani Iudæis multa statuere, & ordinare totam religionem, in qua nati erant & à pueris instituti, liberam ipsis permittebant: permittebant etiam vt possent gladio cogere eos, qui non seruarent legem. Hac occasione ex Iudæis credentes exuebãtur bonis suis, ejiciebantur è possessionibus suis & variè vexabantur. Ad hos sic afflictos scribit Apost. hanc Epistolam, adhortans ipsos ad perseuerandum in fide & fiducia erga bonitatem Dei, & in tolerantia malorum, quæ à magistratu Iudaico inferebãtur. Istud vult Chrysost. verùm esse Epistolæ argumentũ, & quicquid præterea à dicitur, non principaliter dici: Cum ipso sentit Theophylactus.

EPISTOLA D. PAVLI AD HEBRAEOS EXPOSITIO F. ADAMI S. DELPHII.

CAPVT PRIMVM.

EPISTOLA hæc hoc habet proprium, quod in frõte nõ præferat nomẽ Pauli, cuius rationẽ reddit Clemẽs apud Eusebium: Quia, inquit, inuisus erat Apostolus Hebræis, voluit eis tacito nomine scribere, ne statim in principio Epistolæ, nomine Pauli inspecto, abhorrerent à lectione. Vide caput 11. in libro sexto de Ecclesiastica historia. Eandem rationem habet Hieronymus, si tamẽ est illius præfatio, quæ Epistolis Paulinus præfigitur: quæ ratio alijs non placet, quod scribat Apostolus ad Hebræos non quosuis, sed credentes atq; eos, qui in

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificauit quòd absq; labore cuncta contineat. Hoc non patet ex versione Latina, Nã, portans, non includit in sua significatione facilitatẽ, quam includit vox Græca, φέρων.

Purgationem peccatorum faciens) Græcis est participium præteriti temporis, Postquã fecit purgationẽ peccatorum, quod annotandum, ne æstimetur sedendo purgare, prius enim morte sua purgauit, deinde consedit. Addunt hic Græci per seipsum, quod etiam interpretes vrgent. Duo (inquit Chrysostomus) prouidentiæ maxima indicia potuit, tum quòd à peccatis nos mũdauerit, tũ quòd per seipsum hoc opus impleuerit.

Sedet ad dexteram maiestatis.) Non est intelligendum quasi Pater haberet dexteram vel sinistram: sed metaphora est, qua similitudinem voluit demonstrare honoris: quẽ Filius æqualem habet cum Patre: Sic Chrysostomus. Est horrendum cogitatu, quòd is per quem secula condita sunt, qui est splendor gloriæ & expressa imago substantiæ Patris, qui potenti suo iussu gubernat & continet omnia, obuolui voluerit sacco mortalitatis nostræ, & ita purgare sordes peccatorum nostrorum: Rursus stupore plenũ est, quòd is qui carne constat & ossibus, qui in corpore suo nostra peccata pertulit super lignum, & indigna illa passus est, sedeat ad dexteram maiestatis in excelsis. Hæc frequenter cogitare oportet, vt discamus magnificare Christum: Nec hoc solùm, sed præterea vt magna audeamus sperare ab eo: Apostolus non contentus quòd Christum præposuerit Moysi & Prophetis, præponit etiam Angelis, nec absre: Nam & per Angelos olim locutus est Deus Patribus, & illorum ministerio legem dedit populo: *Tanto inquit melior,*) id est, potior siue præstantior, *Angelis effectus,*) id est, declaratus post peractã peccatorum purgationem: *Quanto differentius*) Erasmus vertit: Quanto excellentius præillis sortitus est nomen, Vterque rectè: Nam Græcis διαφέρειν, duo significat, præferre & præeminere: Sorte, inquit, obuenit, nomen ipsi Christo, quod multum differt à nomine Angelorum, siue quod multo præstantius est quàm Angelorum nomen. Ipsi Dei dicuntur ministri, Christus dicitur Filius. Est hoc quod ad Philippenses habet: Dedit illi nomen quod est super omne nomen, Hactenus Apostolus multos & magnos titulos tribuit Christo, iam sequitur probatio.

Ad Phil. 1.

CVi enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum. Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

Psal. 2. b. 2. Reg. 7. b.

CVi enim dixit aliquando *Angelorum: Filius meus es tu?*) Est probatio primi tituli, videlicet, quòd Christus sit Filius Dei, non quomodo Prophetæ, aut iusti filij dicũtur: sed Filius naturalis. Vt autem intelligatur, quid roboris habeat probatio, legendus est totus psalmus: Quare, (inquit Dauid) fremuerunt gentes, &c. Gentes, sunt cohors Romana: populi, ipsi Iudæi: Reges terræ, Pontius Pilatus & Herodes: Quorum hic, nomẽ habebat regis, ille Cæsarem referebat. Dominus, est Deus Pater: Christus eius, ipse Filius. Hunc commentarium habemus in Actis cap. 4. Cùm collegium credentium proposuisset ibi duos priores versus Psalm. 2. in hunc modum: Domine tu es qui Spiritu sancto per os Dauid Patris nostri dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominũ, & aduersus Christũ eius? Mox subiecit: Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & cætera. Locus est valde insignis, & præter hoc, quod docet quo pertineat Psalmus, etiam rationem nominis Christi eleganter exprimit, dum ait, quẽ vnxisti. Christus enim Græcis hoc est quod Latinis vinctus. Aduersus huius verùm scilicet Messiam gentes, populi, reges terræ cum tumultu & fremitu conglobati sunt: hoc enim significat vox Hebræa Racheson: hi dicunt, disrumpamus vincula eorum, id est, Domini & Christi eius. Pater per Filium vult innectere nos vinculis, & injicere nobis iugum, rumpamus vincula, abijciamus iugum, non imperent nobis, Sicilli.

Sequitur vox prophetæ: Qui habitat in cælis irridebit eos, &c. Figuratus est sermo. Sensus est: Deus irritos faciet conatus eorũ: Hic est quartus versus cum quinto, In sexto iam inducitur filius: Eius vox est. Ego autẽ constitutus sum rex ab eo, est hoc quod in principio huius Epistolæ dicitur: Quẽ constituit hæredem vniuersorum. Sion, ecclesia est. Familiare siquidem Scripturæ est, rem, quæ est typus, vsurpare pro re cuius est typus. Præceptum posuit pro præceptis per hebraismum. Sequitur in Psalmo: Dominus dixit ad me, id est, Pater dixit ad me, Filius meus es tu, &c. Hãc versum citat Apostolus pro confirmatione sententiæ suæ. Nequaquam autẽ efficax esset probatio apud Iudæos nostri temporis, tum quod ipsorum Rabbini plerique; qui post Christum scripserunt, Psalmum hunc aliò referunt nempe ad Dauid: quem dicunt de seipso, post initium regni, cum duabus

sapiat Platonismum. Secundùm Chrysostomum vtitur scriptura præpositione (per) vt significet Patris & Filij communia esse opera: nec hoc solum, sed præterea vt significet Patrem, sic operari, vt virtutem operandi nõ acceperit ab alio: Filium verò tanquam qui acceperit ab alio, nempe à Patre. Augustinũ ferè sequuntur Latini. Chrysostomum verò Græci reliqui. Ne autem quod dixerat Patrem per Filium condidisse secula, acciperet aliquis sic dictum, quasi per instrumẽtum, adiecit statim.

Qui cum sit splendor gloriæ, &c.) Vbi metaphora est, sed quæ longe abest ab eo quod cupit dicere Paulus: & sicut Paulo hic defuere vocabula, quibus rem plenè exprimeret, ita semper deerunt, quia res excedit omnia vocabula. Pro splendore Græce est ἀπαύγασμα, id est, resplendẽtia vel relucentia, siue id quod ex alio resplendet, Facit ergo Patrẽ velut solem. Filiũ verò id quod emittitur ex sole: Nihilq; aliud secundùm Chrysostomum significare voluit similitudine hac, quàm modum originis. Nimirum quod ex Patre, Filius sit ἀπαυγῶ, vel ἀπαυγὴς. Sol enim quando emittit radios, facit id sine labore & absq; mutatione sui: sic Pater producendo Filium, nihil patitur, in nullo minuitur, manet æque magnus, æque potens. Est alius commentarius qui hac Metaphora significare vult Apostolum, Filium Patri coæternum esse: hic in sole considerauit, quod nũquam fuit sine radijs. Alij hoc modo exponunt. Qui est splendor gloriæ, id est, in quo tota maiestas Patris relucet velut in speculo. Eadem voce vsus est author libri, qui Sapiẽtia inscribitur, Cap. 7. Candor est, inquit, lucis æternæ, & speculum sine macula maiestatis Dei.

Et figura substantiæ) Rursus hic metaphora est, sed quæ minimè explet mentem Pauli. Pro, figura, Græcè est χαρακτὴρ, quæ vox significat formã expressam ex alio, siue notam rei cuipiam impressam. Istud dicere vult Apostolus: Filius cuius memini, sic expressus est ad naturam Patris, vt eam totam in se sit complexus, eamq; perfectissimè & per omnia referat. Substantia autem hoc loco non est οὐσία quam Quintilianus essentiam vocat, sed ὑπόστασις, quæ à subsistendo dicitur: & inter eruditos magna quæstio est, quid significet. Hieronymus in Epistola ad Damasum: tota inquit secularium literarũ schola, nihil aliud ὑπόστασιν, quàm οὐσίαν nouit. Aliter Basilius, qui dicit significare naturam siue rem indiuiduam subsistentem: Vide Epistolam quadragesimam tertiam, quam scripsit ad fratrem suum Gregorium Nyssenum, in qua & locum hũc amplificat, & valde sudat in explicatione ipsius. Interpres nosternõ male fecisset, si vocabula Græca reliquisset non versa, dixissetq; charactir hypostaseos ipsius. Sũt enim vocabula scholæ: Omnino id oportebat facere interpretẽ Basilij. Cornarium dico medicũ, qui quoniam vertere voluit, obscuritate totam Epistolam inuoluit. Quare notandum paucis, Basilium in ea Epistola docere quid discriminis sit apud Græcos, inter voces has οὐσία & ὑπόστασις: & priorem Cornarium essentiam, posteriorem vertisse substantiam.

Portansq; omnia verbo virtutis suæ.) Participium est causale, quod mirum est interpretem non mutasse in verbum, cum in præcedentib' id fecerit. Nam loco illius, Cùm sit, Græcis est ὤν, id est, existens: Erasmus vtrũq; eodem modo reddidit, cuius translatio sic habet: & qui quum sit splẽdor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius, portetq; omnia: Græce est φέρων, id est, agens, siue mouens, & moderans omnia: Sic Chrysostomus. Sẽtit enim Apostolus non solùm mũdum hunc conditum per Filium, quemadmodum modo dixerat: Per quem fecit & secula, verum conditum regi & administrari, idq; sine labore. Commentarius Chrysostomi sic habet: Vsus est Apostolus non verbo gubernandi, sed ferendi, quod de his dicitur, qui digito vel mouent aliquid, vel efficiunt. Ad eundem modum exponit Theophylactus, item Oecu. Addit deinde Chrys. quod facit pro nostro interprete: ferens inquit, id est, continens siue sustentans omnia, ne in nihilum recidant. Verisimile est Apostolum vtrumque voluisse significare. Quare nec noster interpres plenè expressit sententiam Pauli, neq; is qui Oecumenium vertit, Nam textus additus scholijs sic habet: Qui cùm sit splẽdor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius, moderetur q; omnia. Et illud, omnia, probabilem facit sententiam eorum, qui in præcedentibus genitiuum, vniuersorum, pertinere volunt ad res: & non ad personas solùm.

Ne autem æstimaretur studio curaque, & industria (quomodo administrant homines) gubernare mundum, & continere omnia, adiecit: *Verbo virtutis suæ*) vbi verbum non est λόγος, qua voce vtitur Ioannes cùm ait. In principio erat verbum sed est ῥῆμα, habetq; Metaphorã. Sensus est: solo nutu portat omnia: Sed hoc rursus Metaphoram habet. Quare alij exponunt solo iussu: Sed nec hoc caret tropo. Si rabsq; figura efferre voluerimus, dicendum erit: Sola volũtate, Quod regi seu principi est verbum, hoc Christo est velle. Additur, virtutis, vt significetur volũtas filij semper efficax esse: estq; nebraismus, nos diceremus: portans omnia potenti verbo suo: Rursus (inquit Chrysostomus) si-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificauit quòd absq; labore cuncta contineat. Hoc non patet ex versione Latina, Nã portans, non includit in sua significatione facilitatẽ, quam includit vox Græca, φέρων.

Purgationem peccatorum faciens) Græcis est participium præteriti temporis, Postquã fecit purgationẽ peccatorum, quod annotandum, ne æstimetur sedendo purgare, prius enim morte sua purgauit, deinde consedit. Addunt hîc Græci per seipsum, quod etiam interpretes vrgent. Duo (inquit Chrysostomus) prouidentiæ maxima indicia ponit, tum quòd à peccatis nos mũdauerit, tũ quòd per se ipsum hoc opus impleuerit.

Sedet ad dexteram maiestatis.) Non est intelligendum quasi Pater haberet dexteram vel sinistram: sed metaphora est, qua similitudinem voluit demonstrare honoris: quẽ Filius æqualem habet cum Patre: Sic Chrysostomus. Est horrendum cogitatu, quòd is per quem secula condita sunt, qui est splendor gloriæ & expressa imago substantiæ Patris, qui potenti suo iussu gubernat & continet omnia, obuolui voluerit sacco mortalitatis nostræ, & ita purgare sordes peccatorum nostrorum: Rursus stupore plenũ est, quòd is qui carne constat & ossibus, qui in corpore suo nostra peccata pertulit super lignum, & indigna illa passus est, sedeat ad dexteram maiestatis in excelsis. Hæc frequenter cogitare oportet, vt discamus magnificere Christum: Nec hoc solùm, sed præterea vt magna audeamus sperare ab eo: Apostolus non contentus quòd Christum præposuerit Moysi & Prophetis, præponit etiam Angelis, nec absre: Nam & per Angelos olim locutus est Deus Patribus, & illorum ministerio legem dedit populo: *Tanto inquit melior,*) id est, potior siue præstantior, *Angelis effectus,*) id est, declaratus post peractã peccatorum purgationem: *Quanto differentius*) Erasmus vertit: Quanto excellentius præillis sortitus est nomen, Vterque rectè: Nam Græcis διαφέρειν, duo significat, præferre & præminere: Sorte, inquit, obuenit, nomen ipsi Christo, quod multum differt à nomine Angelorum, siue quod multo præstantius est quàm Angelorum nomen. Ipsi Dei dicuntur ministri, Christus dicitur Filius. Est hoc quod ad Philippenses habet: Dedit illi nomen quod est super omne nomen, Hactenus Apostolus multos & magnos titulos tribuit Christo, iam sequitur probatio.

Ad Phil. 1.

CVi enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum. Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

Psal. 2. b. 2. Reg. 7. b.

CVi enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu?) Est probatio primi tituli, videlicet, quòd Christus sit Filius Dei, non quomodo Prophetæ, aut iusti filij dicũtur: sed Filius naturalis. Vt autem intelligatur, quid roboris habeat probatio, legendus est totus psalmus: Quare, (inquit Dauid) fremuerunt gentes, &c. Gentes: sunt cohors Romana: populi, ipsi Iudæi: Reges terræ, Pontius Pilatus & Herodes: Quorum hîc, nomẽ habebat regis, ille Cæsarem referebat: Dominus, est Deus Pater: Christus eius, ipse Filius. Hunc commentarium habemus in Actis cap. 4. Cùm collegium credentium proposuisset ibi duos priores versus Psalm. 2. in hunc modum: Domine tu es qui Spiritu sancto per os Dauid Patris nostri dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominũ, & aduersus Christũ eius? Mox subiecit: Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua, & cætera. Locus est valde insignis, & præter hoc, quod docet quo pertineat Psalmus, etiam rationem nominis Christi eleganter exprimit, dum ait, quẽ vnxisti. Christus enim Græcis hoc est quod Latinis vinctus. Adducit hunc verùm scilicet Messiam gentes, populi, reges terræ cum tumultu & fremitu conglobati sunt: hoc enim significat vox Hebræa Racheson: ut dicunt, dissumpamus vincula eorum, id est, Domini & Christi eius. Pater per Filium vult innectere nos vinculis, & inijcere nobis iugum, sumpamus vincula, abijciamus iugum, non imperent nobis, Sic illi.

Sequitur vox prophetæ: Qui habitat in cælis irridebit eos, &c. Figuratus est sermo. Sensus est: Deus irritos faciet conatus eorũ: Hic est quartus versus cum quinto, in sexto iam inducitur filius: Eius vox est, Ego autẽ constitutus sum rex ab eo, est hoc quòd in principio huius Epistolæ dicitur: Quẽ constituit hæredem vniuersorum. Sion, ecclesia est. Familiare siquidem Scripturæ est, rem, quæ est typus, vsurpare pro re cuius est typus. Præceptum posuit pro præceptis per heteroſin numeri.

Sequitur in Psalmo: Dominus dixit ad me, id est, Pater dixit ad me, Filius meus es tu, &c. Hûc versum citat Apostolus procõfirmatione sententiæ suæ. Nequaquam autẽ efficax esset probatio apud Iudæos nostri temporis, tum quod ipsorum Rabbini plerique qui post Christum scripserunt, Psalmũ hunc aliò referunt nempe ad Dauid: quem dicunt de seipso, post initium regni, cum duabus

duabus iam aut tribus aduersus Philisteos potitus esset victorijs, psalmum hunc conscripsisse: tum quod nomen Filij, in scriptura etiam alijs tribuatur, nempe iustis, & ijs ad quos sermo Dei factus est. Verùm efficacissima erat apud Iudæos, quibus scripsit Paulus, eò quòd etiam vulgò tum persuasum hunc, conscriptum esse de Messia, & Filium, cuius meminit, non posse intelligi alium quàm naturalem: hinc liquet, quod Paulus simpliciter citet Psalmum, nec addat, hæc dicit propheta non de se, sed de Messia, quod aliàs facere solet, quando de sententia scripturæ quæstio est.

Quod additur: Ego hodie genui te, Varièexponunt interpretes. Augustinus refert ad æternam generationem. Quia, inquit, in æternitate nec præteritum quicquam est, quasi iam præterierit: nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum: quia quicquid æternum est semper est, ideo dicit: Hodie genui te. Istud facit valdè ad probãdam æternitetem & diuinitatem filij. Sed quæstio est: An ex veteri testamento doceri posset, (hodie) significare æternitatem. Augustinus nulla adducit loca. Ratio autem eius, adeò non cogit, vt D. Athanasius ex eadem vocula contrariam sententiam adferat. Tractans siquidem versum hunc Psalmi, appropriat, inquit, sibi Pater natiuitatem filij secundùm carnem, nam de ea sermonem esse, illud (hodie) indicat. Est tertius commentarius, qui neque ad æternam filij ex parte generationem, neque ad eam, quæ ex tempore de Virgine natus est, sed ad ipsius ex mortuis resurrectionem refert, vt sensus sit: Ego hoc die resurrectionis, vitam quam deposueras, reddidi tibi, & ad immortalitatem corporis genui te: hic est commentarius Hilarij. Est & quartus commentarius ab omnibus præcedentibus diuersus: exponit enim vt sensus sit. Ego feci hodie, vt intelligant homines, te esse Filiũ meũ consubstantialẽ. In hac tanta interpretationum varietate, scrutãdę sunt diligẽter Scripturæ, & vidẽdum anne vsquã appareat vestigiũ aliquod interpretationis particulæ huius. Versum hunc citat Apostolus cap. 13. Actorum, &, interpretatur non priorem particulam: Filius meus es tu, sed posteriorem: Ego hodie genui te. Quare diligenter legendum est caput illud: ex ijs enim quæ præcesserunt manifestum est, Apostolum solicitum esse non de diuinitate filij, sed de resurrectione, de qua ferè in omnibus suis concionibus agit, quia difficulter credebatur ab ijs qui erant extra Hierusalem, hancq; vt doceat olim fuisse prædictam adducit hunc locũ. Ego hodie genui te. Locus sic habet: Annũciamus vobis eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris, resuscitans Iesum: sicut & Psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Amplectenda est igitur expositio Hilarij, interpretatione Augustini, quam sequũtur scholastici omnes, relicta. Ne autem æstimetur insolés, & à phrasi Scripturæ abhorrere, legendũ est cap. 19. Matthæi, vbi Christus resurrectionem corporũ, quæ erit extremo die παλιγγενεσίαν, id est, regenerationem vocat.

Aug. in Psalm. 2.

Vna iam supereſt difficultas. Quomodo versus iste ad hunc modum expositus faciat ad institutum Pauli, qui probandũ sumpsit, Christum esse naturalem filium Dei? dicendũ ipsum hoc probare per illud: Filius meus es tu. Reliquum verò videlicet: Ego hodie genui te, ipsum adiecisse hoc loco, non vt probet aliquid, sed vt sciant Hebræi, vnde versum hunc sumpserit.

Hilarius in 2. Psal.

Sequitur in textu apud Paulum: *Ego ero illi in Patrẽ, &c.*) Est aliud testimonium eodem pertinẽs, sumptum ex cap. 7. 2. lib. Regum, quod vt rectè intelligatur, legendum est totum caput. Dauid ibi valde solicitus est de cultu Dei, ob hanc causam promittitur ei nobile semen. Quum Dormieris cum patribus tuis, suscitabo, inquit Deus, semen tuũ post te, quod egredietur de vtero tuo, &cæt. Quem locum quidam totum ad Salomonem referunt, sed certum est quædã maiora esse, quàm vt Salomoni conuenire possunt. Quare si in eo capite velimus agnoscere Salomonem, cogimur dicere vetus testamentum mirabiliter miscere mentionẽ typi & rei per typum significatæ. Nihil tamen est quod cogat nos agnoscere Salomonem, imò si bene inspiciamus caput, videbimus vix locum esse Salomoni, sed omnia de Christo dici: Quia tu Dauid ita addictus es cultui meo, faciam vt ex posteritate tua nascatur Christus: hic enim post mortem Dauid de vtero eius natus est, non Salomon. Et firmabo regnum eius, hoc quid sit, exponit membrum sequentis periodi, vbi dicitur: Stabiliam tronum regni eius vsq; in sempiternũ, quod certum est grandius esse, quàm vt Salomoni posit aptari.

Sequitur: *Ego ero ei in Patrem.*) Quod Eras. vertit, ego ero illi loco patris, & ipse erit mihi loco filij, id est, habebo illum pro filio. Ad quem modum etiam interpretantur, qui ad Salomonem referunt. Sed si hoc modo intelligamus, frigidissima erit probatio Pauli. Verus sensus hic est: Eum qui nascetur ex tua posteritate, assumam ad vnionẽ naturalis filij mei, id est, faciam vt homo ille subsistat in hypostasi increata, æterna & diuina. Est hoc quod dicitur apud Lucã. Quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Luc. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd si iniquè aliquid gesserit) & hoc ad Christum pertinet. Sed meminisse oportet regulæ Tyconij de Christo & corpore eius: secundum quam, ea quæ capitis sunt, corpori tribuuntur: & quæ corporis, ipsi capiti. Sensus est: Si Christiani malè vixerint, corrigam eos, sed in virga virorum, id est, humaniter, quomodo homines solent corrigere filios suos. Hunc esse sensum discimus ex Psalmo. 88. Vbi quod hîc singulariter dicitur, plurali numero effertur, hoc modo: Si dereliquerint filij eius legem meam, &c. visitabo in virga iniquitates eorũ: misericordiam autem meam, &c.

Sequitur 2. lib. Reg. cap. 7. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsq; in æternũ ante faciem tuam. Hoc mirabiliter dictum est. Sensus est: Tu videbis etiam defunctus, quòd domus tua firma erit, & regnum tuum stabile vsque in æternum: quod certum est ad Christum pertinere, & non ad Salomonem: & de Christi regno, etiam à vulgò prophetia hæc tépore Pauli intelligebatur. Discimus hoc non solùm ex isto loco Apostoli, vbi simpliciter citat de Christo, nulla alia adhibita declaratione, sed etiam ex cap. 11. Euangelij secundùm Marcum, ea parte qua scribitur. Multi vestimenta sua straverunt in via, alij frondes cædebant de arboribus, & qui præibant, & qui sequebãtur clamabãt, Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid: est planè vulgus & turbà quæ clamat.

Et quum iterum introducit.) Illud (iterũ) difficultatem habet. Latini ferè referunt ad verbum, introducit, & aliter interpretatur Primasius, aliter Lyranus, aliter Carthusianus, aliter rursus alij atq; alij. Omnino verisimile est, non pertinere ad, introducit, sed voculam esse citantis secuudum aut tertium testimonium, quomodo accepit Erasmus, cuius versio habet: Rursum autem, cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit. Græci interpretes non exponunt. Quare verisimile est ipsos intellexisse, vt sit quale est, cùm citamus multa testimonia. Verbum introducit, metaphoram habet secundùm Chrysost. quam sumptam dicit ab ijs, qui publica authoritate adeunt hæreditatẽ. Primogenitum posuit pro Christo: & eodẽ modo accipitur, quomodo cap. 8. epist. ad Rom. vt sit ipse primogenit⁹, hoc est, vt inter multos fratres primas obtineat. Sensus est: Cùm ei committit & posidendũ tradit orbẽ terrarũ post resurrectionẽ, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.*) In præcedentibus ostendit Christum excellentiorem Angelis, ex ipso nomine: hic ipsum præstantiorem declarat, ex adoratione: & præterea ob-

ter docet quod ante dixerat, ipsum constitutum hæredem vniuersorum. Citat autem versum hunc ex Psal. 96. quem aliò rursum referunt Rabbini: Nos propter Paulum interpretari debemus de Christo. Initium eius est.

Dominus regnauit. Cuius hic est sensus: Hactenus in mũdo exultauit diabolus, post hac regnabit Messias, & licet peculiariter Iudæis promissus sit, tamen regnum eius quadam versus proferetur. Proinde lætetur terra, & lætẽtur remotissimi populi, de quibus Iudæi vix per famam aliquid audierunt, quos insulares voco.

Nubes & caligo in circuitu eius. Quia nebulus in monte Sina apparuit in nube & caligine, propterea prophetæ hac periphrasi vtũtur, dum exprimere volunt diuinitatẽ. Sensus ergo est: Messias erit verus Deus. Ad hũc modum exponenda sunt, quæ sequuntur in Psalmo, nimirum vt ad Christum pertineãt.

ET *ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autẽ: Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.*

ET *ad Angelos quidem dicit.*) Ex comparatione cum Angelis variè ostendit magnitudinem Christi, de Angelis quidem dicit: *Qui facit Angelos suos Spiritus*) Angelus, officij nomen est, non naturæ. Spiritus prædicatum est, non subiectum. Flamma ignis, periphrasis est aut in genere Angelorũ omnium, aut certorum, videlicet Seraphin, qui propriè nomen habent ab ardore, magis tamen verisimile est ad omnes pertinere, hoc sensu: Pro nũcijs & ministris sui vtitur subsistantijs spiritualibus. Rabbini absque tropo intelligunt, hoc accipientes quòd vulgus per flammam ignis, nimirum ipsum ignem: & per Spiritum, ventũ & aërem. Quorum sententiam quidam stabilire volens, dicit psalmum totum de elementis agere: sed si inspiciamus diligenter, videbimus psalmum celebrare Deum, in tota creatura. *Ad Filium autem*) est Antithesis. Vocabulum (Deus) Erasmus accipere videtur in translatione sua, vt sit nominatiui casus, hoc sensu: Ipse Deus erit tibi thronus in seculum seculi. Sed verisimile omnino est vocatiui casus esse, Rabbini volunt Psalmum, ex quo versus hos adduxit Apostolus, epithalamium esse, quod scriptum sit nuptijs Salomonis. Ex Paulo discimus, epithalamium esse Christi. Thronus regni iudicium est, quare per metonymiã pro regno ponitur. Virga hoc loco sumitur pro sceptro. Sensus est: Regnũ tuum ô Christe quẽ nunc deum voco, æternum est. Sceptrum æquitatis, est sceptrum regni tui, id est, iustissimè iudicas.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te, &c.) Hæc de Christo dicuntur secundùm assumptum hominem, secundùm enim diuinitatem vnctus nõ est. Vocabulum (Deus) priori loco vocandi casu accipiendum est, posteriori verò nominandi. Oleũ exultationis interpretatur Petrus cap. 10. Actorum, cùm ait: Quem vnxit Deus Spiritu sancto. Quod additur (*præ participibus*) intelligitur ex cap. 3. Euangelij secundùm Ioannem, vbi Christus scribitur accepisse Spiritum, nõ ad mensuram, quem cæteris Christianis (quos hic cõsortes Christi vocat) constat ad mensuram datum.

Psal. 101. a. ET *tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictũ mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

ET *tu in principio Domine terram fundasti, &c.*) Hi versus sumpti sunt ex Psalmo 101. quem ex hoc capite rursum scriptum discimus de Messia. Sensus est: Tu Domine, qui Dauidi promissus es, iecisti fundamenta terrę (*opera manuum tuarum*) id est, potentiæ tuæ opera (*sunt cœli.*) Ex isto docet quod dixerat ante per Christum condita esse secula: (*ipsi peribunt*) non quidem abolitione sui, sed immutatione. (*Tu autem permanes*) immutabilis. *Et velut amictum mutabis eos*) hoc est, tanta facilitate, quanta quis vertit & inuertit vestem aut pallium. Annos posuit pro durationc. ex his versibus ostendit potentiam Christi, æternitatem, & immutabilitatem.

Psal. 109. a. Luc. 15. d. AD *quem autem Angelorũ dixit aliquando: sede à dextris meis, Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis?*

AD *quem autem Angelorum aliquando dixit: sede à dextris meis?*) Metaphora est, quæ vt ante diximus exprimitur æqualitas honoris. Sensus est: Sis æqualis mihi in honore. Honor diuinus verè in te competit. Istud dictum est Christo à Patre post resurrectionem à mortuis, & ipsius in cœlos ascensionẽ: id discimus cap. 1. epist. ad Ephes. & 2. cap. lib. Actorum. Si quærãrur, anne Christus ante resurrectionem fuerit æqualis Patri? dicendũ quod ita: sed non agnoscebatur talis. Sensus igitur huius est: Sede à dextris meis. Iam volo vt per prædicationẽ Apostolorum innotescat mundo, quod verè sis Deus æqualis mihi in honore. Ex isto docet quod dixerat: Christũ post purgationem peccatorum peractam, consedisse ad dexteram maiestatis in excelsis. Vbi nomine maiestatis, Deus Pater intelligitur, per enallagen qualitatis. Rabbini qui post Christum scripserunt, psalmum hunc alio referunt. Quidam interpretantur: Dixit Dominus Domino meo, id est, Abrahamo. Alij: Dixit Domin⁹ Domino meo, id est, Ipsi Zorobabel. Alij rursus: Dixit Dominus Domino meo, id est, Dauidi, sede à dextris meis, id est, sit tibi maxima potestas, vt populus, & non Dauid loquatur. Atque hanc expositionem videre est etiam in Christianorũ commentarijs: qui meritò deberent sustundi rubore, tribuentes id mortali homini, quod Paulus grandius dicit, quàm vt aptari possit cupiam Angelorum, hoc autem est sedere à dextris. Iudæi cùm viueret Christus, psalmum hunc de Messia intelligebant, licet ignorarent, qua ratione diceretur Messias Filius Dauid, & eiusdem Dominus. Ignorabãt enim duas naturas in Christo. Vide cap. 22. Matthæi circa finem: Illo quod additur (*donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*) significatur plena subiectio inimicorum. Iam peccatores viuunt arbitrio suo, Iam peccatum quod habitat in membris nostris excitat motus suos etiam inuitis nobis, iam diabolus infestat iustos, & varios eis ludos exhibet. Veniet tempus cum nec diabolus, nec peccatum, nec ipsi impij facere poterunt, quæ iam faciunt. Tum perfecta erit subiectio, nõ solum quoad potestatem: sed etiam quoad exercitiũ. De vocula (donec) vel (quoadusque) vide Hieronymum contra Heluidium.

Nonne omnes sunt administratorij spiritus.) Dispensatio siue œconomia salutis latissimè patet, in ea omnes creaturæ sunt occupatæ, maximè aũt Angeli, non quidam, & quidam non, sed pariter vniuersi. Omnes, inquit, administratorij spiritus sunt, qui mittuntur in ministerium. (Est enim Græcè participium præsentis temporis) propter electos, qui vitam æternã capient, erepti à massa perditionis. Vis argumenti in hoc est: Angeli omnes sunt administratorij spirit⁹, ideo non sedent à dextris Dei. Quæstio est apud doctores. An omnes cælestes Spiritus mittantur ad nos? Quidam negatiuam, alij affirmatiuam partem amplectũtur. Pro parte affirmatiua facit sententia Apostoli, quæ habet omnes sine exceptione mitti. Qui alterius opinionis sunt, respondent omnes hactenus mitti, quia faciunt aliquid, quod pertinet ad hanc dispensationem, licet non mittantur oẽs, vt incipiãt esse præsentes hic in terris. Sed istud est valdè extenuare illud (mitti) Tamen quia est sententia Dionysij,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui in his rebus edoctus creditur à Paulo, non possumus facilè ab ea recedere. Quæstio hæc tractatur à Magistro lib. 2. distinctione 10.

CAPVT II.

Propterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?

P*ropterea abundantius oportet obseruare, &c.*) Hactenus disseruit Apostolus de dignitate, excellentia, & magnitudine Christi: ex ea iam instituit exhortationem. Quia, inquit Christus, per quem extremis diebus hisce, nobis Deus est locutus, maior est, non solum prophetis, sed etiam Angelis. Certè oportet diligentius attendere ijs, quæ audiuimus ab ipso. *Ne fortè pereffluamus*) id est, semel & irreparabiliter pereamus. Sumpta est metaphora ab aqua, quę fracto vase effluit, quam posteà non potest quis colligere. Paulus cum in alijs epistolis ferè asserat authoritatem suam, eam in hac dissimulat, & facit se vnum ex multis: hoc est, scribit non vt Apostolus, sed vt frater ad fratrem. Nec mirum, cùm esset Gentium Apostolus, non Hebræorum.

Si enim qui per Angelos dictus est sermo) hoc est: Si lex quæ per Angelos administrata est (vide cap. 3. epistolæ ad Galatas, & 7. cap. Actorum) firmitatem obtinuit, hoc est: Si quicquid promissum est veteri populo, contigit. Rursum: Si quicquid interminatum est, rebus est expletum. *Et omnis præuaricatio accepit iustam*) pro qualitate, & quantitate criminis (*retributionem mercedis.*) Annotat Chrysost. Apostolum abuti vocabulo mercedis, cùm ferè in bonam partem ipsum accipi soleat. *Quomodo nos effugiemus.*) Obseruandum in hac epistola Apostolum, populum Hebræum qui fuit sub Christo, opponere populo Hebræo, qui fuit ante Christum. Si, inquit, illi qui ante Christum fuerunt, non potuerunt effugere, quin pœnas darent post præuaricationem legis per Angelos administratæ: Quomodo nos qui sumus sub Christo, effugiemus? &c. Sic in primo cap. Multiphariam olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimis diebus istis locutus est nobis, id est, Hebræis, significat totam gentem. Quare commentarius ille, qui exponit: nobis, id est, Apostolis, non est exactus. In salute metonimia est, significat ipsam doctrinā à Christo allatam, & cætera dona salutifera.

Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. Nō enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

Quæ cùm initium accepisset enarrari) id est, quæ salutaris doctrina cùm primum enarrari cœperit per ipsum Dominū. Dominus emphasim habet: *Ab ijs qui audierunt, in nos confirmata est.*) Hinc, infert quidam: Ergo epistola hæc non est Pauli: Cùm enim Paulus in alijs epistolis nusquam agnoscere se velit discipulum Apostolorum: sed per reuelationem se didicisse, quæ didicit: consentaneum est, inquit, epistolam hāc scriptam esse ab alio, cùm author ipsius fateatur se discipulum Apostolorum. Facilè respondebit ad argumentum, qui considerat perpetuum filum orationis Pauli. Quę admodum in præcedentibus, ita hoc loco cogitare oportet totum populum Hebræorum. Nā sensus est: Ab ijs qui in tota Iudæa, & Galilęa audierunt, propagata est doctrina hæc, & certa confirmatione ad nos deriuata. Illud: (*Ad nos vsque*) magnum intervallum significat, & propterea scripta videtur epistola hæc à Paulo circa finē vitæ. Adhuc, inquit, retinetur ab Hebræis doctrina illa, adhuc durat. Non igitur dicit Paulus, se discipulum Apostolorum, sed se vnā cum populo Hebræo adhuc retinere ea ipsa, quæ Christus docuit in Iudæa & Galilæa.

Contestante Deo signis & portentis.) Reuocat ad memoriam quid Deus fecerit, ad cōfirmandam hanc fidem. Deus Pater, inquit, veritatem doctrinæ per Christum orbi illatæ, confirmauit per signa & portenta, & varias virtutes: hoc exponit quidam de fide, spe & charitate. Sed certum est non id velle Paulum. Nam Græcè non est σημεῖα, quæ ponitur vitio, sed δύναμις, quæ pugnat cum imbecillitate. Sensus est: per varia miracula & dona spiritus, quæ impertijt, alijs alia, atq; alia pro sua voluntate.

Non enim Angelis subiecit Deus orbē, &c.) Toto primo capite egit de magnitudine Christi in principio. 2. cap. ex magnitudine Christi, instituit exhortationē. Iam rursum redit ad primum caput. Non enim Angelis, inquit: Vocula (enim) respicit non proximè præcedentia, sed ea quæ sunt in primo capite. Quod ibi cœperat, iam pergit demonstrare, videlicet Christum maiorem esse Angelis. Quia ait (*orbem terræ futurum*) Imaginantur quidam hic alterum orbem. Sed ostendit Chrysostomus de præsenti orbe terræ sermonem esse, quem Apostolus futurum vocat, quia conditus est, cùm ipse Filius Dei æternus sit. Vide locum cap. 5. epistolæ ad Romanos. Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Quemadmodum ibi Christus, ita hoc loco orbis terræ futurus dicitur: cùm scriberet illud Paulus, exhibitus erat Christus, sed futurum vocat, respectu temporū quibus vixit Adam. Ita hoc loco respectu perpetuitatis rilij, orbem futurum dixit.

Psal. 8. c. *Est autem est in quodam loco quis dicens: Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

T*Est autem est in quodam loco, &c.*) Nō citat Apostolus locum, quia scribit Hebræis in Scriptura diuina exercitatis. Sic Chrysostomus. Sumpti sunt autem versus isti ex psal. 8. cuius initium est: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: dirigit sermonē Dauid ad Deum patrem. Fama nominis tui maxima est, inquit, non solum in Iudæa, sed & in vniuersa terra: & quid dico in vniuersa terra? Nominis tui magnificentia cœlos excedit. Vocula enim Hebræa, quam noster interpres vertit (quoniam) amplificantis est & tantundem valet ac si dicas, imò verò eleuata est magnificētia tua super cœlos: Sequitur in Psal.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudē. Hoc exponit Christus apud Matt. cap. 21. Sequitur: Vt destruas inimicum, &c. Sensus est: Tu pater voluisti beneficium illud inenarrabile, quod exhibuisti generi humano, misso Christo, annunciare per eos qui merè idiotæ & illiterati erāt, vt destrueres scribas & pharisæos, & omnes magna de se sentiētes, qui hostes sunt & inimici in isto regni tui filij tui. Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum. Sensus est: Ego qui iam humi repo, videbo quandoque, & cominus contemplabor cœlos beneficio incarnati Verbi tui.

Quid est homo quod memor es, &c. cæt.) Significat maximam vilitatem. Cùm homo vilissimus sit, tu tamen ipsius memor es, peculiaria exhibendo ei beneficia. Eandem sententiam habet quod sequitur: Nam Filius hominis, phrasi Hebręa non aliud est quàm homo: Ad hunc versum alludit Apostolus in epist. ad Ephe. Capite quidem primo refert illa maxima beneficia, humano generi à tre per Christum præstita: cap. vero secundo proponit vilitatem humani generis. Cum, inquit, mortui essemus peccatis & delictis, essemus natura filij iræ: Deus qui dives est in misericordia, &c.

Minuisti eum paulò minus ab Angelis.) Refertur ad totam speciem. Sensus est: Hominē secundum totam speciem, inferiorem fecisti Angelis: sed in re parua, in hoc nimirum quod attribuisti ei corpus mortale, & miserijs multis obnoxium. *Gloria & honore coronasti eum*) Hæc pars ostendit dignitatem humani generis, quā licet aspicere in vno supposito, in ipso scilicet Christo. Sensus est: Constituisti eum ad dexteram tuam in cœlestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem. Sic Paul⁹ capite primo ad Ephesios. Quia enim Christus caro nostra est, & os nostrum: idcirco quod ipsi contigit, nobis contigisse dicitur. Vnde capite secundo eiusdem Epistolæ, Apostolus nos confedere dicit in cœlestibus in Christo. Quem locum vt intelligas consule commentaria Chrysost. Vocabulo coronandi, vtuntur Hebræi ad significandam copiam.

1. Cor. 15. d. O*Mnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Eum autem qui modico quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum* Ad Phil. 2. b. *propter passionē mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortē.*

O*Mnia subiecisti sub pedibus eius*) hunc versum citat etiam in Epistola ad Ephesios capite primo. Et in priori Epistola ad Corinthios. Et vt rectè intelligatur, distinguere oportet inter potestatem & exercitiū potestatis. Si spectes potestatem, omnia iam subiecta sunt Christo, non autem, si exercitium. Patitur enim adhuc mortem exercere tyrannidem suam, homines impios sæuire, & molestare infestareq; Ecclesiam, & sic de reliquis. Hactenus Apostolus proposuit Psalmum octauum. Iam incipit exponere, & primum interpretatur illud (omnia.) *In eo inquit*) id est, per hoc quod omnia ei subiecit, *nihil dimisit non subiectum ei*) ergo & Angeli subiecti ei sunt, & vita, & mors, &c.

1. ad Corint. cap. 15.

Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.) Hic interpretatur verbū (subiecisti) In Psalmo, inquit, quem citaui, quędam impleta sunt, quædam non sunt impleta. Nondum rebus expletum est, quod dicitur, omnia subiecisti ei: sed quotidie expletur, quare intelligere oportet, à tempore resurrectionis cœpisti subijcere, & paulatim perficies quod cœpisti. Particula præcedēs videlicet, gloria & honore coronasti eum, iam rebus expleta

Universidad de Deusto
Biblioteca

expleta est. Videmus, inquit, eũ, qui modico, etc. Græce est βραχύτι, quod pertinere potest, vel ad tempus, vt sensus sit. Eum qui ad breue tempus infra Angelos diminutus fuerat, videmus & cætera. Vel ad rem, hoc sensu. Eũ qui effectus fuerat inferior Angelis in re parua, in corpore videlicet doloribus obnoxio. *Videmus Iesum, &c.*) Quid circa personam Christi in cœlis geratur, nõ videmus, cernimus interim quam late ipsius nomen celebretur in terris: quod in illis locis, vbi quondam idola colebãtur, iam Christus adoretur, & vere agnoscatur pro Deo. Hoc modo videmus ipsum gloria & honore coronatum. Hanc autem gloriam siue nominis celebritatem meruit per passionem suam. Annotant veteres non dixisse Apostolum, propter mortem, sed propter passionẽ mortis, vt sciremus veram mortem fuisse, quę verè ipsum afflixerit. Similis huic locus est, in Epistola ad Philippenses, capite secũdo. Humiliauit semet ipsum, factus obediẽs vsque ad mortem, propterea Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen, &c.

Quod sequitur. (*Vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem*) explicat quod ante dixerat, ipsum minoratum. Non eramus redimendi, idque morte: propterea Pater voluit Christum habere corpus mortale, & doloribus obnoxium, vt posset & pati & mori, atq; hac re ipsum inferiorem fecit Angelis. Fecit autem istud pater sola sua bonitate motus, ipsius bonitati istud acceptum ferre oportet, hoc est quod ait, vt gratia Dei, hoc est, per gratiam Dei: est enim ablatiui casus. Est illud quod habet Ioannes. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &cæt.

Quod additur (*pro omnibus*) referũt quidam ad prædestinatos: secundum Chrysostomum latius patet. Nam exponit, non pro fidelibus tantum. sed & pro vniuerso mundo: quod autem mors Christi nõ omnibus proficiat, prouenit non ex eo quod illa non sit sufficiens ad tollenda peccata omnium, sed quod ipsi non iungantur Christo. Vide libellum Augustiui, in quo respondet ad articulos falsò sibi impositos, articulo primo. Annotat hic Chrysostomus dixisse Apostolum non hoc modo, vt pro omnibus moreretur, sed vt pro omnibus gustaret mortem. Quum enim tantum tribus diebꝰ Christus mortuus fuit, ideo gustasse solum videtur mortem. Verùm hæc expositio locum non habet apud Ioannem cap. 8. Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Quare simplicius est si dicamus phrasin scripturæ esse, & nõ aliud significare quam mori, siue metaphora sumpta sit ab ijs, qui expotãt venenum, siue alibi. Imaginantur quidam hic alterum orbem. Sed ostendit Chrysostomus de præsenti orbe terræ sermonem esse, quem Apostolus futurum vocat, quia conditus est, cum ipse Filius Dei æternus sit. Vide locum cap. 5. epistolæ ad Romanos. Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaueruntin similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Quemadmodum ibi Christus, ita hoc loco orbis terræ futurus dicitur: cùm scriberet illud Paulus, exhibitus erat Christus, sed futurum vocat, respectu temporũ quibus vixit Adam. Ita hoc loco respectu perpetuitatis filij, orbem futurum dixit.

Psal. 8. c. *Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Et statim est autem in quodam loco, &c.) Nõ citat Apostolus locum, quia scribit Hebræis in Scriptura diuina exercitatis. Sic Chrysostomus. Sumpti sunt autem versus isti ex psal. 8. cuius initium est: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: dirigit sermonẽ Dauid ad Deum patrem. Fama nominis tui maxima est, inquit, non solum in Iudæa, sed & in vniuersa terra: & quid dico in vniuersa terra? Nominis tui magnificentia cœlos excedit. Vocula enim Hebræa, quam noster interpres vertit (quoniam) amplificantis est & tantundem valet ac si dicas, imò verò eleuata est magnificẽtia tua super cœlos: Sequitur in psal.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laude. Hoc exponit Christus apud Matt. cap. 21. Sequitur: Vt destruas inimicum, &c. Sensus est: Tu pater voluisti beneficium illud inenarrabile, quod exhibuisti generi humano, misso Christo, annunciare per eos qui merè idiotæ & illiterati erãt, vt destrueres scribas & pharisæos, & omnes magna de se sentiẽtes, qui hostes sunt & inimici in isto regni filij tui. Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum. Sensus est: Ego qui iam humi repo, videbo quandoque, & cominus contemplabor cœlos beneficio incarnati Verbi tui.

Quid est homo quod memor es, &cæt.) Significat maximam vilitatem. Cùm homo vilissimus sit, tu tamen ipsius memor es, peculiaria exhibendo ei beneficia. Eandem sententiam habet quod sequitur: Nam Filius hominis, phrasi Hebræa non aliud est quàm homo: Ad hunc versum alludit Apostolus in epist. ad Ephe. Capite quidem primo refert illa maxima beneficia, humano generi à vatre per Christum præstita: cap. vero secundo proponit vilitatem humani generis. Cum, inquit, mortui essemus peccatis & delictis, essemus natura filij iræ: Deus qui diues est in misericordia, &c.

Minuisti eum paulò minus ab Angelis.) Refertur ad totam speciem. Sensus est: Hominẽ secundum totam speciem, inferiorem fecisti Angelis: sed in re parua, in hoc nimirum quod attribuisti ei corpus mortale, & miserijs multis obnoxium. *Gloria & honore coronasti eum*) Hæc pars ostendit dignitatem humani generis, quã licet aspicere in vno supposito, in ipso scilicet Christo. Sensus est: Constituisti eum ad dexteram tuam in cælestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem. Sic Paulꝰ capite primo ad Ephesios. Quia enim Christus caro nostra est, & os nostrum: idcirco quod ipsi contigit, nobis contigisse dicitur. Vnde capite secundo eiusdem Epistolæ, Apostolus nos confedere dicit in cælestibus in Christo. Quem locum vt intelligas consule commentaria Chrysost. Vocabulo coronandi, vtuntur Hebræi ad significandam copiam.

Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo 1. Cor. 15. d. *enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Eum autem qui modico quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum* Ad Phil. 2. b. *propter passionẽ mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortẽ.*

Omnia subiecisti sub pedibus eius) hunc versum citat etiam in Epistola ad Ephesios capite primo. Et in priori Epistola ad Corinthios. Et vt rectè intelligatur, distinguere oportet inter potestatem & exercitiũ potestatis. Si spectes potestatem, omnia iam subiecta sunt Christo, non autem, si exercitium. Patitur enim adhuc mortem exercere tyrannidem suam, homines impios sæuire, & molestare infestareq; Ecclesiam, & sic de reliquis. Hactenꝰ Apostolus proposuit Psalmum octauum. Iam incipit exponere, & primum interpretatur illud (omnia.) *In eo enim* (inquit) id est, per hoc quod omnia ei subiecit, *nihil dimisit non subiectum ei*) ergo & Angeli subiecti ei sunt, & vita, & mors, &c. 1. ad Corint. cap. 15.

Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.) Hic interpretatur verbũ (subiecisti) In Psalmo, inquit, quem citaui, quædam impleta sunt, quædam non sunt impleta. Nondum rebus expletum est, quod dicitur, omnia subiecisti ei: sed quotidie expletur, quare intelligere oportet, à tempore resurrectionis cœpisti subijcere, & paulatim perficies quod cœpisti. Particula præcedẽs videlicet, gloria & honore coronasti eum, iam rebus

expleta

Universidad de Deusto
Biblioteca

expleta est. Videmus, inquit, eũ, qui modico, etc. Græcè est βραχύτι, quod pertinere potest, vel ad tempus, vt sensus sit. Eum qui ad breue tempus infra Angelos diminutus fuerat, videmus & cætera. Vel ad rem, hoc sensu. Eũ qui effectus fuerat inferior Angelis in re parua, in corpore videlicet doloribus obnoxio. *Videmus Iesum, &c.*) Quid circa personam Christi in cœlis geratur, nõ videmus, cernimus interim quam late ipsius nomen celebretur in terris: quod in illis locis, vbi quondam idola colebãtur, iam Christus adoretur, & vere agnoscatur pro Deo. Hoc modo videmus ipsum gloria & honore coronatum. Hanc autem gloriam siue nominis celebritatem meruit per passionem suam. Annotant veteres non dixisse Apostolum, propter mortem, sed propter passionẽ mortis, vt sciremus veram mortem fuisse, quę verè ipsum afflixerit. Similis huic locus est, in Epistola ad Philippenses, capite secũdo. Humiliauit semetipsum, factus obediẽs vsque ad mortem, propterea Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen, &c.

Quod sequitur. (*Vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem*) explicat quod ante dixerat, ipsum minoratum. Non eramus redimendi, idque morte: propterea Pater voluit Christum habere corpus mortale, & doloribus obnoxium, vt posset & pati & mori, atq; hac re ipsum inferiorem fecit Angelis. Fecit autem istud pater sola sua bonitate motus, ipsius bonitati istud acceptum ferre oportet, hoc est quod ait, vt gratia Dei, hoc est, per gratiam Dei: est enim ablatiui casus. Est illud quod habet Ioannes. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &cæt.

Quod additur (*pro omnibus*) referũt quidam ad prædestinatos: secundum Chrysostomum latius patet. Nam exponit, non pro fidelibus tantum, sed & pro vniuerso mundo: quod autem mors Christi nõ omnibus proficiat, prouenit non ex eo quod illa non sit sufficiens ad tollenda peccata omnium, sed quod ipsi non iungantur Christo. Vide libellum Augustiui, in quo respondet ad articulos falsò sibi impositos, articulo primo. Annotat hic Chrysostomus dixisse Apostolum non hoc modo, vt pro omnibus moreretur, sed vt pro omnibus gustaret mortem. Quum enim tantum tribus diebꝰ Christus mortuus fuit, ideo gustasse solum videtur mortem. Verùm hæc expositio locum non habet apud Ioannem cap. 8. Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Quare simplicius est si dicamus phrasin scripturæ esse, & nõ aliud significare quam mori, siue metaphora sumpta sit ab ijs, qui expotãt venenum, siue alioquin de. Solicitus est autem hic Apostolus, vt amoueat scandalum crucis. Poterat quis dicere. Si tantus est Christus, quare crucẽ pertulit? Respondet Apostolus. Vt nos liberaremur. Sed poterat ne Deus alio modo liberare homines? Ita ait. Sed modꝰ hic maximè decens erat.

Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari. Qui enim sanctificat & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia.) Periphrasis est Patris. Ipse enim omnia condidit, & omnium ipse finis est. *Adduxerat*) positum est, pro adducit, id est, dum occupatus est in adducendis multis ad gloriam. Vel certè ad prædestinationem referendũ est. Dicebat patrem, qui multos adducere ad gloriã statuerat, vt eũ, qui esset princeps ac dux salutis cæterorum, consummaret per varias afflictiones. Ab æterno decreuerat Deus pater eripere quosdam ex massa perditionis, ac eos per varias afflictiones perducere ad gloriam. Propterea decebat vt & authorem salutis cæterorũ, eodem modo tractaret, quo reliquos. Nonnulla exempleria habent consummari, sed male. Legendum est in voce actiua, cõsummare. Quærunt hic cõmentarij an aliquid perfectionis accesserit Christo? Chrysostomus negat, vnde quod hic dicitur, vt varijs afflictionibus perfectum eum redderet, interpretatur hoc sensu. Vt perfectum eum declararet. Alij dicũt vere aliquid accessisse Christo: videlicet immortalitatem, & gloriã corporis. Plenus sensus erit, si vtrumque facias vnum commentarium.

Qui enim sanctificat, &c.) Hic est plena reditio causæ, sensus est: Pater voluit Filium subire cruciatus, & afflictiones consummare, quia voluit ipsum esse sanctificationem multorum, & calamitosorum hominum. Qui autem sanctificat & qui sanctificantur, eiusdem sunt naturæ oportet eisdem malis affici, peccato tamen, & ijs quæ ad peccatũ vergunt, exceptis. Græci istud, Qui sanctificat, interpretantur vt sit periphrasis Christi, sed præstat accipere quomodo exposuimus vt sit γνωμε, hoc est, generalis sententia, et rursus illud. *Ex vno omnes.*) Illud exponunt vt pertineat ad personam, hoc sensu: Et is qui sanctificat & ij qui sanctificantur, ex vno patre sunt: sed præstat exponere vt ad rem pertineat. Ex vno, id est, ex vna natura, eo sensu quo dictum est.

Propter quam causam.) Quia videlicet eiusdem cum cæteris naturæ est (*nõ confunditur*) siue non erubescit. Fratres eos vocare, dicens. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*) testimonium hoc sumptum est ex Psal. 21. quem discimus ad Christum pertinere, non solum ex hoc loco Apostoli, verùm etiam ex Euangelio Mathæi, Marci, & Ioannis. Qui ea parte qua describunt passionem Domini, adducũt ex hoc Psalmo versus varios, quos de Christo interpretantur. Debemus autem maximã hinc accipere cõsolationem, quod Christus cùm tantus sit, nos agnoscat pro fratribus suis, idq; post resurrectionem, gloria iam & immortalitate corporis donatus. Nam illud tempus, ipsum in hoc versu respicere liquet ex Psalmo. *Laudabo te*) Græcis est, hymnis celebrabo.

Psal. 17. 9 Psa. 8. d

Et iterum. Ego ero fidens in eum. Et iterum. Ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdẽ, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erãt seruituti.

Esa. 13. d 1. Cor. 15. g

Et iterum, ego ero fidens in eum) difficilè est dicere vnde istud testimonium citet Apostolus, omnes libri nostri, & etiam Græci habent ex Psalmo 17. sumptum esse: quos si velimus sequi duo cogimur fateri: alterũ, quod sensum non verba psalmi citauit Apostolus. Nam psalmus habet, Sperabo in eo. Alterum, quod vetus scriptura præter sensum hystoricum frequenter alium habeat, nempe allegoricum: Titulus Psalmi vocat nos ad hystoriã, vt de Dauide intelligamus. Paulus necessario inuitat ad allegoriam, vt Christus loquatur. Si citasset ex fine Psal. nulla fuisset hic difficultas: nam certum est eam partem ad Christum pertinere. Quod enim dicitur. Constitues me in caput gentium, grandius est quàm vt conuenire possit Dauidi. Sensus enim est, vt patet aduertenti ad similes phrases scripturæ. Constitues me in caput omnium gentium, populus quem non cognoui, id est, gentes quas hactenus non habui loco populi iam seruiunt mihi in auditu auris, id est, ad nutũ, simul vt audierunt voluntatẽ meam, obediẽtes se præstitere. Quæ dubium non est quin ad Christũ pertineãt, maximè cũ veteres cõstanter sic interpretentur. Neoterici tamen audent totum Psalmum de Dauide exponere, sed torquent scripturã. Adduxit, aũt Paulus hunc versum, vt doceret Christũ habuisse naturã vere passibilem, & obnoxiã miserijs, qualem habent reliqui homines, & vere aliquid defuisse Christo, quod sperat se cõsecuturum ab alio, nempe à Patre. An autem fuerit spes in Christo, id disputat Thomas in 3. parte, inde petatur eius rei resolutio. Si non obstarent libri nostri qui cõstanter habent Psal. 17. possemus dicere Apostolum sententiam hanc transcripsisse ex capite 12. Esaiæ. Nam ibi eisdem planè & totidem verbis proponitur, iuxta editionem Septuaginta, quam ferè citare solet Paulus.

Testimoniũ secundũ videlicet. (*Ecce ego & pueri mei*) constat sumptũ esse ex capite 8. Esaiæ, quod quidã interpretantur vt sit vox Esaiæ, Paulus dicit ad Christũ pertinere, Verum an mediante typo, hoc non dicit: sed hoc petendũ est ex textu Propheræ. Rursus hunc versum adduxit Apostolus ad declarandũ Christũ fuisse similem nostri, hoc est, passibilem, miserũ, mortalem: istud oportet habere præ oculis, Sensus est: Ego in hac miseria præbeo me tibi ô Pater, & non ego solus, sed vna mecum pueri, id est, discipuli quos æterna prædestinatione dedisti mihi. In expectatione, liberationis facio me similem cæteris.

Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini.) Sensus est: quia pueri erant homines & miseri homines, obnoxij multis malis. *Et ipse similiter participauit eisdem*) vocula (&) ponitur loco (etiam) sensus est, etiam ipse voluit esse homo, & miser homo, obnoxius multis malis. Caro & sanguis, periphrasis est hominis: interdum pertinet ad naturam humanam secundùm se consideratam, non vt miserijs subiecta est. Sic verisimile est sumi apud Matthæum. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Sensus est: nullo ingenio humano, sed reuelatione didicisti, me Filium esse Dei viui. Interdum pertinet ad naturam humanam obnoxiam miserijs, atque in hac significatione sæpe vsurpatur à Scriptura in altera verò raro admodum. Vocula (Similiter) non debet leuiter transmitti: significat enim Christum verè habuisse commercium cum carne & sanguine, & non iuxtà phantasiam quandam, vt voluerunt hæretici. Matth. 16.

Vt per mortem destrueret) Vocula (vt) finalis est. Voluit Christus cõmercium habere cum carne & sanguine, vt posset mori: non autem voluit *vt destrueret eum qui mortis habebat imperiũ*) periphrasis est diaboli. Visum est Christo conuenire, vt diabolus penes quem erat imperiũ mortis, vinceretur morte. Vocabulum (mortis) latius patet posteriori loco, quàm priori. Dum dicitur, vt per mortem & cætera. Pertinet solum ad mortẽ corporis: dum subijcitur, qui mortis habebat imperium, pertinet ad mortem cùm corporis, tum animæ, quæ hanc sequitur, quæ est mors æterna. Nomine imperij significatur potestas pertrahendi homines in

mortem

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortem: & eos qui in morte erant, sub morte tenendi. Diabolus heterosin numeri habet, pertinet enim ad totum collegium dæmonum.

Et liberaret eos qui timore mortis, &c.) Omnes sine exceptione erant addicti seruituti, hæc seruitus erat metus mortis istius quotidianæ. Sed erántne multi qui nihil cogitabant de morte? fieri potuit: tamen ex omni hominum genere aliqui semper cogitabãt de morte. Omnes qui non erant ebrij vitijs, hoc agebant vt consolarentur se aduersus mortem quod patet ex libris Ethnicorum: sed omnibus studijs suis nõ potuerunt eximere animis suis hunc metum, solus Christus id efficit, is mortuus est primo, vt destrueret diabolũ, qui adigebat morti quos valebat, deinde vt morte & resurrectione sua persuaderet nobis etiam nos resurrecturos, ita liberaret isto perpetuo metu mortis: hic est pars sensus, non autem plenus sensus, quia pertinet mors etiam ad eam quæ animæ est: plenus sensus erit si adiungas: vt liberaret nos metu, quo soliciti eram⁹ de anima, quid de illa futurum esset post migrationem è corpore, an victura esset in cælis, an alibi. Ab hoc metu liberauit nos Christus per spem: quemadmodum ab altero qui solicitos nos reddebat de corpore, per fidem. Qui enim credit resurrectionem, & fretus morte Christi, quam semper præ oculis habet, cui & sese studet conformare, confidit sese peruenturum ad beatam immortalitatem: is liberatus est metu, cuius hic meminit Paulus, & assecutus est iam, id propter quod Deus fieri voluit homo mortalis. Expedit legere partem ethicam, quæ est in commentarijs Chrysostomi: proponit illa ceremonias, quæ seruabantur tempore illo in exequijs defunctorum: efferebatur funus, vocabantur sacerdotes, adhibebantur psalmistæ accendebantur lampades, cãtabantur psalmi, & ij planè qui hodie, videlicet: Dilexi quoniam exaudiet Dominus, &cæt. Nam eo psalmo citat Chrysostomus. Conuertere anima mea in requiem tuam: Item Psalmus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Ex illo citat: Tu es refugiũ meum, &cætera. Item Psalmus, Dominus regit me & nihil mihi deerit, ex hoc citat: Non timebo mala quoniam tu mecum es. Præter hæc quæ iam diximus, adhibebantur etiam lamentatrices fœminæ, quod valde reprehẽdit. Iubeo inquit vt deinceps istud nõ fiat: quod si non obtemperaueritis mihi, vtar seueritate legum Ecclesiasticarum, arcebo vos ab Ecclesia & excõmunicabo. Multa hoc loco dicit Chrysostomus de censuris Ecclesiasticis, & ne contemnantur, dicit, quo authore Ecclesia acceperit potestatem illam ligandi.

Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehẽdit. Vnde debuit per omnia fratribus simulari, vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: in eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.

Nusquam enim Angelos apprehendit.) Illud (enim) habet vim causalis, sensus est: Messiam de quo tam magnifica dixi, facio hominem mortalem, quia facio eum hominum mortalium liberatorem: imo non ego sed Scriptura: nusquam enim Angelos apprehendit, id est, nusquam Scriptura eũ inducit apprehẽdentem Angelos: Est enim præsentis tẽporis illud (apprehendit) quod patet ex voce Græca cui⁹ vim explicat Chrysostomus: Verbum, inquit, apprehendi metaphoram habet sumptã ab eo, qui magno studio sequitur aliquem, omniaq; facit, vt fugientem occupet & apprehendat. Nos fugiebamus à Deo, ipse nos insequutus est, & velut iniecta manu apprehẽdit nos: nec passus est nos perire: adhuc ea natura est, vt diu audimus diuina, fugiamus & diuertamus ad alia.

Ex semine Abrahæ) per synechdochen cõcipere nos voluit totum genus humanum. Sensus enim est, Christum venisse non ad liberandos Angelos, sed homines. Vsus est autem hac synechdoche in gratiam Hebræorum. Erasmus in hunc modum vertit, nusquam enim sanè angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit, quæ versio non placuisset Chrysostomo, qui in commentarijs huius loci rationem reddit, cur Apostolus vsus fuerit verbo apprehendendi & non verbo suscipiendi vel assumendi.

Vnde debuit per omnia fratribus similari & cætera.) Sensus est: posteaquàm placuit ei iugientem à se vel ab ipso, naturam humanam apprehendere, eamq; liberare, decuit vt per omnia fieret similis hominibus, hoc est, vt assumeret naturam talem, qualis est in omnibus alijs videlicet miseram, & subiectam omnibus alijs malis, quæ ipsam naturam humanam generaliter comitãtur: excepto peccato, & ijs quæ ad peccatum vergunt.

Vt misericors fieret) experimento scilicet miseriarum: qui enim ipse expertus est miserias, magis tangitur sensu humanitatis: (*et fidelis pontifex*) id est, qui bona fide obiret, minus veri Sacerdotis. Quod sequitur (*ad Deum*) aptiùs vertit cap. 5. huius Epistolæ ait, in ijs quæ sunt, id est, quæ spectant ad Deum.

Vt repropitiaret delicta populi.) Vt, est conIuuctio expletiua, explicat quod sit munus veri sacerdotis, & quæ sint, quæ apud Deum agantur: Munus veri Sacerdotis est, Deum reddere

reddere proprium populo: Paucos inuenire est hodie sacerdotes, quibus istud verè curæ est, accedimus fere altare ex consuetudine, aut causã quæstus, non vt iram Dei placemus. In hoc quod ait, vt repropitiaret delicta populi, rursus aliquid dedit auribus Hebræorum: alludit enim ad promissiones notas: sensus est: vt expiaret delicta Iudæorum, verum ex hoc populo concipere oportet totum mundum per synechdochen.

In eo enim in quo passus est ipse) Ad verbum est: in quo enim passus est ipse, & phrasi Græca tantundem valet ac si dicas: quatenus passus est ipse vel ex hoc quod passus est ipse, & expertus miserias istas. *Potens est.*) Potentia hoc loco aptitudo. Sensus est: valde propensus est ad succurrendum illis quibus affliguntur. Quæstio est apud interpretes quomodo accipiatur, tentatus. Vox Græca, quemadmodum & Latina, ambigua est. Interdum enim significat facere quippiam ad faciendum experimentum de scientia alicuius, aut constantia, aut alia simili qualitate. Interdum vero simpliciter experiri significat, quomodo experimur frigora & æstus. In hac significatione nos accepimus, alijs altera magis placet. Nam quidam eorum exponunt. Ideo quod passus est ipse, & tentatus a diabolo, Iudæos incitante in necem ipsius, vt hoc modo experimentum sumeret de eo, an verus Deus esset. Nonnulli ad Iudæos referunt: Per hoc quod passus est ipse & tentatus à Iudæis, vt sit sensus ille quem exprimit cap. 2. Sapientiæ: Contumelia & tormento interrogemus eum, & probemus patientiam ipsius, &c. Quod ad lectionem attinet: Græci omittunt coniunctionem (&) leguntque hoc modo: In quo enim passus est ipse, tentatus, potens est, &c. Vt eius passio intelligatur fuisse eius tentatio: quanquam Erasmus longe alium sensum concipiat. Siquidem participium, tentatus, positum esse vult loco infinitiui, & (passus est) tantundem valere, ac si dicas, accidit, vnde vertit: Nam ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest, &c. sed durum est, quod habet Erasmus: est quidem vbi (passus est) sumatur pro contigit, vt cum dicimus: quid passus es, vt ita respondeas: id est, quid accidit tibi. Verum in simili phrasi, qua Paulus vsus est, nõ inuenies vbi lie ponatur.

CAPVT III.

Vnde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei qui præfecit illum sicut & Moyses in omni domo eius.

HActenus declarauit Apostolus, Christum esse verum Deum, per quem secula condita sint: item verum hominem, qui perpessus sit mortem. Ex his duobus articulis per veteres Scripturas declaratis, instituit hanc exhortationem. *Vnde fratres sancti, vocationis sanctæ participes considerate,*) id est, ex Scripturis quas primo cap. &. 2. adduxi, aduertite qualis & quantus sit is, quem profitemur Apostolum & pontificem nostrum: Scripturæ faciunt eum Deum, faciunt eum & verum hominem. In (Apostolo) alludit ad Moysen in (pontificem) ad Aaronem. Habuimus olim alium Apostolum videlicet Moysen, alium item pontificẽ nempe Aaronem: quem iam profitemur Apostolum & Pontificem, est Iesus Filius Virginis. Hunc volo vt consideretis qualis & quantus sit.

Qui fidelis est) Erasmus vertit, quod fidelis sit, vt pertineat ad considerare, sermo Græcus vtrumque admittit, præstat tamen accipere quomodo noster vertit interpres, vt hortetur Apostolus Hebræos ad considerationem Scripturarum, quas de Messia adduxit ex veteri testamento in præcedentibus capitibus, vt istud (*qui fidelis est*) epitheton sit Christi. Facere hoc loco accipitur non quomodo in primo capite. Per quem fecit & secula, sed quomodo cum dicimus. Roscius fecit Ioannem canonicum, vbi pro constituere sumitur. Sensus est: Christus fidelis est ei, qui ipsum constituit Apostolum & pontificem, id est, Patri suo: Pater voluit Christum esse Apostolum & Pontificem, Christus bona fide obiuit munus Apostoli: bona fide quod in mandatis habebat, disposuit, & annunciauit nobis voluntatem Patris: bona item fide egit quod est veri sacerdotis, ad quem pertinet offerre sacrificia & Deum reddere propitium populo. *Sicut & Moyses*) alludit Apostolus ad locum qui est cap. 12. Numerorum: Christus fidelis, sicut & Moyses fidelis fuit: *In omni*) id est, in toto (*domo*) Domus appellatione, populum Iudaicum designat. In administratione populi Iudaici, Moyses fidelẽ se præstitit. Non nulli quod dicitur (*in omni Domo*) ad Christum referunt, verum Chrysostomus aperte interpretatur de Moyse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit illam.

Amplioris enim gloriæ.) Istud (enim) facit, vt putem vertendum fuisse, quomodo vertit noster interpres (qui fidelis est ei) vt sit epitheton Christi, & non pertineat ad verbum, considerare. Sensus est: considerate qualem veteres Scripturæ depingant hunc, quem iam profitemur Apostolum nostrum & pontificem: ex illis agnoscetis ipsum longe præstantiorem esse Moyse. Si legamus cum Erasmo (quod fidelis sit ei) difficilè erit dicere, quo pertineat vocula (enim) Amplioris enim glorię, &c. Interpres noster hoc loco Græcizat. Latinè dicendum erat: ampliori gloria iste præ Moyse dignus est habitus: ausus tamen est & Vergilius Græcam phrasin imitari, dum ait: Magnorum haud indignus auorum.

Quanto ampliorem honorem habet domus,) Interpres hic rursum secutus Græcum sermonem genitiuũ vertit pro ablatiuo, quod mirum est, cum ab hac phrasi planè abhorreat lingua Latina: atque hinc factum est, vt interpretes linguæ Græcè ignari, non potuerint hic inuenire exitum. Commendandus est hic Erasmus, qui bona fide reddidit Latinè quod habet sermo Græcus: vertit enim ad hunc modum: Tanto namque maiore gloria quam Moyses hic dignus est habitus, quanto maiorem habet honorẽ, qui constituxit domum, quam ipsa domus. Domus quantumuis insignis, semper est infra artificem suum. Significat Apostolus tacite Moysen fuisse partem domus, & vnum è populo: Christum vero conditorem domus atque ita inter hunc & illum discrimen esse maximum.

Omnis namq; domus fabricatur ab aliquo qui autem omnia creauit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant, Christus vero tanquam Filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus.

Omnis namque domus) quia nomine domus populum significauit in præcedentibus, perstat in metaphpra, omnis, inquit domus (*fabricatur ab aliquo*) & proinde domus cuius iam memini, cuius Moyses pars est, ab aliquo est exstructa. *Qui autem omnia creauit, Deus est*) tacite Moysen, nihil aliud esse quam meram creaturam, Christũ vero creatorem esse, à quo & per quem & populus Iudaicus & ipse Moyses habeant esse suum, relinquit enim ex ijs quæ cap. primo dixit, intelligendum Christum esse Deum.

Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius) id est, in administratione totius populi Iudaici. *Sed tanquam famulus*) Est secundum discrimen, quod ponit inter Christum & Moysen. Oportet autem perpetuo ante oculos habere locum, qui est cap. 12. Numerorum: nam ad eum variè alludit. *In testimonium eorum quæ dicenda erant,*) id est, in perferendis mandatis Dei, in agendo interprete, in exponendis ijs, quæ Deus volebat exponi populo. Testimonium enim in Scriptura non semper est quando testes adhibentur, sed quandoque simpliciter ad pronunciationem pertinet. *In testimonium*) id est, in pronunciationem eorum, quæ dicenda erant populo Iudaico. Erasmus in paraphrasibus longe alium tradit sensum, nimirum hunc: *In testimonium eorum quæ dicenda erant*) id est, in nouo testamento, quasi voluerit Paulus, Moysen attulisse vmbram: & typos exhibuisse earum rerum, quas Christus explicaturus erat. Sed nihil est in toto capite, quod cogat cogitare de typo. Quare prior interpretatio retinenda est. Christus vero tanquam Filius) non adoptiuus sed naturalis: vt hoc modo intelligamus, cogitandum esse, quæ non habebit vim, si filium adoptiuum accipiamus, cum talis & Moyses fuerit. Quod additur (*in domo sua*) ad verbũ erat vertendum, supra domum suam, nam Græce est ἐπὶ, cum accusatiuo: quia vero Paulus sæpe abutitur præpositionibus, putauit interpres ipsum etiam hoc loco abusum, sed Græci monent vt aduertamus ad illum accusatiuum: (*quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei, &c.*) hinc apparet, fiduciam & gloriam spei, &c.) hinc apparet, probabilis sententia eorum qui dicunt, Apostolum sumpsisse hunc laborem propter Iudæos afflictos, quibus periculum erat, ne ob tentationes & persecutiones relinquerent fidem. Pro fiducia Græce est παῤῥησία, quæ significat libertatem loquendi, cum quis audet ingenue profiteri quod sentit, nihil metuens: abutitur tamen Apostolus interdum voce ista, referens simpliciter ad fiduciam, Pro (gloria) Græce est καύχημα, nomen verbale significans gloriationem. Sensus est: si libere pergamus profiteri Christum, & gloriari de spe vel ex spe, siquidem spes facit gloriari etiam in medijs malis positos. Aperte hortatur Apostolus Hebræos, vt retineant spem tacitè, aut ad fidem: credatis Iesum esse Messiam. Hinc audetis sperare & non frigide, sed sic vt audeatis gloriari, pergite in eo quod cœpistis. Ad hunc ferè modum exponit Chrys. oportet, inquit, habere spem in πληροφορίᾳ fidei, hoc est, per certam persuasionem fidei oportet habere fiduciam: primum ergo oportet credere articulis fidei, de quibus qui habet certam persuasionem, facile concipit spem & fiduciam.

Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis.

Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus hodie si vocem eius, &c.) versus hi sumpti sunt ex Psalmo. 94. cuius initium est. Venite exultemus Domino, in quo Dauid inuitat populum ad certum aliquod festum, & non in genere ad laudandum Deum. Venite scil. hoc festo exultemus Domino, iubilemus Deo, præoccupemus faciem eius, præbeamus nos ibi præsentes, vbi nouimus ipsum peculiariter adfuturum. Quoniam Deus magnus Dominus: Deus prædicatum est non subiectum: Dominus, nomen est tetragrammaton. Sensus est: quoniam Dominus est magnus Deus, ipse non repellet plebem suam, id est, cœtum istum qui hodie conuenit. Deinde sequitur: Hodie si vocem eius audieritis: hoc die festo si audieritis vocem eius, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione. i. nota vobis ex lectione veteris testamenti. Loquitur enim de certa exacerbatione, cuius meminit ca. 12. & 14. Numero.

Secundum diem) dixit pro eo quod est in die tentationis, rursus subaudi, illius insignis quæ accidit in deserto, (*vbi tentauerunt me patres vestri*) velut explorantes an is essem, qui possem punire nocentes, & experti sunt iram meam, & qui dictis non credebãt viderunt opera mea, idque quadraginta annis: Nam tanto tempore circumacti sunt in deserto. Ad hunc fere modum exponit Erasmus, refert ergo ipse quod dicitur: Quadraginta annis, ad præcedentia, cum Apostolus plane ad sequentia referre videatur, nam paucis interiectis subijcit: quibus autẽ infensus quadraginta annis. Sensus erit magis insignis si hoc modo exponas, vbi tentauerunt me patres vestri: cum tamen ante essent experti, & vidissent opera mea, vt subaudiatur coniunctio aduersatiua: viderant quæ ego feceram in Aegypto, item in mari rubro, cumque hæc vidissent, tamen ausi ad huc fuerunt tentare me. *Probauerunt*) id est cum probassent.

Propter quod infensus fui generationi huic & dixi: Semper errant corde, Ipsi autem nõ cognouerũt vias meas, quibus iurau in ira mea. Si introibunt in requiem meam.

Propter quod infensus fui.) Vox Græca significat tædium & molestiam capere ex re quapiam: Eandem significationem habet vox Hebræa. Sensus est: propter quod fastidio mihi fuit, & displicuit generatio illa, & dixi mecum, hi semper errant corde, quibus iurau in ira mea,) Sensus est: Iratus iurau, nunquam ingressuros eos in terram, in qua pollicitus sum requieturos illos à laboribus itinerum. Similis phrasis est apud Esaiam capite. 5. Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ, rursus cap. 22. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini. Omnibus his locis est aposiopesis: reticetur enim istud aut simile, non sim Deus: Quod quidam exponant, (Si) valere hoc quod. (Non) id friuolum est.

Videte fratres, ne quando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Videte fratres) nihil hic est difficultatis, id solum inquisitione opus habet, videlicet an Apostolus tantum accommodet psalmum ad rem Christianam, an vero secundum sacratiorem sensum eum proponat: & quidem, quantum ad præsens caput attinet, nihil est quod cogat nos agnoscere sacratiorem sensum, sed multa sunt in sequenti capite: videte, inquit, ne in persecutionibus istis discedatis à fide Christi, ne deflectatis in apostasian, quin potius sanctis hortatibus confirmate vos inuicem ad perseuerandum in fide, in spe, in tolerantia malorum, quibus syncerita tem fidei vestræ explorat Deus, donec (hodie) cognominatur. Quamdiu dicitur hodie, tam diu opus est ista vigilantia. Hic aliquo modo accedere videtur ad sensum allegoricum, quasi illud, hodie, pertineat non ad seculum Dauidis, tantum, sed ad omnia secula: dici tamẽ potest, quod sit analogia & accommodatio, quemadmodum olim tempore Dauid, Spiritus ille sanctus loquebatur: Hodie si vocem eius audieritis, &c. ita & nunc loquitur nec cessabit loqui vsque ad finem seculi.

Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus, dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

Participes enim Christi effecti sumus) id est insiti sumus Christo, & cohæredes, & concorporales effecti: *Si tamen initium substantiæ eius, &c.*) sensus est, quod semel insiti sumus Christo, non proderit nobis, nec ad hæreditatem immortalitatis promissam perueniemus. nisi perstiterimus in fide. Initium enim illius substantiæ, qua sumus noua creatura, fides est. Hanc, inquit, si vsque ad finem inconcussam retinueritis, quamdiu scilicet dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, &c. proderit nobis quod ipsius corpori insiti simus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quidam enim audientes, exacerbauerunt, sed non vniuersi, qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis: Nonne illis qui peccauerūt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto: Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt: Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius, propter incredulitatem.

Num.14.f

Quidam enim audientes, exacerbauerunt,) id est, ad indignationem prouocauerunt Deum, non obedientes voci diuinæ. *Sed non vniuersi*) non enim Caleb nec Iosuæ, & hi ingressi sunt terram lacte & melle manantem, quibus autem infensus est quadraginta annis: *Nonne illis qui peccauerunt*) id est qui dixerunt. Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum, desperantes se posse obtinere terram promissam. Loquitur enim potissimum de peccato diffidentiæ & incredulitatis. Requies huius loci ea est, quæ futura erat in terra promissionis: quod dicit (videmus) tantundem valet ac si dicatur, re ipsa compertum habemus, legendum est cap. 14. Numerorum: Vbi historia hæc refertur.

CAPVT IIII.

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.

Timeamus ergo, &c.) hic tempus est cogitandi de sacratiori sensu: nam requiem certum est eam esse, quam expectamus in cœlesti patria: potest tamen principium capitis adhuc per accomodationem accipi: Timeamus, ne quemadmodum ex veteri populo complures frustrati sunt expectatione quietis promissæ, nec peruenerunt quo destinatum erat, ad terram scilicet fluentem lacte & melle: ita contingat, vt ex nobis etiam videatur esse aliquis frustratus, nec perueniat ad fœlicem illam requiem, non dico terræ Palestinæ, sed vitæ æternæ, quam Christus cum in terris ageret, promisit, idque fide. Vnusquisque hoc agat, vt nō habeat promissionem illam vanam, nec de se tantum solicitus sit, sed & de alijs. Vox Pauli quam interpres vertit, deesse, plus aliquid sonat Græce, nempe non peruenire quo conatis. Hebræi ad quos scribit, cœperant credere, & per fidem tendebant ad fœlicem illam requiem: si reiecissent fidem, fuissent frustrati conatu suo. Et notandum, non dixisse Apostolum, ne aliquis ex nobis frustretur conatu, nec assequatur quo ire cœpit: sed ne videatur, hoc est, ne æstimetur esse frustratus: quod fecit, vt minæ istæ molliores essent.

Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis. sed non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei ex ijs quæ audierūt.

Etenim & nobis nunciatum est.) Apostolus vtitur verbo euangelizandi: & nos, inquit, euangelizati sumus, quem admodum illi. Phrasis est Græca, qua vtitur Matthæus siue eius interpres: pauperes, inquiens, euangelizantur, pro eo quod est, pauperibus annunciatur Euangelium: Illi habebant suum euangelium, nos habemus nostrum. Illis erat propositum euangelium de possidenda terra Palestina, nobis de possidenda vita æterna. Illis non profuit audisse euangelium illud, propterea quod non perstiterint in fide: nec nobis Christianis proderit audisse Euangelium vitæ, nisi retinuerimus fidem. Nihil hic agit de vita, ad beatam immortalitatem obtinendam necessaria, sed de fide tantum, idque propterea, quia timebat ne propter persecutiones deficerent à fide.

Matth.28

Non admixtus fidei

Illud (*non admixtus fidei*) variè legitur cū apud Græcos tum apud Latinos, nec satis certo sciri potest, quæ sit germana lectio, propter varietatem codicum: nostri tamen codices paucis exceptis, omnes habent, non admixtus fidei ex ijs quæ audierunt, hoc sensu: non profuit illis audisse sermonem, quo promittebatur ipsis terra Palestina, eo quod is non esset cum fide coniunctis, secundum ea quæ audierant: non enim satis est audire, sed fidem oportet adferre, & in ea vsque in finem persistere.

Ingrediemur enim in requiē qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut iurauī in ira mea, si introibunt in requiem meam, & quidem operibus ab institutione mundi perfectis:

Ingrediemur enim requiem qui credidimus,) hoc est, qui perseueramus credere, perueniemus ad fœlicem illam requiem æternæ beatitudinis. *Quemadmodum dixit*) illud (quemadmodum) non est similitudinis, sed citantis testimonium, quo confirmat, quod dixerat. Hic locus cogit nos vt agnoscamus psalmum, 94. mysticum esse, & præter sensum historicum alium proponere, nempe allegoricum, secundum quem requies terræ Palestinæ typum habeat illius requiei, quam expectamus in futura vita. Non enim dicere hic possumus, Apostolum accommodare simile ad simile, cum esset Scripturas vaticinantem de Christianis: sed habet Scriptura illa quod credentes introibunt: Non tantum dicit, non credentes non ingressuros, verum alterum illud à contrario sensu significat: si illi non introibunt

troibunt quia non credunt, ergo qui credunt, introibunt.

Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis, (Videntur, inquit, aduersari, iam esse aliquam requiem Dei, & Deum initio Gene. 1. capite requieuisse: sed non aduersantur. Licet enim dicat Genesis: Deum die septima requieuisse, & propterea videri possit requies transijsse, non tamen transijt, adhuc manet in requie, & pergit quiescere, atque id docet psalmus quem iam proposuimus.

Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam.

Dixit enim in quodam loco.) Istud (enim) explicantis est. Non citat Apostolus locum, quia scribit Hebræis, quibus statim erat notus. *Et requieuit Deus die septima*) Dicitur Deus quieuisse per metaphoram, quia desijt noua opera facere, Illa tamen quies secundum Paulum habet typum & allegoriam quietis: sicut ibi Deus quieuit à suis operibus, sic futurum est, vt homo quandoque quiescat ab operibus calamitosis.

Et in isto rursum) id est, in hoc loco quem ex Psalmo iam produximus, qui post multa secula ab orbe condito conscriptus est, ait: *Si introibunt in requiem meam*) vrget Apostolus quod dicit (meam) & hinc aduertere nos vult, requiem Dei non totam transijsse, sed adhuc restare aliquam requiem Dei.

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem iterum terminat diem quendam, hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam,) (supple requiem, tam ea cuius meminit Genesis, quam cuius Psalmus meminit: quod dicit tale est, Scriptura habet ingressuros quosdam in requiem Dei: promissio illa non est impleta in veteri populo, oportet ergo illam in alijs impleri: non enim potest esse frustra promissio. Pro (annunciare) Apostolus rursum habet vocabulum Euangelizandi: Ij, inquit, qui prius Euangelizati erant, hoc est, quibus ante promissa erat requies, non introierunt. *Iterum terminat*) id est, definit siue præscribit (*diem quendam*) quem vocat hodiernum, quemadmodum aliquoties iam dictum est, qui videtur pertinere ad tempus ipsius Dauid, sed reuera pertinet ad tempus exhibiti Christi.

Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur post hac die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus.

Nam si eis Iesus) si Iosue, quo duce quidam ingressi sunt Palestinam, præstitisset veteri populo plenam requiem illorum duorum locorum. Psalmi videlicet & Geneseos: nunquam Spiritus sanctus alterius postea diei meminisset, nec vnquam monuisset hoc modo. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, ne vobis contingat quod veteri populo, hoc est, ne arceamini à promissa requie. *Itaque relinquitur sabbatismus*) Ex his palam videmus restare requiem populo Christiano, quæ non dum contigit nec continget in hac vita, sed post vitam istam, idque fidelibus.

Qui enim ingressus est in requiem eius) licet nō sit exhibitus Christus, potestis tamen intelligere nondum contigisse requiem illam siue sabbatismum, quia alioqui non essent nobis suscipienda difficilia, essemus feriati siquidem in illa requie Dei omnia facilia sunt, nihil est molestiæ. Quemadmodum Deus quieuit à suis operibus, ita & nos à nostris quiescemus. Opera intelligit virtutes, quas cū difficultate iam exercemus: ab omni difficultate ibi feriamur.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.

Festinemus ergo ingredi,) Alludit ad populum versantem in eremo: Dū, inquit, in huius vitæ deserto peregrinamur, non resistemus, non respectemus, pergamus semper quo cœpimus, ne nobis cōtingat quod veteri populo. Populus ille maxima parte itineris perfecta, cum iam esset vicinus terræ promissæ, desponditanimum, desperauit posse obtineri terram, reuerti voluit in Aegyptum: vnde iratus iurauit Deus, nūquam fore, vt ingrederetur terram, & quod iurauit rebus expleuit. Videamus ne idem nos patiamur similiter peccantes, hoc est, abijcientes fidem & fiduciam de possidenda requie, non in Palestina, sed in cœlesti patria.

Viuus est enim sermo Dei,) Quicquid minatur sermo diuinus, id certo eueniet: nam viuus est & efficax, & incidentior siue acutior, quam quiuis gladius vtrinque inscindens: non enim solum corporis membra incidit, pertingit etiam vsq; ad animam, adeo vt dissecet hanc in partes: in partem qua cō-

 munica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

municamus cum brutis, quam nunc animam, inquit, voco, & in partem qua præstamus brutis, hoc est, in rationem & voluntatem quam partem nunc spiritum voco. Omnia hæc metaphoram habent, & nihil aliud significant quam paratam esse vindictam: Siue, inquit, intellectu quis non respondeat vocationi diuinæ, siue voluntate, siue inferioribus affectibus non poterit euadere vindictã, sermo Dei omnia examinat. Hinc colligi potest, Epistolã hanc Pauli esse, quia vtitur magnificis metaphoris. Pertingit quoque ad diuisionem compagum & medullarum, nihil tam remotum, nihil est tam in recessu positum, quo non pertingat sermo Dei. *Discretor est cogitationum*) hoc est, iudicare potest discernendo cogitationes à cogitationibus, bonas à malis. Paulus habet & criticus cogitationum & intentionum cordis non solum pertingit ad ea, quæ sunt corporalibus annexa, sed ad ea quoq; quæ sunt in puris ac nudis intellectibus.

Eccle.15.d
Psal.33.c

ET non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.

ET non est inuisibilis vlla creatura apud Deum: omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Transit paulatim à sermone Dei ad ipsum Deum, quamuis Erasmus sermonem figuratè accipiat, vt significetur Filius Dei. *Omnia autem nuda, &c.*) Autem, dixit pro, sed, non est vlla creatura quæ effugeat conspectum Dei, (*sed omnia sunt nuda & aperta*) hoc ad sensum reddidit interpres, ad verbum est (ceruicata) qua voce vtuntur Græci dum significare volunt aliquid esse oculis maximè expositum. Sumuut metaphoram ab ouibus, quibus pellis à ceruice detrahitur dum excoriantur, ita vt etiam intestina inspicere liceat, Pertinent autem omnia ista ad minas. Si abijciatis, inquit, fidem, siue id homines lateat, siue non Deum latere non potest, omnia videt. *Ad quem nobis est sermo*) id est, cui nobis reddenda erit ratio fidei & vitæ nostræ. Pro sermone Græce est λογος, quæ vox multa significat, vt declarat Hieronymus in Epistola ad Paulinum ac inter cætera rationem significat, reddemus rationẽ non homini qui falli possit, sed Deo.

2.Cor.3.b

HAbentes ergo pontificem magnum qui penetrauit cœlos Iesum Filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem.

HAbentes ergo pontificem magnum) dixerat cap.3. Considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ, in Apostolo alludens ad Moysen, in pontifice ad Aaronem, atque ibi contulit Christum cũ Moyse iam confert ipsum cum Aarone: atque id facit eo consilio, vt perspecta magnitudine Christi, pergant fidere. Cùm inquit habeamus pontificem magnum qui penetrauit cœlos. Aaron quotannis penetrabat sancta sanctorum: quem iam profitemur pontificem, penetrauit cœlos, nemo requirat celebritatem quamlibet magnam, quæ erat pontificis legis intrantis sancta sanctorum, cum Christus cœlos penetarit. Hunc ergo habemus pontificem, perseueremus in spe, quam profitemur secundum fidem nostram.

NOn enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

NOn enim habemus pontificem qui non possit compati) peregrina phrasi hoc dictũ est. Sensus est: qui non sit valde propensus, paratus & procliuis ad miserendum, siue compatiendum nostris miserijs. *Tentatum autem per omnia*) id est, omni genere malorum quibus vita nostra obnoxia est, ipse tentatus est: quicquid potest esse molestum cartatus est: quicquid potest esse molestum cartatus est: quicquid potest esse molestum cart

Universidad de Deusto
Biblioteca

vita aliqua sempiterna, reuocam te ad magnifica illa, quæ egisti in vita mortali, egisti ante regem, & sacerdotem: functio tua post hac erit eadem, nec desinet vnquam.

Quemadmodum & in alio loco dicit, tu es sacerdos in æternum) hic est egregius locus, ad cuius intelligentiam vt præpararetur lector putat Chrysostomus Apostolum vsum periphrasi illa, cuius iã meminimus: qui enim intelligit psalmum secundum pertinere ad Messiam is facile etiam intelliget, ad eundem pertinere psalmum in quo scribitur. Tu es sacerdos in æternum: sumptus est autem versiculus Ille, ex Psalmo. 109. in cuius prima parte depingitur regnum Christi: in altera ipsius sacerdotium, & qui recte intelligit quomodo Christus agat & regem & sacerdotem, is magna cum fiducia petit, quicquid petit, sensus est: Dignitas, potestas, & officia pontificalia in te competunt: tu es sacerdos proprij nominis absque flexu. Iuxta veteres Scripturas etiam laicus sanctus sacerdos est, sed ibi est tropus: non enim assumitur laicus, nec constituitur ordinatione, vt agat intercessorem inter Deum & homines. Christus autem ad hoc assumptus est & vocatus à Patre. Illa *(in æternum & secundum ordinem Melchisedech)* explicabit Apostolus sequentibus, commentarij tamen nonnihil de hac re hic attingunt, sicut Melchisedech obtulit hostiam absque sanguine, panem scilicet & vinum: sic & Christus. Hic est commentarius Theophylacti, eundem commentarium habet & Phocius. Obtulit autẽ Christus panem & vinum in nouissima cœna. Istud apud veteres est certissimum. S. Athanasius ordinem istum Melchisedech hoc modo explicat: quia non oleo, inquit, vnctus est Melchisedech ad sacerdotium quẽadmodum Aaron, & quia non obtulit hostias per sanguinem, & quia gentium sacerdos erat: hactenus Athanasius, qui primæ authoritatis est apud Græcos, & quia dicit ipsum Melchisedech obtulisse hostiam incruentam & absque sanguine, & ideo videri posset Christus, qui in cruce obtulit cruentam hostiam, non esse sacerdos eius ordinis cuius Melchisedech. Exponens hoc Oecumenius, & si inquit non obtulerit Christus carentem sanguine hostiam (siquidem suum ipsius corpus obtulit) tamen qui ab ipso funguntur sacerdotio, sine sanguine offerunt hostias: neque enim de ea quæ semel facta est hostia dixisset, in æternum: se respiciens ad eos qui hodie sunt sacrificantes, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur, qui etiam in mystica cœna modum illis tradidit istius sacrificationis: in quo cõmentario aduertere oportet, quomodo explicet illud quod dicit Apostolus, Christum sacerdotem perpetuum.

Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.

Qui in diebus carnis suæ) id est, dum viueret ista mortali vita, Hebraismus est, *Preces supplicationesque offerens.*) Sensus est, cum offerret eo modo, quo illi qui assumũtur ad hoc. Id enim oportet intelligere ex præcedentibus. Laicus aliquo sensu offert preces, sed non eo quo sacerdos, Christus obtulit preces, vt intercessor ad hoc constitutus à Patre, & ideo suit proprij nominis sacerdos. Habemus igitur hic aliam particulam definitionis, quæ conuenit Christo.

Obtulit autem cum clamore valido,) An respexerit Apostolus ad clamorem, cuius meminerunt Euangelistæ, quod putat Lyranus, an ad alium, non satis certum est. Chrysostomus putat Apostolum narrare aliquid per manus traditum. Illud *(ad eum qui posset illum saluum facere)* bifariam exponitur, & vtranque expositionem proponunt Græca scholia. Prior est, Christus obtulit preces Deo patri, qui poterat ipsum seruare à supplicio crucis, nisi maluisset morte Filij nostræ saluti consulere. Posterior est, qui poterat eum saluare excitando à morte.

Quod sequitur: *Exauditus est pro sua reuerentia*) variè exponitur ab interpretibus. Quidam reuerentiam accipiunt quæ in ipso erat, qua dignus erat quẽ aliquis reuereretur. Alij reuerentiam interpretantur quam ipse exercuit erga Deum Patrem. Pro charitate inquit Erasmus, & dignitate qua valet apud Patrem, impetrauit quod voluit. Quæ expositio talis est, vt nescias an prius, an posterius proponat. Clara est expositio quam proponunt Græcanica scholia, quæ habent. Pro reuerentia quæ debeatur Filio. Clara est & aliorum quæ habet: quia erga Patrem in vita semper pijssimus fuit, qui toto tempore quo in terris egit reuerenter erga Patrem se gessit, idcirco exauditus est.

Etsi quidem cum esset Filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, caussa salutis æternæ, appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

Etsi quidem cum esset Filius Dei,) id est, quanquam esset Filius Dei, & eandem cum Patre haberet naturam immortalem & impassibilem, tamen passus est, sed in natura nostra, quam misericorditer assumpsit. *Et ex his quæ passus est*) didicit obedientiam) cuius particulæ duplex est cõmentarius. Alter est: Ex his quæ passus est, didicit obedire Patri. Alter est, Per experientiam didicit quæ sit obedientiæ magnitudo, siquidem merito obedientiæ, quam præstitit vsque ad contemptum vitæ, euectus est ad dexteram Patris: vtranque expositionem proponunt Græcanica scholia, præferunt tamen posteriorem, quanquam altera non minus ad rem faciat. Non est periculũ, inquit, Apostolus, ne sacerdos noster negligens sit officij sui, nã didicit obedire. Quisque hoc persuadeat sibi ipsum esse diligentissimum. Hoc agit Apostolus, vt Hebræi magna sibi audeant promittere, eo quod talem habeant sacerdotem. Est hic rursus alia particula definitionis declarata in Christo, nempe ipsum propensum esse ad misericordiam, vt qui expertus sit mala, quibus vita nostra est obnoxia.

Et consummatus) id est, per afflictiones & crucem & mortem perfectus redditus, id est (iuxta Græcanica schol.) talis decleratus, Alij exponunt, vt vere aliquid accesserit Christo, nempe immortalitas corporis, quã ante non habebat. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi, &c.*) hinc discimus illis tantum prodesse mortem Christi, qui se formandos præbent & obtemperant Euangelio, & in obedientia perstant vsque ad finem. Tacite hortatur Hebræos, vt pergant in eo quod cœperunt: cœpistis obedire Euangelio, pergite, sicut Christus perrexit obedire Patri vsque ad mortem.

Appellatus à Deo pontifex) scilicet in psalmo quem paulo ante citauimus. Iam incipiet exponere ordinem Melchisedech. *De quo nobis grandis sermo, &c.*) Habeo, inquit, quæ dicam de Melchisedech multa & recondita, sed non estis idonei auditores, aures vestræ imbecilliores sunt, quam vt ferre possint sermonem tam arduum & copiosum, idque vitio vestro accidit. Pro grandi, Græce est multus & copiosus. Pro interpretabili, Græce est, difficilis interpretatu siue explicatu, vt verisimile sit interpretem vertisse, ininterpretabilis & postea scribarum indiligentia alterum (In) esse omissum, quod & alijs in locis accidit capit. 12. Epistolæ ad Rom. quam incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Rursus Psalm. 118. Præueni in maturitate, priori loco legendum est, inuestigabiles. Posteriori: in immaturitate. Nam sensus est: nocte intempesta surrexi & clamaui.

Et enim cum deberetis magistri esse,) siue doctores cæterorum. *Propter tempus*) quod egistis in toto isto negotio, tam sub Moyse quam sub Christo: à pueris enim edocti estis sub lege, & multi elapsi iam anni sunt, quod professi sitis Christianismum: rursum opus habetis, vt tradantur vobis prima rudimenta diuinæ Scripturæ. Defide rat in eis non solum quod in doctrina Euãgelij non sint satis diligentes, sed quod nec satis rationem habeant veteris testamenti. Loco, sermonum, Græce est eloquiorum.

Et facti estis) sensus est: Segnitie vestra tales euasistis, vt infirmæ doctrinæ lacte potius indigeatis, quam idonei sitis solido cibo altioris eruditionis.

Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

Omnis enim qui lactis est particeps) id est, qui talis est qui lacte sit fouendus, expers est sermonis iustitiæ) id est, doctrinæ Euangelicæ, quæ de iustitia propriè disserit quæ non in historia, sed potissimum in allegorijs inuenitur. *Parvulus enim est*) id est, infans est & opus habet vt præmansum cibum in os ei inferas. *Perfectorum autem est solidus cibus*) solidum cibum allegoriam vocat, Solidus cibus abstrusioris sensus adultorum est, eorum videlicet qui pro ipsa consuetudine siue assuetudine exercitatos habent sensus) pro consuetudine Græce est ἕξις, id est, habitus. Sensus est, qui propter habitum quæsitum longa die, multa & assidua meditatione comparatum discernere valẽt quid recte quid secus interpretatum de veteri testamento.

CAPVT VI.



Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, nõ rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi) hoc (quapropter) referendum est ad illud, de quo nobis grandis sermo, &c. habeo quæ dicam de Melchisedech multa & magna, sed difficile fuerit exponere vobis, quandoquidem segnes estis auribus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

auribus,& parum capaces tam sublimis doctrinæ,quod deinde declarat: etenim enim deberetis(inquit)magistri esse, ac post hæc infert:*quapropter intermittentes*)quod aptius vertisset interpres, omittentes, & initij quam inchoationis.Sensus est: Quia propositum fuit iam dicere de recondita Theologia,qua videlicet congruentia Melchisedech Christum figurauit, idcirco omissis rudimentis quæ tradi solent his, qui in Christianismo primum instituuntur.*Ad perfectionem feramur.*)In voce(Christi)metonomia est,Christus enim pro doctrina Christiana ponitur: *In perfectione*) enalloge speciei: sermonem tractatum vocat. Omissio,inquit tractatu initij, quod pertinet ad doctrinam Christi,feramur ad perfecta dogmata,& de ijs dicamus.

Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ,) pœnitentiæ huius loci est,quæ præcedit Baptismum,non quæ est relapsorum: ea enim non pertinet ad initium doctrinæ Christi.*Et fidei ad Deum*)legere oportet conciones Apostolorum apud Lucam in Actis, vbi videre est istum tractatum. Primo vocant ad pœnitentiam qua receditur à veteri vita & peccatis,quæ opera mortua hic vocat quod mortem adferant: deinde fidem exigunt.Post hæc Baptisma proponunt. Nos, inquit Apostolus,in hoc scripto non trademus de his rudimentis, omittemus fundamentum doctrinæ Baptismatum)periphrasis est catechismi: quare dixerit Baptismatum & non Baptismatis variant interpretes, dico,inquit Baptismatum, cùm sit vnum Baptisma,quia absurditas ista sequitur ex absurditate vitæ vestræ. Vos quodammodo opus habetis multis Baptismatibus. Secundum hos significare vult,quosdam inter Hebræos esse relapsos. Alij putant Apostolum respexisse etiam ad Baptismum flaminis & sanguinis.Omittemus etiam, inquit totum tractatum de imponendis manibus,ijs qui Baptizati sunt,vt spiritum accipiant ad robur,est periphrasis Sacramenti confirmationis,alias impositio manuum pertinet ad Sacramentum ordinis:omittemus etiam fundamentum doctrinæ de resurrectione mortuorum, hanc in omnibus fere concionibus suis ad populum proponere solet Apostolus,vt videre est in Actis: *Et iudicij æterni*)rursus repetendum est fundamentum. Iudicium æternum vocat quod ferat sententiam æternam,sicut frigus pigrum dicimus, quod adferat pigritiam,per metonomiam.

Et hoc faciemus)id est,nondicemus de his rudimentis. *Siquidem permiserit Deus*) valde antiquum hoc dictum est: Prophetæ semel se committebant Deo dirigenti,sic facit hic Apostolus:Etsi, inquit,non constituerim dicere de his elementis, tamen permittam me diuinæ voluntati.

Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam,rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Pro ad

Impossibile enim est,)Non dicam inquit de fundamentis siue principijs Christianæ doctrinæ,videlicet de pœnitentia ab operibus mortuis,de Baptismo & reliquis: eum ijs scribam, quibus ad hæc remedia non licet recurrere,*Impossibile enim est,eos qui semel sunt illuminati*) est vocabulum antiquæ scholæ Theologicæ, vt patet ex Dionysio Ariopagita,& Græcis qui post ipsum scripserunt:pertinent autem ad Baptisma, vide titulum capitis secundi Ecclesiasticæ historiæ apud Dionysium:*Gustauerunt etiam donum cœleste*)hoc Chrysostomus positum dicit in remissione peccatorum. Sensus est: Qui gustauerunt quam sit magnum habere remissionem peccatorum,gaudere innocentiam. Prius ad intellectum pertinet,posterius ad effectum. *Et participes Spiritus sancti*)vide cap.3.Epistolæ ad Titum,vbi dicitur per Baptismum effundi Spiritum Sanctum in corda credentium.

Gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum)hoc pertinet ad totam doctrinã Christianam: Quibus doctrina Christi non lãpsit,qui legunt Euangelia, nec afficiuntur, illi non pertinent ad hunc locum: *Virtutes seculi venturi*)dicit potentiam seculi,hæc in pijs iam quodammodo incipit.Nam ex spiritu inhabitante mira possunt,cum ante ad omnia imbecilles essent:Quidam interpretari videntur de virtutibus quæ vitijs opponuntur,sed certum est virtutis vocabulum ad potentiam pertinere hoc loco,cum Græce sit δύναμις, Impossibile inquam est eos quibus hæc magna dona contigerunt,&nihilominus prolapsi sunt in ista mortua opera & peccata,*rursum renouati ad pœnitentiã*) hic locus prima facie videtur facere pro Novato:si quis à baptismo relapsus esset,in fornicationem aut adulterium aut simile aliquod peccatum, hunc Novatus negabat posse per pœnitentiam restitui. Primum videre oportet,quid egerit Paulus cum relapsis: Incestuosum illum Corinthium, cuius meminit in vtraque Epistola ad Corinthios scripta,recepit ad pœnitentiam.Non ergo sensus huius loci esse potest, quem vult Novatus cum Apostolus ipse diuersum fecerit.

Quis autem sit sensus, petendũ est ex circunstan-

cunstantijs:meminit in præcedentibus pœnitentiæ, atque ibi certum est pœnitentiam esse illam quæ præcedit Baptismũ:quare & hic locus de eadem intelligendus est,& non de pœnitentia alterius generis. Pœnitentia quæ est actio Baptismi, facillima est: pœnitentia quæ sequitur Baptismum de qua sermo est contra Novatum,difficilillima est & multa requirit, quemadmodum docet Chrysostomus in sermone ethico huius loci.Græci interpretes vrgent vocabulum renouandi. Renouari, inquit Chrysostomus,est nouum fieri:id autem contingit in Baptismo,ibi semel deponitur vetus homo cum actibus suis,& exit è lauacro noua creatura:Vide cap.3.Epistolæ ad Titum.Saluos inquit,nos fecit per lauacrum regenerationis,& renouationis Spiritussancti.Solus ergo Baptismus iuxta exactam loquendi rationem renouat: per pœnitentiam vero nõ tam renouamur quam sarcimur.

Vrget etiam Chrysostomus quod additur.*Rursum crucifigentes*) Idem faciunt Græcanica scholia,quæ etiam citant Cyrillum: Quid igitur aiunt,abiecit ne Apostolus pœnitentiam:absit,quemadmodum ait Cyrillus,sed pœnitentiam abiecit,quæ est actio Baptismi:vnde & renouari dixit quod proprium est Baptismatis,& rursum crucifigentes,quod ipsum quoque proprium Baptismatis est:Baptismus siquidé exprimit mortem Christi. Qui ergo per alterum Baptismum pœnitere vult, is rursum crucifigit Christum, Nihil ergo locus iste facit pro Novato,cum loquatur de pœnitentia quæ præcedit Baptismum,& non de ea,quã Hieronymus vocat secundam tabulã post naufragium. Sunt tamen catholici qui de hac interpretantur,sed (impossibile) accipiunt pro eo quod admodum difficile est:&(rursum crucifigentes)referunt ad vitam,quod ij qui in dedecora vitæ prioris relabuntur, quodam sensu crucifigant Christum, quia nimirum iterant id,propter quod ille mortem sustinuit. Quare nisi mors Christi tam efficax fuisset, vt semel aboleuisset omnia peccata,oportet ipsum toties mori,quoties peccant homines. Quæ expositio licet catholica sit non tamen videtur esse germana huius loci:Est enim consequẽtia Pauli ista: Omittemus dicere de pœnitentia ab operibus mortuis,quia impossibile est eos qui relapsi sunt,renouari per pœnitentiã,pœnitẽtia prioris loci est ea,quæ præcedit baptismũ ergo & secundo loco ea intelligi debet.

Pro eo quod vertit interpres(*ostentui habentes*)Græc.est παραδειγματίζοντας,quod Erasmus vertit ludibrio exponentes,& optime locum habet siue ad Baptismum referas siue ad vitam.Qui per Baptismum subin de postulat renouari, is in typo Christum ludibrio exponit: qui in dedecora priora relabitur is vita sua id efficit,quia nisi Christi sanguis semel effusus, expiasset peccata mundi,oporteret Christum rursus propter hunc fieri ludibrium, conspui & flagellari.

Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem,& germinans herbam oportunam illis,à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo,proferens autem spinas ac tribulos,reproba est,& maledicto proxima, cuius consumatio in combustione.

Terra enim sæpe venientem, &c.) hæc facilora sunt quam vt egeant expositione.

Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti,tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius,qui ministrastis sanctis & ministratis.

Confidimus autem,)Sensus est:non adduxi similitudinem de terra sterili, quod putem in vos competere, persuasi mihi de vobis meliora,idque ex pulcherrimis initijs vestris,hactenus multa præstitistis egregia opera, ministrastis de facultatibus vestris sanctis,id est,Christianis:ex amore nominis Christi subijcistis magnum laborẽ in iuuandis pauperibus,in hæc opera respiciens Deus faciet vt perseueretis, remunerabit Deus labores vestros,idque spiritualibus donis, hoc est,quod dicit Apostolus: *Non enim iniustus est Deus,vt obliuiscatur*)id est,obliuisci possit: est enim rhetoricum potentiale, sicut ibi:videas & flumina sicca. Ostendere phrasi Hebræa dixit pro eo quod est exhibere siue præstare.

Cupimus autem vnumquemque vestrum eandem ostentare solicitudinem,ad expletionem spei vsque in finem, vt non segnes efficiamini,verum imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.

Cupimus autem vnumquemque vestrum, &c.)quæ dixi de terra sterili,exhortandi causa dixi, non scripsi quod putem relapsos vos esse, sed exhortatione mea efficere cupio,vt idem studium adhibeatis, & eandem diligentiam circa opera & labores dilectionis. *Idque ad expletionem spei.*) Pro expletione,Græcis est πληροφορία,qua voce ipsi vtuntur, quoties certissimis argumentis rei cuiuspiam fit fides. Erasmus vertit,ad plenam spei certitudinem. Annotandus est locus iste: docet enim certissime spei fiduciam erga Deum nasci ex operibus bonis, quare qui liberari cupit ab anxio illo timore, qui hominem facit semper cogitare

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitare Tartaros, studeat se exercere in pijs, operibus. Quod additur (*vsque in finem*) Erasmus vertit, vsque ad perfectionem, & intelligit de perfectione spei, quæ crescit in nobis crescente simul pietate: sed nihil prohibet, quo minus accipiamus de perseuerantia vsque ad finem vitæ, vt etiam cum mors aderit, maneatis, inquit, in ista spe. Vox græca sicut & Latina ambigua est.

Vt non segnes efficiamini) in isto studio, in negotio Euangelij, in ferendis periculis: præcipuè enim opponitur alacritati, quæ requiritur in tolerandis miserijs & molestijs. *Verum imitatores,*) Si scripsisset Apostolus hæc hominibus nihil patientibus, non habuissent locum: nunc vero cordate admodum dicuntur hæc à Paulo: nam multa patiebantur Hebræi. Fides huius loci non ea est, qua ex impio quis iustus fit, sed qua iustus se sustentat in reliqua vita respiciens in promissiones.

Propatientia) Græce est μακροθυμία, id est, longanimitas, qua duramus in malis, nec frangimur etiam si longo tempore opus sit tolerantia. Hæreditare, dixit, pro consequi, phrasi Hebræa: Græcis tamen est præsentis temporis, qui fide & longanimitate consequuntur promissiones notas, & nobiles in Scripturis de vita & regno. In præcedentibus erexit eos in spem respectu operũ quæ fecerant: hic idem facit respectu promissionum, & Christianum ad vtrumque respicere oportet: sicut enim ex promissionibus diuinis dum serio cogitantur, sic ex benefactis nostris dum ad memoriam reuocantur exurgit & nascitur spes.

Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est, repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum.

Abrahæ namque, &c.) Hortatus sum vos vt imitemini maiores vestros in fide & tolerantia malorum, Subijciam exemplum: *Abrahæ namque promittens*) Græcis est participium præteriti temporis: cum promisisset, quanquam sit instantis magis quam præteriti temporis: cum institueret promittere Deus Abrahæ: iurauit per semetipsum. Hæc omnia faciunt vt pondus habeant apud nos promissiones, iurauit, inquam, dicens: *Nisi benedicens benedicam tibi*) hæc est formula iuramenti: & quod annotatum est capite. 3. ea parte: si introibunt in requiem, etiam hic repetendum est, nempe apposiopesin esse. Benedicens benedicam, phrasis Hebræa est pro eo quod est, modis omnibus, & prorsus benedicam. Conduplicant enim ipsi vocabula, causa vehementiæ: benedicere autem est prosequi donis.

Adducit Apostolus locum qui habet non meram promissionem, sed extortam per opera, legendum est cap. 22. Genes. Per memetipsum, ait Dominus, iurauit, id est, iuro, familiare siquidem Hebræis est præterito vti pro præsenti, quia fecisti hanc rem, id est, quia paratum te exhibuisti ad immolandum filium, propter hoc opus benedicens benedicam te, id est, insigniter benedicam: & multiplicans multiplicabo, id est, valde multiplicabo te, faciam vt semen tuum latissime spargatur. Ad hunc modum habet editio nostra in Genesi, in qua nulla est formula iuramenti, Hebræi tamen habent. Ni præmittunt voculam quæ significat certe, siue profecto.

Et sic longanimiter ferens) Græce est μακροθυμήσας, id est, cum tam diu fuisset longanimus: est enim præteriti temporis. Præcipua autem vis est in vocula (sic) sensus est: Abraham fretus promissione talis iuramenti, & sustinens se fide & patientia, adeptus est promissionem: ergo & nos in meditijs tribulationibus respicere oportet in promissiones, & fide promissionum nos sustentare, & durare in aduersis: nam hoc modo perueniturad regnum: Istud significat nobis vocula illa (sic.)

Homines enim, &c. Dixi Deum promissioni suæ adiecisse iuramentum, quo consilio id fecerit iam explicabo, adducto ex humanis exemplo. *Homines per maiorem sui*) Græcismus est, Latine dicendum fuerat, per maiorem se iurant. *Et omnis controuersiæ*) sensus est: si quid dubium fuerit & controuersum apud homines, soluitur & finitur confirmatione iusiurandi. Quia ergo homines hunc morem habent, vt finem controuersiæ, stabiliendæ in iuramento, voluit Deus adijcere promissioni iuramentum, vt nihil hic desideraretur, quod apud homines addere soleret firmitatem, hoc est, quod dicit: *In quo abundantius, &c.* (in hoc negotio promissionis, Deus insigniter declarare volés firmitatem consilij sui hæredibus promissionis, iusiurandum interposuit.

Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque

vsque ad interiora velamina vbi præcursor pro nobis introijt Iesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

Vt per duas res) quæ mutari non possunt, siue quæ non admittunt mutationem: hæ autem res sunt promissio & iuramentum. Promissio enim promittentem obnoxium facit explendæ suæ promissionis: similiter iuramentum iurantem. *Quibus*) id est, per quas duas res impossibile est mentiri Deum. Mentiri hoc loco fallere est, quando euentus scilicet non respondet expectationi. Non est possibile, inquit, quod Deus non præstet quòd promisit, & nõ seruet quod iurauit.

Respicientes ergo in promissiones Dei, magno animo simus nec frangamur aduersis, consolemur nos spe: nam propterà voluit Deus fidem suam gemino vinculo obstringere. Primùm promissione, deinde iuramento vt firmam habeamus consolationem. *Qui*) ex professione suscepti Euangelij abrenunciato satana & mundo. *Confugimus*) est præteriti temporis vt patet ex Græco. *Ad tenendam propositam spem*) vt potiremur spe proposita in illis promissis de Messia. Aptius vertisset interpres, ad obtinendam propositam spem: nam ἔχω cùm habet genitiuum, obtinere significat, siue possidere. Spem, posuit pro re sperata, per tropum: sicuti in præcedentibus promissionem pro re promissa. *Quam*) scilicet spem. Hic dum repetitur spes propriè sumitur: nos, inquit, Christiani pro anchora nauigationis nostræ habemus spem, illa in tempestatibus magni huius maris, id est, irrequieti mundi nosq; nostros sustit.

Aduertere oportet digressionem Apostoli: à mentione siquidem sacerdotij, quæ fuit cap. 5. hactenus digressus tractauit duos locos communes, quibus absolutis, iam redit ad institutum: sed valdè insigniter & molliter. Spes, inquit, nostra pertingit vsque ad ea, quæ intra velum sunt, non est contenta vestibulo, incedit vsque ad sancta sanctorum. Nam sancta sanctorum & priora templi non distinguebantur nisi per velum interiectum. Facit ergo Apostolus istud interius, typum regni cœlorũ: exterius verò typum regni quod in terris est. Simpliciter dixisset, spes nostra peruadit vsque ad cœlum, maluit tamen periphrasi vti, vt mollius rediret à quo digressus erat. (*Vbi inquit,*) id est, in quæ sancta sanctorum, eo nos præcurrẽs & viam parans, introijt Iesus pontifex sanctus, vt dicere cœperam, secundùm ordinem Melchisedech.

CAPVT VII.

Hic enim Melchisedech, Rex Salem sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regressõ à cæde regum: & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham. Primum quidem, qui interpretatur Rex iustitiæ, deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

Hic enim Melchisedech.) Est sermo exequentis quod cœperat: Dixeram me velle ingredi subtiliorem & quæ in allegotijs versatur, Theologiam, id iam incipio. Non igitur vrgere debet coniunctio (enim) cùm non habeat vim causæ. Pronomẽ (hic) est demonstrantis cum, de quo in præcedentibus locutus est. Melchisedech inquit, cuius meminit psalmus 109. *Rex salem, &c.*) Est hic longa periodus, quales multæ sunt in Paulo, constans quatuor membris. Primum est: hic enim Melchisedech, &c. Finiturq; in illis verbis. Cui & decimas omnium diuisit Abraham, & habet incisa siue cola sex. Secundum membrum est: Primum quidem qui interpretatur, &cæt. Quod habet etiam incisa aliquot. Tertium est: Sine Patre, sine matre, &c. Quartum assimilatus autem Filio Dei, vsque ad, intuemini. Vbi finitur periodus. Subiectum est: hic enim Melchisedech cui adhæret, Rex Salem & cætera quæ sequuntur, prædicatum verò est. Manet sacerdos est in perpetuum, hoc est, gerit typum, illius sacerdotij, quòd verè æternum est, sacerdotij videlicet Christi, atq; istud potissimũ vrgere vult Apostolus, addit interim alia: ea obscuram facit periodũ. Sensus est: Hic Melchisedech cùm esset Rex Salem: nomen est ciuitatis, an autem Hierusalem significetur, an alia, id quæstionem habet. Hieronymus vult esse ciuitatem in terra Cananæa. Tribuit Apostolus multos titulos ipsi Melchisedech. Primùm, inquit, aduertere vos volo, quòd Melchisedech hic rex erat, & quidem Rex Salem, deindè quod sacerdos Dei altissimi, qui Abrahæ, cùm magnam rem is perpetrasset, obuius factus est & benedixit ei, scilicet, iure sacerdotij: erat enim in illa re minister Dei. *Cui & decimas omnium diuisit Abraham*) est alius titulus Ostendit quòd opinione Abrahæ Melchisedech sacerdos erat, erat & ipsi sacerdos. Abraham, inquit, agnouit Melchisedech pro suo sacerdote dum dedit ei decimas.

Hieron. in epist. ad Euagrium quæ est circa principium tomi tertij.

Primum quidem qui interpretatur) scilicet, per etymologiam nominis. Si vultis, inquit, exercere hanc reconditam Theologiã, pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum incipite à nominibus, inuenietis in his duo: Melchisedech nomine suo typum gerit regis, ac regis iustitiæ, atque illius iustitiæ, quæ propria est Scripturis. Voluit Deus certa ratione personam illam vocari hoc nomine, vt significaret allegorice aliquid ad Christum pertinens: componitur autē Melchisedech ex duobus, ex MELECH quod regem significat, & SEDECH quod est iustitia. Est mirabile, quod Apo. non dubitauit docere, in solis etymologijs nominum latere allegorias. Qui non sentit se habere magnum spiritum, abstinere debet à nouis allegorijs cum inuenire allegorias eius sit, qui afflatur spiritu: & malè merentur de re Christiana, qui has audent cosingere ex suo cerebro. Magis autem mirum est, quod ex etymologia ciuitatis Apostolus ducat mysterium: primum, inquit, Melchisedech vocabulo suo typum gerit magnæ rei. Deinde vocabulo ciuitatis. Nam hoc ipso quod rex fuit Salem, expressit Christū, qui allaturus erat veram pacem, de qua in Euangelio. Et in terra pax hominus bonæ voluntatis.

Sine Patre) obscurè hoc dictum est. Sensus est: Non constat ex Genesi, vbi mentio fit huius Melchisedech, neque ex tota Scriptura, quis fuerit ipsius pater, quæue mater. Quod additur (*sine genealogia*) exponit præcedens. Genealogia autem, vocabulum est frequens Paulo, & Iudæi valdè laborant in texendis catalogis stirpis suæ: quare multum probabilis est commentarius ille, qui facit Melchisedech hunc hominem Cananæum. Sensus est: Melchisedech nullam habet genealogiam, neque in Scriptura, neq; in Deuteronomio, nusquam est genealogisatus. Tria hæc sine patre, sine matre, sine genealogia, Apostolus iucundius expressit dictionibus compositis: atque his omnibus typum gessit Melchisedech ipsius Christi.

Neque initium dierum, neque finem vitæ habens) sensus rursum est: Scriptura non meminit quando natus sit, vel quando mortuus, in hoc rursum typum habet Christi, sed multa differentia est. Siquidem in Christum simpliciter competit, in Melchisedech non nisi per tropum.

Assimilatus autem Filio Dei) illud (autē) positum est pro (præterea.) Sensus iste est: præter ea quæ tribus membris complexus sum: in quibus proposui titulos aliquot ipsius Melchisedech, multa expressit pertinentia ad Christum, vita & actionibus suis: Dicitur autem manere Melchisedech in æternum, quatenus typum gerit Filij Dei, cuius sacerdotium est æternum.

INtuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.

INtuemini autem quantus sit hic) propter qualitates quæ sunt: siue in ipso, siue in Christo, cuius typum gerit. Illud intueri, vocabulum est scholæ, est eorum qui allegoricè tractant Scripturas: Hic, inquit, exercete vestrum allegorismum. Vide commentarium Chrysostom. Is cùm proposuisset principium capitis huius vsque ad ea verba. Primum quidem qui interpretatur, &c. sic scribit: Vbi paucis rem totam narrauit Apostolus, mysticè ipsam & allegoricè interpretatur. Vbi sunt duo vocabula huius artis: alterum, mystice. alterum θεωρεῖν, quod interpres contemplari vertit, cum non tam contemplari quàm contemplatiuè, hoc est, allegoricè exponere significet apud Chrysostomum: eadem hac voce vsus est hoc loco Apostolus. Nam habet θεωρεῖτε, pro quo interpres noster, dixit intuemini: intentio autē Pauli est ostendere non tam ipsius Melchisedech quàm Christi excellentiam, cuius ille typum gessit. Ipse Abraham decimas dedit Melchisedech, quare agnouit ipsum superiorem & maiorem se: dedit autem decimas de præcipuis. Græca vox secundū Chrysostomum exuuias significat ab hostibus detractas, quòd verùm est dū scribitur per τ, alioqui per π, scripta significat præcipua. Interpres Chrysosto. cùm ἀκροθινίων vertisset præcipua, quomodo nostra habet editio, adiecit: Præcipua autem dicuntur exuuiæ, cùm debuisset seruare Græcam vocem hoc modo: ἀκροθινία (qua voce vtitur Paulus) dicuntur exuuiæ, &cæt. Non caret emphasi quod additur, Patriarcha. Sensus est: ipse Abraham quem vos habetis pro principe, dedit decimas Melchisedech de spolijs, sicut quamur Græcos. Si nostram editionem, de præstantioribus rebus quas tulerat ex bello. Qui autem sint patriarchæ secundùm idioma Scripturarum, id quæstionem habet. Si vocem explices, sonat principem patrum aut ducem.

Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, &cæt. Est hic contentio theorica. Sensus est: Mandatum habent in Scripturis pro ipsis faciens, quod sit non sacerdotibus, sed populo: habent, inquam, mandatum sumendi decimas à populo. Quem autem dicat populum, deinde exponit dū addit (*à fratribus suis.*) Quæ expositio non caret vi, quia dignius est esse fratrem, quam popolum, quod sequitur. *Quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ*) dubiū habet sensum: nam referri potest, vel ad Leuitas accipientes

pientes decimas, vel ad fratres dantes, hoc modo: quanquam & ipsi, à quibus Leuitæ accipiunt decimas, eiusdem sint, (quod ad genus pertinet) dignitatis, vel quanquam & ipsi Leuitę, si genus spectes nihilo sint meliores populo, à quo accipiūt decimas: Græca tamen non admittunt nisi alterum sensum, secundùm quem ad fratres refertur.

CVius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.

CVius autē generatio.) Est altera pars contentionis. Vultis, inquit, scire quanto maior sit Melchisedech ipsis leuitis? Discite ex patre Leui: quod Leuitæ accipiunt à fratribus suis, hoc Melchisedech à Patre: ipsi à posteris Abrahæ, Melchisedech ab ipso Abrahamo totius gentis authore: quod interpres vertit. Cuius generatio non annumeratur in eis, ad verbum est: qui non est genelogizatus inter eos, hoc est, qui nō numeratur ex generatione eorum: hinc probabile est Melchisedech fuisse hominē Cananæum, quæ est sententia Hippolyti Irenæi, Eusebij Cæsariensis, & Emiceni, Apollinarij quoque & Eustachij. Hebræi verò volunt hunc Melchisedech fuisse Sem filium Noë, quod propterea dicunt quia non agnoscunt in gentibus vllum sacerdotium, sed nullum adducunt argumentum, quanquam bene ostendant Sem vixisse tempore Abrahæ, Origenes diuersam sequitur sententiam, dicens Melchisedech neque Sem, neque alium quemuis mortalium, sed Angelum esse: quem sequitur apud Græcos Didimus. Alius rursum Melchisedech diuinioris naturæ esse vult, dicens esse Spiritum sanctum, motus fortasse quòd Apostolus faciat illum sine patre & sine matre. Quam sententiam & item Originis, reijcit Hieronymus in Epistola ad Euagrium, vbi etiam docet Melchisedech non regem vrbis Hierosolymæ fuisse, quæ primùm Salem, deinde Iebus, ad extremum Hierusalem appellata sit, sed alterius quæ in Euangelio secundùm Iohannem dicitur Salem.

Et hunc qui habebat promissiones) id est, ad quem factæ erant magnæ illæ promissiones de Messia, bene dixit: *Sine vlla autem contradictione*) sine cōtrouersia, quomodo Græcam vocem vertit in præcedenti capite: id quod minus est, ab eo quod maius est, *accipit benedictionem.*) Erat durum Hebræis audire, quòd homo Cananæus & alienigena maior esset Abrahamo, & graue & difficilè creditu erat: hinc voluit certò & indubitatò id dictum esse. Omnes inquit naturaliter hoc agnoscunt, quòd id quod minus est, &cæt. Duplices sunt sententiæ generales. Aliæ pertinent ad mores & hæ vocātur gnomæ à Græcis. Aliæ naturam rei explicant, & hæ vocantur crises. Atque huius generis est ista propositio. Sine vlla controuersia id quod maius est benedicit minori. Melchisedech benedixit Abrahamo, ergo maior ipso fuit. Hic si quæras quomodo ergo Episcopus Hostiensis benedicat Pontifici Romano respondetur quòd benedicat non Pontifici sed Paulo vel Iulio: & nos benedicimus corpus Christi, sed vt ministri Dei, qui maior est corpore Christi.

ET hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatur, quia vivit. Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui qui decimas accipit decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech.

ET hic quidem) est amplificatio eiusdem contentionis: in hoc inquit loco Pentateuchi ad quem hic respicio. *Morientes homines*) id est, addicti necessariò morti Decimas accipiunt, *ibi autem*) cap. scilicet. 14. Geneseos (*cōtestatur*) scilicet, Scriptura de Melchisedech est quod viuat. Quanquam Græca vox etiam passiuè interpretari possit hoc modo: ibi autem testimonium perhibetur. scilicet, ipsi Melchisedech, quòd viuat. Sensus iste est. Sacerdotes Leuitici mortales sunt, Melchisedech est perpetuus & manet in æternum. *Et vt ita dictum sit*) dicam inquit aliquid improprie quod tamen verum est. Vocula (&) dum dicitur (*& Leui*) valet etiam. *Accipit*) idem est quod accipere solet, vel cuius est ius exigendarum decimarum. Sensus est: in Abraham ipse etiam Leui, ad quem pertinet ius decimarum, soluit decimas, & propterea veri nominis laici sunt Leuitici sacerdotes, si conferas eos cū Melchisedech.

Adhuc enim) quæstio hic est, an vocula (enim) causam reddat eius quòd dixit: non Abraham solum, sed in Abraham etiam ipsum Leui soluisse decimas Melchisedech, an illius quod præcesit: Vt ita dictū sit, quod visum fuit Erasmo, secundùm quem sensus est: Leui non est propriè decimatus, cum id temporis nondum natus esset, sed impropriè, & propterea premolliendo sermonem, scripsi: Vt ita dictum sit. Secundùm alios sensus est: cùm Abraham obuiaret ipsi Melchisedech, tum in lumbis Abrahæ erat ipse Leui, & propterea verè dixi, ipsum Leui decimatum in Abraham. Quare sicut minores habentur qui Leui soluunt decimas, sic ipse Leui inferior est Melchisedech cui decimas dederit. Oportet semper antè oculos habere

Universidad de Deusto
Biblioteca

scopum Apostoli, hoc potissimum agit in hac Epistola, ne pœniteat Hebræos susceptiEuangelij, néue frangantur animo ob aduersa, quæ ratione Euangelij inferebantur, cùm eius maxima sit dignitas, idque propter Christum. Nam vt docent veteres Scripturæ, maior hic est & Angelis & Moyse & Aarone, & quia assueti erant sacerdotio, ostendit non deesse sacerdotium. Habetis inquit sacerdotem Christum, quem quia nunquam viderant Hebræi gerentem se pro sacerdote, desinit in genere sacerdotem docetque in Christo inueniri quicquid est de essentia sacerdotis, vt audeant fidere, quia sacerdotis est bona fide agere negotium populi, & nõ lapso tantum, sed & periclitanti succurrere, & tentato: iam quò magis fidant, maioraque audeant promittere sibi ex sacerdotio Christi quàm Leuitico, confert ipsum cum Leuitico: & primo in medium adducit typum: Volo inquit hic primò aduertere vos Melchisedech, vt intelligatis, quæ sit eminentia sacerdotij Christi: Leuitici sacerdotes maiores habentur populo, quòd decimas accipiant à populo: at Melchisedech decimas sumpsit à principe populi & totius gentis authore, adeoque ab ipsis Leuitis, & propterea huius comparatione ipsi non nisi laici sunt, deinde sacerdotes Leuitici mortales sunt, Melchisedech verò neque initium dierum, neque finem vitæ habet. Ex hoc iam intelligite quantus sit Christus, siue quanto præstantius sit sacerdotium Christi sacerdotio Leuitico: cùm Melchisedech typum tantùm gesserit Christi. Secundò inquit aduertere vos volo ad Psalmum, vt intelligatis quæ sit eminentia sacerdotij Christi. Sacerdotium Leuiticum nec iustos potuit reddere homines, nec gratiam præbere aduersus tentationes, nec cætera conferre necessaria homini in hoc vt perficiatur: sacerdotium autem Christi omnia hæc præstat.

FINIS.

OPVS

OPVS HOMILIARVM F. ADAMI SASBOLDI DELPHII.

ADAMVS GERMANIS FRATRIBVS suis Sasboldo ac Gerardo. S.

HOmilias hasce Leuiticas vobis dedicamus dulcissimi fratres, certò persuasi, quòd ad ipsarum exemplar vitam & mores efformaturi sitis. Valete & in precibus vestris ac sacrificijs, ad quæ offerenda iam manus vestræ inungentur, subindè mentionem nostri facite. Louanij Nonis Aprilis.

HOMILIA PRIMA SVPER HANC SCRIPTVRAM LEVITICI XX.

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis vt essetis mei.

VErba hæc ad filios Israël semen Abrahæ secundum carnem facta sunt, illos in peculiarem sibi populum Dominus elegerat, vt diceretur ipsorum deus, & ipsi eius populus: Verum quia nõ permanserunt in testamento eius nec venientem in propria receperunt, reiecti sunt, & trãslatum ab eis est regnum Dei ad Gentes, hoc est, ad nos. Nos aliquando non populus Dei, nunc populus Dei: non misericordiam consequuti, nunc misericordiam consequuti sumus: Ad nos proinde verba hæc iam pertinẽt, nobis nũc dicitur, quod carnali Israeli olim dicebatur: *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis vt essetis mei.* Quare auditores optimi, solicita mente his intendere debemus, vt quid à nobis requirat Deus, intelligamus: atque vbi intellexerimus, opere exerceamus: exerceamus inquam, & opere præstemus, ne si neglexerimus, & à nobis auferatur regnum Dei, & detur gẽti facienti fructus eius. Cum enim sanctus sit Dominus, sanctum vult habere populum, ab omni segregatum immunditia, ac bonorum operum sectatorem, quemadmodum ostensuri sumus. Antequam autem rem aggrediamur, gratiã imploremus, sine qua vanus est conatus noster, & omnis humanus labor inutilis.

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei. Leuit. 20. b.

IN hac Concione primò dicemus, quid à nobis requirat Dominus, quando ait: *Eritis mihi sancti*, deinde rationes explicabimus quibus ad sanctitatis studium nos exhortatur. Hæc enim duo continet scriptura, quã ex Leuitico proposuimus. Verba hæc. *Eritis mihi sancti*, quid sibi velint, nõ aliunde melius discitur, quàm ex ipso Moyse, apud quẽ iterum & iterum inculcantur. Cap. 11. Leuitici, cum decreuisset Dominus inter munda, quibus vesci liceret, & immunda animantia, à quibus abstinere deberent Iudæi, adiecit in fine. *Sancti estote, quia ego sanctus sum:* Rursus post immunditias & ominationes varias quibus contaminauerunt se Gentes, à quibus populum suum quàm longissimè remotum esse volebat, cap. 18. eiusdem libri recitatas, in principio statim cap. 19. ad omnem cœtum filiorum Israël per Moysen dici iussit. *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester:* Iterum cap. 10. eiusdẽ libri, iubente Domino eadem ad populum Moyses loquitur, vbi & verba thematis nostri scribuntur. Quæ loca si quis conferat, & diligenter ea quæ præcedunt inspiciat, intelliget non aliud esse Sãcti eritis, quam segregati eritis ab omni quod immundũ est. Verùm multa Iudæis immunda erant, quę iam non itidem immunda habentur. Immun-

 dum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dũ est, vt in genere dicam, quidquid in mũdo est. Vt ergo sanctus sis, sepa ra te à mũdo. Atq; vt intelligas, quid nomine mundi significare velim, nõ ram verbis quam rebus docebo. Legis in Isaia: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad calutium, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinũ, comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Ecce mundus. Vbi comeditur vitulus seu aries de medio armenti vel gregis iuxta scripturam, vbi bibitur vinũ in dulcedine, vbi suauiter ac lecurè viuitur, ibi mũdus. Mundus est, vbi gaudium & lætitia. Recede, recede, exi inde, separa te vt sanctus sis, imò separa te vt viuas. Nam scriptum est: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendũt.* Iob 11. b. Præter hunc est alius populus, cuius studia in Genesi sic describit Moyses. *Venite, faciamus nobis ciuitatẽ & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras.* Genes. 11. a. Celebremus, aiunt, nomen nostrũ, ædificemus, ciuitatem & turrim altissimã, vt perpetuam memoriam consequamur, vt nunquam obliuioni tradatur nomen nostrũ, sed nostri perpetuò memores sint posteri. Et hîc mũdus est. Mundus est, vbi ædificatur Babel. Hæc ædificatur non iam in vna tantùm parte orbis, in campo Sennaar, sed vbiq; terrarum, in ciuitate ista, in locis circumiacentibus, & quod magis mireris, in terra quoque sanctorum. Quicunq; studia sua in hoc conferunt, vt parent sibi nomen, vt magni euadant, vt honorentur in populo, illi ædificãt Babel. Quorum quantus sit numerus, quis valeat dicere? hic ieiunijs atterit carnem, orationi inuigilat, iustis operibus insistit, vt nomen sanctitatis consequatur. Ille noctes ducit insomnes, exhaurit spiritus, ingenium vexat, vt audiat, doctus est, insignis concionator est, magnus philosophus est. Alius totus in hoc est, vt potens habeatur: propterea splẽdidas domos facit, & porticus, & deambulacra, & vasa, & vestes. Omnes isti ædificãt Babel. Fuge qui sanctus esse desideras: Primi illi ædificatores Babylonicæ turris dispersi sunt, dispergentur & omnes qui imitantur illos, sicut scriptũ est: *Incuruabit Dominus habitantes in excelso, ciuitatem sublimium humiliabit, humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem, & conculcabit eam pes, pes pauperis gressus egenorum.* Attendant ambitiosi omnes, qui ad magna adspirant: illi enim sunt habitantes in excelso, & sciãt, quod altum est hominibus, hoc abominationem esse coram Deo. Descripsimus duo genera hominum, quorum alterũ delicijs, alterum gloriæ deditum est: præter hæc est tertium genus, quod pro Deo colit Mammonam, gens idololatra semẽ sanguisugæ, populus insatiabilis, dicens, adfer, adfer, & cùm multa attuleris, vsq; adhuc audis, adfer, adfer, & nunquam audis, sufficit. Apud hos vel imprimis est mundus, & frustra homines sunt. Nam vt ait Poëta.

Pronaque cum spectent animalia cætera terrã,
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Non aliam certè ob causam, nisi vt cœlestia rimaretur, eaq; sola amaret ac quæreret, non hæc terrena, quæ mentẽ eius satiare nequeunt: vana enim sunt, promittunt homini fœlicitatem, sed nõ præstant, vnde & mẽdacium appellantur. *Filij hominum,* ait Dauid, *vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* vt quid temporalium rerũ amore detinemini quod est vanitas? vt quid tanquam prima extrema sectamini, quod est mendacium? Filij Adam, curuæ animæ & pectora cæca. Dicite mihi qui estis huiusmodi, qui oculos habetis apertos in vmbras rerum temporalium, & ad æterna bona clausos, intulistis in mundum aliquid? efferetis indè aliquid? Nunquid nõ nudi venistis? nunquid non nudi recedetis? Quid igitur coaceruatis contra vos densum lutum, aurum & argentum, terram vtique fuluam & albam? Fuge qui sanctus esse desideras, fuge qui deo placere studes, & saluare animam tuam. Nam scriptum est. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentionem & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Audistis quid nomine mundi intelligam hoc nimirum, quod beatus Apostolus Ioannes, cum ait. *Omne quod est in mũdo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & sapientia vitæ.* Qui ergo segregat se ab his, ab hominibus qui dicunt. Comedamus & bibam⁹, & fruamur bonis quæ sunt: à filijs Adam, qui ædificant Babel, & aiunt. Celebremus nomen nostrum à semine quoque sanguisugæ, cuius vox est adfer, adfer: Qui inquam ab his omnibus segregat se, & hoc agit, vt soli Deo adhæreat, ille facit, quod sermo diuinus iubet: *Eritis mihi sancti.* Tales fuerunt veteres illi patriarchæ. Dictum est Abrahæ: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Et exijt, ait scriptura, nesciens quo iret, commigrauit in terram, cuius nec nomen, nec situm sciebat. Non erat alligatus carni & sanguini, non loco vel patriæ, non denique vllis rebus seculi, vnde in terra promissionis demoratus est tanquam in aliena. Nam in

in casulis habitabat, hoc est, in tentorijs seu tabernaculis quæ hospitum sunt, & non in loco fixè commorantium, quemadmodum Hebræ. 11. in epistola, quam ad Hebræos scripsit, docet Apostolus, vbi & causam huius exponemus. *Expectabat,* inquit, *fundamenta habẽtem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus,* hoc est, expectabat aliam patriam stabilem ac perpetuam, nimirum cœlestem. Tales fuerunt & prophetæ Domini. *Ecce ego,* Isaiæ 8. ait Esaias, *& pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israël à Domino exercituum qui habitat in monte Sion.* Ecce ego, promptum & paratum se significat in omnem euentum Domini. Dominus abscondit faciem suam à domo Iacob, præstolabor eum, etiam si moram fecerit, & non ego solum, sed mecum pueri mei, hoc est, prophetę cæteri, quos dedit mihi Dominus in signum & portentũ Israël. Prophetæ quia gloriam, diuitias, voluptates contemnebãt, quia omnia vt stercora arbitrabantur, & rejiciebant, spectaculum erant carnali Israëli, alijs eos stultos dicentibus, alijs aliud dicentibus.

Hoc significare vult Propheta dum ait: *Quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israël.* Tales fuerunt Apostoli quoque, vnde cùm meminisset Paulus quorundam, quorum Deus venter erat, qui non nisi terrena sapiebant, segregans se ab illis & Apostolos cæteros, nostra, ait, conuersário in cœlis est. Tales & nos vult esse Dominus, segregatos scilicet à mundo, & sibi vni addictos, hoc est enim quod ait. *Eritis mihi sancti.* Et planè vrget nos per ea quæ adiungit. *Quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.* Quæ verba iam hoc secundo loco explicabimus.

Imprimis ait. *Quia sanctus sum ego Dominus.* Singula suum habent pondus. *Ego* ait. *Ego Dominus.* Nomen quod hoc loco ponitur, nusquam ab homine inuentum est, sed ab vno solo Deo traditum. Est enim nomen illud, quod vsque ad Moysi tempora latuisse refert Exodus, nec vlli fuisse reuelatum mortalium, non Abrahæ, non Isaac, non Iacob. Sanctum & adorandum illud nomen est, quod ob sui reuerentiam non profertur ab Hebræis, vt scribitur, sed vel Adonai legunt, vel Eloim. Est ineffabile illud nomen, quod à numero literarum Græci τετραγραμματον vocant, quo præter Deum vnum solum, primum, nihil denominari potest in cœlo vel in terra. Hoc magnum supersubstantialis Deitatis nomen, interpres, cùm nullam ei parem dictionem inueniret, saltem propter supereminentiam Dominum transtulit. Cùm igitur hic Dominum audis, illum cogita, qui omnium inuenit originem, qui in vuluis maternis singulorum membra compegit, qui corporibus nostris spiritum infudit, qui vitam dedit & omnia, à quo non solum quòd sunt, sed & quòd esse perseuerant, habent vniuersa: illa quoque quæ à philosophis æterna æstimantur, & à corruptione quàm longissimè remota sunt, vt cœlestia corpora & naturæ intellectuales. Quis igitur non tremat audito hoc diuino nomine? quis non pronus adoret? quis non religiosa mente verba dicentis excipiat? Et superstitiosè, vt sic dicam, obseruet? Hinc est quòd toties habes diuinis mandatis affixum. Ego Dominus. Non periurabis in nomine meo. Ego Dominus. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Custodite sabbata mea. Ego Dominus, &c. Vbique est nomen DEI ineffabile, vt videlicet cogites authoritatem præcipientis, & præceptum præterire formides. Dicam ingenuè auditores optimi, quòd ita facilè Dei mandata, sanctissimas ipsius leges passim præuaricemur, causa est, quia non attendimus eius Maiestatem, quia non consideramus magnitudinem eius & sublimitatem. Assideo mensæ, bibitur plenis poculis: ne dissimilis sim alijs, bibo, & ipse æquales haustus, sentio perturbari cerebrum, cogito apud me, parua res est, confitebor tempore suo, in confessione omnia purgantur, atque interim stat ibi neglectus, contemptus, reiectus ille, cuius est cœlum, & cœlum cœli, terra & omnia quæ in ea sunt, author vitæ & mortis, in cuius fœmore scriptum est, Rex regum & Dominus dominantium, cuius nomen sanctum & terribile & in nominabile: quod si esset ante oculos, qui fieri posset, quin temperarem mihi, quin segregarem me, & studerem sanctus esse Deo meo? Eritis igitur mihi sancti, quia ego Dominus. Ego Adonai, Ego sanctus sum. Et quid est Sanctus sum? Aliter ipse, aliter nos sancti sumus. Nos participatione, ipse natura sanctus est, purus, impollutus, & segregatus ab omni quod immundum est. Verum, quia naturam eius intueri non poteramus, naturam nostram assumpsit, vt in carne DEVM contemplantes, secundum ipsum, ceu veræ sanctitatis absolutissimum exemplar, vitam & mores nostros componeremus. Intueamur ergo qualis in terra vita eius fuerit, consideremus locum natiuitatis quæ erat Bethlehem contempta àc paruula ciuitas, viles quoque pannos quibus puerulus inuolui voluit, stabulum deinde & durum præsepe, quod in tenera illa ætate pertulit, & vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

debimus ipsum ab infantia mundum damnasse: ea quæ mundus miratur contempsisse: diuitias, honores, voluptates respuisse: atque secundum hæc initia tota reliqua ipsius vita decurrit. Nam vsque ad annũ trigesimum ignotus latuit apud parentes. Dehinc relictis parentibus secesit in desertũ, vbi cum bestijs versans, vigilijs, ieiunijs, ac longa inædia innocentem carnem atterebat. Relicto deserto, cœpit prædicare, & prædicauit annis penè tribus, in fame, siti, fatigatione: non hoc habens quod vulpes, quæ foueas: & volucres, quæ nidos habent. Consummato opere prædicationis, seipsum pro nobis in mortem obtulit, mortem ignominiosissimam, mortem crucis, & sic vitam finiuit. Audiamus ipsum iam loquentem: *Sancti estote, quia sanctus sum ego Dominus*, Separate vos à mundo, quia ego à mundo me separaui: Ego diuitias, honores, voluptates contempsi, & vos contemnite. Reijcite ex animo auaritiam, cupiditatem, libidinem, quia ego hæc reieci. Ego Dominus. Ego Adonai. Ego qui vitam vobis donaui & omnia. Hæc meditemur, secundum hæc nos ipsos excitemus, cogitemus ita nobiscum. Ecce Dei Filius, in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, in quo inhabitat plenitudo diuinitatis, corporaliter iacet in stabulo, latet apud parentes, gloriam fugit, & ego qui cinis sum & puluis, inutile pondus terræ, quæram ego innotescere? magnus haberi & honorari in populo? Ecce Deus meus adeò pauper est, vt non habeat vel tantillum, vbi caput reclinet, & mihi nõ sufficiet tolerabile hospitium? Iungam domum ad domum, agrum ad agrum, beneficium ad beneficium? Ipse in deserto sub frigido cœlo manet, humi cubat, ieiunijs atterit carnem, & vadam ego & delicijs affluam? comedam & bibam & dormiam in plumis suauiter? Per salutem tuam dicebat ille, & per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem, in æternum non faciam, sanctus ero Deo meo. Discamus huiusmodi cogitationibus exercere nosipsos, huiusmodi cogitationibus excitemus in nobis iram. Ira opus est, vt cupiditates, quibus hactenus secundum mundum obnoxij viximus, vincamus. Ponamus ante oculos ignominiam, ignominia filio est, si à patre degeneret. Pater noster est, qui possedit nos, & fecit, & creauit nos. Is autem Deus est, ipse sanctus est, natura sanctus, totus sanctus, nihil cum mundo ei commune aut est aut esse potest. Quanta igitur ignominia, si nos, qui genus Dei sumus, mundi cupiditatibus immergamur, nos præsertim Christiani, quos à mũdo semel separauit. Separaui, inquit, vos à cæteris populis, vt essetis mei.

Agnoscamus auditores optimi. Dei erga nos amorem singularem. Cùm enim omnium sit Dominus, quare præ cæteris nos elegit? quare nobis conglutinatus est, & non Turcis? Saracenis? aut alijs populis? An quia sanctiores omnibus eramus, ideo nobis iunctus est Dominus? Nonne quemadmodum cæteri omnes, & nos in facibus concepti, atque in peccatis nati sumus? certè & nati & concepti. Quare ergo alijs relictis, nobis adhæsit? Audite quid Moyses dicat carnali Israëli. *Non, quia cunctas Gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, cùm sitis omnibus populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus.* Et nos quia dilexit, ideo elegit, ideo separauit, vt in omnibus penè epistolis suis docet Apostolus: At quo modo separauit? vtique per fidem & fidei sacramẽtum, quod est Baptismus. In Baptismo aspersi sumus sanguine ipsius: in Baptismo signati sumus Spiritu ꝓmissionis sancto, illius occulta vi ac operatione execti sumus à corpore diaboli, & inserti Christo. Et cuius rei gratia? propterea ne, vt ducamus in bonis dies nostros? vt comedamus & bibamus? vt magnas domos extruamus? vt thesauros auri & argenti congregemus? vt celebremus in terris nomina nostra & faciamus voluntates carnis καὶ διανοιμων?

Absit. *Separaui*, inquit, *vos à cæteris populis, vt essetis mei*, id est, mihi soli addicti, meo honori, meo cultui, & obsequio, & viuere tis mihi: non mundo, non carni, aut concupiscentijs vestris. Atque istud ne ignoremus, immersi sumus in aquis, atq; ex aquis rursus educti in Baptismo: illo, vt admoneremur nos mori mundo: hoc, vt sciremus ad nouitatẽ vitæ nos resurgere: ita sanè Baptismi sacramentum ad Romanos explicat Apostolus. *An ignoratis*, ait, *quia quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Hinc illa exhortationis vox ad Colos. legitur. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est eũ Christo in Deo.* Mortui estis, vita ista non est vita vestra: alia est, quæ sita est in Deo, quæ abscondita est honores, voluptates. *Cùm autem Christus apparuit, &c.* Nunc quidem latet vita vestra, at non semper latebit, semel exeret se. Si quæritis, Quando? In die iudicij, tunc Christus manifestabitur, & vos vnà cum ipso, ita vt & mundus agnoscat, vos verò viuere & regnare cum Christo, quod iam interim sibi non persua-

persuadet. Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terrã fornicationẽ, immunditiã, libidinẽ, cõcupiscentiã, malã, & auaritiam, quæ est simulachrorũ seruitus, &c. Videtis quomodo doceat Apostolus nos commori Christo per Baptismũ, & rursus resurgere cũ Christo in Baptismo, quare Baptismi mysteriũ non leuiter transmitti, sed hæc quæ significat & requirit per omnem vitam meditari, in his exerceri oportet, vt mortificationẽ Iesu Christi in corpore nostro perpetuò circumferamus, id est, vt exẽplo Christi Deo viuamus mortui mundo, hoc est, vt sancti simus, quemadmodũ ipse sanctus est. In hoc enim separati sumus, mò ad hoc nos obstrinximus. Considerate enim & repetite diligenter, quid in Baptismo actum est. Venimus ad fontem, occurrit nobis Sacerdos, antequam immergeret, interrogauit vnumquemq; nostrũ. Abrenuntias Sathanæ? Respondimus singuli. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius? Respondimus. Abrenũtio. Et omnibus operibus eius? omni vanitati & gloriæ seculi? fastui? luxui? voluptatibus? breuiter omnibus vitijs? Respondimus. Abrenuntio. En series cautionis nostræ. Ecce fœdus quod cum Deo iniuimus, retractare non possumus, sanguine Christi subsignatum est, annulo Spiritus sigillatum est. Quàm igitur indignam rem faciunt, qui post Baptismũ, mundi cupiditatibus se rursus immergũt, audite, qui comessationibus & potationibus vacatis, qui lasciuitis in stratis vestris, qui pomposè inceditis, qui coniungitis domum ad domũ, & agrũ agro copulatis vsq; ad terminum loci, fidem negatis, sanguinem testamenti polluitis, spiritui gratiæ contumeliam facitis: Quãtum nefas? & vt amplius aliquid dicam, cultũ Dei trãfertis ad idola. Non miremini: An non idolum est Mammon? an nõ idolum est voluptas? Nónne de ijs, qui remissè ac delicatè viuunt, pronũtiat Apostolus, quòd ipsorum Deus venter sit, quos & deflet? Et quis non defleat miseros & infœlices? Esto namq; delicientur hodie & cras & annos decem, & viginti, & triginta, & quinquaginta, & centũ etiam, quod est impossibile: imò si vultis, ponamus etiã quid vltra centum: quid est? quid inquam est? quid totum est? Vna hora obliuionem faciet luxuriæ magnæ, & relinquent omnia sua alijs, & descendent ipsi in abyssum, hoc est in infernũ, ibi fumus tormentorũ eorũ ascendet in secula seculorũ. Talem ergo ducere vitam, non est planctu mentis dignũ: Dico ego, si totus orbis sumptis lachrymis eos defleret, ne sic quidẽ dignè defleretur. Et tamen hodie fœlices hi æstimantur atq; beati, tãta est cæcitas hominũ, sed tempus est, vt dicendi finẽ faciamus.

Audistis auditores optimi, quid Dominꝰ requirat à nobis, quando ait: *Eritis mihi sancti*, & quibꝰ rationibus, ad sanctitatis studiũ nos exhortetur. Obsecro iam per misericordiam ipsius, per amorẽ illum singularẽ quo dilexit nos, non sint frustra dicta. Memores simus perpetuò cautionis, quã in Baptismo præstitimꝰ, versetur semper ante oculos sanguis quo ibi adspersi sumus: attendamꝰ iugiter spiritum, quo obsignati ibi sumus: cogitemus, quòd impressus animis nostris sit character indelebilis, quo agnoscemur & apud inferos, quòd ad populum Dei pertinuerimus: & separemus nos à mundo, quia separauit nos Dominus ipse.

Quid est (hoc, vt sanctũ & adorandũ ac magnũ illud diuinæ essentiæ nomẽ, quod Græci ἀνεκφώνητον vocant, et ab Hebræorũ magistris, Semham mephoras, hoc est nomen separatũ, non immeritò appellatum est literis quibus scribitur exprimã, quia separauit nos (יהוה) separauit inquã à massa perditionis, à corpore diaboli, à populo infideli, atque id gratuita sua miseratione, ob nulla prorsus merita nostra. Huius memores simus, & quod separationis ratio exigit, vni Deo adhæreamus, vt quemadmodum ipse sanctus est, & nos sancti sumus. Ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

SVPER EANDEM scripturam Homilia II.

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis vt essetis mei.

Scripturam hanc Leuitici hesterno die tractauimꝰ, sed in genero vt meministis, quare visum nobis est eã rursus proponere, atq; ab ea hunc quoq; sermonẽ auspicari, in quo dicemꝰ, nõ quid à quouis Christiano quòd tum fecimus, sed quid ab ijs potissimùm quos in Sacerdotium elegit, requirat Dominus. Et oro vos beatissimi Patres, & si dignum ducitis sanctissimi fratres, vt non me attendatis iuuenẽ pollutum labijs, rerũ inperitũ ac multis inuolutum peccatis, sed eũ, cuius voluntatẽ vobis annuncio, hoc est, Iesum Christum, & eius verba æstimate, non mea, quæ per os meum audituri estis. Confido enim quòd in ore meo erit. Et quamuis multos hic videam non sacerdotes, plurimos tamen adesse scio, qui hoc honore gaudent, plures adhuc qui ad hunc destinati sunt. Illi ergo præbeant aures mihi attentas, imò silentium præbere quicunque præsentes estis, omnes instruet sermo meus, discent

Universidad de Deusto
Biblioteca

discent & non sacerdotes, quo timore adsistere debeant diuinis mysterijs: discent, in quo honore habere debeãt sacerdotes: obiter quoque, quam ab eis sanctimoniam exigat Deus, audituri sunt.

Leuit. 20. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.*

Leuit. ca. pit. 11. 20. 1. Pet. cap. 1. VErba hęc quanquàm ad omnes omninò, qui in populo Dei censentur, pertineant, vt in Leuitico videre est, & in priori epistola beati Apostoli Petri, imprimis tamẽ spectant ad sacerdotes. Illos enim separauit Dominus, non solùm à nationibus Gentiũ infidelium, à Turcis & Saracenis, sed à suo quoque populo, hoc est, à Christianis cæteris. Vnde & maiore sanctitate pollere debẽt, quàm ipsum vulgus Christianorum. Quod dicimus, clarum erit, si modum exposuerimus quo eos separauit. Christianos à cęteris populis separauit fide & fidei sacramento, hoc est, Baptismo, quemadmodum heri diximus. Sacerdotes à Christianis cæteris discreuit ordinatione. In ordinatione dictum est eis. *Accipite Spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt, accipite Spiritumsanctũ.* Quotquot in Christo baptizati sumus, Spiritumsanctum accepimus, sicut scriptũ est. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritussancti, quem effundit in nos abundè per Iesum Christũ Dominum nostrum. Sed alius est ille spiritus, alius iste de quo nunc sermo est. Alium dum dico, non diuersum intellige secundũ naturam, sed secundum operationem, vim, & energiam. Nam qui in Baptismo nobis datur Spiritus in hoc datur, vt illo sancti simꝰ. Qui autem in ordinatione datur sacerdotibus, in hoc eis datus, vt alios sanctificandi habeant potestatem, quæ duo longè vtique diuersa sunt, atque hoc exprimunt verba illa: *Quorum remiseritis peccata, & remittuntur & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ qui rectè intelligit, videt omnes omninò qui orbem incolunt Christianum, atque in eo versantur, pedibus sacerdotum esse subiectos, non plebeiam tantùm multitudinem, sed ipsos quoque Reges ac Principes. Quid enim aliud est, Quorum retinueritis peccata retenta sunt, quàm quorum peccata vos non remiseritis, nequaquam remissa sunt? Torqueat se Lutherus, ascendat in cœlum, descendat in abyssum, eat quò velit, aliam reconciliationis viam haud inueniet, quàm per manus sacerdotum. Si ergo omnes, ipsi quoque reges & Principes ad genua sacerdotum impetrare debent peccatorum suorum remissionem, certè subiecti eis sunt, & Rege maior est Sacerdos. Et quomodo non maior? cùm huius potestas non corpus tantùm, quemadmodum illius, sed ipsam etiam animam contingat, & ad cælos vsque peruadat, adeò vt quæcunque ipse ligauerit super terram sint ligata & in cœlo: & quæcunque soluerit super terram, sint soluta & in cœlo. Diuina est hæc potestas, quam Deus optimus, neque angelis, neque archangelis, sed nec ipsis supremæ hierarchiæ spiritibus datam esse voluit. Vnde hoc asserimus? Ex Esaia. *Volauit ad me*, ait Esaias: *Vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit. Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* En annunciare potuit Seraph. remissum iri Prophetæ peccatum suum, non autem remittere: Auferetur, ait, iniquitas tua. Non sic sacerdos: eius vox est: Absoluo te ab iniquitate tua, siue absoluo te à peccatis tuis. Nec vana vox est, sed quod dicit, verè, & efficaciterq; facit. Quanta igitur dignitas sacerdotum: quibus talis potestas concessa est, quibus tam sacer principatus commissus est, qui dij in terris positi sunt. Dei siquidem est remittere peccata. Vnde dicente Saluatore ad paralyticum, *Remittuntur tibi peccata*, dicebant *Iudæi*. *Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* Testimonium hoc verum est quandiu ab infidelitate profectum. Nemo siquidem peccata remittere potest nisi Deus, vel certè cui diuina potestas fuerit communicata. Illa nulli tum mortalium communicata erat, sed nec ante vlli vnquam fuerat, non Patriarchis non Prophetis. Magnus erat apud Deum Moyses, magnus item Helias. Ille prece strauit Amalech, hic verbo cœlum clausit, vt cætera taceam admiranda quæ fecere: ac tanti cum essent, neque hic ta quæ facere: ac tanti cum essent, neque hic tamen, neque ille quenquam à peccatis vamen, neque ille quenquam à peccatis vãluit absoluere. Non enim eis dictum erat. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Agnoscamus Patres dignitatem nostram, agnoscamus inquam & cogitemus, quanta sanctitate pollere debemus qui in tanto gradu positi sumus. Non satis est si à crapula & ebrietate abstineamus, si fornicationem fugiamus, si auarititiam detestemur, si gloriam mundi non quæramus: maiorem sanctitatem requirit tantum ministerium. Et quam tandem? Dicam quod mihi videtur, & verum me dicturum puto: Vt à tumultu & negotijs seculi separati, in lege Domini meditemur die ac nocte, vt precibus & ornationibus iugiter vacemus, vt rerum humanarum obliti, cunctisque, quæ in terra sunt superiores effecti, in cœlis versemur cogitatione & affectu, vt hoc

Esai. 26. geratur in mentibus nostris quod in corde illius qui dicebat. *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ.* Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de luce vigilabo ad te. Sed dicetis mihi. Hoc Carthusianorum est, & eorum qui in monasterijs agunt. Audite me beatissimi Patres, & si dignum ducitis sanctissimi fratres. Nonne à plebeia multitudine separauit nos Dominus? certum est, & nos tam declarauimus. Et nonne à plebe requirit Dominus, vt crapulam, ebrietatem, fornicationem, & cætera mundi inquinamenta vites? Ignorare hoc non potest qui Paulum legerit. Nisi ergo à tumultu, & negotijs seculi nos separauerimus, & hoc egerimus quod diximus, qua in re cæterum populum superabimus, cui esse æquales, confusio nobis est?

Neque verò crassa illa duntaxat in plebe detestatur Apostolus, sed tantam omninò ab ea sanctimoniam exigit, vt non ferat vel μωρολογίαν, id est, stultiloquium nec εὐτραπελίαν, Ait enim sic (attendant ernon sacerAd Ephe. 5. dotes, vt intelligant quid requirat christianissimus.) *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas* hoc est, εὐτραπελία ea enim voce vtitur Paulus. *sed magis gratiarum actio*, hoc est, Volo vos in congressibus vestris & conuiuijs, Christi meminisse & beneficiorum eius, non ea loqui quæ stulta sunt, vel quibus alijs risum moueatis: ea enim indigna sunt, Christianis. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate.* Fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini Spiritusancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris, Domino gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri, &c.* Si ad hæc plebem hortatur Apostolus, quid nos facere oportet, non inquam, qui tanto gradu à plebe diuidimur? Neque verò hæc re tantum separati sumus, quod ligandi soluendique potestatem præ alijs accepimus, sed & hoc à cætero populo differimꝰ, quòd sacrificandi potestas penes nos sit. Nobis, non alijs dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et quid est, hoc facite in meam commemorationem? Vtique consecrate corpus & sanguinem meum, offerte, sumite, & alijs administrate. Consideremus quanta sint hæc. Ad hoc autem plurimum iuuabit sextum caput Esaiæ quod sic habet. Esa. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo. Et dixi. Væ mihi, quia tacui, quia vir polluctus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Dominus quem hic vidit Esaias non Pater fuit, sed Filius ipse qui dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod discere licet ex Euangelio Ioannis. Cùm enim dixisset beatus Euãgelista de Iudęis loquens, propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos, quæ verba ex hoc 6. capite transcripsit, continuo subiecit.

Hęc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Christum vtique significans, in quem illi credere nolebant. Quam igitur tremendum sacrificium & horrore plenum, in quo hostia est ille qui maiestate sua non terram modò, sed & cœlum implet. (Hoc enim significatur illa hypotyposi, qua describitur sedere super solium excelsum & eleuatum, atque ea quæ sub ipso sunt replere templum.) Sed & quàm magni illi, quibus operantibus sacrificium hoc initiatur, perficiturque, ad quorum voces, panis in corpus & vinum in sanguinem trãselementatur: in corpus, inquam, & sanguinem eius, cuius gloriam obtueri non velent Seraphim: velant enim facies suas. Nam quod noster textus habet faciem eius, rectè interpretari possumus, faciem suam, vel facies suas. Non enim distinguunt Hebræi pronomina reciproca à non reciprocis, quemadmodum nos Latini. Nec facies tantùm velant sed pedes. Quare facies velent, iam diximus. Et quia nonnulli fortè minus aduerterunt, iterum dicemus. Velant facies suas, simul vt excludant radium è throno prodeuntem, eò quòd ferre non possent immensam illius gloriam, simul autem vt religionem suam ac reuerentiam significent, quam habent erga Dominum. Et quum plurimam habeant erga conditorem reuerentiam, & hanc vndiquaque conentur præstare, nec assequantur quod expetunt, idcirco & pedes tegunt, vt quod deest affectui, hoc velo obtegant. Iam vt intelligamus promptam eorum obedientiam, postquàm dixit, duabus

velabant

Universidad de Deusto
Biblioteca

velabant faciem, & duabus velabant pedes, adiecit, & duabus velabant. Et quidnam dicebant, iam audistis. Hoc vtique: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum.* Plena est omnis terra gloria eius, quia nihil natura sanctum, nisi ipse, ideo ter dicunt Sanctus. Quoniam autem vbique quasi literis inscripta videtur diuina eius potentia, idcirco accinunt. Plena est omnis terra gloria eius. Atque huius de quo iste dicuntur, Sacerdotes quotidiè in altari corpus conficerant, offerunt, sumunt. Quoto ergo hos in ordine collocabimus? quantam autem ab eis integritatem exigemus? quantam religionem? Considerate, quales manus illa administrantes esse oporteat? qualem linguam? quæ verba illa proferat? qua denique re non puriorem, sanctioremq; conueniat esse animam, quæ tantum illum Dominum quotidie recipiat, sanctissimum illud corpus sacratissimum sanguinem illum, in quo pacificata sunt atque instaurata, & quæ in cælo & quæ in terrâ sunt. Considerate apud vos. Nos quia semel cœpimus, pergemus in Esaia, & reliqua quæ ex ipso proposuimus, exponemus.

Videns Propheta Dominum in illa maiestate, videns hinc atque hinc Seraphim cælestes illas virtutes stantes timoris ac stuporis plenas, videns ad voces earum moueri cœlum (commota sunt enim superliminaria cardinum à voce clamantis hoc est, clamantium phrasi Hebraica) cupiebat quidé se iungere & vnà cum ipsis dicere, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sed non audebat, atq; hoc est quod plangit dum ait. *Væ mihi quia tacui*, id est, quia tacendum mihi iudicaui. Sed quare sibi tacendum esse censebat? quam ob causam non audebat voces suas iungere & dicere cum Seraphin, Sanctus, Sanctus, Sanctus? Causam ne ignoremus, ipse expressit, *quia*, ait, *vir pollutus labijs ego sum.* Ob polluta tantum labia hoc non audebat. Et vnde illi labia polluta? latenter etiam hoc significauit, dum ait: *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Non suo ergo vicio, sed societate populi polluta labia habentis, cum quo loqui sæpissimè cogebatur, labia incurrerat polluta. Sed illa ne indignum reddebant Prophetam laude Dei? Sic sanè. Nam hoc est quod plangit, nisi forte quis dicere velit ex scrupulositate id profectum, quæ vtique longè fuit à corde Prophetæ, Sed quorsum hæc? conspectant quò cætera. Cupimus modis omnibus persuadere, quid requirat sacerdotium, quantam integritatem, quantam sanctimoniam, atque ad eam rem non parum facit locus iste. Nam si sanctus Propheta ob polluta tantùm labia, hoc est, ob leue aliquod peccatum, atque ex genere illorum, sine quibus præsens hæc vita non ducitur, indignum se fatetur Dei, nec audet dicere cum Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, quælem obsecro esse eum oportet, qui non cum Seraphim modò Sanctus, Sanctus, Sanctus cantat, sed illa quoque per linguam verba promit, quæ proferre nec ipsa Seraphim audent, dumque proferri audiunt, tremunt ac horrent. Satis ne huic fuerit, si crapulam, ebrietatem, fornicationem, atque alia id genus crassa peccata vitet? Nonne ab omni prorsus humana contagione alienus esse debet? & hoc ne sufficerit? nónne angelum esse oportet? certè angelum, imò plusquam angelum, quum ei datum sit quod angelis non est concessum. Nusquam enim ad eos dictum est. *Hoc facite in meam commemorationem.* Puto me ostendisse quod in exordio concionis proposui, videlicet, verba hæc, *Eritis mihi sancti quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis vt essetis mei*, imprimis spectare ad sacerdotes, atque adeò maiore eos sanctitate pollere debere, quàm ipsum vulgus Christianorum. Quod quidem nec ipsa scripura tacuit, dū peculiares refert causas, ob quas eos vult esse sanctos, Leuitici 21. Incensum Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erūt. Sunt verba Domini Dei ad Moysen super filijs Aaron, Ego elegi filios Aaron, & à cæteris populo separaui, vt ministrent in conspectu meo, & incensum & panes offerant, & quia hoc præ cæteris sortiti sunt ministerium, ideo sancti erunt, sancti tanquam, erunt, non vulgariter quomodo cæteri, sed excellenter. Hoc enim significat nota illa excellenter. Hoc enim significat nota illationis, & ideo si quæras, quam ab eis exigebat sanctitatem, quam non itidem à cætero populo? Dico, variam & multiplicem.

Imprimis non à sordibus solùm & inquinamentis peccati mundos eos esse volebat, quod omnium est, sed & animum habere liberum prorsus, nullis curis, nec vllo mœrore seculi offusum. Vnde cùm terram diuiderent, & possessiones partirentur vndecim tribus, Leuiticam tribum nihil de illa diuisionis portione percipere voluit, vt quæ operationibus diuinis insisteba, in nulla re auocaretur, nec cogitare aut agere secularia cogeretur, sed alijs terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum atq; alimentum suum ab vndecim tribubus decimas reciperet. Sectibus qui nascebantur, decimas reciperet. Secūdò nō solùm à largiore potatione quā & cæteri vitare debebant, verùm & ab omni potu tum vini, tum siceræ abstinere eos volebat tēpore ministerij. Sic enim legimus in Leuitico: *Vinū & omne quod inebriare potest, non biberis tu & filij tui, quādo intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ loquutus sum ad eos per manum Mosi.* Tertio tam sublimen volebat esse eorum conuersationem, vt ex ea & ipse sanctus agnosceretur, & populus ad sanctitatis ac virtutis studium excitaretur. Vnde filius Aaron Nadab & Abin ob temeritatem à Domino percussis, Hoc est, ait Moses, quod locutus est Dominus. *Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Quorum verborum hic est sensus. Agnoscat sanctus ex munditia, & sanctitate ministrorum, non permittens malos mihi ministrare.

Considerate patres beatissimi ministerium vestrum & cum illorum conferte ministerio, qui secundum ordinem Aaron ministrabant. Illi quemadmodum audistis panes offerebant, vos non panē offeretis vel si panē, certe non huius generis qui è terra educitur, sed quem offertis panem de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Illi brutorum animalium carnes immolabant & sanguinem: vos non huiusmodi animalium carnes & sanguinem, quæ auferrę non possunt peccata, sed immolatis agnum immaculatum & incontaminatum Iesum Christum, sanctissimum corpus eius, sacratissimum sanguinem eius, in quo semel pacificata sunt atque instaurata, & quæ in cœlis & quæ in terris sunt. Si ergo illos ob hoc ipsorum ministerium sanctos esse oportebat, nec vulgariter sed excellenter sanctos, quales vos esse oportet, quorum ministerium tanto præstantius est, quanto lex noua præstat veteri: Sicut enim se habet lex ad legem, sic sacerdotium ad sacerdotium. Quales, inquā, vos esse oportet, quam sanctos, quam puros, quam à terrenis actibus & curis elongatos, quam abstemios, quam sobrios, quam sublimis & excellentis conuersationis: Multa de vobis scripsit Cyprianus, multa Hieronymus, multa Ambrosius, multa item Chrysostomus, atque alij tum Græci tum Latini, præclare scripserunt: sed minus est quidquid hactenus aut ipsi, aut alij scripsere. Vtcunque à purgatis mentibus concipi potest quid requirat Sacerdotium, quantam integritatem, quantam religionem, quantam sanctimoniam. Quare Patres beatissimi, hoc agite, dispicite vobis locum aptum contemplationi, tempus ad eam rem oportunum eligite, & in silentio cordis versate, quis sit quem quotidie offertis, cuius corpus quotidie manibus vestris contrectatis cuius sanguine quotidie labia vestra proluitis. Et si serio id feceritis, scio, apprehendet vos in cogitatione vestra stupor vehemens, mirabimini supra modum de eminentia ministerij vestri, pronuntiabitis non solum omni re puriorem, sanctioremque esse oportere, cui tale incumbit ministerium, sed & summa ope adnitemini tales vos præstare, vt quemadmodum ipse sanctus est, & vos sancti sitis: ipsi honor & gloria in secula seculorum,
Amen.

SVPER EANDEM scripturam Leuitici, Homilia. III.

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis vt essetis mei.

NON miremini Auditores optimi, scripturam hanc Leuitici, iam tertio à nobis proponi. Facimus id exemplo eius à quo profecta est. Ipse siquidem eius author frequenter admodum per Mosen eam populo suo proposuit, quemadmodum videre est in Leuitico. Quod eo sanè consilio fecit, vt populus hāc in perpetua haberet memoria, nec vnquam sibi pateretur excidere, quam tanto studio sibi commendatam nouerat. Idipsum nos agimus, cupimus modis omnibus hæc verba imprimere animis vestris, & quia vanus est noster labor, nisi cœleste numen assipiret idcirco gratiam imploremus. *Leuitic. 11. 19. 20. d.*

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.

IN prima nostra concione diximus, quid ab omnibus in vniuersum Christianis requirat Dominus, quando ait: *Eritis mihi sancti.* In secunda, quid ab ijs, quos à cæteris separauit, vt sacerdotio fungantur in populo. In hac tertia dicemus, quam longe absimus ab hoc quod esse debemus. Et scire vos volo auditores optimi, quod dum huius rei cogitationibus me exercerem, lachrimæ ob oriebantur mihi Et quis temperet à lachrymis? Separati sumus à cæteris populis, vt sancti simus: & sanctitate præeunt nos ipsi, à quibus separati sumus, hoc est, Gentes incredulæ. Quis non fleat? cuius oculi non deducant lachrymas? cuius palpebræ non defluant riuis? Separati sumus, vt in lege Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mini meditemur die ac nocte, vt precibus & orationibus iugiter vacemus, vt rerum humanarum obliti, cunctisque quæ in terra sunt superiores effecti, in cœlis versemur cogitatione & affectu, & ne vmbram quidem horum apud nos videre est. Hoc ne lamentatione dignum? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte? Triste exordium hoc, sed tale prorsus quale res ipsa exigit, Consideremus paulisper studia nostra, vitam & mores. Quæso vos, quid agimus? Et si à me vultis audire, non grauabor dicere. Hic nouarum rerum cupidus illa studiose inquirit, quæ ad se pertinent nihil, videlicet quid agat Cæsar, quid moliatur Galliarum Rex, quid meditetur Turca, atque de his domi, de his foris, de his commentatur in templis. Ille totos dies spatiatur. Tertius fistula ludit ac fides pulsat. Quartus in ratiocinijs & supputatione tempus omne consumit. Quintus iactu gaudet tesserarum, & longos dies fallit tritillo. En studia nostra. Sed hæc ne sunt magnopere reprehensione digna magnopere prorsus. Dum enim hæc agimus, negligimus Prophetas, negligimus Paulum. Non legimus Euangelia. Et quia in his non versamur, aut frigide versamur: nescimus quid sit Christianismus, nescimus qua re apprehendatur iustitia, ignoramus iudicia Dei, & descendimus absque vllo numero ad infernum. Quid me adspicitis? An non Scriptura hoc dicat? Scriptum est. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius & populus eius, sublimes gloriosique eius ad eum.* Mira verba & propterea resumamus ea. Populus meus captiuus ductus est. In captiuitate, fame ac siti interijt, & dilatauit infernus animam, & aperuit os suum absque vllo termino, & deuorauit in perpetuum puniendum. Quia aliena per vim rapuit? quia libidine exarsit, quia scorta aluit? Non multi si quidem, si illa spectemus, sanctè & non innocenter vixere. Quare ergo? quia non habuit scientiam. Et quam scientiam? Num illam quæ ornatè secundum Ciceronem loqui docet: quæ docet conuersari laudabiliter secundum seculum? quæ vultum componit? quæ gressum format, atque in exteriori homine fingendo tota est, quam tantopere hodie amplectuntur aulici? de ea ne loquitur scientia? Absit: ea siquidem stultitia est apud Deum. Quam ergo intelligemus hic scientiam? sane il-

Esai.5.d

lam quæ scripturis propria est. Ea autem est, quæ de remissione peccatorum, de iustitia, de salute differit: quæ docet quid gratios Deo, quid dignos cœlo efficiat, quæ res fiduciam pariat, qua subnixus aude at egredi animus & sisti conspectui Dei. Hæc in quibus potissimum referendis scriptura sacra occupatur, quampluris incognita siuit. Agnoscite quod dico. Hic videt se quotidie labi ira, inuidia, torpore, libidine, superbia, atque interim dat eleemosynam, audit sacrum, legit septem psalmos, nec quidquam cogitat de mutanda voluntate, atque ob hæc quæ facit opera, putat omnia esse salua. Alius nec hæc adhibet, sed satis superbeque putat, si credat in Christum, ob fidem in Christum certo persuadens sibi nihil esse periculi Christiano, etiam si perdite viuat, etiam si luxu diffluat, etiam si in πολυμιξια, strenue se exerceat, & omnem turpem actionem patret. En in quibus versamur tenebris, quia negligimus scripturas. Sed pergamus quo cœpimus.

Quia vero ignoramus iudicia Dei, quia nescimns, quam à nobis requirat Deus iustitiam, idcirco non tangimur stimulis conscientiæ, propterea non laboramus in fletu & gemitu, non insistimus precibus & orationibus, non extendimus manus nostras ad cœlum, cuius habitatorem offendimus. Quid faciemus in die calamitatis & miseriæ de longe venientis? ad cuius confugiemus auxilium? vbi relinquemus gloriam nostram, id est, hortos nostros, ædificia nostra, vasa aurea & argentea, beneficia nostra, quæ gloriam nostram iam ducimus? Et parum fuerit (sacerdotibus loquor) si nitamur nobis Deum habere propitium, separati sumus vt pro tota Ecclesia, hoc est, vniuerso orbe oremus, vt stemus sicut Moses leuatis semper interioribus animi manibus in cœlum, in confractione in conspectu Domini ad euertendam iram eius, ne disperdat populum suum, hoc nostri officij est. Et quia respondsurus puto. Quotidie conuenimus, decantamus psalmos, legimus horas. Dico & me legere horas. Sed quomodo legimus? Vix bene cœpimns, & iam finem requirimus. Quanta miseria? Diuinos illos psalmos, psalmos plenos cœlestis suauitatis, quibus nihil dulcius habet tota scriptura, legimus sine mente, sine affectione, absque spiritu, imo tanquam onus quodam è manibus excutimus, vt de nugis (ne quid grauius dicam) liberius possimus commentari. Quanta miseria? Vbi est illud, *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desi-*

Esa.26.d

derauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de luce vigilabo ad te. Sentiunt qui vere sunt in Christo, hos affectus, omnia ossa eorum clamant: Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Nec sufficit eis dies, impendunt etiam partem noctis, vt spiritum præsentem reddant Deo. Legunt horas positis genibus, nudo capite, maxima cum attentione, afficiuntur, transformantur, rapiuntur, cibus suauissimus eis est, dulcis magis quam mel aut fauus: Sed pergamus.

Quia vero neque studia amamus scripturarum, neque spiritum habemus precum, & vsquam animum se oblectare necesse est, hinc fit vt bona pars nostrum ea sectetur quæ carnis sunt, quæ mundi sunt, commessationes, potationes: & ne longus sim, fœdas voluptates: atque adeo his dediti sumus, vt & ipsas gentes superemus ac fide alienas. Quid attinet dissimulare? Nonne maior luxus in conuiuijs nostris quam Gentilium? Nonne diuturniores accubitus apud nos quam apud Gentiles? Nonne maior libertas in mensis nostris quam Gentiliũ? Statuuntur magna pocula, ebibimus non semel, atque iterum, sed sæpius: nec satis est, quod ipsi ebibamus, ad æquales haustus cogimus cæteros, & quia non inebriamur, nec peccare nos putamus, quasi non scriptum sit: *Væ vobis qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Comminatio est, non contra eos qui forte, vt fit, virtutem potus ignorantes inebriantur, sed contra eos qui quotidie fortia & delicata ac varia vina bibunt, Francia, Rhenana, atque alia, & multum bibunt, nec tamen inebriantur, quia in consuetudine venere bibendi. Hos arguit Prophetа. Illi sunt quos potentes appellat ad bibendum vinum, & viros fortes ad miscendum in vino ventre inebriatiua. Id enim huius loci Hebræa vox significat, quam & Græci interpretes vsurparunt, vertentes οἱ κρατοῦντες τοῦ οἴνου. Et vt nihil ad nos pertineat comminatio hæc Propheræ, illud manifestum est, huiusmodi potationibus impinguari sensum, quem in Christianis, maxime autem in sacerdotibus Dominus semper vigere voluit, ac tenuem esse. Impinguatur dico sensus, vt quæ vera, quæ sancta sunt quæ spiritus Dei sunt, capere nequeat. Vnde cum meminisset Esaias hominum sui temporis, plebis ac cleri, & omnes vino deditos dixisset, intulit. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum, id est, hoc rerum statu, quando totus populus ita deditus est vino, quando sacerdotes sic addicti sunt mensis & poculis, quis erit capax doctrinæ? (familiare siquidem est Hebræis auditum pro doctrina vsurpare) Respondet ad interrogationem suam. Ablactatos à lacte, aulsos ab vberibus, hoc est, in tota ciuitate hac non sunt aliqui capaces doctrinæ meæ, præterquam qui adhuc admodum pueri sunt, hoc est, qui tredecim aut quatuordecim duntaxat annorum sunt qui scilicet nondum per ætatem attigerunt pocula vel mulieres. Cæteri qui viginti sunt annorum & supra, impinguati sunt, non intelligunt me concionantem, imo rident conciones meas. Quia manda, remanda, manda remanda: expecta, reexpecta, expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi. Mimiticωs hæc accipiuntur. Habebant Prophetæ frequenter verbum in ore mandandi, quemadmodum in eorum scriptis videre est, sæpe ibi legitis: Hæc mandat Dominus, Similiter verbum, expecta & modicum. Isti ergo dediti vino imitabantur sermonem Esaiæ, quemadmodum & hodie facimus, dum ridere aliquem volumus. Quid vis (dicebant) audire Esaiam? Esaias non dicit admiranda, non prædicat noua, semper est. Hæc mandat Dominus hæc mandat Dominus, illud est initium, illud est finis concionum eius. Et forte occurrentem ita compellabant Prophetam. Non concionatus es hodie. Hæc mandat Dominus. Expecta Dominum, Adhuc modicum? Talis erat populus tempore Esaiæ, talis erat & clerus. Tales & nos sumus, siue populum spectes, siue clerum. Agnoscite quod dico. Concionatur quis populo, dicit, quid requirat Christianismus, quales se præstare debeant Christiani in conuiuijs & in congressibus, quam sancta ipsorum colloquia esse oporteat, quod satis non sit à detrectatione & verbis spurcis abstinere, quod ea loqui oporteat, quæ ædificationis sunt, quod oporteat Christi meminisse & beneficiorum eius, quodq; nimis gentiles sunt, qui id non faciunt. Concionatur ita quis & ridetur, Sacerdotum hoc est, aiunt, & huiusmodi concionatorem dicunt melius seruire Beguinis. Concionatur alius clero dicit, quid requirat sacerdotium, quantam integritatem, quantam puritatem, quantam sanctimoniam, & non intelligitur: non. quod verba & voces non intelligant, sed quia non in animum inducunt tanta opus esse puritate, quia non persuadent sibi illam requiri sanctimoniam, satis esse putant, si ebrietatem, fornicationem, & crassa huiusmodi peccata vitent. Illa vero, meditari in lege Domini die ac nocte, precibus & orationibus iugiter vacare, vsque in cœlis versari cogitatione & affectu, ad monachos seu anachoretas reijciunt: Carthusianorum esse dicũt, & phantasticum eum, qui sublimis illius

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuersationis insignia ab ipsis requirit. Lætantur proinde in conuiuijs, comedunt, bibunt, implent se vino, non dico inebriantur. Quis enim hoc ferat in sacerdote? sed implent se vino, hoc est, multum vini ingurgitant, vadunt siccubitum, surgunt post ortum solis, legunt horas, quibus vna cum psalmis aliquot, quos præparatorios vocant, frigide lectis, statim accedunt sancta sanctorum, mundissimam illam carnem Saluatoris, sacratissimum illum sanguinem, quo sumus abluti, sumunt faucibus hesterno mero fœtentibus, stomacho hesternam crapulam eructante, nec vllum sentiunt singultum conscientiæ. Heu voluptas, quam impinguas mortalium corda, atque vtinam sola esset voluptas, minor esset nostra querela? Accedit iam aliud malum, & quidem in exitium vsque dulce. Gentium poëtæ, doctores ebrij, Tibullus, Catullus, Martialis, Ouidius, Terentius, & cæteri quos enumerare longum est. Vinum quod isti nobis propinant, non modo impinguat, sed mollit quoque animos & neruos omnes virtutes elidit. Nulla hic opus probatione, res experientia certa est, atque ita cum sit tamen hos passim audimus, studiose legimus, magno labore ediscimus. Quo deuenimus? Sed audio: Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia, rebus persuadendis sententijsque explicandis maximè necessaria. O flumen tartareum, quis resistet tibi. Quamdiu non siccaberis? Quousque volues Euæ filios in mare magnum & formidolosum? Vsquequo saxa tua percuties & sonabis dicens? hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia, rebus persuadendis sententijsque explicandis maxime necessaria? Ita vero non cognoscemus verba hęc, imbrem aureum & gremium & fucum, & templa cœli, & alia verba quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc Iouem, quo pacto Danae misisse aiunt in gremium quondam imbrẽ aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cœlesti magisterio.

At quem Deum: inquit? Qui templa cœli summo spiritu concutit, ego homuncio id non facerem? Ego vero illud sponte feci, & libens. Non omnino per hanc turpitudinem verba commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non mea sed Augustini hæc sententia est. Et nihil sit vobis periculi ex horum lectione. Nonne nimis Gentiles estis, qui totos dies apud hos versamini? Nonne frustra Christiani estis, qui eas literas tam chare amplectimini, in quibus ignoratur charitas Dei, contempta atque irrita est crux Christi, admirationi est mundus? Nonne prorsus obliti videmini fœderis in Baptismo cum Deo initi, qui tanto studio prophana sectamini, imo lasciua, imo falsa, imo impia? Quantis adhuc lachrymis expiabitis hos labores, si tamen resipiscere contingat: Repetite ex ijs, quæ in superioribus concionibus diximus, quid sit, Eritis mihi sancti: Quid sit, Separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei. Hisque si placet, addite locum, qui est apud Petrum in priori epistola cap. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Et locum, qui est apud Iacobum capite. 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, & pudeat vos ingratitudinis. Elegit vos Christus in peculiarem sibi populum, reges fecit ac sacerdotes, lauit vos sanguine suo, liberauit à tenebris gentilitatis, & transtulit in gratiam Euangelij, vt liberati iam in ipsius operibus versemini, vt & in conuiuijs & congressibus vestris crebram mentionem faciatis beneficiorum ipsius, vt narretis populis virtutes eius, hoc est, studia: quid fecerit, quid adhibuerit ad liberationem humani generis, vt sciant hoc pueri, vt sciant hoc senes, quo in ore omnium versetur tantum beneficium. Huius rei gratia acquisiuit vos sanguine suo. Hoc est quod dicit Petrus. Eandem sententiam habent verba Iacobi. Voluntarie genuit nos verbo veritatis. Siquidem datiuus est, verbo, (etiam phrasi Hebræa, vt sæpe in psalmis: Nam Græcos ablatiuo carere palam nempe est) explicans, ad quid geniti sumus siue regenerati per Baptismum, nempe ad verbum veritatis discendum, credendum, amandum, sectandum, & opere implendum ac propagandum. Vt simus, inquit, initium aliquod creaturæ eius, hoc est velut primitiæ, grati ac preciosi. Quigitur diuinis donis ingratos vos, qui neglecto verbo veritatis, toti estis in ediscendis poetarum fabulis, in recitandis amoribus meretricum & stupris virginum, in decantandis falsorũ deorum laudibus, Iouis, Apollinis, Mercurij, &c. Nonne bene de vobis apud Hieremiam Dominus queritur dicens. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quid est foderunt sibi cisternas dissipatas, me fonte viuo relicto, si non hoc est? Obsecro, conuertamus nos ad meliora studia. Sanctus est Dominus, totus sanctus, natura sanctus: & quia natura sanctus est, necessario execratur quidquid immundum est. Vnde antiquos illos inhabitatores terræ sanctæ, quia odibilia opera faciebant, disperdidit, & terram eorum dedit populo suo filijs Israel, dicens. *Custodite leges meas, atque iudicia, & facite ea, ne & vos euomat terra.* Et quia non permanserunt in in hoc ipsius testamento, & ipsi reiecti sunt: ac magnifica illa promissa facta Abraham, Isaac & Iacob, ad nos deuoluta sunt: nos in locum eorum successimus, timeamus, ne semel nos quoque deseramur. Timeamus dico, magna causa est, Videmus quid catholico ac nobili Angliæ regno acciderit. Quid inuicto populo Germaniæ. Has sane terras hæresis si non peruasit, inuasit tamen magnaque in parte subuertit. Timeamus ne deseramur. Cum enim sanctus sit Dominus, sanctum vult habere populum: si ipsi tales nos non præstitermus, inueniet qui tales se præstabunt: si nati non sunt, nasci faciet. Ipsi honor & gloria in
secula seculorum.
Amen.

Leui 20 d

DE MORTAITATE
super hanc scripturam Genesis capite. 3. Homilia. I.

Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.



SOcrates apud Platonem in Alcibiade disputans quid homo & quod eius officium. Homo, inquit, non aliud est quam anima, hancque nosse iubet, qui præcipit, Nosce teipsum, Aliter sane Ecclesia, quæ Apostolo basis & sedes veri dicitur. Huius vox est: Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris. Quam & semel infigere volens animis nostris, cæremoniam adhibet ad eam rem in primis accommodam. Et profecto non possemus non iugiter circumferre animo, si quod res est, persuasum nobis esset, magna ex parte inde pendere salutis nostræ cum initium, tum progressum ac consummationem, Quod vt efficaciter possimus demonstrare, & velut oculis subijcere, numen inuocemus.

Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.

IVgis versiculi huius meditatio (præter alia quæ ipsi in vobis experimini) primò ad humilitatem, quæ omnium virtutum fundamentum, adeoque salutis initium est imbuet animum. Secundo rerum omnium quas admirari mundus solet, contemptum suadebit, qui non parum ad progressum, qui in virtute attenditur, facere dinoscitur. Tertio artẽ, quæ ad vitam ducit viam, vsque in defesso pede perambulare faciet, qua in re consummatio est: nam scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hęc vt eo quo proposita sunt ordine exequamur, legimus in volumine Esaiæ. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Quod septuaginta reddiderunt, επι τινα επιβλεψω, αλλ' ἢ επι τον πτωχον, και ἡσυχιον, και τρεμοντα τους λογους μου. Quæ vetus loco cõmentarij nobis est: docet enim non ad fortunam, sed ad animam pertinere, quod in nostra editione legitur, nisi ad pauperculum. Initium itaque sanctitatis est humilitas: humilitatis initium, tui cognitio est. Cognitio tui in hoc est vt vere agnoscas, quid sis, & quid futurus sis, hoc est, vt memineris, *quod puluis sis, quodque in puluerem reuerteris.* Et quidem omnes nouimus istud. Nam etiam dum pueris cum cinere impressus nobis est versiculus. Memento homo, &c Quem si nunquam etiam audiuissemus, ignorare haud possemus cũ ea quæ per os, nares, cæterosque corporis meatus egerũtur, hoc ingerant, nẽpe quod putredo limus ac limus terræ. Sed & in putredinem ac terræ limũ abituros rursus, monent nos auorũ & proauorum monumenta plena intus omni spurcicie & immundicia. Nouimus igitur: verũ vt ad humilitatẽ imbuamur, haud satis est nosse, sed nocte ac die in animo gerere, sæpe mentis oculis obijcere, & seria illi cogitatione inhærere oportet. Hoc si ageremus, tum demũ sentiremus quam haberet energiam, tum experiremur quam potenter transueberaret carnẽ, imo animam, imo spiritum. Quis nostrum sensu carnis inflatus, adeo longe extra se abscesit, vt non subito se intra se recipiat, imo in se tabescat, si modo serio secum cogitet quod puluis sit, quodque in puluerem sit rediturus? Quoties pie Iesu exaltatum est cor meum, & elati sunt oculi mei? Quoties ambulaui in magnis & mirabilibus super me? Quoties dixi cum animo meo. Non sum sicut cæteri hominum, velut hic, velut ille. Recede à me. nam pollutus es, indoctus es, ignobilis es, pauper ac nulla in re comparandus mecum, Quoties hæc in cor ascendere meum: Si canticum quod iam inde ab initio mihi occinuit Ecclesia, videlicet, Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris, præsens adfuisset in

Esa. 66. a

Gen. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

memoria, nonne stetisset potenter contra me atque ex aduerso respondisset: *Quid superbis terra & cinis?* ac in ipso exortu elisa fuisset superbia mea? Pergam confiteri nomini tuo, quoniam parcis Domine confitentibus tibi. Quoties tetigisti cor meum per diem cum assiderem libris meis, vel solitarius inambularem per domum. Quoties venisti vesperi, quando componebam me in lectulo: sed & nocte, quando fugiebat somnus ab oculis meis, tum ibi aderas: & mane quando euigilabam, sentiebas ad ostium, pulsabas, loquebaris vt auerterem me ab his quæ feci, & liberares de superbia. Hæc cum ageres, quid nam ego? ipse ceu aspis obturabam aurem, cor obdurabam, obfirmabam interiora conscientiæ, atque ibi stabas neglectus, contemptus, repulsus, tu qui de puluere finxisti me, atque in puluerem vnde sumptus sum, reduces me. Huius si memor fuissem, nonne pronus statim cecidissem in terram? atque humiliatus vsque in puluerem, dixissem? Loquere Domine, quia audit seruus tuus, opus & figmentum manuum tuarum. Sed & domum tuam ingressus, locum habitationis tuæ, templum sanctum, nunquid adoraui ibi cum propheta in timore? Vide Domine misericorditer. & libera iam inuocantem, ac confitentem tibi, Mox vt eram templum ingressus, quærebam quid esset nouarum rerum, vbi nam ageret Cæsar, quid moliretur Galliarum rex, & post variarum rerum admissa idola aperiebam librum preces habentem horarias, vt confiterer nomini tuo magno, quod sanctum & terribile est. At quid fiebat? Os meum annunciabat laudes tuas, cor prælia meditabatur. Corpus in templo erat, mens vero in castris procul ac longe abs te. Atque illud tolerari forte poterat, ni accessisset aliud. Siquidem præterito iudicio, neglecta iustitia, sola consuetudine ductus plane vt vitula Ephraim docta diligere trituram, ad altaria tua ferebar, panem & vinum in corpus tuum, ac sanguinem polluto ore consecrabam, sacrificium quo nihil sanctius, immundis manibus offerebam. Dumque hæc agebantur, dum diuina illa mysteria ipsis etiam angelis tremenda in altum sustolleban turadoranda omnibus, alij obambulabant, alij velut statuæ immobiles scamnis inhærebant, nonnulli altero genu posito hac atq; illac respiciebant: Qui totus adoraret, rarus erat, Quid caussæ? Non cogitabamus cum animis nostris quod lutei essemus. Non versabatur ob oculos, quod inter seruos tuos insignis scriptum reliquit Iob: *Putredini dixit: pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus.* Hæc caussa atque ea quidem sola, quo minus ceruices nostras breui in cinerem redigendas, non humiliauerimus hactenus. In Genesi magnus ille patriarcha & Dei amicus Abraham, ad quem dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, dum ante conspectum Domini venit, in terram cadit, pronus adorat, tremens loquitur. In Euangelio beatus Baptista, qui etiam dum clausus in matris vtero plenus Spiritu Sancto prædicatur. de quo & insigne illud extat encomium: *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista*, dum baptismi gratia ad aquas Iordanis venientem videt Saluatorem, totus horret ac sanctum refugit tangere verticē. Quid agè hos tantos viros tantopere humiliat? Recordatio propriæ conditionis. Loquar, inquit ille, ad Dominū, quum sim puluis & cinis. Qui est de terra, ait, hic de terra est & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. En quā potenter deprimeret supercilium oculorū nostrorum, ac humani cordis tumorem euerteret, modo animo circumferretur versus hic: Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris. Neque vero hoc solum, sed & quod secundo loco proposuimus certo efficeret, hoc est, ingenerabat animis nostris rerum omnium quas mūdus admiratur, verum contemptum. Hæ porro res diuitiæ sunt, voluptates, honores, vt de diuitijs primo dicamus.

Statue tecum, & hoc sit certo persuasum, animo tuo, cras moriturum te. Quæso. Num hodie sursum ac deorsum curritabis, vt dilates possessiones tuas? Num vehementer anxius eris, ne vel vltimus hic dies vitæ tuæ absque quæstu transeat tibi? Non puto, & quis nostrum hic est, qui valeat dicere, crastinus dies illucescet mihi? Nescis o homo, nescis, quando tempus sit, forte hac hora dicetur tibi, morere: quæ est enim vita tua? ατμις ἡ πρὸς ὀλιγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη. Quid igitur vel qua spe thesaurizas? An forte putas, quod in abundantia vita cuiusquam sit, aut cum morietur homo, quod sumet omnia, quodue descendet cum eo gloria ipsius? Sed audi scripturam. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos, & dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Num quid facultatibus suis quæ amplissimę erant, adijcere potuit vel diem vnum vitæ suæ. Num quid vel efferre hinc quidquā ipsi licuit de tantis quæ possidebat, sed tum

possidebat bonis? Sed dicis: Hic vnus erat, Non, quæ de hoc referuntur, respiciuut omnes? Age igitur. Vbi iam sunt qui paucis ab hinc annis argentū congerebāt, & aurū, fœlicitatis in his præsidiū constituentes? Vbi age, vbi sunt, quos conspexere oculi tui, qui nusquā non iubstruebant domos, prædia, palatia? Qui beneficijs beneficia, pensiones, pensionibus, latifundia latifundijs accumulabant, nec hinē faciebant acquirendi? vbi iam sunt? vbi inquā sunt? Exterminati sunt, ait propheta, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exsurrexerunt. Atque hi alij nunquid non, vt illi & ipsi exterminabūtur? Sane, Puluis siquidem sunt, in puluerē pro inde redigi ipsos necessum est. Et cum moriemur, nunquid non ipsi etiam omnia sua relinquentalijs, quemadmodū priores illi fecere? Certe. Etenim nudi huc venere, quare nudos quoque abire hinc oportet. Ad hunc enim modum ratiocinatur Apostol: *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundū, haud dubium quin nec auferre quid possumus.* Facilè igitur contemnit diuitias, quia semper cogitat in puluerem se rediturum.

Nec diuitias modo, sed & voluptates, in quibus licet fœdissimis, haud secus tum quam in cinamomis & vnguentis pretiosis iam volutamur vere miseri. Quæso te qui inhias vberibus qui amplexibus vacas, qui in mollibus lasciuis stratis, credis quod & vbera & fœmina in quibus omnem voluptatem constituis, verterentur in putredinem, quam horreat & oculus inspicere & manus contingere? Credis hoc? Credis præterea, quod excedente è corpore anima, lectus tibi erit nuda ac frigida humus, quodque subter te sternetur tinea, & operimentū tuum futuri sint vermes?

Atque vt omisso Veneris mysta, te compellem qui luxu dissolueris, qui delicijs gustum occupas, qui terram, mare, æra solicitas, vt gulæ obsecundes & ventri facias satis credis quod vbi cæteros, te quoque mortalem natura profuderit: & cum morieris, caro in sortem cessura sit vermibus, imo serpentibus? Credis hoc? scio quod credas. Ergo ne tantopere tibi curæ serpentes sunt, vt nihil interim non facias, quo post obitum tuum & funera, lautiores exquisitioresque hi epulas inueniant? Et altius ad tolle oculos atque agnosce quod studiū carnis mors sit, & quidem mors æterna. Docet hoc dives illo qui bysso purpuraque indutus epulabatur quotidie λαμπρως. Carnem ipsius depasti sunt vermes. Qui de ossibus supereſt puluis, teritur pedibus. Anima sepulta in inferno iacet, in stagno illo igneo ac sulphureo, vbi fumus tormentorum ipsius adscendet in secula seculorum. Quis hæc cum animo suo cogitans, non spernat voluptates? Quis etiā non gloriā contemnat, quam tantopere ambiunt hodie mortales. Quid non ferimus, quid nō facimus? emetimur maria nouas adimus prouincias: magno precio doctores redimimus, non parcimus, nec rebus nec corporibus tantūmodo vt assequamur quod volumus, literas inquam & exoticas disciplinas. Sed hæc dicentes dānamus ne sapientiæ & linguarum studia?

Absit. Non studia, sed in his vanitatem damnamus humanæ mentis. Hoc damnamus, quod in studijs spectes laudes hominum, monstrari digito, & dicier, hic est. Dū siquidem non nisi peregrina placent, dum vsitata nihil facis, dum ea scire studes, quæ pauci norunt, & neque ad propriam vitam instituendam, neque ad aliorum tibi valeant ædificationem. Hæc dum sectaris, & adeo vehementer sectaris, vt negligas, vel si non prorsus negligas, postremo tamen videaris habere loco, quæ primo quærere debebas, hoc est, regnum Dei & iustitiam eius, puritatem conscientiæ & veras animi virtutes, Hæc nonne arguunt vanitatem cordis tui? Attende o homo, quisquis tantis sudoribus opinionem quæris scientiæ, quod & te & hanc tecum inimica ablorptura sit mors aut si non pariter cum corpore intercidat, haud multo saltem post tempore extinctū iri nomen tunm. Hinc agnosce, quod hi quorum linguis celebraris, mortales sint & morti absque exceptione obnoxij. Et vel maxime viuat nomen tuum perpetuo: num suauius idcirco quiescent cineres tui, vel reuiuiscet caro tua, aut in sepulchro ossa tua pullulascent?

Hic de studiosis literarum, dicamus & de diuitibus & his quos vocant in rebus agentes, Hi vt admirationi sint, & oculos in se conuertant cæterorum, teneris vruntur ac fluisis vestibus, in quibus quod est preciosissimum, inutile est, nec vestimentorum luxu contenti, peregrini muris stercora adhibent, vt quaqua versum dissusus odor omnes ad respectandum inuitet: eodē pertinent famulorum examina, inter quæ mortales cum sint, non mortalibus subnixi spebus sublimes incedunt. Videt sapiens quisque et cogitat: *Νυμ ταδε μικρον επετακοσμ.* Quod si itidem cogitarent, et Serum vellera, & peregrini muris pelliculas, & famulorum examina valere iuberent, sattuque deposito saccum sumerent & deflerent peccata sua, Qua dere (vt quod tertio loco proposuimus, absoluamus) iā erit cōsideratio nostra, Ita natura comparatum esse videtur, atque ipsi in nobis experimur, quod humanum ingenium serio rei cuipiam intentum quiescere nequeat, quousq; ipsam penetret.

Nunc hec pauca de post pulus. Vide homilia eiusdem Gregorij Nazian.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare solicita cogitatione versans, & iterũ atque iterum versans sententiam hanc: *Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris*, vbi iam apprehẽdit quid sit quod dicitur puluis es: quid itidem sit quod adijcitur, in puluerem reuerteris, non ibi sistit, nec satis habet, pergit, quærit cuius hæc sit sententia, vbi scripta, qua occasione prolata, aperit Genesim, legit ibi post mandati prævaricationẽ dictum à Domino ipsi Adæ *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedas herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et eiecit eum de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, & cætera.* Hæc legit, ex his sic mox ratiocinatur. Ergo pœna hæc est, ergo tale ante non erat, sed propter peccatum, mortalitati obnoxium factum est corpus: Ergo & terra hæc quam inhabitamus spinis ac tribulis plena, non patriæ, sed exilij est locus. Init proinde consilium, disquirit, num liberari queat à peccato tantorum malorum caussa, auditque in Ioele dicentem Dominum: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam benignus est & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Inquirit præterea, num pateat via aliqua recuperandæ patriæ ac fœlicitatis illius, qua in Paradiso voluptatis fruebatur homo, atque audit in Euangelio prædicantem Saluatorem. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* His inuitata atque in spem erecta mens totis visceribus conuertit se ad Dominum, ieiunijs atterit carnem, laborat in gemitu, in fletu, in planctu, non parcit sibi, non parcit corpori, adhibet cilicia, adhibet chameunias, veris incommodis affligit membra, omniaque quamuis grauia, leuia ducit ob regnum cœlorum ac spem de recuperanda fœlicitate conceptam. Suffundantur hic rubore inimici tui Domine, qui populum quem addictum sibi habent, beatum prædicant, & viam gressuum eius dissipant. Ipsi aiunt, crede & apprehendisti. Tu dicis, Conuertimini ad me in toto corde, in ieiunio, in fletu, & in planctu, Ipsis ad iustitiam satis est fides, tu præter fidem requiris ieiunia, planctus, & cætera pœnitentiæ opera. Quid dicemus? ipsos errare an te fallì? Suffundantur Domine rubore, qui populum tuum quem in libertatem vocasti, ob huiusce modi ope-

Gen. 3. c

Ioel. 2. c

Matth 4. c

raad graue iugum Moseos reijciunt, proscri buntque, quasi illa lex tua, lex inquam noua, cum his nequaquam consisteret.

Suffundantur dico rubore: Nam testimonia tua credibilia facta sunt nimis. In medio populi ad aquas Iordanis vox tua de cœlo intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Hunc dedisti nobis doctorem, dicens: *Ipsum audite.* Hic mox vt baptizatus est, ab aquis Iordanis in desertum secessit, locum horridum & antum mœroribus: Hoc habet Euangelium. Et quibus cum ibi versabatur: *Erat vbi* (ait Marcus) *cum bestijs.* Non cubabat in plumis, sed humi sub frigido iacebat cœlo. Et quid agebat? In nocentem carnem vigilijs atterebat, ieiunijs inedia. Et quanto tempore? *Diebus quadraginta totidemque noctibus.* Ac quid deinde? relicto deserto venit in Galilæam exhortãs populum & dicens: *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum*: en initium prædicationis Christi, quæ quo potentius illaberetur animis mortalium ante, quod il la cõplectitur, ipse vita expressit. Prædicauit itaq; pœnitẽtiã agite. Ad quid est pœnitẽtiã agite? Sane hoc ipsum, maxime cum de relipsis sermo est, quod: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & in planctu.* Hæc Saluatoris nostri doctrina, hoc est Euangelium quod ipse Vnigenitus attulit è sinu Patris. Ergo conuertimini, ieiunate, flete, plangite, Euangelium est? iunate, flete, plangite, Euangelium est? Imo nẽ. Siquidem Euangelium vocat Marcus, ac reuera Euangelium, hoc est, lætum nimis nuncium est animæ quærenti te Domine, animæ experienti graue iugum peccati, & liberari cupienti, animæ certo tibi persuadenti, quod hoc suum corpus quod mille iam modis atteritur, quod varie humiliatur ac demum in cineres redigitur, conforme reddetur, modo agat pœnitentiam corpori glorioso Christi. Quod ex valle hac lachrymarum, è loco isto miseriæ, ex terra maledictioni obstricta, transferetur per pœnitentiam in terram nouam, in locum voluptatis, in ciuitatem cœlestem quam iustitia inhabitat, in qua mors non inuenietur, vbi neque luctus, neque clamor, neque dolor vllus erit, vbi viris pœnitentiæ corona dabitur pro cinere, oleum gaudij pro luctu, palliũ laudis pro spiritu mœroris: Hæc quibus persuasa sunt, suauis vox est: *Pœnitẽtiã agite*: His supra modũ grata est prædicatio. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & in planctu.* Hi Quadragesimæ tẽpus læto hilariq; vultu excipiũt. His satis nõ est vt faciãt quod scriptũ est. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nũc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationẽ.* Illud inquam

quam ipsis satis haud est, humanum est etenim, Sed sicut fuit quondam sensus eorum, vt errarent à Deo, decies tantum iterum conuersi iam requirunt ipsum & mirantur vehementer etiamnum inueniri homines maxime imbutos fide, qui non in eandem voluntatem accurrant, qui non in eadem secum studia conspirent. Et profecto nimis vile habent regnum cœlorum, qui pro illo consequendo breuem hic refugiunt agere pœnitentiam, vigilias, ieiunia, & quicquid carni molestum est angue peius perhorrescentes. Quid hominibus hisce faciemus? Incute Domine terrorem ipsis, vt quos ad pœnitentiam illa magnifica cœlorum promissio, non excitat, expergisci faciat horribilis comminatio tua. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ascendat super cor, quo modo primus pater ipsorum Adam per intemperantiam mortuus est, & resolutus in cineres, quodq; omnes etiamnum morimur, ac in cineres redigimur, euadendæq; mortis, non dico, vulgaris istius quæ temporalis est, sed quę hanc sequitur, & æterna est, via alia non pateat, quam pœnitentiæ, quo vel sic à timore Gehennæ concipiant, & pariant spiritum, salutis digna pœnitentiæ opera, antequam in terram de qua sumpti sunt, redeant, facientes: vt cum venerit tempus quo de terra rursus exsurrecturi sunt, procedant non in resurrectionem iudicij sed vitæ. Audistis opti mi auditores breuem concionem, super versiculo: *Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.* Quem, tria potissimũ, dum iugiter mente circumfertur, dixi efficere, videlicet veram humilitatem, perfectũ rerum contemptum, & pœnitentiam in salutem stabilem, hoc est, in finem vsque perdurantem. Quod superest precor altissimũ, vt quemadmodum dedit mihi simpliciter dicere de versiculo hoc, ita potenter sanctissima sua benedictione illum in animis vestris ipse confirmet

in æternum,
Amen.

Luc. 13. a

cio nihil animum hominis sic potenter à peccato retrahit, atque sermo de mortalitate. Sed & mortalem nihil æque decet, atque de mortalitate differre. In differendo autẽ hunc seruabimus ordinem. Primo dicemus de caussa mortalitatis. Secundo loco inquiremus, quinam fiat vt amota caussa (quam ostendemus esse peccatum) remaneat mortalitas. Inuocemus numen, vt, quod volumus, feliciter præstemus.

Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.

DE mortalitate, cuius admonet nos versiculus, quem proposuimus, aliter Ethnicus, aliter Christianus differit. Ille caussam huius, ipsam corporis constitutionem asserit: Christianus non corporis constitutionem, sed peccatum, primariã huius caussam facit. Legit enim in literis illis quæ diuinæ appellantur, Deus mortem non fecit, hoc est, Non talem instituit naturam humanam, quæ mortalitati esset obnoxia, sed talem planè, quæ nec senio corrumpi, nec morte dissolui posset, quamdiu à peccato libere persisteret. Quod vt euadat manifestius, cõsulamus Genesim, in qua hominis prima origo describitur. Capite secundo sic legis: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Formauit (inquit) hominem de limo terræ. Sinecdoche est. Siquidem altera pars duntaxat, ipsum nimirum corpus de limo. siue (vt Hebræi habent) de puluere terræ formatum est, non anima. Quod ipse orationis textus, dum aduertimus, clare docet: Nam additur: *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Inspirauit in faciem eius. Cuius eius? vtique hominis quem de limo terræ finxerat. In huius faciem inspirauit spiraculum vitæ, id est, animam quæ spiraret ac viueret: vnde sequitur: *Et factus est homo in animam viuentẽ.* Non igitur homo ille, quẽ de terra formatũ scribit Moses, animã cõplectitur, cum anima post per flatum ipsi inspirata sit, atque hinc iam discimus, quid sibi velit incisum illud. *Memento homo quod puluis es.* Quod si ita ante oculos versaretur omniũ atque ab omnibus, fere quid sit intelligeretur, plures haberet Christiana religio philosophos. Non esset ille luxus vestium, non fastus, non ambitio. Nemo se alteri præferret, nullus inseruire alteri dedignaretur, cernere esset mire suauẽ quendam inter homines conuictum. At iam fit nescio quomodo, vt cũ omnia quæ per humani corporis meatus egerũtur, pclament hominẽ limũ esse, nihil tamẽn minus atq; istud cogitet ho-

SVPER EANDEM hanc scripturam Genesis, Homilia. III.

Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.

HOC thema iam olim hoc in loco tractaui, & visum mihi est rursus de eoverba facere, alio tamen schemate. Siquidem meo iudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret homo. Cotidie nihil ita experimur atq; vilitatem conditionis nostræ, & nullius æque atque huius obliuiscimur, ac propterea tales sumus, quales videre est, superbi, elati, fastuosi. Hic despicit fratrem, quia, vt sibi persuadet, nobilior eo est: ille quia corpore formaque præstantior, alius rursus alia de caussa.

Quid superbis terra & cinis? Quis pater tuus? Nunquid non Adam? Atque hic, non ne communis tibi est cum cæteris? Quæ igitur caussa tibi superbiæ? Adspice quæ patris tui origo. Formatum ipsum scribit Moses de limo terræ.

Quid limo terræ vilius? At forte persuades tibi aliam esse tui corporis constitutionem, propterea quod per propagationem seminatum sit. Sed nunquid non vt tuum, ita cæterorum quoque, qui ab Adam genus ducunt, per propagationem decisa corpora sunt? Quid hos igitur præ te contemnis? Et fingamus rationem hanc in te & maiores tuos proprie competere, quæso quid semine humano fœdius? Nonne totus luteus es, quocunque tandem modo à natura profusus? Quid enim capitis tui vertex aliud, quam testa fictilis? Quid aliud cerebrum quam aquæ temperatus puluis? Quid genæ? quid labia? nisi terra tincta & infecta sanguine? Quid venter, ilia, ac totum corpus, nisi massa putredinis? quid igitur superbis? Non vides quæ aluus stercora, quas sordes aures, quam naris putredinem eijciant? Hæc quid monent? Nonne exserta voce clamare tibi videntur. Memento homo quod puluis es & limus terræ? Clamat certe, sed obsurdimus ad hoc genus vocis, quare aliter non conuenit ecclesia, & quo magis quod vult, inserat animis nostris, cæremoniam adhibet frontibus singulorum: aut quibus vertex rasus est, capitibus notã imprimens cinereã, vt hac admoniti, & vel modice ad animi philosophiam adducti, humilitate imbuamur, quæ virtus pulcherrima est. Sed vt video, extra metas currus agimus, quare retrahamus habenas.

Audistis ex Genesi, quæ hominis iuxta corpus origo fuerit, nempe quod de puluere formatus sit. Cæterum an talis primo institutus fuerit, vt iterum redigi in puluerem oporteat, hactenus quidem nihil dictũ est, quod tamen præcipue hic quæritur, quare pergamus in Genesi. *Plantauerat* (ait Moses) *Dominus Deus paradisum, voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat, vt operaretur & custodiret illum, præcipitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris*, Hic est aliqua significatio rei de qua quæstio est, *In quocunque*, ait, *die comederis, morieris.* Ergo si ab esu abstinueris & obedieris mandato, non morieris, Istud significatur à contrario sensu. Quod autem dictum est, *Morieris*, tantundem valet, ac si dictum esset, præter mortem animæ quæ summe tibi esse debet formidabilis, in moriendi eriam iuxta corpus ineuitabilem incides necessitatem. Quod vt euadat clarius, pergamus in Genesi. Ex costa Adæ formatur deinde Heua, accedit serpens tentat mulierem, comedit illa, & ad comedendum inuitat virum, fit præuaricatio mandati, aperiuntur oculi amborum, erubescunt, consuunt sibi de folijs perizomata, at mortem neque hic neque illa experitur, mortem inquã quæ est separatio animæ à corpore. Quod dico experitur, intellige mox à mãdati præuaricatione. Nã vixit Adã post esum fructus vetiti annis triginta supra nongentos, quẽadmodũ scribitur cap. 5. voluminis cui⁹ aliquoties iã meminimus. Quare quod dictũ ad eũ est: *In quacunque die comederis, morte morieris*, de mortalitate seu mortis obnoxietate dictũ esse, intelligẽdũ est: nisi forte de morte duntaxat animæ sermone ibi esse contendat quis, & dicere audeat cũ August. Stucho, hanc non etiã alterã, per peccatũ inuectã in genus humanũ, quod falsum esse ex hoc ipso textu quem versamus, haud fuerit difficile euincere. Admissa præuaricatione, ipse qui mãdatũ dederat, expostulat cũ Adã: is in mulierẽ, mulier in serpentẽ culpã reijcit, infligitur maledictio, dicitur viro, *Quia audisti vocẽ vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperã tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Et paucis interiectis sequitur, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* En quo dante dixit: *Moriens*, hic dicit: *In puluerem reuerteris.* Pœna itaque peccati est mortalitas, nec vnquam in puluerem solutum fuisset corpus, si à peccato immunem se seruasset homo. Hæc est fides nostra: hac dere qui dumodo credimus, peccati pœna est mortalitas, cur igitur remanet expiato peccato? Quare Christianis cum cæteris populis cõmunis est? Non noua sed antiqua hæc quæstio est, quoæ vt discimus ex doctissimo illo libelli Cypriani, quem de mortalitate conscripsit, etiã tum multorum animos mouebat, & quia vtilem habet considerationem, lubet illi immorari. In primis neminem esse puto qui ambigat, quin potuerit Deus semel à mortalitatis conditione liberare. Neminem etiam esse arbitror qui in animum inducat, ob inuidiam, cum posset, noluisse liberare. Quid enim boni nobis inuideat

uideat ille, qui tanti nos fecit, vt Filium suum vnicum in mortem tradiderit, quo nos in libertatem assereret? Quare omissa disputatione de potentia Dei & eius erga nos affectu, qui maximus est, dicimus Deum non exemisse statim è natura mortalitatem, vt hac ratione consuleret nobis. Ergo ne mortalitas credenda est boni aliquid parere? Sane, nec parum, sed multum. At qui hoc, vel quo pacto hoc? Certe dum admonet: nos delicti paterni, atque ex hoc in cogitationem, quam grauis res sit præuaricatio, venire facit, huiusque consideratione à peccato ad quod alioqui proni sumus nos retrahit. An non magnum bonum istud? magnum prorsus, quod si etiam solum esset, sufficeret: nunc præter hoc alia multa parit mortalitas, atque ea non vulgaria bona, nimirum humilitatem, quę fundamentum semper fuit veræ sanctitatis: rerum quas admirari & sectari mundus solet, perfectum contemptum, qui quantum faciat ad fœliciratem, tum eam quæ huius temporis est, tum alteram illam quam expectamus post hanc vitam, nouerunt, qui abdicatis semel omnibus, nudi nudum Iesum sequuti: denique pœnitentiam in salutem stabilem, de quibus in altera concione olim disseruimus: quare hic illis iam prætermissis, id quod secundo loco proposuimus, prosequamur.

Dicimus mortalitatem ideo non sublatam, vt hac admoneamur delicti paterni, id est, præuaricationis, qua in Paradiso Adam Dei mandatum transgressus est. Quod vero fuerit illud mandatum, in præcedentibus dictum est, nimirum. *Et omni ligno Paradisi comede: de ligno vero scientiæ boni & mali, ne comedas.* Vbi hoc aduerte, mandatum circarem fuisse indifferentem, adeoque esum fructus ligni, quod per tropum hic scientiæ boni & mali appellatur, malum fuisse ob id solum, quia prohibitus, non quo modo malum est inuidia vel odium, quæ etiam si nullum exstaret præceptum, malitiæ arguerentur: Istud facit pro delicti Adæ extenuatione, quemadmodum & illud, quod admissum ab ipso fuerit, non ex diuini mandati contemptu, sed studio placendi vxori. Comedit enim (quemadmodum id satis indicat Genesis) ne contristaret Heuam suam, quæ ipsi in sociam fuerat data. Leue itaque videtur fuisse delictum Adæ. At qui hoc delictum quod leue nos duceremus adeo graue Deo æstimatum est, vt ob id mori genus humanum semel addixerit, non vulgus hominum modo, sed omnes omnino, ipsos quoque reges, principes & terrarum dominos. Quantos duces & Græca, & Barbara, Romanaque narrat historia, quorum corpora in puluerem redacta pridem sunt, Quam illustres Heroas vidit hæc nostra ætas, quorum nusquam est iam reperire præsentiam. Absorpti sunt semel, & de tantis corporibus solus superest cinis. Dominatur nunc Carolus eius nominis Quintus. Maxima sibi & latissima regna subiecta sunt, parem si orbem spectes Christianum, non habet imperio, atque huic tanto Domino dicetur, & quidem admodum breui, dicetur inquam ei, morere, & exibit spiritus eius & reuerterur in terram corpus: hoc est, soluetur in cineres, & erit ac si non fuisset. Idem euenit cæteris, qui ipsi succedent in imperio: Hoc iudicium ob vnius delictum contra omnes semel pronunciatum est, quando Adæ dictum est. *In puluerem reuerteris.* Quantæ igitur malitiæ est delictum. Quam grauis res præuaricatio est. Quis vnquam credidisset, tantopere displicere Deo peccatum? Nec vero mortalitas solum cuius hactenus meminimus ob vnum illud delictum in genus nostrum inuecta est, sed & mors, quæ est damnatio æterna: sicut scriptum est. Iudicium ex vno in condemnationem. Quæ quam sit futura intoleralilis, nõ valet sermo explicare. Quis enim explicet pœnam Gehennæ, flammam ignis illius qui nunquam extinguitur, fumum tormentorum qui ascendet in secula seculorum? atque hanc flammam accendit nobis vnum peccatum: Quis in animum vnquam induxisset tantæ malitiæ esse peccatum, ac tale peccatum adeo (vt nobis videtur) leue? Hoc peccatum quod iudicio humano veniale videri posset, tantæ fuit malitiæ vt expiari non potuerit, nisi sanguine vnigeniti Filij Dei. Quis hæc cum animo suo cogitans, non concipiat odium: ingens aduersus peccatum? Quis non execretur, & angue paius horreat peccatum? Quis non eligat mille potius mortes oppetere, quã vel semel præuaricari mandatum, cum tantum malũ sit præuaricatio. Adam diuinam seuecitatem expertus non fuerat, quare leue credebat: hoc est, non tam graue fore commissum: nos experti sumus persuadere nobis non possumus, rem non parui ponderis esse peccatum.

Hæret in carne mortalitas, nec immemores esse sinit iudicij, quod vnius ob noxam exercuit Deus. Videas tamen plurimos filiorum Adam, tanto impetu præcipitos ferri hodie in malum, ac si non nouerint, quã aduersus se iram ille prouocauerit præuaricando, imo quæ ita incubuerit in posteritatem totam. Quod dolens Ecclesia, lugubriter occinit omnibus. *Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.*

Nec semel monuisse sat est, quotannis repetis cantionem hanc tristem ac lugubrem.

Pareamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pareamus, quæso, monenti. Suggeret ea cogitatio, quam grauis res præuaricatio sit incitabit ad fletum, prouocabit ad pœnitentiam, retrahet à peccato, ac multa omnino bona hinc nobis prouenient, tantum non pigeat circumferre animo. Optima philosophia, meditatio mortis est. Insuauis quidem est. Nam lamentantem facit: sed beati qui lugent quoniam ipsi consolationem accipient, non fluxam, aut qualem nouit mundus sed veram synceram, solidam, quæ nullo tẽporum fine concludetur, quæ nulla rerum vicissitudine tolletur vel minuetur.

Non est quod addubites, quia promisit qui fallere nescit, atque omnia potest Christus Iesus, cui honor & imperium, in secula seculorum.
Amen.

SVPER EANDEM scripturam Geneſis, Homilia. III.

Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.

THema hoc iam tertio proponimus, nec id mirum videri volumus, quum satis inculcari non possit, quod non quam satis inhærere noscitur. Ne tamen nihil nos dicturos, quod non ante dictum à nobis sit existimetis: nouam pollicemur concionem, cuius etiam capita: quo magis ad vigilantiam animos vestros prouocemus, paucis perstringere hibet, Adituri itaque estis, quantopere iam inde ab initio adlaboratum sit: vt homo luteum sue (vt Apostolus ait) χοικον se agnosceret, quamque nihil hactenus promotum. Istud est primum caput. Secundum, Quis genius obstiterit, quo minus conatus hic feliciter cesserit. Tertium. Quid ei facto opus, qui euadere cupit fraudes genij huius. In his tribus explicandis tota occupabitur oratio, quam vt feliciter & inchoare possimus, & absoluere, numen inuocemus.

Memento homo quod puluis es, & quod in puluerem reuerteris.

MOx à condito orbe in hoc adlaboratum fuisse, vt homo χοικος id est, luteum se agnosceret, docet liber Geneseos, quanquam rarus sit qui in lectione eius voluminis id aduertat. Nec mirum, cum res ex linguæ Hebreæ proprietate dependeat, nec intelligi queat, nisi ab eo cui tota ea pars, quæ de hominis formatione disserit, ante perspecta fuerit, quare ab hac exordiendum nobis. Cum igitur, terram, mare, aera, & quæ in his sunt, condidisset Deus, vidisset que nihil esse vel in terra, vel in mari, vel in aere, id est, in toto hoc orbe, quem medium appellamus, cui rerum quas condiderat tradederet imperium (bruta enim erant omnia, & rationis expertia) ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quod de imagine & similitudine, quæ lineamentis & coloribus exprimitur, quidam olim interpretati sunt adfingentes Deo membra & corpus, quale est hoc nostrum hominis, profecto rudes quos ab hoc commento maiores nostri ανθρωπομορφιτας appellauere. Quam hæresim nihil necesse est, vt refutemus, cum etiam vulgo persuasum iam sit Deum spiritum esse. Spiritus autem nec carnem nec ossa habet, sed nec formam, nec figuram, nec quidquam cæterorum quæ oculis subijciuntur, quod itidem, vt alterum illud omnibus hodie notum est. Porro quod Scripturæ plerisque in locis hæc tribuant Deo, os (inquam) oculos, aures, nares, formam, figuram, id per metaphoram faciunt, de qua re multi editis libris eruditè scripserunt, nos missum facimus, quo aliud agamus, Sat enim est monuisse, imaginem & diuinam hanc similitudinem in animo quærendam esse, quod sacri quoque interpretes tum Græci tum Latini omnes faciunt, licet aliter & aliter idem explicent. Quidam enim non discernunt inter *imaginem* & similitudinem: alij discernunt, vt imago ad intelligendi vim & libertatem ac imperium voluntatis pertineat: similitudo ad virtutes referatur: quarum hæc amitti possit, illa inabolebilis sit. Quam sententiam vt veram putem, facit ipsa phrasis Hebræa, quam nec Hieronymus expressit hoc loco, nec septuaginta. Nam quod ille vertit. Ad imaginem & similitudinem, hi reddiderunt κατ' εικονα και καθ' ομοιωσιν, cum Hebræa habeant בצלמינו כדמותנו betsalmenu vbi צלם, id est, imagini præfixam vides literam, Beth דמות vero, hoc est, similitudini Caph literam, quarum hæc, ad siue seeundum, illa in vel cum valet. Quare vertendum fuerat, loquor de versione quæ verba appendit, faciamus hominem, cum imagine nostra, hoc est, talem condamus eum in quo sit imago nostri, perstetque nec deperdi possit.

Est enim non vulgare Beth, sed adhæsionum, quale occurrit capite secundo eiusdẽ libri in prophetia Adæ. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrẽ, & adhærebit uxori*

uxori suæ. Quæ Hebræis est דבוקה אשתו Vedauach beisto & in diuulsam copulam significari, ex Euangelio, palam nempe est, vnde recte Septuaginta και προσκολληθησεται προς την γυναικα αυτου, metaphora sumpta ab his quæ glutino sic committuntur, vt putes vnum esse, & rumpas citiùs, quàm rursus ea separes. Si omissa voce imaginis, rem alijs verbis exprimere velis, rectè dixeris: Faciamus hominem naturæ intellectualis, liberique arbitrij. Quòd, quàm sit ingens & modis omnibus magnũ, aperiemus, si antè exposuerimus quod additur de similitudine. Non solùm liberi arbitrij inquit, & qui ratione polleat, sed & rectum condamus hominem, sanctum, iustum, pium, ab omni alienum errore, ab omni sciunctum prauitate ac corruptione, vt puritate & innocentia similitudiné naturæ nostræ exprimat, id est, בדמותלהנו cidmulthenu) quod licet Hieronymus, ad similitudinem, Septuaginta καθ' ομοιωσιν, verterint, eandem tamen expressere sententiam, cum præpositiones istæ in huiusmodi loquendi formulis adhabitæ non differant, vnde & Platonici caussam exemplarem προσω appellant, id est, ad quod, cui significationi si quis & Beth dixerit seruire apud Hebræos, motus editione Hieronymi, & Septuaginta cum eo non cõtendam, maximè cùm videam magnos & graues ac insignes Theologos imaginem sere per Catachresim hic accipere, & non quo modo nos interpretati sumus, pro re ex alio expressa. Interim magnum aliquid & diuinum prosus est animus humanus. Nam hoc ipso quòd imaginem Dei gerit, capax est Dei, nec quidquam quod Deus non est, ipsum explere valet, non cœlum, non terra, non orbis ipse totus quantus quantus est. Quare mirari, satis non possum vulgus hominum, cuius omne studium video esse in congerendo, perinde ac si hæ res explere possent animum. Quid enim? Nonne? Sed præstat vt orationis impetum contineamus, cũ lamẽtatione potiùs op' sit, quàm exclamatione: & flendo magis, quàm dicendo hic proficiatur. Interim sciant nunquam forè, vt pertingant quò volunt, ad tranquillitatem dico spiritus, ad silentium pectoris, nisi studia sua huc conferant, vt Deum apprehendant. Hic, & nihil præterea explere animum potest, adeò nobilis, adeò excellens, & præstans est animus. Verùm quia ea, quibus excellentia præ cæteris obtigit, elationi proxima sunt, prospectum volens hac parte Deus animæ adfinxit ei corpus luteum, in quo tanquam in templo versaretur & officina, imò quo cum ingrederetur constitionem naturæ humanæ. Quod operepreciũ fuerit declarare propter Alcibiadem Platonis, qui licet pulcherrimus sit, hoc tamen offendit, quod hominem non aliud quàm animam esse dicat, adeoque Delphicam inscriptionem adhanc tantùm pertinere, & nihil de corpore præcipere, Et quidem videri posset ipsius partes adiuuare, quod dicitur. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* nisi subijceretur, *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Gen. 2. d.

Quę loca inter se commissa docent, quid sentire hac in re oporteat. Cùm enim ille Simulacrum Dei: hic figmentum luti hominem faciat: atque ille animum respiciat, hic corpus: profectò neque anima sola, neque corpus solum homo est, sed anima simul & corpus. Hicque verum experimur, quòd dici solet, Scripturam esse sui interpretem. Siquidem locus capitis primi interpretatur eum qui est capite secundo. Rursus locus secundi capitis exponit eum qui est capite primo. Hic monet vt per tropum accipias quod dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ille vt synechdochen agnoscat dum audis, *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ,* Siue ergo ad cognitionem nostri, qua parte luti sumus, siue qua cum Deo nobis est similitudo nos Delphica litera hortetur, rectè se habet, Nam & scriptura nunc ad huius, nũc ad alterius partis considerationem nos ablegat. Corpus nobis obijcit, dum ad humilitatem erudire vult. Hinc illa increpationis vox. *Quid superbis terra & cinis?* Animam proponit, dũ à libidine & id genus vitijs dehortari studet: hinc vox illa in Canticis, *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum:* cuius sententia hæc est. Si ignoras, ô anima, quàm nobilis sis cõdita, ad cuius sis expressa naturam, permittitur tibi vt abeas post vestigia gregum tuorum, post iram, post libidinem: hæ enim affectiones per bestias significantur, quia cũ bestijs nobis communes sunt, imò in bestias, dum his obsequimur, degeneramus. Quanquàm possit & sermo esse prædicentis (familiare siquidem Hebræis est, imperatiuis vti loco futurorum.) Quomodo si accipias, habes quàm necessaria sit homini ea de qua Socrates in Alcibiade disserit, cognitio sui. Nam sententia est. Si ignoras quæ sit pulchritudo animi, quæ eius vis quæq; præstantia certò, quod dico, euenier tibi: egredieris ex hominibus, cùm feris erit habitatio tua, procumbes humi vt bos, vesceris paleis, omnis cogitatio tua erit in terra omnis affectus tuus in terra: quo vocat caro, sequeris, efficieris mãcipium brutorum, in quæ natura imperium te habere voluit. Ecclus. 10. a. Cant. 1. e.

Hactenus eã partem quæ de hominis cõ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditione agit, propoſuim⁹, quod eius cognitio cũ primis faciat ad id quod demonſtrandum ſumpſimus. Qui enim perſpectum habet quàm diuinũ animal ſit homo, & aduertit ad nomenclaturã eius, is ſi modò Hebraicè calleat, videt mox à condito orbe in hoc adlaboratũ, vt homo χοικον, id eſt, terrenum ſe agnoſceret. Traditur autem nomẽclatura capite quinto Geneſeos. *In die qua creauit Deus hominem, maſculum*, ait Moyſes, *& fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomen eorũ Adam.* Vbi aduerte Adam vocabulum eſſe totius ſpeciei humanæ, & non primi illius hominis proprium, cùm vtrũq; ſexũ cõplectatur. Vnde & pro eo quod nos dicimus. Homo animal rationale, Hebræi. Adam chai niedabar, aiunt. Et vbi nos legimus. *Omnis homo mẽdax*, ipſi habẽt כלהאדם colhaadam, vbi rurſum Adam audis. Et in geneſi quoties hominis vocabulum repetitur, Adam ponitur. Adam aũt ab אדמה adame dicitur, id eſt, à terra quẽadmodum nouerunt Hebraicarum rerum ſtudioſi. Placet interim propter eos qui has literas penitus non attigerunt authoritate inſignis theologi quod dicimus adſtruere quò magis credant. Audiant igitur Gregorium Nyſenum Germanũ magni illius Baſilij. Is de creatione hominis capite. 22. in hunc ſcribit modum Apoſtolus τον εκ γης ανθρωπον χοικον ονομαζει οιον ει μεταβαλον τινα του αδαμ πλασιν εις τινα ελλαδα φωνην, id eſt, hominem qui de terra formatus eſt, terreſtrẽ appellat, quaſi in Græcam vocem. Adæ vocabulum tranſferens. Quæſo quis noſtrũ ſi adhibitus fuiſſet in conſiliũ, nõ ab ea parte, qua cum Deo ſimilitudo ei eſt, ipſum appellandũ cenſuiſſet? Certe qui apud Græcos nomina finxit, quiſquis tandem is fuerit, huius rationẽ habuit. Dicitur enim ανθροπος modò vera ſit etymologia, quæ eſt apud Platonem in Cratylo) quaſi αναθρωμα ὁ οπωπε, id eſt, contemplans quæ vidit. Quod vt ſcias ad animum pertinere, attẽde qua ratione adſtruat id vocabulũ rectè inditũ homini. Nã reliqua (inquit) amantia, quæ vident non expendunt neq; conſiderant. Aliæ igitur Dei, aliæ cogitationes hominũ. Sciebat Deus quod eſſet periculum homini à ſuperbia. Quare cum è corpore ipſum conſtituiſſet & anima, à corpore, qua parte luteus erat, appellationẽ indidit, vt ipſo nomine admoneretur cõditionis ſuæ, quã habebat ſecundũ corpus, hacq; ob oculos vſq; verſante, elationẽ quæ peſſima animæ peſtis eſt, auerſaretur, horreret, fugeret. Hoc Dei conſiliũ, hic ei ſcopus fuit: at non, vt voluit, res ceſſit proſpere. Nã mox à cõditione oblitus homo luteum ſe eſſe, ad diuinitatẽ aſpirauit, imitatus infœlicem illũ qui apud Prophetam loquitur. *In cœlũ con-*

Eſai. 14. c.

ſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, adſcendã ſuper multitudinẽ nubium, ſimilis ero altiſſimo. Quod hic & homo voluit, nimirum ſimilis eſſe Deo, an aũt pari ratione qua ille, id queſtionẽ habet: Interim quod ad hominẽ attinet, voluit hic pollere ſcientia qua fieret, vt in ſui directione nullius, ne quidẽ ipſius Dei, ope indigeret, ſed ipſe ſibi dux foret, ipſe curꝰ & auriga. Huiuſmodi ipſum elatione, correptũ fuiſſe, indicat ſarcaſmus, ille: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonũ & malũ.* Verè enim ſarcaſmus eſt. Nã non ſolùm boni maliq; ſcientiam quam optabat adeptus nõ eſt, ſed & quã habẽbat, perdidit, & perijt illa, quæ cũ Deo ipſi ſimilitudo erat. Cui ò infœlix tantũ de te licuit? Beſtiæ, ſi poſſent loqui, in hanc cũ admirationẽ vocem prorumperent. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Quid ò miſer huc te deiecit? qui factũ vt immemor nominis, immemor cõditionis, ad diuinitatẽ aſpirares? Omnino enim immemorẽ fuiſſe oportet, & nominis, & conditionis, qui in tantam elatus es ſuperbiam. Videns Deus œconomiam qua vſus fuerat, tum in adfingendo corpore, tum in nomine imponendo, haud ſcilicet ceſſiſſe, rem alia aggreſſus eſt via. Hominem quẽ è puluere finxerat, in puluerẽ rurſus abire iuſſit, vt ipſa ſaltem analyſi diſceret puluerem ſe eſſe, huiuſq; conſideratione, ſuperbiã qua præcipitatus erat, vel deinceps fugeret. Iſtud hic ſpectaſſe Deũ, nihil dubito affirmare. Alioqui ſi ſæuire tantùm voluit, cur ex illo tẽpore quo humano generi placatus eſt per Chriſtũ, non immortalitati reſtituit corpora noſtra? Cur etiamnũ tunicas geſtamus pelliceas? Non enim pelliceę tunicæ quarum meminit geneſis, vulgi more accipi poſſunt, cùm ante mactata animalia hæ fuerint. Non etiam quomodo Origenes intellexit, qui pelliceas tunicas conſinxit eſſe corpora, cũ & Adam & Heua ante præuaricationẽ, qua peracta his primũ obuoluti narrantur, corpora habuerint, quẽadmodũ id clarè indicat vox illa, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*: ſed harũ nomine mortalitas per tropum expreſſa eſt à Moyſe, quæ, vt dicere cœpimus, ad conuerſionẽ inuẽta eſt, quẽadmodũ pueris qui literas diſcunt, plagæ ad correctionẽ, quanquam nec hoc magiſterio licet ſeueriori quidquã hactenus promotũ eſt. Diſcere id licet ex monumentis eorũ, qui de vita & moribꝰ hominum ſcripſere alij poſt alios ad hæc vſq; tempora. Oẽs ſecula ſua notant ſuperbiæ, faſtus, ambitionis. Porrò ſuperbia, faſtus, ambitio, locũ nõ habent, vbi huius memoria eſt, hoc eſt, vbi homines ſe luteos cogitãt. Neſcio tamen an corruptius aliud agnoſcere ſit hoc noſtro

noſtrò ſeculo. Quid enim niſi merã ſuperbiã clamant ſericæ veſtes, ardentes gemmæ, aurũ iũ ſila lenteſcens, belluata tabetia, zetę, pluſquã regaliter inſtructę, periſtromata, ſellæ, vaſa diuerſi generis, omnia mĩro opere factã? Non ſolum nõ ſubit animum cogitatio quòd puluis ſumꝰ, ſed nec altera illa, ex qua in hanc progredi nos voluit Deus, in mentẽ venit. Quis enim cogitat in puluerẽ ſe reuerſurũ? Niſi alta quædã & profunda eſſet apud nos huius rei obliuio, nunquã eccleſia poſt membrũ illud. *Memento homo quòd cinis es*, alterum hoc, *Et quòd in cinerẽ reuerteris*, adijceret, cùm nec nos ſoleamꝰ monere memorẽ.

Et quidem multarum rerum me tenet admiratio, ô viri, at nullius æquè atque huius. Quid enim non mirer, & vehemẽter admirer? Nihil magis experimur quàm mortẽ, & nihil minùs cogitamꝰ quàm mortem. Efferũtur parentes, comitamur funera, videmus obrui humo corpora ipſorum, & non ſemel ſubit animum, quòd & nos ea fata maneãt. Quem non teneat admiratio? Aperiuntur aſtantibꝰ nobis auorum, proauorumq; monumenta, cernimus oculis noſtris nihil de corporibus præter oſſa ſupereſſe & cineres, nec expendimus cum animis noſtris quid velint hæc, quidve moneant. Quis hic faſcinat mẽtes noſtras? Quis, quòd homini proprium eſt & quo vno à brutis diſtat, hic adimit nobis? Iam enim ex ſententia Socratis diximus hominẽ Græcis ανθροπον, id eſt, vocatum, quòd inter animantia ſolus expendat quæ videt. Quibus igitur præſtigijs agitur, vt quòd coràm cernimus, non conſideremus? Res digna profectò eſt, cui inquirẽdæ laborem impendamus. Obſeruemus igitur num eius veſtigium aliquod vſquam appareat in ſcriptura.

Meminit Geneſis Serpentis, & ſuſpectum eum habeo, quia verſipellis inducitur & veterator. (Id enim ſignificat πανουργος qua voce Theodotio hic vtitur & Aquila (magis autẽ ſuſpectꝰ mihi fit, dum audio ſibilia eius. *Cur* (inquit) *præcepit Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradiſi?* Planè vox eſt mollientis adflare virus, & quantũ valuerit in animo fœminæ, indicat reſponſio illa, De fructu lignorũ quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu verò ligni quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Quid ais mulier, ac verè mulier? Nonne hoc modo dictum fuerat? *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris?* Cur igitur in dubium vertis ſermonem, quod certò nec abſq; ſpirati (vt indicat anadiplosis) expreſſum à Deo eſt? Sed hæc eſt πανουργια, id eſt, vafritia, verſutia Serpentis. Et ſi vno cõgreſſu tantum potuit, idq; tam leui ſibilo, quid non poterit ſi ſemel ingeniũ artis ſuæ explicet? Extorto præſtigijs ſuis hoc ab Heua reſpõſo, *Ne forte moriamur, Nequaquã*, ait, *morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonũ & malũ.* Vident quatus ſubitò aſſurgat, quæq; ſpicula ſquamæus vibret? Nouit Deus quæ ſit vis arboris (inquit) Eſt arbor ſcientiæ Fructus eius deguſtatus peritos prudentesq; efficit, imò ſimiles Deo facit. Hanc ille vobis præſtantiam inuidens, arcereq; volens à boni maliq; cognitione, ac in ſumma vos viuere ſtultitia, prohibuit tangere fœlicem, hanc plantam. O verſutiam. Quã Deus arborẽ ſcientiæ boni & mali dixit ratione probationis. (Poſuit enim eam in medio Paradiſi, vt hac obediẽtiã vel inobedientiã hominis experiretur) veterator hic à vi & virtute ipſam ſic appellatã ait, perſuadetq;. Nam additur: *Vidit igitur mulier quòd bonũ eſſet lignũ ad veſcendum & pulchrũ oculis, aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; viro ſuo qui comedit, & aperti ſunt oculi amborũ*, vbi obſeruanda vocula (igitur) Planè enim ſignificat mulierẽ perſuaſam à ſerpẽte decerpſiſſe fructum. Perſuaſa aũt eſt nõ ſolum inſtar numinis, ſi deguſtaret, ſapientẽ ſe fore, ſed & ſententiam Dei (*in quocunq; die comederis ex eo morte morieris*) non valituram ad pœnã, vt quæ terrendi duntaxat gratia prolata eſſet. Quis nõ timeat Serpentẽ hunc, vaſtum, verſutum, verſipellẽ, malignũ, præſtigioſum? Hic hic eſt qui incantat & excantat mentes noſtras: Hic præſtigijs ſuis facit, ne cogitemus nos puluerem eſſe. Hic obliuionẽ mortis inducit. Hic deluditoculos noſtros, vt quod coràm cernimus, nõ videamus. Iſtud docet caput quod hactenus tractauimus. Non enim ob id ſcriptum ſolùm eſt, vt ſciremus huius verſutia Heuam ſeductã, ſed vt hinc illius fraudes in totam poſteritatẽ conciperemus. Qui enim in parentẽ crudelis extitit, in prolem mitis deprehenditur? Illius animo exemit metum mortis, quòd ipſam in mortẽ præcipitaret. Nobis adimit cogitationem mortis, vt in morte nos teneat. Nouit enim (vt eſt verſutus) nihil ad ſuperbiæ & cupiditatis vitiorumq; omnium euerſionẽ æquè facere, atq; huiuſce rei meditationem. Vbi animũ occupauit cogitatio mortis, fit vt mox etiã eorum quæ mortẽ ſequuntur, ſubeat cogitatio. Nunc ergo ſe offert Gehenna, & ignis ille inextinguibilis & vermis qui nunquã moritur, mentemq; totam concutiũt, vt iam nec diuitię, nec delitię, nec quidquam cęterorum detinere eam aut voluptate queat afficere, tantùm flere iuuat & plangere: nec ſufficit dies, etiam noctẽ inſumit, nec antè à fletu temperat, quàm imperante

Gen. 3. b.

Gen. 3. a.

Gen. 3. c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo redeat tranquillitas peccatis, per quæ Gehēnæ supplicijs obstricta erat, lachrymarum imbre extinctis, Nouit istud diabolus, idcirco totꝰ in hoc est, vt auertat animū & abducat ab hac cogitatione. Hūc delicijs, illum studio pecuniæ, aliū alijs curis occupat, atq; his tam vehementer distringit pectora, vt otium non sit cogitandi de morte. Si fortè in cōuiuio quispiam huius mentionē faciat, mox alius, Sinamus, ait, hanc valere, tristis est de morte sermocinatio, iucūdi aliquid versemus, ea materia cōuenit mēsis. Quis (de sapientibus loquor) nescit, quo spiritu afflatus proferat, quisquis tandē profert vocem hanc? vox serpentis est, is exsibilare studet, quod salubriter ingestū erat. Et quæso te, qui tantopere iam verborū grauitatē vereris & molestiam, quī poteris parē esse ferendis ijs quæ verbis exprimuntur, morti inquā, & quæ hanc sequuntur? Quēadmodum enim nemo, qui Gehennā ob oculos habet, Gehennā incidere, ita nemo qui Gehennam è mente seponit: Gehennā euadere poterit. Qui igitur feres perpetua incendia, cui quotidianæ istius mortis vel sola mētio adeò est molesta? Ipsi videritis, Auditores, quomodo hīc vos geratis. Apud me iam fixū est, ne vnquā deponā memoriam eius, cuius omnes admonet, quod aliquoties propositū à nobis est, thema, *Memento homo*. Et quidem insuauis, sed quid tum? Etenim & pharmaca insuauia sunt, nō tamen abhorremus, cò quòd vtilitatem adferant.

Quod ad serpentem attinet, video qua ratione superari possit, si nimirum surda aure sibila eius prætereamus. Nunquā enim diiecta fuisset Heua, si non aures præbuisset incantanti, siue ergo ad honores siue ad diuitias, siue ad voluptates nos inuitet non restitemus, nec respectemus sed transeamus, cogitemus esse Sirenarū cantus in exitium vsq; dulces. Studet enim harū rerum amore incantare, vt rerū optimarū cogitationē excantet. Atq; hęc agendi ratio, hoc gratior esse debet, libentiusq; eam amplecti nos oportet, quòd à Serpente, cuius animantis calliditate prior in nostrā perniciem ille abusus est, sit sumpta. Aspis enim (vt satis id indicat Psalmus quinquagesimꝰ septimus) vbi præsentit imminere incantatorem, obturat aures, ne vi carminum mansuescat: proinde & nos obturemus aures, vt procul simus à periculo, ipsumq; Serpentem serpentino astu vincamus, ipso nos tuuāte, qui huius caput semel contriuit, Christo Iesu, cui honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Sequuntur fratris Adami homiliæ siue conciones post mortem editæ.

HOMILIA PRIMA SVPER hanc scripturam Ioēlis.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, &c.

HIS verbis post horrēda, quæ per Ioēlem Propherā cōminatus fuerat mala, ad pœnitentiā ꝓuocat Deus populum Israēl. Quę scripto mādari voluit, vt posteri legentes scirent locum relinqui pœnitentiæ, ac paratam esse veniam his, qui toto se corde conuertūt, in ieiunio in fletu ac planctu, de quo dicturus numen inuoco: imò communibus votis inuocemus, vt illabatur pectoribꝰ nostris, auresq; vestras pariterq; linguā meam expurget, quò & mihi tutum loqui, & audire vobis frugiferum sit.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & in planctu.

HAc concione (vt in certa capita rem cōtrahamus) primùm dicemus, quāta misericordia Deus prosequatur tum eos qui de emendanda vita necdū cogitant, tū hos qui affectu veteris vitę depositō, & toto se corde conuertunt in ieiunio, in fletu, ac planctu. Deinde quid sit conuerti in toto corde, in ieiunio, in fletu & in planctu. Post hæc, qui fiat, vt pauci admodū hoc modo ad Deū se conuertant. Vt à diuina misericordia exordiamur, miris modis hāc proponit sanctus Propheta Ioel, vna continua narrationis serie ducta ab initio suę Prophetiæ vsq; ab locum: Et erit post hæc: Effundam de spiritu meo super oēm carnē, quo finitur caput secundum, nos nostro more rem tractabimus seruato ordine quē apud illum deprehēdimꝰ. In primis Dei erga peccatores misericordia in hoc est, quòd magnanimitatis suæ fortitudine & robore eos tolerat. Quod quātæ sit pietatis tum demū agnoscimus, dū cōsideramus quāti id sit negocij. Res magna est molem terræ in aquis suspēsam vsq; immotam tenere. Ardua res est cœli machinā vniuersā ambientis insatigabili manu sustinere ne cadat, at maioris potētiæ opus multò est, ferre peccatorē. Vnde illa, cœlum scilicet & terram, ac totū globum mūdi Deus portare dicitur verbo virtutis suæ, hoc est mira facilitate & nullo negocio: peccatorē verò nō sinè labore

nè labore ac molestia. Scitis enim vbi & de quibus scriptum sit. Laboraui sustinēs. Magna misericordia tua Domine. Quos terra Num. 6. d. non valeret (quemadmodum peccante Core id olim didicimus) tu porenti tua dextera sustentas seruasq;. Et quid de terra dico, cū cœlum quod ob soliditatem rectè ahēneū ille appellauit, impar sit ferendo huic oneri. Quid enim, nónne peccante filiò Auroræ, firmissimi illi orbes rupti sunt & cesserunt Luc. 10. c. ponderi? Certè ipse in Euangelio ad Apostolos loquēs. *Vidi*, inquit, *Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Seruas autem eos, non vt peccatis in finem deuolutis tum demum fortiùs punias, sed propter pœnitentiam, id est, vt conuertantur & viuāt. Sic enim habet caput vndecimum Sapientiæ. Sed quotusquisq; mortalium est, qui hoc tuum consilium ita accipiat? qui bonitatem tuam ad hunc modum interpretetur, & pœnitentiā Esai. 26. c. agat super peccatis suis? Clamat Esaias. *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti, nunquid glorificatus es?* Exercuisti in impios incredibilem hactenus clementiam, sæpe & diu valde dissimulasti peccata eorum, quid promouisti? reddidisti meliores? nūquid glorificauerunt nomen tuum, aut dignū aliquid fecere tua misericordia? Nónne è contrario à te longè recesserunt? Recesserunt, Indulgentia tua securitatē peperit, securitas negligentiam, negligentia contemptum. Sic erāt homines tempore Esaiæ: Tales & nos sumus homines, agimus secure, bibimus vinū in dulcedine, lasciuimus in plumis nostris, & tempus ad lugenda peccata cōcessum, vertimus in dies lætitiæ ac gaudij. Quare si semel perderes nos, nemo accusare te posset cum locum dederis pœnitentiæ. Sed ipse non, quid nostra malitia meretur, sed quid te facere deceat, consideras, & pergis misereri, vt diuitias bonitatis tuæ in nos declares. Attendis quales sumus homines, vides quòd ferè nō cōuertimur, nisi dum affligimur: quòd non concipimus spiritū pœnitentiæ, nisi cū malis premimur, ac proinde extendis manū tuam, & velut pius pater flagellas nos: huic immittis ardentem febrem, illi pleuresim, alij pthisim, hūc bonis exuis, illi oēm ad fœlicitatem terrenam aditum præcludis, interdum communi malo pariter inuoluis oēs, vt dum bella excitas ac prælia. Omnia hæc operaris altissima bonitate tua, vt hoc modo corda nostra ad te cōuertas, quemq; per beneficia non sensimus, per tormēta discamus licet plerumq; cum murmure id faciamus. Cæterum quia bonis æquè ac malis euenire hæc cernimus, rursus & aliās hīc sæpe fingimus causas, vt hæc non itidem atq; ipse de nobis cogitares, interpretemur.

Idcircò ne quid intentatum dimittas, efficacius adhibes magisterium. In mentē venire facis annos æternos, reducis nobis ad memoriam iudicia tua, quām scilicet seuere tandem animaduersurus sis in oēs qui peccauerunt, & nō egerunt pœnitentiam super peccatis suis. Obijcis ante oculos infernum diabolū, & ignē qui nunquā extinguitur, vt horrore cōcutiantur omnes, quos scelerum arguit conscientia, ac fiat quod scriptū est. Esai. 26. c. *Sicut quæ cōcepit, cùm appropinquauerit ad partum: dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua Dñe: concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritū*. Hoc fere magisterio, timore scilicet & horrore oēs ad pœnitentiam erudimur. Vbi enim terrent nos tormenta, quæ patientur impij, & seculum æternum, tum incipimus dolere, quòd peccatis iram tuam contra nos prouocauimus, quòd damnationi nostra nos volūtate obstrinximus: hinc gemitus, hinc lachrymæ, hinc planctus, tundimus pectora, carnem affligimus, vigilijs attenuamus oculos, aliena restituimus, elargimur nostra, nihil omittimus quò euadamus quod timemus, Infernum inquā, Verùm quia dolor ille ex horrore iudiciorū & metu Gehennę ꝓficiscens, desperationē parit, nisi spe veniæ fulciatur, propterea vt quod cœpisti, perficias, animæ sic afflictæ, trementi, laboranti, in gemitu & fletu, me tristitia aut desperatione absorbeatur, ꝓponis diuitias bonitatis tuæ, abyssum miserationū tuarum, pacta quæ inijsti cum homine, deniq; sanguinē vnigeniti filij tui, quo hæc ipsa obsignasti, quæ dū considerat & attentè reuoluit operante secretius virtute Spiritus, erigitur animus & immutatur penitus, vt qui paulò ante non aliud meditabatur, quàm iram & vindictā, timorē ac pauorem, quē omnia terrebāt, mors, infernus, diabolus, iam sperare audeat & respirare in misericordijs tuis, cuius oculi deducebant lachrymas præ conturbatione spiritꝰ & horrore: iam defluunt aquis, non quas ira comminationis extorquet, sed quas suauiter ex imo corde educit pietas, quæ immēsam cōsiderat, & lęsam ex animo dolet bonitatē dei. Quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Omnino suauis est & bonus, qui sic misericorditer disponit omnia, peragit suauiter. Securitatē peccatoris conuertit in timorē: Timorē rursus fiducia tēperat ac amore commutat, vt timore concipiat & velut parturiat, ac amore pariat spiritum pœnitentiæ. Vbi porrò peccator tota mente conuersus hoc modo pœnitentiam agit, supplicās per sanguinem filij effusum, ignosci sibi quod malè admisit, vtà peccato liber, in sanctitate & iustitia posthac viuat, tibique vni adhæreat, ibi commouentur omnia viscera tua, nec continere te vales,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quin semel miseriaris: proijcis peccata illius in profundum maris, infundis charitatem & cum charitate reddis vniuersa quæ per peccatũ amiserat, iustitias videlicet priores, de quibus apud Ezech. Si impius egerit pœnitentiam à peccatis suis quæ operatus est, &c. Omnium iniquitatum quas operatus est, non recordabor. O bonitas. Conuertit se impius & omnia quæ impiè egit, non imputantur ipsi. Magnum omnino, & ingens beneficium hoc. Solum peccatum est quod obstringit hominem damnationi. Vbi peccatum non est, nulla damnatio est.

Psal. 31. a. Hinc propheta Dauid. *Beati inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui nõ imputauit Dominus peccatum,* nec solum peccata non imputantur ipsi, sed & charitas datur. Maxima autem res est charitas, charitas est quæ reddit homi nem diuinæ consortem naturæ, quæ filium Dei facit, quæ æternæ vitæ hæredẽ instituit: Expendite cum animis vestris quanta sint hæc. Quid sit hominem esse consortem diuinæ naturæ, filium Dei, hæredem vitæ. Mẽs mea non capit, ideoq; nec lingua effari valet. Beati interim, & ter quaterq; beati, quibus hæc obtigêre, obtingunt autem omnibus, quos verè pœnitet veteris vitæ, ac pecca sua ex animo deflent.

Et quidem quæ diximus hactẽ', omnia quẽadmodum præfati sumus, animaduertere est in prophetia Ioëlis: principiũ siquidem habet, Eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptã terram populi Israël, Ioelis 1. a. Quæso cur erucam, bruchum, locustã, rubiginẽ? cur non vrsos potiùs sæuósve immisit leones, aut noui generis ira plenas & ignotas bestias? Nunquid impotens erat omnipotens manus eius, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa id facere? Nónne & absq; his vno spiritu delere poterat gentem peccatricem? poterat certè, sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit. Immisit erucam, bruchũ, locustam, quia locum dabat pœnitentiæ, vt cùm viderent vineas corrosione demolitas, expergiscerentur ebrij, & luctum assumerent qui bibebãt vinum in dulcedine. Dissimulantibus illis agere pœnitentiam, horrenda comminatur. Prædicit diem nomini, diem tenebrarum & caliginis, diem nubis & turbinis, magnũ diem Domini, & terribilem valde, vt qui præsentibus malis non tangebantur, horrore futurorum concuterentur ac citiùs arriperent pœnitentiam. Iam ne scelerum magnitudine perculsi, veniam desperarent, post comminationem diuinæ clementiæ abyssum ingerit: Et nunc hæc dicit Dominus. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu:* Et scindite corda vestra & non vestimenta vestra: Et conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est & patiens & multæ misericordiæ, præstabilis super malitia. Post hæc edocet quæ expectare debeãt bona iam pœnitentes: *Ecce ego,* ait, *mittam vobis frumentum & vinum, & oleum, & replebimini in eis, & non dabo vos vltra opprobrium in gentibus. Et cum qui ab Aquilone est procul faciã à vobis, & expellam eum in terrã inuiam & desertam, & reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, rubigo & eruca, & nõ confundetur populus meus in sempiternum, & scietis quia in medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est amplius & non confundetur populus meus in æternum.*

Hactenus de immensa Dei misericordia, tum erga eos qui peccata peccatis adijciunt & perguntin eo quod cœperunt malè, tum erga hos qui veteris vitæ pertæsi, toto se corde ad Deum conuertũt, in ieiunio in fletu, & planctu. Iam (quod secundo loco nos fãcturos polliciti sumus) dicamus, quid sit ad Deum conuerti in toto corde, in ieiunio in fletu, & in plãctu. Quò autem certiùs, quod volumus, doceamus, lubet adducere in medium aliquot hominum genera, qui conuertuntur: sed non in toto corde, atque inter hos primi occurrunt, qui semper concipiunt, sed nunquam parturiunt, vel si parturire quodammodo videantur, haud tamen pariunt vnquam. Hi porrò sunt qui dum legunt sacra Biblia, siue dum pias & doctas conciones audiunt, compunguntur: vt quos scelerum arguit conscientia, proinde deliberant arripere aliam vitam, sãpiunt apud se, cras abrenunciabo semel diabolo, cras valedicam planè seculo. Cras tãciam, venit cras, & extrahunt in aliud cras, atque illud rursus in aliud, vt sit perpetuum cras. Non toto hi corde se conuertunt, quia non tota voluntate: volunt enim & non volunt, quemadmodũ piger vult & non vult, quia nec plenè volunt, nec plenè nolunt, & vehementer metuere hi debent quod scriptum in Apocalypsi est, *Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Secundum genus est illorũ, qui in mendacio conuertuntur quemadmodum scriptum est. *In omnibus his non est reuersa ad me prænaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo sed in mendacio.* Hi aũt sunt qui magno aliquo malo pressi, vel morbo graui correpti, vexatione dante intellectum agnoscere incipiunt peccata sua, flent, confitentur, pœnitentiam agunt, sed ita hæc faciunt, vt interim latenter in eis viuat adhuc affectus peccandi: vnde amota virga, recuperata sanitate, redeunt ad ingenium, eunt rursus in antiquam syluam, cõmessantur vt antè, sectantur ebrietatem vt antè, vacant amplexibus vt antè, atq; vt olim erat, ita nunc per omnia. Ad hunc modũ in Exodo conuertitur Pharao, flagellatur, agnoscit peccatum suum, imò promittit melIoel. 2. & 10. iora. *Peccaui,* ait, *etiam nunc. Dominus iustus, & ego & populus meus impij, orate Dominum vt desinant tonitrua Dei & grando, vt dimittam vos.* Orat Moyses, cessant tonitrua, cessat grando, & Pharao manet Pharao, detinet populum, & prioribus peccatis alia adijcit. Atq; hi qui hunc in modum iterant vias suas, timeant ne quod Pharaoni, id ipsis quoq; eueniat, hoc est, ne obdurẽtur in peccatis, hisq; in finem deuolutis, demergãtur in abyssum. Sunt tertiò alij qui attentiùs cõsiderantes, quàm pulchra res temperantia sit, quã itidem pulchra res sit castitas ac virtutes cæteræ: odisse incipiunt vitia & execrari, dolẽt ex animo, deflentq; quòd optimos annos, florem dico ætatis luxu ac libidine perdiderint, dolent hoc & fusis lachrymis ignosci sibi postulant, confitentur nihilq; illorum quæ in verè pœnitente desideres omittunt, hoc excepto duntaxat, quòd non seriò in animum inducant declinare occasiones. Qui huiusce generis sunt, nondum in toto corde conuertuntur, quia scriptum est. Si reuerteris Israël, ad me conuertere, hoc est. Si reuerteris Israel & semel salutem desiderans peccasse te dicis, & vocem Domini Dei tui non audisse, plenè conuertere. Tum porrò plena habebitur conuersio, si abstuleris offendicula tua à facie mea, quia tum nõ commoueberis. Si igitur plenè hoc est in toto corde conuerteris, valeant antiqui combibonea, noti ac chari, qui tibi authores existunt peccandi. Si in toto corde conuerteris, eijce ancillam, id est, concubinam quę carni tuę insidiatur. Si in toto corde conuerteris, aboleas libros qui à simplicitate fidei nouis doctrinis mentem tuã abMal. 19. d. ducunt, sic legimus fecisse in Actis qui curiosa fuerãt sectati, *cõtulerunt,* (ait scriptura) *libros & combusserunt eos coram omnibus,* de quorum precio additur quod erat denariorum quinquaginta milium. Aduertant hoc qui saluos volunt esse libros, nec flãmis tradi oportere, licet errorũ pleni sint, propter æris quo cõparati sunt magnitudinem. Huic exhortationi similis est illa, qua ad Israëlem olim Samuel vsus est. *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte,* ait, *deos alienos de medio vestri Baalim & Astaroth:* Quidquid à religione animum tuum abducit, quidquid regnum cupiditatis in te roborat, hoc est Baalim, hoc est, Astaroth, amoue hoc si in toto corde reuerteris ad Dominum. Proposuimus tria genera hominũ qui conuertuntur non in toto corde, quibus addimus quartum est q; eorum qui per fas & nefas multa congesserunt, aut alias iniuria affecerunt fratres: cumque in cæteris pœnitentis formam exprimant, non meditantur vt fraudatæ aut lesæ parti faciant satis, arbitramurq; omnes omnino qui non verè conuertuntur, ad aliquod genus horũ pertinere vel referri posse, quare proclive iam est cuiuis, facileque intellectu, quid sit conuerti in toto corde, vel potiùs, qui sunt qui in toto corde conuertuntur. Nam si iungas quæ in alijs alia atque alia deliberauimus, habes illos in toto demum corde conuerti, qui depositio ex animo omni affectu peccandi plena perfectaque voluntate, quæ moras nescit, Deo à quo per inobedientiam recesserant, sese reddunt, parati & declinare quidquid peccandi post hac esse posset occasio, & læsis à se ac fraudatis facere satis. At sat non est in toto corde conuerti, nisi conuertamur, & in ieiunio & in fletu & in planctu. *Conuertimini,* ait, *ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu,* quibus omne genus operum quib' caro affligitur, complexus est synechdochicos. Vnde velint nolint Lutherani, ieiunium, fletus, plãctus, saccus, atque id genus alia pertinent ad pœnitentiam, & non tantum terrores quos incutit conscientia peccati, ac fiducia misericordiæ per Christum promissæ. Verum quidem est, fide & fiducia opus esse & primas hic habere partes, non tamen ipsæ absoluunt pœnitentiam. Putásne tu Dominum (ait Cyprianus) cito posse placari opem verbis perfidis abnuisti? cui patrimonium præponere maluisti? cuius templum sacrilegia contagione violasti? Putas facilẽ eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu tranligere, vigilijs ac fletibus noctes ducere insomnes, tempus omne lachrymosis lamentationib' occupare, stratos solo adhærere & cineri, in cilicio volutari & sordibus: post indumentũ Christi perditũ, nullũ iam velle vestitũ: post Diaboli cibum, malle ieiuniũ, iustis operibus incũbere quib' peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur. Sed nunquid vel vnum ex cẽtum inuenias, qui hoc modo ad Deum reuertatur & pœnitentiam agat de peccatis suis? Et quid causæ, quòd pauci adeò inueniantur viri pœnitẽtiæ? Causa est (vt quod tertio loco proposuimus, absoluamus) quia non exercemus nos cogitationibus fidei, quia non adlaboramus, vs suscitemus in nobis flammam fidei, quod faceremus, fieri non posset, quin alij euaderemus homines: dicit enim Scri-Ioan. 5. d. ptura, *Hæc est victoria quæ vincit mundũ. Fides nostra.* Quæ fides? vtiq; quæ in exercitio

Universidad de Deusto
Biblioteca

consistit. De exercitio, non de habitu fidei dictum est, alioqui & fidem habent eamq; veram in quorum animis vel maximè dominatur, mundus, meretrices inquam, adulteri, scortatores. Quòd dicimus, age, rebus ipsis ita esse declaremus, Inter cæteros articulos fidei vnus est. Deum factum hominẽ. Age ergo in silentio cordis, versa articulum hunc & reuersa, expende cum animo tuo, quid sit Deus, cumq; non valeas Deum nudè vt in se & per se existit, apprehendere (excedit enim ille omnem captum) sublatis oculis contemplare solem, lunam, stellas, sed & orbes cœlorum, & si placet, molem quoque terræ & abyssos aquarum siue maria: cumq; omnia percurreris attentiusq; consideraueris, cogita Deum esse, cuius vi corpora illa maxima ex non extantibus, extare cœperunt. Nonne hæc te cogitantem inuadet stupor, & vehemens occupabit admiratio, si audias, *Et homo factus est?* Quod ille qui tantus est, carnem assumpserit, & ossa & sanguinem? Pergè ergo & causam huius inquirere cumq; docente fide dideris ex singulari quo te complectitur amore hominem factum, quò sanguine suo peccata tua eluerer, suaq; morte tuam aboleret mortem, atque in veram te assereret libertatem, cùm inquam hæc dideris, ac firma fide vt verè se habent adprehenderis, nonne vehementer accendetur cor tuum ad redamandum illum qui prior tantoperè te amauit? profectò accendetur & quidem vehementissime, adeò vt mille citius mortes quàm illum offendas, vltro sis obiturus. Vbi igitur hunc in te affectum sentis, reuoca statim ad memoriam multitudinem scelerum tuorum, cogita quoties post mysterium Baptismi rursus peccaueris, quàm grãditer, quàm turpiter, & scio tabescet in te spiritus tu⁹, deducent lachrymas oculi tui, defluent a quis palpebræ tuæ, plorabis die, plorabis nocte, nec expleri vnquam fletu poteris, adeò displicebit tibi res hæc à te commissa. Vel si adeò durùm est cor tuum, vt cedere nesciat amori, & huiusmodi cogitationibus ad pœnitentiam emolliri, quod non facile crederim fieri posse, sume in manibus, articulum de iudicio. Cogita quod scriptum est. *Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Pone ergo ob oculos tibi igné inferni qui nunquam extinguitur, sulphur quo ignis hic perpetuò alitur, spiritum procellarum, quo ipsius flamma vsquè accenditur, fumum tormentorum qui ascendit in secula seculorum, id est, in æternum & vltra. Deinde seriò persuadeas tibi id quod res est, te iam prope ipsas positũ inferni portas. Inter Gehennam enim & animam tuam nihil est medium præter vnam eamq; debilem, maceriem, carnem inquam tuam, qua diruta (diruetur autem breui) necesse est infelicem animam Gehennæ ignibus excipi, nisi antè pœnitentiam egerit. Quæso te, nonne iam libens omnem afflictionem, omnem laborem, omnem indecorem subibis, dummodo à perpetuis libereris incendijs? En quàm potens res est fides, dum excolitur: sed nos pulcherrimo hoc studio posthabito, alijs nescio quibus rebus animum addicimus, fitq; planè vitio nostro, vt recta descendamus ad infernum & iuuenes & senes, & docti & indocti, sacerdotes, vt nihil mirer Esaiam dicere, *Secretum meum mihi. Secretum meum mihi.* Quid est *Secretum meum mihi*, nisi, tantam in omni ordine multitudinem video damnandorum, vt eloqui nequeam. Quare auditores optimi, vt hoc malum, infernum dico, effugiamus conuertamur in ieiunio, in fletu & in planctu ad Dominum Deum nostrum, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Ad Heb. 9. g. *Esai. 24. a.*

HOMILIA SECVNDA super hanc scripturam Ioelis.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, &c.

VErba hæc Domini DEI sunt, filios Israel ad pœnitentiam prouocãtis, quia benign⁹ & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Verum scripta sunt nõ propter ipsos tantùm, sed & propter nos, quia & nostram pœnitentiam præstolatur Dominus, quemadmodum alio in loco dicit, *Nolo mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat.* Quare non leuiter transmittere, sed alta mẽte reponere ea oportet, cogitãtes quod scriptum est. Si pœnitentiam non egerimus incidemus in manus Dei & non in manus hominum. Quid autem sit agere pœnitentiam iam olim dixim⁹ & lubet repetere, tũ quòd firmius hæreant quæ sæpius inculcantur: tũ quòd rectius intelligantur, quæ alijs atque alijs verbis subinde repetuntur, antè tamen quàm rem aggrediamur, numen inuocemus.

Ezech. 18. b. 33. b.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu.

OPtimè describit Propheta pœnitentiam de qua mirum quàm variè varij sentiant: Aliter D. Cyprianus, aliter de ea loquuntur qui in Cicerone duntaxat aut Demosthene versati sunt. Agnoscite, quod dico. Est adolescens aliquis qui hactenus libidinosè vixit cum meretricibus, considerat rei turpitudinẽ, pudet factũ, adijcit animum ad matrimoniũ, apponit castè viuere. In hoc Cicero agnoscit pœnitentiã, in hoc Demosthenes agnoscit μετανοιαν, Non aũt Philippus. Pœnitentia, ait Philippus, complectitur terrores horribiles, quos incutit cõscientia peccati, vel lex arguens peccatum. Hæc est prima eius pars: Secunda est, vt homo terrore sic concussus cõuertat se ad verbum Dei, & per fidem misericordiæ in Christo promissæ certò statuat sibi remitti peccata. Iam absoluta est secundum ipsum pœnitentia. At non secundum Cyprianum. Præter fidem & terrores, multa præterea requirit, quæ præscribit in libello de lapsis.

Ingemisce, ait, ieiunia, vigila, vt iam taceam quod lõgè aliter loquatur de fide quàm Philippus. Et quod Cyprianus, hoc de pœnitentia tradit Ambrosius, hoc Augustinus, hoc Basilius, & cæteri cùm Græci tum Latini scriptores prisci. Et quia insignis est hic Ambrosius, volo vobis ipsius verba recitare. Atq; quò faciliùs ab omnibus intelligantur, inferam subinde mea: Scribit autem ad virginem lapsam in hunc modũ. Secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo, hoc est, secundum grauitatem peccati, quod in conscientia est & animum vrget, pœnitentia exhibenda est. Exempli causa dictũ sit, quò res dilucidior euadat. Qui fornicationem cõmisit, magnã agere debet pœnitentiã, quia graue peccatũ fornicatio est. Qui in adulteriũ incidit maiorem oportet exhibere pœnitentiam, quia maius peccatũ est adulterium, atq; ita in cæteris. Hic aũt sic agitur, magno animo aggredieris & arripies pœnitentiam, si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit. Hæres eras regni cælestis, vitæ æternæ, gloriæ nunquam finiendæ, ab hac tanta felicitate, à sorte tam præclara modisq; omnibus maxima excidisti per peccatum. Si ergo istud tibi ante oculos ponas, deinde si persuadeas tibi te iam prope ipsas positam tenebras exteriores. Hoc quid sit: ex altera concione intelligitur, dictum ibi, inter peccatricem animam & Gehennam nihil medium esse præter vnam materiam eamq; debilem, qua diruta (diuiditur autem semper in morte (necesse sit præuaricatricem animam tartareis pœnis & Gehẽnæ ignibus excipi, vbi fletus oculorum, & stridor dentiũ sine fine. Cũ hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, cogita aliud remediũ quo à tantis malis libereris nõ esse, quàm pœnitentiæ solatiũ, En habetis errores, quos Philippus vult primam esse partem pœnitentiæ. Non enim potest non vehementer concuti animus humanus & terreri, dum infernum & Gehennæ ignem, quem peccatis suis sibi accendit, ante oculos ponit. Aduertite iam quo modo absoluat pœnitentiam. Philippus post terrores incussos diceret, Age, conuerte te ad verbum Dei, dicit scriptura: Iustitia Dei per fidem IESV Christi in omnes & super omnes qui credunt in eũ. Crede ergo Christũ pro te passum, pro te fudisse sanguinem, & certò tecum statue per fidẽ hanc remitti tibi peccata: & salua res est, solut⁹ es à peccatis, liberatus es ab inferno. Vade in pace. Sic diceret Philippus, sed non sic Ambrosius. Audite quã ipse deinceps tradat theologiam, quidũe post terrores præscribat virgini huic lapsæ. Ergo hæc (quæ de inferno & igne Gehennæ dixi, quantũ malum sit per omnia sæcula vri, & in tenebris permanere perpetuis, & infinitos gemitus edere & stridere dentibus, & nequaquam exaudiri) tu tecũ cogitans, & mente retractans proprij facti tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te æstimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione puniẽda. Amputentur crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymas qui masculum simpliciter non aspexerunt, pallescat facies quę quondam viruit impudicè. Denique totũ corpus incuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cæra, ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationib⁹ ventilãs, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiã crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talia actio pœnitentiæ, si fuerit perseuerans, audebit sperare, & si non gloriam, certè pœnæ euacuationem. Dicit enim Deus. *Conuertimini ad me & conuertar ad vos. Conuertimini ex toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & dirumpite corda vestra, & non vestimentum, quoniam pius & misericors sum.* Hæc est Ambrosij doctrina de pœnitẽtia, imò Ioelis prophetæ, imò Saluatoris nostri. *Viri*, inquit, *Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Pœnitentiam, inquit, egerunt. Quid fecerunt agentes pœnitentiam? Audita prædicatione Ionæ quæ talis erat: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Crediderunt* (ait scriptura) *viri Niniuitæ in Dominũ, & pra-*

Matth. 12. f. Ionæ 3. b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsq; ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere & clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius, & dixit, Homines & iumenta, & boues, & pecora nō gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominū in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Deinde sequitur. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via mala, & misertus est Deus super malitia, quā loquutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Non igitur complectitur pœnitentia tantum mutationem voluntatis in melius, quam significari dicunt voce μετανοιας non aduertentes præter tres illas linguas, Latinam, Græcam, Hebræam, quartam esse, quæ studioso imprimis obseruanda est, & est vsus scripturæ, siue phrasis & modus loquendi scripturæ. Nec rursus terrores tantùm & fidem siue fiduciam in Christum complectitur, sed præterea vigilias, gemitus, planctus, cineres, saccos, cilicia, hoc est, vt semel dicamus, opera carnis afflictiua, inter quæ præcipuum est & semper fuit ieiunium.

Quare non negligamus hoc sacrum tempus Quadragesimæ, Multis peccatis & varijs offendimus Deū, studeamus placare ipsum, affligamus animas nostras, ieiunemus quēadmodum fecerunt hactenus patres nostri. Non sinamus nobis consui puluillos sub cubitis manuum.

Non est aliud remedium post Baptismū, quam pœnitentiæ solatium. Ne autem quispiam nimis bene conscius sibi æstimet ieiunio se opus habere, quòd nullum à Baptismo crimen admiserit, aduertere vos volo ieiunium & alia de quibus in præcedentibus sermo fuit, Christianos exhibere nō in hoc solùm vt iram Dei placent, (quanquam hoc respectu ad ea veterē populum potissimum inuitet Ioel) verùm etiam vt carnis vitia reprimant, restringantq;, atq; hac contemplatione, cui tandem non necessarium est ieiunium? At cùm omnib⁹, in primis tamen his necessarium est, qui in flore sunt ætatis, qui viginti, triginta, quadraginta annorū sunt. In his namq; natura viget, in his calet sanguis, in his concupiscētia vires habet. Quare nisi per laboriosam quandam militiam, ipsam carnem reprimant, tuta haud esse poterit pudicitia. Vt eius quod dico fidem vobis faciam, audite sanctum virum D. Hieronymum in epistola ad Eustochium de se ingenuē sic scribentem. O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delitijs. Sedebam solus quia amaritudine repletus eram. Horrebant sicco membra deformia & squalida cutis sitim æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibo verò & potu taceo, cùm etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego qui ob Gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris interesse puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præ mortua sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad IESV iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationū mearum conscia pertimescebam. Et mihi met iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam: ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum. Hactenus de se Hieronymus. Obsecro si hoc sustinent illi, qui exeso corpore solis cogitationib⁹ oppugnātur, quid patitur adolescens qui delitijs fruitur: qui toties ad saturitatem comedit, qui carni nihil negat? quid inquam patitur? quos ardores libidinis? quæ incendia? Et vt Hieronymos omittam⁹, ipse de quo præclarum illud in scriptura extat testimonium. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomē meum coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel.* Ne alijs præditus, & Regibus, & filijs Israel. Ne alijs præditus, & Regibus, & filijs Israel. Ne alijs præditus, & Regibus, & filijs Israel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ieiunium, per ieiunium inquã quod ea habet adiuncta quæ iam dixim⁹, hoc est, quod in veritate præstatur non in hypocrysi quæ Deo maximè exosa est, deinde quod à corde pœnitente exhibetur, quod Saluator in Euangelio dixit, *Faciem tuam laua.* Facies conscientia est. Hanc lauamus quando deponimus affectum peccandi & plangimus quod peccatum est. Tertio, quod exercetur cum operibus Charitatis, qualia sunt esurientem pascere, nudũ operire, egenos vagosq; hospitio suscipere, quę recẽset Esaias in disputatione hac de ieiunio. Et ad eadem in Euãgelio post verba hæc. *Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, &c.* Hortatur Saluator. Sed quæ Esaias particulatim explicat, Saluator generali sermone comprehendit, ita inquiens. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque erugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furãtur.* In terra sibi thesaurizant, qui affectum ad terrena immodicum dirigentes, congerunt sibi opes superfluas, pretiosas vestes, & aurum, argentum, beneficia, pensiones, & alia id genus multa: Thesaurizant autem in cœlo, qui affectu fidei iugiter in Deum intenti secundum illam per opera pietatis Domino placere contendunt, ac student, pascunt esurientes, vestiunt nudos, in vsum aliorum profundunt res suas, quæ licet perire videantur quibusdam, nequaquam tamen pereunt, sed tutissimo loco reponuntur: suntq; cœlestis thesaurus, & magno cũ fœnore recipient ea bona, cùm alia omnia relinquere cogentur, hoc est in hora mortis, quando corpus reuertetur in terram de qua sumptum est, & spiritus redibit ad Deum qui dedit illum. Ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Matth. 6. b.

DE CIRCVNCISIONE, Homilia prima.

Nisi circuncidamini, Christus vobis non proderit.

QVante annos. 1549. thema hoc quispiam tractandum suscepisset apud Iudæos, nemo fuisset miratus, nempe ad quos dictũ erat. Masculus cuius præputij caro circuncisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Nunc verò abolita per Christum circuncisione, nouũ videri potest maximè apud Christianos, quod dicim⁹, *Nisi circũcidamini, Christus vobis nõ proderit.* Sed qui ex Paulo discit geminam circuncisionem, nihil mirabitur, sed si pius est, circũcidet se, vt placeat ei, qui pro omnibus circuncisus est, cùm circuncione opus non haberet, hoc est Christo Iesu: circuncidet inquam se, non circuncisione illa Iudaica, quæ in carne est, de qua tam terribiliter intonat Apostolus: *Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit.* sed circuncisione spiritus, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Ad Gal. 5.

Nisi circuncidamini, Christus vobis non proderit.

IN hac concione hunc seruabimus in dicendo ordinem. Primò explicabimus beneficium pueri nati in Bethlehem. Secundò loco inquiremus ad quos beneficiũ hoc pertineat, & ostendemus ad eos solos pertinere, qui in similitudinem pueri nati circũciduntur. Beneficium huius pueri admodum magnum est, & totum vnico verbo cõplexus est Euangelista dicens, *Postquam cõsummati sunt dies octo vt circuncideretur puer, vocatũ est nomen eius IESVS* quod nomen si interpreteris, hoc sonat quod Saluator, & à re infanti impositum est, quemadmodum est nomen Emanuel apud Esaiam. *Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, butyrum & mel comedet vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Butyrum ait & mel comedet. Notatio est imprimis elegans, qua in puero veritas significatur humanæ naturæ, ac si dicat prophera. Puer qui nascetur ex virgine, erit verus homo, erit puer nostri generis, vescetur cibis quibus vescuntur infantes nostri. Eandem sententiam habent & illa quę sequuntur: *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum,* hoc est, noto puerorum more respuet ea quæ offendunt gustum, & quæ amica sunt naturæ appetet, vt butyrum & mel, per quæ prophe ta omne genus cibi quo vesci solent infantes significauit synechdochicõs: erit proinde verus homo, nec solùm verus homo, sed verus quoque Deus erit, atque ideirco vocabitur nomẽ eius Emanuel, hoc est (vt apud Matth. dicitur) nobiscũ Deus. Sic à re quę inditum est nomen quod capite sequẽti scribitur: Accelera, spolia detrahe, festina prædari. Cuius nominis (totum enim vnũ nomen est) propheta rationem explicans, Antequam ait ad illud ætatis adoleuerit puer, vt iuxta infantiam nominare posset Patrem suum Deum, & Matrem virginem Mariam, deripiet opes Damasci, auferet spolia Samariæ. Hunc eundem puerum quem iam duobus vocauit nominibus in cap. 7. Emanuelem, in 8. Accelera, spolia detrahe, festina prædari, in capite. 9. multis appellat nominibus, dicens, *Paruulus natus est nobis, Filius datus est nobis, Et factus est principatus super humerum eius.* Quæ locutio ab ijs sumpta est, qui virgas, quæ indices erant potestatis, ac imperij, in humeris gestabant. Sensus est. Puer iste futurus est princeps, futurus est Rex, siue Imperator, *Et vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Quæ sex nomina, quemadmodum duo illa priora, etiam à rebus indita sunt, atque simul omnia hæc in se complectitur vnicum istud quod hodie puero inditum est nomen Iesus.

Esai. 7. a

Esai. 8. a

Esai. 9. a

Quare vt Christi nati beneficium intelligamus, euoluamus nomen hoc, & dicamus quid comprehendat Saluator. Nomen hoc (Saluator) varie obuium est in scriptura sacra, & si quis illis locis vbi Christo tribuitur non aliud intelligat quam vbi hominibus tribuitur, Gedeoni, Samsoni, Iepte, aut cæteris, parum vel nihil intelligit. Quid autem dum Christo tribuitur significet, optime explicat Angelus apud Matthæum capite. 1. vbi ad virginem loquens, *vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum.* Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et Dauid in pulcherrimo illo psalmo: *Deus iudicium tuum regi da, liberabit*, ait, *pauperem à potente, et pauperem cui nõ erat adiutor. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet.* Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum. Certe istud non fecit Gedion, nec Samson, nec Iepte, nec aliquis cæterorum, quibus nomen Saluatoris tribuit liber Iudicum.

Psal. 7. a

Christo proprium est, & quam magnum sit beneficium, intelligit qui nouit quam magnum malum sit peccatum. Solum peccatum est, quod diuidit inter Deum & hominem. Ergo vbi peccatum non est, neque inimicitia est. Vbi inimicitia non est, pax est. Quid autem maius homini contingere potest in terra quam pax? Pulcherrima res pax est. Qui veram pacem habet, non turbatur siue bellum exurgat, siue fames ingraueſcat, siue pestis grassari incipiat, siue aliorum aliquid, quæ terrori esse possunt in hoc mundo, occurrat. Imo quam suauiter requiescit, qui sub tecto est tempore impetuosæ tempestatis, tam suauiter requiescit spiritus eius, etiam in medijs his malis. Recte proinde Dauid: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Istud præstatur nobis per beneficium pueri huius. Vnde inter cętera nomina quibus ab Esaia vocatur, vnum est, *princeps pacis*, non quidem illius pacis, quæ est feriandi à bellis, siue illius quæ facta est sub Augusto Cæsare, Princeps, hoc est, author appellatur puer hoc loco, sed illius pacis de qua diximus, quæ sita est in consolatione conscientiarũ, qua humanum genus reconciliatum est Deo, cuius frequens adeo mentio est in scripturis præsertim noui testamenti. Neque vero solum diuidit peccatum inter nos & Deum, sed & redigit hominem in seruitutem, quẽadmodum scriptum est Ioannis. 6. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quid autem miserius quam seruum esse peccati? Siquidem stipendia peccati mors, & quidem mors æterna. *pluet* (inquit Dauid Psal. 10.) *super peccatores laqueos ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Percipite sententiam. Calix in scriptura interdum lætæ rei nomen est. *Vt Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Interdum tristis, vt hoc loco ignis, sulphur, spiritus, procellarum pars calicis eorum, hoc est, portio eorum & hæreditas erit ignis, sulphur & spiritus procellarum, id est, Gehenna, quam spiritus Domini velut torrens sulphuris, & procellosus ac impetuosus ventus succendit, succendit dico, vt semper ardeat, vt sulphurei ignis globos vsque euomat, vt flammis suis corpora damnatorum perpetuo allambat. A peccatis ergo quibus tantum malum præparatum est, liberatum esse, nonne magnum beneficium est? Magnum prorsus. Vnde scriptum est Esaiæ. 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia.*

Psal. 31. a.

Psal. 15. b.

Apostrophe est ad Emanuelem siue puerum natum. Populus tuus o Emanuel vehementissime lætabitur, magnificè gratulabitur vices suas, totus exultabit. Et quid ni exulteť quid ni gratuletur vices suas? quid ni lætetur? *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian*, id est, absque vllo exercitu, & absque effusione sanguinis in abscondita manu, sicut quondam sub Gedeone populo Israelitico victoriam de Madianitis præbuisti. Metaphoris autem illis, iugum oneris, virgam humeri, sceptrum exactoris, quæ ab ijs sumptæ sunt, qui iniqua tyrannide premunt subiectos, exprimit propheta virtutem siue energiam, vim, & stimulos peccati, quod regnauit in mundo ante puerum hunc natum, siue quod eodem recidit, tyrannidem diaboli qui in toto orbe exultabat, & per peccatum captiuos tenebat vniuersos. Hoc iugum quia puer iste ab humeris populi sui detraxit, & prædam diabolo eripuit, vocatum est nomen ipsius, Accelera, spolia detrahe, festina prædari. Iam præter liberationem à peccato, quæ vt diximus res maxima est nomen (Saluator) aliud adhuc complectitur, priori beneficio multo tum admirabilius, tum magnificentius, hoc licet apud Matthæum, vbi vocabuli ratio traditur, non exprimatur, ex alijs tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacræ saripturæ locis, haud obscure agnoscere est. Beatus Euangelista Ioannes in principio sui Euangelij de puero hoc, atque ijs qui venientem in propria receperunt loquens, sic ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Per Christum ergo in filios Dei euehimur. Euehimur dico in filios Dei, non solum vt tales vulgo vocemur, quemadmodum is qui in filium adoptatur, filius appellatur eius, qui eum adoptauit: sed etiam vt tales vere simus, filij scilicet Dei. Quantum bonum Si magnum est, atque tanti æstimatur esse filium ducis, regis aut Imperatoris, quam obsecro res magna est, esse filium Dei, esse consortem diuinæ naturæ, esse hæredem vitæ æternæ: hæc enim mutuo se inferunt. Recte proinde Dauid cum iudicium vulgi proposuisset prædicans feliciter illos atque beatos, quorum filiæ sicut nouellæ plantationes, filiæ compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi, promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud &c. illo repudiato suum proferens dicit. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, id est, quem Deus adoptauit per Christum, quem elegit sibi in hæreditatẽ, ad quẽ pertinet beneficium Emanu. hic vere beatus est iste populus.

Ioan. 1. b

Psalm. 143. c.

Quid autem sit iste populus iam inquiramus. Id enim secundo luco facturos nos, promisimus. Atque imprimis non ad Iudæis solum pertinere beneficium, hoc tam memorabile, licet peculiariter illis promissus fuerit Emanuelis, satis clarũ eius rei testimonium habemus in Euangelio apud Lucam capite. 2. vbi angelus ad pastores ait: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.*

Quod dicit (omni populo) omnes reliquas à Iudæis nationes significat. Quod in psalmo illo: *Deus iudicium tuum regi da*, quem de puero nascituro scripsit, manifestius expressit Dauid: *Dominabitur*, inquiens, *à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram linguent. Reges Tharsis*, id est, *maris, & insulæ offerent munera. Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei.* Ergo secundum Euangelium & vaticinium Dauid, ad nos quoque pertinet hoc beneficium. Sed ad omnes ne & singulos? Non. Sicut enim de puero hæc dicit Simeon: *Ecce positus est hic in ruinã, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Ita non minus vere de eodem ego dixerim. Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in gẽtibus, & in signum cui contradicetur. Clamat stabulum pueri, pœnitentiam agite, hoc prædicat eius præsepium, hoc membra infantilia loquuntur, hoc lachrymæ eius & vagitus euangelizant, & contradicitur ei, offenduntur quam plurimi, durus est inquiunt hic sermo, & abeunt retrorsum. Ad hos ne dicetis pertinere beneficium pueri? Non puto, nisi & hoc dicatis, quod vtique fieri non potest, eisdem & in ruinam & in resurrectionem positum. Ad quos ergo dicemus pertinere? Certe ad homines qui sunt bonæ voluntatis, siue Iudæi illi fuerint, siue gentiles. Non enim est distinctio. Docuit hoc nos multitudo militiæ cœlestis, qũæ nato puero cecinit: *Gloria in altissimis Deo, & in terrà pax hominibus bonæ voluntatis.* Aperte vniuersum terrarum orbem, & non Iudæam tantum significauit, dum absolute nullo adiecto ait (Et in terra) omnesque omnino homines & non Iudæos tantum, dum simpliciter extulit (hominibus) vno tantum hoc appositio bonæ (voluntatis.) At qui sunt homines bonæ vnluntatis? Nec hoc ignorare nos sinit Euangelium. *In mundo erat* ait Ioan. capi. 1. *& mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Bonæ ergo voluntatis intelliguntur, qui Christum in propria venientem recipiunt. Et qui sunt qui recipiunt venientem in propria? Explicat hoc quoque idem Euangelista, dum adijcit. *Qui credunt in nomine eius.* Credere in Christum, est venientem in propria recipere, secundum Ioannem. Ergóne omnes qui credunt Christum natum in Bethlehem, pannis inuolutum, positum in præsepio, circuncisum, &c. quæ de eo narrat Euangelica historia, participes erunt tanti huius beneficij? Nonne multi istorum diuitias, honores, voluptates, quorum contemptum puer iste exigit & docuit, studiose sectantur? Sectantur & proinde non credunt, quemadmodum dicit scriptura, imo nec possunt. Quomodo ait (Saluator in Euangelio Ioannis ad Iudæos) *Vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Et quid est credere quemadmodum dicit scriptura: Illud (quemadmodum dicit scriptura) non à nobis primo inuentum, & ipsi credere adiectum est, sed à Saluatore ante vsurpatum. *Si quis sitit veniat*, inquit Ioannis, 7. *ad me & bibat. Qui credit in me*, quemadmodum dicit scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ex quo loco patet, quod credere dum adiunctas habet promissiones huiusmodi, intelligi debeat non vulgare credere, sed credere quem admodũ dicit scriptura, Scriptura autẽ quã respicit Saluator dũ ait: *Qui credit in me*, quẽ admodũ dicit scriptura, est in. 2. Paralipo. cap. 16. vbi sic scribitur: *Oculi Domini contẽplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.* Credere ergo quemadmodum dicit scriptura, est credere corde perfecto. Perfecto autem corde credunt, qui omnes animæ vires, omnesque neruos in hoc intendunt, vt quod norunt placitum esse Deo, agant perficiantque.

Psalm. 71. a.

Luce. 2. b

Rom. 4. d.

Ioan. 5. b

Ioan. 7. b

Inter cætera autem quæ probat Deus & requirit, est circuncisio, non quidem quæ in carne est, sed circuncisio spiritus, vt in Epistola ad Rom. docet Apost. *Sicut enim mortuus est Christus propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Ita propter circuncisionem nostrã circuncisus est. Et quemadmodum nisi commoriamur illi, & cum eo resurgamus, haud prodest nobis aut mors eius, aut resurrectio. Ita quoq; neque ipsius circuncisio & sanguis in circuncisione effusus quicquam nobis prodest, nisi & ipsi circuncidamur, circuncidamur inquam non vno membro sed toto corpore. Licet enim magis in ea parte in qua mandata est Iudæis circuncisio, regnet concupiscentia quæ amputari debet, tamen per vniuersa corporis membra respersa est, viget in oculis, viget in auribus, viget in lingua, in mente viget & carne, & quia totum hominem occupauit, ideo & totus circuncidi debet. Agnoscite quod dico, Ingredior per plateas, vt fit, occurrunt puellæ, occurrunt fœminæ, occurrunt iuuenes, non minus quam illæ compti, data opera in hos conijcio oculos, studiose contemplor, nec semel vidisse sat est, iuuat vsque videre. Obsecro vos, nonne concupiscentię tabe infecti sunt oculi mei, qui sic per res varias fornicantur? Et quam multos videre est adolescentes tales Louanij, qualem propter vos hic me describi. Circundite oculos vestros, alioquin Christus nihil vobis proderit. Amputate malum hoc Leuiathan, intendite in eum qui ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Miro ornatu non hoc modo dixit. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne adspicerem quidem virginem, quod tamen oratio ipsa & sententia exigere videbatur, sed ait: *Ne cogitarem quidem de virgine*, vt videlicet fontem significet, vnde in nobis oriantur lubricæ huiusmodi & fœdæ cogitationes. Et audite quid addat: *Quam enim partem*, ait, *haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?* hoc est, quid mihi prodesset Christus si incircuncisis oculis passim aspicerem virgines, cum ille subducat se à mente, in qua sedem habent cogitationes lubricæ, quæ ex aspectu huiusmodi nascuntur & igenerantur? Iam videte an ne inordinatæ ac immoderatæ voluptatis illecebræ, aures quoq; occupauerint. *Cythara* (ait Esa. ca. 5.) *& tympanũ et lyra, & tibia, & vinũ in cõuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.* Duo sunt opera Dei, in quibus tota scriptura occupatur & cõsumitur. Alterum est opus conditionis. Alterum redemptionis, atque de hoc loquitur Prophe ta, Istud dicere vult: Si in conuiuio quispiã proponat opus redemptionis, si dicere incipiat, quid fecerit Christus, quid adhibuerit ad liberationem humani generis, quare nasci voluerit in stabulo, pannis inuolui, in præsepio poni, circuncidi, &c. auertitis aures vestras, molestum est audire. At vero si fistula quis ludat, & in vasis musices lasciua decãtet carmina, vnde animi fortitudo mollescit, attente auscultatis: *Incircuncisi auribus nonne aperte Spiritui sancto resistitis?* quod Iudæis exprobauit Stephanus? nonne secundum Paulum spiritum extinguitis? Ad vos ne pertinere credendũ est Euangeliũ illud, quod pastoribus annũtiauit Angelus? Non ne diuinum (væ) vos magis respicit, qui in hijs habetis consolationem vestrã? Ad linguam iam veniamus, quę paruũ membrum est: sed non parua opus habet circuncisione. Etenim secundum Iacobi descriptionẽ, *lingua mundus est iniquitatis*, siue (vt nostra habet trãslatio) *vniuersitas iniquitatis.* Quid enim? nonne lingua mulieribus persuadet & virginibus, vt sui accessum patiantur? Nõne lingua petulanter effundit, per quæ optimæ indolis iuuenes quam plurimi miserè corrumpuntur? Nonne hæc blandiloquentia & adulatione delicatas fœminas, & passim diuites quosq; à vita excludit? dũ non pœnitentia, sed rebus friuolis quibusdam promittit illis regnum cœlorũ? Nonne hæc probabilitate dictionis hæreses defendit, & vitia? Vtinam omnium qui ad hæc linguis suis abutuntur, easque circuncidere negligunt aut nolunt linguæ penitus abscindantur. Nec hac solum parte qua verba & voces formant, opus habet lingua circũcisione: sed ea quoque qua sapores discernit. Et nescio vtra ex parte magis corrupta sit, & concupiscentiæ veneno infecta, Noui & genera & nomina piscium, in quo littore concha lecta sit calleo, saporibus auium discerno prouincias, & ciborum me caritas ac nouissimè dãna ipsa, hoc est, quæ pluris emuntur, delectant: Lingua lingua quantis adhuc flammis excoquetur, si tamen vnquam excoqui poterit hæc libido, voluptas ista, malũ hoc Leuiathan. Nonne ego lego & audio in Euangelio vlulantem & clamantẽ vnũ: Pater *Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui aquam, vt refri-*

Iacob. 3. b

Luce. 16. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

geret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Quare cruciaris lingua? Si ignoras, doceat te patriarcha quem compellas. *Quia scilicet recepisti bona in vita tua.* Et quid est recepisti bona in vita tua, explicat hoc Lucas in historia tua? *Epulata es quotidie,* δαψιλως, ea enim voce vtitur, hoc est, sumptuose, opipare, large. Diximus de tribus membris corporis, oculis, auribus, lingua, & non tam diximus quam attigimus solum. Iam si cætera velimus percurrere, haud facile exitum inueniret oratio. Quanta enim mollities in tactu, quanta in odoratu peruersitas quantus fastus in incessu, quantus luxus in vestibus, quanta vanitas in omnibus, quales hodie calcei, quales caligæ, quales subuculæ, qualia indusia, qualia denique pallia. Quis satis reprehendere, quis satis arguere, quis deplorare satis queat mores præsentes? Et quia eo ventum est, vt non æstimentur hæc peccata (quis enim de huiusmodi confitetur & pœnitentiam agit? idcirco audite

Esa.3.d. prophetiam Esai. cap. 3. hac in re sane quam illustrem ac præclaram. *Pro eo, ait, quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & maures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & theristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine, caluitium, & pro fascia pectorali, cilitium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mœrebunt atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.* Si in veteri populo, etiam in fœminis, in quo sexu vtcunque tolerari potest, tantum displicuit Deo luxus vestimentorum, & pompa seculi, vt partim propter huiusmodi populum sic dilectum adeo grauiter puniret. Quam vehementer necesse est displiceat in Christianis, maximè in viris in iuuenibus, in adolescentibus. Nobis prædicata est Bethlehem, stabulum, præsepe, ac panni Saluatoris. Illi huiusmodi nihil audierunt. Nobis in signum ad quod oculos conijciamus positus est puer Emanuel, illorum temporibus nondum natus erat. Nos

Matt.11.d. conuersationem eius legimus in Euangelijs, audimus dicentem: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, & quasi nihil horum esset, incedimus vijs nostris. Quid fiet de nobis? Quid faciemus in hora mortis? omnes enim morimur, res certa est. Præses magni Concilij, (cuius memoria in benedictione sit) Dominus Seoer, mortuus est his diebus eum insequutus est illusteris Dominus ac Imperatori charus, Dominus de Bueren: insequemur & nos cras vel perendie, hoc est post breue admodum tempus, nudi præsentabimur ante iudicem, proferetur series cautionis quam in baptismo præstitimus, qua abrenunciauimus sathanæ, & omnibus operibus eius, fastui, luxui, vanitati seculi, pompis, & breuiter omnibus vitijs. Quid ibi dicemus tum? Obsecro circuncidamur antequam præcidamur, quia si incircuncisi inueniamur, in ignem proijciemur, vbi cruciabimur nocte & die, in secula seculorum, quod auertat Saluator Christus Dominus natus in Bethlehem, & circuncisus hodie, cui honor & gloria, Amen.

DE CIRCVNCISIONE, Homilia secunda.

CIrcuncisionem quemadmodum docet liber Geneseos, primus suscepit Abraham, & semini ipsius tanto pondere mandata est, vt quisquis in illa gente huius signi careret differentia à titulo filiorum Israel abraderetur proscriptus. Iussa est autem in ea parte corporis aptari, in qua est voluptatis seminarium, & libidinis officina, nimirum vt semper memores propriæ sectionis, ad cohibendos refrenandosque turpitudinum motus, vigilarent. Hanc truncationem puer natus in Bethlehem in tenera sua carne excepit hodie, & nomen ei inditum est Iesus, de cuius nominis ratione primum dicemus, deinde quare circoncidi voluit, exponemus.

Non casu aut fortuito, neque voluntate humana, sed diuina nomen Iesus puero aptatum esse docet Euangelium dum ait: *Ab Luc.2.d. angelo priusquam in vtero infans conciperetur,* illud traditum fuisse. Sed & ipse de quo sermo est, apud Prophetam ita de se loquitur *Audite insulæ, &c.* Est initium capitis 49. apud Esaiam? Vos quicunque Insularum nomine censemini iuxta idioma scripturæ, audite. Et exponens quas vocet insulas, *Populi*, ait, *de longe*, id est, vos gentes, quæ in extremis mundi finibus habitatis, de quibus Iudæi vix aliquid per famam audierunt, attendite. Quod autem vos scire volo istud est: *Dominus ab vtero vocauit me de ventre matris meæ, recordatus est nominis mei*, hoc est, in didit mihi nomen Iesus. *Et posuit os meũ quasi gladium acutum.* Pergimus in Prophetia, vt ad rationem nominis perueniamus. *Posuit os meum quasi gladium acutum*, Significatur vis & energia concionum Christi quæ quãta fuerit apud eos, qui præordinati erant ad vitam, patet ex Euangelijs. Et quam adhuc habeant vim reliquiæ verborum eius in scripturis nobis relictæ, experiuntur quotidie qui eas pio animo & religioso accedunt. Hic parentes, ille fratres, alius sorores deserit, quia in literis illis legit. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Imo (quod mirabilius multo) ipse homo se deserit, sibique bellum indicit per molestam militiam carnem edomans, quia legit ibi: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Hoc delicatas virgines, hoc nobiles adolescentes, hoc plurimos quibus & per facultates liceret, & per ætatem luberet mundi delitijs frui, facere conspicimus. Contemnunt voluptatem, amplectuntur crucem, subigunt carnem, sequuntur Christum, tantum in animis eorum valet verbum hoc: *Si quis vult venire post me, &c.* Recte proinde ait: *Posuit os meum quasi gladium acutum, In vmbra manus suæ protexit me. Et posuit me sicut sagittam electam*, tersam siue mundam, vt non solum qui me coram audirent, verumetiam eos qui procul essent, ferire possem. *In pharetra abscondit me. Et dixit mihi, Seruus meus es tu Israel.* In nomine Israel tropus est. Tu Christe siue tu Emanuel, quem Israelem voco, quod tui ille imaginem & typum habeat, siue quod vitæ rectitudine illum ipse referas (quemadmodũ dicimus inexplicitos Platones, pijs qui similẽ cũ ea quæ in scriptis Platonis est, difficultatẽ habẽt) Seruus meus es iuxta dispensationẽ naturæ assumptæ. *In te gloriabor.* Patrẽ hæc dicentẽ excipit filius. Gloriaberis in me Pater, interim meo iudicio labores mei infructuosi sunt, pauci attẽdũt doctrinæ meę, i.quod dicit: *in vacuũ laboraui sine causa & vane fortitudinẽ meã cõsumpsi. Sine causa*, insolens est, pro eo quod dicimus frustra. *Ergo iudiciũ meũ corã Domino.* Quia nihil prætermisi quod facere poterat ad reuocationẽ populi huius, populi inquã Iudaici, imo quia tantũ laboris cõsumpsi, vt ipse me & vires meas exhauserim semel. Idcirco totã causam hãc tibi patri meo cõmitto, ipse iudices, penes quos sit culpa. *Et opus meũ cũ Deo meo.* Opus siue (vt septuaginta trãstulerunt) πονος appellat quidquid impẽdit illo populo reuocando, sudores, æstus, satigationẽ, sitim, famẽ, cruciat⁹, &c. Paucissimi etiã hodie istud apud animũ suum bene expensum habent, quot videlicet, quales, ac quãtos labores ipse sumpserit in cõcionib⁹ suis, in precib⁹ suis sanctis, in vigilijs suis, in ieiunijs, in passione. Quo ardore, qua flãma, & animi vehemẽtia adierit mortẽ: Quo modo nõ quieuerit quousq; totũ sanguinem suũ fudisset. Hæc sunt paucis bene cognita, quia non tantum est ipsis ocij vt pendãt, vt hæc cum animo suo cogitent. Quod si facerent, mirũ si non vehementer inflãmarẽtur, si non vehementer traherentur ad redamandũ qui tantum prior amauit. *Et nũc hæc dixit Dominus.* Quia ego commisi totũ iudiciũ Patri, nunc itaq; hęc dicit Domin⁹, *formãs me ex vtero seruũ sibi, vt reducã Iacob ad Deũ, Et Israel non cõgregabitur.* Non possum hic dissimulare quin exponã quod habent Hebræi. Annotãt ipsi quindecim loca in sacris biblijs, in quibus vocula לא quæ alioqui semper significat non, ponatur vice, pnominis לו ei, ex quibus hunc vnũ esse volunt, vt sensus sit. Et Israel ei congregabitur. Faciunt nec intelligendo, vt nihil intelligant. Esa. habet לא per aleph, quemadmodũ ipsi quoq; agnoscitis, quo & scribendũ dicitis, quare igitur legi vultis per Vau? Quid mouet vos? Quid vos vrget? Nonne alio vocat consequẽtia? Nonne hoc est. Vanè consumpsi fortitudinẽ meam, Israel non congregabitur? Est quidem lingua Hebræa insignis, sed infœlices habet tractatores, non instructos egregijs disciplinis, non imbutos fide, non afflatos spiritu, sine quo frustra in diuinarum scripturarũ interpretatione sudatur. Hoc dixerim propter eos qui ad somni & opiniones Rabbinorum, velut ad oracula obstupescunt.

Si qui sint Iudæi quos non corrupit regula illa de quindecim locis, & vident: hæc ad Messiam pertinere, est quod maxime terreantur. Pergit Christus: *Et glorificatus sum in oculis Domini*, Cum ita male succederet prædicatio, cum pauci Iudæorum attenderent concionibus meis, & conuerterentur, glorificatus sum in oculis Domini, ille addit mihi animos, hoc est, quod ait: *Et Deus meus factus est fortitudo mea.* Addidit inquam mihi animos his verbis. *Parum est vt sis mihi seruus, &c.* Quamuis videas Iudæos manere obstinatos, non est quod anxieris. Eruut alij qui susçipient prædicationem Euangelij. *Parum est vt sis mihi seruus ad suscipiendas tribus Iacob & feces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentiũ, &c.* id est, non in hoc volui te nasci, vt solis Iudæis prodesses, sed volui te nasci toti orbi, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Hic est ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

nominis. Quia in hoc missus est, vt per ipsũ orbis salutem adipiscatur, idcirco aptatum est ei, & inditum nomen IESVS. Iesus enim hoc sonat Hebræis quod Latinis Saluator, Quo nomine quam fuerit delibutus affectus Pauli, declarant ipsius literæ, in quibus nusquam non obuium est. Et sane qui didicit, quique tenet, quid nomen complectatur, non potest non vehementer eo delectari. Valde afficimur iam, hic lectione Liuij, ille Ciceronis, quod hic sublimis vbiq; incedat, ille lacteo eloquentiæ fonte manet: Verum nunquam sic animos nostros raperent, mentesque tenerent, si bene cognitus esset nobis Iesus, Quod si non aliud, hoc saltem in illorũ libris nos remoraretur, quod non legeremus ibi nomen hoc, nomen verè suaue. Quid enim suauius miseris esse potest salute? Quid gratius prædicari perditis salute? Quid desperatis annuntiari iucundius salute? Hic autem est Iesus ipse iuxta nomen suum Saluator, atq; Saluator non vnius gentis vel Iudaicæ vel Syriacæ, sed omnium omnino, quod non solum ex hoc loco Esaiæ, qui hac in re illustris est, sed & ex Euangelio agnoscere licet, Ecce ait Angelus ad pastores: *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Quod ait (*vobis*) gentem Iudaicam. Quod addit (*omni populo*) cæteras à Iudæis nationes significat. Et quemadmodũ omnium nationum, ita & omnium temporum Saluatorem.

Luce. 2. b.

Altissime repetite scripturas, & comperietis verum esse quod asserimus, hoc est, videbitis fidem quam prædicant scripturæ, apprehendere salutem, perpetuo respicere Iesum, vel expresso vel tacito nomine rebus tamen comprehenso. Sic Adam salutem obtinuit in fide seminis, quod contriturum erat caput serpentis. Sic Abraham in fide seminis, quod erat de ipsius lumbis egressurum, Sic filij Iacob in fide illius, qui mittendus erat. Quibus omnibus, hoc est, & semine mulieris, & semine Abrahæ, denique illo qui mittendus erat nomen IESVS est comprehensum. Ad hunc modum reliquã scripturæ partem percurrite, & inuenietis quotquot vnquam salutem consecuti sunt, per hũc consequutos esse. Vnde in Actis Petrus: *Non est*, ait, *aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Hoc nomen nusquam in Ciceroneagnoscitur, nusquam apud Liuium legitur, quantumuis eloquenter dicat, non valent affectum lenire, illius qui salutem quærit. Verum cum salus varias subeat rationes, inquiramus qua ratione dicatur Saluator quo & illustrius fiat nomen Iesus, & suauius illabatur animis omnium. Cap. 5. libri Iudicum Othoniel frater Caleph Saluator dicitur, quod liberarit populum de manu Chusantasatham Regis Syriæ. Eodem capite, idem vocabulum tribuitur Ahod, qui vtraque manu prodextra vtebatur, quod ab oppressione Moabitarum Israelem liberauerit. Longe alia ratione aptatum est puero circunciso. *Vocabis*, ait Angelus, *nomen eius Ie-* Matth. 1.
sum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Rem maximam paucissimis verbis absoluit, peccatum totum humanum genus obstrinxit damnationi, addixit principi tenebrarum, sub ira Dei constituit, mortalitatem inuexit, regni cœlestis ianuam obsignauit. Saluum ergo faciet populum suum, à peccatis eorum, id est, eximet è damnatione, liberabit à tyrannide diaboli, reconciliabit Deo, à miseria omni & mortalitate liberum reddet, assignabit regno, amotis quæ per peccatum obiecta erant obstaculis ac vectibus. Magnus igitur Saluator puer hic, licet pannis inuolutus positus in præsepio, & more cæterorum circuncisus. Magnus inquam Saluator, qui nunquam excidere debet animis nostris. *Sume*, inquit Dominus ad Esaiam, *tibi librũ* Esa. 8.
grandem, & scribe in eo stilo hominis. Quare præcipitur Prophetæ, vt grande volumen accipiat? Quare & iubetur ei, vt in eo scribat stilo hominis? Et quid est quod humano stilo scribere mandatur? In harum rerum inquisitione & maxime inuentione vita æterna est. Quare exponere vobis volo quid de hoc loco sentiam. Hoc sentiebat ille, qui cum in meditatione Psalm. 118. cuius initium est: *Beati immaculati in via, &c.* verfaretur, & ei pro causſæ conscriptione siue vt Iurisperiti iam dicunt consultatione, offerretur auri magna vis, contempto auro philosophari elegit, Malo aiebat hemistichion vnum siue versum Psalmi, quem in manibus habeo, explicari mihi, quam numerari mille hos aureos: tot enim ac plures, si recte memini, offerabantur. Vidistis virũ paucis ab hinc mensibus Louanij. Præsidem dico regni quondam Neapolitani, cuius hoc loco mentionem facio, vt illius exemplo omnes vos ad amorem & studium prouocem diuinarum literarum. Verũ hæc παρεργα sunt. Quare ad Esaiam reuertamur, & quæ ex ipso proposuimus absoluamus.

Actor. 4. c.

Quod scribi mandatur stilo hominis (vt ab eo quod tertio loco in quæstionem vertebatur incipiamus) hoc nimirum est. *Velociter spolia detrahe, festina prædari.* Numerate verba vnum, duo, tria, quatuor, quinque, non plura habetis in Latina versione, quam modo citaui. Et quia fortasis aliqui minus

minus attenderunt cum citarem, repetam, vt iam attendant: *Velociter spolia, detrahe festina prædari*, quot numerasti voces? nonne quinque? Si nec modo aduertistis repetam tertio: verum ne alia de hinc repetitione sit opus, volo vos me narrante ad digitos meos respicere: *Velociter spolia detrahe festina prædari.* En quinque tantum. Pauciores adhuc voces apud Esaiam sunt? habet enim sic לְמַהֵר שָׁלָל חָבַז בְּז (lemaher scalal chabaz) Vbi si aduertistis, quatuor duntaxat extuli vocabula, quæ simul omnia septem syllabis constant, literis vero vndecim, Sed quorsum hæc? non sine causſa à me sunt dicta, propter grandis libri mentionem ea induxi. Quæso vos, quantum spatij occupant dictiones quatuor atque eiusmodi quatuor, in quibus omnibus simul sumptis non nisi septem syllabas: & literas vndecim, inuenire est? Quid igitur grandi hic opus volumine? Philosophabuntur fortasis alij alijs de rebus, mihi hac in re philosophari iubet. Et cuius non animus ad philosophandum excitetur cum audiat, dici Esaiæ: *Sume tibi librum grandem*, & quod scribere iubetur, non aliud sit quam לְמַהֵר שָׁלָל חָבַז בְּז? lemaher schalas chabaz? Quæ hæc res noua? noua inquam. Quis enim vnquam ad quatuor voculas describendas grandi volumine opus putauit? An forte literæ Hebraicæ hoc alijs distant, quod cum cæteræ exiguo circulo omnes describi possunt, hæ solæ magna adeo sibi spatia vendicant: vt ad vndecim earum pinguendas opus sit non solum libro, sed libro grandi? quid dicemus? quid æstimabimus? Meo iudicio, quod si vsquam hic valere puto, schema est, quo significare voluit Spiritus sanctus rem esse maximi momenti. Et licet quatuor verbis comprehenderit, tanta tamen latere mysteria, vt si quis ea explanare velit, nec grandi quantumuis volumine id possit: Neque id duntaxat, sed significare voluit præterea. vt maximi momenti, ita quæ in longum tempus conseruetur, ac memoriæ mandetur, rem esse apprime dignam. Quam ob causſam & scribi voluit stilo, cui assueuerũt homines, ne obscuris verbis inuoluta fugiat, aut lectoris animum remoretur. Siquidem hoc est, scribe in eo stilo hominis, quod apud Abacuc, scribe & explana super tabulas, vt percurrat, qui legerit. Sed inquit scio quid sit spolium, quid detrahere quid prædari, quid item velociter & cito, interim dum audio. *Sume tibi librum & scribe, velociter spolia detrahe, cito prædari*, quid dicatur nescio, ignoro quid sibi velint, non video quo pertineat sententia.

Nec ipse modo, verum mecum iuxta ignorant, & quippe doctissimi. Qui ergo aut quo pacto stilo hominis scripsit, si stilus hominis, hoc est, quod stilus planus atque adeo planus, vt possit lector currere, atque ita currere vt nullo impedimento velocitas eius, & legendi cupido teneatur. Dico hominis stilo Prophetam scripsisse, sed ijs quorum lingua saliua scripturę imbuta est, quique aliunde didicerunt quid sit Euangelium. Licet enim nomen Euangelij à tempore Christi ortum videatur, restamen Euangelij semper fuit. In ipso statim libro Geneseos agnoscitur: *Inimicitias*, ait, *ponam inter* Gen 3. d
te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipsa siue vt alij transtulerũt, ipsum (pertinet enim iuxta Hebraicã veritatẽ ad semẽ) conteres caput tuum. Hanc rem significare voluit Esaias hisce verbis velociter spolia detrahe, cito prædari, ac si dicat. Hactenus diabolus exultauit in mũdo, efficax fuit in mẽtibus hominum, iam eijcietur foras. Puer natus velociter spolia detrahet, cito prædabitur, non vltra patietur regnare ipsum. Est lætissimum Euangelium. Curandum nobis est, ne illius vnquam nos capiat obliuio, ne leue ducamus, propterea scribi voluit non in schedulis sed in libro, nec quouis sed grãdi, vt diximus. Sunt nonnulli qui arbitrantur satis se facere si semel in anno beneficiũ hoc ad memoriam reuocent, sed hi nimis Gentiles sunt, imo gentiles nimis sunt, qui non quotidie id faciunt. Illius meminisse oportet cum assidemus libris nostris, illius & meminisse oportet cum soli inambulamꝰ per domum. Sed & vesperi dum cubitũ nos recipimus ac mane cum è strato rursum surgimus, vsque memores esse oportet, vt vsq; gratias agamus, Magna video r dicere, sed nõ ijs qui vere sunt in Christo. Hi non semel, bis terue in die sed sæpius gratias agunt, imo non sufficit dies, etiam partem noctis, huic rei impendunt, tanti eis est puer natus in Bethlehem, tanti eis est infans cui nomẽ, iuxta Latinã editionẽ: *Accelera, spolia, detrahe, festina prædari*, iuxta græcam, ταχέως σκύλευσον ἀφέως προνόμευσον, iuxta Hebræam לְמַהֵר שָׁלָל חָבַז בְּז maher scalal chas baz. Quid enim nõ omnibus linguis celebretur nomẽ, quod adeo magnũ est, vt nec quantũuis grandi volumine capi queat? Quid non omnibus linguis attollatur nomen, quod vt omnibus notum esset, iussum est scribi stilo quo homines scribibere consueuere? Quid non omnium gentium linguis nomen illius prædicẽtur, qui ad saluandas omnium linguarum Gentes venit? *Voca*, inquit Dominus ad Esaiam nomen eius: *Accelera, spolia detrahe, festina prædari.* Quare? Quæ ratio nominis tam inusitati? *Quia*, iuquit, *antequam sciat puer*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocare Patrem suum & Matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ: Auferetur fortitudo Damasci, cuius virtute? Vtique pueri. Nam hoc est ישא אחדל ישם ijssa eth chel dammesek. Magnus igitur prædator puer hic. Quis hunc non vsque mente circumferat? Quis illius queat obliuisci vnquam? Quis non perpetuum gratias agat.

Vt semel agnoscatis à qualibus nos hostibus eripuerit, quam sæuis, quam immanibus, attendite quid post pressas diaboli vires & superatas, adiecerit Propheta in pulcherrimo hoc tractatu, quem de Emanuele conscripsit, οτιπασαν στολην επινενυγμενην δολω, και ιματιον μετα καταλλαγης αποτισουσιν και βεβλησουσινει εγκαθησαν πιρικαυσται. Citaui editionem .70. quod illa hac in re illustrior sit, & quia non omnes græce periti sunt, adijciam interpretationẽ hanc. Quia omnem stolam congregatam dolo, & vestimentum commutationis restituent, & cupient igne esse combusti. Quorum verborum sensus iste est, quod omnes animas quas Dei auxilio nudauerat, cum ornamentis pristinis redditurus sit diabolus, non solum ipse, sed & satellites eius dæmones, quibus si optio detur magis eligant perire flammis, quam prædam perdere. En quales hostes: Ex horum manu dira, & sæua tyrannide eripuit nos puer iste, hinc vocatum est nomen eius: *Accelera, spolia detrahe, festina prædari*, hinc dictus est IESVS. Quis non amet? quis non exosculetur nomen hoc? quem non iuuat vsque & vsque cogitare de hoc nomine? *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Verba sunt Prophetæ, sed quibus expresit affectum & studiũ hominis vere Christiani. Quo ergo pacto non ethnici censendi sunt, qui hoc tantum tempore anni beneficium pueri ad memoriam reuocant, beneficium tam grande, tã admirabile, tam diuinum? imo quo non pacto ethnici æstimandi sunt, qui semel duntaxat in hebdomada id agunt? Si contigisset ea cognitio Turcis, quæ nobis contigit: si ita innotuisset eis nomen Saluatoris atq; nobis, non dubium quin alios se præstarent quam nos facimus, non sinerent vel vnum diem præterire absq; gratiarum actione. In gratiarum actione consistit religio Christiana. Quare qui non frequenter in hac se exercent, Christiani non sunt: Verso atque uerso eadem, vt quod cupio persuadeam vobis. Atque vt semel ad gratiarum actionem vos excitem, considerate quibus meritis contigerit hic nobis Saluator. In negotio iustificationis, & hoc quod est, habere Saluatorem, quantum ad meritum attinet videri possit par ratio, sed longe alia est, atque diuersa. Siquidẽ in negotio iustificationis, licet absque meritis nostris ea contingat, agnoscere tamen oportet merita Christi. In hoc vero quod est habere Saluatorem, non nostra solum, sed & Christi merita excluduntnr, Nihil præterea ευδοκιαν Patris agnoscere hic oportet, quia Patri sic visum fuit quia ea fuit bona voluntas sua, quia vltro placuit misereri homini, idcirco dedit Saluatorem. Hoc significat Esaias, dum prophetiam Ema. ca. 7. ex eo loco vbi dicitur ad Achas: Pete tibi signum, &c. inceptam tandem capite. 9. hoc versu concludit. Zelus Domini exercituum faciet hoc, cuius sensus est iste, Vehemens ille amor Dei erga humanum genus, non patiens consortem, non sustinens vt quispiam vel mundus, vel diabolus æquas ferat partes secum, mittet Saluatorem, qui est Christus Domiuus. Est pulcherrimus versiculus, quo tractatum Emanuelis absoluere voluit Propheta, vt lector hunc postremo loco legens, atque audiens nullis meritis prouocatum, sed sola mera vltronea bonitate motum, misisse Deum orbi Saluatorem ac talem Saluatorem, prorumpat in gratiarum actionem, & nunquam obliuiscatur tanti beneficij, tam diuini, tam memorabilis. Quare & nos hoc versu finem imponamus ei, quod primo loco tractandum sumpsimus, atque alterum de quo secundo loco dicturos nos polliciti sumus, in manus accipiamus: Si puer hic iuxta nomen quod hodie aptatum ipsi est ac inditum ab hominibus, atque ab angelo priusquam in vtero conciperetur, vocatum. Saluator est quare circunciditur? Quid circuncisio nisi cauterium aduersus peccatum? Idcirco enim in ea corporis parte in qua est libidinis officina iussa est, vt præfati sumus, celebrari, quo semper propriæ memores sectionis, ad refrenãdos cohibendosq; turpitudinum motus vigilarent. Si ergo concupiscentia, vnde turpitudinum motus ebulliunt, in huius membris inuenitur, quomodo Saluator? Si non inuenitur, quare cauterium infigitur? Respondebit alius, circuncidi voluisse, vt pateretur quam tulerat legem. Alius, ne à Iudæis reijceretur, si huius signi cararet differentia, Alius, vt veritatẽ naturæ assumptæ declararet. Alius, vt ad humilitatẽ nos erudiret: Mihi placet quod habet Apostolus ad Gala. 4. *Factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Hæc ratio nomen Saluatoris adstruit, docetque ob hoc circuncisum, ob quod & natus. Natus est vt nobis prodesset, ob eandem causam, & circuncisus est, vt nimirũ ab onere circuncisionis & legis maledictione populum suum liberaret, nec ob id solum: neque enim ibi sententiam finiuit Apostolus, sed addidit, *vt adoptionem filiorum reciperemus*: Nostri ergo causa circuncisus est, non quod circuncisione ipse egeret, sanguis eius in circuncisione effusus, opus redẽptionis nostræ initiauit. Et qui iam primitias postea totũ sanguinem fusurus in expiationem peccatorũ nostrorum, vt copiosa sit redemptio: imo iã olim fudit. Quis non amet hunc paruulũ? Quis non amplectatur infantẽ hunc? Quis non semel totum impendat se huic, qui se prior totum pro nobis impendit? Pro nobis inquam. Considerate quis ipse, quiq; nos, ipse απαυγασμα, id est, refulgentia siue relucentia, seu vt noster habet interpres, splendor gloriæ, hoc est is in quo gloria Patris, qui lucem inhabitat inaccesibilẽ quẽ nullus hominum vidit, sed nec videre potest, resplender. Ipse figura siue vt Paulus habet χαρακτηρ substantiæ illius. Sic expressus est ad naturam Patris, vt totam ilam in se sit complexus, per omnia similis Patri, per omnia Patri æqualis, ipse per quem secula condita sunt, per quem reguntur administranturq; omnia. Administrantur dico non studio, curaq; & labore fatigationi iuncto, quomodo homines agunt, mouent, moderanturue, sed verbo, id est, nutu suæ potẽtiæ. Atq; hic qui tantus est, ꝓ nobis sese impendit, ꝓ nobis circuncisus est, ꝓ nobis sanguinẽ fudit. Pro nobis inquam, qui figmentum luti sumus, qui cinis & puluis, qui massa sumus putredinis. Atq; vt omittamus quæ conditionis sunt, ꝓ nobis qui hostes eramus, Quid enim? nonne hostile pectus gerebam? Imo nonne quæ hostium sunt, exercebamus attendentes carni incedentes iuxta voluntatem principis, cui potestas est in aëre, qui est Diabolus, Dei coniuratissimus hostis? Tales cum essemus, pro nobis se impendit, pro nobis sanguinem suum fudit, etiamdum infans, pro nobis inquam liberandis. Cogitemus hæc, cogitemus hæc inquam, vt accendamur ad redamandum. Cum Deus esset, poterat alio modo nos liberare, sed vt semel declararet quanti nos faceret, quãtumque diligeret, voluit hoc modo liberare, ac saluum facere, voluit hac ratione vti, vt efficacius sanaret miseriam nostram. Quid enim tam facit ad erigendam spem, mentesque mortalium ab immortalitati de liberandas, atque ex emplum hoc humanitatis & benignitatis Dei exhibitum? Sed & ad inflammanda frigida hominum corda, & tumida pectora sananda, quid æque valet atq; hoc, quod Dei Filius in se manens quod erat, & assũmens quod nõ erat, nostrũ dignatus inire cõsortiũ, in tenera carne sua signũ circuncisionis aptare voluit? Obsecro moueat animos vestros oratio. Considerate quã pudenda res circuncisio, imo quam insanis molesta ac tristis. Quid circuncisio nisi pelliculæ quæ glandẽ tegit amotio? si capitis, quod dico, cogitate quam graue fuerit infanti, cui plena inerat ratio, à mortali homine ea corporis parte contrectari, quæ nec videri vult. Licet enim in sanctis illis membris pueri nihil pudendi inesset, non tamen absque pudore maximo videre potuit membrum id detegi & circuncidentis manu attrectari, quod in cæteris pudori patet, ob libidinem quæ ibi sedẽ habet, quæque ibi velut in officina sua turpitudinũ motus fingit, & efformat. Patitur tamen & manum circuncidentis qua opus non habet, admittit vt tibi prosit. Quid infanti huic rependes? quas vices? quã gratitudinem? Satisne putabis si semel in anno beneficiũ hoc ad memoriã reuoces? huicq; gratias agas puero? Hoccine putabis satis? dico ego si millies per diem, & toties per noctẽ genua flecteres, & ex consideratione beneficij & admiratione in gratiarum actionẽ prumperes, ne sic quidem dignum quidpiam præstares. Quid namq; dignũ tanto possit rependi amori? Qui Deus est, hominis causa indigna subit. More cæterorũ circunciditur, qui nihil cũ cęteris, ob quod circũcidatur cõmune habet. Infigitur carni cauteriũ, & ob quod infigi solet, nullũ in carne vestigium inuenitur. Admouetur culter saxeus, & quæ radatur, rubigo nulla conspicitur. Quid agitis circuncidentes puerum? Imo cur non potius te compello puer amabilis? Quare circuncisionem pateris? Quod commisisti, aut si nullum commisisti, quod contraxisti peccatum? At si nec contraxisti, cur innocua caro tua scinditur? cur caro quæ à peccato libera est, peccati nota inuritur; *Vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circunligata, nec curata medicamine, neq; fouis oleo.* Computruit corpus, nec remedium relinquitur nisi coctum igne ferrum, ipsi infigatur capiti? Quare ne tabifico malo intereat corpus, patior quæ vides. Sed quid te o nimis dilecte puer huc adegit? quæ merita populi? quæ huius beneficia? Quid gratiolim præstitit? Nihil prorsus. Amor, quo vltro prosequi lubet facit, vt subeam, hæc tam indigna. Quis non amet puerum hũc? quis huius obliuisci vnquam possit? Filius Dei hominis causa circunciditur. Considerate quam dira ac molesta res circuncisio. Hic iuuabit vos liber Geneseõs, vbi de Simeon & Leui filijs Iacob narratur, quod ingressi vrbem Sichen, cuius incolæ circuncidi se curarant, acceptis gladijs, cunctos duo ipsi trucidarint, quod sane nunquã potuissent, nisi dolore maximo, & quæ

Esa. 26. b

Esa. 1. b.

semel

Universidad de Deusto
Biblioteca

semel elumbem reddit hominem, coniuncta fuisset circuncisio. Hanc in tenera sua carne puer excipit? Circunciditur, & per manũ circuncidentis purpureus fluit sanguis, non fœdi cruoris maculas relinquens, sed cõtractas sordes eluẽs. Quid reponis. Quas reddis vices? Satisne fuerit, si semel in anno, si semel in mense, si semel in hebdomada, si denique; vel semel in die memor huius fueris infantis.

Eadem repeto iterum & iterum, quia non possum satis arguere ingratitudinem nostram, quæ quam displiceat Deo, vt omnes pariter mecum agnoscatis, attendite ad prophetiam Esaię, quam habet in principio voluminis sui, est enim supra modũ illustris.

Esa. 1. *Audite*, ait, *cœli & auribus percipe terra quoniam Dominus loquutus est. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit. Et populus meus non intellexit.* Resumamus sententiam: *Audite cœli, & auribus percipe terra.* Quis non miretur exordium hoc? Quis non miretur aures tribui ipsi terræ? Quis non miretur ad audiendum prouocari cœlum? Non enim mihi hic placet commentarius ille, qui metonymicẽ hæc interpretatur, pro ijs qui cœlum & terram inhabitant. Nimis humilis sensus ille est. Quare orbes cœlestes, & brutum elementum terræ, absque tropo intelligo. Prouocat autem hæc ad audiendũ, corpora dico inanimata, vt ipsa sermonis orbitantia agnoscatur magnitudo vitij, in cuius detestationem cœlum & terram inuocat. Vitium autem hoc, ingratitudo est, id quod sequens sermo declarat: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Quid est ipsi spreuerunt me? Puto plurimos hic esse, qui hoc nil ad se putent pertinere, sed hi paulisper aures mihi præbeant, vt quæ dicã, cum apud animum suum expenderint, agnoscãt haud recte sentire sese. Si rex quispiam, vel regis filius te morti obnoxium dispendio salutis à morte exemisset: nec hoc contentus, te situ ac pedore cæteris squalidis optimis vnguentis perfundi mandasset: præterea non modo fame, siti & inedio confectũ, adipe frumenti & sanguine vuæ meracissime ad venustatis pristinæ reparationem reficiri: sed vilissimis pannis corpori tuo detractis indui curasset purpura & omnigeno mundo: postremo in locum filij adoptasset, regnique successorem te conscripsisset: Hæc quæ fecisset omnia, quote sibi deinctum haberet, quo à te amaretur, quo lateri suo perpetuo ipse hæreres. Quæso si hoc neglecto alijs te iungeres, cum alijs versareris, cũ alijs colloquia misceres & consilia, huius vero raro aut nunquam mentionem faceres, raro aut nunquam eius memor esses, nonne censereris eũ spernere? Sane ita. Qui igitur aut quo pacto nõ dicend⁹ es spernere Christum, qui totos dies siue apud Platonem, siue apud Aristotelem, siue apud Ciceronem, aut etiam Scotum, aut Thomam versaris, eisque sic incumbis, vt vix semel per diem in mentem tibi veniat Christus? Et si hi spernunt, quid de ijs dicendum qui in commessationibus, potationibus, lasciuijs, tempus transigunt. *Audite cœli & auribus percipe terra, filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Est pathos à minori. Populus meus non hoc præstitit mihi, quod bruta animentia præstant ijs à quibus curantur, imo quod inter bruta animantia, illa quæ mãxime bruta sunt. Quid stolidius boue? Quid stupidius asino? At bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, populus autem meus me non agnouit, pastorem & nutritium. Moueant nos hæc, & pudeat à brutis vinci, conuertamus nos ad meliora studia, doleamus de ingratitudine, cum nouo anno nouam auspicemur vitam, viuamus illi cui vitam nostram debemus, totos nos ei impendamus, qui se totum nobis impendit, hoc est Christo Iesu, infanti hodie circunciso, cui honor & gloria in secula seculorum Amen.

IN FESTO TRIum Regum Homilia.

Historia huius diei habet, Magos ab Oriente ductu stellæ venisse Bethlehem, adorasse puerum natum, eique munera obtulisse. Quod in typum gentilitatis Christi regnum olim agnituræ factum esse, nemo eit vel mediocriter in diuinis literis eruditus, qui addubitet. Quare cum nos imprimis respiciat historia, ad nosque pertineat æquum est, vt quid proponat, quidue cõmendet cæteris diligentius inspiciamus. Historiã cuius iam meminimus describit Matt. cap. 2. Euangelij sui. *Cum*, inquit, *natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellã eius in Oriẽte, & venimus adorare eum.* Statim in ipso narrationss exordio vtitur

Gen. 12. d vtitur Euangelista aduerbio excitandi: Et sane res digna admiratione est. Admiramur Abrahamum, quod exierit de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui, vt sequeretur Dominum, & recte admiramur Verum si quod ille fecit conferre voluerimus cum hoc, quod de viris istis legimus, maius aliquid in his cõspiciemus, ille, vt exiret, mandatum habebat. Isti nullum, sed cum liberum prorsus esset, siue manere, siue exire, egredi si sunt terram suam. Ille licet nomen loci & situm, quo pergebat ignoraret, certus tamen erat, quod eo quo destinatum erat peruenire, isti non itidem. Ille magnis promissis euocatus est: nam post verba illa: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi*, subijcitur: *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eritque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Istis nulla fuit facta pollicitatio. Ille terram deseruit, in qua manere haud tutum erat. Isti cum tuto agerent in terra sua, alienam per aperta pericula adiere nempe terram Iudæam, Tres primæ anirthes statim se offerũt, conferenti historiã Geneseos, cum ea quã Matthæus describit. Verum quarta obscurior est, quare eam declaremus. Et quidem Abrahamum non tuto in terra egisse Chaldea licet natali, docet locus qui est apud Moysen cap. 15. primi li. ad hunc habens modum: *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum.* Quid est de Hur Chaldæorum? de flamma Chaldæorum, Hebræi siquidem flammam siue ignem אור vr appellant atque in hac significatione non apud Rabbinos duntaxat, verumetiam in sacris literis obuium est frequentissime Esaiæ. 31. *Dixit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem.* Et cap. 47. *Non sunt prunæ, quibus calefiant, nec focus siue ignis vt sedeant ad eum.* Rursus cap. 50. *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Omnib⁹ his locis אור vr est apud Esaiam, Hebræum. Quare locum Geneseos, Ego Dominus qui eduxit te אורבשדים vr casdim recte interpretatum me puto de flamma Chaldęorum. Quod ne nouum cuipiam videatur, sciat ad eundem modum interpretari Hebræorum doctores, qui Abraham in ignem aiunt missum, quod ignem quem colunt Chaldæi, adorare noluerit, atq; inde Dei auxilio liberatum, atq; id esse quod iam dicitur: Ego Dominus qui eduxi te אורבשדים vr casdim. Si quis aliud senserit ac dixerit hoc cap. 14. & 11. Genes. non appellatiuum nomen esse VR, sed proprium locis aut si proprium sit, non flammam significare, sed regionem aut vallem: quomodo etiam Rabi. Da: in libro Rad interpretatus est, & ante eum Septuaginta transferentes χωραν χαλδοιων, id est è regione Chaldæorum, cum eo haud contenderim, modo fateatur Abraham à Chaldæis, inter quos natus erat, multa perpessum. Nam id fateri scriptura cogit. Siquidem in libro Iudith habetur, cum de populo Iudaico quæreret Holofernes. Quæ nam gens esset, sic ei respondit Achior dux Ammonitarum, *Populus iste ex progenie Chaldæorum est. Hic primum in Mesopotomia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque cerimonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde & habitarent in Charram, & cætera*, quæ ibi narrat Achior Ammonites. Vnde manifestum est, Abrahamo totam familiam Thare persecutionem passam à Chaldæis pro vera pietate, quia vnus & verus ab eis colebatur Deus. Iudi. 5. a

Iam de Magis dicamus. Hos tuto egisse in patria, imo in precio maximo ipsos ab omnibus ibi habitos fuisse, satis docet Historia antiquitatis. Per aperta pericula terram adijsse Iudæam natum regem inquirentes ignorare non potest. qui Herodẽ nouit. Hic Ascalonita erat, & iubente senatu Romano inuaserat, ac per tyrannidem occuparat regnum Iudaicum. Sed & Hircanum Iudæorum pontificem ac ducem è captiuitate reuersum interemerat, & natum, ac natum natæ, vt collegio sceptri deleto tutus potiretur imperio. In terra erga in qua hic regnabat, imo in ciuitate, in qua sedem habebat regem alium inquirere, quid aliud erat quam in apertum discrimen ire? Sed ais, hoc ignorabant Magi. Nihil moror. Si hoc ignorarint, ignorare haud potuerunt quod norunt omnes. Et quid inquis, id est, Hoc nimirum, quod vbi quispiam regnante alio alium dixerit regem, mille contra se gladios commoueat. Mitem omnes ac mansuetum prædicamus Carolum diuina gratia Imperatorem semper Augustũ. Nemo tamẽ ita de ipsius sentit animi mansuetudine, vt non vehementer commotum iri arbitretur, si quis alium vel Imperatorẽ vel alium harum regionum Regem audeat profiteri: Hi autem non solum aliũ regẽ profitebãtur sed & huius ergo ab extremo se Oriente venisse aiebant. Ipsorum vox est: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Quid facitis Magi? nõ aduertitis maximis periculis rẽ coniunctam esse? non cogitatis certo discrimi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

discrimini studium hoc esse expositum? Regnante alio. Regem aliú profitemini. Quid egitis? nec id solum sed & huius adorandi gratiæ venisse aperta voce loquimini. Ignoratis vbi consistitis? in qua terra, in qua ciuitate? Nouimus aiunt, sed non timemus nec Herodem, nec Cæsarem, sed nec fretum nec ignem, nec quicquam quod terrori esse hominibus solet, formidamus, contemnimus omnia, tanti nobis est qui natus est rex Iudæorum. Hunc inquirimus. Huius ergo tam vasta terrarum spacia emensi sumus. Ipsum coram cernere, ipsum adorare, ipsi cupimus offerre munera. Si rex alius aut tyrannus, itineris nostri cursum voluerit impedire, nihil moramur, voluisse sat erit, viam præcludere poterit, accensi desiderij, flammam extinguere nequaquam. En hos habemus authores Fidei, imitemur ipsos. Sunt qui arbitrantur, quod rem se indignam facerent, si hic se occuparent, si de rege nato loquerentur, sique hunc inquirerent. Vulgi inquiunt, hoc studium est: Quasi vero vulgares fuerint, & de plebe hominũ quos inducit Euangelium, Vultis scire quales illi viri fuerint? attendite ad narrationem. *Ecce Magi, &c.* Quare non dixit Euangelista, Ecce Barbari? vel ecce Persæ? Aut si noui in se nihil habet vocabulum Magi, quare præposuit ei aduerbium ecce? Dum in libris Gentilium hanc voculam legimus, excitamur certo persuasi, id quod narratur dignum esse cui animus intendat. Cur non magis cum in diuinis literis occurrat, id sentimus? cum in his nec iota vnum, vnusquepex absque certa ratione ponatur? Sane cui persuasum est authorem sacræ scripturæ esse Spiritum sanctum, hocque dictante scripsisse Matthæum historiam, nunquam poterit inducere in animum, vt vacare credat pondere, quod dicitur: *Ecce Magi &c.* Quid ergo aduertere nos vult Spiritus, aut huius scriba Matthæus in narratione hac, cui præfigendam duxit voculam *Ecce*? Sane multa. Primum viros hos non vulgares fuisse, nec de plebe hominum, sed insignes, sed præstantes, sed excellentes, Nam quod Latini sapientes, Græci σοφους, Galli Druydas, et Aegyptij prophetas siue sacerdotes, Persæ Magos appellant. Neque vero sapientes duntaxat fuere, sed & potentes, imo reges. Sic enim habet traditio quam probabilem facit, quod apud Persas nemo rex esse poterat, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset, quemadmodum lib. 1. de diuinatione refert Cicero.

His igitur qui vel ob eruditionẽ seculi qua sunt imbuti, vel ob diuitias quibus pollent, vel ob potentiam qua præditi sunt, vel nobilitatem dedignantur natum regem inquirere, nec ijsdem, quibus vulgus, studijs teneri videantur, iubemus vt authores fidei suæ, attendant, qui cum sapientia pollerent ac potentia, adeo non pudiuit ipsos huius rei, vt summam gloriam suam ducerent: Et quæ maior gloria esse potest, quam teneri studio inquirendi Dei? Nam licet falsus inuolutus legatur, & positus in præsepio, ipso tamen est in quo iuxta Apostolum plenitudo diuinitatis inhabitat, non per vmbram, vt in Angelis veteris testamenti personam Dei gerentibus, neque per energiam dunta xat, quemadmodum in viris sanctis, in quorum animis efficax est, sed οὐσιωδῶς, hoc est ita prorsus, vt in vnam hypostasim diuina natura ac humana mirabili nexu coierint. Vnde Michæas cum eius quæ secundũ carnem est, generationis meminisset, ne hoc solum esse putaretur quod ex virgine sumpsit, addidit. *Et egressus eius à diebus æternitatis.* Huius ergo inquirendi studio teneri, leuéne ducemus aut vile? Sed offendit quod vulgus hoc studio iam teneatur. Si adeo remoti à vulgo esse vultis, idque in animis vestris agitur, vt nihil admittatis, quod vulgo patet, eique commune inuenitur, oportebit vos & aerem respuere, nec hunc attrahere. Quod si cœperitis, videbitis in quas angustias cogemini, cum absque inspiratione & expiratione vita nequeat consistere, multo vero minus absque Deo, siue vitam cam spectemus, quæ cum brutis nobis communis est, siue eam quæ secundum spiritum accipitur, quæ iustis est propria. Neque enim falsus est qui dixit: *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Neque qui ait: *Adhæreat Domino Deo tuo. Ipse est enim vita tua.* sed nec qui scripsit, *Christus vita vestra.* Quorum hoc ad vitam spiritus, cætera ad corporis vitam potissimũ pertinent. Quæ igitur dementia, vt ro velle vita carere, quia & à vulgo hæc expetitur? Imo cur non maiori studio bonum hoc ab tinere conamini, quod adeo diuinum est, vt eius præstantiam & vulgus videat? Hæc dico, vt rem serio cum animis vestris expendatis: Quod si feceritis, non dubito, quin hoc quod hactenus ab inquisitionis studio deterruit, diligentius iam inspectum, ad inquirendum incitabit, imo sanctam quandam inuidiam ingenerabit mentibus vestris, & ad zelum prouocabit. Dicetis alius ad alium, & quisque ad animum suũ. Quid cernimus? quid patimur? Surgit vulgus ignobile, & regnum inuadit, & nos cum nobilitate nostra, ecce vbi terræ hæremus affixi? Accurrunt pauperes & iunguntur nato regi, potiuntur magnis illis & veris bonis promissis Abrahæ, Isaac, & Iacob, & nos cum diuitijs nostris, ecce vbi humi repimus intenti vmbris. Vt credam id futurum, facit

Augustinus qui ex consideratione eiusmodi in non dissimili caussa erupit. Quid patimur? Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine. An quia præcesserunt pudet sequi, & non pudet nec saltem sequi? Sed hos valere iam sinamus. Sunt alij qui rei pulchritudine pariter & vtilitate prouocati, parant se ad inquirendum regem natum, attendunt stellam, sequuntur præeuntem, sed mox vt aduertũt ductu stellæ abduci se à terra natali, è cognatione & domo patris (non enim inuenitur puer in terra suauiter viuentium) retrahunt pedem. Hi licet à primis hoc distent, quod nõ nullo desiderio teneantur quærendi, longè tamen absunt ab ijs quos inducit Euangelium. Nam alterum quod in viris istis nos aduertere vult, hoc nempe est, quòd non solũ omissa ciuitate sua, & terra in qua nati erant, sed & cognatione & semel omnibus quos notos sibi ac charos habebant, posthabitis maximis molestijs alienam patriam longè à sua semotam ac dissitam inquirendi huius ergo adierint. Qui scire desiderat, quantum terrarum emensi fuerint, *inspiciat* chartas geographicas, & attendat quantum spacij interiectum sit inter Iudæam & Persidem. Hæc siquidem nomine Orientis significatur, cùm dicitur: *Ecce magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.* Non erant alligati loco vel patriæ, carni aut sanguini, nec denique vlli rei. Nos hæc tenent omnia. Volumus seruire Deo, sed in hoc loco, sed in hac ciuitate, sed apud cognatos, sed inter notos, &cæt. Non hoc est sequi ductum fulgentis stellæ, sed affectum corruptæ carnis. Non hoc est. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Non satis habuit propheta semel dixisse Paratum cor meum: adiecit secundo, paratũ. Quare? nisi vt significaret in omnẽ se euentum paratum. Vis me in terra mea consistere, vt inter notos seruiam tibi? paratum cor meum. Vis vt de terra, de cognatione, de domo patris exeam, atq; apud ignotos viuam? rursus paratum cor meum in omnem euentum paratum, & ad læta & ad tristia, suauia & aspera. Hoc modo affectum esse oportet, qui inueniet, quò stella vocat eundum. Stellam dico lucem cœlitus menti insusam, qua cognoscitur natus Saluator, qui est Christus Dominus, quaq; via ad hunc perducẽs monstratur, quæ in varia scinditur discrimina. Sunt semitæ arctæ & angustæ, sunt latæ & spacioſæ, sunt & mediæ. Arcta est semita paupertatis, castitatis, & obedientiæ professio. Lata & spacioſa, quæ mandatis diuinis constat, hisq; absoluitur. Media ex his mixta, quæ nec mandatis contenta est, nec concilijs omnib' inhæret, sed quædam amplectitur & quædam non. Harum aliquam ingredi oportet eum, qui ad Christum, ad regem natum peruenire vult. Et quosdam quidem ad arctam capessendã semitam lux inuitat, quosdam ad latam, quibusdam verò, vt in media sese teneant, monstrat. Sed fit iam nescio quibus modis, vt quos monstrãte stella arctam capessere oportebat, latam ingrediantur, & quos in lata consistere, mediam inuandant, inuertunturq; omnia. Vt clarius dicam: multi coniugium ineunt, qui cœlibem in seculo vitam actitarent. Multi rursus cœlibem in seculo vitam profitentes in religione degerent, & contra, si stella attenderent. Vnde in seculo naufragium patiuntur, qui in religione naue incolumi portum obtinuissent. Et in religione submerguntur, qui in seculo enatassent. Quod cum ita fit, quisq; diligenter stellam obseruet, & abruptis omnibus quò vocat sequatur. Sed inquis. Attendo stellam, verum qua ire iubeat, nõ possum liquidò deprehendere, nũc hac nunc illac inuitare videtur, quo fit vt nec arctã capessam nec latam ingrediar: sed in media consistens inter vtranq; fluctuem, & leui momẽto nunc ad arctã inflecter, nũc rursus ad latam impellar, & vsq; inquietus Euripi instar æstuem. Multi ni fallor eiusmodi sunt. Et quos fluctus ipse olim animo voluerim, quosq; æstus, nouit qui introspicit corda Deus. Aperiebam sinum mentis meæ cui fidebam cuique oportebat, præsidi tum collegij pontificij D. Tielmanno, cuius memoria in benedictione sit, quem non semel defleui ex hoc loco nobis subductũ, & rursus defleo. Dicebat ille quod sibi id temporis spiritus suggerebat. Verùm quoniam arduum erat quod tentabam, volebat vt & alijs quibus multum tribuebat, animi mei cõsilium exponerem, quod vbi feci bone Deus quid passus sum, quomodo affectus? Qui ante velut certus hãc mihi viam proponebam, inque hanc totus ferebar, his ad quos missus eram auditis, vix dimidius iam ibam, incipiebam deliberare, & voluere varia, inualescebatq; discerpens animum meum cogitatio: extractumque in longum est, in mensẽs & tempora, quod postridie aggredi statueram, nec dubito diuinitus ita mecum actum, vt ijs qui ad eundem modũ iactantur cogitationum suarum fluctibus, tandem consulere possem. Quare præbete mihi silentium, dicam paucis quod dicendum hic videtur.

Psal. 56. b.

Si cupis noscere quò vocat stella, hoc age, nuda cor tuũ, hoc est, purgare stude ab omni affectione, qua vel carni, vel sanguini, vel loco, vel patriæ, vel denique vlli rei carnaliter afficeris. Hoc vbi egeris, hucq; peruenieris, vt promptum te sentias in omnem euen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum, paratumq; sequi quò vocat Deus, siue Germaniam adire te velit, siue Phrisiam, siue Hollandiam, siue hoc genus vitæ amplecti, siue illud, siue Cartusianũ esse, siue Franciscanum, siue nihil horũ, sed in seculo cœlibem agere vitam, aut etiam coniugio deseruire. Vbi inquam huc peruueneris, atque istud in te experiris, hanc animi promptitudinem (omninò enim huc primò veniendum est) oportuna tempora tum captato, quibus ablq; impedimento spiritum Deo præsentem reddas. Tempora autem hæc nox potissimum administrat: Tum nanq; silent omnia, nec audiuntur nec cernuntur per quæ mens in varia dispergi solet, sed & ipsæ tenebræ horrorem quendam inducũt, quæ omnia mentem ad diuinos affatus percipiendos, illapsusq; seu (vt dicunt theologi) influxus, capiendos aptant. Hoc ergo tempore spiritum conare præsentem reddere Deo. Primum ipsius Maiestatem attende, quàm magnus sit, quàm potens & incomprehensibilis, Cumq; ex huius rei consideratione adductus in admirationem fuerit animus, mox ad ea consideranda transfer, quæ summa illa Maiestas tui caussa subiuit. Vbi si diligenter te exercueris, senties vehementissimi amoris incendium exurgere in medullis animæ, exurens quidquid impuri reliquum ibi offenderit. Voluentur per ora lachrymæ, nec voce formare lubebit aut edere, sed absque sono, sed & absque motu labiorum, velut aquam ex glacie resolutam miris quibusdam modis effundens cor tuum ante Deum & cùm nihil loquaris, multa loqueris, totiusque sermonis tui contextus hic erit: Ecce ego. Cuius explicatio est hæc. Vis vt semel abdicatis omnibus in extrema tibi paupertate seruiam, idque ex hac hora, idque in hoc loco & apud hos aggrediar? An aliud iubes? da ostensionem. Non moror, nec parentes, nec cognatos, nec magna quæ me manent bona, nec quicquam, tantum da significationem. Vis vt omissa patria inter ignotos agam, vt Abraham olim fecit? Ecce ego. Vis vt hoc genus vitæ à quo natura carnis meæ vehementissimè abhorret, amplectar? Nihil moror, vnum hoc, da ostensionem. Impendisti te totum mihi, testantur hoc manus terebratæ, hoc loquuntur transfixi pedes, hoc latus clamat perfossum: ex quibus ceu riuis quinque, sanguinem semel totum volens fudisti, vt piscinam parares abluendis peccatis meis. Quò modo nõ impendam me rursum tibi? Quo non pacto & corpus, & animam, & spiritum, hoc est, totũ me quantus, quantus sum præbebo vicissim tibi? Præbeo Domine & impendo, hoc tantum, da ostensionem, significationem voluntatis tuæ, beneplaciti tui. Cùm ita bona fide totum te exhibes redemptori tuo, vnum hoc orans, hoc vnum exspectans, vt vitæ genus, quod amplectaris monstret tibi, si non statim tandem saltem vehementer adeò in hoc, aut illud sentiet trahi, impelli, atque vrgeri te, vt nihil suprà vt dicas, Eo vocor, eundem est. Verum non mox, vt hanc aut illam monstrante stella ingressus viam fueris, eo quo destinatum est, peruenies. Occurrent multa quæ diuersum trahent. Sed & stella, cuius splendore euocatus itineri te credidisti: non vsq; iubar suũ exeret, imò occultabit se semel, vt quò pergere debeas, nescias. Euenit hoc Magis, euenit & tibi. Et multi quos magno animo iter aggressos nouimus, vbi in hunc articulũ venêre, abiecerunt animum: omissoq; studio inquirendi, ad mundum sese conuertunt, ea sectantes quæ à tergo reliquerant, delitias dico, cucumeres, & pepones, porras que, & cæpe, & allia, quibus Aegyptus delectatur, & carne consummant, qui spiritu cœperant. Quos deflemus, Et quis non defleat annos decem, imò viginti, imò triginta in obedientia diuinorum mandatorum, aut etiam in religione, vbi maiores ac seueriores politiæ sunt, sanctè transactos absorbet oborta subito vna caligo. Decidunt in nihilum tot labores, tot sudores, tot vigiliæ, molestiæ ob Christum susceptæ. Quis non fleat? Quod ne & nobis vsu veniat, attendamus diligenter authores, fidei nostræ, qui destituti ductu stellæ, nihilo seciùs inquisierunt.

Quare perstemus & nos. Sed accidit & hic deflendum quid, & quidem non raro. Nam quidam cùm perstent quærendo, nec frangantur animo, non tamen quo destinatum erat perueniunt. nec natum Regem inueniunt. Quid caussæ? Sanè quia non in qua oportet ciuitate inquirunt. Tenearis maximo licet studio inquirendi, adfit etiam animus cedere nescius labori, si non in Ecclesia quæsieris, frustra quæsieris. Hæc est super quam gloria Domini orta est. De hac dicitur: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Quicquid extra hanc est, densissimis tenebris immersum & inuolutum est. Quod ne ignoraremus, ad-uersatiua vocula vti voluit Propheta: *Ecce ait tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem, &c.* Huius typus nimirum Ecclesiæ, Hierusalem fuit.

Vnde & nomine Hierusalem ipsa frequenter significatur in scriptura. Non est quod longè exempla petamus, hoc ipso capite, ex quo nonnulla iam citauimus, id agnoscere licet. Statim in principio habetis. *Surge illuminare Hierusalem, &c.* In hac ergo, si tenebras & noctem seculi euadere velimus, & non

non falli inquirere oportet de nato rege. Hoc sanè fecerunt Magi, atque istud tertium est, quod Euãgelista aduertere nos vult in descriptione historiæ, quæ ait. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum?* Sed dixerit quis, tuum hoc commentum est, nec Euangelistæ vel semel in mentem venit.

Cur ergo. Ergòne casu factum est aut fortuitò, quod stella sese subduxerit? Quod si impiũ ducis asserere, quæso te, cur tum primum se subduxit, cum ad ciuitatem ventũ est? Vbi cùm non poteris veriorem hac nostra afferre rationem, cur eam vt inconuenientem reijcis? Vis vt adducto simili loco persuadeam tibi, rem ita vt dico se habere? Scriptum est in Actis de Christo & discipulis. *Actu. 1. a.* *Conuescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Quæso quare voluit eos Hierosolymis manere? Quare de hoc mandatum dedit iam terras deserturus? Poterat ne & in Galilæa effundere spiritum suum? poterat sanè. Quare igitur non fecit, cum non fuerit cohibita loco potentia ipsius? Dicis ad commendandum mysterium, vt hinc disceremus extra Ecclesiam frustra exspectari spiritum. Quod ergo hoc loco, cur non & in Matthæo agnoscis? maximè cum dogma quod statuitur, ex alijs scripturæ locis certum sit: atque adeò certum, vt & hæretici id agnoscant? Conuenit enim hoc inter ipsos & catholicos, quod sicut hi, ita & ipsi fateantur veritatem penes Ecclesiam esse, nec alibi vspiam eam quærendam: quanquam in demõstratione, quænam sit & vbi inueniatur Ecclesia, discrepent, his ad se eam rapientibus, illis contra non apud eos, sed apud se esse defendentibus. Quo fit vt ab Ecclesia recedentes Hæretici, non videntur tamen sibi deseruisse, imò tum inuenisse Ecclesiam cum deseruerint Ecclesiam, atque appropinquasse iam lumini atque euasisse seculi nocteri, cùm ab hac super quam lux Domini orta est, quàm longissimè recesserint. Nec satis habent quod hanc ipsi deseruerint, sed agitante ipsos spiritu erroris, eos qui intus sunt ad se trahere conantur, & suas sub Christi nomine contra Christum ædificare Ecclesias, hoc est, Antichristi synagogas. Quare quisquis ne circũferibatur, neue noui itineris errore decipiatur, & frustretur labore quem impendit inquirendo Christo, discat quæ sit vera Ecclesia. Hanc eam esse, quæ Romano pontifici subiecta est, nos olim demonstrauimus. Ab hac quia abstiterunt Philippus, Bucerus, Caluinus, quantumuis eruditi videantur, in tenebris sunt. Iactent quantum velint fidem in Christum, iactent vel maximè tenere se verbum Dei, in tenebris sunt. Et quicunque auscultant eis, & his ducibus iter ingrediuntur, adeò non euadunt seculi noctem, adeò ad Christum non perueniunt, vt longiùs abducantur ab eo, vt grauioribus inuoluantur tenebris.

Quare vos obsecro auditores, attendamus authores fidei nostræ. Non negligamus Ecclesiam cuius typum diximus tenuisse Hierusalem. In hac ciuitate de nato rege edocti sunt Magi. Hic de loco natiuitatis ex Michæa certiores redditi sunt. In hac ergo & nos eruditi studeamus, nec moueat nos aut à cœpti itineris cursu impediat, si ob studium, quo tenemur, sentiamus multos aduersum nos commoueri. *Et Magis quærentibus turbatus est Herodes & ciuitas tota,* non quidem, quòd omnes qui Hierosolymis erant, commoti fuerint, absit. Non enim Simeon iustus, non Anna prophetissa, non ij qui expectabant consolationem Israël, sed ciuitas tota, hoc est, bona pars, vt sit hyperbole. Nõ ergo hæc res nos moueat, etiam si parentes, etiam si cognati turbentur, pergamus: hoc Magi fecerunt, sequamur authores fidei nostræ. Quòd si hic viros nos præstiterimus, continget & nobis quod ipsis contigit, hoc est, stella quæ se subduxerat, offeret se rursus obtutibus nostris, rursus exeret iubar suum, & recto tramite perducet quousque loco appropinquauerimus, vbi puer est: abibit omnis obnubilatio, orietur lux & splẽdor in animis nostris, tristitiaq; illa quæ ex subtractione stellæ acciderat, lætitia commutabitur, & quidem ingenti, atque istud sextum est, quod aduertere nos vult Euangelium: *Acceptoresponso abierunt,* ait, *& ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer. Videntes autem gaudio sunt, gaudio magno valde.* Attendite verba. Non satis fuit Euangelistæ dicere, *gauisi sunt,* sed dixit, *gauisi sunt gaudio:* nec ibi quieuit, addidit, *magno,* nec hoc contentus, adiecit aduerbium *valde,* significare volens vltrà quàm dici possit, lætitia perfusos. Idem nobis continget, tantùm perseueremus.

Sequitur iam de adoratione & oblatione munerum, quæ pars pulcherrimã habet philosophiam, sed paucis explicari non posset, de qua aliàs fortè dabitur dicendi occasio. Interim quæ dicta sunt, non frustra sint dicta. Iuxta eam vitam & mores instituite. Si necdum magna illa præstare potestis, saltem hoc præstate. Declinate à peccato, aderit deus cœptis, proueher studia vestra, respiciet labores, subministrabitq; robur, & vires addet vsq; maiores, nec quiescet quousque per ardua virtutum vos deducat in terrã: quam iustitia inhabitat. Ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN FESTO PVRIFICA-tionis Homilia.

Luc. 2. f.

EVangelium Domini oblationem in templo, Simeonis amplexationē, ac cygneam eiusdem cantationē describit, cuius enarrationem priusquam aggrediamur gratiam imploremus.

Secuimus Euāgelium in tria capita, quorum primum Domini oblationem siue exhibitionem in templo his verbis describit. *Postquā impleti sunt dies purgationis*, hoc est, cùm adesset dies quadragesimus à partu, quo lex iubet masculinū fœtū exhiberi Domino proq; purgatione puerperæ, simul & pueri nati offerri mun⁹, *Maria & Ioseph*, qui pater credebatur Iesu, *infantem suum adduxerunt Hierosolymam*, vt in templo exhiberetur in conspectu Domini, cui dicatus erat & cōsecratus, vtque offerrent munus à lege præscriptū, scilicet, par turturum, aut duos pullos columbarum, quorum alter in holocaustum, alter offerebatur pro expiatione peccati. Hactenus caput primum, in cuius descriptione Euangelista duplicis legis meminit.

Altera scribitur Exodi 13. & respicit ipsam prolem: Altera Leuitici. 12. respiciens matrem. Verùm si diligenter attendamus, & hæc sacram istā puerperam, & illa prolem ab obligatione sua palam liberat. Habet enim lex Leuitici ad hunc modum: *Mulier si susceptо semine pepererit masculum, immūda erit septem diebus, &c.* Quæ verba quis non videt de vulgari mulierum partu dicta esse, & hāc minimè inuoluere: cū citra virilem attactū ex amplexu virtutis cœlestis per officiū Spiritussancti conceperit? Non ergo vt cæteræ mulieres, quæ non sine sordibus & libidine concipiunt, purgatione opus habebat virgo puerpera, sed nec offerri in tēplo, ac deinde redimi necesse erat partū eius, hoc est, puerū Iesum, cum lex Exodi apertè habeat: *Omne masculinum adaperiens vuluā, &c.* Hic autem cœlestis fœtus nequaquā vulua matris adaperta prodijt in lucē: sed clausō manente vtero elapsus est: consecrauit, nō violauit: consignauit, nō reserauit claustra virginei ventris. Verum si neq; illa purgatione, neq; hic redēptione opus habebat, qua igitur gratia vterq; velut legi obnoxius legem pertulit? Non certè abiq; magna ratione. Vt de sacra puerpera, cuius primò meminit Lucas, nos quoque primùm differamus: dicemus diuina prouidentia factum, vt quę purgatione opus non habebat, purgationis legem subiret, quo hoc exemplo nostra retunderetur superbia, qui purificatione cùm indigeamus maximè, hanc tamen iuxta ritum à lege præscriptum subire refugimus, ne non puri impuri appareamus. Imò cum toti saucij sumus ne saucij habeamur, ligamenta auersamur, atq; emplastra, sicut scriptum est Esaiæ. 1. capit. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Est perpetua metaphora, quam schola rhetorum allegoriam appellat, qua significat totum populum, doctos & indoctos, nobiles & ignobiles, principes, sacerdotes, plebē, omnes corruptos, cumq; à planta pedis vsq; ad verticem nihil sani sit, non tamen de curatione agi. Nam verba illa. *Vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo:* licet & hunc admittant sensum: Non fuit qui circumligaret, qui mederetur, oleoue foueret, circumstantia tamen scripti aliò vocat. Illa docet reprehendentis esse, quare ad adhunc modū interpretari cogimur, in tanto malo noluerūt admittere manum medentis, quo sermone vitium populi notatur non itidem priori. Respicit autem increpatio Iudæos. Interim in nos competere certò certiùs est.

Vult Samarites ille, cuius in Euangelio secundum Lucam est mentio: circumligare vulnera animæ, & ad pœnitentiam adstringere, & pœnitentiæ ligamenta recipere nolumus. Cupit curare liuores spiritus, hisq; mederi, & medentis manum auersamur. Infundere vult plagis oleum, ac timemus interioris hominis mollire, & quę nostra peruersitas est, admittere nolumus. An non ita vt dico hæc sese habent? nónne multi excommunicationem peccatorum angue peius execrantur? Nónne & verbo & scripto hanc insectantur? vnumq; hoc agūt, vt aboleant? semel, tollantq; de medio? Sed dicis, Hæretici hi sunt, Age ergo, Inter eos qui Christianos se profitentur, quique certò persuasum habent absq; exomologesi non contingere salutē, nónne de hora in horā, de die in diem, imò de hebdomada in hebdomadā, de mēse in mensem, de anno in annum eam extundunt? Sed & hic dicis, nō agnosco pro Christianis, qui non vt minimùm semel quotannis exomologesin faciūt, nónne quàm plurimi sic faciunt, vt tegere potiùs quàm detegere vulnera sua videantur? Exempli gratia dictum sit, vt quod volumus, perficiatur. Venis ad sacerdotem, confiteris, confessionis tuæ series hæc est. Non bene habui ratione. Vt de sacra puerpera, cuius primò meminit Lucas, nos quoque primùm differamus: dicemus diuina prouidentia factum, vt quę purgatione opus non habebat, purgationis legem subiret, quo hoc exemplo nostra retunderetur superbia, qui purificatione cùm indigeamus maximè, hanc tamen iuxta ritum à lege præscriptum subire refugimus, ne non puri impuri appareamus. Imò cum toti saucij sumus ne saucij habeamur, ligamenta auersamur, atq; emplastra, sicut scriptum est Esaiæ. 1. capit. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Est perpetua metaphora, quam schola rhetorum allegoriam appellat, qua significat totum populum, doctos & indoctos, nobiles & ignobiles, principes, sacerdotes, plebē, omnes corruptos, cumq; à planta pedis vsq; ad verticem nihil sani sit, non tamen de curatione agi. Nam verba illa. *Vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo:* licet & hunc admittant sensum: Non fuit qui circumligaret, qui mederetur, oleoue foueret, circumstantia tamen scripti aliò vocat. Illa docet reprehendentis esse, quare ad adhunc modū interpretari cogimur, in tanto malo noluerūt admittere manum medentis, quo sermone vitium populi notatur non itidem priori. Respicit autem increpatio Iudæos. Interim in nos competere certò certiùs est.

Vult Samarites ille, cuius in Euangelio secundum Lucam est mentio: circumligare vulnera animæ, & ad pœnitentiam adstringere, & pœnitentiæ ligamenta recipere nolumus. Cupit curare liuores spiritus, hisq; mederi, & medentis manum auersamur. Infundere vult plagis oleum, ac timemus interioris hominis mollire, & quę nostra peruersitas est, admittere nolumus. An non ita vt dico hæc sese habent? nónne multi excommunicationem peccatorum angue peius execrantur? Nónne & verbo & scripto hanc insectantur? vnumq; hoc agūt, vt aboleant? semel, tollantq; de medio? Sed dicis, Hæretici hi sunt, Age ergo, Inter eos qui Christianos se profitentur, quique certò persuasum habent absq; exomologesi non contingere salutē, nónne de hora in horā, de die in diem, imò de hebdomada in hebdomadā, de mēse in mensem, de anno in annum eam extundunt? Sed & hic dicis, nō agnosco pro Christianis, qui non vt minimùm semel quotannis exomologesin faciūt, nónne quàm plurimi sic faciunt, vt tegere potiùs quàm detegere vulnera sua videantur? Exempli gratia dictum sit, vt quod volumus, perficiatur. Venis ad sacerdotem, confiteris, confessionis tuæ series hæc est. Non bene habui ratione. Vt de sacra puerpera, cuius primò meminit Lucas, nos quoque primùm differamus: dicemus diuina prouidentia factum, vt quę purgatione opus non habebat, purgationis legem subiret, quo hoc exemplo nostra retunderetur superbia, qui purificatione cùm indigeamus maximè, hanc tamen iuxta ritum à lege præscriptum subire refugimus, ne non puri impuri appareamus. Imò cum toti saucij sumus ne saucij habeamur, ligamenta auersamur, atq; emplastra, sicut scriptum est Esaiæ. 1. capit. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Est perpetua metaphora, quam schola rhetorum allegoriam appellat, qua significat totum populum, doctos & indoctos, nobiles & ignobiles, principes, sacerdotes, plebē, omnes corruptos, cumq; à planta pedis vsq; ad verticem nihil sani sit, non tamen de curatione agi. Nam verba illa. *Vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo:* licet & hunc admittant sensum: Non fuit qui circumligaret, qui mederetur, oleoue foueret, circumstantia tamen scripti aliò vocat. Illa docet reprehendentis esse, quare ad adhunc modū interpretari cogimur, in tanto malo noluerūt admittere manum medentis, quo sermone vitium populi notatur non itidem priori. Respicit autem increpatio Iudæos. Interim in nos competere certò certiùs est.

Vult Samarites ille, cuius in Euangelio secundum Lucam est mentio: circumligare vulnera animæ, & ad pœnitentiam adstringere, & pœnitentiæ ligamenta recipere nolumus. Cupit curare liuores spiritus, hisq; mederi, & medentis manum auersamur. Infundere vult plagis oleum, ac timemus interioris hominis mollire, & quę nostra peruersitas est, admittere nolumus. An non ita vt dico hæc sese habent? nónne multi excommunicationem peccatorum angue peius execrantur? Nónne & verbo & scripto hanc insectantur? vnumq; hoc agūt, vt aboleant? semel, tollantq; de medio? Sed dicis, Hæretici hi sunt, Age ergo, Inter eos qui Christianos se profitentur, quique certò persuasum habent absq; exomologesi non contingere salutē, nónne de hora in horā, de die in diem, imò de hebdomada in hebdomadā, de mēse in mensem, de anno in annum eam extundunt? Sed & hic dicis, nō agnosco pro Christianis, qui non vt minimùm semel quotannis exomologesin faciūt, nónne quàm plurimi sic faciunt, vt tegere potiùs quàm detegere vulnera sua videantur? Exempli gratia dictum sit, vt quod volumus, perficiatur. Venis ad sacerdotem, confiteris, confessionis tuæ series hæc est. Non bene habui ratione.

Exod. 13. a. 34. c.

Luc. 10. f.

bus ducor, aut cogitationes versantes in corde meo. Non ex animo laboraui vt quotidie magis ac magis morerer mundo, & viuerē Christo. Lentus fui ad studia pietatis, preces horarias non præsenti animo legi. Non etiam satis castus fui, nec semper ante oculos habui inspectionem Dei. Non satis indolui miserijs aliorū, nec pro calamitatibus mundi, vt oportuit oraui. In cibo, potu, somno, plus æquo mihi indulsi interdum, nec proposui mihi Deum scopum, ac finem actionum mearum. Ob hæc & alia in quibus potui offendisse Dominum Deum meum, dico culpam meam, & impendi mihi peto absolutionem. Hæc est confessio tua. Antequam impendam absolutionem, considero confessionis tuæ seriem, attendo corpus. Video prima de eorū esse genere, sine quibus præsens hæc vita non ducitur. Video & extrema eodem pertinere. Quod in medio est, videlicet non satis castus fui, quod alioqui mihi scrupulum facere poterat: propter reliquum corpus interpretor eiusdem rationis cuius priora, & posteriora, vt opus non putem inquisitione vlla aut examinatione, & fallor miser.

In articulo exiguo non exigua occultantur, latēt stupra per manus in propria carne patrata, & nè polluā aures vestras, latent horrenda fœda, execranda, illa propter quę etiā collegia, etiā vrbes, etiam regiones euerti solent. Hoccine confiteri est, hoccine facere est exomologesin, & detegere vulnera? Sed dicis. Quis ea quæ in tenebris gesta sunt, quæque omnes latent non reformidet detegere, maximè cum ita turpia sunt, vt lucē ferre nequeant? Ergo ne facere audes, quæ dicere horres? Sed age. Quis etiam ea parte corporis quæ videri non vult, male affectus non lubens detegat eam, atque inspici patiatur, sed & tractari, vt quo laborat liberetur malo? Si tantum valet apud nos sanitas corporis, quare non & animæ? Si illius amore pudorem posthabemus, quare non huius itidem? Si illius recuperandæ gratia ferrum patimur & ignem, quare non huius potiùs, quæ altera illa tanto est præstantior, quanto anima corpori præstat? Non tamen hic ferrum audis, aut ignem, tantum dicitur, vt deposito ex animo peccandi affectu, & concepto melioris vitæ proposito, ad genua sacerdotis te prouoluas, eiq; tua vulnera inspicienda exponas. Et sanè nisi eò veneris, frustra ad sanitatem aspiraueris. Ascendas in cœlum, descendas in abyssum, eas quò velis, non inuenies nec apprehendes, quam tantopere desideras sanitatem, nisi hac via incedas. Fudit quidem Christus sanguinem suum, hinc̄; poculum cōfecit efficax ad omnium morbos tollendos, verum non proficit, nisi à quo bibitur, non inducit sanitatem, nisi dum eò aspergimur: aspergimur autem per fidem & fidei Sacramenta, inter quæ est pœnitentia, cuius vna pars confessio, quam Græci exomologesin vocāt, quæ enumeratione cōstat peccatorū: vt de quibus cōscientia te reum peragit, nudè ea exponas, non in genere, sed in specie. Istud exigitur, & nō video quid minùs possit exigi, & tamen quæ nostra superbia est, ne hoc quidem subire volumus, malumus carere sanitate quam detegere vulnera.

Quantum absumus ab hac sacra puerpera, citra virilem atractum concepit, sine sordibus & libidine peperit, munda est, & speciē menstruatæ mulieris non auersatur, continet se domi, expectat donec impleantur dies purgationis: subit omnia quæ præscribit lex his, quæ suscepto semine pariunt. Moueat nos exemplum: nam nostri causā exhibitum est, & ne leuiter transmitteremus, tāta diligentia descriptum est. Non enim simpliciter dixit Lucas: *Postquam impleti sunt dies purgationis eius*, sed addidit, *secundum legē Moysi*, quā clausulam quis non videt idcirco adiecisse ipsum: vt occasionem præberet lectori inspiciēdi Moysen, cumq; apud hūc legeret: Mulier quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit, & cætera quæ ibi scribuntur, videretq; nihil ad hanc puerperam pertinere, causam inquireret, quare legem pertulerit, quam lex à sui obligatione palam liberat: causaq; cognita detestaretur superbiam filiorum Adam, *qui impuri, & à planta pedis vsq;* ad verticem conspurcati, puri videri volunt, & à sordibus quàm longissimè remoti. Imò ne non puri habeātur, sanctissimā DEI legem de purgatione traditam, quæ in exomologesi peccatorum est posita, prævaricatur. Quousq; occupabit mentes nostras morbus hic? Quousq; sceptrum tenebit in animis nostris superbia? Quousquę? vsquequo inquam post tam insigne exemplum immoti perduram? Quo demum permoueri poterimus? Oportebat sanè pudore nos suffundi sanctæ huius puerperæ inspecta humilitate. Verùm quoniam ea est peruersitas ingenij, vt non ita magni æstimemus, quæ à fœminis exhibentur, proponitur nobis partus virginis, qui est Christus IESVS, qui non obnoxius legi legem quoque pertulit. Exhibitus enim hodie in templo est & more cæterorum precio redemptus. Sed dicis quantum hoc est, offerri in templo & mox redemi? Audi ergo. Veniet tempus quando offeretur non in tēplo, sed extra portas, non inter amplexus sacerdotis, sed inter brachia crucis: quando non redimetur precio, sed in precium pro aliorum redemptione dabitur, quam rem

Luc. 2. f.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esai. 53. a. scribit Esaias cap. 53. *Adscendit*, inquit, *sicut virgultum coram eo & sicut radix de terra sitienti.* Loco virgulti est יונק Iouck, quod Hebræis sugere significat, quomodo infantuli vbera matrum sugunt, ab hac radice deriuatur יונק Iouck quod participium est, siue vt ipsi aiunt, benoni, idem valens quòd lactens. Cuius naturalis significatio est. Psal.

Psal. 8. a. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Capite verò. 11. Esaiæ vbi dicitur: *Et delectabitur infans super foramen aspidis*, flexum

Esai. 11. b. haber. Nam sensus est, Petrus aliquis, aliquis Andreas, hoc est, humilis Euangelij doctor, durissimis hominibus leniter concionabitur. Similiter & hoc loco flexum habet, sed valde iucundum, quem ipse etiam mirarétur Cicero. Transfertur namq; ad significádam plantulam teneram, & velut lactentem adhuc. Adscendet sicut tenera plantula, sed ne delicatam, suspiceris plantulam, qualé in alijs Scripturæ locis legis, adiecit: *Et sicut radix de terra sitienti.* Quæ clausula, *de terra sitienti*, ad vtrúq; ex æquo pertinet, & ad plantulam, & ad radicem. Sensus est, puer hic qui iam in delitijs est, qui molli matris gremio fouetur, qui brachijs Simeonis stringitur & rapitur ad oscula, de quo in epitalamio cani

Psal. 44. a. tur. *Speciosus forma præ filijs hominũ*, futurus est adeo miser, vt rectè plantulis, quæ in terra sitis ac salsuginis proueniunt, illum comparet: vt rectè radici quæ nihil præcioſi præ se fert, illum assimiles, decor qui in mẽbris iam conspicitur, venustas illa seu pulchritudo deformitate commutabitur, apparebit totus luridus, totus squalidus, deturpatus totus. Splẽdorem faciei iniecta in eam tegent supra quibus è vertice spinis transfixo decurrés miscet se cruor, vt lepram putes.

Corpus aut verberibus liuidum, aut plagis tumidũ, aut vulneribus hiulcum, quidvis potiùs quàm hominem præseferet. Hũc esse sensum declarant quæ subij ciuntur periodi. Nõ est species ei neq; decor. Vidimus eum, & non erat adspectus & cætera. Et nẽ inscius sis, quæ huius tam diræ miseriæ causa,

Esai. 53. b. hanc mox exponens: *Omnes nos quasi oues*, ait, *erranimus, vnusquisq; in viam suam declinauit. Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Omnes nos quasi oues errauimus iã inde à vulua, iam inde ab vtero. Omnes de progenie illa descendimus, de qua ge

Psal 50. b. mens cantat Dauid. *In iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea.* Vnusquisq; in viã suam declinauit, alius ad auaritiam, alius ad libidinem, alius ad alia. *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrũ*, Quod ait, *omnium nostrum*, & nos, & eos qui fuerunt ante nos, quiq; post futuri sunt, significat. Totius humani generis peccatum trãstulit Pater in humeros Filij. Hic certè nõ est dicere, quantum hoc est, cùm vnũ peccatum adeò graue sit, vt nec cœli quantumuis firmi & instar æris compacti, nec terra licet apprimè solida, ferre valeat.

Vultis vt exemplis in medium adductis ità esse declarẽ: Legitis in volumine Esaiæ hæc verba. *Adscẽdam in cœlum supra astra Dei, exaltabo solium meũ, Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Adiecndam supra altitudinem nubium & similis ero altissimo. Scitis cui? sit vox & quæ species peccati. Gra

Esai. 14. b. uitaté eius ex euentu æstimare oportet. Mox namq; cùm hæc animo suo cogitare cœpit, cœli non ferentes superbiã, præ moleac peccati pondere rupti sunt, & tanto impetu in terram, imò in profundũ laci, hoc est infernj effusus est angelus, vt præ admiratione in hanc vocem erupisse prophetam legamus. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Et Saluatorem dixisse. *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Veniamus ad terram, insurgunt aduersus Moysen & Aaron, ipse Core Dathan, & Abiron, & vnà cum eis ducenti & quinquaginta viri, proceres synagogæ aiũt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?* Est talis vox, qualis est iam hæreticorũ. Ois pares sumus imò vnũ sumus in Christo, cur Pontifex Romanus principatum sibi vendicat in populo Domini? Audiuistis peccatum, audite iam grauitatem, Post verba illa, paucis interiectis sequitur: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suũ deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum: descenderuntq; viui in infernũ operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quis crederet rem tantæ molis esse peccatũ, si non in scripturis, quarũ certissima est authoritas, hæc legerent? Terra quæ tẽpla, quæ arces, quæ ciuitates, ad cœlum muratas gestat, ferre non valet peccatum, Porrò quod vobis hodie peccantibus non scindatur terra, diuinæ est misericordiæ pœnitentiam nostram præstolantis. Si autẽ peccatum quodlibet per se sumptũ adeò est graue, vt nec ipsi cœli pares sint oneri, nec terra quantũ quẽque so pondus adferunt in vnum simul collecta tot & tantorum populorũ peccata, ab Adam lapso vsq; ad hæc tempora. Quis dicat quot fuerint homines? & horum omnium peccata, imò & eorum qui vsq; ad consummationem seculi futuri sunt, transtulit Pater in humeros Filij tantũq; suppliciorum ab eo exegit, quantum corpus illud grande peccati iuxta seueram iustitiæ legẽ merebatur. Hic ne dices, Quantum id est? Et ne putes necessitate adactum filium hæc in se suscepisse, aduerte quid apud Prophetam sequatur. *Oblatus est*, inquit, *quia ipse voluit & non*

Esai. 53. a. *non aperuit os suum.* Dicì autem hæc de Christo certissimum commentarium habemus in actis, vbi Eunuchus cum legeret Esaiam prophetam, interrogatus est à Philippo: *Putásne intelligis quæ legis: Respondit, Quomodo possum nisi aliquis me docuerit? Locus autem quẽ legebat, hic erat: Tanquam ouis ad occisionẽ ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. In humilitate iudicíũ eius sublatũ est, Generationẽ eius quis enarrabit, &c.* Quæ omnia in Christũ interpretatus est Philippus, Vt ibi videre est. Sed video extra metas nos currus agere, Sed huc vexit nos vox illa: Quantum hoc est, quæ cùm de oblatione in templo ageremus, sonabat in auribus nostris.

Act. 8. f.

Quare ad institutũ reuertamur, & secundum aggrediamur caput: quod proponit Simeonis amplexionẽ, cuius eximiam virtutẽ describit his verbis Euangelista. *Ecce homo erat in Hierusalẽ cui nomẽ Simeon, Et homo iste iustus & timoratus expectans consolationẽ Israel, & Spiritussanctus erat in eo.* Primò exprimitur nomen, quòd cõmune habet cum Patriarcha, quem edidit Lya, sed re longè alius est. De illo scriptũ est, *Simeon & Leui fratres vasa miquietatis bellantia* de hoc aũt, *Et erat homo iste iustus, &c.* Iustus non quomodo Pharisæi, quorũ iustitia non aliud erat quàm hypocrisis, sed vera præditus iustitia, quæ valet apud Deũ, & valebit in extremo iudicio. Nec solùm iustus sed & timoratus, id est pius & religiosus. Lucas habet, εὐλαβὴς, quæ vox indè dicta est, quòd reuerenter ac circũspectè tractetur aliquid. *Expectans consolationẽ Israel.* Regnabant tum in Iudæa Scribæ & Pharisæi homines dediti auaritiæ, quæstus causa præscribentes leges suas, & illas tradentes populo seruandas: sanctissimis Dei legib⁹ posthabitis, exulabat veritas, iustitiæ nullus locus erat, in obliuionem abierat fides, pietas non poterat ingredi, religio in totum neglecta iacebat. Hunc statum populi lugebat Simeon, ad hoc impellebat eum Spirit⁹: nam Spiritussanctus in ipso erat: lugebat inquam orans Deum die ac nocte, vt respicere vellet populum Israeliticum, vt studia pietatis collapsa iam tandem instaurare placeret, & consolari lugentes Sion per Messiam, quem in hoc venturum prophetarum oraculis promiserat. Istud est quod dicit: *Expectans consolationem Israel.* Imitemur hunc virum, non deest hodie materia luctus, sed desiderantur Simeon, magni luctus materia, vt cætera taceantur, hæresis est, & non possemus non lugere: si verè haberemus Spiritum nec dubium respiceret Deus populum Christianum, si qui tales se præstarent qualis hic inducitur Simeon. Sed pergamus in Euangelio. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto*, quũ quid, votis ardentissimis rogasset Dominum, vt sibi contingeret viuere eum diem, quo videre posset corporalibus oculis suis totiam seculis expectatum Messiam: responsum acceperat in abdito pij pectoris à Spiritu sancto, fore vt non emigraret ex hac vita, nisi priùs oculis corporis vidisset Christum Dominum, fœlicem illum puerum, quem Deus vnxerat supra omnes mortales: vt æterno regno, nec vnquam abrogando sacerdotio potiretur, quem in hoc vnxerat vt mederetur contritis corde, vt consolaretur omnes lugentes, & daret eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Et venit in spiritu in templum. Quum futurum esset vt puer IESVS illo tempore adferretur in templum quemadmodum diximus, beatus ille senex submonitos afflatu sancti Spiritus, sub ipsum tempus venit in templum: cumque parentes eius Maria mater & Ioseph, qui tum credebatur adhuc pueri Pater, quia nutritius, infantem deferrent in templum, vt quæ ad solennes ritus purificationis pertinebant: iuxta legẽ Moysis peragerent, posteaquam sacerdos oblatum puerum amplexus esset, eique benedixisset, non se continuit pius senex, quin ipse quoque desideratum infantulum complecteretur vlnis suis. *Et accepit eum*, ait, Lucas, *in vlnas suas, & benedixit Deum*: Quis ex-

Luc. 2. plicet qua alacritate senilia brachia sua extenderit? qua hilaritate infantulum susceperit? qua exultatione gestauerit? Eundem hunc nos quotidie (sacerdotibus loquor) tractamus, sed vtinam pari deuotione. Aperitur hic mihi campus excurrendi latissimus, Licet & dicere quibus manibus Christum Domini plerique tractent, quibus faucibus sanctissimum eius sanguinem libent: quo Romacho sacratissimum eius corpus recondant, sed lætitiam diei nolo mœrore offundere, hoc interim dico, Præcipua causa quod omnia iam misceantur, diuina prophanis, prophana diuinis, quod tumultum plena sint omnia, quod vbique bella ferueant, quod plagis atficiamur, hæc est, quod tam irreuerenter sacrosancta corporis & sanguinis mysteria tractemus. Dixi semel ex hoc loco, quanta hic opus sit puritate, quanta religione, & puto plerosque meminisse, quare immorari iam nolo, sed aggredior tertium caput quod cygneam cantionem describit.

Cùm senilibus vlnis gestaret Simeon infantulum, totus perfusus gaudio in vocem laudis erupit. Iam iam defectura vox suauem instar cygni morituri cantionem depromisit: *Nũc dimittis seruum tuũ, &c.* Satis factũ nũc est votis meis, nũc iubens ac lætus

Universidad de Deusto
Biblioteca

moriar, quia dimittis seruum tuum animo requieto placidoq;, neq; quicquam prætereà desiderantem in vita, sed cupidum etiam ex hoc senili corpusculo demigrandi. Promiseras seruo tuo non antè emigraturum quàm vidisset Christum tuum, implesti promissum, videre contigit, imò senilibus vlnis datum est amplecti Filium tuum vnicum, per quem tibi visum est veram salutem conferre, nõ solum Israelitico populo, verumetiam vniuersis mundi nationibus, quem exoriri voluisti, vt claritate ortus sui dispelleret tenebras gentilitatis, & haberet populus tuus Israel de quo meritò glorietur. Hactenus gloriatus est de Abraham, Isaac, & Iacob, gloriatus est de Moyse, de templo, de prophetis, iam habet quod glorietur verè, modo venientem, in propria recipiat: Magna gloria genti Iudaicæ est, quod ex ipsa iuxta carnẽ Filius tuus ortum cœpit, quẽ quia videre mihi datum est amplecti, lætus iam moriar. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Quid hoc sene fœlicius, quæ dulcedo, quæ seculi voluptas huic tantę suauitati comparari valeat? Quis non magis optet pacem hãc, tranquillitatem illam pectoris, quæ fuit in sene isto, quam regum purpuras, diuitumúe thesauros? qui eam habuerit beatus est, etiam si cum fame non mediocriter certet, & frigore, & nuditate, qui verò caruerit, miser est, etiam si delitijs vehementer affluat, & byssо induatur, & holosericatus incedat. Sed quanam re pax hæc cõparatur? Dicam paucis, Emundatione conscientiæ, bonorũ operum exercitio, oratione, emundatione dico conscientiæ, siquidẽ peccatũ diuidit inter Deũ & hominem, quo amoto redit concordia.

Ad Ro.9.a. Vnde Apostolus, *Iustificati*, ait, id est, remissionem peccatorũ adepti *per fidem, pacem habeamus ad Deum.* Est ergo pax effectus primæ iustitiæ quæ est in remissione peccatorum sita: est nihilominus effectus secundæ iustitiæ quæ posita est in exercitio bonorũ operum, sicut scriptum est. Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Hoc est, si quis fuerit verè & bona fide obediens legi præstiterit opera iustitiæ, & in his se diligenter exercuerit, consequetur magnam aliquam pacem, multò suauius acquiescet Spiritus, quàm vbi primò remissionem peccatorum acutus erat, experietur magnum silentium, hoc est miram tranquillitatem in interiore homine, ad tantam fiduciam perueniet, vt fiducia illa meritò securitas dici possit, & quidem securitas vsq; in sempiternum. Quis non excitetur ad studium virtutis, his pulcherrimis promissis? Eandem hanc pacem, quam hoc loco facit iustitiæ effectum idem propheta 57. cap. precibus tribuit, dum vocat fructum labiorum: *Creauit fructum labiorum pacem.* Oratio siquidem Spiritum impetrat, Spiritus diffundit charitatem, charitas foras mittit timorem, timore eiecto succedit securitas, quæ optimis speciebus imnixa tanta tranquillitate mentem fulcit, vt morte contempta egredi audeat, & separari à corpore & exhiberi creatori. Quàm fœlix animus qui hac pace fruitur, hac inquam pace, quam non generis nobilitas, non diuitiarum abundantia, non potentiæ magnitudo, sed nec corporis firmitas, nec mensarum sumptuositas, neque vestimentorum ornatus, aut aliud quippiam rerum humanarum, sed sola Spiritus sancti virtus & conscientia bona præstat, quod vel ex Simeone discere licet, cui pax hæc contigit, non obid quia dies, potens, & præstans corpore, sed quia iustus, timoratus, & exspectans consolationem Israel. Hæc nanque tribuit ei Euangelium, & quod imprimis dictum oportuit, quia Spiritus sanctus erat in eo. Quare studeamus puritati conscientiæ, exerceamus nos in bonis operibus, quotidianis precibus ambiamus Spiritum Domini, & eius consolationem, & continget nobis pax hæc tranquillitas siue silentium spiritus, fiducia siue securitas quam diximus, nec erit nobis mors formidini, quemadmodum his qui testimonium Spiritus nunquã in se experti sunt, sed bono animo expectabimus mortem, & euocante nos Domino dicemus cum Simione: *Nunc dimittis seruũ tuum Domine, secundum verbum tuum in pace,* quam largiatur nobis IESVS Christus, cui cum Patre simul & Spiritu sancto sit gloria & in secula seculorum, Amen.

IN DOMINICA septuagesimæ, Homilia.

Multi sunt vocati, pauci verò electi.

Matth. 20.

DVo in hac cõcione tractabimus. Primò dicemus de paucitate saluandorum. Deinde ostendemus neminem ex huius rei cõsideratione iustam habere causam vel pusillanimitatis, vel desperationis. Vt primum aggrediamur, si dixisset Saluator, Multi sunt conditi sed pauci electi, possemus blandiri nobis & dicere: Multi sunt infideles, nos qui Christiani sumus, censemur pauci illi electi. nunc nõ ita dixit, sed ait. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Multi vocati sunt ad Fidẽ, multi

multi vocati sunt ad gratiam Euãgelij, multi vocati sunt, vt vitam hæreditate possideant, atque ex multis illis pauci ad vitam peruenient, hoc est, multi Christiani damnabuntur, & pauci admodum saluabuntur. Videamus an non planè istud doceat Apostolus in præsentis diei epistola, *Nolo*, inquit, 1. Ad Cor. 10.a. *vos ignorare fratres quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eũdum potum spiritualem biberunt (bibebant enim de consequenti eos petra: petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo: nam prostrati sunt in deserto.* Repetamus sententiam. Volo, inquit diligenter attendatis, quid filijs Israel olim acciderit in exitu de Aegypto, & populo barbaro. Concessa eis diuinitus nubes fuit, qua ab æstu solis protegebãtur. Discissæ sunt eis aquæ maris rubri, ac per illas pedibus iter fecerunt duce Moyse, quæ aquæ cùm typus fuerint Baptismi, quemadmodum & nubes, rectè baptizatos eos dixerim qui sub nube illa fuerunt, & mare transierunt. Nec suo tãtùm modo baptizari sunt nostrum baptismũ adumbrantes, sed & eãdem escam spiritualem omnes manducauerũt, manna scilicet cœlitus demissum, quod quia alteri⁹ figura erat, videlicet carnis Christi, escam voco spiritualem, atq; omnes eundem potum spiritualem biberũt, quia de latice quem ictu virgæ Moyses elicuit ex saxo (qui & ipse alterius figuram prætẽdebat, nimirum calicis Domici) ex æquo omnes bibebant. Hisq; non obstantibus perdidit eos Dominus & prostrauit in deserto propter peccata ipsorum, nec eò quo destinatũ erat, peruenerũt. Hæc autem in figura facta sunt nostri, hoc est, historia hæc Exodi, ac Numerorum, allegoria est temporis præsentis, docetq; nos, quòd nisi obedientes fuerimus legi, & Euangelio, nihil proderit nobis quòd Christiani sumus, quòd in sanguine Christi baptizati sumus, quòd mensæ Domini participes sumus, sed peribimus quemadmodum illi perierunt & quia pauci admodum obediunt Euangelio, idcirco pauci etiam euadunt damnationem.

Exod.13.d. Exod.14.c. Exod.16.d. Num. 9.d.

Quàm autem pauci, apud vos ipsi cogitate, agite hoc modò: Ab eo qui in Ecclesia constitutus est caput, hoc est, à Romano Pontifice considerationem flectite ad Cardinales, à Cardinalibus ad Episcopos, ab Episcopis ad sacerdotes, à sacerdotibus ad monachos, atq; vbi horum vitam ac studia probè perspexeritis, conuertite vos ad laicam multitudinem, & eam gradatim percurrite, à regibus ad duces descendite, à ducibus ad comites, ab his ad magistratus, à magistratibus ad vulg⁹, & videte quotusquisq; sit, qui verè hoc præstet quod vocatio ipsius requirit. Et si ignoratis quid requirat singulorũ vocatio, cõsiderate quotusquisq; legem illam, *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, &c.* quæ ad omnes omnino pertinet, verè impleat. Quicunq; hic quærunt vitam æternam, siue eam ponant in diuitijs, siue voluptatibus, siue in honoribus, non diligunt Dominum Deum suũ ex toto corde. Et quã multos, non dico inter gentiles sed apud Christianos est videre huiusce modi? Quam multi sunt qui studiosè sectantur mensas & prandia? quàm sunt multi quã sagaciter venantur præbendas & beneficia: quã multi & hic & alibi in patrimonio Christi triũphant. & dominos agunt? Quàm multi tum theologorum tum iuristarum, tum corũ qui in philosophia se exercent, hoc vnũ studijs suis spectant, vt magni euadant? Quam multi monachorũ in externis exercitijs sibi placentes, in vigilijs videlicet, ieiunijs & cæremonijs suis, atq; in ijs residentes, nihil cogitant de mortificandis affectibus, de mortificanda voluntate, vt ignorare prorsus videãtur, quid sit monachismus? Quàm multi in omni statu, delicatis fœminis, magnatibus, & diuitibus, ne gratiam eorum perdant, applaudunt, blandiuntur ac palpãt? Quas pœnas ego video? quæ tormenta? quanta multitudinem eorum qui damnandi sunt? Sed audio: Non bene colligis seu syllogizas. Licet enim multi secũdum eam quam in præsentiarum vitam agunt filij sint perditionis, mutabunt semel vitam, & transferentur in sortem Sanctorũ, & erunt electi Dei. Quàm multi vitam semel malè cœptam in melius commurent, nouit Dominus: Certè Saluator de ipsa hac, quam nunc tractamus, quæstione interrogatus, non aliud respondit quàm quod nos tam dixim⁹. *Intrate*, inquiens, *per angustam portã, quia lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam:* Ac si dicat. Vos rogatis me, An pauci sint qui saluantur. Ipsi hoc facilè potestis colligere. Considerate quòd duæ tãtùm sint viæ, quarum altera ad vitam, altera ducit ad mortẽ. Quæ ad vitam ducit, arcta est: Quæ verò ad mortẽ, lata & spaciosa. Hanc multi ingrediuntur, illam pauci inueniunt. Et si pauci inueniunt, quam ergo pauci illa incedunt? quam ergo pauci saluãtur? Hoc certum est, ex viginti non vnum, qui tamen probe cognitam habet viam vitæ, ambulare illam.

Matth. 7.b.

Sed vultis vt propiùs accedam magisque determinatè vobis explicem paucitatẽ saluandorum, & hoc faciam quãtùm per Scri-

ipturas

Universidad de Deusto
Biblioteca

pturas licet? Inprimis licèt ab humana notitia absconditus sit numerus & saluandorum ac damnandorum, viam tamen quandam, qua in eius rei confusam saltem, certiorem tamen quàm Euangelium proponit, cognitionem peruenire possumus, aperuit Apostolus, dũ historiam veteris illius populi allegoriam esse docuit temporis præsentis.

Videamus ergo quantus fuerit numerus filiorum Israël egredientium Aegyptum, & quàm pauci ad terrã promissionis quò destinatũ erat, peruenerint. Liber Numerorũ sic habet: A vicesimo anno & suprà, qui poterãt ad bella procedere, fuere sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta, ingens profectò numerus. Oẽs hi iubẽte domino sub Moyse egressi sunt Aegyptum ad possidendam terram pro qua iurauerat patribus eorũ. Multi ergo vocati, sed quot ad illam peruenerunt? Ex omnib⁹ ijs non sunt ingressi terram promissionis, nisi duo duntaxat, videlicet Iosue filius Nun & Caleph filius Iephone. Sic enim in eodem volumine scribitur: Pauci ergo electi etiam secundum sensum quem prætendit Euangelium. Nam vt iam semel atq; iterũ diximus, populus ille typũ gerebat populi Christiani: et in terra promissionis, cœlestis patria, quã nos expectam⁹, figurabatur. Sed ergóne duo tãtùm ex populo Christiano qui tam immensus est, cœlũ intrabunt? Absit hoc, plures in Apocalypsi sua vidit, B. Ioannes. Nõ dicit scriptura vetus, quòd ex tota multitudine filiorum Israël, qui egressi sunt Aegyptũ, duo tantũ homines terram promissionis intrauerint, sed quòd ex viris qui apti erãt ad bellum procedere, duo duntaxat ingressi sint: Iam quis nescit mulieres numero vincere fere viros, atq; inter viros qui numerati sunt, non censentur Leuitæ, qui illius populi nõ exigua portio erant, vt iam taceam de pueris atq; illis, qui nondũ annũ attigerant vigesimum. Quid ergo significatur hac historia? hoc certè, quòd ex valde multis Christianis pauci admodum saluabuntur. Quàm verò pauci, ipsi iã secundũ leges analogiæ, apud vos perpendite, nos ad aliũ Scripturæ locũ properamus. Scriptũ est in libro sermonum Esaiæ prophetæ, *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorũ, quomodo si paucæ oliuæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.* Terribilis hæc atque horrenda valdè cõparatio, maximè si referatur ad totũ tempus à condito mũdo vsq; ad eius consummationẽ. Sensus est. Quàm paucæ, cùm excussæ fuerint, remanent oliuæ in arbore: Rursus, quàm paucæ reperiuntur vuæ in vitæ post vindemiã, tam pauci saluabuntur. Quis nõ tremat? Quot poma quæso conspiciuntur in arbore postquam collecta sunt? fortè duo vel tria, aut quatuor, aut quinq;, ad quę pertingere nõ potuit manus colligẽtis in ramorũ cacumine? et quot vuarũ grana reperiuntur in vite post vindemiã? Habemus hic Louanij vites, finita in æstate vindemia, circuite illas, certè perquàm pauca reperietis. Tam paucus & rarus est numerus electorũ, si cum his conferantur qui dãnabuntur. Quis non timeat sibi & vehemẽter timeat? Nõ tamẽ desperare licet, imò nec causam habemus. Esset causa desperandi, si præter paucos illos, de quibus loquitur Euangeliũ, *Multi vocati, pauci vero electi*, nulli præterea saluari possent. Cogitare tũ possemus singuli, & dicere ita nobiscũ. Quid agoʔ cur fraudo animã meam bonisʔ cur vigilijs attenuo corpus meumʔ cur ieiunijs attero carnẽ meamʔ labor meus vanus est, non sum de electorũ numero, non est mihi pars in cœlo. Nunc non ita est. Quotquot sumus, saluari possumus, si volumus. Declarat hoc verba ipsa quæ tantopere nos terrẽt, videlicet. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Si vocati sumus ad vitam possidendã, quemadmodũ oẽs sumus, vtiq; ad illã pertingere possumus. Ratiocinatio bona est. Nã si pertingere non possumus, ergo frustra vocauit nos Deus, quod dicere impium est.

Num. 1. f.

Esai. 24. b.

Non igitur causam habemus desperationis: in potestate nostra res posita est: si volumus, apprehendere possumus. Sed dicitis volumus omnes: age, qua ratione saluari possumus?

In promptu responsio est. Facite quod vocationis ratio exigit, hoc est, laborate in vinea Domini: ad labores vocati estis, ad vineam Christi excolendam studio fideli & assiduo, hoc declarat: totus decursus Euangelij. Sed quid est, laborate in vinea Domini? aut quæ est vinea Domini? *Vinea Domini vos estis*: In vinea hac laborat, qui terrã suã quæ ferax spinarũ est ac veprium, à *spinis* ac vepribus repurgat, qui malum illud Leuiathan quod est concupiscentia per vniuersa corporis membra respersa vigilij cura amputat, qui petulantiam carnis, vigilijs, ieiunijs, atq; alijs molestis exercitijs domat, qui palmitẽ cordis sui, ne ad ima incuruetur, timore Domini suspendit, quia à multis etiam licitis abstinet, vt feliciùs vinea hęc spargat se, & excrescat liberiùs: qui deniq; vim sibi infert, vt variæ fidei, spei, ac charitatis fructus hęc afferat. Sed dicet quis dies sum, nobilis sum, delicatus sum, non possum hoc modo agere bene. Si non potes viuere lege Dei, viue lege tua delectare in adolescẽtia tua, fruere diuitijs tuis, sequere concupiscẽtias cordis tui, inebriare vberib⁹, viue in suaui otio: sed scito, quòd cũ serò factũ fuerit, denariũ nullus accipiet, nisi qui gnauiter se exercuerit

rit in cultura vineæ, hoc est, quòd felicitas vitæ æternæ nemini continget secundũ Euangelium, nisi laboranti: & secundum Epistolam, nisi currenti & ingenuè certanti. Habet enim illa (vt alteram eius portionem exponamus) hoc modo.

Nescitis, quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Videtis hoc in vulgaribus stadijs, in quibus ꝓposito præmio, cursu certatur. Certamen est multorum, sed vni tantùm decernitur præmium: non sic in stadio Euangelico est, omnes hic brauium cõprehendere possunt.

Interim hoc cõuenit, quòd quemadmodum in illis stadijs, aut etiam popularibus certaminibus non satis est tantùm spectaculo adesse, aut currere etiam, vngi & certare, ita & in hoc loco, non satis est fidem habere, currere & quomodocumq; certare: sed nisi ita nos cursu exercuerimus, vt ad metam vsque inuictos nos præbeamus, nisi ita certauerimus vt superiores euadamus, nihil sanè consequi poterimus. Currite ergo, inquit, non extra oleas, sed scopum attendite, vt brauium comprehẽdatis: certate, sed ingenuè, vt præmium referatis: præmium maximum est, nimirum vita æterna. Turpe fuerit, si vos segniùs pro tanto brauio certetis, quàm vulgus hominum pro vili præmio. Nam quisquis certat in popularibus istis certaminibus à cibis, à voluptatibus, alijsq; multis rebus persuauibus se continet, quòd ad victoriam sint inutiles, multa tolerat, licet insuaua, molestiam omnẽ negligens, modò contingat palmã, quam vnam spectat. Quod si illi nihil non faciunt: & patiuntur, quò ridiculum plebis applausum, quò laudem ab homine, quò vile pręmiolũ auferant, quantò magis par est eadem facere vos, quò applausum ab Angelis, laudem à Deo, & æternum immortalitatis præmium consequamini? Tanta res cùm agatur, an voluptas interim vilissima, aut simile quidquam vos ab instituto cursu remorabitur? Et videte quomodo se in medium adducto (quæ sanè docendi ratio optima est) ad certamen nos excitet Apostolus. Ipsi, inquit, videritis, quomodo geratis vos in hoc pulcherrimo certamine. Ego certè non segniter curro, nõ vt solent ij qui ad nullam certam metam properant, qui in studijs suis nullum certũ scopum sibi præfigunt, qui student Græcis & Hebræis, atq; alijs & hoc solũ respectu, quia pulchrum est callere linguas. Rursus sic pugilem ago nõ quemadmodũ solent, qui per lusum, pugnis aërem feriũt, qui austerè valde prædicant, vt videri possint viri pœnitẽtiæ, interim nihil eorum quæ dicunt, agunt, quales multos hodie inuenire est concionatores: sed castigo corpus meũ, hoc est, plagis afficio, & liuidum reddo (Id enim significat vox græca ὑπωπιάζω, qua hoc loco vtitur Paulus) & modis omnibus illud subigo, sic assuefaciẽs veris incõmodis & molestijs, vt domitũ obsequatur spiritui, ne mihi veniat vsu, quod quibusdam accidit, vt cùm præconio meo alios ad hoc certamen euocarim, ipse nihil laudis in eodem assequar, cumq; alijs ad laudis studium stimulos addiderim, ipse discedam illaudatus, hoc est quod dicit, *Ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quòd si Paulus hoc timuit, cùm talis esset præceptor, & post prædicationem, & orbis susceptũ patrocinium, si sic formidauit, quid nos dicemus? securos nos esse debere putabimus? arbitrabimur nobis solam fidem sufficere? Laboremus fratres, cursu diligenter nos exerceamus, ingenuè certemus, alioqui certò certiùs reprobabimur. Fœlicitas vitæ æternæ omnib⁹ ex æquo proposita est: Non est discrimen fortunæ, conditionis, ætatis, personæ. 1 Cor. 13.

Pares hic sunt rex & agricola, & sicut in hac, ita ea quoq; in re pares sunt, quòd ad laborandum, currendum, certandũ ex æquo vterq; vocatus est, & absq; labore, cursu, ac certamine, neq; hic neq; ille, aut alius quiuis qualiscunq; demum fuerit, ad vitã pertinget. Regnum enim cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vita æterna, secundum Euangeliũ, denarius & merces: secundum Epistolam corona est & brauium.

Merces quemadmodum scimus operanti, corona certanti datur, nec quomodo libet sed ingenuè certanti. Quando ita oportet, nec alia via quod volo, obtinere possum, placet, inquis, mihi conditio, cupio laborare, sed despero, quia hactenus cunctatorem me præbui, vocatus non veni, nec laboraui in vinea, excidi vocatione.

Si quod dicis ex animo dicas, non est quòd desperes. Reuertere ad Patrem familiãs, paratus est ille rursus pacisci tecum. Nec solùm primæ, sed & tertiæ, imò & sextæ, imò & nonæ, imò vndecimæ horæ operarij denarium accipiunt.

Primæ horę operarij habentur, qui ab infantia se in cultura vineæ exercuerunt. Tertiæ verò horæ operarij sunt, qui à pubertate Deo seruire cœperunt. Sextæ horæ, qui matura ætate susceperunt iugum Christi.

Nonæ, qui iam declinant ad senium. Porrò vndecimæ, qui vltima senectute. Et tamẽ omnes pariter accipiunt præmium, licet diuersus sit labor. Imò fit, nec id rarò, vt qui minimũ diei laborauerunt in vinea, citiùs illis accipiant præmiũ, qui totũ diem perduxerunt in labore: ante enim vocatur è vita. Et serò factũ vnicniq; intelligitur, dũ ad finẽ vitæ quacunq; tandẽ ætate peruenitur, vt ope-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt operari amplius neque liceat homini, nec à Domino postuletur.

Summa eorum quæ hactenus diximus hæc est. Electorum numerus exiguus est, adeò vt paucitas eorum, rarissimis vuarum granis, quę finita vindemia in vite remanēt, comparetur. Ex huius tamen rei consideratione nemini desperandum, quia fœlicitas vitæ æternæ ex æquò omnibus proposita est, & non quemadmodum in olympiacis certaminibus est, ab vno tantum, sed ab omnibus, omnino obtineri potest: sed currendum est, sed certandum est, sed laborandum est.

Curramus igitur nec segniter, certemus ingenuè, laboremus gnauiter, & continget nobis hæc tanta fœlicitas. Nō est quod quis dubitet, Deus verax est, præstabit quod promisit. Proinde nemo se torqueat cogitatione illa vt molestissima, ita inutili prorsus, an sit de numero electorum, sed hoc agat magis, vt per bona opera certam sui vocationē & lectionem faciat. Hoc est consilium Apostoli Petri, Sic enim abundanter ministrabitur ei introitus, ait, in æternum regnum Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi. Ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

IN DOMINICA SEXAgesima Homilia.

Luc. 8. a.

EVangelium, quod hodie proponit nobis Ecclesia, & explanare vobis statui, istud est. *Exijt qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fructum fecit centuplum. Hæc dicens clamabat. Qui habet aures audiendi, audiat.* Reliqua quæ sequuntur, interpretationem continent parabolæ. Ne forte autem & hic nonnulli sint, qui aures habeāt sed clausas, & inter concionandum me quoque clamare oporteat. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Oremus Dominum, vt omnium aures adaperiat.

Exijt qui seminat, seminare semen suum.

EXcutiamus verba. *Exijt*, inquit, *qui seminat*, &c. Indefinitè hoc dictum esse videtur, sed nō indefinitè accipi debere certum est, sensus iste est: Qui iam indè à condito homine seminauit, & nunquam seminare cessat, is exijt ad seminandū. Quod in Christum, & alium præterea neminem competere, nulli dubiū est. Quàm variè autem, quāque diuersis modis iam indè ab orbe condito seminauerit, facilè intelligit, qui ex scripturis vel aliundè didicit, quid sit seminare, dum Deo tribuitur. Quod licet paucissimis dicere possim, pluribus tamēad hoc vti verbis lubet, imò non tam verba quàm res adducam, vt efficaciùs quod volo inseram animis vestris. Legitis apud Augustinum de Potitiano, & tribus alijs eius contubernalibus: cùm Imperator (in eius enim palatio præclarè militabant) pomeridiano Circensiū spectaculo teneretur, exisse ipsos deambulatū in hortos muris contiguos, nimirum apud Treuiros, duosq; digressos fortè irruisse in quandam casam, vbi habitabant quidā serui Dei, pauperes spiritu, qualium est regnū cœlorum, & inuenisse ibi codicem, in quo scripta erat vita S. Antonij. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legēdum meditari arripere talem vitam, & relicta militia seculari, seruire Christo. Erat autem ex eis quos dicunt agentes in rebus. Tunc subitò repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus ita sibi, coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causā militamus? Maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumq; periculis, per quę paulatim peruenitur ad grādius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & cum dicto turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namq; dum legit, & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando & discreuit, decreuitq; meliores, & ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior: Te si piget imitari, noli aduersari. Obsecro, vnde nouæ hæ cogitationes? sancta hæc desideria? æstus iste & parturitio nouæ vitæ in animo aulici? in animo viri nobilis & seculo ad id vsque tempus dediti: imò narrante hæc Potitiano, vnde ardens illa vis spiritus aduersus carnem in Augustino, quam descripsit in. 8. confessionum? Et recedente Potitiano vnde abrupta illa vox ad Alipium. Quid patimur? Quid est hoc, quod audisti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris, ecce vbi volutamur in carne & sanguine? An quia præcesserunt, pudet sequi, & nō pudet nec saltem sequi? Et cùm

secessisset ab Alipio, vnde flumina illa lachrymarum? & inter lachrymas vnde voces illę miserabiles? Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum mearum antiquarum. Quamdiu? Quamdiu? cras & cras? Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Vnde quæso hi motus? vnde affectus isti? vnde tales animorum æstus in viris iam dictis ad inchoandum vitam nouam? Nunquid à carne? nunquid à sanguine? nunquid à natura?

Nonne caro, sanguis, natura, ad diuersa & his aduersa trahunt? Et qualia illi? Nonne similia interdum & vos patimini: Cum legitis sancta Euangelia, quando auditis sacras conciones, dum viua huiusmodi exempla vobis proponuntur non aliquando mouemini in affectibus? Cum soli estis, non interdum inuadit vos horror quidam? & rursus, non subinde suauem quendam tractum percipitis, vt deliberetis arripere aliam vitam, deserere mundū, adhærere Christo? Quis hæc operatur in vobis? quis inserit hæc mentibus vestris? quis exurgere facit huiusmodi desideria? Nonne Christus? certe Christus. Ipse seminator est sanctarū cogitationū, & affectuum, consiliorumq; meliorum. Hoc agnoscebat, qui audito Valeria no posītis in terram genibus, atque manibus in cœlum eleuatis, cum lachrymis aiebat. Domine Iesu Christo pastor bone, seminator casti consilij, suscipe seminum fructus, quos in Cecilia seminasti.

Atque hic qui iam inde ab Adam conditō, hoc modo in mentibus hominum seuit, & serere haud cessat, exijt ad seminandum semen suum. Vnde exijt, ac quo? tribus verbis ipse hoc aperit in Euangelio apud Ioannem cum ait: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Mira dignatio à sinu Patris exiuit, & venit in vterum virginis: Egressus est vterū Virginis, & natus est in mundo, vt qui nunquam ante non seminauerat, nouo iam modo seminaret: Et quo studio quaue diligentia ac pertinacia seminauerit, plenissime docet sacri Euangelij historia. Venit ad eum Nicodemus noctu: ecce seminauit nocte. Venit ad eum super puteum sedentem lassum ac defatigatum mulier Samaritana, non eum à seminandi studio remorata est corporis fatigatio, regressa illa clamauit: *Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæ feci*, accurrerunt è ciuitatib⁹ illis turmatim, venerunt ad Saluatorem, cumque esuiret maximè, discipulis manducandum inuitarent. *Meus*, ait, *cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, vt perficiam opus eius, posthabitaque cura corporis, seminauit semen suum. Cumque latissimè sparserit semen, siquidem per totam sparsit Iudæam, in ciuitatibus, in vijs publicis, in desertis locis, terraque marique) haud tamen fœlicissimè ei cessit sementis. Nam in paucis admodum fructum fecit. Quid caussæ? certe non seminis vitio id factum, satis arguit ipsa eius vis & bonitas. Cum enim Dei hoc sit semē non potest non esse bonū. Quantæ vero virtutis sit, docet diserte Esaias propheta cum ait *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exaruit fœnum, & cecidit flos verbum autem Dei nostri manet in æternum.* Esai. 40. b

Reuera si quis fragilitatem carnis adspiciat, & quod horarum momentis crescimus atque decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsumque quod loquimur, dictamus & scribimus, de vitæ nostræ parte præteruolat, non dubitabit, inquit Hieronymus, carnem fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni: Qui dudum infans, subito puer: qui puer repente iuuenis, & vsque ad senectutem per spacia mutatur incerta, & antè se senem intelligit, quam iuuenem se non esse miretur. Pulchra mulier quæ adolescentulorum post se trahebat greges, arata fronte contrahitur, & quæ prius amori, postea fastidio est: atque sicut species corporis, ita robur quoque & fortitudo, aut tempore deficit, aut languore cōsumitur. Sed quorsum hæc de naturæ humanæ fragilitate hoc loco Philosophia.

Eo spectat atque hanc ob caussam adducta est, vt intelligatis quod ex natiuitate carnali cum nihil habeat homo, quam quod sit fœnum, fieri tamen possit, vt perpetuo maneat, & immortalis efficiatur, si videlicet semen hoc suscipiat, id est, si verbum Euangelij amplectatur, eique per fidem societur, atque in vnum simul coalescat. Propter hāc caussam generale illud proposuit: *Omnis caro fœnum, &c.* vt speciale hoc inferret. *Verbū autem Dei manet in æternum*: Quasi dicat Propheta: Verbū Dei incorruptibile est, & quale est ipsum, tales quoque reddit qui ipsi iūguntur, hoc est, immortales, etiam si ex se non aliud sint, quam caro, non aliud sint quam fœnum, id est, caduci & fragiles. Esa. 40. b

Non igitur seminis vitio sed terræ quæ exceptum est semen, minus fœliciter sementis prouenit, quod in consequentibus iam edocet Euangelium. Dum seminat, is qui exijt vt faceret sementem suam, & dum nusquam non iactat semen suum, cupines prouentū verberrimum: *aliud*, inquit, *cecidit secus viam*, & conculcatum est pedibus viatorum ac cōtritum, & quoniam non opertum erat terra volucres cœli comederunt. Rursus aliud cecidit supra petram, id est, in solum petricosum, & exceptum tenui superficie terrę, quę tegebat petram, enatum quidē est, sed quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam non fuberat terra, quæ ſuppeditaret humorem ad iuſtam maturitatem, mox exortum ad ſolis ardorem exaruit & in prima ſtatim herba perijt. Rurſum aliud cecidit in ſpinas ſiue in terram ſpinoſam, & enatum quidem eſt, ſed ſimul exortæ ſpinæ, quoniam & celerius proueniunt, & denſius atque altius ſe ſpargunt, factum eſt, vt ſuffocaretur herba boni ſeminis, nec liceret in auram liberiorem emergere. Nec omnia tum infeliciter cadebāt: erat, quod incideret in terrā bonam, & enatum reddidit fructum centuplum. Cum hæc locutus eſſet, ne, quod dictum eſſet, elaberetur, ſed apud ſe quiſque ſcrutaretur, quid ſibi vellet hæc parabola, ſubiecit: *Qui habet aures audiendi, audiat*: nimirum indicans non omnes audiſſe, quod audierant. Et quia fortaſſe tales & hic quidā ſunt, ſenſum parabolæ ex interpretatione Domini ſubijciemus. Eſt autem iſte? Seminator quemadmodum diximus in præcedentibus, eſt Filius hominis qui e cœlis deſcendit in terras, Solum eſt cor hominis. Semen eſt ſermo Euangelicus, per quem mortalibus annuntiatur voluntas Dei. Voluntas autem Dei hæc eſt, vt omnes ſuis viribus diffiſi, toto pectore fidant verbo Dei, videlicet per Chriſtum omnibus omnia condonari peccata, ſi poſt cognitam veritatem ſeſe conuertant ad ſtudiū veræ pietatis, & ea præſtent quæ Euangelium præſcribit. Hoc ſemē nuſquam non ſpargit Filius hominis, ſed Sathanæ malitia & hominum vitio fit, vt in paucis fœliciter proueniat: In paucis dico: nam tria hominum genera proponit, in quibus ſemen Euangelici ſermonis, aut nullū edit fructum, aut non perficit quod exortum eſt, Primum genus eſt illorum qui leuiter ac oſcianter & velut aliud agentes audiunt verba doctrinæ cœleſtis, nec demittunt in animum ſuum, nec cogitatione infigunt, vt illic radices agat: ſed animum habentes nullo ſtudio curáue ſeptum aduerſus inſultus inanium cogitationum, ad quamlibet occaſionem ſinunt proteri, conculcarique quod ſeminatum eſt. Id animaduertens diabolus, qui inſidiatur & inuidet exordijs melioribus, mox vt audierunt, aduolat, & alijs cogitationibus immiſsis in animum, eximit ſemen priuſquam inhæſerit animo, vt nec meminerint, quid audierint. Hoc genus hominum deſignatur per viam publicam, Et quam multos eſt inuenire huiuſmodi. Alij inter concionandum cogitant quid geratur in patria, quid agant cognati & affines, quid valeat vterque parens. Mox aliæ ſubeunt cogitationes, deliberant quo eant deambulatum, quanam re tempus fallant, quo in loco optima bibatur cereuiſia: Rurſus vt eſt vaga eorum mens, nouis abripiuntur cogitationibus, de formis puellarum, de amoribus virginum, de Venere, atque alijs multis. Tale autem cor, quod ſic patet omnibus vndeuis irruentibus cogitationibus, atque per illud iter facientibus, quid aliud eſt quam via publica? Nec vlli minori fructu audiunt ſermonē Euangelicū quam iſti, non ſolū non radices in ipſis agit, ſed ne herbeſcit quidē. Secūdū genus eorum eſt, qui ſatis auide percipiunt ſermonem Euangelicū ac dimittunt in animum, ſecum meditando, quomodo ad illius regulam inſtituant vitam. Cæterū quoniam non alta cogitatione recondunt in pectus ſuum, nec penitus infigunt animi medullis, nimirum obſtantibus alijs affectibus quæ mentem occupant, nec volunt cedere ſermoni diuino, non perſeuerāt in eo quod alacriter cœperant, nec verum fructum Euangelicæ pietatis edunt, ſed temporarium duntaxat, propterea quod radicibus carent. Rebus ſecundis credunt ac obtemperant Euangelio, & velut enata herba ſpem aliquam de ſe præbent pietatis, operibus atque exercitijs quibuſdam extraneis. Verum ſimulatq; ingruerit aduerſitas, & malorum procella ob Euangelij profeſsionem obortaſuerit, protinus offenſi deficiunt ab inſtituto, & deſerunt bene cœpta. Horum typū habebat terra petricoſa, ſemen accipiens quidem ac proferens in herbam, ſed aduerſus ſolis æſtum, ſe humore non valens tueri quum per petras non licet altius tendere radices. Si non ſatis clare dictum eſt, dicam rudiori modo. Eſt aliquis qui hactenus remiſſe ac delicate vixit, audit forte in concione. *Qui amat animam ſuam: perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*, alacriter accipit verbum, demittit in animum ſuum, meditatur qua ratione perficiat, abſtrahit à vino carnem ſuā, à placitis rebus abſtinet, duris exercitijs aſſuefacit corpus ſuum, ſic agit, vt plane ſpem de ſe præbeat pietatis. Sed quid eſt? dolore incipit caput, langueſcit ſtomachus, corripitur febri aliqua, ſimulque ſemen quod in herbam iam eruperat, velut ad vehementem ſolis æſtum exareſcit, dimittit omnia, quærit mollia fométa, delicata fercula, & quidquid carni moleſtum eſt, etiam ſanitati reſtitutus fugit ac horret. Alius audit in concione. *Si vis perfectus eſſe, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Suauiter illabitur animo, ad ſe trahit quod adoleſcenti dictum eſt, arripit propoſitum religionis, incipit abdicare res ſuas, audiunt parentes, audiunt amici obſiſtunt omnes, dicunt etiam in ſeculo ſeruire poteris Chriſto, etiam in domo parentū. Quid diſplicuit tibi in nobis? cur deſerere

deſerere vis fratres tuos? cui vis relinquere ſorores tuas? magnis impenſis aluimus te, hæccine reddis progenitoribus tuis? dicunt ita, & ſtatim labaſcit animus, molleſcit robur pectoris, reſilit à propoſito, & perit ſemē in herba. Quid cauſſa? certe petricoſum eſt ſolum, quia non ſubeſt terra quæ ſuppeditet humorem, quia radices non egit in intimos affectus eorum ſemen Euangelij, quia non penitus imbiberunt ſpiritum veræ pietatis. Propterea vbi res aduerſæ roburillud deſiderant, Euangelici pectoris, tum euaneſcit ſtatim illa temporaria ſanctimoniæ ſpecies. Tertium genus eſt hominum qui & auide audiunt ſermonem Euangelicū, & ſatis altè demittunt in animum ſuum diuque retinent, ſed ſolicitudinibus huius mundi, diuitijs, & voluptatibus vitæ præſentis irretitus animus, veluti ſpinis quibuſdam denſiſsimis obrutus, non poteſt quod amat, liberè ſequi. Has ſpinas inter ſe cohærentes, inter ſe inuicem implexas, quoniam non patiuntur demeti perit fructus iacti ſeminis. Hos indicabat imago ſeminis excepti ſolo ſpinis ac vepribus obſito. Sed miramini cur ſpinis comparetur voluptas? Certe ſolicitudines ſæculi ac perplexas curas, præſertim diuitiarum, ſpinarum nomine appellari, nihil mirum. Sed quid cum ſpinis commune habent delitiæ? Multū ſanè, & facilius hoc quā ego, aliquis medicus perſuaſerit: Etenim quemadmodū acuti vepres manus iniectas vndecunque capiunt atque conſtringunt, cruentant, eodem modo delitiæ pedibus, manibus, capiti, oculis, & omnibus ſimiliter membris officiunt. Dicete quæſo, quid podagram gignit? quid chiragram parit? quid generat paralyſim? Nonne voluptas? nonne delitiæ? ſi dubitatis, vos docebunt ipſa vocabula, Quare ad hæc mala exprimēda deſtituimur latinis nominibus? Nonne ideo, quod olim in Italia cum exularet voluptas, ignoti erant hi morbi? Non enim Romā cū ſudando & laborando viuebat, hæc mala cognouit: ſed & reliqui morbi, nonne fere ex voluptate oriuntur & inualeſcunt? Iam ſtimuli horum podagræ videlicet, chiragriæ & id genus cæterorum, nonne quibuſuis ſpinis etiam acutiſsimis, vehementius pungunt. Adde quod præter hæc quæ diximus corporis mala, infœlicem quoque conſcientiæ reatum voluptas pariat, quod eleganter exprimit illa apud Græcos celebrata ſententia, quam vt omnes intelligant. Latinè eſſeram. Ea ſic habet. Si per laborē honeſti quippiam egeris, labor abit, honeſtum manet. Si per voluptatem turpe feceris quippiā, quod ſuaue eſt, abit: quod turpe eſt, manet. Quia egregia eſt ſententia & digna quæ memoriæ mandetur, iterum dicā idque hoc carmine.

Cui clarum facimus multo ſudore paratum eſt,
Multus ſudor abit, gloria parta manet,
Cui turpem peperit nœuum damnoſa voluptas,
Neuus inhæreſcit, quodque placebat, abit.

Hoc eſt, ſi per moleſtam quandam militiam carnis in te petulantiam reprimas, ſi huius gratia vigilijs, ieiunijs, orationibus incumbas, labor ille & moleſtia cito abit, fructus vero perpetuo manet. Porro ſi per voluptatem turpe feceris quippiam, hoc eſt, ſi fornicaris, ſi inebrieſte, &c. voluptas illa quam in his percipis, horaria eſt, mox præterit, ſed turpitudo ipſa, fœditas illa manet. Et certe non ita ſpinæ lacerant carnem, quam hæc animum dilaniat atque diſcerpat. Quod etiam Ethnicorum teſtimonijs, haud difficile eſſet probare: ait enim quidam.

Euaſiſſe putas quæ dira conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cedit,
Occultum quatiens animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens ac multo ſæuior illis,
Quas vel Sedilius grauis inuenit & Radamāth,
Nocte die que ſuam geſtare in pectore peſtem.

En iuxta Ethnicum, mens ſibi male conſcia omniū miſerrima. Nec certioribus hic opus teſtimonijs. Quod dicimus experiuntur omnes, quibus in conſcientia peccatum eſt. Si veniat peſtis, timent maximē: ſi exurgat bellum, terrentur ſupra modum. Si ambulent in tenebris, præſumunt horrenda. Mouet ſe mus, & malum genium ſuſpicantur. Silent cuncta, & quod nuſquam eſt, videre ſe fingunt. Si ſoli ſint, malè ſunt. Si cum alijs ſint, malè ſunt: vbicunque ſunt, non bene ſunt, quia malam poſsident mentē. Mens mala, nunquam pacata, nunquam tranquilla. Quare cum voluptas deprauet mentē, præuaque mens ipſa ſibi pœna ſit, rectè ſpinis cōparata eſt voluptas. Ad hæc quēadmodū ſpinæ ſeu vepres, ita voluptas quoq; ſterilis eſt, malorū plurimū boni parit nihil. *Cū ſerui eſſetis* (ait Apoſt.) *peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quē ergo fructū habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis?* Cū viueretis iuxta carnis deſideria eū dediti eſſetis luxui & voluptati iuſtitiæ non eratis ſubditi, eratis ab ea prorſus abalienati, ita vt nulla ratione iuſtitiæ gubernarentur actiones veſtræ. Cū igitur hoc modo viueretis, exempti ſcilicet à ſtatu iuſtitiæ, à pulcherrima ſeruitute, imo verius libertate: nam ſeruire iuſtitiæ verè regnare eſt, quem fructū tū capiebatis? Cœpiſtis aliquem ſyncerum & ſolidum fructum? certe nullum, id quod ipſi modo agnoſcitis, imo ſentitis, dum erubeſcitis ob illa in quibus antea oblectabimini. Pœnitentia, erubeſcentia, dolor, hi ſunt fructus voluptatis. Vt iam taceam, quod quemadmodum ſpinæ acrem faciunt flammam ita hęc ignem concupiſcentiæ ac gehennæ accendat. Sed ſatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

de voluptate. Postquam descripsit Saluator tria hominum genera, in quibus semen Euangelicæ doctrinæ aut nullum edit fructum, aut non perficit quod exortum est, ponit quartam eorum, in quibus fœliciter prouenit, & sunt hi qui attente audiunt verbum, nec solum audiunt attentè, sed & reperunt secum, & cogitatione infigunt: sic quoque transfundunt in affectus animi sui vt nec morte velint ab eo deficere, seque à cupiditatis affectibus, & sordidis curis diuitiarum quæ animum non sinunt esse liberum, plane explicant, & totos se præbent auræ cœlesti. Huiusmodi mentibus non est in frugiferum semen Euangelici sermonis. In his magno cum fœnore prouenit, fructum reddit centuplum. Audistis Euangelium, expendite iam vobiscum quam multi sunt vbique Christiani, qui animum habent nullo studio curáue septum aduersus insultus inanium cogitationum: Rursus quam sint multi in quibus immodicè vigent affectus cognatorum affinium, amor sui variæ passiones quæ velut petræ obsistunt, ne in ijs radices agat semen Euangelicæ doctrinæ. Tertio quam sint multi, qui solicitudinibus huius seculi, perplexis curis diuitiarum voluptatibus vitæ præsentis implicantur & inuoluuntur, & scietis quam solido fundamento innitantur, quæ de paucitate saluandorum pridem diximus. Etenim si ad immortalitatem illi soli pertingant, qui verum fructum Euangelicæ pietatis reddunt, & hunc illi demum reddant, & soli qui animo à voluptatibus, à mundanis curis & cupiditatibus vacuo. & aduersus insultus inanium cogitationum magna diligentia septo, semen accipiunt, & tam alta cogitatione in finu cordis sui recondunt, vt nullo malorũ occursu ab eo dimoueri possint, certè rarus est numerus electorum, & tam rarus vt horreat etiam mens cogitare, nemo tamen causſam habet desperandi, quia nusquam non iactat semen suum hic qui seminat: si bona terra exceptum fuerit, faciet fructum suum, Quare hoc agamus, repurgemus agrũ cordis nostri, eijciamus inde lapides euellamus spinas ac vepres, circunducamus ei sepem, & experiemur bonitatem, virtutem, & efficaciam seminis. Semen est immortale, & quale est ipsum, tales quoque nos redder, hoc est immortales, & conformes Deo, ipsi honor & gloria.

Amen.

* * *

IN DOMINICA Quinquagesimæ Homilia.

IN hac concione hæc ex ordine tractabimus. Primo dicemus quam magnum bonum sit charitas. Deinde quæ sint officia charitatis. Postremo qua ratione ad charitatem pertingere possimus. Quam magnum bonum sit charitas, pulcherrime docet Apostolus, in præsenti diei epistola, dum huius comparatione cætera omnia, quæcunque tandem illa fuerint, vel nihili, vel admodum parui facit. Imprimis omnium iudicio pulcherrima res est, linguis loqui. Verum si linguis omnibus loquar, non solum hominum, verumetiam (vt sic dicam exaggerandæ rei gratia) Angelorum, non adsit autem charitas, factus sum, ait, velut æs sonans, hoc est, non minus inutilis sum futurus, quam inani strepitu discindens aerem, aut cymbalum inutili tinnitu feriens aures: Velim attendant istud concionatores. Rem præclaram facere nos arbitramur, si Euangelium aliquod aut Epistolam disertè populo explanemus: Si varias ex scripturis hinc inde congestas sententias aptè iungamus, ac ita eloquamur vt aures demulceamus, & non attendimus præcipuum, quòd in concionatore requiritur, esse puritatem mentis, quam sola initiat ac perficit charitas. Atque hoc quia non aduertimus, omne studium nostrum circa cõpositionem versatur, altero illo quòd præcipuum est neglecto, & propterea non valent conciones nostræ. Nemo offendetur in verbis meis, non reprehendo aliquem nisi me ipsum, & si quis forte mei similis est. Quę enim causſa est, quòd auditis omnibus concionibus nostris, pauci meliores euadant, quòd æque frigidi maneant homines in rebus Dei, & amore mutuo, quòd tanto studio sectentur diuitias, voluptates, honores? Quæ causſa (causſa est, quia non valet concinnes nostræ, & propterea non valet, quia occulta illa charitatis vt non vegetantur ac viuunt. Nos causſa sumus, vita nostra, conuersatio nostra. Quia non præstamus nos tales quales deberemus, hoc est, veros contemptores mundi, ideo tales sunt homines, quales videmus. Dulcissimum est verbum Dei, vinum meracissimum esset, si ex puro vase propinaretur, non posset non sapere, non posset non vehementer afficere, immutare, fœlicique ebrietate euertere statum mentis, potenter abduceret ab amore rerum præsentium, non ita amarent homines pecuniam, non sic sequerẽtur libidinem, longe quoq; maiore

maiore fiducia resurgerent è peccatis. Certissima sunt quæ dicimus. Beatissimus pater noster (sanctum dico Franciscum) pœnitentiam suo tempore toto orbe exultantem, rursus in orbem iuuexit. Quanam re? erudi tione sua? eloquentia sua? Scripturarũ densis allegationibus? certum quod non. Nam idiota erat, & homo absque literis. Qua re ergo? vita sua, simplicitate sua, integritate sua, feruore suo, exemplo suo. Quod alijs persuadere volebat, primò ipse sibi persuadebat. Deinde alijs proponebat, atque id docendi genus efficacissimum est. Talis vna concio plus valet, quàm centum aliæ quantumuis instructiæ, quantumuis eloquentes. Amas delitias, quæris præciosa quę sectaris conuiuia, interim in suggestu magno verborum apparatu damnas voluptatem, clamas fortiter contra luxum mensarum, eloquenter dicis, sed quid efficis? voce tua discindis aerem & aures feris, & aliud nihil. Statim cogitant apud se omnes. Si ita vt dicit hæc se haberent, vti ipse sibi primò persuaderet: si tantopere displiceret Deo luxus mensarum, non ipse ita studiosè sectaretur, instructa prandia: sed satis de concionatoribus.

Præbete mihi silentium vos studiosi Philosophiæ, Theologiæ, Iurisprudentiæ, qui laborem magnum impenditis in edisc endo Aristotele, noctes & dies insumitis in legendo Thoma, digitos vestros atteritis in voluendo & reuoluendo Iustiniano, putatis peæclarè vobiscum agi, si ad eius in qua versamini, contingat scientiæ perfectionem pertingere. Non æstimetis vos fœlices: Si dono linguarum præclarius aliquid (ait Apostolus) mihi obtigerit, donum nimirũ prophetię, per quam arcanos sensus omnes Scripturæ diuinæ teneam, si cuiquam tamẽ hoc mortalium obtigit, vt vnus omnia teneat: Si accesserit omnium disciplinarum absoluta cognitio, bonus sim grammaticus, clarus orator, perfectus philosophus. Postremo si tantum sibi robur accesserit, vt huius præsidio montes quoque loco dimoueam, desit autem charitas, frustra illa adsunt. Nemo igitur glorietur in scientia, nemo etiam sibi blandiatur propter fidem, præclara res scientia, magnum aliquid est fides, sed neque hæc neque illa quidquam prodest, si desit charitas. Veniam ad me & Hollandos meos. Reliqui pridem facultates meas (licet eę modicè fuerint) pauperibus, gesto nunc vilem saccum, mendico ostiatim panem quo vescor, videri possum ob hoc beatus, non sum ob hoc beatus. Quod feci, facere potui ex hypocrisi, facere potui ex arrogantia, aut alia radice non bona. In Hollandia ante annos aliquot complurimi læto vultu, exultanti animo, toti gestibundi ingressi sunt flammas, ceruices suas feriendas præbuere gladijs, sanguinem fuderunt, vt videbatur propter Christum, ab instructis noua ista theologia, prædicati sunt ob hoc fœlices. Nó sunt ob hoc fœlices. Opus illud ex genere suo tam insigne vitiauit perfidia, quæ etiam si abfuisſet, nihil effecissent absque charitate, Hoc est quod dicit Apostolus: *Si distribuero in cibo pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita vt ardeam charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Puto quosdam iam cogitare apud se. Si absque charitate nullum opus, quantumuis arduum quidquam prodest, cur ergo affligo carnem meam, cur ieiuno, cur in vsum pauperum profundo res meas? cum videam me adhuc esse in peccatis meis, adeoque expertem charitatis. Nolite ita cogitare, habent opera etiam citra charitatem facta, modo proficiscantur a corde pœnitente, magnum apud Deum momentum, planissimè id docet Esaias cap. 1. *Lauamini,* inquiens, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum* Esai. 1. c *ab oculis meis. Quiescite agere peruerse discite benefacere. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, Defendite viduam, & venite & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra vt vermiculus, velut lana albabuntur.* Quibus Esaias hæc loquebatur peccatores erant & magni peccatores, siquidem in præcedentibus principes eos vocat Sodomorum, populum Gomorræ, tamen si hæc quæ dixi præstiteritis, peccata vestra, etiam si fuerint ita rubra vt est coccinum, hoc est, maximè enormia, velut lana, ait, alba erunt, hoc est, diluentur pœnitus. Multum igitur prosunt opera. Quid igitur est quod dicit Paulus? Si quidquid rerum habeo, hoc totum in aliorum vsum profundam, desit autem charitas, nihil prodest mihi? Bene dicit Paulus. Nullum opus quantumuis insigne, quantumuis arduum, absque charitate quid quam proficit ad meritum: ieiuna, vigila, ora, ingemisce, age quidquid velis, omnibus operibus tuis non poteris mœreri gratiam iustificationnis, hoc est, remissionem peccatorum, multò minùs vitam æternam: Non est hæricum quod dicimus, sed maximè catholicum, interim quamuis nihil proficiant ad meritum, ad vitam, ad salutem opera citra charitatem facta, prouocant tamen misericordiam Dei, inclinant bonitatem eius ad miserendum nobis, ad benefaciendũ, ad infundendum gratiam, ad largiendum Spiritum, per quem diffundatur in cordibus nostris charitas, quæ sola beatos facit, & gratos nos reddit, & opera nostra accepta facit Deo, & digna vita æterna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Postquàm monstrauit Apostolus, neque linguis, neque prophetia, neque scientia, neque Fide, nec summa denique vita, nec ipso martyrio, si desit charitas quidquàm esse nos, profecturos, charitatis imaginem velut coloribus quibusdam deliniat, & quæ ipsius sint officia describit, quę dum meis studijs oppono, video quàm procul sim à charitate, & verum esse agnosco quod scripsit Augustinus. Theologia discipulum suum, non iactantem facit, sed lachrymantem: Et quia de his secundo loco me dicturum pollicitus sum, leui ea brachio peccurram, vos interim non leuiter transmittite, sed penitus infigite animis vestris, & alta cogitatione versate, videbitis & ipsi fortasse parum vos habere commune cum charitate. Dicit ergo Apostolus: *Charitas patiens est*, hoc est, leni animo est ad tolerandas iniurias, vt non facilè prosiliat in vindictæ desiderium: Vel certè patiens est, hoc est longanimis: id enim significat vox Paulina μακροθυμει. Deinde ad vitæ consuetudinem commoda est, & comis, vt omnia boni consulere possit, minimè morosa aut difficilis: Nescit enim supercilium, hoc est, quod dicit, *benigna, Charitas non æmulatur*, nescit cuiquam inuidere quin potius sua quoque bona transfundit in alios, tantum abest, vt inuidia ringatur ad alio rum bona. *Non agit perperam*, Non est procax vt molesta sit verbis aut actibus cuipiam sed obsequi potiùs cupit omnibus pro omni virili sua. *Non inflatur*, non effertur, aut insolescit ob sua bona, sed se cuiuis submittit. *Non est ambitiosa*. Nihil sibi putat indecorum modò prosit: vel si non satis clarè dictum est. Nihil quantumuis abiectarum aut humilium rerum causa vtilitatis fratrũ facere detractat, quasi indecorum sibi actionem fortasse suspicaretur, ideo est absque omni fastidio proximorum multò minùs contumeliosa in quemquam, hoc significat ουκ ασχημονει. Pro quo noster interpres dixit: Non est ambitiosa. *Non quærit quæ sua sunt*. In omnibus quæ agit, non se respicit, sed eum, præsertim quem diligit, hoc est Christum: Illius gloriam, non suam quærit laudem, non sua commoda, non priuatam vtilitatem aut consolationem. Non irritatur iniuria, exasperatur ue. Nulli temere malum imputat, imò ne malum quidem de quoquã suspicatur, quia omnes ex se metitur. Non lætatur prorsus, cùm iniuria cuiquàm, vel molestia, vel malum infertur, sed magis gaudet ad veritatis successum. Nihil non suffert (quamlibet durum) iuuandi studio. Nihil grauatur in rem proximi ferre & agere. Nihil non credit, tantum abest vt de quoquã perperam suspicetur. Non facilè desperat de quoquam, sed meliora semper desiderat & subsecutura sperat. Omnes autem infatigabili spe tolerat, & meliorum exspectatione pertinacissimè perdurat. Quid plura? Charitas nunquam excidit, hoc est, nunquam soluitur, aut interrumpitur: semper bonas ac honestas inuenit sibi occasiones, per quas illos qui ipsa vtuntur retineat in amore, ac connexione ad proximos, vt permaneat, & non interrumpatur, etiam si illi diffideant, ac resiliendi causas præbeant: Facit enim ferre, sperare, ac sustinere eum qui in ipsum peccauit. Vel certè nunquam excidit charitas, hoc est, perpetua est, & in futuro seculo cessantibus alijs etiam Fide & Spe, permansura hæc est, quemadmodum in consequentibus edisserit. Auditis quales sit charitas, quæ si absuerit, cætera omnia vt diximus frustra adsunt: quare mirari satis non possum, tanto studio plerosque sectari alia, illa hac neglecta. Quid non facimus vt pare mus nobis cognitionem linguarum? quos non subimus labores, vt docti euadamus? noctes ducimus insomnes, exhaurimus spiritus quos vocant vitales, tabefacimus carnẽ, à multis rebus placitis abstinemus, quòd ad hanc rem sint inutiles, molestiam omnem negligimus, modò contingat scientia, quam vitam spectamus. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Ergo vanitas est intendere studijs: ita vanitas est, dum negligitur charitas. Non quæretur à nobis in die iudicij, quot annos studuerimus Louanijs, quantum profecerimus in Aristotele, Thoma & Iustinia. sed omnis quęstio circa charitatem versabitur, qua si quispiam inueniatur destitut⁹ audiet. *Amice quo modo huc intrasti, nõ habens vestem nuptialem?* & dicetur adstantibus. *Ligatis manibus & pedibus eijcite hunc in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium*: quid tibi proderit tibi scientia tua, peritia linguarum, prudentia Iuris? Non hęc dicimus quò damnemus studia, res sanctæ est studium, sed quò ostendamus potissimũ studium hominis versari debere circa puritatem mentis, quam vt antè diximus, sola initiat & perficit charitas. Ad hanc autem qua ratione pertingere possimus, iam hoc tertio loco dicamus. Ad charitatem si pertingere desideretis, iugiter eum attendite, qui loquitur in Euangelio: *Ecce ascendimus Hierosolymam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: Tradetur enim Gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget*. Verba hæc sunt Domini Saluatoris. Vocat se Filium hominis, vt hoc nomine insinuet nobis, quid misericorditer pro nobis fieri dignatus sit. Quod dicit tale est: Ego qui cum Patre æternus Deus sum incomprehensibilis, immẽsus, vestri

Matt. 22. b

Luc. 18. f

sus, vestri caussa factus sum homo, conuersatus sum inter vos annis pene 33. in extrema paupertate, multa tuli, sudaui & alsi. Et nunc ecce adscendo Hierosolymam, ibi cõprehendent me Iudæi, & tradent Gentibus, Herodi, & Pontio Pilato, illi dirè illudẽt me crudeliter flagellabunt me, tandem crucifigent me. Hæcque patiar non ob mea, sed vestra peccata. Vos peccastis, ego luam. Sic placuit Deo Patri, sic placuit & mihi. Mea voluntate hæc subeo vt declarem amorem meum erga vos singularem, amo vos, propterea indoleo malis vestris, & ne in perpetuum pereatis, ecce adscendo Hierosolymam, vt tibi pro vobis sanguinem meum fundam agnoscite benefactorem, redamate eum qui tantopere vos amat. Obsecro quis hæc audiendo non immutetur in affectu? quis non vehementer accendatur ad amorem? accendor, patior nescio, quid in affectu meo, cupio Domine Iesu amare te, cupio toto corde adhærere tibi, sed aliò trahit me caro, aliò trahit me mundus, quod volo non valeo liberè sequi. Verè auditores non possumus, præstare amorem illum, quem à nobis requirit iure tuo Dei Filius, & nostri caussa etiam Filius hominis, nisi ipse eum infundat pectoribus nostris. Quid igitur agemus? agnoscamus miseriam nostram, & cũ cæco quem inducit altera pars Euangelij, clamemus omnes & singuli: *Iesu Fili Dauid Miserere mei*. Et licet increpent turbæ, caro mundus, diabolus, nõ cessemus, imò hoc magis clamem⁹ & si perstiterimus in clamore, stabit & Christus, & quòd petim⁹ dabit nobis: hoc docet historia Euãgelij. Hoc modo impetratur spirit⁹ charitatis, quę qui habẽt, nõ insaniunt cũ mundo, non bacchantur, non commessantur. Sed dicitis, rẽpus exigit, consuetudo obtinuit, licet iã insanire, sunt bacchanalia, dicitis mihi duo: audi cultate, respondebo ad vtrumq; Si tempus hoc gaudij est, vt vultis, & non tristitiæ, quare mœroris plena sunt omnia in Ecclesia? quare cessat omnis vox lætitiæ? quare nõ auditur halleluia? quare eiectio Adæ è paradiso, flammeus gladius, diluuium proponũtur per hoc tẽpus? Quare legitur hodie: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis?* Nũ quid ad gaudium hæc inuitant? nõne apertè clamant: *Pœnitentiam agite?* clamant hoc certè, sed nobis vsu venit quòd Apostolis accidit. Apertè eis dicebat Saluator: *Ecce adscendimus Hierosolymam, &c.* quæ sequuntur *& ipsi* (ait Lucas) *nihil eorum intellexerunt & erat verbum absconditum ab eis, & non intellegebant quæ dicebantur*. Verè absconditum est à nobis verbum hoc, qui secundum faciem mundi lætamur, bacchamur, commessamur, & impletur in nobis prophetia Esaiæ quæ scribitur cap. 22. *Vocabit Dominus Deus in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia, Occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum. Comedamus & bibam⁹, cras enim moriemur*. Quid est comedamus & bibamus, cras enim moriemur, si non hoc est, Comedamus & bibamus, cras non licebit! Et vbi non resonent voces istæ? apud vulgus Christianorum apud clerum, vbique auditur, sã possumus, cras non, moriemur cum esu carnium. Proinde comedamus dum licet impleamus nos vino, nõ prætereat nos tempus hoc, venitque hora quæ inchoat quadragesimam, hoc est, duodecima nocris, & hærentibus inter dentes adhuc carnibus, clamatis: Adiuuate vicini, teneamus, fugiũt bacchanalia. Quid dicam? quia nescio quid dicam, audite quid post verba illa: *Comedamus & bibamus*, dicat propheta: *& reuelata est*, ait, *in auribus meis, vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini dicit Dominus exercituum*: Versari citis apud rhetores, scitis quid sit apostopesis, legistis vnquam vehementiorẽ? Si ego, inquit dimittam vobis hanc securitatem vitæ vestræ, quid uis eueniat mihi, non sum Deus, dispeream, Sed satis de tempore. Alterum quod dicit est: Consuetudo obtinuit, licitum est iam insanire. Et ego dico: Consuetudo obtinuit, vt passim homines descendant hodie ad infernum, descendite ergo etiam ad infernum, ne infringatis cõsuetudinem, Vestra ne consuetudo pessima legem potest abolere Dei? Vestra ne consuetudo facere potest, vt quòd ex se illicitum est, incipiat esse licitũ? Omnipotens est Deus, sic confitemur in symbolo: tamen cùm omnia possit, hoc vnũ non potest, quod vos tribuitis consuetudini. Quid amplius vultis? Illuditis, conspuitis, flagellatis, crucifigitis Filium Dei qui celebratis bacchanalia. Propter hacchanalia ista etiam num loquitur: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, &c.* Intelligamus quod dicitur & horreamus facinus. Ne veniat super nos sanguis eius, quemadmodum super tra ditores Iudæos, qui dispersi sunt, & consumpti in ira Dei, cui honos & gloria in secula seculorum, Amen.

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN DOMINICA
prima quadrageſimæ Homilia.

2. Cor. 6. a
Eſa. 49. c

HOrtamur in Domino, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, *In tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hæc verba quæ initium ſunt capiti. 6. poſterioris Epiſtolæ ad Corinth. & in præſentis diei Epiſtola leguntur, primò tractabimus: deinde de Euangelio cuius initium eſt. *Ductus*
Matth. 4. a. *eſt IESVS in deſertum à ſpiritu &c. diſſeremus.*

HOrtamur in Domino ne in vacuum gratiam Dei recipiatis Magna gratia Dei erga nos, Cecidimus ſemel omnes in Adam excidimus à beatitudine, incidimus damnationem. Hæc eſt fides noſtra. Atque hanc humani generis miſeriam variè proponit Scriptura, & multùm profecit qui eam benè cognitam habet. Eſt enim non vulgaris miſeria, non vulgaris captiuitas, non eſt qualis Aegyptiaca aut Babylonica, non ſub Phrraone aliquo aut Nabuchodonoſor, ſed ſub principe agitur tenebrarum, ſub tyrannide diaboli, ſub dominatu peccati, Ab hac cùm nulla humana induſtria, neque potentia liberari poſſemus miſericordia ſua, & alia re nulla motus, miſit Deus Filium ſuum, veſtiuit eum ſacco mortalitatis noſtræ, tradidit eum in manus peccatorum, paſſus eſt eum affigi cruci, vt illius morte noſtram vitam redimeret. Redemit, nec ſatis habet redemiſſe, In loco firmiſſimo, in vberrimis paſcuis, ſuper fluenta aquarum liberatos collocauit, hoc eſt, in Eccleſia ibi venæ aquarum viuentium ibi riui latiſſimi, ibi flumina Sancti Spiritus, ibi Baptiſmus, ibi Pœnitentia, fontes maximè patentes. In Baptiſmo abluti ſumus à peccatis noſtris, inſerti ſumus corpori Chriſti, & facti diuinæ conſortes naturæ, Agnoſcamus gratiam, vt dignè eam ambulemus. Turpè fuerit terrenis voluptatibus immergi eos quibus cœleſtis origo eſt. Nimis vile fuerit vitijs, & inquinamentis peccatis ſubdi eos, quibus cum Chriſto Dei Filio cognatio eſt. Extremæ fuerit ingratitudinis ſeruire mundo, carni, diabolo, qui ſanguine empti ſunt. Hortatu[m] inde nos Apoſtolus, imò obſecrat, nec ipſe ſolùm, ſed & Chriſtus, nam eius legatione fungitur, ne committamus, vt ſemel gratis à peccatis exempti in priſtinam vitam relabamur. Nam hoc eſt gratiam Dei in vacuum recipere. Si tamen contingat relabi commit-

tamus, quin reconciliemur Deo. Poſt baptiſmum voluit Deus locum eſſe pœnitentiæ, illa eſt miſericordia eius. Ne hanc ſaltem gratiam negligamus. Nunc licet relacire, ſi quis labitur, at idem non ſemper licebit: Sic enim Deus loquitur apud Eſaiam: *In tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* Quod interpretans Apo-5. 6. 49.
ſtolus, Ecce adeſt, ait, nunc tempus illud placabile, quo Deus non auerſatur peccatorem ex animo reſipiſcentem. Ecce adeſt ille quo piè viuendo ſalutem aſſequi licebat, ſequetur formidabilis ille dies: quo fruſtra quæretur reconciliatio. Nunc Deus decreuit miſericordiam ſuam largiri poſcentibus, poſt hoc tempus non habebit aurem placabilem. Attendite qui inerti & ignauo torpetis otio, quibus iam nimis longi ſunt, qui ignoratis quomodo poſſitis fallere tempus. Attendite parumper ad ea quæ dicuntur. Eſtis in maximis peccatis, nihil cogitatis de pœnitentia agenda: breui fortè hac nocte emigrandum vobis erit, trahemini ad tribunal iudicis, ſecundum ea quæ geſſiſtis in corpore recipietis. Non erit vlla ibi diuerſitas, inter nobilem & ignobilem ſacerdotem & laicum, diuitem & pauperem, ſine diſcrimine harum rerum pro qualitate criminum feretur ſententia, quæ nunquam retractabitur: quos ibi gemitus quas lachrymas, quam miſerabiles voces edetis, & fruſtra. Audire iam vi-Sapi. deor. *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictũ eſt. Conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, Occupet eum caligo, & umbratur amaritudine. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, Obtenebrentur ſtellæ caligine eius, expectet lucem & non videat: nec ortum ſurgentis auroræ. Quia non concluſit oſtia ventris qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis, Quare non in vulua mortuus ſum? egreſſus ex vtero non ſtatim perij? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?* Heu miſeri & in perpetuum miſeri, & quid eſt in perpetuum miſeri? ſine fine miſeri. Poſtquã mille annis fuerit in gehenna, nondum initium erit ſuppliciorum, imò millies mille annis in tormentis tranſactis, nihil temporis cenſebitur acciſum, quia quod relinquitur æternum. O æternitas quam rarò verſaris in mentibus hominum. Iterum dico quàm rarò verſaris in mentibus noſtris æternitas. O æternitas, heu æternitas. Quid dicam aut quomodo dicam? Quàm rarò verſaris in cogitatione filiorum Adam æternitas. Quis exprimat quid ſit æternitas? Quis concipiat quid ſit æternitas? cogito mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot

ſunt momenta ſeu puncta in toto tempore à condito mundo vſque ad eius conſummationem, & de æternitate nihil adhuc habeo. O æternitas, heu æternitas. Quis poterit par eſſe æternitati in tormentis? Fumus tormentorum eorum adſcendet in ſecula ſeculorum. Quid eſt in ſecula ſeculorum? Volo dicere, & neſcio dicere. Quam diu Deus erit Deus, tam diu durabunt tormenta, Quam diu hoc erit non eſt effari, non eſt concipere, non eſt inuenire iſtud, Quam diu. Hoc vnum inuenire, concipere, & effari poſſumus, miſeros eſſe, & heu nimium miſeros quos reſpicit iſtud Quam diu. Reſpicit autem omnes ſine diſcrimine, qui peccant, nec pœnitentiam agunt dum licet, licet autem quamdiu præſens, hoc tempus agitur, hoc tempore decurſo nemini licebit. *Vidit*, ait, *Iohannes in Apocalypſi, angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt ſol, & pedes eius tanquam columna ignis, & habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, & leuauit manum ſuam ad cœlum, & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, qui creauit cœlum & ea quæ in eo ſunt, & terram, & ea quæ in ea ſunt, & mare, & ea quæ in eo ſunt, quia tempus non erit amplius.* Qua-Apo. 10. a
lis atteſtatio, qualia verba, qualis habitus atteſtantis? Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, vt omnes qui terram incolunt, quæ continens dicitur, & qui in Inſulis verſantur, pariter atteſtentur. Eleuauit manum ſuã ad cœlum & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum. Quia tempus non erit amplius. Tempus inquam quo operari quiſquam poterit hoc eſt, impetrare remiſſionem peccatorum, obtinere iuſtitiam, promereri vitam. Tale tempus non erit amplius, tale tempus non erit poſt hanc vitam. Quod ſi alio ſpectare Scripturam Apocalypſis contenditis, nihil refragor, interim quod dico veriſimum eſt, quia doctrina eſt Saluatoris. *Venit* Ioan. 9. a.
inquit, nox, quando nemo poteſt operari. Quo loco iuxta omnes interpretes, per noctem, intelligit tempus mortis, tempus quod huic tempori ſuccedit: & per operari, hoc quod diximus, videlicet impetrare remiſſionem peccatorum, obtinere iuſtitiam: promereri vitam, quæ omnia iam poſſumus, quandiu in mortali hoc corpore degimus.

Quare ergo negligimus hoc tempus? Quare tempus hoc, quo nihil precioſius cogitari poteſt, adeo vile habemus? Vt infernum omittam, in quo nulla eſt redemptio, quam multæ ſunt in purgatorio animæ fideles, quæ ſi redimere poſſent vnius paruæ horæ ſpacium, darent, ſi in earum eſſet poteſtate, totum hunc mundum diuitiarum. Quare iſtud non aduertimus?

Non loquor iam his, qui peccant nec pœnitentiam agunt de peccatis ſuis, illi ſiquidem ad infernum pertinent, ſed viris pœnitentiæ. Mouet Deus cor noſtrum, agnoſcere incipimus in quibus ſumus malis, deflemus vitam malè actam, petimus ignoſci nobis per Chriſtum quòd peccatum eſt, confitemur, abſoluimur, ſolliciti ſumus, ne relabamur in priſtina peccata, hoc eſt, ebrietatem, fornicationem, immunditiam, & huiuſmodi craſſa quæ exhæredant hominem. De alijs hoc eſt leuibus peccatis, nulla aut certe parua nobis cura eſt. Sed & rubiginem præteritorum peccatorum & reliquias & teſtantes pœnas vix obliquo oculo reſpicimus, ſatis nobis eſt, quòd abſoluti ſumus à gehenna. Heu quam parum cogitamus quid ſit purgatorium. Si idem eſt ignis inferni & purgatorij, vt ſecundũ omnes ferè doctores veriſimè eſt, & ignis gehennæ adeo horribilis eſt, vt vel ſola cogitatio ſtare faciat comas, quis ferre poterit purgatorium? Si noſter hic ignis qui in comparatione illius algidus eſt, non ſine maximo dolore ſenſus, & cruciatu corpus allambit, quid agit ignis purgatorius? Non ſine horrore iam ſuſtineo videre tradi aliquẽ flammis, torreri, & exuri, & flamma hæc horaria eſt? Purgatorij vero non vnius horæ eſt, ſed multorum frequenter annorum, triginta quinquaginta, ſeptuaginta, centum etiam, imo interdum ducentorum, trecentorũ annorum. Quis ferre poterit atque hanc flammam tam horribilem, tamque diuturnam Ieui iam ac breui pœnitentia redimere poſſumus. Quare negligimus occaſionẽ hanc? quare non magno animo accipimus pœnitentiam? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Ipſi videritis quomodo placabile hoc tempus tranſigatis, ego certe nõ ſeguiter agere ſtatui. Ceſſaui hactenus, aut ſi egi pœnitentiam, valde imperfectè egi, valde interruptè, propono iam meliora, & oro Deum, vt prouehat, quod animo concepi. Et quia multos hic eſſe confido, qui idem mecum meditantur, monere eos volo euentus futuri, ne cum eis quòd dicturus ſum euenerit, turbentur, quaſi noui aliquid ipſis accidat.

Si quis ex animo velit ſeruire Deo. Si ſerio quiſpiam agere velit pœnitentiam, deſerere mundum, adhærere Chriſto, multa patietur aduerſa, mirabiles obuenient ei tentationes, non iam dico à carne & mundo, ſed à dæmone. Huius rei typus eſt exitus filiorum Iſrael ex Aegypto, & perſecutio Pharaonis, Acceſſus Saluatoris ad

deſertum

Universidad de Deusto
Biblioteca

desertum, tentatio diaboli. Vnde in Sapiente scriptum est. *Fili accedens ad seruitutẽ Dei sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Obueniet enim tibi tentatio, Non fallet quod dico, proinde præpara animam tuam. Quomodo præparabo? docet hoc Euangelium. *Ductus Saluator in desertum à Spiritu vt tentaretur à Diabolo, ieiunauit, &c.* Non opus erat ipsi ieiunio, vt ostendat nobis, quod magna armatura contra tentationem sit ieiunium. Nec putare debemus tempus illud quo fuit in deserto, in ocio ipsum transegisse: orabat die: orabat noctu. Non est quod de hac re dubitemus, cum in maximis etiam occupationibus familiarem sibi habuerit orationem. Nam cum relicto deserto diebus docceret in templo, noctibus morabatur in monte, qui vocatur Oliueti: vacans ibi orationi, vt habes in Luca: Sicut ergo ieiunauit quadraginta diebus & noctibus in deserto, ita & orauit ibi totidem diebus, & noctibus, quod vt satis manifestum subticuit Euangelista. Atque istud secundum est, quo contra tentationem munimur, nimirum oratio, cuius virtutem tam cuperem esse notam omnibus, quam nunc ignota est. Et quia de hac in sequenti concione sum dicturus, nolo iam immorari. Hoc interim dico absque oratione neminem in tentatione persistere posse inuictum: Si hac in re parua mihi fides est, credite illustrissimo adolescenti, & vere ingenui pudoris iuueni Crisanto, qui inter amplexus & oscula puellarum, quas ceu vepres perhorrebat & declinare non poterat, in oratione immobilis iacẽs, sic clamabat ad Dominum: Exurge Domine in adiutorium mihi, dic animæ meæ salus tua ego sum. Quis enim istam pugnam à diabolo excitatam vincere prævalet, nisi tua pro eo dextera fuerit dimicatum? Errat qui se putat castitatem perfectam suis nisibus obtinere. Nisi enim tuo imbre fuerit extincta flamma libidinis, non potest animus peruenire quo pergit: Benè dicit, non potest animus peruenire quo pergit, tum propter mirabilem infirmitatem carnis, qua cingitur: tum propter vehementiam tentationum, quas patitur: & propterea orare debet, & sæpe orare, ne inducatur in tentationem, ne superetur, ne infirmitate carnis præpediatur. Et mirus hic fuit Dauid. Non sufficiebat ei dies, impendebat etiam partem noctis. Prævenì in maturitate τὴν ὠρίαν, hoc est, intempesta nocte, & clamaui. Et quia tam assiduus erat in oratione factum est, vt omnibus hostibus suis euaderet superior, imo formidini esset. Hac de re pleni sunt psalmi, præsertim autem Psalmus. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Quod aduersus mundum, carnem, diabolum, fortis sum quod vere prævaleo, non meis viribus ascribo, quæ nullæ sunt, sed tibi acceptum fero, *tu es fortitudo mea, robur meum, cornu salutis meæ. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum: Tu præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum:* Mirabilem fortitudinem describit Psalmus ille in Dauid, quam oratione obtinuit: imitemur ipsum, clamemus frequenter ad Dominum, familiare habeamus studium rationis.

Ecclc. 2. a.

Matth. 4. d

Luce. 11. a

Psal. 118.

Oratio scutum est aduersus omnem tentationem. Habetis duo de quibus munitur anima contra insultus dæmonis, ieiunium scilicet & orationem, & mirum quam sæpe Scriptura sacra hæc societ. Legite vetus testamentum & nouum, admodum frequenter iuncta reperietis ieiunium & orationem vt studio videatur Spiritus sanctus iudicare voluisse, & ieiunium parum esse sine oratione, & orationem frigere si ieiunio non roboretur. Præter duo hæc ieiunium dico & orationem, tertium adhibere debemus, scilicet verbum Dei. His tribus congressus est Saluator cum diabolo & vicit, vincemus & nos si his muniti fuerimus. Quod adhibuerit ieiunium & orationem, iam ostendimus. Quod vsus sit verbo Dei, in sequentibus declarat Euangelium: *Accedit tentator, dicit ei, Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, Respondit Saluator: Scriptũ est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* En gladio Spiritus quod est verbum Dei tentatorem deiecit. Victus ille, sed quasi subdolus à prouictus ille, sed quasi subdolus à prostratu resurgens, secunda tentatione aggreditur Saluatorem, & secundo deijcitur aditur Saluatorem, & secundo deijcitur adeodem gladio quo antè. Nam suadenque eodem gladio quo antè. Nam suadenti præcipitium, respondit Saluator: *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ac nec sic cessauit, aggreditur tertio abducit Saluatorem in montem excelsum, vnde liber, vndique & late patens prospectus, subijceret oculis omnia regna mundi, & admirandum cuiusque gloriam strepitumque, & ait: *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me,* orbis tibi seruiet, latissime imperabis, omnia tua erunt. Talia & adhuc sathan auaris & ambitiosis loquitur, vt se adorantes omnia hæc habeant, & à sathana habeant, qui vult Dominus mundi haberi & esse atque adorari vt Deus. Quam iniuriam & in Deum blasphemiam non ferens Saluator, acerbius ipsum à se repellit & rursus gladio spiritus: *Vade retro me, Sathana,* hoc est, Dei & sanctimoniæ, totiusque pietatis & religionis aduersarie. Longe aliud diuina docet Scriptura quam

Psal. 11. f. Psal. 28. a Psal. 65. a

ra quam tu suades, illa ait: *Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruias.* Fide, Spe, Charitate: Magna igitur armatura in tentatione & prælio contra dæmonem est verbum Dei. Vnde in descriptione viri beati inter cætera & hoc dicitur: *in lege Domini meditabitur die ac nocte,* hoc est, studiosè se exercebit in Scriptura sacra, vt discat voluntatem Dei, vt intelligat astutias sathanæ, vt in sacris meditationibus contra ipsius tentationes spiritum roboret. Et qui hoc modo versantur in scriptura, vere fœlices sunt. Qui autem eas literas legunt, ob id potissimum vt arment se ad disputationem & diatribas, nondum intelligunt ad quid datæ sunt scripturæ. Et præter hoc quod arridi manent in spiritu, ad veram earum intelligentiam nunquam perueniunt, imo fit nec id raro, vt vertantur eis in magnum malum, dum ad suam ambitionem & luxum propagnanda ijs abuntur, quemadmodum & diabolus illis sua abusus est malitia in hoc Euangelio. Post verba illa: *Si filius Dei es, mitte te deorsum, ingerens, scriptum est, Quia Angelis suis mandauit de te, in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Ex hoc loco præter id quod iam diximus, videlicet meditatione scripturæ sacræ in tentationibus roborari spiritum hominis, vt insuperabilis sit demoni: Hoc quoque discimus, ne post vnã aut alteram victoriam securitati nos tradamus: Non semel enim, sed iterum, sed tertio agressus est Saluatorem, multo magis aggredietur nos, qui caro sumus, si primo congressu si fustretur, exspectato tentabit si prævalere possit secundo, si & hic frustretur, aggredietur tertio, imo tota vita patiemur ipsum aduersarium, propterea semper stare oportet in procinctu, nec deijci ob tentationum frequentiam, etiam si obueniant tentationes maxime horrẽdæ maxime blasphemæ, Quæ nam magis execranda esse potest cogitatio quam illa de adorando dæmone? & hanc sustinuit Saluator. Nemo igitur deijciatur ob tentationes quascunque: nullum peccatum est tentari, materia est exercendæ virtutis, exercendæ fortitudinis: quoties resistimus, toties coronamur. Interim molesta res est tentatio virium, sed hanc molestiam cõpensat victoriæ lætitia. Nascitur enim, quotiescunque viriliter resistit animus, quædã pia tranquillitas de conscientia bona, vnde in tribulationibus suis & tentationibus gloriabatur Apostolus, quia tribulatio, ait, patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit. Pulcherrima est gradatio. Sensus hic est: Ideo gloriamur in tribulationibus, afflictionibus, tentationibus, siue illæ à carne, siue à mundo, siue etiam à dæmone prouenìant, quia tribulatio afflicti, tentatio patientiam operantur, hoc est, occasio sunt, & materia exercendæ patientiæ. Patientia autem siue voluntaria toleratio afflictionum probationem, hoc est, reddit eum qui affligitur probatum, exploratum, cognitum sibi quanti faciat Deum & cœlestia. Probatio autem spem. Qui enim sibi iam exploratus est, quod ob Dei fortiter tolerare potest mala præsentia, vehementer erigitur in spem vitæ cœlestis.

Rom. 5. c

Spes autem quam pariunt afflictiones fortiter propter Deum toleratæ, non confundit, non frustratur sperantem, fortitur certum euentum. Nemo igitur deijciatur ob tentationes, quæ tantum valent ad roborandam spem, & veram fiduciam, sed magno animo pergat in tentationibus & prælio contra dæmonem, & credo ego si non languide egerit, sed iterum & tertio restiterit, aufugiet Sathan, & locum dabit sanctis Angelis ministrantibus Christo, & membris eius, famulosque metuet eius, à quo in deserto victus est, vt nõ facile rursus accedere audeat.

Capita præsentis concionis hæc sunt, Tẽpus quod in mortali hoc corpore agitur, non ignauo otio transmittendum, quia est tempus placabile, in quo impetrare possumus remissionem peccatorum, obtinere iustitiam, promereri vitam, quæ maxima bona sunt, Si tẽpore hoc placabili ex animo quispiam & serio se conuertat ad studia pietatis mirabiles patietur tentationes, sed minime ob eas deijci oportet, vt quas & Christus sustinuit, cuius membra sumus. Aduersus tentationes huiusmodi, hominem insuperabilem reddunt, ieiunium, oratio & meditatio Scripturæ. Oro Deum, vt confirmet verbum in cordibus vestris. Ipsi honor in secula seculorum,
Amen.

IN DOMINICA SECUNDA Quadragesimæ, Homilia.



EVangelij quod hodie proponitur summa hæc est mulierem genere Syrophœnissam, &c. quæ à dæmonio vexabatur, liberatione accessisse Saluatorem, & obtinuisse quod petebat quia ex fide petebat, de quo ea potissimum de causa differere volui, quod modũ præscribat orandi, qui Christiano imprimis debet esse cognitus, Precemur Deum vt ad sit conatui.

Aposto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

APostolus Paulus in Epistola quã scripsit ad Romanos, versans quæstionem de iustificatione inter cætera per quæ statuere conatur hanc ex Fide contingere, adducit locum Geneseos: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Qui sane locus Genes. 15. b ad id statuendum haud efficax est, nisi intelligatur Abraham apud Moysen induci, ceu typus exemplar, ac paradigma, ad quod respicere nos voluit spiritus in hoc negotio. Quod persentiens Apostolus, ne scrupulus aliquis apud lectorem remaneret mox subiecit. Scriptum est autem, non tantum propter ipsum quia reputatum est ei ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram hoc ipsum licet nõ eadem authoritate, pari tamen pietate asserere possumus de hac historia, quam de Syrophœnissa texuit Matthæus, nimirum Oeconomiam spiritus fuisse, vt in ea typus proponeretur ad quem Matt. 15. a respiceremus orantes, sciremusque Fide opus esse in precibus, nec ea vulgari, sed qua fiat vt vehementi affectu petamus quod petimus, vt nostræ iustitiæ diffisi vni Christo nitamur. Vt non frangamur, nec dijciamur animo, si non pro voto mox exaudiamur, sed perstemus orando certo persuasi, quod tandem exaudiet Deus preces quas fundimus. Eiusmodi nanque fuit Fides Syrophœnissæ. Quod priusquam ostendamus, volumus adductis in medium scripturis fulcire quod dicimus typice proponi hic & commendari dogma, vt vbi de re constiterit, sua uius illabatur, vehementiusque afficiat, atque animos vestros teneat ipse typus. Impri mis in hoc negotio fide opus esse docet D. Iacob. 1. a Iacobus capi. 1. suæ epistolæ, vt cætera omittamus quæ multa sunt in diuinis Scripturis hac de re loca, & præsertim in Euangelijs, vbi nusquam non hanc exigit Saluator. Matthæi cap. 9. rogatus à cæcis vt visum ipsis redderet. *Creditis*, inquit, *quia hoc possum facere vobis?* Rursus cap. 9. Marci, cum quidam hi- Matt. 9. d sce verbis ipsum deprecaretur: *Si quid potes aduuua nos misertus nostri*, ait, *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, & Matth. 21. *Om* Matt. 21. e *nia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Quæ omittimus, vt locum Iacobi qui hac in re vere insignis est, tractare liceat. Is in hunc habet modum: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur, non ergo existimet homo ille quod accipiet aliquid à Domino.* Re-

sumamus sententiam, *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet*, inquit, *à Deo.* Quod de sapientia dicit, hoc de cæteris quæ ad vitam pietatemque pertinent, intelligi vult: nam & ab vno Deo præstantur, quod hac ipsa Epistola docet, cum ait: *Omne datum optimum* Iacob. 1. d *& omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Sententiam ergo Iacobi, qua plenior fit, in hũc modum licet afferre: Si cui deest vel sapientia, vel iustitia, vel temperantia, vel mansuetudo, vel quippiam cæterorum, is petat ab eo, qui dat, nempe Deo. Audiant istud studiosi μεγρομαντίαι, quique à mortuis et à dæmonibus petunt edoceri veritatem, cum ea à solo Deo petenda sit, qui dat omnibus simpliciter. Nam quod noster interpres transtulit abundanter, græce est ἁπλῶς, *& non improperat. Petat*, inquit, *& dabitur ei.* Sed nonne multi petunt, nec quod petunt, vnquam accipiunt? Multi sane. Atque idcirco non desiniuit sententiam, sed adiecit. *Postulet autẽ in fide, nihil hæsitans*, ac si dicat, dabitur ei, si tamen fide petierit. Quam fidei conditionem vt scias hic necessariam, pergit: *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circunfertur: non ergo æstimet homo ille, quod accipiet aliquid à Domino.* Quorum verborum sententia est hæc. Ideo qui hæsitat, nihil accipit, quia animo est minime tranquillo, minime certo, siue firmo, quo fit vt gratia cœlestis haud possit ille is insinuare, quemadmodum vndę maris non facile formam vllam recipit, quando ventorum mouetur & circunfertur. Ex qua interpretatione quam puto germanam esse Iacobi, liquet præter fidem qua credas Deum posse & velle præstare, quod iuxta voluntatem ipsius petis, opus esse & fiducia, qua certo expectes, quod petis, qua promittam Dei re in Euangelio secundum Marcum legis: Marc. 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Nisi enim concepta fuerit animo fiducia, nequid quiescere mens. Fiducia impetrandi ea est, quæ fulcit, quæ velut anchora animum firmat, ne huc illucque fluctuet. Sed dicis: Credo Deum posse & velle præstare quod secundum ipsius voluntatem peto, verum nequeo in spem assurgere, qua quod peto, cum fiducia expectem. Multos puto hac parte laborare. Et plerisque quidem id euenit, quia animo auertunt se à peccato: plerique vero quia non serio se exercent cogitationibus fidei. Qui enim persuadeas tibi, exauditum te iri à Deo, cum peccandi affectus quiin animo tuo viuit, velut nubes obstat, ne ad Deum transeat oratio? Qui fiduciam

ciam concipias, cui Scripturæ fiduciam adi- Esai. 1. b munt? Si quæras vbi? In promptu locus est. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cũ multiplicaueritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ sanguine*, hoc est, crasis peccatis, *plenæ sunt.* Solet siquidẽ Scriptura quidquid crassum est, nomine sanguinis exprimere: quẽ citaui locũ, apud Esaiam est cap. 1. Sed ergone peccatores ab oratione excluſi sunt, aut nulla impetrãdi spes illis relinquitur? Interrogatio hęc vna responsione absolui nõ potest, cùm peccatorum non vnũ sit genus. Quidam enim agnoscunt peccata sua, atq; ex corde dolent quòd offenderint Deum. Alij nõ agnoscũt cùm pleni sint inuidia, ira, ambitione, superbia, &c. securè viuunt ac interim legunt septem Psalmos, & alias nescio quas preces. De his loquitur Esaias, de his & verũ catholicè est illud quod in Euangelio dicitur, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit*, & non Ioan. 9. f. Esa. 1. b. solùm non exaudit, sed & nauseat ad orationes eorum, imò ferre nõ valet: laboraui inquit sustinens, adeò graues ei sunt & molestæ. At qui agnoscunt in quibus sunt malis, atq; ab his liberari cupiunt, idq; toto pectore orant, tãtum abest vt repellantur, sed suauissimè inuitantur à Saluatore. Quis enim Matth. 11. d. nescit verba illa. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, respicere peccatores? Si quis dubitat profero manifestiorem Scripturam: Legis apud Hiere- Hierem. 3. a miam cap. 3. Vulgò dicitur. *Si demiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & cõtaminata erit mulier illa? Tu autẽ fornicata es cũ amatoribus multis, tum reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiã te.* Quid est reuertere, nisi agnosce fœditatẽ tuã? ac dole quòd me neglecto alijs adhæseris amatoribus, totoq; corde conuersa, pete ignoscẽ tibi, & suscipiam te. Quemadmodũ igitur prioris generis peccatoribus scriptura fiduciam adimit, dum negat preces ipsorum exaudiri à Deo, ita his fiduciam ingerit, dum vltro inuitat & indulgentiam pollicetur. Videas tamen plerosq; quos pœnitet peccati sui, quiq; ex animo dolent quòd offenderint Deum, nunquam assurgere in verã spem aut fiduciã, idq; propterea quòd non serio se exerceant cogitationibus fidei, quòd non cum animo suo verè expendant promissiones Dei, vtq; diuinam iustitiam cogitant, perpetuò gehennam ante oculos sibi ponunt, semper peccata mente versant atque reuersant, quo fit vt oraturi obruantur à pusillanimitate spiritus, qui quas pœnas, quæ tormenta, quas angustias patiantur, non puto verbis posse exprimi. Quare duram ipsorum sortem miseratus, tẽtabo si qua possum succurrere quo laborant malo.

Age igitur, quisquis de horum numero te agnoscis. Credis Deum præstare posse quod promittit? Credo inquis: nam omnipotens est. Credis quod promittit, id semper quoque præstare deũ? Credo, quia verax est. Credis Deum promisisse se preces nostras exauditurũ? Credo, nã id habet Scriptura. Quare igitur diffidis te accepturũ quod petis? Percurre nomina eorum quos referẽte Scriptura, preces ad Deum fudisse legis. Publicanus nõne quod petiuit obtinuit? nõne Magdalena quod quæsiuit inuenit? Latroni pulsanti nunquid non paradisus aperta est? Si agnoscis quod accipiat omnis qui petit, cur non in animum inducis quod & ipse accepturus sis, quod iuxta voluntatem Dei petis? Si quem patrem vocas in terris, accedis cum fiducia, eiq; quib⁹ opus habes exponis, optimè persuasus quòd id quòd petis, daturus sit: cur idipsum non & hic facis? cur nõ eadem, imò cur non maiori cum fiducia cœlestem Patrem accedis, cũ & natura bonus, & ad benefaciendum totus sit expositus? Quid enim? Nõnne in vulua matris ipse ossa tua compegit? nõnne spiritum membris alligauit: rationemq; qua Dei capax sis, indidit? Nõnne per singula momenta curam tui gerit, dum in vita quam semel contulit, vtq; te sulsit? Nõnne solem, lunam, stellas, causſa tui finxit? nõnne terram & quæ in ea sunt in tui gratiam condidit? Atq; vt hæc quæ conditionis sunt omittamus. Nõnne perditum te redemit sanguine Filij sui? atq; è faucibus Orci erutum te hæredem instituit regni, & vitæ, quæ perduratura est perenniter? Nõnne spiritum suum dedit arrabonem fœlicitis futuræ, in quo clamamus Abba Pater? Quid igitur, ac si, nunquam Dei erga te benignitatem expertus esses, fluctuas animo? & num quod petis acceptur⁹ sis vtq; hæsitas? Qui Filium dedit quo maius habuit nihil aut chariùs, quid tandem negabit? Si his non excitaris, prouoco rursus ad promissionem, promisit se præstiturum quod petimus, ergo præstabit: non enim mentiri potest, cum Deus sit. Et sanè si cum animo nostro expenderemus seriò verbum promissionis, non possemus non assurgere in fiduciam? Vt hoc credam, facit Manasses, de quo quartum volumen Regum narrat, quod effuderit tantùm sanguinis innoxij, vt impleret Hierusalem vtq; ad os, vt cætera omittam peccata quæ ibi referuntur quæ maxima furere. Atq; hic tantus peccator tanta fiducia orauit, vt gratiam Dei plane sibi vendicaret. *Tu Domine*, inquit, *secundum bonitatem tuam* 2. Paralip. 36. *promisisti pœnitentibus remissionem peccatorũ. Et tu Deus iustorum, non posuisti pœnitentiam iustis, Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi nõ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccauerunt: quoniam peccaui super numerum arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, incuruatus sum multo vinculo ferri & non est respiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci, statuens abominationes & multiplicans offensiones. Et nunc flecto genua cordis mei precans à te bonitatem Domine: peccaui Domine: peccaui, & iniquitatem meam agnosco. Peto rogans te Domine, remitte mihi, remitte mihi, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reserues mala mihi, quia indignũ saluabis me secundũ magnam misericordiam tuã, & laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi est gloria in secula seculorum, Amen.

Hanc orationem fudit ad Deum, cum captus teneretur in Babylone, quam volui recitare, vt agnoscere tis quãta cũ fiducia orauerit: An non grandis fiduciæ sermo, *Indignum saluabis me secundum magnam misericordiam tuam?* Quid est gratiam Dei sibi vendicare, si non hoc est, saluabis me? Et vnde huic fiducia hæc? Certè ex consideratione promissionis diuinæ: id indicat ipsius orationis contextus. *Tu*, inquit, *Domine secundum bonitatem tuam promisisti pœnitentibus remissionem peccatorum.* Hac promissione inuitatus, *flecto genua cordis mei*, facio quod requirit promissio, quare *saluabis me secundum magnam misericordiam tuam*, id est, secundũ bonitatem qua misericorditer promisisti pœnitentibus remissionem peccatorum. Hunc imitare, attende diligenter promissiones diuinas, in his seriò mentem exrece, vt semel concipias fiduciã. Nam ea nisi concepta fuerit, frustra cætera adsunt, videlicet dolor de peccatis malorum enumeratio, in qua mirũ quàm valeant quidam, quoquo tẽpore omnia quæ vnquam admiserũt peccata, recensere possunt, idq; vsq; agunt, semper confitentes & nunquam ad cõfessionis fructum pertingentes, quia quod præcipuum est negligunt, nimirum Fidem in Christum, quã diximus complecti, & certam persuasionem de misericordia Saluatoris, & fiduciã de impetranda misericordia. Quam Fidei explicationẽ palàm approbat apostolus tum cap. 4. epistolæ quam ad Rom. scripsit, tum 11. ad Hebræos. Explicans enim illis locis fidei naturam & vim: passim à fiducia ad credulitatem, rursus à credulitate ad fiduciã delabitur, videlicet subindicans se nomine fidei vtrumq; complecti. Atq; hãc fidem planè exhibent nobis, non solum duæ illæ parabolæ Euangelicæ altera filij prodigi, altera publicani, sed & hæc de Syrophonyssa conscripta historia. Nunquã enim finibus Tyri & Sydonis relictis, accessisset Saluatorem, nisi & misericordem credidisset, & fiduciam de misericordia obtinenda antè animo cõcepisset.

Nemo tamen sibi blandiatur, si hanc in se deprehendat fidẽ, quia nisi alia accesserint, haud quaquã sufficit. Et quæ inquis illa alia sunt? Imprimis seruor, hoc est, ea hic opus fide est, quæ voluntatem attingat, id est, qua fiat vt magno affectu petamus quę petimus. non enim vult Deus preces frigidas, nec placent ei quæ summis labijs admurmurantur orationes, qua in parte quã peccemus, melius vestra vobis dicet cogitatio, quàm meus sermo exprimat. Hic enim inter orandũ cogitat quid agat Cæsar: ille quid moliatur, Francorum Rex, alius quo in statu sint res Turciæ. Nõnulli quid valeant parentes, cognati, & amici? Plerique, qua via ad honores & magnas diuitias pertingant. Multi, sed quid pergo recensere vanas mortaliũ cogitationes? Planè sic oramꝰ, vt quid oremus nec ipsi intelligamus, imò nec aduertamus: amphora cœpit institui, currente rota vrceus exit. Cœpimus orare. Pater noster qui es in cœlis, atq; in medio cursu, aliò ignorantes abripimur, hoc est, incidimus in. Aue maria. Hoccine orare est? Vnde hæc tanta in precibus oscitantia? Ingens hic dicendi campus, & excurrere liberet, si per temporis angustiã liceret. Hoc interim dico, non attendimus magnitudinẽ eius cui supplicamus, quod si faceremus, fieri haud posset, quin maxima cũ attentione preces funderemus. Si enim dum terreno Regi adstamus, nõ solùm specie capitis, verumetiã ipsa voce, ipsa manuũ cõpositione, ipsa pedum cõiunctione, totiusq; corporis contractione reuerentiam exhibere conamur, cumq; omnia miro studio agamus, præcipuè tamen in hoc incũbimus, ne quid aliter atq; oportet, proferam⁹. Quãto diligentiùs id præstaremꝰ assistentes deo, si Maiestatem numinis attenderemus. Quid enim homo ad Deum collatus? Nónne Deus est qui aufert spiritum principum, qui dicit Imperatori morere, & obtemperare oportet? atq; vt maiestatem numinis omittamus, non aduertimus in quibus versamur malis, ideo languet oratio.

Qui enim cogitet, se prope ipsas positum tenebras exteriores ac inter gehennã & animam suam nihil esse medium præter vnam maceriam qua diruta, anima tartareis flammis tradẽda sit, nónne intensissimè clamet: Libera Domine animam meam, maximè si credat nulla alia via patère effugium? Rursus, quis cum animo suo cogitãs promissam sibi æternam vitam, modò peccatum declinet, non magno affectu gratiam Dei ambiat, si persuasum habeat absq; hac haud quaquam peccata se posse declinare? Hinc caro solicitat, illinc mundus blanditur, vtrinque impugnat diabolus, omnia ad casum conãtur impellere nos. Qui illæ si persistere poterimus, nisi per singula velut momenta nos gratia ꝓtexerit: nisi pro nobis dextera Dei vsq; dimicauerit? Hæc quia non cogitamus, ideo languent orationes nostræ ideo absq; affectu, absque spiritu precamur: quare nec exaudiri meremur. Auersatur enim Deus preces eiusmodi, quemadmodum in Apocalypsi videre est. *Vtinã frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus incipiam te euomere ex ore meo.* Quid est vtinam frigidus aut calidus esses? Vtinã horrore gehennæ concussus, toto affectu misericordiam implorares Dei, qua à tantò malo liberareris, hoc est, Vtinam frigidus esses: aut vtinam amore cœlestium succensus toto pectore gratiam ambires, qua omnia quę quoquo modo obsistunt, quò minùs cœlestib⁹ inhæreas, semel valeas abrumpere, hoc est, Vtinam calidus esses: sed quia tepidus es, quia langues in oratione, & nec horrore gehennę, nec amore cœlesti exstimularis, vt totus in preces assurgas, incipiam te euomere ex ore meo: Figuratus sermo est. Solemus euomere, quod nauseam mouet. Significat ergo non solùm sibi gratas non esse, sed & nauseam mouere quæ absq; spiritu à nobis preces funduntur. Quare non quæuis fides hic sufficit, sed vt exaudiamur feruenti fide opus est, qualem nobis exhibet historia Chananeæ, quemadmodũ ostensuri sumus quãquam nec hæc sufficiat: frustra enim attento animo ardentiq; affectu oraueris, nisi & humili spiritu ores. Humilium oratio semper placuit Deo, ea nubes penetrat, & quidẽ ea sola, *Ad quem*, inquit per prophetam, *respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum corde, & tremẽtem sermones meos?* Quare agnoscamus nos peccatores. Nam tales agnouerunt se omnes Sancti, Agnoscamus nos indignos qui exaudiamur, atq; ita oremus cũ Daniele, *Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi, & aperi oculos tuos & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Dñe, placare Dñe, attende, & fac. Ne moreris propter temetipsum Deus meus, quia nomẽ tuũ inuocatũ est super ciuitatẽ & super populum tuũ.* Vides sanctũ prophetã nõ suã nitentem iustitia aut populi, sed vna ac sola dei misericordia, quare & exaudiri meruit, nam sequitur: *Cumq; adhuc loquerer & orarẽ & cõfiterer peccata mea, & peccata populi mei Israẽl, &c. ecce vir Gabriel quẽ viderã in visione à principio citò volãs tetigit me in tẽpore sacrificij vespertini, &c.* Qui aliter orãt, hoc est, qui confidunt in iustitia sua sibi placentes, reijciuntur à Deo. Cuius rei pulcherrima pictura est apud Lucam, cap. 18. *Duo*, inquit, *homines ascendebant in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omniũ quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens. Deus propitius esto mihi peccatori.* Audistis amborũ orationẽ, iam sententiam audite Saluatoris: *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, hoc est, phrasi Hebræa, præ illo. Parabola non tam leuiter transmittenda est cum insignis sit, & digna quæ perpetuò versetur ante oculos eorum, maximè qui crassa peccata, quæ omniũ oculos incurrunt, vt ebrietatem, fornicationẽ, atq; id genus alia, vitant, quiq; studio tenẽtur quærendi Dei, frequenter ieiunant, sæpe orant, à multis licitis abstinent, non miscent se conuiuijs, hominũ turbas declinant, modesto vtuntur habitu, atq; vt semel dicã, ita planè aguht, vt insignis cuiusdam religionis specimen de se præbeant. Ante horum inquam oculos perpetuò versari debet parabola, ne fiducia operum extollantur, ne sibi placentes alios iudicent, ne occultè despiciant illos, quos externa illa iustitia nõ pollere conspiciunt: nam qui hoc modo sibi placẽt, Deo displicẽt, Christo maximè exosi sunt, imò gratior est scortatoris, qui à peccato se auertit, oratio, quàm horum. Fide ergo opus est, vt feruenti ita minimè superba, minimè inflata, quanquam nec hæc sufficiat. Nam videas plerosq; magno affectu atq; humili spiritu preces fundere, nec tamẽ obtinere quod petunt: In causa est, quia non perstant in precibus.

Orant semel atque iterum, vel vna aut altera hebdomada, & quia non experiuntur orationis suæ fructum, cessant deinde à precando: Non est hic quę Scripturæ commendant orandi modus, perseuerantia opus est: Si nõ primò exaudiris, secundò orare oportet, si nec tum exaudiris, orare oportet tertiò. Si non præstetur hac hebdomada quod petis, præstabitur altera: si non altera, sequẽti mense dabitur, hoc est, tandem. Id docet parabola illa de iudice iniquo, qui nec Deũ timebat, nec homines reuerebatur, quem quum vidua sedulò interpellaret, vt vindicaret eam de aduersario suo, atque ille nollet per multum temporis: tandem tamẽ mulieris importunitate victus, vindicauit eam. Rursus illa, de eo qui media nocte amicum accedens, tres panes accommodato petit, qui & si non impetret ea ratione quòd amicus sit, tandem tamen per importunitatem si perseuerauerit pulsans, impetrabit tot pa-

Apoc. 3. c.

Esai. 66. a.

Dani. 9. a.

Luc. 18. c.

Luc. 18. a.

Luc. 11. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rus quot habet necessarios. His innixi perimus orando, nec tempus aut modũ Deo statuamus. Dicimus interdum hactenꝰ impetrare non potui quod à Domino petiui, tentabo adhuc vna hebdomada, si fortè exaudiat. Non est iste sermo qui misericordiã prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. *Posuistis vos*, ait Iudith, *tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei?* Nouit Dominus quando & quomodo nostris precibus satis facere velit. Nos perstemus orando. Non fallet qui exauditurum se promisit.

Iudith. 8.

Hactenus ex scripturis ostendimus fide opus esse in precibus, atq; ea nõ vulgari, sed feruenti, sed humili, sed constanti, hoc est, qua fiat vt magno affectu petamus, quæ petimus vt nostræ iustitiæ diffisi, diuinæ nitamur misericordiæ, vt non frangamur desperatione seu tædio, si non mox pro voto exaudiamur, sed perstemus crãdo. Restat iam vt declaremus eiusmodi fuisse fidem mulieris Chananitidis, quam ceu typum hac in re proponi diximus. Historia hũc in modũ habet. *Egressus Hierosolymam*, quæ metropolis est Iudææ, *secessit Iesus in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa à finib' illis egressa clamauit dicens ei, miserere mei, &c.* Quo affectu, quàm vehementi, quã ardenti petierit, indicat præter cætera illud, clamauit: *Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit*, ne semel aut iterũ, vel leuiter clamasse ostendit vox illa Apostolorũ. Dimitte eam quia clamat post nos: Habebat ergo rem cordi. Et quemadmodũ magno affectu, ita magna cũ humilitate petebat, id docet ipse orationis contextus. *Miserere mei*, ait *Domine Fili Dauid, Miserere mei.* Non est bonũ, inquit, in actibus meis, non mihi de cõuersatione mea, de iustitia mea quicquã adscribo, sed ad misericordiam tuã confugio, Miserere mei. Et quo magis perspiciatis quãta eius fuerit humilitas, animaduertite quid Saluatori dicẽti. *Non est bonũ sumere panem filiorũ & mittere canibus*, responderit. Si nostrum cuiquam tale quippiã diceretur, mox puto vehemẽter excandesceret, Responderet, ergóne canis sum? Non ita mulier hæc gentilis, agnoscit quod audit, & eadem humilitate qua cœpit, pergit rogare. Cupio transire ad alia, sed vereor, ne quid velim, non satis assequamini. Tentabo ergo si possim dicere clariùs. Nos Christiani sumus & gaudemus hoc nomine. Quotusquisq; nostrũ est qui verè agnoscit hoc quod est, id est, qui miserum se æstimat, qui peccatorem se fatetur, qui dignum se iudicat, qui ab omnibus despiciatur. Quotusquisque inquam est talis? Iam inter eos qui agnoscunt se miseros & peccatores, planeque dignos qui despiciantur ab omnibus, quotusquisque est qui patienter audiat, si ab alijs talis prædicetur. Quantum absumus à virtute fœminæ, & quidem fœminæ gentilis. Quid vilius cane? Hæc non solùm canem se agnoscit, sed & dum canis appellatur, patienter audit. Raræ ergo & insignis cuiusdam humilitatis exemplum in muliere hac nobis propositum est. Iam quàm constanti fide orauerit, malim vos cum animis vestris cogitare, quàm me dicere: Vereor enim ne dicendo non assequar, quod proponere voluit historia. Inprimis animi sui votum ac desiderium his verbis exposuit. *Miserere mei Domine Fili Dauid, Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Ad quæ nullum omnino responsum à Saluatore ei datũ est. Quæ sanè res deijcere poterat animum mulieris, at illa deiecta haud est, sed fide robusta perstitit in eo quod cœperat, certò confidens accepturam se quod petebat. Vtque facilius impetraret, discipulos Saluatoris, vt pro se intercederent, petijt. Illi cupientes liberari à muliere (nam molesta erat) dixerũt Christo. *Domitte eam, quia clamat post nos.* Respondit ipse. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* En responsum, sed tale quòd planè desperationem ingerebat, quare & discipuli desiterunt petere, at non mulier, sed contra spem in spem credens aduoluta genibus Saluatoris, *Domine*, inquit, *adiuua me.* Respondens Saluator, *Non est bonum*, ait, *sumere panem filiorum & mittere canibus.* Quod quidem responsum eiusmodi fuit, vt non solùm impetrandi spem adimere, verumetiam bilem mouere poterat, & irritare animũ quantumuis mansuetum. Hæc tamen nec leuiter concitata, nec à fiducia quam animo conceperat, dejecta, mira lenitate respondit pergens precari, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorũ.* Etiam Domine ναὶ κύριε, confirmantis est aduersum Dominẽ, non refellentis ac si dicat, verum est quod dicis, Vocas me canem, & non aliud sum quàm canis, agnosco appellationem. Et quia indecorum est panem filiorum obijcere canibus, & hoc ego agnoscens, non panem peto, quo fruuntur filij accumbentes in mensa, sed id solùm impetrare cupio, quòd Domini non negant catellis suis, id est, micas decidentes. Quis non miretur hũc mulieris affectum? hanc in petendo constantiam? humiltatem hanc animi? certè Saluator videns hęc haud potuit continere viscera misericordiæ suæ, sed ait, *O mulier magna est Fides tua, fiat tibi sicut vis.*

Matth. 15. c.

Exposui, & vt puto clarè, quæ Fides commendetur in Euangelio, quæ quantum differat ab ea, quam iactant iam nostri seculi plerique, ipsi puto mecũ iuxta agnoscitis. Rara, rara est

est hæc fides. In paucis inuenire est. Dent mihi quempiam præditum hac fide, & lubens concedam fidem obtinere omnia, quæ ipsi adscribunt fidei. Quàm rara sit & inuentu difficilis fides hæc, ex Hieronymo, viro vt nomine, ita & re verè sancto pernoscite. Scio enim plurimùm apud vos valere eius sententiam. Is aduersus Luciferianos cùm meminisset Historiæ de Hemorroissa conscriptæ, Fides inquit, quæ hic & alijs locis Euangelij laudata est, simplicitas mentis & erga Deum deuotio est intelligenda. Dicebat enim in corde suo. *Si tetigero vestimentum eius tantùm, salua fiam.*

Hæc est fides quæ etiam apud eos qui bene credunt, difficile perfecta inuenitur. Fiat tibi inquit Deus secundum fidem tuam. Hanc ego vocem audire nolo: Si enim secũdum fidem meam fiat mihi, peribo. Et certè credo in Deum patrem, credo in Deum filium, & credo in Deum Spiritum sanctum. Credo in vnum Deum, & tamen secundum meam fidem nolo mihi fieri. Sæpe enim venit inimicus homo, & inter Dominicã messem zizania interserit. Neq; hoc dico quòd maius quidquam sit quàm Sacramenti fides, quàm puritas animæ, sed indubitata ad Deum fides arduè reperitur: Verbi gratia dictum sit, vt quod volumus perspicuum fiat, ad orationem adsisto: non orarem si non crederẽ, sed si verè crederem, illud cor quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec priùs amitterẽ, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est fides: Siccine putamus orasse Ionam? Sic tres pueros? Sic Danielem inter Leones? Sic certè Iatronem in cruce? Hactenus Hieronymus: locus planè aureus est. Omnes iam audire volumus vocem hanc, Secundum fidem tuam fiat tibi. Nemo tamen adeò impudens est puto, vt cum Hieronymo sese conferre audeat. Atque hic cùm non vulgari fide instructus esset, & vita ac sanctitate polleret, hanc vocem ait ego audire nolo. Si enim secundum fidem meam fiat mihi, peribo. Intelligebat siquidem, quæ fides laudata esset in Euangelio, quam in se non agnoscebat. Vt dicendi finem faciamus. Ostendimus fide opus esse in precibus quam explicauimus complecti & certam persuasionem de misericordia Saluatoris, & fiduciam de obtinenda misericordia, quæ vt vtilis sit, diximus feruentem esse oportere, humilem & constantem. Cuius typus in Syrophœnissa exhibitus nobis est, quã imitemur, vt votorum nostrorum possimus fieri participes.

IN DOMINICA Letare, Homilia.

EPistola quam hodie nobis apponit Ecclesia, insignis est, sed supra modum difficilis, & nescio an de ea differentem omnes me intelligerẽt, quare illa omissa tractabo Euangelium, Oremus Dominũ pro gratia, Aue Maria.

EVangelium scribitur. 6. capite apud Iohannem & est istud: *Abijt Iesus trans mare Galilææ, &c.* Dominus Iesus ad tempus cedens Iudæorum insaniæ, denuo proficiscitur in Galileam non iam rursus Cana, sed in eam quæ est vltra lacum quæ dicitur Tiberiadis, ob ciuitatem Tiberiadem à Tiberio Cæsare nominatam, lacui imminentẽ ad eius occidentale litus. Hunc autem proficiscentem secuta est ingens hominũ multitudo, partim allecta cupiditate miraculorum, quia viderant eum insolita virtute tollentẽ morbos hominum: partim vt ab eo sanarẽtur, qui morbis immedicabilibus tenebantur, partim illius inhiantes doctrinæ. Subijt ergo in montem Iesus. Cùm videret Dominus tantum ardorem promiscuæ multitudinis, vt obliti etiam cõmeatus ipsum procul in loco deserto sequerentur, in mõtem subducit sese vnà cum discipulis, ipsa re docens, eum qui populi se pastorem profitetur, quanquam vt prosit suis, adesse eis plerumq; debeat, tamen nonnunquam oportere secedere nõ dico ad compotationes, ad Venerem, aleam, & similes voluptates, sed in hoc, vt in otio animus negotijs crassioribus fatigatus, purioribus votis, continuis precibus, sacris studijs, sanctis colloquijs ad Euãgelij munꝰ instauretur, vt alacrior & instructior redeat ad populi cõmodis cõsulendũ.

Quum verò hæc gerũtur in Galilæa, proximè ait Euãgelista, instabat paschæ dies Iudæis cum primis religiosus. Atq; magis iam conueniebat illum versari Hierosolymis, si religionis opinionem voluisset sibi consiliare. Verum vt imagine quadam rerum, significaret cessaturum omnem carnalem eorum cultum, atq; ibi demum pure celebratum iri pascha, vbicunq; relictis mundanis affectibus ad cœlestium rerum contemplationem transferetur animus, maluit esse apud Galilæos in desertis, quàm Hierosolymis in templo. *Quũ subleuasset ergo oculos Ie-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus & vidisset quia multitudo maxima venit ad eũ, dicit ad Philippũ: Vnde ememus panes, &c. Notate quod ait, Cùm subleuasset oculos Iesus. Sedebat ergo dimissis oculis, discamus hic modestiam. Video plerosq; vagis incedere aspectibus, hac atq; illac, imo in omnẽ partem circumferre oculos, quod præter id quòd vanam arguit mentem, maximis dinoscitur periculis coniunctum esse. Dicite mihi, quid Euam seduxit? nónne oculi? *Vidit ait Scriptura mulier, quòd bonũ esset lignũ, ad vescendum, & pulchrũ oculis, adspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditq; viro suo qui comedit, & aperti sunt oculi amborum.* En quo modo ad mandati primi præuaricationem progressum, quaque ratione in has miserias, quibus vsq; in hunc diem præmimur, deuentum est. Gens. 2. b.

Et ne solã Euã putetis seductã, pergite in Genesi, & legite caput sextum, in eius statim initio sic scriptum est. *Cùm cœpissent homines multiplicari super terrã, & filias procreassent, vidẽtes filij Dei filias hominũ quòd essent pulchræ, acceperũt sibi vxores ex omnibus quas elegerãt. Dixitq; Deus. Non permanebit spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est, & induxit aquas diluuij & perdidit oẽs.* En causã diluuij vniuersalis, libido: causã verò libidinis, mala oculorum custodia. *Videntes*, ait Scriptura, *filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt*, &c. Sed & dauid in adulterium incidit, atq; ex adulterio in homicidium nec alia ex 2. Reg. 11. a. causa quàm ex incauto adspectu. Deambulans enim in solario domus regiæ, vidit mulierem se lauantem ex aduerso: erat aũt mulier pulchra valde, videlicet Bersabee vxor Vriæ, misit nuntios & aduocauit eam, dormiuitq; cum ea 1. Regũ cap. 11. Vt iam taceam de vxore Loth, & filia Iacob Patriarchæ Dina, quarum hæ dum vadit spectatum puellas alienigenas, rapta est & oppressa: illa dũ post tergum curiosè respicit, versa est in statuam. Vnde Saluator in Euangelio, *Memores*, ait, *estote vxoris Loth.* Terreãt nos huiusmodi casus & exitia, & prouidos reddant. Non est, quòd confidamus de animi constãtia. Non sumus perfectiores quàm erat Eua, quæ in iustitia & rectitudine creata est. Non sanctiores sumus filijs Dei, hoc est, posteris Seth, qui ob eximiam religionem, Filij Dei appellati sunt. Et non sumus maiori virtute prædíti Rege Dauid, de quo Deus ipse pronuntiat: *Inueni virum secundum cor meum.* Quia omnes cõcupiscentia oculorum victi præuaricati sunt, vt audiuistis. Possem & alios multos in medium producere, qui huiusmodi præcipitia ruinarum experti sunt, quorum meminit Scriptura, sed superuacaneum puto, cùm quotidiana exempla in oculos incurrant. Quanti enim & quales nostra tempestate, quam egregij adolescentes Louanij perditi sunt per malam oculorum custodiam. Ante nos cum ista tractentur, quare non pertimescimus? Quare non coercemus oculos, ne inspiciãt formas alienas, maximè fœminarum, vnde tam multi perierunt? De carbonibus scintillæ disiliunt. De ferro rubigo nutritur. Morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscẽtiæ pestilentiam. Aculeus peccati est forma fœminea. In fœmina nihil est aliud, nisi quòd feriat intuentem. Et sit aliquis ita constantis animi, vt non pertrahatur in concupiscentiam, nunquid euadere poterit mentis inquietudinem? Oculi nostri portæ sunt animæ, quæ dum ad omnia patent, omniũ etiam species ac formæ per eas ingrediuntur ad animam, quæ eius tranquillitatẽ perturbant. Hoc licèt non percipiamus quamdiu in turbis sumus, certè experimur cùm ad silentium reuertimur, cùm Deo vacare volumus, in lectione horarũ, in sacrificio Missæ, in studijs, ibi sese offerunt earum rerum quas cõspeximus species, nec sinunt animũ liberè intendere præsentibus. Et fit nec id ra rò, vt quod vno momento intrò per visum hausimus, vix longo tempore defricare possimus. Et sit aliquis qui nec istud incommodi patiatur quod vix puto esse possibile, quid aliud est, quàm curiositas? omnia velle intueri, videre quis sit ille, quæ sit illa, quis habitus, quæ forma, quis incessus, &c. Si honestatem diligitis, si puritatem cordis adamatis, si pericula & ruinarum præcipitia declinare cupitis, demissis oculis accumbite, Insigne ornamentum est, & signum mentis bene compositæ, demissio oculorum. Demissio oculorũ propè res est vna (vt ille ait) solaq;, quæ possit facere & seruare beatum. Quod attendens beatus Iob & antè in se expertus. *Qui inclinauerit*, ait, *oculos suos saluabitur*, Fortè iam quærat aliquis. Ergo vis vt vbique demissos habeam oculos, nec vnquam quæ alterius sunt, videam? Dico, Si ex causa, hoc est, vt fratris miseria inspecta, ipsum iuues, oculos attollas, bene facis: Nã hoc Saluator fecit. Rursus si oculos attollas, vt auxilium poscas ab alto, bene facis: quia imitaris sanctum prophetam, qui ait, *Leuaui oculos meos in montes, vnde venit auxilium mihi.* Sin aliàs, hoc est, absque tua vel fratris necessitate hoc agas, non prophetam, non Saluatorem, sed Euam, sed vxorem Loth, sed Dinam, imò potiùs Satanam imitaris. Nemo miretur de digressione tam longa, mores exigunt, pericula cogunt hic prolixum esse, & nisi vererer offendere castas aures, dicerem multa quæ nunc silentio premo: Tibi nomine qui habes scientiam cunctorum, cognitum est quæ, quàm horrenda hinc quotidie accidant. Quod meus non dicit sermo, tuus qui vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum pertingit, intus loquatur, & doceat oẽs. Vt ad Euangelium reuertamur. Psal. 72. a.

Quum Iesus sublatis oculis vidisset supra modum numerosum esse multitudinem, & commeatu destitui, dicit ad Philippum, *Vnde ememus panem vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eũ.* Quid sit tentare dum Deo tribuitur, optimè docet liber Geneseõs vbi cap. 22. sic legimus. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Surrexit Abraham nocte, perrexitq; eũ filio suo ad locum de quo mandauerat Deus, cumq; post tertium dierum venissẽt ad locum, extruxit altare in monte, & imposuit filium suum, arripuitq; gladium vt immolaret eum.* Attendite iam ad ea quæ sequuntur: *Et ecce Angelus Domini clamauit de cælo, dicens: Nõ extendas manum tuam super puerũ. Nunc cognoui quod timeas Dominum, & nõ pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* Tentare ergo Dei, est arduũ aliquod opus proponere, siue etiam graue aliquid & molestum infligere, atq; hoc eius rei gratia, vt probet hominem an verè colat Deum, an verè amet Deum, & verè ei obediat. Genes. 22.

Sic mandato hoc de immolatione Isaac probauit obedientiam Abrahæ, quanti Abraham faceret Deum in corde suo. Sic cæcitate immissa probauit fidem Tobiæ, num in aduersis etiam immobilis permaneret in timore Domini.

In Euangelio verò præsenti, quæstione de satiãda multitudine proposita, probare voluit animum Philippi, an verè crederet Christum ex paucis panib' satiare tam numerosam posse populi multitudinem.

Sed dixerit quis, cùm ipse inspiciat corda omnium, quid opus est hic experimento? Experimentum de nobis facit Deus, non quò ipse discat vires nostras, sed vt nobis hæc cognita fiant: quãdiu enim tentati nõ sumus, ignoramus an verè diligamus Deũ, ignoramus an pluris faciamus ipsum quàm temporalia, vitam, vxores, liberos, agros, pecuniam, &c. sed per tentationem hoc claresci. Quod ergo dicitur in Genesi, *Nunc cognoui quòd timeas Dominũ*, sic intelligite: Mãdato hoc de immolatione Isaac, teipsum tibi, & virtutẽ obedientiæ tuæ notam feci orbi. Nunquam tam illustris fuisset obedientia Abrahæ, nec patientia Tobiæ, si tentati non fuissent. Istud dum bene intelligitur, mirum in modum consolatur animum hominis, imò gloriari ipsum facit in malis quæ patitur, quia persuasum habet illa euenire ad probationem sui, vt per mala & aduersa probatus, ipse sibi cognitus fiat, & ex cognitione sui, vel in spem assurgat, vel ad humilitatem erudiatur. Qui enim re ipsa didicit per mala scilicet & aduersa quãti faciat Deũ, quòd amore cœlestium nónihil ferre possit, quamuis durũ & insuaue, vehementer erigitur in spem vitæ cœlestis, sperare audet se de numero illorũ esse quibus in Euãgelio apud Lucam loquitur Saluator. *Et ego dispono vobis regnũ, sicut disposuit mihi Pater, vt edatis & bibatis*, &c. Sed & is qui experientia didicit, quàm nihil valet pro Christo pati, quàm adhuc rudis sit in rebus Dei, in reb' fidei & religionis humiliat se & desinit alta de se sentire, qui ante magna sentiebat. Luc. 22. c.

Rogatus itaq; Philippus, quum expenderet quã exiguum esset ipsis pecuniæ subsidium, adhæc quàm ingens esset hominum multitudo, respondit, Domine quid queris de panibus emendis? etiam si ducentis denarijs emamus panes, vix sufficerent, non dico ad saturandos illos, qui iam longa inedia fatiscunt, sed vt vel paululũ gustantes singuli, famis periculum effugiant. Vbi Philippus hæc dixisset, Andreas frater Simonis Petri aliquãto in fide prouectior ait ad Iesum. *Est hic puer quidã qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces, sed* hæc *quid* sunt *inter tantos?* Non omnino diffidebat Christum posse auguere panes & pisces, sed ad moderatam portionẽ, sicvt à pautioribus minus, ex pluribus plus accresceret. Iesus vbi satis expertus est rudes illorum animos, erigere volens ad exspectationem miraculi, mandauit illis vt populum discumbere facerent in gramine. Nam erat illic graminis multa copia; discubuit populus. Erant autem ferme quinque milia. Acceptos ergo quinque panes hordeaceos, Iesus postquam ex suo more gratias egisset Patri, fregit, tradiditque discipulis, vt distribuerent populo. Iam quod fecerat de quinque panibus, idem facit de duobus piscibus, distribuens discipulis, ac inter distribuentis manus ipsius arbitratu crescebat obsonium, quantum sciebat omnibus saturandis sufficturum, etiam vsque ad largam redundantiam. Quum iam multitudo cibo repleta esset, quò certior esset miraculi fides, ne quis præstigiũ aut imaginationẽ causaretur, dixit discipulis suis. Colligite reliquias conuiuij, ne quid pereat. Tantũ autem reliquiarum cõpertum est superfuisse saturis omnib', vt ex his impleti sint cophini duodecim. Porrò qui saturati fuerant, quum nõ ignorarent, non repertos fuisse nisi quinque panes eosq; ordeaceos & duos pisces, iamq; tantùm viderent cophinorũ supereſſe, cœperunt magnificare, & magnificè prædicare de Iesu, dicentes, hic

Universidad de Deusto
Biblioteca

est verè propheta ille iam diu expectat', qui venturus credebatur in mundum.

Multa sunt in sacra Scriptura, quæ animũ hominis excitant ad sua, vbi necesse est, alijs libenter impartiendũ, sed nescio an aliquid efficacius quàm factum pueri huius Euangelici, qui cùm quinq; tantùm panes & duos haberet pisces, essetq; in deserto vbi fortè nec ipsi soli sufficissent, libenter tamen totum commeatum suum in vsum contulit aliorum. Quid hic dicturi sunt illi, quibus opes maximæ sunt, quibus amplissimi thesauri, quibus arca plena est auro, nec tamen quidquam largiuntur indigentibus? Sed & illi qui largiuntur quidem, sed illiberaliter & parca manu? Habitant in vicinia mea honesti homines, habent prolem multam, pecuniarum nihil, victum conquirunt quotidiano labore, contingit incidere in morbum, non habent amicos, patiuntur magnã inediam: audio illud, mitto famulum, do quinq; vel sex stuferos, quid est quid quinque stuferi vbi tam numerosa proles? & tanta indigentia? non panis in domo est, non obsonium, nõ ligna vestes, vetustate detritæ sunt & laceræ, tectum perstillat, vt cætera taceam, obsecro quid iuuare hic possunt quinque stuferi? si verè & ex animo illis cõpateris reclude thesauros tuos, mitte aliquot aureos, sentiant beneficium tuum miseri. Sed si dixeris, Si hoc modo egero, ipse postea indigebo. Non ita secum cogitabat hic puer Euangelicus. Non dicebat Andreę, in loco sum deserto, præter quinque panes & duos pisces, nihil habeo, illos si dedero, fames periculum ipse incurram, non hoc dicebat, sed mox libens admodum totum cõmeatum dedit. Et audistis in quãtam copiam exilem illum commeatum quinque panum, & duorum piscium auxerit Domini benignitas, augebit & vestra bona, si largiter suppeditaueritis pauperibus ea quibus opus habent. Hoc docet Euangelium: & luculentiùs Paulus in posteriori Epistola ad Corinthios. cap. 9. vbi cùm dixisset, largam esse oportere in pauperes beneficentiam, mox subijcit. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & cætera.* Quibus verbis præoccupat timidas cogitationes mortalium: videbat quosdam ita respondere posse. Persuadere nobis conaris, vt liberaliter nostra conferamus in pauperes sanctos, non parcè aut coactim: admittimus exhortationem, sed si hoc egerimus, ipsi indigebimus. Hoc ergo amouet Apostolus. Non est, ait, vt vobis metuatis, magno cùm fœnore vestrum ad vos redibit beneficium. Faciet Deus vt vobis & semper suppetat panis, quãtum ad vsum vitæ satis est, quoque subinde positis sanctorum inopiæ succurrere, multiplicabit sementem vestram, simulq; augebit prouentum vestræ iustitiæ, vt omni virtutum genere locupletemini, semperque proficiatis in omnem animi simplicitatem atque candorem. Postremò & hoc docet Euangelium. Si verè & ex animo quæsierimus Dominum, non patietur nos perire inædia, etiam si fuerimus in deserto. Vidistis in ista multitudine, sequuti erant Dominum ob causas quas diximus procul in loca deserta, cumq; cibariorum laborarent penuria, benignitate sua pauit eos Dominus, atque hoc vsque ad largam redundantiam, quod & aliàs ipsum fecisse legimus in Euangelio, nec in Euangelio solum, sed & in veteri testamento. Nota est historia de filijs Israel passis mãna in solitudine annis quadraginta. Nota est & historia Danielis, cui modo adeò mirabili prandium misit in lacu leonum. Sed & Heliæ, quẽ diebus aliquot pauit per coruum. Et si nihil omnino huiusmodi exhibitum esset, habemus promissionem certissimam apud Matthæum, cùm dicitur: *Primùm quærite regnũ Dei, & cætera omnia adijcientur vobis.* Confirment hæc spem nostram, & omnem sollicitudinem nostram in Deum proijciamus, quoniam ipsi cura est de nobis. Ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Exodi 16.

3. Reg. 17.

IN DOMINICA PASsionis Homilia super Euãgelium.



EVangelium præsentis diei describit Iohan. cap. 3. de quo exactè singula disserere, non vnius horæ opus est, quare pleraq; leui brachio percurremus, nihil tamen intactum relinquemus. Tria autem potissimùm explicabimus, qualis debeat esse prædicator verbi Dei, quo symbolo agnoscantur Filij Dei, quid boni pariat obseruantia mandatorum Dei, Oremus Dominum, vt cùm fructu, quod concepimus eloquamur. Aue Maria.

EXordium Euãgelij hoc est: *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Verba sunt Saluatoris ad Scribas & Pharisæos hostes suos infestissimos: Iam annis aliquot versatus sum inter vos (ait) in tẽplo, & in synagogis docui studiose obseruastis me, deprehendistis in dictis meis vllũ mendaciũ? deprehẽdistis in factis vllum crimẽ: si nemo est ex vobis omnibus qui peccatum vllum possit impingere mihi, si nemo est qui quicquã in me ea doctrina,

Ioan. 8. c.

ctrina conuincere queat, quòd à rectò veroq; dissideat, quare nõ creditis mihi. Grãdis fiducia: non ignorabat Saluator quales erant Scribæ, quales erant Pharisæi, quã pleni inuidia, quàm pleni malitia, quàm iniqui sibi & infensi, tamen hos cõpellans ait, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Talẽ esse oportet concionatorem inculpatæ vitæ: Ad eum enim pertinet quod Esaiæ. 58. dicitur. *Clama, ne cessis, quasi tuba exalta vocem tuã, & annuncia populo meo scelera eorum & domui Iacob peccata eorum.* Non satis est ex suggestu populo proponere misericordiam, & iustitiam Dei, docere in quibus rebus situs sit cultus Dei, qua ratione contingat remissio peccatorum, non satis est Euangelium aliquod, aut epistolam explanare, & dicere quibus vitijs laborabant homines quando Iesus prædicabat, quando scribebat Apostolus. Imprimis oportet concionatorem aduertere seculum suum, quibus studijs homines sui temporis teneantur, quid amẽt, quid timeant, quid sectentur, quo perspecto, clarè proponere & magna fiducia spiritus constantia ac vehementia damnare oportet mores præsentes: hoc concionatoris munus est.

Id autem quomodo faciet is, qui eisdem vitijs inuoluitur, quibus alij? Qua fronte dicam contra luxum mensarum, quem maiorem hodie video apud clerum, quàm vulgus, si ipse sectetur prandia & conuiuas? qua audacia reprehendam eos, qui videri volũt ieiunare, & interim vesperi proponi sibi faciunt, non dico reliquias prandij, sed varia bellaria, delicata vina, quib' tam largè vtuntur, vt si vel toto die nihil gustassent, satis esset ad vitam sustẽtandam, qua inquam audacia reprehendam eos, si ipse similis sum eorum: & sum adeò impudẽs, vt hoc audeam: nonne qui præsentes estis dicetis mihi: Medice cura te ipsum? quanta audiuimus te dicentem, videamus & facientem, & tum adhibebimus tibi fidem.

Prima ergo cura concionatoris (quod & alias me dixisse memini) versari debet circa mortificationem sui ipsius, non solùm à crimine liberum esse oportet, sed talem omnino præstare se debet, vt dicere possit, quis ex vobis arguet me de peccato? Non ignoro præsentem hãc vitam non transigi sine peccato: iam scriptum est, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, duci tamen vita præsens potest absq; crassis illis venialibus & pinguibus peccatis, quæ apud homines etiam reprehẽsione dignum faciunt. Ab huiusmodi purum se seruare debet, cui concionandi munus incumbit: Et qui talem se præstat, ille demum cum fiducia loqui potest. Non tamen hæres concionatorem absoluit: præter puritatem vitæ in concionatore requiritur eruditio: videas namque plerosque vitæ inculpatæ prorsus, veros contemptores sui & mundi, feruẽtes in rebus Dei, qui omne studium huc cõferunt, vt negocium Euangelij promouean, parum tamen proficiunt: qui eruditione destituuntur, non plenè didicerũt quid complectatur beneficium Christi, non sciunt quibus rebus constet iustitia, nesciunt quorsum adhibentur opera nostra, ignorant virtutem fidei, & quia ista ignorant, frequenter fatua loquuntur. Quod licet vulgus frequenter non aduertat, aduertunt tamen qui docti sunt, apud quos eorum perit auctoritas, vt & quæ rectè dicunt, non æstimentur. Studere ergo oportet concionatorem, sine studio non peruenitur ad sapientiam, sine studio peruenire non potest mens quò tendit: Nec studere solùm oportet, sed & orare, imò plus orare quàm studere, quia plus hac in re valet oratio quàm studium: quod vtinã tam esset persuasum omnibus, quàm verum est. Videas plerosque (quod cum lachrymis dicendum) preces quas horarias vocamus maxima cum celeritate, haud secùs ac si flagello à tergo vrgẽte turipercurrere, quos dum rogas, quare id faciant, dicunt, concionandum est, disputandum est, prælegendum est: hoc autem præstare non possumus absque multo studio: quo igitur liberiùs vacemus studijs expedimus nos ab horis: Heu rem indignam. Attendite parum qui ciusmodi estis, ad ea quę dicam, imo respondete mihi ad ea quæ proponam: Nonne omnis sapientia à Domino Deo est? ac tantum intelligit quis quantum Deus dat, & non plus? Deus autem nonne his potissimum suggerit spiritum intellectus & scientiæ, qui illum continuis precibus, puris votis ambiunt, flagitant, & deposcunt? Res apud me certa est, si aliud vos sentitis, agite, quid virum illum cuius ab ore dulcis vti mel fluit oratio, fanctum dico Bernardum ad tam sublimem diuinorum cognitionem euexit, si non oratio? Quid beatum Fr. Ciscum, de quo illius tẽporis Theologus non minus verè, quàm scitè dixit, huius scientia instar aquilæ, pennis in sublimè fertur, nostra verò graditur in terra, hue perduxit, si nõ oratio? Vterq; oratione obtinuit Deum habere doctorem, ille erigebat ipsis aurem, hoc est, auscultare iubebat quotidie, & ipsi eum audiebant tanquam magistrum: propterea & multò feliciùs concionabantur, quàm nos facimus hodie, qui omnia haurimus ex libris.

Sed ad institutum reuertamur: oportet (dicimus) concionatorẽ imprimis vitæ esse inculpatæ, deinde eruditum: alterũ si desit, parum

Universidad de Deusto
Biblioteca

parum proficiet concionibus suis. Vtrunq; si adsit, si non credatur ei, ipsi viderint auditores, quod cõcionatoris est, exhibuit: hoc est quod ait Saluator: *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Nihil quod in bono cõcionatore requiritur, in me desiderare potestis, si vitam spectatis prorsus integra est: si doctrinam, & illa sana est: quapropter nihil prætexere valetis perfidiæ vestræ: vel si habetis quod prætexatis, dicite, illisque tacentibus, perfidiæ caussam ipse eis aperit: Quod (ait) diffiditis sermonibus meis, non hinc prouenit, quòd in me aliquid desideretur quod boni concionatoris est, sed quia in vobis desideratur, quod bonorum auditorum est, hoc est, non amatis veritatem, atque hæc res arguit vos non esse ex Deo: Nã quisquis ex Deo prognatus est, is vt germanus filius verba Dei audit libenter. Verbum Dei, verbum veritatis vocat: nam quidquid verũ est ac rectum, id à Deo profectum est. Quare quod Comicus ait: Veritas odium parit, verum nõ est nisi ad hos solum referamus qui prognati sunt ex diabolo, qui illius ingenũ ac indolem spirant, quales timeo etiam multos habet religio Christiana. Quisq; se examinet: dicet vobis quispiam cui' Dominus cor mouit, vitia & defectus vestros, si nõ seratis monentẽ, si ringamini inuidia aduersus eum, si murmuretis non ex neo prognati estis, sed ex diabolo, huius germani filij estis. Res est certa, planè id cõcludit syllogismus quo vtitur hic Saluator aduersus Iudæos: *Omnis qui ex Deo est, verba Dei audit, vos non auditis, ergo ex Deo non estis. Qui ex Deo est,* (inquit) *verba Dei audit,* inter cætera hoc præcipuum symbolum est quo agnoscuntur Filij Dei: Et quia multi malè quod dicitur intelligentes falsò sibi blandiuntur, genus sese esse Dei, sententiam hanc Saluatoris crassiùs explicare lubet. Imprimis audire verbum Dei, non hoc esse quod vulgus intelligit, nimirum concioni interesse, quæ dicuntur, auribꝰ corporis percipere, hinc discimus quòd Scribæ & Pharisæi cum quibus negotium est Saluatori in Euangelio, quos negat audire verba Dei, concioni Christi intererãt, quæq; ab ipso dicebantur, arrectis auribus excipiebant. Quare seipsum paralogizat, qui ita paralogizat: Dominicis atque alijs diebus sacris, quibus habetur concio, audio verbum Dei (intelligite vulgi more) igitur sum prognatus ex Deo. Eadem siquidem argumentandi ratione turpissimum aliquod scortum, aut impurus leno, quem constat ad corpus diaboli pertinere, colliget genus se esse Dei, imò maga aliqua seu venefica, cùm id hominũ genus verba Dei subindè audiat. Sed nec hoc quod in aure sonat, mente percipere est audire verbum Dei si nihil aliud accedat, æquè atq; prius illud certum est: cùm videamus haud paucos, qui manifestè ingenium diaboli, ac indolem spirant, subtilissimè de ijs quæ in concionibus audierunt disserere. Verùm si neque hi neque illi, qui tandem dicendi sunt audire verbum Dei? dicam paucis illi sanè qui veritati, siue per auditum, siue absq; medio auditu, sacratiori modo perceptæ fauent, obtemperant, ac morem gerunt, hoc est, qui id quod in concionibus audiunt, vel quod per se in ipsorum mentibus loquitur spiritus, tota animi adhæsione amplectuntur, siue ipsis hoc aduersum fuerit, siue non: siue durum, molestum, ac difficile, siue non, nihil morantur, tanti apud eos est veritas. Si nõdum quid velim satis assequamini, ex eo quod subijciam intelligite: Est adolescens cui parentum diligẽtia duo, tria vel quatuor obuenerunt beneficia, seu canonicatus, audit fortè in concione hanc reprehendi, quam ad hoc vsq; tempus licitam sibi putauit pluralitatem, nihil tristatur ob auditum verbum, imò gaudet, imò exultat se in cognitionem veritatis deuenisse: nec mora, arripit calamum, scribit literas, liberari vult à beneficijs, nec cessat donec res perficiatur. En verum auditorem, en verum auscultatorem verbi, adeoque verum ac germanum filium Dei. Quis det nobis talem mentem? Quis det nobis talem animum? quis nobis det cor paratum in omnem euentum, quò vocat verbum Dei? quò inuitat ipsa veritas? quis det? quis inquam det? certè nemo potest nisi spiritus Christi.

Vtinam ergo illabatur mentibus nostris, atq; efficiat nos veros auditores verbi Dei: sine hoc quotquot sumus auersamur veritatem: propterea vos non auditis ait Christus ad Iudæos, quia ex Deo non estis, hoc est, non estis participes spiritus. Ad quæ verba illi (vt solet hominum malicia ad *insana* maledicta confugere) respondent: Nónne bene dicemus nos, nónne bene pronunciauimus, id quod nũc re declaras, & cõprobas nostram de te sententiam, quod Samaritanus sis, ac dæmoniũ habeas? quomodo Iudæus videri velis, & Deum Patrem iactas.

Ad tam insanam calumniam quid respõdit clementissimus Iesus? Ad Samaritani conuitium, quanquam magni probri locũ habebatur, tamẽ quoniam nihil erat aliud, quàm impotentis iræ maledictum, perinde quasi fungum illum vocassent aut balbum, nihil omnino respondit: sed ad dæmonici vocabulum intentatum, respondet, sed ita vt non redderet maledictum quod in illos meritò posset retorqueri, sed mansuetudine depellat à se: Nos interim docens, vt quo-

vt quoties agitur de gloria Dei, quoties aduersus impios defendenda est Euangelica veritas, vehementes simus, & acres: Quoties verò nos ipsi conuitijs incessimur, lenitatẽ præstemus, vt nec ad omnia respondeamus, sed ea tantùm à nobis depellamus, ad quę sine periculo fructus Euangelici non possemus obticescere. Referebat autẽ hoc ad fructum Euangelicum, vt intelligeret populus Christum quidquid ageret, non authore dæmone, sed Deo Patre authore agere. Mihi inquit cum nullo dæmone commercium est, nec ideo me iacto de Patre Deo, vt ex mendacio mihi gloriam conciliem, sed vt per me Pater apud homines glorificetur: Vos autem cum gloriemini verbis eundem Deum esse patrem, tamen me probris afficitis qui nihil aliud quæro quàm gloriam illius, cuius vos cultores videri vultis. Ego quidem vt non sum affectator meæ gloriæ (quanquam gloria mea Patris est gloria:) ita non sum vltor meæ contumeliæ: nec ob id tamen existimetis vobis impunè fore quòd me probris afficitis, est enim qui & quærit gloriam meam, & contumeliam vlciscatur, ni resipueritis. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum: nihil proderit vobis generis vestri author Abraham, nihil Deus Pater vester vt verbis gloriamini. Illud pro certissimo habetote, si quis obtemperauerit sermonibus meis, quemadmodum frequenter dixi, mortem non videbit in æternum.

Mirari hic satis nequeo socordiam nostram, ille qui est veritas, & prima & suprema qui sicut falli nescit à quoquam sic nec fallere, dicit: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum,* nec simpliciter, sed magna cum affeueratione dicit, nec tamen credimus ei, nõ credimus inquã: quis enim obtemperat verbis eius? quis sermonibus eius acquiescit? quis non magis mundum audit quàm Christum? Sed dicitis quæ hæc consequentia? nõ obtemperamus verbis eius, ergo non credimus? Audite, si Cæsar aut alius potens Princeps polliceretur singulis vestrum quotannis se daturum decem milia ducatorũ, hac lege & conditione, vt vna aut altera hora per diem ipsi vacaretis, agite, nónne lubenter acquiescetis? nónne lubenter hoc quicquid est oneris subiretis? & præstaretis quod cupit? Audire videor consonas voces omnium, lubenter. Quid autem sunt decem milia ducatorum? Imò quid totus hic mundus diuitiarum est, collatus cum eo quod hic promittit Christus? Si ergo creditis, quare non facitis pro tanto bono assequendo quod facitis pro vili adeo præmio? *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quid est mortem non videbit in æternũ? perẽniter viuet, Quid melius vita? quid præstantius immortalitate? quare non trahimur tantæ rei pollicitatione? Omnis defectus hic est, quia non credimus, id est, non exercemus nos cogitationibus fidei, non perpendimus cum animis nostris quid sit mors, de qua loquitur: quid vita huic opposita, quantũ bonum sit immortalitas: quòd si faceremus, fieri non posset, quin vehemẽter afficeremur, traheremur, inflãmaremur. Iudæi & crassi erant, & carnales, quòd dictũ erat de vita animæ, de vita corporum interpretantur: & quòd dictũ erat ad illos erudiendos, seditiosè deprauant ad contumeliam patriarcharum, vndiq; studẽtes aliquid inuidiæ conflare Domino Iesu apud multitudinem. Respondẽt aũt in hunc modum: ex illo tuo sermone certiùs etiã cognouimus te dæmoniacum esse, furiosum, ac lymphatum, qui hoc promittis seruantibus tuum sermonem, quod nec laudatissimis contigit patriarchis. Abrahæ locutus est ipse Deus, loquutus & prophetis, obtemperauerunt illi verbis Dei, & nihilo secius mortui sunt omnes, & tamen promittis immortalitatem ijs, qui seruauerint ea quæ doces? Nunquid tu maior Patre nostro Abraham? nihil ille tale ausus est polliceri cuiquam, nec prophetæ. Quid tibi arrogas? anteponis te prophetis & Abrahæ? & quòd Dei est polliceris? Deum te facis.

Ad hæc Iudæorũ tam insana conuitia mãsuetè respondit. Ego inquit nihil arrogo mihi falsò, etenim si more hominum captarem gloriam meam apud homines, mendax & inanis gloria mea esset, & si gloriã affectarem, non esset opus apud homines illam venari, Est enim pater vnde proficiscitur omnis vera gloria, qui me glorificat, & si vultis scire quis sit ille pater meus, is ipse est, quem vos iactatis vobis quoq; Deum esse simul & Patrem, quẽ vt falsa religione colitis, ita falsò vendicatis vobis illius notitiam ego verò noui eum, & si negem me nosse illum, tam sum futurus mendax quàm vos estis, vanè profitentes vos scire Deum cum Deũ ignoretis. Ego enim (inquã) qui verus Filius eius sum, noui eum, & quicquid ille mihi mãdat seruo. Porrò quòd sine fine iactitatis Patrem Abraham, scire vos volo, quòd Abrahã quẽ vos miramini potiùs quam imitamini, quãtus quantus fuit, tamen exultauit, sibique fœlix est visus, si cõtigisset, videre diem meum, & vidit quod optauit, & magnopere gauisus est. Hoc ænigmate Iesus significauit Abraham cùm pararet immolare filium suum Isaac, per prophetiæ spiritum vidisse Dominum Iesum, in mortem crucis à Patre traden-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tradendum pro mundi salute, nec tamẽ ob mortem interiturum, sed post triduum ad immortalitatem reuicturum. Hoc tantum mysterium non intelligentes Iudæi, rursus carnalem sensum calumniantur, nihil aliud suspicantes Iesum esse quam hominem, nec antè fuisse quam de Maria nasceretur: Nondum inquiunt annos natus es quinquaginta, & Abraham ante tot ætates mortuum vidisti? Tandem Dominus Iesus veluti prouocatus eorum conuitijs, subaperit diuinę naturæ scintillam, iuxta quam non nouit tempus neque secula. Illud inquit etiam atque etiam confirmo vobis licet nondum credituris, antequam Abraham fieret, ego sum. Ad hanc vocem veluti palàm blasphemam, quòd homo mortalis videretur æternitatẽ soli Deo competentem sibi arrogare, nõ amplius temperauerunt à manibus, sed sublatis lapidibus aggressi sunt cum saxis obruere. Iesus autem subduxit sese illorũ furori, & clanculum egressus est templum, ipsi honor in secula, Amen.

IN FESTO ANNVNCIationis Beatæ Mariæ, Homilia.

Esai. 7. c. *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.*

QVi linguæ Hebrææ periti sunt sciunt literam ב beth dum seruit, varia habere officia: vt quamuis frequentissimè in vel cum significet, interdum tamen hoc valere quòd vsq; ad, quẽadmodum hoc loco, *Domine in cœlo misericordia tua*, hoc est, vsque ad cœlum misericordia tua, quòd declarant verba sequentia, *Et veritas tua vsque ad nubes*, Sensus est: Misericordia tua maxima est, & amplissima: vsque ad cœlos protenditur. Et veritas tua vsque ad nubes, hoc autem quid sit, exponunt sequentia. Iustitia tua sicut montes Dei. Hebræi cum voluntaliquid eximij significare: nomine Dei id exprimũt, vt cedros Dei procedris altissimis dicunt, quemadmodum in Psalmo, 79. *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei.* Sic hoc loco: Iustitia tua sicut montes Dei, Iustitia tua à qua diceris iustus in promissis seu verax, maxima est, excellentissima est, excedit montes altissimos, ad nubes vsque protenditur. Hãc Dei misericordiam pulcherrimè proponit præsentis diei Epistola. Iustitiam autem seu veritatem iucundis admodum verbis exponit Euangelium, de vtraq; in præsenti concione disseremus. Oremus Dominum vt posimus salubriter.

EPistola ex cap. 7. Esaiæ descripta incipit hoc modo. *Dixit Dominus ad Achaz, pete tibi signum, &c.* Quæ vt meliùs intelligatur, paulò altiùs repetam historiã. Cùm audisset Achaz regem Syriæ, & regem Samariæ iuncto venire exercitu ad expugnãdum Ierusalem, vehementer, exterritus est, pertimuitq;: cumq; penitus iam desperaret, misit ad eum Dominus prophetam suum Esaiam qui hæc ei diceret. *Noli timere, & cor tuum ne formidet, à duabus caudis titionum fumigantiũ istorum.* Duo isti reges, rex Syrię, & rex Samariæ, quos tantopere formidas, non præualebunt, defendam te & populum tuum, atque ipsos & omnem eorum potentiam delebo & quidem breui, vnde eos caudis comparo titionum qui citò extinguuntur, hæc dicẽte Domino per Prophetam, Non credebat Achaz, vnde adiecit & ait, *Pete tibi signũ, &c.*

Quia tibi videtur difficilè, quòd duo regna potentissima breui tempore finienda sint, & tu cum populo tuo de magno periculo libereris. *Pete tibi signum.* Si nudis verbis non credis, pete tibi signum, vt cum acceperis, credas futura quæ dixi. Vis vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant? an vis vt aperiantur cœli, & inspicias quæ clausa sunt? hoc est quòd dicit, *Siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz. Non petam signum & non tentabo Dominum.* Quòd dicit, videri possit ex humili spiritu proficisci, & hunc habere sensum, Credo verbis tuis absque omni signo. Sed quia constat impium fuisse Achaz, & ad alios deos recessisse, non humilitatis est, sed superbiæ, hypocrisis est. Si affectum cordis aperuisset, quem celabat, dixisset. Et si signum daret, non crederem edoctus prioribus bellis. Ipso perseuerante in impio affectu, sermo propheticus ad domum Dauid conuertitur. Quia tu Achaz perseueras in impio affectu, te omisso mouebo populum. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Hactenus molesti fuistis hominibus, siue prophetis, quorum dicta irridetis, atque hoc vobis satis nõ est, molesti estis & Deo. Tales vos exhibetis erga ipsum, quales hactenus vos exhibuistis erga Prophetas, quos contempsistis & irrisistis. Idcirco faciet Dominus quæ sequuntur. *Ipse dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Exspectabatur signum quòd duo isti reges non vincerent: quòd autem hic dicitur: *Ecce virgo concipiet & paries, &c.* nihil ad rẽ pertinet, cùm multò post bellum Syriacum euenerit. Nam inter

Nam inter victoriam Achaz promissam, & hoc signum præstitum, fluxerunt anni circiter 767. Quare ergo hic inseritur?

Certè lectori qui in gentilium tantum scriptis versatus est, mirum videri potest, quare istud fecerit Esaias, quare in media rei bellicæ mentione Virginis partura & Emanuelis meminerit, sed qui nouit Prophetarum omnia esse plena inuolucris, & ipsos sub rebus temporalibus gestis aut gerendis Ecclesiæ describere Sacramenta, nihil mirabitur. Quidquid enim de bello Syriaco, & populi liberatione hic dicitur, causa Emanuelis, & de humani generis liberatione dicitur. Propterea in media historia subitò & præter expectationem lectoris ad rem typo significatam transit, & quòd maximè mirandum, facit id per notam illationis. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus vobis signum*, vt studio videatur Spiritussanctus voluisse offendiculum ponere carnalibus Iudæis. Dicit ergo, quanquam populus hic impius sit & indignus, cui fiat misericordia: quanquam totus mundus inimicus sit Deo, nec mereatur vt mittatur Christus, tamen mittam Christum: *Ecce virgo concipiet, &c.* Ecce mittam vobis Saluatorẽ, non quales hactenus feci, non Gedionẽ aliquem aut Samsonem, sed Emanuelem. Nascetur ex virgine: Verùm ęgressus eius ab initio, & à diebus æternitatis, vescetur cibis infantium, butyro & melle, quæ humanæ naturæ in eo veritatẽ arguent, sed Deus erit. Benè proinde Dauid: *Domine in cœlo misericordia tua.* An non vsque ad cœlum protenditur, quæ è cœlo Filium Dei promittit, & ijs promittit qui misericordia prorsus indigni sunt. Atq; hunc non iam primò, sed mox ab Adam lapso promisit. Scriptum est enim in Genesi in serpentis maledictione: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum*, siue iuxta Hebraicũ ipsum cõteret caput tuũ. Hoc semẽ est Emanuel, qui hic de virgine nasciturus promittitur, atq; hanc promissionẽ sicut misericorditer humano generi facit, ita & vere præstitit, & rebus explenit, quẽadmodũ videre est in Euangelio, quòd sic habet. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginẽ desponsatã viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomẽ virginis Maria.* A promissione seminis cuius iam meminimus, vsque ad hanc legationem fluxerunt anni 5199. in tam longinquum tempus promissio hæc extracta est, quia ante Mariam nulla inuenta est mulier, quę hoc munere fungi voluerit, esse scilicet mater Dei, Omnes esse matres hominum voluerunt, omnique mentis ardore concupierũt & quæsierunt de hominibus parturire, hominesque hominibus parere. Quia fortè ob seuriùs hoc dictum est, dicam clariùs. Voluit Deus Filium nasci ex Virgine, hoc æternũ ipsius fuit decretum ex Virgine inquã, non quæ corpore solùm, sed & animo & proposito Virgo esset. Talis ante Mariam nulla fuit: Multæ quidem fuerunt, quæ à viro nunquam cogitæ, vitam finierunt, nullam tamen pro sua virginitate laudem sunt assequutæ: quia omnes, cùm per ætatem legemque, & parentum arbitrium licuerit nubere, voluerunt & maris amplexu liberos procreare. Mariam non ætas, non lex, non parentes in virginitate tenuerunt, sed voluntas, sed amor, & quia inter priores puellas sola se totam Deo consecrauit, ideò ad huius Virginis sanctæ maturitatem extracta est promissio, Rectè proinde canit Ecclesia. *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Exciter istud in vobis, & ijs qui conceperunt, confirmet virginitatis propositum. Res sancta est matrimonium, sed cum virginitate collatum tantùm cedit, quantum argentum dum auro comparatur. Vnde & peculiare præmium ei decernitur in Apocalypsi: *Vidi*, ait Ioannes, *& ecce Agnus stabat supra montem Sion,* Apocal. 14. a. *& cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis: & cantabant quasi Canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum illud, nisi illa centum quadraginta quatuor millia.*

Et ostendens quo suo meritò id eis præ cæteris datum sit. *Hi sunt*, ait, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: Hi sequuntur Agnum quocunque ierit*, Sed sãtis de virginitate, reuertamur ad Euangelium. Cùm in suo conclaui Maria virgo vacaret rerum cœlestium contemplationi, quẽadmodũ virginitas amat secretum, ingressus Angelus ad eam dixit: *Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Gene. 3.

Luc. 1. c.

Magnifica prorsus salutatio: *Aue*, inquit, *gratia plena.* Omnes gratiæ fœminis hactenus sigillatim præstitæ, tibi sunt accumulatæ. Insignis gratia est pulchritudo, decor, & venustas corporis, fortitudo seu robur, verùm hæc apud homines, non apud Deum quenquam commendat. Neque de hac loquitur Angelus, sed de ea potissimũ quæ interioris hominis est, hoc est, de pulchritudine, decore & venustate spiritus, quæ sunt virtutes, humilitas, castitas, temperantia, modestia, & cætera, his plena fuit sacratissima Virgo. Dominus tecum: Ita est tecum, vt cum omnibus hominibus per te pacem inire, caro & frater eorum deinceps

Universidad de Deusto
Biblioteca

semper esse dignetur. Et ob hoc eris vnicè celebris, ac laudatissimi nominis inter omnes mulieres. *Quae cum audisset, turbata est in sermonibus eius.* Quia ipsa nihil de se magnificè sentiebat, ideò turbata est facie aspectuque quasi ad mœstitiam mutata. Nō leuiter verbum hoc transmittamus. Quis nostrum suis laudibus turbari solitus est? Quis non exhilaratur? quis non extollitur: quia non rapitur supra se, si laudari se audiat? Quantum absumus ab huius virginis sanctæ modestia. *Turbata est in sermone eius.* Cuius eius? nempe Angeli optimi, quem sciebat falsò nec velle, nec posse laudare. Nō lætamur laudibus hominum, qui præter hoc quòd in laudando sæpe falluntur, frequenter subdolè laudant. Virgo beata sollicitè cogitabat & in animo secùm versabat quid vellet illa tam noua, tamque magnifica salutatio. Nos dum laudamur nedum cogitamus an verè laudemur, sed ad laudes nostras siue veræ illæ sint, siue falsæ mox in altum tollimur, & animo efferimur. Propterea nihil mirum quòd miseri maneamus, inopes, & omnis boni indigi. Cùm enim Filium suum vnigenitum dederit Deus. quo maius habuit nihil aut charius, quomodo non & cætera daret, si verè humiles nos inueniret? Nunc quia superbos cernit & pronos ad elationem, misericorditer negat, ne ipsa eius dona, altioris nobis fiant occasio ruinæ. Quum virgo Maria solicita de salutationis insolita forma secum cogitaret, quid ea vellet, ait ei Angelus: *Ne timeas Maria.* Non vana salutatione te demulceo, *Inuenisti enim gratiam apud Deum*, hoc est, fauorem eius assecuta es, quo te elegit præ cunctis ad mysterium sacrosanctum expediendum, quòd erat ab exordio seculi patribus & prophetis promissum. *Ecce concipies in vtero tuo*, ex tua ipsius substantia, *pariesque Filium*, qui tuus erit Filius, de tua substantia generandus, *& vocabis nomen eius Iesum*, quoniam salutem adferet toti mundo. *Hic erit magnus*, diuinis virtutibus erit modis omnibus maximus. *Et Filius altissimi vocabitur*, Reuera erit veraciterque dicetur Dei Filius, non vt cæteri fideles & sancti per adoptionem: sed & per naturam & æternam à Patre genituram. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Thronum vel sedem Dauid intelligite non sensibile regnum, quale est huius mundi, sed diuinum spirituale, cœleste, quòd situ est in consolatione conscientiarum, in tranquillitate mentis, & pace spiritus, de quo dictum est: *Regnum Dei inter vos est.* de quo etiam in oratione dominica: *Adueniat regnum tuum*, Oramus non vt mox in cœlum lum perueniamus, sed vt cedat regnum diaboli, regnum peccati, & inhabitet corda nostra Christus per fidem & gratiam suā. Hoc ergo regnum nobilissimum non occupabit sibi mundi præsidijs, quibus regna mundi temporaria rapiuntur? sed Pater cœlestis dabit illi regnum Dauid sacrum, æternum, perfectū, & cœleste, ac sic regnaturus est in domo Iacob, hoc est, super veros Israelitas, omnes fideles, & electos in æternum, nec huius regni venturus est vllus finis, quemadmodum vaticinatus est Esaias.

Luc.17.c.

Ex his tam magnificis Angeli promissis nihilo factus est insolentior virginis animus, nec ex rerum sublimitate concepit diffidentiam. Tantùm de virginitatis, castęque puritatis adamato thesauro solicita est, Proinde non postulat ab Angelo signum, quēadmodum feceratZacharias, sed tantùm modum rei gerendæ verecundè simul, & prudenter quærit ex Angelo cognoscere, respondens in hunc modum: Quanam inquit ratione fiet, vt pariam Filium, quando quidem ita desponsa sum viro quo cū nunc viuo, vt mihi tamen cum eo non sit consuetudo connubialis? Placet enim vtrique castitas, & hanc fœlicitatem nobis, si liceret, cuperemus esse perpetuam. Docet igitur modum Angelus, & de virginitate scrupulum eximit virginis Spiritussanctus, inquit superueniet in te. Nihil hic o virgo geretur iuxta communem naturæ cursum, cœlestis erit partus, ex cœlesti peragetur opifice, cōtingit tibi fœlicissima fœcunditas absque vllo virginitatis detrimento. Non erit opus ad diuinum conceptum vllo viri mortalis semine, sed Spirtussanctus cœlitus illabetur in te inque tuo vtero, velut in officina cœlesti, sacri fœtus mirabile opificium peraget, ac pro mariti corporali amplexu obūbrabit tibi altissimus, sic immensam virtutem suam ad humanæ naturæ modum attemperans, vt congressum sustinere possit. Vbi libido intercedit coitu, ibi quòd nascitur, immundum nascitur, & peccato obnoxium. Cæterùm quod ex te nascetur, quoniam ex spirituali sanctissimoque complexu Altissimi concipietur ex opificio Sancti spiritus, qui sanctificat omnia, mox sanctū erit vt conceptum fuerit, ac propter corpus humanum de tui corporis substātia desum ptum rectè dicetur Filius virginis ac Filius hominis. Cæterùm propter æternam à Patre genituram idem ipse vocabitur Filius Dei. *Et ecce Elizabeth cognata tua, &c.* Ad tantæ rei confirmationem adijcit exemplū. Elizabeth inquit simul Deus dignationis suæ miraculum ostenderat, quæ cùm anus esset iam deploratæ sterilitatis, præter omnem spem, præter naturę vires, Deo promittente

tente concepit filium, vt intelligerent omnes nihil esse tam incredibile apud homines quòd non præstet diuina virtus si voluerit. His auditis dixit Maria: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Simulque cum dicto peractus est insensibiliter cœlestis ille conceptus, tot retrò seculis promissus. Cantemus igitur iam: Cōfiteor tibi Domine, quoniam iratus est mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me. A tempore quo Adam mandatum tuum transgressus est, iratus humano generi promisisti quidem Filium tuū mox ab homine lapso, sed dum in longum extrahis promissionem visus es prorsus oblitus misericordiæ tuæ. Nūc in legatione hac conuersus est furor tuus & consolatus es me. Ecce Deus Saluator meus, ecce Emanuel iste, puer hic conceptus hodie in vtero virginis Saluator meus, ipse diabolo spolia detrahet, ipse iugum oneris eius, & virgam humeri illius, & sceptrum exactoris superabit in abscondita manu, quem admodum olim fecit tempore Madiā. Multa iam quidem incutiunt terrorem peccatū, lex arguens peccatum diabolus, mors, infernus: verum fretus Emanuele fiducialiter agam, in Emanuele respiciens non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, per ipsum quidquid formidabile est, superare potero. Ipsi acceptum fero quòd in medijs malis fidere audeam, quòd bono animo expectem mortem, quòd fortis sim aduersus mundum, carnem, diabolum. Ipse factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, abundantissimè accipietis consolationem, & dulcedinem spiritus. Dicetis in illo die: Confitemini Domino, & inuocate nomē illius. Notas facite in populis adinuentiones eius, hoc est, molimina eius & studia, opera hæc liberationis & misericordiæ, quod descenderit in vterum virginis, quò impleret promissum suum. Memēto quoniam excelsum est nomen eius. Ne inquam excidat à memoria beneficium hoc, quia magnum est. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, quia scipsum dedit, quò maius dare potuit nihil. Annunciate hoc in vniuersa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Hoc carmine seu epiphonemate tractatum suum de Emanuele, qui cœpit capit. 7. concludit Esaias, & recitare vobis volui, vt cum prophera discatis gratias agere Deo pro beneficio hoc tū memorabili super misericordia & veritate ipsius: illam in promittendo liberatorem hanc in præstando declarauit. Ipsi honor & gloria in secula seculorum,

Amen.

DE ASSVMPTIONE D. Virginis, Homilia prima.



Optarem ego Patres talem vobis hodie concionatorem, qualem vetus habuit lex, de quo legimus, quòd verbum illius quasi facula ardebat. Vel saltem talem qualem posteriora tulere secula, cuius laus est in Ecclesia, quòd ab ore eius dulcis vt mel fluat oratio. Confundar enim ergo dū altera iam vice locum hunc conscendo, qui iuuenis sum pollutus labijs, & non vt ille in medio populi polluta labia habentis, sed in congregatione consisto doctorū & sacerdotum Dei & cleri eius. Sed mihi confusio facici meæ dummodo impleam sanctæ obedientiæ mandatum & ille magnificetur qui solus potens est, magnificetur, inquam, in nobis, sicut gloriosè magnificatus est in Matre sua, quam terris hodie sublatam cœlo intulit. Quo triumpho & apparatu, nouerunt quidem cœlestes illi spiritus, & quæ spectaculo interfuerunt animæ sanctæ, sed ab oculis nostris abscondicum est. Vbi autem peruenerimus ad sanctam illam ciuitatem, tum qui viderunt annunciabunt nobis. Interim hic in exilio positi, quibus itineribus ad tantam gloriam perducta est, in uestigemus, atque id magis fuerit ex re nostra, vt quá ipsa præcesserit cognoscentes, illac & nos gressus dirigamus, vt salubriter quod cōcepimus eloquamur gratiā imploremus per ipsam, quæ fonte gratiæ mundo effudit, virginem Mariam. Aue Maria.

Itinera per quæ gradiens diua Virgo, cœlos atq; ipsos Angelorum choros hodie gloriosa transcendit, sunt Humilitas, Castitas, Charitas. Vt ab humilitate auspicemur, scriptum est. Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Via ergo ad summa, est humilitas: sed nunquid ad idem sublimitatis fastigium euehit humilitas quotquot ipsius semitas ingrediūtur? Minimè. Et in promptu ratio est, quia non æquè omnes in ijs progrediuntur, & quispiam diligēs sui inspector notam incipiat habere miseriam suā, captiuitatem suam, fœditatem suam, atque ex hac sui vera cognitione sibi vilescere incipiat, hic pedem quidem posuit in via humilitatis, si procul ante se videt in eadem via ambulantes alios, illos nimirum qui non solum miseros se agnoscunt & peccatores, sed etiam non refugiunt & haberi tales & dici quales se agnoscunt, imò gaudent vbi sentiunt, hoc quod de se intus habet iudicium, foris

Luc.14.c.18.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

um, foris approbari ab alijs: quòd sit dum despiciuntur, contemnuntur, & veluti purgamenta reijciuntur. Multùm hi promouerunt sed nondum peruenerunt ad summũ nondum attigerunt cacumen, vident & ipsi & quidem longe ante se alios in multa pulchritudine gradientes, sanctos videliet viros segregatos à peccatoribus, in virtute constitutos ac consumatos, quos non pondus peccatorum, sed amor inclinat virtutis, qui cæteris cum præstent, similes se æstimant cæterorum, nihil præ cæteris sibi arrogant, infra alios se deijciunt: Viri isti circa fastigium perambulant. Sed vbi terrarum hos inueniemus. In primis quotusquisquæ mortalium est qui se nosse re velit? Quis non dicit diues sum, & nullius egeo? cum interim vere miser sit & miserabilis & pauper & cæcus & nudus? Etsint quantæmuis multi qui nouerint se ipsos. Num vnum ex mille reperire poteris, qui talis haberi velit ab aliis & dici, qualis ipse in oculis suis est? Audis, Hypocrita es & tua ipsius atteltante conscientia es Hypocrita, & statim deijceris animo et vix longo tempore concoquere vales leuè adeò verbum quod simul cum dicto in auras euanuit. Audis rursus ab alijs laudari simulatam tuam sanctitatem et pharisaicam iustitiam, & continuo gaudes in sinu tuo, scienſque ac prudens falsum de te approbas iuditium, En humilitas nostra. Iam si vix inuenias qui non in fœcibus suis sibi non placeat, qui non in paupertate sua diues haberi velit, vbi reperies qui in diuitijs pauperem, in sublimitate humilem se exhibeat? Si inueniantur, nouit Dominus, Audacter audeo dicere, vix Apostolos eò deuenisse humilitatis, præsertim cùm vas illud electionis, quo in ipso deprimeretur elatio nis spiritus, opus habuerit angelo se colaphizante. Ne, inquit, *magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ vt me colaphizet.* Verùm siue pauci, siue multi inueniantur huius viæ viri, seu etiam fœminæ, hoc certum est, primam esse quam nunc prędicamus virginem Mariam. De hac dictum est, & verè dictum est, quòd fuerit plena gratia, benedicta inter mulieres. Habebat ergo vnde præ cæteris gloriari poterat, sed nunquid fecit? tantùm hocabest, vt plenitudinem gratiæ ne agnouerit quidem. Vnde audita magnifica illa ab angelo salutatione. *Aue Maria gratia plena, cogitabat*, ait Lucas, *qualis esset ea salutatio*, & quale id esset, quòd sibi tribuebatur. Nec plena tantùm gratia, sed plena quo que Deo fuit. Nam emissa voce illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, impleuit vterum eius, Filius altissimi. Sed quid? Nunquid sicut vterus eius, ita animus quoque intumit in tantæ prolis susceptione? Audi quid de ea subijciat Euangelista. *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in Domum Zachariæ & salutauit Elizabeth.* En nec corporis teneritudo, nec pondus ventris, nec viæ asperitas, & montium adscensus difficilis, officium in ea impedire potuerunt humilitatis erat quòd inuisebat Elizabeth, quòd superior veniebat ad inferiorẽ, quòd mater Domini ad matrem serui, nec venit tantùm, sed & mansit cum ea quasi mensibus tribus. Quid interim agebat? Vtique omni sedulitate inseruiebat cognatæ. Venerat propter officium, inhærebat officio. Et vt singularem omnino in ea agnoscas humilitatem, scimus quòd assurgere soleat virtus commendata, commendat eam mirum in modum Elizabeth, miratur humilitatem fidem prædicat: *Benedicta tu*, ait, *inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad mẽ? Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Magna sunt hæc, nihil tamen magni ob hæc de se sentit virgo beata. Multa tribuuntur ei, ipsa tamen nihil tribuit sibi, sed omnem fœlicitatis suæ gloriam, & totum hoc quod habet, in eum transfundit, cui vni debet omnia: *Magnificat*, ait, *anima mea Dominum, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hæc est humilitas quàm prædicamus, cui parem non inuenies in terra, sed nec in cœlo quidem, quippe cùm ipsi etiam Angeli in hoc munere inueniantur omnes inferiores, & propterea minùs admiranda est, si cum hac, eorum conferatur humilitas. Ex his cõcludamus quod proposuimus, Ostendimus ex Euangelio viam ad summa esse humilitatem, quia scriptum est: omnis qui se humiliat, exaltabitur. Hoc si verum est, vt certissimè verum est: Nónne quò magis quis se humiliat, hoc magis exaltabitur? Sic sanè, Vnde rursus scriptum est: *Qui minor est inter vos omnes, hic maior est*, Cum ergo D. Virgo omnes omnino non homines tantùm mortales, sed ipsos quoque beatos Angelos humilitate anteesserit, nónne præire debuit & gloria? Debuit certè & præcesit. Exaltata est enim hodie, quemadmodum canit mater nostra Ecclesia, super choros Angelorum in cœlestia regna, En quò euehit humilitas. Miramur dum hæc legimus aut audimus, sed vtinam admiratio excitet amorem, amor adducat æmulationem. Omnes magni esse volumus, hic laborat vt fiat canonicus, ille vt præpositus, alius vt abbas, quotquot sumus ad alta adspiramus. En proposita est hodie via, & ex æquò omnibus proposita est, via in-

2. Cor. 12. b

Luc. 1. c

quam quæ euehit non ad paruas quales iam commemorauimus dignitates, sed ad regnum nec qualecunque regnum, sed æternum in cœlis. Et via hæc facilis est. Quid enim facilius quã descẽdere? Nec facilis tantũ, sed & imprimis tuta. Humilias te, nemo inuidet, nemo insidias struit, nemo malum aliquod molitur. Quis enim ei nocere quærat qui nihil earum rerum, ob quas tumultuatur mundus, ambit? Quis illi inuideat, qui nemini vnquam se præponit? amamus, fouemus, amplectimur omnes hominem huiusmodi. Et cum hæc ita sint, nos curuæ in terris animæ hac dimissa, vias eligimus laboriosas & difficiles, illas nimirum quibus ad diuitias itur, honores, beneficia. Viæ istæ difficiles sunt, quia eleuatæ, semper autem ascensus difficilis. Nec difficiles tantùm, sed & plenæ insidijs, imò vix pedẽ in eis posueris, & statim exurget qui ex aduerso se tibi opponat, qui litem statuat, qui armata adeo que ærata prece fores pulset potentum, vt à possessione te excludat, & (quod omnium infœliciſsimum est) vbi ad votum tuum in altum euexerint, ad ima te præcipitant, hoc est, ad tartara, sicut scriptum est: *Omnis qui se exaltat humiliabitur.* Sed omissis querimonijs institutum cursum persiciamus, & gressus hinc dirigamus in viam castitatis.

Luc. 14. c

Castitatis semitæ pulchræ sunt & amabiles, à terra ad cœlum vsque porrectæ, vndè & certo calle eò deducunt ambulantes per ipsas, sicut scriptum est: *Quis ascendet in montẽ Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Respondet Propheta: *Mundus manibus & mundus corde:* Sic enim habet translatio Pagnini & mirè dixit Propheta, Mundus manibus, & mundus corde, & non modò, mundus corpore & mundus corde, cùm tamen hoc vt putamus significare voluerit, videlicet vt intelligas, quod nisi manus solicitè seruaueris, & in sinu quasi captiuas tenueris, & mundas prorsus à contactibus, diu castitas, quæ in carne est, tuta esse non poterit. Duplicem ergo castitatem hoc versu expressit Propheta, carnis videlicet & mentis, Vtraque excellenter viguit in Maria. Si carnis in ea spectes castitatem, mundissima virgo fuit.

Psal. 23. c

Discimus hoc ex Euangelio, Mittitur ad eam Gabriel Angelus, qui ingressus conclaue primò salutat eam, deinde Filium promittit dicens: *Ecce concipies in vtero & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum*: atque vt animum Virginis ad assensum facilius incliner, edocet quantus futurus sit, quem ex ipsa nasciturum nunciat: *Hic erit magnus*, inquit, *& Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quæ obsecro virgo tam casta, quæ spe tantæ prolis non libens virginitatis suæ iacturam faciat? Quæ puella fic maritales abhorrens thalamos, quæ vt mater Dei efficiatur, non pleno corde torum ambiat? At non ita virgo beata, vox eius est Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quonam pacto ait hæc promissio, qua Filium mihi polliceris, in me implebitur? ego enim virum non cognosco.

Luc. 1. c

Quid est virum non cognosco? An hoc videlicet, absque viro & innupta sum? Minimè, sed votum & animi mei propositum est, virum in æternum non cognoscere, ne sobolis quidem desiderio aut posteritatis amore. Nam si illud prius tantùm significare voluisset, nulla erat quærẽdi ratio, quo modo id fieret: & causa quæ infertur nulla erit, quia & iam tum nupta erat, & viro desponsata. Et etiam si innupta fuisset, nubere poterat, atque ita ex viri consortio concipere, & effici mater.

Magnum itaque hic testimonium habemus virginitatis Mariæ, atque adeò magnum, vt vel vnicum hoc sufficiat, ad perpetuam ipsius integritatem adstruendam. Cuius enim animus Angelo Filium promittente, & talem Filium, Filium Dei, non titubauit, alia vnquam re labefactari ipsum potuisse credendum est? Virgo quæ non inflectitur magnis promissis ducis alicuius, vel regis, vel principis terræ, inclinari illa poterit vilibus promissis hominis alicuius plebei? Puella quæ castitatem suam prætulit sedibus & regnis, commutabit eam aliquando oblatis paucis iugeribus terræ? En quàm forte tenemus argumentum perpetuæ virginitatis Mariæ. Huic idem adde, quòd ipsa omnium prima castitatem suam Domino consecrauit: aliàs enim ante ipsam huiusmodi virgines ignorat sacra Scriptura. Si autem primitiæ virginum inueniturpsa ergo & inter virgines præcipua: Primitiæ enim in omni re semper excellunt. Hinc primitiæ resurgentium Christus: primitiæ credentium Apostoli. Et quomodo non præcipua, ex cuius sanguinibus virgineum illud corpus quod vnigenitus Filius Dei nexu indissolubili sibi vniuit operatione Spiritus formatum est? Sicut scriptum est. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex quo & hoc discimus, quòd in ea virginitas cum fœcunditate coniuncta est, vt eadem sit Virgo & Mater, & quidem Mater Dei. Quantæ ergo huius sunt gloriæ quæ parem

Universidad de Deusto
Biblioteca

si incorruptam carnis integritatem spectes, non habet super terram, imò nec parem etiam si interioris hominis consideres castitatem. Castitatem interioris hominis vocamus generaliter puritatem mentis, quemad modum Apostolus Paulus dum ait: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 11. a Quod dicimus palàm erit, si duos produxerimus, qui in castitate fuere præcipui. Hi sunt Ioannes Baptista & Euangelista. Vterque castitatis suæ testimonium habet in Euangelio. Hic quòd vnicè adamabatur à Domino, vnde & super pectus dominicum in cœna recubuisse legitur. Ille quòd eremi cultor extiterit etiamdum puer, ne leui saltem maculare vitam flamine posset. Magna & quæ nunquam satis laudari potest amborum puritas, sed neque huius, neque illius cum hac quam nunc prædicamus, vel conferenda semel est. Imprimis nónne dilectus ille discipulus in fœcibus iacuit toto illo tempore, quo clausus viuebat intra parentis viscera? Nónne & Baptista qui purus prodijt ex vtero, impurus in vtero conceptus est, vt meritò dicere eum Dauid poterat: *in iniquitatibus cõceptus sum* Psal. 50. a *& in peccatis concepit me mater mea?* Deinde quod ad rem magis facit, nónne ambo semel abluti rursus inquinauerunt vestimenta sua, insparsis licet leuiter hinc indè maculis? Si dubitatis ipsum interrogate, de quo sermo est discipulum quem diligebat Iesus respondebit vtiq; interrogatus, quod olim non interrogatus spontè confessus est hoc nimirum: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est* 1. Ioan. 1. c Nónne etiam istud ipsum si interrogarentur, responderent quotquot ab initio fuerint sancti, tam Patriarchæ quam Prophetæ? Responderent nisi mendaces inueniri vellent. Omnes enim peccauerunt, hac sola in cuius nunc laudibus versamur excepta. Hæc sine labe in ventre concipitur, absque peccato de ventre progreditur, citra maculam vias deserti perambulat, vt rectè de ea dictum intelligamus, quòd in canticis legimus: *Tota pulchra es amica mea,* Cant. 1. d *& macula non est in te.* Et rursus: *Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis Filia principis.* Omnino pulchri sunt gressus tui virgo beata, quos admirantur & Angeli. Ipsorũ enim vox est, non quidem quærentium doceri, sed præ nouitate rei stupentium: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, ac vniuersi pulueris pigmentarij? Siue ergo corporis siue mentis spectemus castitatem parem non inueniemus in terra. An fortè in cœlo reperire poterimus? Imò nec ibi. Purissimi quidem sunt cœlestes illi spiritus. Sed quid magni faciunt, si puritatem quam ex conditione possident, incorruptem seruent, cum longissimè à corpore semoti sint & nullum habeant cum carne consortium. Corpus est quod aggrauat animam, terrena inhabitatio est quæ deprimit sensum multa cogitantem. Caro est quæ captiuat in lege peccati. Proinde in carne viuere, & non secundum carnem ambulare, corpus circumferre corruptibile, atque à corruptione re seruare immune, hoc opus, hic labor est, opus magnæ virtutis, labor insignis meriti. Vnde dilectus ille discipulus, cùm vidisset agnũ stantem supra montem Sion, vidit cũ eo, & centum quadraginta quatuor millia, de quibus scribit, quod nomen Agni & nomen Patris eius scriptum habebant in frontibus suis, quòd cantabant quasi canticum nouum, quod nemo cæterorum dicere poterat. Et docens, quo suo merito sola illa centum quadraginta quatuor millia dicere poterant canticum illud ait: *Hi sunt qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati: Virgines enim sunt hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Apoc. 14. c Quam vehementer hæc accenderent animos nostros, & dulce illud niuei ac virginei pudoris propositum in nobis corroborarent, si vigili mente pertractarentur. Emisti nos Domine Deus in sanguine tuo, & tui sumus, & corpora nostra tua sunt, vtinam ea hodie sacro cœlesti rore imbuas, & castitatis spiritum infundas in viscera nostra. Nam tales quæris qui seruiant tibi, quia dixisti: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Leuit. 11. Quid facis in altari immunde? Pater fœminam nescit. Mater virgo est, ministri spiritus sunt, cuius corpus tu manibus tuis tractas. Et quibus manibus? Horret lingua eloqui, manibus stillantibus libidinem. Parum tibi est quòd tẽplum Dei pollueris, nisi polluas & Deũ tuum? Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus, & tu impunè eum violaueris, qui illud in sanguine suo sibi dedicauit?

Non hæc dicimus quòd æstimemus quẽquam eò venisse, vt corpus suum contumelijs afficiat, auertat hoc Deus vt talis aliquis inueniatur, sed vt ostendamus quàm magna nobis indicta sit continendi necessitas, qui quotidie Agnum illum immaculatum offerimus, quam magna nobis adesse debeat castitas, castitas inquam non solùm corporis, sed etiam & mentis: verùm à quã multis hæc negligitur.

Hic vagos circumfert oculos & formas contemplatur alienas, vnde concupiscentia velut ignis exardescit. Ille inspectas antè rursus sibi obijcit facies, & absentes velut præsentes in phantasia fixiùs intuetur, ibique se oblectat, donec cogitationibus suis ebria mens despumet in libidinem, & desideria

deria intus peragit & consummat. Hinc ebulliunt deinde illa quæ dixerunt patres nostri, peccata muta. Sed vtinam exurgat qui eis vocem tribuat, atque ita efficaciter, vt ipsa se sua voce damnent, antequam propter ipsa damnetur mundus, & iustus simul cum impio intereat. Indigna sunt hæc castis auribus, & vtinam à nobis absque causa dicantur, vt & hinc confundatur hodie facies nostra. Nónne animæ tuæ impressa est ab initio imago Dei? quo igitur ausu tu in ea pingis turpitudinum simulachra? Nónne mens tua in habitaculum Spiritus consecrata est? qua ergo temeritate tu illam in officinam vertis Veneris? Nónne membra corporis tui membra Christi sunt? qua ergo impudentia seruire ea cogis desiderijs tuis, & adinuentionibus pessimis? Quia ab oculis hominum hæc abscondita sunt, num idcirco fugiunt etiam conspectum Dei? Nónne oculi Domini, sicut scriptum est, multò plùs lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominis, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes? Cuius ergo te puderet ante homines, hoc audes facere coram oculis Maiestatis Dei? Nónne ipse iudicabit cogitationes tuas? Ita iudicabit, & traducet eas, & nudabit turpitudines tuas, & fornicationes tuas, & adulteria cordis tui, & quæ in tenebris egisti, ipse publicè velut in theatro spectanda exhibebit toti mundo. Sed dum hæc sequimur, institutum cursum deserimus, & propterea vnde digressi sumus reertamur.

Ostendimus iter directum ad cœlum esse castitatem, quia cum Propheta proposuisset sibi: *Quis adscendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* subiecit: *Mundus manibus & mundo corde.* Ostendimus deinde Virginem Mariam cæteris altiùs viâ hanc conscendisse: Superauit enim castitatem cõiugatorum, quia Virgo fuit: Virginũ, quia primitiæ virginum: angelorum, quia quam illi ex conditione possident puritatem, ipsa ex viribus arbitrij adiuta per gratiam obtinuit, & hoc in terra cui maledixit Deus, quòd scimus eminentioris esse meriti. Vnde concludimus ipsam eminentiorem quoque præ omnibus omnino & Angelis & hominibus in cœlo tenere locum. Deoque qui incorruptionis fons est, proximam esse, quia à corruptione & mentis & corporis longissimè inuenitur remota. Incorruptio autem sicut dicit Scriptura, facit esse proximum Deo. Restat iam tertia via, quam tantopere olim Corinthijs commendauit Apostolus, videlicet via charitatis, hæc vt ex Scripturis discimus, discernit inter filios regni & perditionis. Extra hanc quicunque est, ad corpus pertinet diaboli: In hac quisquis inuenitur, membrum Christi est: imò vnũ est cum Christo, sicut scriptum est: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,* Hanc ingressi sunt, quotquot ab initio placuerunt Deo. Sed omnes longè post tergũ reliquit Virgo Maria. Nõ enim satis habuit cor liberũ seruare ab amore rerũ præsentium, ita quòd nihil vnquam quiescere sineret vel in mente, vel in anima quòd quoquo modo Dei aduersaretur dilectioni: hoc siquidem est omnium qui in via charitatis, vel prima posuere vestigia. Non etiam satis habuit omnes animæ vires subindè in Deum surrigere, atque in diuinæ bonitatis contemplatione suspensas tenere, & in illa suaui contemplatione ex intimis viscerum medullis, & se omnemque vitam suã & actiones vniuersas Deo sacrificare. Nam & hoc est omniũ qui vel parum in via hac fuut progressi. Sed tanti omnino fecit Deum in corde suo, vt omnia prorsus quæ libertatem spiritus quoquo modo impedire possent, & à iugi contemplatione Dei vel modicum suspenderet, à se plane abdicaret. Vnde scriptum est: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luce. 18. g. Nemo miretur quòd hæc quæ de Maria quę cognominatur Magdalena scripta sunt, ad Matrem Saluatoris referamus. Nam & hoc facit Ecclesia.

Et quid vetat ei hæc accommodare, in quam multò rectiùs quàm in eam de qua primò scripta sunt, competunt? Multùm quidem dilexit Magdalena, sed quoties hæc in dilecti complexu impeditur vim passa, quamuis non superata à concupiscentijs è carne sursum ebullientibus. Nec ipsa solùm hæc passa est, sed & quotquot ante ipsam sancti, imò & illi qui primitias spiritus acceperunt authores fidei nostræ Apostoli. Scimus enim quis ex illis dixerit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Rursus: *Condelector legi Dei secun-* Roma. 7. *dum interiorem hominem, Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,* adeò quod exclamare coactus fuerit. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Licet igitur Magdalena optimam in terra elegerit partem, quæ quidem in hoc est, vt totus homo iugiter inhæreat Deo: licet & alij quamplures hanc elegerint, eius gratia rebus suis se nudantes, & illas abdicantes, tamen nec illa, nec isti hãc possederunt in ea plenitudine pace & tranquillitate, in qua possedit Virgo beata, vt quæ sola omnes animæ suæ vires secundum legem Dei plenè compositas habuerit. Nam sine peccato quod concupiscentiam inuexit, concepta

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit. Sed dixeris: Hæc puriorem demonstrant dilectionem, non fortiorem aut ardentiorem. Fortis dilectio est, & ardens charitas, quàm aquæ multæ extinguere non valent, nec flumina obruere, sicut in Canticis scriptum est. Inundauerunt aquæ & turbata est in Apostolis charitas, irruerunt flumina & obruta est dilectio. In hac quam nos prædicamus, neque obrui potuit, neque extingui, imò nec turbari. Fugiunt illi, hæc sola non fugit: scandalizantur illi, hæc non scandalizatur: deserunt illi, non deserit ista: ad crucem sequitur, in morte adhæret, parata mori etiam & ipsa. Rursus hic dicis: Tum necdum induti erant Apostoli virtute ex alto. Cant. 8.c

Induti virtute ex alto Apostoli, & qui eos sequuti sunt martyres, qua in re ardentem in Deum dilectionem magis ostenderunt, quàm quòd pro eius amore suas seruices subijcere securibus, aut ferienti gladio colla præbuêre? Magna profectò charitas est, & fortis, vt mors, ipsorũ dilectio, Sed maius dilectionis argumentum habeo in D. Virgine: Illi siquidem carnem quàm semel corrumpi necessum erat, cædendam præbuerunt, hæc animam quæ corruptionem nescit, transuerberandam exposuit pro dilecti amore. Nam impleta in ea est prophetia iusti Simonis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et vultis certius aliquid de huius dilectione cognoscere? Considerate quòd hæc ipsum dilectionis fontem de se genuit, & mundo editum sacro vbere suo lactauit. Luc. 2.c

Ex huius consideratione cognoscetis nec Angelorum charitatem, non eorum solùm qui in ministerium emittuntur, sed nec ipsorum qui familiarius Deo adsistunt, & ab incendio nomen habẽt, hoc est, ipsorum Seraphim cum hac conferri debere. Quòd autem non vsq; insatigabiliter, sicut in Angelis, ita in virgine exeruerit se flamma charitatis, obstitit quæ in carne mortali agebatur peregrinatio: vbi per fidem ambulatur & non per speciem. Cùm igitur secundum scripturas, tanti quisque est apud Deũ, quãti ipse Deum in corde suo facit: Cumque nullus tum hominum tum Angelorum pluris fecerit Deum, quàm hæc quæ de se genuit Deum, clarum est ipsam primam esse apud Deum, & super omnes Angelorũ choros eleuatam residere in cœlestibus. O charitas quàm magnæ virtutis & meriti es apud Deum, quæ sic in sublime euehis quos in valle hac impleueris. Vere dictum est de te: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hoc sentiunt qui spiritum non huius mundi acceperunt, sed spiritum qui ex Deo est: illi diuitias nihil esse dicunt in comparatione tui, aurum calcant tanquam arenam, tanquam lutum æstimant argentum, omnia vt sterco ra despiciunt, vt te possideant. Imò multi exeunt de terra sua, de cognatione sua, in terra morantur peregrina, parentum obliuiscuntur, deserunt fratres suos, sorores relinquunt, & seipsos denique vt apprehendant quam rebus omnibus chariorem habent charitatem, Verè filij non huius seculi, nec illius Adæ & infœlicis Heuæ quorum oculi clausi fuerunt ad vera & æterna bona, atque in vmbras rerum temporalium aperti, sed filij lucis, filij Patris qui in cœlis est, à quo & adoptati sunt, qui & hæredes ipsos instituit, & reges regni cœlorum fecit, vnde & in cœlo eorum mens est & animus, licet corpore nobiscum versentur in terris. Sed tempus est vt dicendi finem faciamus. Diximus quibus itineribus D. Virgo ad gloriam perducta est, & super Angelorum choros euecta in cœlestibus. Vnum superest, vt per quę illa incesserit, per ea & nos ambulemus, videlicet vt sectemur humilitatem, amemus castitatem, amplectamur charitatem. Sic fiet vt eò nos perueniamus, quò ipsa iam ingressa est, hoc est, ad regnum æterni Dei, vbi perenniter cum Sanctis lætabimur in gloria, Amen. Cant. 8.c

DE ASSVMPTIONE D. Virginis, Homilia secunda.

Quæ est ista, quæ adscendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8.c

VOx hæc Angelorum est, non quidem quærentium doceri, sed præ nouitate rei stupentium. Siquidem res noua planè & insolens in deserto reperiri delicias. Et inueniatur in deserto rosa interdum vel lilium, nunquid illum spirabit odorem, nunquid candorem illum referet quem lilia conuallium? mirantur proinde Angeli, quum è deserto adscendat, delicijs hanc affluere, & talibus delicijs quas nec agnouerit in terra sua. Non minor vos auditores optimi capiet admiratio, si cognoueritis quid sit desertum hoc vnde adscendit. Quæ item deliciæ quibus affluere scribitur D. Virgo. Quare visum nobis est vtrumque paucis explicare, vt in admirationem abducti, magnificè sentire discatis de Virgine.

Desertum

DEsertum (vt quod primò loco proposuimus, primùm quoque absoluamus) est mundus iste, Quod dicimus, mirum videri potest homini carnali, hoc est, illi quem terrena voluptas oblectat, qualem cap. 12. describit Euangelium secundũ Lucam, quàm & ita loquentem facit: *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare,* Quales quoque describit liber Sapientiæ cap. 2. quos & mutuò sese exhortantes inducit his verbis: *Venite & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod nõ pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exsors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra;* His non desertũ, sed Paradisus delitiarũ est mundus iste, & cuperẽt si liceret, perpetuò hic vitã degere, vnde & vehementer contristari eos videmus, dum hinc ipsis exeundũ est. Scitis cui us illa sit vox. Sicine separas amara mors? Ac rursus illa.

Heu quæ tenebræ, quantus horror irruit,
Quæ punctiones cor fatiscens lancinant.
Ah flos iuuente, iamne compellor mori?
Blandumque quidquid fuit, & est, relinquere?
O aulce lumen, iamne cogar emori,
Qui multa lustra adhuc putabam viuere?
Heu vita fallax, quomodo breuissimi.
Euanuisti prorsus instar somnij.

Verùm licet his non videatur, verè interim desertum est mundus iste. Quid enim? Nónne horrida, atque à feris & bestijs inhabitata loca vulgo deserta appellamus? Certè Esaias significare volens Babylonem in solitudinem redigendam, his verbis, ad hoc vsus est. *Requiescent ibi,* ait, *bestiæ & replebuntur domus eorum draconibus. & habitabunt ibi struciones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in diebus eius, & Sirenæ in delubris voluptatis,* hoc est, in locis in quibus coluerunt hactenus festa Veneris. Quæ Prophetæ descriptio si apta est, vt desertum sit, vbi cubilia sua posuere bestiæ, dracones, struciones, Fauni siue Satyri, Vlulæ ac Sirenæ, vtique desertum erit mundus iste, cùm ferarum hic plena sint omnia, non dico huius generis quod terreri iaculis aut propulsari potest ferro. Siquidem nec Esaias per omnem locum descriptionis has feras significare voluit. Nam צִיִּים tsijm quod noster interpres: lxx. imitatus bestias transtulit, Hebreæ linguæ periti dicunt, genera dæmonum significare, vel phantasmata, quemadmodum & nomen שְׂעִירִים, scheirim, quod pilosos, & תַּנִּים thannim, quod vertit Esa. 13.c

Sirenas, vt taceam iam de אוֹחִים ochim, quod Hieronymus dracones, Aquila Typhones, lxx. et de Theodotio ἄχους, id est mores vel sonitus. Iechiel quem præceptorem suum vocat Capnion, cercopes. Alij Martichoras, Multi seles marinos interpretati sunt. Symmachus cùm nihil certi inueniret quid significaret, dimisit verbum absque interpretatione, sicut & Ionathas Caldæus, nisi quòd hic more Chaldæorum mutauit m. in. n. dicẽs Ochin. Nicolaus de Lyra scripsit aues esse grandes corpore grauesque, solitudinem amantes. In tanta diuersitate quæ ignorantiam eius nominis אֹרֵחַ oach, palam profitetur, putarem ego non arguendum qui modestè assereret ipso vocabulo Hebraico genera dæmonum significari, cum in descriptione tot sint voces quæ hunc inuitent, imprimis צִיִּים tsijm, deinde שְׂעִירִים Scheirim, postremo תַּנִּים thannim, de quibus iam disseruimus, quibus & D. Hieronymus motus sic scripsit in commentarijs, Per quæ omnia vastitatis inquit & solitudinis signa monstrantur, quod tanta sit populatio vrbis quondam potentissimæ, vt præ multitudine dæmonum ac bestiarum nullus in eam audeat pastorum, hoc est deserti appetitor intrare, Quamquam igitur in translatione sua nusquam expresso nomine dæmones posuerit, voluit tamen non vno loco nominibus ferarum hos intelligi metaphoricos, Quos si docuerimus per mundum istum vagari, ostensum erit quod in orationis exordio assertum à nobis est, nempe appellationem deserti rectè tribui mundo. Et quidem illustrem locum habemus hac de re Apostoli Pauli in Epistola quam scripsit ad Ephesios capite. 2. *Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius spiritus, qui nũc operatur in filios diffidentiæ, cõmunificauit, &c.* Ephe. 2.c

Cum, inquit, *essetis mortui* per peccata, *in quibus olim ambulastis,* iuxta instinctum dæmonis, *cui potestas est in aere,* hoc est, qui in infima hac orbis parte regnat, non veluti dominus, sed vt tyrannus, *cui & potestas est spiritus illius, qui nũc agit in filios diffidentiæ,* Vel certè cum essetis mortui per peccata, in quibus olim ambulastis iuxta instinctus illius qui princeps est dæmonum, vt nomen ἐξουσίας, non qualitatis sed substantiæ vocabulum sit, ad quod planè inuitat locus qui est cap. 1. huius Epist. vbi scribitur: Christus à Patre collocatus in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem. Cui similis est ille in Epistola ad Colost. capite. 2. *Estis in illo repleti qui est caput omnis principatus & potestatis.* Quibus locis certum est

vocabu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocabulum ἐξουσίας esse nomen rei siue substantiæ, quemadmodum & cap. 6. Epist. ad Ephesios, & plerisque alijs. Quæ interpretatio si placet genitiuus aeris referendus erit ad principem. Secundùm principem dæmonũ qui & princeps est aëris. Deinde qui sequitur genitiuus (spiritus) ad aërem. Secundum principem aëris, in quo degũt spiritus, qui nunc efficaces sunt in filijs diffidentiæ, vt sit enallage siue heterosis numeri, aërque dicatur spirttuum ea phrasi, qua dicimus terram Barbarorum pro terra quã Barbari inhabitant. Verùm siue ad hũc modum interpreteris, siue vtrunque genitiuũ, (& aëris & spiritus) ad tertiùm referas qui præcesit (potestatis) constanter retinetur dogma quod adstruere conamur, nẽpe dæmones in hoc mundo siue aëre sedem suam habere, atq; in ijs, qui nolunt se præbere formandos Euangelio (hi siquidem sunt: οἱ τῆς ἀπειθίας, operati homicidia furta, adulteria, fornicationes, hæreses. & id genus alia. Atq; hanc Theologiã non hoc solùm loco tradit Apostolus, habet eandem cap. 6. nisi quòd ibi non in aëre, sed in cœlestibus eos degere dicat. Quòd ne cui negotium faciat sciat hanc scripturæ sacræ phrasim esse, vt cœlum appellet non solùm orbem solis, aut lunæ, aut in quo fixa sunt sydera, sed & locũ vbi vẽti & nubes & procellæ & turbines sunt, quẽ Apostolus Petrus in posteriori sua Epistola tartarũ appellat, quòd turbulentissimus sit ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, et Iudas ζόφον, id est, caliginem. Est enim obscurus & crassus, qui supra nos est aër, quò & transgressores angelos præcipitatos dicunt in hoc accendentes theologię Paulinæ.

1. Pet. 2. a. Iuda. b

Quòd si cui loca hæc scripturæ vt à nobis iam interpretata sunt, non satis faciant, legat commentarium Hieronymi super capite. 6. Epistolæ ad Eph. vbi verè insignis est atque inter cætera attendat, quid de loco dæmonum sentire dicat scholam theologorum, Cùm proposuisset suam de cœlestibus sententiam, quò maiorem fidem faceret lectori adiecit. Hæc omnium doctorum opinio est, quòd aër iste qui cœlum & terram medius diuidens, inanè vocatur: plenus sit contrarijs fortitudinibus. Quis igitur neget mundum hunc desertum esse? Sanè quibus velamen illud, cuius in posteriori Epistola ad Corinthios meminit Apostolus, ablatum est ab oculis, vident horrorem loci, quare & gemunt nocte ac die, vnũque hoc parturiunt, vt quàm citissimè hinc tollantur. Quod dico adductis in medium exemplis docerem, nisi scriptura his plena esset.

2 Cor. 3. e

Ne tamen omnino dissimulare videar ex multis vnum proponam: Legimus in psalmis. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, Habitaui cum habitãtibus Cedar, &c.* Heu mihi dolentis est, & quidem vehementer dolentis, quòd indicat epithasis, quæ est in narratione causæ, quàm alijs verbis hoc modo exprimere possumus. Quòd malè me habet quodque gemo, hoc nempe est, quia incola sum, & multò iam tempore incola, atque incola terræ barbaræ, mundi nimirum huius. Sed adeóne molesta res, insuauis ac tristis, degere in hoc mundo? Omnino ait. Nam eremus est, nec quæuis sed vasta, & horribilis quàm rectà Cedar dixeris, siue vastitatem, siue tenebras spectes vndique & vndique incubantes: *Habitaui*, inquit, *cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.* Quam diuersa vox hæc ab ea Euripi, cuius in præcedentibus meminimus, quæ quò magis afficiat, attẽdere vos volo, cuius sit. Vox est Danidis, cui, cùm rex esset nihil earum rerum quæ ad beatam in terris vitam faciunt, deesse poterat, siue hanc in diuitijs ponas, siue in honoribus, siue alijs reb⁹ qui buscunq;. Quod animaduersum, quantum pondus habeat tũ demum intelligimus, cũ ad nos referimus, quos harum rerum vel sola spes in mundo detinet, imò sic mũdo affigit, vt nõ nisi vi anelli queam⁹. Quis enim nostrũ volens egreditur? Quis nisi necessitate adact⁹, terras deserit? Heu miseros. Quã parũ agnoscimus horrorẽ loci. Quàm parũ attendimus feras, quibus cũ versamur, imò cum quibus luctamur nobis est iugis & assidua. Hoc enim in Epistola quã ad Ephes. scribit docet Paulus, vbi & feras has (dæmones dico) nouo planè & nusquam alibi reperto vocabulo κοσμοκράτορας appellat, quarum naturam & ingenium cognoscere, viresque perspectas habere, cum ad horrorem deserti faciat, placet de ijs hic disserere.

Psal. 119. a

Ephe. 6. b

Platonici vt videre est apud Apulæũ) definierunt dæmones animalia esse, animas passiua, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna. Quorum sententiam ea parte qua corpora ipsis assingunt (quamquam quibusdam in locis amplecti videatur Augustinus) nobis sequi non licet, vt qui certissimam definitionem habemus magni illius Dionysij, qui Paulo præceptore vsus fuit, atque in hisce rebus exactè ab ipso edoctus. Hic capite. 4. de diuinis nominibus intelligentias (sic enim Platonem imitatus angelos ipse vocat) definit ἀσώματους καὶ ἀύλους, hoc est, incorporeas materiæq; expertes. Quod ne de bonis duntaxat dictum arbitretur quispiam, sciat ipsos transgressores angelos, eiusdem prorsus cùm alijs naturæ esse iuxta Theologiã Damasceni lib. Orth. Fid. 2. cap. 3. & 4. Quorum vtriusque doctrinam planè probare videtur Scriptura Canit

ta Canit siquidem in Psalmis Dauid. Deum angelos suos, id est, eos quos suis ministerij deputauit, fecisse spiritus, hoc est, spirituales & incorporeos. Et ad Ephe. 6. Apostolus dæmones appellat spirituales astutias. *Non est nobis*, inquit, *colluctatio aduersus carnem et sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harũ contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, hoc est, phrasi Hebræa, contra spirituales nequitias degentes in cœlestibus. Quibus verbis & naturã dæmonũ, & pariter ingeniũ expressit. Naturam, dum ipsos spiritus dixit: ingenium, dum nequitias appellauit, vel potiùs versutias. Siquidem nequitia propriè ad libidinem & luxum pertinet, quòd hæc vitia hominem perditum & nihili declarent, πονηρία verò qua voce vsus est Apostolus, præter malitiam, & versutiam siue astutiam significat. Quàm significationem hoc loco expressisse Apostolum, indè manifestũ est, quòd in præcedentibus μεθοδείαν posuit. Est autem μεθοδεία cum quis ex insidijs aggredi tur alium. Nam μεθοδεύειν fallere est, et per compendium, & abruptè adoriri, quod fanè arte fit, Et quia diaboli mille nocendi artes, multimoda ipsius ingenia, adinuentiones, fraudes, dolos, molimina significare volens Apostolus pluralem numerum posuit dicens methodias. Vt positis stare aduersus methodias, aduersus assultus seu insidias diaboli. Ob eandem caussam vsus est, enallage qualitatis, ipsum non astutum simpliciter vel vafrum appellans, sed ipsam vafriciem, astutiam, siue versutiam. In cuius venena & fraudes intendens reliqua scriptura, ipsum nunc draconem, nunc serpentem, nunc colubrum, nunc vectem, nunc alijs, atque alijs nominibus appellat. *In die illa* ait Esaias, *visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan serpentem tortuosum*, hoc est, qui mille per meandros sese voluens, explorat nostra, quæque parum munita videt, ea imprimis vt est callidus, oppugnat loca, vt cùm per illa irruperit, munitiora facilius capiat, & ad arcem cordis & animæ perueniat. Si obscurius dictum est, quia in genere dicam in specie, quò dicam clarius.

Esa. 27. a

Si abstinuerimus à corporum voluptate seu libidine, per auaritiam à qua minùs nos abhorrere videt, capere nititur. Quòd si & auaritiam cum voluptate contemnimus, per luxuriam quæ pro Deo ventrem colit, parum cautos aggreditur, cumque per hanc irrepserit, etiam illa quæ fortia esse videbãtur, expugnat.

Esset hic locus dicendi, quanti & quales per ipsum deiecti sunt, non solùm laici, sed & monachi, sed & Episcopi, sed nimis excresceret oratio, quod cauere volentes, & reliquas versutiarum eius species, quas tamen imprimis refert habere perspectas, præterimus, & ad vires ipsius explicandas sermonem conuertimus, quas non vulgares esse indè colligimus, quòd ad has superandas opus sit gladio forti, duro, & grandi: Sic enim habet Esaias capite. 27. Verba eius citauimus, atque iterum placet referre quò exactius explanemus.

In die illa, ait, *visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui est in mari.* Hoc est, diabolum qui in mundo vagatur. Quare diabolus dicatur draco, nam quòd cetum hic vertit interpres capite. 29. apud Ezechielem vertit draconem: *Ecce ego ad te Pharao draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Quare item dicatur serpens & vectis, in præcedentibus dictum est, Iam explicandum, quare Leuiathã appelleturid namque ad rem præsentem facit. Leuiathan talis Hebræis vox est, qualis est Latinis cetus vel balæna, hoc est, significat cetum, pisces genus vasto ac immani corpore, quamuis sint qui non certũ, sed quod uis genus in mari positum grandè & vastum, voce hac significari dicant, vt sit vocabulum quale Latinis est belua. Si quis consulat Scripturam, magis probauit, quod priori loco refertur, nihil tamen certi ex ea statui licet, hoc interim certum est à mole corporis inusitata nomen pisci impositum esse: Siquidem לוה lauach Hebræis est cumulare & accessionibus augere. Loca scripturæ in quibus proprius vsus vocabuli huius reperitur, tria potissimùm sunt, quæ cùm ad cognitionem quoque faciant naturæ piscis, à qua metaphora huius loci ducta est, statui ea adducere. Primus est psalmo 173. cum initium est *2 Benedic anima mea Dominum, &c.* in quo magnificentiam Dei ex duabus rebus proponit Dauid. Recenset primò opera Dei mirabilia, quæ in terra licet videre. Quem tractatum vbi epiphonemate concluit, hoc nempe: *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, implet a est terra possessione tua. Ad iecit quæ in mari sunt admiranda.* Dixi de terra, inspiciatur, ait, iam mare, non minora videas ibi rerum miracula. Inter cætera est ibi Leuiathan, quem formasti vt luderet in mari. Nam pro dracone quod noster vertit interpres in Hebræo est Leuiathan. Et illud, ad illudendum ei: græcè dictum est, Latinè vertisset ad ludendum in eo, nempe mari quòd spacioſum manibus, id est,

Psal. 103. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, flexibus sinuosum est. Hunc puto germanum esse sensum Psalmi, quamquam nō ignorem commentarios figuratè de diabolo interpretari ad hunc modum: Inter reliquas creaturas mundi (nam hunc nomine maris intelligunt) formasti & diabolum, vt ludos nobis faciat. Secundus locus est psalmo. 73. non minùs insignis: *Tu confregisti capita draconis* (hic rursus Leuiathan est in Hebræo) *dedisti eum escam populis Aethiopum*. Sensus psalmi hic est: Tibi Domine in manu est, facillimum est tibi, modò velis, comprimere hostes nostros. Nam magna potes & mirabilia fecisti, atque hoc recensetibi propheta, & inter cætera. Tu inquit potes facere vt capiatur Leuiathan, & in frusta concisus mittatur etiam a Aethiopas, qui longè disiti sunt à mari. Hæc nè loca faciunt ad intelligendam metaphoram Esaiæ, Nam Psalmo. 103. cùm inter prima rerum miracula quæ cernere est in mari, recenseatur Leuiathan.

Hoc verò. 73. Psalmo, cùm ex ipsius deiectione adstruatur Dei potentia, grandis oportet belua sit, non solùm mole corporis sed & robore virium. Sunt tamen qui & hunc locum figurat interpretantur, per draconem intelligentes Pharaonem, per capita, ipsius proceres, vt alluserit Propheta ad notam Aegyptiorum subuersionem hoc sensu: Pharaonem & proceres eius demersisti in mari rubro, quibus de profundo pelagi rursus eductis, laniandos tradidisti exangues eorum artus carniuoris auium rostris ipsis coruis, vt populus Athiopum periphrasis sit coruorum.

Tertius locus est apud Iob cap. 40. atque hic omnium apertissimus est. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguā eius? Nunquid pones circulum in naribus eius? &c.* Vox Dei est ad ipsum Iob. Non est, inquit hoc virium tuarum, sed nec cuiusuis mortalium ad superandum Leuiathan, diuina opus potentia. Describens deinde ipsam beluam: *Corpus*, ait, *illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se præmentibus: Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Sternutatio eius splēdor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt sicut tedæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, &c. Cùm apprehenderit eum gladius: subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax. Reputabit enim quasi paleas ferrū, & quasi lignum putridum, æs. Non fugabit eū vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. feruescere faciet quasi ollam profundum. Mare ponet quasi cùm vnguenta ebulliunt. Non est super terram potestas quæ cumparetur ei, qui factus est vt nullū timeret.* Ex hoc loco qui naturam piscis, & proprietates ipsius exactè describit. facilè est cuiuis metaphoram explicare quæ apud Esaiam est, nempe quod ob inuictū robur & insuperabiles vires diaboli, ipsum Leuiathan appellarit.

Iob. 41. b.

Quòd autem & hunc locum de diabolo quidem interpretati sunt, vt Philippus presbyter, & plerique alij, nihil contra nos facit, cùm id fecerint per allegoriam rerum, quæ literæ velut basi innititur. Quamquam mirum est quid hic sequuti sint, cùm allegoria ferè peti soleat ex rebus gestis, non autem ex naturis rerum, sed istud alterius negotij est. Ob eandem causam robur scilicet & vires iuxta quosdam vectem ipsum vocauit, Vectibus portæ clauduntur, vectibus circunaguntur torcularia, vectibus onera gestantur, in quibus quia alij alia atque alia considerauerunt, aliter quoque & aliter interpretati sunt metaphoram. Hieronymus quem in præcedentibus sequuti sumus, eam ob rationem dixit diabolum vectem à propheta vocatum, quòd nihil in se recti haberet, ob quam causam etiam tortuosum appellauit. Hic respexit ad curuitatem palorum, idem cap. 15. Esaiæ, vbi de Moab scribitur: *Vectes eius vsque Segor*. Per vectes, robur seu primores Moab intellexit, ibi in palis iste respexit, quòd sint robusti, quam significationem in translatione sua expressit hoc loco Theodotio, Super serpentem, inquit robustum. Hunc Dominus semel occidet, atque tunc pax erit perpetua, secura, stabilis, tunc solidum gaudium quod nunquam interrumpetur. Hæc est consolatio eorum, qui iam certantes contra diabolum, experiuntur quàm sit difficilè superare vires ipsius, quàm sit difficile fraudes ipsius euadere.

Non esse autem præsentis temporis, sed ad futurum seculum pertinere discimus ex Apostolo Paulo, qui cap. 6. Epistolæ ad Ephes. cuius aliquoties iam meminimus, hortatur eos qui renati erant ad arma. Volo, inquit, vos arma capessere, nec vulgaria, sed arma manu Dei fabricata, non hastam tantùm vel lanceam, sed omnia simul arma quæ ad virum seu militem pertinent. id enim significat παναπλία quā voce ibi vtitur Paulus. Quòd deinde per partes explicans. Volo, inquit, lumbos baltheo, pectus lorica, caput galea, pedes calceis, sinistram scuto, dextera gladio muniti, gladio inquit spiritus. Nec miremini quòd tam exactè instructos armis vos velim: magna causa est, pugna vobis est, non cū carne & sanguine, sed contra principatus, contra potestates, contra mundi rectores, id est, dæmones siue dominos tenebrarū seculi huius, contra spirituales versutias. Quid potuit dici vehementius? *Non est*, inquit, *nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinē*. Sed quid aut quomodo Paule? An nunquam expertus in te es, quanto impetu assurgat caro? quanta improbitate imperare conetur lex membrorū? qua vi ad inhonesta trahat, quæ per corpus respersa est, cōcupiscentia? Nónne ob huius violentiā ipse ō bone exclamas: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nónne & in ea quæ ad Romanos est epistola doces inter carnem & spiritum perpetuam luctam esse, dum aliò spiritus aliò inuitet caro? Quomodo ergo nunc ais, non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem? Adeóne citò omnium horum te cœpit obliuio? Nequaquam ait, Scio molestam vobis pugnam esse contra sanguinem & carnem, verùm collata cum ea de qua nunc loquor, qua contra dæmones dimicamus nulla est, tantæ sunt vires, tantæ sunt fraudes horum, Mirè Apostolus hoc loco duo hæc adiunxit, vires, & fraudes, imitatus in hoc Esaiam qui non contentus dixisse Leuiathan, adiecit serpentem vectem, serpētem tortuosum, quod & Apostolum Petrum fecisse videmus, vbi ait: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærēs quem deuoret.* Quod dicit, circuit seu obambulat, acres insidias & exactam ipsius fraudem explicat. Quod addit deinde (rugiētis instar leonis) sæuitiam diaboli fortitudinē ac robur declarat. Porrò nomine diaboli totum cœtū dæmonum significauit per heterosin. Quorū multitudinem si quis æstimare velit cogitet quanta sit ea quæ inter cœlum & terrā media est aēris regio, quæ sanè maxima est & latissima: atq; hæc vt ante à nobis ostēsum est, plena est contrariarum fortitudinū. Quàm igitur horribile desertum hoc, quod tot & tales, tam acres, tam truculentæ feræ inhabitant. Quàm horribile inquam desertum.

Ad Ro. 7. d.

1. Pet. 5. b.

Obsecro vos auditores, si quispiam vestrum ita secum agente non dico fortuna, sed cuius prouidentia cuncta gubernantur Deo, deferretur in vastum aliquem locum, vbi non nisi lupos quales vulgus intelligit & vrsos & leones ac leænas atq; horum catulos cōspiceret, nec vllum sibi cerneret patere exitum, an non totus rigesceret? Et quid sunt illæ feræ ad has collatæ? Illæ carne pascuntur & sanguine, istæ glutiunt animas. Illæ certis temporibus excurrunt, dum nimirum fames extimulat. istæ nunquā non obambulant, quærentes quem deuorent. Illæ aperto ferè Marte inuadunt, istæ ex insidijs aggrediūtur. Illæ conspici à nobis possunt, istę nequaquam. Illæ cùm corpora habeant, lædi atq; interimi queunt, istæ vulnerari nō possunt, cùm spiritus sint. Illæ etiam dū vel maximè sæuiunt si de grege vel agnū vel caprum vorandum eis objicias, desinunt insequi, istæ nunquam expleri valent. Illæ cum bruta sint excogitare nequeūt, istæ ingenio calliditatis suæ mille nocendi artes adinueniunt. Quanto igitur horribiliùs desertum hoc altero illo, atq; huius talis deserti qui incolæ sumus diu in eo degere optamus, imò quasi nullum esset bellum, quasi nullæ starent cōtra nos instructæ acies, nugamur, deliciamur, ludimus, dissoluti incedimus atq; discincti. Quid dicam? hoc sanè, vel carere nos fide, vel occupatos omnium alijs nō exercere hic ingenia nostra. Etenim cùm fides habeat oculos suos, si intenderemus, videremus per nebulam saltèm Leuiathan immanem illam beluam caudam suam stringentem, flammas spirantem, concitantem abyssum in caput nostrū. Videremus serpentem illum vectem, serpentem tortuosum miris modis per arctissimas rimulas insinuantem sese, ac mille meandris nitentem arcem ipsam cordis occupare. Videremus vt semel dicam diabolum rugientis instar leonis obambulantem, explicantem nostra, percq; ea quæ vel parēt, vel minùs fortiter clausa sunt, irrumpentem, atq; in omnia deinde se vertentem vt quò cupit perueniat, hoc est ad arcem mentis, vt cum eam obtinuerit, lambat sanguinem animarum nostrarum: Videremus inquam incorporales principatus, mūdi Dominos, spirituales versutias, totum denique cœtum dæmonum stare contra nos in acie, dentibus stridere ac fremere, ignem spirare aduersus salutem nostram, Videremus hæc neque vt iam ridere liberet, sed sumptis lachrymis plangeremus sortem nostram duram ac terribilem, plangeremus cū propheta tempus incolatus nostri extrahi, plangeremus & sublatis ad cœli sanctissima templa mentis nostræ oculis, tristes, ac horrore pleni clamaremus diffisi viribꝰ nostris: Exurge Domine, expugna qui impugnant nos. Exurge Domine, apprehende arma & scutum, & dejice aduersarios nostros Exurge in auxilium nobis. Quis enim hanc contra nos dæmonum pugnam vincere præualet nisi tua fuerit pro eo dextera dimicatū? Sed tempus est, vt tractatum hunc absoluamus.

Ostendimus appellationem deserti rectè tribui mundo, eò quòd ferarum plena hic sunt omnia, hocq; horribilius desertum esse, quæ feræ istæ, siue naturam, siue ingenium, siue robur spectes, siue fraudes, siue sæuitiam, longè superent nostri generis feras. Restat iam alterū, nimirum vt dicamus quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint deliciæ quarum meminit thema quod tractandum sumpsimus, atq; vt vno verbo rem explicemus, deliciæ hę virtutes sunt, humilitas, benignitas, modestia, mansuetudo, castitas, charitas, ac cæteræ virtutum species quæ multæ sunt, de quibus (nō dico de omnibus: quis enim id posset:) sed de potissimis, cùm in alia quadam concione ex professo olim disseruimus, hoc loco nihil dicam: Puto enim plerosque vestrum meminisse: Argumentum concionis illius hoc erat: D. Virginem per humilitatem, castitatem, charitatem quas excellentiùs etiam præ Angelis ipsam possidere demonstrabam, ad summum sublimitatis fastigium euectam esse, & in cœlestibus collocatam super omnem principatum & potestatē & virtutem & dominationem super cherubim & seraphim, super omne denique quod infra Deum est. Vestrum iam est singulas virtutum species percurrere, atque vbi vobis persuaseritis, excellentissimè has viguisse in Maria Virgine, oculos vestros ad desertum hoc transferre. Quod si feceritis, videbitis quàm optimo
Cant. 3. c. iure admiranter dicant Angeli, *Quæ est ista quæ adscendit de deserto delicijs affluens?* Quæ est ista quæ adscendit de terra Cedar, de terra cui aerea illa caligo, quæ plena ferarū est, vndique incubat: de terra horroris, in qua pugna aduersus diabolum quotidie geritur. Vbi aduersus iacula & tela conflictationibus assiduis dimicatur, vbi cum auaritia, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua & iugis & molesta luctatio est, vbi obsessa mens hominis & vndique zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit.

Si auaritia prostrata est, exurgit libido: Si libido compressa est, succedit ambitio: Si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, &c. De hoc ergo deserto tam horribili, mundo videlicet adscendit. D. Virgo, delicijs, hoc est, virtutibus vt diximus affluens. Quare auditores optimi curem⁹, vt & nos de hoc deserto delicijs affluentes adscendam⁹, quod det nobis Deus Pater & Filius, &c. Amen.

SVPER HANC SCRIpturam, Homilia.

Mihi absit gloriari &c.

Ad Gal. 6. c. MOnet post Platonem Aristoteles, vt à prima statim ætate assuescam⁹ discernere, quæ sint de quibus verè gaudemus, & de quibus verè dolemus, vt illa prosequamur, hæc fugiamus. Sanctissima sanè admonitio. Verūm quenam sint de quibus verè gaudemus neque hic, neq; ille, sed nec cæterorum quispiam philosophorum seu Ionicorum seu Italicorum perspectum habuit. Tradiderunt quidem ipsi virtutem esse de qua verè gaudemus, & rectè tradiderunt, sed quid sit virtus, non cognouerunt. Definierunt sanè eam esse habitum consentaneum rationi, atque hoc rursus rectè: verùm quid sit rationi consentaneum inuenire haud potuerunt, ignorātes naturæ quæ per peccatum Adæ inualuit, corruptionem; Quod ergo illi tradere non potuerunt, nos hac concione demonstrare conabimur, occasionem nobis præbente, quæ de Beatiss. patre nostro cantata hodie est Epistola, cuius initium est.

Mihi absit gloriari &c. Ad Gal. 6. c.

DIcturi qua in re gloriandum, duximus operæprecium, si Paulum imitātes antedicamus, quas ob res plerique mortaliū falsò glorientur. Et quidē imprimis hic occurrunt, qui gloriam suam ducunt, quòd diuitias, quòd magnificas ædes, feraces agros, montes vitibus scitè consitos, amœnos hortos, spacioſa pascua, numerosam pecudem possideant. Quòd vasa habeant preciosa tum aurea tum argentea: quòd noui ac varij generis vestes, quòd picta stragula, quòd belluata tapeta, &c. Vanam esse horū gloriam hoc arguit, quòd morte intercipiatur, Verè enim dictum est. *Cum morietur homo, non sumet omnia:* hoc est, nihil earum rerum secum feret, quas hic possidet, non aurum, non argentum, non vasa docta celata manu, non superbæ aulæ, non cætera quæ gloriam suam ducit vt rectè accinatur: *Neque descendet cum eo gloria eius.* Vt iam taceam, quòd frequenter incendijs, sæpe bellis, non rarò aquarum inundatione, sed & furū insidijs, sed & latronum impetu, vita manēte incolumi, tollantur res. Quod qui aduertit, quàm aptè incertas diuitias has appellarit qui dixit, Diuitibus huius seculi non altum sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Sed age picturam huius proferamus, vt res oculis subiecta magis afficiat. Pictura insignis est apud Lucam cap. 12. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens. Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam. Destruam horrea mea et maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare.* Eccl. 30. b. 1. ad Timoth. 6. d.

En velut in tabula depictum, imò velut in scenam productum glori-

gliantem in diuitijs hominem. Sed nunquid verè gloriantem? Percurramus picturam, si forte & hoc oculis exhibeat. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetam à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* En reliquum picturæ, quæ nescio quid diuinum spirat, & si ante oculos sæpe versaretur diuitum, nō dubito abduceret animos eorum à spe, quam ex incertis & falsis diuitijs conceperunt. Quid enim non falsas appellem, quę nihil minùs quàm diuitiæ sunt? Quis enim sapiens has vnquam eo loco habuit? imò quis vnquam concupiuit? Sed satis de his. Transeamus ad reges & principes, qui in potentia seu fortitudine imperij gloriantur, qualem Pharaonem depingit pro-
Ezech. 29. a. phetia Ezechielis. *Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum,* id est, qui in his confidis & gloriaris. Qualem quoque describit volumen
Dani. 14. f. Danielis ipsum Nabuchodonosor, quem & ita loquentem inducit. *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domū regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Nónne hæc est, ait, Babylon ciuitas magna? Babylon (quemadmodum refert Herodotus & alij qui græcas historias conscripsere) per quadrum sita, ab angulo vsque ad angulum muri, sedecim milia tenebat passuum, hoc est, simul per circuitum quadringenta octoginta: vt non minùs scitè quàm verè de ea dixerit Aristoteles in Policitis, quòd magis regio clausa muris quàm ciuitas esset. Murus coctili latere atque interfuso bitumine compactus quinquaginta concubitorum crassitudine, ducentorum celsitudine, in singulos cubitos ternis digitis mensura ampliori quàm nostra. Super quem circa oras extructæ erant dietæ singulariæ altrinsecus conuersæ, inter quas tantùm capedinis relinquebatur, vt quadriga interagi posset.

Descriptio Babylonis.

Eius per ambitum centum portę stabant, æreæ omnes cum cardinibus itidem postibusq;, quapropter inter septē orbis spectacula numeratur. Arx siue capitolium eius vrbis, est turris cuius meminit Genesis capite 11. quæ in altitudine quatuor milia dicitur tenere passuum. Describunt quoque ibi tēpla marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroq; fulgentes, & multa alia quæ penè videntur incredibila. De ditione nihil me necesse est dicere, cùm ob multitudinē ciuitatum Esaias 14. capite, terram Babylonis, orbem appellat ciuitatum. Et capite 21. eandem mare vocet, quòd nimirum latissimè pateret regnum Babylonis. Omnino enim huc respexisse puto prophetam, & qui eum imitatus est Hieremiam, cum ait. *Desertum faciam mare Babylonis*, quanquam
Esai. 50. b. Hierem. 51. c.

non ignorem alios aliter explicare metaphoram. Sed quorsum hæc? eò spectant vt sciamus, quòd si quis alius, hic gloriari potuerit in potentia.

Sed nunquid potuit? audiamus scripturam. *Cum sermo adhuc esset in ore regis* (ille nimirū quem antè memorauimus: *Nónne hæc est Babylon ciuitas magna, &c.*) *vox de cœlo ruit, tibi dicitur Nabuchodonosor rex. Regnum tuū transibit à te, et ab hominibus eijcient te, & tū bestijs & feris erit habitatio tua, fœnū quasi bos comedes.* Quæ omnia mox rebus expleta sunt: *Nam ipsa hora,* vt habet volumen Danielis, *ex hominibus eiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est,* Sed & Babylon à Dario rege Medorum Cyro Persarum Rege non multò post excisa est, cuius tragicam descriptionem habes apud Esaiam cap. 13. & 14. Rursus cap. 21. iterum cap. 47. vbi Babylonem velut Hecubam quandam facit à summa fœlicitate ad extremam deiectam miseriam. Eius capitis hoc est initium.

Descende, sede in puluere virgo filia Babylon. Esai. 47. d.
Quod est patri filia charissima, hoc tu fuisti orbi Babylon. Ab omnibus hactenus in delicijs habita es, non aliter quam puella adhuc viro incognita & intacta. Illud significatur in filia & virgine. *Descende, sede in terra.* Additur ratio. *Non est solium filiæ Chaldæorum.* Trāslatum est solium tuum ad Persas & Medos. *Filiæ Chaldæorum,* periphrasis est Babylonis: Nam à Chaldæis condita est atque extructa. *Tolle molam, & mole farinam,* hactenus habita es mollis ac tenera & cunctarum gentiū manibus portata, terrę plantas vix imprimebas, alia iam vitæ ratio inducitur, dehinc molendæ farinæ operi insistē-dum tibi est: Duræ captiuitatis & extremæ seruitutis hoc est indicium, vt quæ quondam Regina & Domina regnorum fuerit, iam molendæ farinæ operi seruiat. Quanquam Hebræi molam figuratè accipiant, quòd scilicet in morem scorti, victorum libidini pateat Babylon. Caussam cur sic interpretentur afferunt, quia inquiunt, sequitur; *Denudat turpitudinem tuam,* quod aliter Aquila, aliter Symmachus, aliter Theodotio, aliter Septuaginta interpretati sunt, aliter rursus atque aliter ipse Hieronymus. Omnes autem sic interpretati sunt, vt proprietatem ac vim vocis Hebrææ nequaquam expresserint, non quòd deesset vocabulum quo id possent, sed quòd in sancta scriptura sonaret turpitudinem, quæ ob verecundiam taceri vult, quare nec nos exprimemus ne polluamus aures vestras. Sequitur in Esaia: *Discooperi humerum, reuela crura, Transfi flumina,* in captiuitatē. Mesopotamiam significat, quam latinè terram inter
Esai. 47. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

amnes dicere possumus. *Reuelabitur ignominia tua.* Hanc quoq; vocem ex obscœnis esse videas cap. 28. Exodi, *Facies & fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad fœmora.* Et cap. 9. Genes. *Cùm vidisset Cham pater Chanaan verenda scilicet patris sui esse nudata, &c.* Quod hic verenda, & superiori loco turpitudinẽ vertit. Hebræis eadem dictio est, quæ & hoc loci ponitur & versa ignominia tua. *Et videbitur opprobriũ tuũ.* Attendant hæc qui florẽt iam potentia, qui placẽt sibi, siue in episcopatu, siue in canonicatu, nec studeant mortificare membra sua quę sunt super terram, attendant inquã, rursus dico attendant. Nã & ipsos respiciũr, quæ in Babylonem hic dicuntur, omniaq; si non secundum humilem literæ sensum, saltem intellecta pneumaticôs certo ordine in se expleri cernent semel: Audiet canonicus elatus, audiet superbus abbas, audiet Episcopus qui iactat iam potentiam suam, & placet sibi in examinibus populorum. *Descende, sede in puluere, descende. sede in terra, tolle molam, denuda turpitudinem tuam,* & cætera
Esaiæ 47. a. quæ apud Esaiam in typo Babylonis scribũtur. Et reuelabitur turpitudo ipsorũ, & opprobrio patebunt sempiterno, Reuelabitur turpitudo eorum, non vni tantum populo, non vni genti duntaxat, non Leodiensibus solùm, virisue Brabantis, sed toti orbi: Tum quod iam persuadere sibi nolunt, rebus ipsis discent, quòd omnis potentia puluis sit, & ad iram Dei, sauillæ ac cineri cõparẽtur.

Proposuimus duo genera hominũ, quorum alterum in diuitijs, alterum in potentia seu principatu gloriatur, quibus subijcimus tertium, & est eorum qui nobilitate tument, hoc est qui genus & proauos, & fortia facta parentum iactãt, hæcq; gloriam suam ducunt. Quibus dicimus verè se posse gloriari, si nobilitas hominem commendaret apud deũ, quod iam longè abest. Non enim propterea Deo gratior est quispiã, quia nobilis, nec minùs gratus aliquis quia ignobilis: sed sine respectu nobilitatis atq; ignobilitatis, quæ secundum genus attenditur, quisq; pro qualitate vitæ apud Deum æstimatur. Si is qui nobilis est genere, vitã agat degenerem, hoc est, si vanitatem, luxum, pompam seculi sectetur, odio habetur. Alius insequens quod iustum est, quodq; lex diuina iubet, diligitur à Deo quantumuis ignobilis: atq; hic vitæ, ille gehennæ adiudicatur. Docent hoc scripturæ, quæ negant πρόσωπολημψίαν esse apud Deum, quæ multæ sunt, maximè in Paulinis litteris quibus referendis supersedemus, vt locum secundum Matthæum qui hac in re insignis est, exactiùs liceat enarrare. Dicimus autem eum qui est cap. 3. ea parte qua mentio fit Pharisæorum & Saducæorum, quorum hi à iustitia, illi à separatione, quòd habitu & genere vitæ à cæteris differrent, sit appellati sunt. Quos cùm vidisset Ioannes inter alios accedere Baptismum suum, ipsos non appel Matth. 3. lans: *Progenies,* ait, *viperarum. Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Id serpentium genus, ita in parentis festinat exitium, vt aluo qua portatur exesa, in vitã prodeat morte gignentis. Notat ergo eos immanitatis, quòd peremptores extiterint parẽtum, hoc est prophetarum, à quibus ad veritatis lumẽ ducebantur. *Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Admirãtis sermo est, ac si dicat. Vnde hæc facta est repentè tanta conuersio? Quis voluntates asperas mitigauit? quis ad respiscentiam induxit? Non hoc humanæ est artis opus, sed diuinæ. Docens deinde quid facto opus sit, vt indulgentiam consequantur, & remissionem: *Facite,* inquit, *fructus dignos pœnitentiæ:* Non ait, Peccastis, cessate dehinc: nec ait, peccastis, agite pœnitentiam. Qui sermo quàm prior plus multò complectitur, sed dignos pœnitentia fructus exigit. Secundum molem peccati exhibe inquit pœnitentiam.

Non satis hic est leuiter dolere, opus est adhibere cilicia, saccos, cineres. Et quia nobilitate generis tumebant, reprimẽs tumorem illum, nolo inquit mihi dicatis: Genus ducimus ab Abrahã. Nobilitas nihil ad rem facit pœnitentia hic opus est. Hæc, non generis nobilitas reconciliat hominem Deo. Et planè vrgens eos. *Iam securis,* ait, *ad radicem arboris posita est.* Allegoria est vocum. Neq; enim securis propriè accipitur, neque radix, neq; arbor, sed figuratè omnia, nec puto opus esse explicatione cùm vltro sese offerat intelligentia, & suauiùs illabantur figuratè dicta, quàm si absque tropo efferantur. *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonũ, excidetur & in ignẽ mittetur.* Hoc versu vniuersum honorem carnalis nobilitatis subruit semel, atq; euertit. *Omnis arbor.* Quid est omnis arbor? Qui dicit, omnis, neminem excludit. Siue ergo nobilis quis fuerit siue ignobilis, excidetur, nisi fructum fecerit: nec excidetur solùm (hoc enim ferri vtcunque posit) sed intollerabile est, quod additur, & in ignem mittetur. At in quem ignẽ? sanè non in quemuis, sed in ignem inextinguibilem: id enim paucis interiectis sequitur. Hic autem est gehennæ ignis cuius incendia quis explicet? Hic inter inconsumptibiles flammas immortales miseri viuent, & nuda corpora sulphureus ille ignis, quem Spiritus Domini succendit, allambet vsque & vsque, nec erit qui æstuanti cuiusquam linguæ stillam aquæ infundat. Heu Heu Heu. Quid genus, & proaui, quid fortia facta

cta parentum? Quid proderit ibi nobilitas?

Quàm vana igitur est gloriatio horũ, sed & quàm vani nos qui ferè nõ nisi his rebus, quæ prorsus mediæ sunt, nempe diuitijs, potentia, nobilitate metimur homines, qui ob hæc quæ ad beatam vitam omnino faciunt nihil, suscipimus & admiramur personas, nobisq; vehementer placemus: si horum erga nos fauorem experiamur, si aduertamus magni nos fieri ab ipsis, habericq; in precio, vel ob sanctitatem qua pollere nos putant, vel ob facundiam qua præditos conspiciũt, vel aliam quamuis ob causam, atq; hic quarta exurgit species fallõ dictæ gloriationis: quæ hoc magis timenda est, quòd & sanctorum animas occupare soleat. Scitis quanto-
Esai. 38. b. c pere in scriptura laudatus sit Ezechias. Hic cùm venissent ad se legati regis Babylonis. Rex siquidem Merodach cùm fama perferente didicisset, causa Ezechiæ solem in occasum vergentem retrogradi iussum per sua vestigia tantùm spacij, quantum emetiri solet decem horis, cupiens de portento certior fieri, simulq; quòd conualuisset gratulari volens Ezechiæ, misit ad ipsum principes suos non sine muneribus. Hi ergo cum venissent, lętatus est super eis Ezechias, & ostẽdit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti, & omnes apothecas suppellectilis suæ, & vniuersa quę inuenta sunt in thesauris suis, vt scribit Esaias cap. 39. Sed dicitis. Quid hic reprehensione dignum? Hoc certè quòd in legatione principum Babylonis, quòd in congratulatione regni potentissimi vanè sibi placuit. Sed id vnde tandem cõstat? Hinc sanè quòd quærenti Esaiæ vnde nam venissent, respondit. *De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.* Quod cum emphasi & supercilio est legendum, ac si dicat, tanti ego fio. Si quæritis vnde nobis constet sic esse legendum? dicimus ex ijs quæ subijciuntur id constare. Subijciuntur autem hæc, Dixit Esaias ad Ezechiam: *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui vsque ad diem hanc in Babylonem, non relinquetur quidquam dicit Dominus. Et de filijs tuis qui exibunt de te quos genueris, tollent & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Hæc sanè indicant peccasse in hoc facto Ezechiã, Sed & præter hoc docent, quãtopere displiceat Deo vitium hoc quod nos ferè non ducimus vitium, imò huius gratia quidam virtutem sibi exercendam putant. Nónne Cicero in ijs libris quos de repub. conscripsit, cùm de instituendo principe ciuitatis loquitur, ipsum dicit alendũ esse gloria, & dehine maiores suos commemorans multa atq; præclara ipsos fecisse scribit cupiditate gloriæ, quos hac in re imitandos proponit? Nónne & in ipsius philosophiæ lib. cùm de studijs agit quæ vtiq; sectanda sunt fine veri boni, amore laudis humanæ, hanc infert vniuersalem generalemq; sentẽtiam? Honos alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloria? Infringamus obsecro hanc ethnici sententiam, vincatq; cupiditatẽ gloriæ, amor iustitiæ. Tam enim vitium hoc inimicum est fidei Christianæ, vt Saluator noster apud Ioannem Phariseis loquens dixerit. *Quomodo vos potestis credere qui gloriam* Ioan. 5. g. *ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?*

Quæ hactenus commemorauimus extra nos posita sunt: iam de ijs quę nobis insunt, disseramus, quæ in duplici sunt differentia. Alia siquidẽ corporis, alia animi bona sunt. Bona corporis dicimus, sanitatem, robur, formam siue pulchritudinem, quę licet sint magna, tamen caduca sunt, fluxa, incertaq; omnia. Nulla hic opus est probatione, cum experientia quod dicimus doceat. Pulchra mulier quæ adolescentulorum post se trahebat greges, subitò arata fronte contrahitur, & quæ prius amori, postea fastideo est. Iuuenis præstans corpore qui robore vigebat, & virium suarum ignorabat modũ repentè deijcitur, vnaq; febri omnis illa fortitudo perit abitq;. Sic cætera quæ corporis bona vocantur, aut tempore deficere, aut languore consumi, videmus. Quæ igitur insania, ob hæc velle gloriari, gloriantur autẽ plurimi. Nec noua hæc insania, vel heri aut nudiustertius orta: olim tempore Esaiæ fuit. Quare præcipitur ei, cap. 40. *Clama ne cesses,* ipsoq; quærente, quid clamaret, dicitur, *clama: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum & cecidit flos.* Comparatio hæc & in alijs locis scripturæ legitur. Vsus ea est Apostolus Petrus: vsus est & Iacobus Apostolus, nec video quid hac in re accommodati afferri possit. Quare hac contenti, de bonis animi dicamus, ac primùm de scientia, deinde de virtute: quarum hæc ad voluntatem, illa ad intellectum pertinet, quam tanti fecêre veteres illi gentium philosophi, vt contemptis omnibus priuatis & publicis actionibus, vni huic animum intenderint, quam & toto orbe velut fugientem persecuti sunt. Nam Apollonius, vt apud Philostratum legere est, penetrauit Persas, pertrãsiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna peragrauit, & ad extramum, latissimo Physon amne transmisso peruenit ad Brachmanas, Indè per per Aelamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palestinos, reuersus Alexandriam, perrexit Aethiopiam inquirendæ veritatis ergò. Sic Plato Aegyptum eamq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

oram Italiæ quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſsimè peragrauit, vt cæteros taceam magnos & excellenti ingenio viros, quos in veteribus hiſtorijs legimus luſtraſſe prouincias, nouos adijſſe populos, maria tranſijſſe, ſed & facultates ſuas ſemel abieciſſe, & renunciaſſe vniuerſis voluptatibus, vt quam rebus omnibus anteponebāt, apprehenderent ſcientiam. Magnum igitur bonum vt videtur ſcientia. Sed nunquid in ea gloriandum? Sanè ſi hāc intelligimus ad quam ſtudio ſuo peruenerunt hi quos iam memorauimus, quamque ſcripto poſteris tradiderūt, in promptu reſponſio eſt, haud gloriandum eſſe cùm ad beatam vitam nihil ea faciat.

Quid enim ad ſalutem prodeſt, ſi de natura, de motibus ſyderum, ac dierum curſu diſſertè nouerim diſſerere? Rurſus quid momēti ad fœlicitatē habet, ſi regulas teneam connexionum, ſi ſciam quid conſequens, quid non conſequens, & cætera quæ ea philoſophiæ pars tradit, quæ Logica appellatur? Sed dicitis, Nō de his ſolùm, ſed & de finibus bonorū, de vita ac moribus præclarè multa ſcripſerunt. Quā præclarè, viderint alij. Hoc dico, veritatē quæ verè liberum reddit animū, ipſis haud fuiſſe cognitam: Nuſquam enim in ipſorū libris Chriſtus agnoſcitur, qui via eſt, veritas & vita. Quo ſine omnia quantumuis docta videantur, caligo & tenebræ ſunt. Quare mirari ſatis nequeo pleroſq; omnem ætatem conſumere in legendis horum libris. Hic noctes & dies in Ariſtotele ſe torquet. Ille in Platone. Hic Cicerone delectatur, ille Demoſthene. *Quare appenditis argentum, non in panibus? Et laborē veſtrum nō in ſaturitate?* Eſaiæ verba ſunt: Quare inquit, operam veſtram & induſtriam conſumitis in rebus non valituris ad ſalutē? Quare magnis precijs redimitis doctores qui vobis prælegūt litteras gentilium, ſacris, in quibus ſolis ſunt panes, relictis? Ariſtoteles omnibus eléchis ſuis nō valet explere animum. Plato quantumuis diſertus & aureo ferri videatur flumine, nequit ſitim pectoris reſtringere. Cicero lectores ſuos dimittit famelicos, Sic Demoſthenes, ſic Thucidides, ſic cæteri.

Eſai. 55. a.

Quid igitur tam charè hos authores amplectimini? *Audite audiētes me.* Quin potiùs inquit audite me, (Subauditur enim vocula aduerſatiua) *& comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* En in quibus literis vera proponūtur bona. Sed nunquid in harū cognitione gloriandum? Hic aures mihi prębeant Theologi, & ne nimium ſibi placeant ob diuinarum ſcripturarū cognitionem, ſciant hanc communem ſe habere, non ſolùm cū malis, quos damnatio manet mortis æternę, ſed & cum ipſo malorum capite diabolo nimirum, qui tanta omnino pollet ſcientia, vt cùm multi ſint intelligentia magnaque cognitione præditi, ipſe præ cæteris nomen hoc meruerit, vt dæmon vocetur: Dęmon autem (vt videre eſt apud Platonem in Cratylo) quaſi δαημων, quod eſt intelligens, dicitur. Ex quo (dæmone ſcilicet) agnoſcitur, quam verè ad Cor. ſcribēs Apoſtolus dixerit. *Scientia inflat.* Tam enim inflatus eſt ac ſuperbus, vt diuinos honores & religionis cultum, quem vero Deo deberi nouit, ſibi ſategerit olim exhiberi, & quantum poteſt & apud quos poteſt, adhuc agit. Hæc autem dicta à me ſunt, non quò abducam animum cuiuſquam à ſtudio literarum maximè diuinarum, abſit, ſed quò oſtēdam adeò beatam nō facere ſapientiam etiam ſacrarum ſcripturarū, vt tumidum reddat hominem, ſi ſola fuerit. Sic enim dictum eſt. *Scientia inflat*, ſicut dictum eſt, *caro non prodeſt quidquam*, quod qui rectè intelligunt, hoc ſenſu dictum accipiūt. Caro per ſe, hoc eſt, abſque ſpiritu, non prodeſt quidquam. Si verò ſpiritu fuerit viuificata, non ſolùm inutilis non eſt, ſed prodeſt plurimum, ita vt Saluator dicat. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternā, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Sic ſcientia ſola, ſcientia nuda, ſcientia ſine charitate. Nam contra hanc, eam diuidit Apoſtolus inflat: ſi verò cum charitate iuncta fuerit, adeò non inflat, vt lamentantem, vel lugentem faciat. *Beati autem qui lugēt, quoniam ipſi conſolabuntur.*

1. Ad Cor. 8. a.

Ioan. 6. f.

Iam reliquum eſt, vt de virtute dicamus, quam ſolam eſſe de qua verè gaudemus, philoſophorum ſentētia eſt. Qui cùm virtutem definierint rectitudinem, quam mens ſiue ratio ſuis viribus in vitæ actionibus efficit, nemo vel leuiter in fide imbutus non videt, quàm longè à vero abhorreat ipſorum ſententia, cùm doceat in viribus liberi arb. gloriandum. Sanè Apoſtolus nuſquā non hanc gloriam ſubuertere conatur.

Diſputat contra eam ex profeſſo in Epiſtola, quam ad Rom. ſcripſit. Diſputat aduerſus illam in ea quoque quam ſcripſit Galatis, ſimiliter & in ea quæ ad Philippenſes ſcripta eſt. *Ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærētes ſtatuere, iuſtitiæ*, inquit, *Dei non ſunt ſubiecti.* Ignorantes iuſtitiam Dei, non quidem illam à qua Deus dicitur iuſtus, hanc ſiquidem cognouerunt, vt hac ipſa Epiſtola docet Apoſtolus, ſed eam quę homini eſt ex Deo, quæ contingit per fidem Ieſu Chriſti, quam hanc ob cauſam iuſtitiam fidei alibi appellat: & ſuam, hoc eſt proprijs viribus quæſitam conātes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Dum inquit, promittunt ſibi iuſtitiam per vires liberi arbitrij, perinde quaſi

Ad Rom. 10. c.

quaſi illæ hac in re ſufficerent, non præbent ſe gratiæ Dei, nec perueniunt ad veram iuſtitiam quæ valet apud Deum. Sentētia hæc eſt capit. 10, Epiſtolæ ad Roma. quæ licet de Iudæis dicta ſit, Philoſophos tamen æquè atque illos reſpicit. Verùm ſi neque in diuitijs, neque in potentia imperij, neque in nobilitate, neque in honore, neque rurſus in ſanitate, neque in robore corporis, neque in pulchritudine, ſed neque in ſcientia aut virtute proprijs viribus quæſita, gloriari licet. Age qua in re gloriabimur tandem? omnino enim gloriari lubeat. Quoniam id quę ritis & ipſe in orationis exordio dicturum me promiſi, faciam quod vultis, ſi antè tribus verbis expoſuero, qua in re gloriā quæſierunt hi, contra quos agit Apoſtolus in Epiſtola, quam ad Galatas ſcripſit. Id in confeſſo eſt, Epiſtolam hanc ſcriptam contra familiam Iudaizantium, qui inter cætera vrgebant circunciſionem, quam Paulus abolitam volebat & antiquatam. Hos ergo poſt quam argumentis & certis rationibus reuicit, exoſos ipſos deinde reddere volens Galatis, aperit quo animo quóue ſine vrgerent circunſionem. Hi, inquit, qui tanto ſtudio perſuadere vobis conantur pelliculæ illius quæ glandem tegit, truncationem, faciunt id nō quidem zelo legis, ſed cupiditate gloriæ. Si ſtudio legis tenerentur, laborarent ſanè hanc vita exprimere. Iam nihil minus faciunt. Aliud igitur in animis eorū geritur. Volunt vos circūcidi, vt in carne veſtra glorientur, hoc eſt, vt iactare apud ſuos poſſint, quòd in legem vos pertraxerint, quòd ſuo ſtudio effecerint, vt circunciſionem amplecteremini. Hic ſcilicet ipſorū ſcopus eſt. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Ad Gala. 6. c.

En habetis qua in re ſit gloriandum. Illi gloriantur in carne, procul à me ſit, inquit, vt alia in re vlla glorier quam in cruce Domini. Quibus verbis non iudaizantium tantùm, quorum occaſione in hanc vocem erupit, ſed & eorum, quorum nos hactenus meminimus gloriam peſſundare. Si enim in ſola cruce gloriandum, non ergo in diuitijs, non ergo in potentia imperij, ſed neque in generis nobilitate aut laude hominū, multò autem minus in flagitijs. (Nam & de his plærique, quorum hactenus haud facta mentio eſt, iactant ſeſe.) Non enim ſanctius puto hoc noſtrum ſeculum, quàm illud fuit quo vixit Auguſtinus.

Is lib. confeſſ. 2. cap. 3. in hęc verba ſcribit: Decimo ſexto anno ætatis meæ vbi ſeriatus à ſchola cum parentibus eſſe cœpi, exceſſerunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus. Quinimo vbi me pater in balneis vidit pubeſcentem, & inquieta indutum adoleſcentia, quaſi iam ex hoc in nepotes geſtiret, gaudens matri indicauit (Sed matris in pectore iam inchoaueras templum tuum, & exordium ſanctæ habitationis tuæ Deus meus) quæ timens mihi vias diſtortas, in quibus ambulant qui ponunt ad te tergum, monuit cum ſolicitudine ingenti, ne fornicarer, maximeque ne adulterarer cuiuſquam vxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubeſcerem. Illi autem tui erant & neſciebam, & te tacere putabam, atque illam loqui, per quam tu mihi non tacebas, & in illa contemnebaris à me filio eius, filio ancillæ tuæ, ſeruo tuo. Sed neſciebā, & præceps ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia ſua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes eſſent, & libebat malum facere, non ſolum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione niſi vitium? Ego ne vituperarer, vicioſior fiebam, & vbi non ſuberat quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe quod non feceram ne viderer abiectior, quò eram innocentior: Et ne vilior haberer, quò eram caſtior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam plateārum Babyloniæ, & volutabar in cœno eius tanquam in cinnamomis & vnguentis precioſis.

Hactenus Auguſtinus: Hi certè non in cruce gloriantur, cùm ea ob quæ gloriantur, pugnent cum cruce, quare aptè Apoſtolus hoſtes crucis hos appellauit: neque hos duntaxat, ſed & illos quorum in præcedentibus facta mentio eſt. Locus Apoſtoli (ſi quis fortè id ſcire deſiderat) eſt in Epiſtola ad Philip. cap. 3. ea parte qua hortatur ipſos ad imitationem cùm ſui tum eorum qui præ ſe ferebant typum cōuerſationis, quam ipſe cùm apud eos ageret, in ſe expreſſerat. Quòd inquit, huius vos admoneam, magna ratio eſt. Quia multi haud rectè exigunt vitam, inimici crucis. Deinde in ſpecie explicans quos vocet inimicos crucis:

Quorum, inquit, *Deus venter eſt*, hoc eſt, quibus vnicum ſtudium eſt vt vētri faciant ſatis, vehementer & argutè dictum eſt. *Quorum gloria in confuſione eorum.* Eſt alia ſpecies. Senſus eſt.

Qui de ijs quorum pudere ipſos oportebat, iactant ſeſe. De horum numero diximus Auguſtinum fuiſſe, cùm adoleſcentem ageret, atque hos inimicos crucis eſſe, nemo eſt qui ambigat. At verò quòd ij qui remiſſè ac delicatè viuunt, inter hos numerentur, & quidem primo loco, id fortè admirationē excitat in animis quorundam, ſed deſinant mirari, cū certū ſit reijcere ipſos id ad quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocat crux Christi, quæ vocat nos ad labores, ad vitæ asperitatem non ad otium, nō ad delicias aut comessationes, quare etiā si millies frontem & pectus consignent cruce, & Christi se esse dicāt, alieni sunt, inimici sunt, hostes sunt. Pergit Apostolus, & tertium adijcit membrū. *Qui terrena*, ait, *sapiunt*, quod significātiūs græce dicitur, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, φρονεῦσι, vt nouerunt eius linguæ periti, ambiguū est: & nunc ad intellectū, nunc ad affectum pertinet: hoc loco verò est affectus vocabulum, quare non malè transtulit qui vertit. Qui terrestria curant.

Et quinam sunt illi? Sanè qui dicunt, ædificemus domos, possideamus agros, æquiramus principatum, potiamur gloria, ditescamus. Et vbi? In terra inquiunt, omnia illis in terra, ibi eorum mens, ibi animus eorum, quos deflet Apostolus, & reuera digni sunt qui defleantur, quia finis eorum interitus, hoc siquidem subiecit Apostolus, velut rationem & causam reddens fletus sui: Quorū damnationi seu perditioni ne pariter inuoluamini, oro vos auditores optimi, abijcite omnem spem seculi, & assuescite in cruce gloriari, in cruce inquam Christi, ibi vera, certa, ac tuta gloria. Habetis egregios duces, quos hic sequamini: imprimis Apostolum Paulum. Deinde B. Patrem nostrum D. Frāciscum, cuius tota vita (adolescentiam excipio non aliud fuit quam rugis & assidua in cruce gloriatio, quod alia concione ostendere animus est, vt iacentes & mersas torpore mentes excitem, atq; à seculi spe abductas ad crucis gloriam prouocem: quia reuera nihil ita inconcinnū est atq; alienū à Christiano, atq; in his quæ mundi sunt, gloriari.

IN DOMINICA TERtia Aduentus, Homilia.



Vāgelium discipulos Ioannis ad Christum mittit, Proponit notā regni Messiæ, describit encomium Baptistæ.

Euangelium cuius capita iam perstrinxi, describit Matthæus his verbis. *Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illis. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Hactenus caput primum. Minimè opus puto, vt hic dicam, à quo, quáue de caussa Baptista coniectus fuerit in vincula. Omnes siquidē ab Herode vinctum ipsum norunt, non ob facinus aut flagitium, sed ob iustitiam. Non ferebat vir sanctus incestū regis, arguebat Herodē: dicebat ei. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Hæc ipsi causa vinculorū, veritas, quæ iuxta Comicum odium parit. Verum quamuis corpus stringebatur, lingua haud quaquam ligata erat Illa erudiebat, docebat, mittebat ad Christum, quærebat. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Tu es qui venturus es.* Periphrasis est Messiæ. Num tu es Messias ille toties promissus in prophetis? tot retrò seculis exspectatus? Dum verba hæc conferimus cum alijs Euangelij locis, aperit se non minima difficultas. Refert siquidem Matthæus cap. 3. Ioannem cùm in Iordane baptizasset Iesum, vidisse Spiritum Dei in columbæ specie descendentem super eum, & vocem audisse de cœlo dicētem. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* Agnouit ergo Ioannes ipsum esse Messiam, nec modò agnouit, sed & digito ipsum demonstrauit populis, vt apud alium Euangelistam legimus: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce eum quem tantopere desiderauerunt patriarchæ. Cuius aduentū tam ardentibus votis expetiere Prophetæ, pro quo sic clamat Esaias. *Emitte agnum Domine Dominatorē terræ de petra deserti ad mōtem filiæ Sion.* Agnus ille Esaicus iam adest, stat inter vos medius, ecce eū. Et quasi quæreretur, qui nam scis hunc illum esse? *Qui misit me*, ait, *baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Hæ scripturæ docent Ioannem certò cognouisse Iesum esse Christum, hoc est, Messiā. Quo igitur pacto iam missis discipulis querit. Num ipse sit qui vēturus expectabatur? Nūquid de prædicatione sua venit in dubiū, & an vera dixerit, quærēdo explorat? Quid dicemus? quid æstimabimus? An fortè cæteris tenebræ ipsius de Christo, de quo aliquoties testificatus iā fuerat, iudicium obscurabant? absit, agnouit in carcere, quem agnouerat in vtero. Quid igitur sibi vult. *Tu es qui venturus es?*

Quòd ex carcere missis ad Christum discipulis quærit. *Tu es qui venturus es?* facit id, non quòd ipse quidquā addubitet, sed propter suos. Iam per mortē deserturus eos erat, quare prospectū bene eis volens, transmittit ad Christū, vt tum verbis tum miraculis ipsius certò persuasi credant ipsum Messiam esse, eiq; adhæreant ipsius sectatores effecti.

Qua in re, omnes quibus instituendæ formandæq; iuuētutis cura commissa est, imitari velim Baptistā, oēs omnino qui pædagogos ac præceptores agunt. Nam pleriq; quos erudiendos susceperūt, non Christo transmittunt, sed diabolo velut in manum tradunt. Et quinam illi? Qui nimirum suis lasciuas fabulas prælegunt, qui deorū amores, stupra atq; adulteria ediscēda suis ꝓponūt.

Matth. 11. a.

Marc. 6. c.

Qui

Qui in his illorum animos totos occupant. Cùm enim studia abeant in mores, planè in gentiles degenerant, nec aliud somniant quàm Saturnum, Iouem, Vulcanum, Martē, Venerem, quorum flagitia dum imitantur, non homines sed deos imitari se aiunt, & tātum abest, vt peccare se putent, vt & laudari velint. Id ita esse, vel vnus Terentianus Chærea satis locuples testis est, qui quod in virginem sibi permisit, exemplo se Iouis fecisse excusat, quid dico excusat, fecisse se iactat. Non est quòd verba nequam adolescentis referam, nimis illa sunt nota.

Neque verò hi duntaxat digni reprehensione sunt, sed & illi, qui licet à lasciuis poētis abstineāt, non tamen nisi gentiles authores prælegunt suis, quò fit vt ignorent, quibus rebus colatur Deus, qua ratione paretur remissio peccatorū, qua via perueniatur ad vitam, imò si contingat illos in codicem incidere Euangeliorum, vbi de Deo, de salute, de immortalitate disseritur, quia Tullianam eloquentiam non legunt, offenduntur. Saliua illa prima qua imbuta est lingua ipsorū, quæ suauissima sunt in absinthium vertit, nec vlla ratione experiri ipsos permittit delicias scripturæ: delicias dico.

Iean. 7. f.

Quid enim suauius illis verbis Christi. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat? Qui credit in me* quemadmodū dicit scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ?* Aut illis: *Venite ad me oēs qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos. Tollite iugum meū super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meū suaue est, & onus meū leue.* Verba hæc ambrosia quauis ac omni nectare dulciora nō sapiunt eis, non illos afficiunt, quia infecta est lingua, quia tumida mens est, nō admittens quidquam, nisi quod eloquenter dictum est. Quare rectè Saluator. *Confiteor tibi Pater Dñe cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniā sic fuit placitum ante te.* Optarem me posse hæc exprimere eo gestu & habitu quo expressa sunt à Saluatore. *In ipsa hora*, ait Lucas, *exultauit Iesus in Spiritu sancto & dixit: Confiteor tibi*, hoc est iuxta sermonis Hebræi proprietatem. *Gratias tibi ago Pater Dñe cœli & terræ.* Quare? *Quia abscondisti hæc à sapientibus.* Sapientes vocat, nō qui verè sapiunt, sed qui mundo videntur sapere, quod semper in ore habeant nomina magnorum authorum.

Matth. 11. d.

Ciceronis, Demosthenis, Thucydidis, quod vsq; crepent Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Auerroem, ad quorū opiniones velut oracula obstupescit mundus. Ab his abscondisti, & reuelasti paruulis, hoc est, stultis iuxta mundi æstimationem, vt opponatur sapientibus. Est enim νηπίοις quæ vox & stultum significat & infantem. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Non satis habuit Christus simpliciter extulisse, adiecit confirmationem. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te*, pro quo græcè est εὐδοκία, quæ vox significat, quoties aliquid non solum placet, sed & bene placet. Multa plerūq; placent, quæ tamen non bene placent. Dicit ergo, etiam Pater, sic fuit beneplacitum, si fuit bona voluntas in oculis tuis, noluisti ea patere sapientibus: Reuera auditores ita res habet: Bernardus aliquis, aliquis Franciscus, hoc est, humilis corde, qualem lectorem requirūt euāgelia, ingreditur mysteria. Flumina diuinæ Scripturæ patent ipsi, hauritaquas in gaudio de fontibus Saluatoris, irrigatur Spiritus eius, irrigātur ossa ipsius, totus perfunditur torrente voluptatis.

Animus contrà tumidus, qualem efficiūt literæ gentilium, dum solæ sunt, non habet accessum. Legit quidem. Omnes sitientes venite ad aquas: Et qui non habetis argētum, properate, emite, &c. sed quid legat, non intelligit. Audit ab aliquo de aquis Euangelij hæc scribi, de fluentis gratiæ de Spiritu promisso credentibus, & tantundem intelligit, quia non experitur in se res ipsas, quæ sunt iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto, tranquillitas pectoris, consolatio conscientiæ. Fiducia qua suauiter acquiescit animus in Christo etiam in medijs malis. Hæc magna bona non experiuntur in se, imò nec possunt, quæ hæc est εὐδοκία Patris, vt illa à sapientibus & prudentibus sint & maneant absconsa. Infœlices proinde adolescentes ij, quibus eiusmodi contigerunt pædagogi. Prorsus verò fœlices, quibus in præceptores obuenere Baptistæ, hoc est, qui quos instituendos susceperunt, Christo velut in manum tradunt: Quibus cura est, nō tam vt celebres ipsos in externis disciplinis & glorioſos reddant, quàm vt doceant eos gloriam in hac vita contemnere. Nec tam nituntur, vt linguam eorum prepoliant, quàm vt mentem exornent. Proponunt proinde ipsis frequenter beneficium Christi, dicūt quid complectatur, quaq; ratione illius participes efficiamur, edocent: Aut si ipsi minùs idonei hac in re magistri sunt, curant vt per alios de his erudiantur. Et ne quid quod suarum partium est, prætermittant, manus ad cœli sanctissima templa leuant assiduè orantes, vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater aperiat corda ipsorum, vt dignetur ipsos cognitione mysterij absconditi à seculis, vt diuitias gratiæ suæ semel effundat in mentes ipsorum, vt beneficij magnitudinem agnoscentes, maximaque illa dona in sese experientes, versentur perpe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perpetuò in gratiarum actione vitamq; puram & illibatam, vt decet quibus tãta bona velut sorte obtigere præstent. Sed vbi locorum, qui tales se erga eos, quos imbuendos susceperunt exhibeãt, reperiemus? Num Louanij? Certè si vsquam, imprimis Louanij quærendi erunt. Sed quàm minimè præstẽt & hi quod diximus erga suos, ipsi declarant discipuli, quos dum hisce de rebus interogas, adeò rudes experiris, vt nihil suprà.

Hoc dixerim de bona parte pædagogorũ seu præceptorum. Nam non deesse confido, qui ad pietatem erudiant suos. Et licet, vel Ciceronem, vel Demosthenem prælegant ipsis, vt hinc verba discant, eloquentiamq; sibi parent, quam & nos vtilem & tantùm non necessariam fatemur, præcipua tamen cura in hoc est, vt pectus ipsorum instruant, vt fide, spe, ac charitate, quibus rebus verè colitur Deus instructi, tacitis auctibus in Christo adolescant in virum perfectũ. Hos hortamur vt in eo quod cœperunt, pergãt, certò persuasi insigne se præmium reportaturos ex labore quem huic rei impendunt. Sed eos qui id vnum hactenus spectauerũt, vt in poësi, in philosophia, & externis disciplinis præstantes suos efficiant, monemus, vt alium ineant modum, scientes rationem se reddituros ei, qui iudicaturus est viuos & mortuos, iuxta quod in symbolo confitemur.

Hæc dicta à nobis sunt occasione Baptistæ, qui cùm vinctus ab Herode teneretur, discipulos suos misit ad Christum, vt interrogarent num ipse esset qui venturus expectabatur, quod virum optimum fecisse diximus, non quòd ipse adhuc dubitaret, sed vt hac ratione discipulos suos, Iesu velut in manum traderet. Iam audiamus quid responsi retulerint, & secundum ingrediamur caput. Iesus non ignarus certius esse testimonium quod à factis proficiscitur, quàm à verbis, nihil quidem primum respondit, sed in illorũ cõspectum multis editis prodigijs nouis & inauditis, ait illis. Nihil opus est, vt de me qui sim pronunciem, tantùm ite & renunciate Iohanni quæ vestris oculis vidistis, quę vestris auribus audistis. Cæci vident, claudi ambulãt, leprosi mundantur, surdi audiũt, mortui resurgunt, pauperes, id est oppressi vsuris peccatorũ, idq; agnoscentes (nam hi iuxta idioma scripturæ pauperes dicuntur) εὐαγγελίζονται, id est lætum accipiunt nuncium: Hæc renunciate Ioanni, ex his agnoscet qui sim, & declarabit vobis me esse eum qui dicebatur venturus. Allusit autem Christus ad locum qui est apud Esaiam, cap. 35. quare vt exactè sententiam teneamus, percurrendum est caput illud: habet autem ad hunc modũ. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Est hic metaphora valde iucunda & læta, ac veri nominis Euãgelij, propterea imprimis refert cognoscere quo pertineat. Si dixisset propheta. Lętabitur Iudæa priùs neglecta, aut lætabitur gentilitas hactenus deserta, aut demum. Lætabitur cœtus eorũ qui Christum in propria venientem recepturi sunt, siue sint Iudæi siue Gentiles, clara fuisset sententia. Nunc non est vsus proprijs verbis, sed figuratis, atque hinc variæ natæ sunt expositiones: quare studio opus est, & labore, vt certi aliquid habeatur. Et sanè qui eo animo legunt scripturas, vt ex eis consolationem spiritus hauriant, & succum trahant vitæ Christianæ, non dedignabuntur insumere laborem, quantumuis magnum. Primum cõsulent loca similia quæ multa sunt, deinde inspicient circumstantias capitis. Loca ex quibus licet colligere quò pertineat metaphora, sunt apud hunc ipsum prophetam cap. 32. *Erit desertum in Charmel, &c.* 41. *Ponam desertum in stagna aquarũ*, Rursus 61. cap. *Aedificabuntur deserta à seculo.* Quibus omnibus locis est desertum figurati nominis & occulti sensus, cum quibus si hũc conferas, & simul circũstantias capitis expẽdas, nihil dubitabis gentilitatẽ significari nomine deserti. Gentilitas quę hactenus neglecta fuit quæ destituta fuit hactenus cultu Dei, cuius nulla hactenus habita est ratio colendi, iam excoletur, fiet particeps veræ sanctimoniæ: lætabitur deserta & inuia, hoc in Ieremia vertit terram sitis, & rectè hoc nomine gentilitas expressa est, quòd vitalibus aquis hactenus caruerit. *Lætabitur solitudo & florebit quasi lilium. germinans germinabit, & exultabit* lætabunda & laudans, Metaphoræ hæ exultãdi & germinandi valde agnoscũtur in cordibus Sanctorũ, in his est iuge cõuiuiũ, vera pax & gaudiũ in Spiritu sancto. Quæ quàm magna bona sint, non valet assequi sermo humanus. Et quia ipse vobis hæc dare non possum, flecto genua mea ad Patrẽ Domini nostri Iesu Christi, vt ipse secundũ diuitias gloriæ suæ ea in vos effundat. Sed & ipsi assiduis precibus & vitæ puritate obtinere ea conemini. Sunt enim maxima, quod vel hinc colligere licet, quòd eos quibus hæc contigerunt, videamus contemnere omnia quæ oblectare solent homines: Nihili faciunt ollas carnium. Non eos trahunt cucumeres & pepones porrięj; & cepe & allia, in quæ suspirat Israel secundum carnem. Sed dum hæc sequimur, cœptum cursum deserimus, quare reuertamur ad Esai. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* Exponerem metaphoram Libani Carmeli & Saron, sed vereor ne molestus essem,

Esai. 1. b.

Esai. 35. a.

Signifi-

Significat vt dicam non reddita ratione interpretationis, fore, vt transferatur ad gentilitatem etiam hoc instrumentũ sanctimoniæ, quod hactenus fuit in Iudæa. Loquitur enim de ea gloria, de qua in Epistola ad Roman. *Quorum adoptio est filiorum & gloria & testamentum & legislatio & obsequium* siue lata & promissa. Hæc inquit omnia transferentur ad gentilitatem. Ipsi videbunt gloriam & decorem Dei nostri. Isti ad quos pertinet hoc Euangelium, habitatores hi deserti videbunt, quod tam magnum promisit deus Abraham, Isaac, & Iacob. Cõspicient promissum Messiam. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Apostrophe est ad Euangelistas. Dicite pusillanimis. Confortamini, nolite timere. Hactenus pol luistis vos omni genere flagitiorum, exarsistis execrandis libidinibus, sed nò est quòd ea res vos deijciat, non est quòd hinc desperetis ò gentiles. Tantùm suscipite Christũ. Quòd nati estis ex parentibus idololatris, quòd coluistis hactenus ligna & lapides, Iouem, Apollinem, Mercurium, non oberit. Hoc eritis Deo quod Abraham, Isaac & Iacob. Hoc modo genua debilia roborantur proposito scilicet Christo. *Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis.* Est lætissimũ Euangelium, quamuis prima facie non videatur. Vos gentiles iam olim venditi estis, multis seculis possedit vos diabolus. Eruemini nunc à iugo ipsius. Non ei permittetur in vos quod hactenus permissum est. Ecce Deus vester, à quo ille versutia sua abduxit vos, sumet partes vindicis, asseret vos pristinæ libertati, magno illo calumniatore, quẽ græci diabolum appellant, qui vsuris peccatorũ grauissimè vos oppresit hactenus, depresso.

Deus ipse veniet & Saluabit vos Emphasim habet, ipse. Non mittet Angelum quod solet, sed ipsemet veniet. Sentis multò plura ac maiora argumenta humanitatis ac benignitatis quàm hactenus senserũt Iudæi. Res maxima est quæ promittitur, & propterea diximus imprimis referre, vt ad quos pertineat, certò cognoscatur. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus, claudus: & aperta erit lingua mutorum.* Hic locus est ad quem alluśit Saluator volens agnosci factis suis, atq; huius gratia cætera quæ ex Esaia ꝓposita sunt, adduximus, vt nimirũ hoc quod apud Matthæum dicitur. *Cæci vident, claudi ambulant, & cæt.* certò agnoscatur nota esse Messiæ ac regni ipsius. Nam id palam indicat illud, *Tunc* apud Esaiam, *Tunc aperientur oculi cæcorum*, Tunc nimirum quando Deus ipse veniet, quando præstabũtur illa læta. Sed quales oculi, corporis ne an animi, an potiꝰ vtriusque? Corporis oculos intelligi, certũ est ex Euangelio. Nã ad hos refert Christus cũ ait, *Ite, renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, &c.* Sed nõ ad solos corporis oculos pertinere æquè certũ est. Siquidem additur, quia scissæ sunt in deserto aquæ & torrẽtes in solitudine: quæ æthiologia nulla est, nisi & oculos fidei intelligas, vt supernaturalia naturalibus misceantur, & corporalibꝰ spiritualia, quod licet in Cicerone nõ inueniatur, scripturæ tamen familiare est. Porrò quòd de oculis, hoc de cæteris quoq; quæ sequuntur sentiendũ. Gentes ergo quę priùs cæcæ erant, & in ligna & lapides impingebant, veritatis lumen adspicient. Et quæ scripturarũ verba surdis auribus audire nõ poterant, ad Dei præcepta lætabuntur. Quæ priùs claudæ erant, & rectã viam non tenebant, salient sicut cerui imitantes doctores suos. Et aperta erit lingua mutorum, quorũ sathanas ora concluserat, ne possent vnum Dominũ confiteri. Hæc autem ideirco inquit fient. Quia scissæ sunt siue eruptiũ in deserto quondam gentilitatis aquæ & torrentes acriui in solitudine. Aquæ & riui spiritus, de quibus in Euangelio. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, quemadmodum dicit scriptura, flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ.* Quod ne de vulgaribus aquis dictum putaremus, adiecit commentariũ Euangelium, inquiens. *Hoc autem dixit de spiritu quem acceperi erant credentes in eum.* Et quæ erat arida, ipsa nimirum gentilitas quæ destituta hactenus fuit rore cœlestis gratiæ nihil habens fidei, spei & charitatis, erit in stagnum, & sitiens eadem ipsa gentilitas erit in fontes. Erumpent in ea fluenta spiritus, decurrent per eam riui aquarum salentium in vitam æternam. *In cubilibus in quibus draco-* Esai. 53. b. *nes habitabant, orietur viror calami & iunci.* Figuratam esse orationem ipse sermo declarat. Non enim in cubilibus nasci dracones solent. Sensus itaq; est: In mentibus hominum ethnicorum, in quibus regnabant dæmonia, iræ, inuidiæ, inimicitiæ, contentiones & cæteræ huiusmodi pestes, orietur viror calami & iunci, hoc est, suaues herbæ orientur, succedent fides, spes, charitas, iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. *Et erit ibi semita & via*, hoc est doctrina veræ fidei & veræ religionis, qua inoffensè viuent. Nõ transibit per eam pollutus. Requirit enim doctrina Euãgelij integros animos & incõtaminatos. *Non erit ibi leo, & mala bestia non adscendet per eã, nec inuenietur ibi*, hoc est immanes huiusmodi affectꝰ nõ erũt in his qui vera fide amplectẽtur Euangeliũ. Significatur studiũ benignitatis ac mansuetudinis, quod à suis auditoribꝰ exigit Christus: *Discite*, ait, *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. d.

Esai. 53. b.

Ioan. 7. f.

Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc omnia, & præcipuè quod dicitur. *Quia scissæ sunt in deserto aquæ*, declarant quo modo interpretari oporteat locum illum. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, &c.* quo diximus præscribi ea, per quæ agnoscatur regnum Messiæ. Quare quisq; cum animo suo cogitet, an illa in se experiatur. Si terrena voluptas te oblectat, si libido placet, si in carne & sanguine velut in cinnamomis & vnguentis preciosis voluta-ris, certò persuasum habeas, non venisse ad aream cordis tui qui venturus dicebatur. Nã inter cætera quibus propheta agnosci vult regnum Messiæ, primum hoc ponit: *Tunc aperientur oculi cæcorum*, quod in te expletũ nondum agnoscitur. Si nanq; oculi tibi aperti essent, vtiq; videres turpitudinem peccati: atq; ea offensus resilires à vitijs, imò gehennam videres sulphureos flammarũ globos eructantem, atq; angue peius horreres peccatum, quod flammas illas accendit: & quod imprimis dictum oportuit, videres Deum cuius maiestas omnia implet, omniaque peruadit terras q; tractus q; maris cœlũque profundum, atq; oculos huius veritus cohiberes te, ne indigna cõmitteres. Certũ huius rei argumentum hoc teneo. Cùm exercere vis peccatum, siue fornicationis, siue adulterij, siue aliorum aliud, fugis lucem, quæris latebras, nec conceptam animo libidinẽ præsentibus atq; intuentibus alijs explere sustines, quantumuis vehementer stimuleris. Cùm igitur oculos hominum timeas, quo modo Dei, in cuius manu flatus tuus est, inspectionem non formidares, si oculi quibus Deus conspicitur aperti tibi essent?

Quo non pacto inspiciente numine facere horreres, quod inspicientibus hominibus exercere non audes? Dico ergo & repeto, Prohiberes te, ne quid committeres eorum quæ lucem formidant, si mentis oculos haberes apertos. Imò si alterum oporteret, aut turpitudinem exercere aut oppetere mortem, nihil dubitares mortem fortiter oppetere, ne turpitudinem qua Dei obtutus offenduntur, exerceres. Vis vt adducto exemplo ita esse demonstrem? Legis in volumine Danielis hoc modo. Senes duo qui iudices erant & rectores populi, accensi concupiscentia Susannæ, contulerunt consilia inter se, deliberantes quánam ratione quóue pacto possent potiri ea, atque explere libidinem suam. Cumq; in insidijs se posuissent, atque illa pomarium, vt se lauaret esset ingressa, exsurrexerunt qui latebant, & accurrentes ad Susannam dixerunt ei. *Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt & in concupiscentia tui sumus. Quamobrem assentire nobis, & commiscere nobiscum. Quod si nolueris, dicemus cõtra te testimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & hanc ob caussam emiseris puellas à te.* Dan. 13. d.

En vides incidisse articulum quẽ diximus, vt aut obeunda mors sit, aut exercenda turpitudo. Iam audi in quam partem illa deliberauerit. *Angustiæ*, ait, *sunt mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi est. Si autem non egero, non effugiam manus vestras, sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* O nobilis, ô insignis ac verè præclara vox. *Melius est*, inquit, *mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Illi, quo persuadeant concubitum aiunt: Nõ est quod verearis Susanna. Opus hoc Veneris manebit occultum, ostia clausa sunt omnia, nemo videt nos. Nõ, ait illa, Etsi nemo mortalium videat, est qui videt Deus, illius oculos fallere non possumus. Quare mori malo quàm exercere turpitudinem in conspectu eius, hoc est, ipso vidente, ipso inspiciẽte: atque hoc dicto exclamauit voce magna. Vides quòd præsentia Dei à peccato te retraheret, & quidem potenter, si amotum esset ab oculis tuis velamen quod prohibet, quò minùs videnda sunt.

Secunda nota quam refert Esaias, qua agnosci vult regnum Messiæ, est: *Aures surdorum patebunt.* Quare si cùm de Christo sermo est, cùm dicitur quid fecerit, quid adhibuerit ad liberationẽ humani generis, quos labores, quos æstus, quæ incommoda pertulerit, quo ardore, qua flamma & animi vehementia adierit passionem. Quomodo nó quieuerit, quousque totum sanguinem fudisset: Si inquam dum hæc narrantur auersas habes aures & clausas, surdus es, nec expletur in te prophetia Esaiæ. Rursus si post actionem liturgias, siue vbi ipse peregeris, aut audieris sacrum, ad vana te transfers, ad risus, ad iocos, ad pocula, atque his tempus transigis, claudus es iuxta idioma scripturę, nec Euangelium de Messia ad te pertinet, quia cùm dixisset Propheta, Deus ipse veni- Esai. 35. b. et & cætera, velut interrogatus, qua nota agnosci posset, inter cæteras, hanc tertio loco retulit. *Tunc saliet sicut cervus, claudus:* Quòd autem iuxta idioma scripturæ claudus sis, discere potes ex volumine tertio Regũ, vbi populum Israel, qui partim Deo, partim Baal seruiebat, ita Helias alloquitur. *Quousque claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si verò Baal, sequimini illum.* 3. Reg. 18. b. Quod paucis mutatis verbis liceat mihi dicere. Si Christus est Deus, sequere eum. Si verò mundus, illum sequere. Quousque inter vtrumque claudus iucedis? Huic iungit Esaias: *Et aperta erit lingua mutorum*, quæ quarta nota est.

Quare si in conuiuijs & congressibus, nó Christi,

Christi, non beneficiorum eius, sed aliarũ rerum vsq; mentionem facis, non de Deo, non de salute aut ijs quibus ad pietatem eruditur animus, sed de vanis loqueris, de equo ligneo ac Martis militib⁹ pleno, de incendio Troiæ, de vmbra Creusæ, & alijs nescio, quibus rebus mutus es, non quidem ea ratione qua vulgus hunc aut illum, cui loquendi facultas adempta est, mutum vocat, sed qua ille qui ait.

Væ tacentibus de te, quia loquaces muti sunt. Si autem mutus ergo vacuus Christo, quia vbi ille regnat, nihil horum inuenitur nec cæcitas, nec surditas, nec aliorum aliquid, sed omnia illa mox vt Christus aduenerit, cedunt iuxta vaticinium Esaiæ, & succedunt quæ his sunt oppositа. Id ita esse, vel qualis quondam fuerit, & qualis vbi Christũ induit, subitò euaserit, declarant doctissimi illi libelli confessionum ab ipso conscripti, quos commendo vobis quàm possum maximè. Et si quid apud vos valeo, hoc obtineam, vt libellos hos omnes vobis comparetis & legatis non semel, sed iterum atque iterũ. In illis velut in tabula seu pictura conspicietis, quód hic ait Esaias: *Tunc aperiuntur oculi cæcorum, & aures surdorum pætebuut, Tunc saliet sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mortuorum.* Matt. 9. a. Vel quod in Euangelio Saluator ad hunc locum alludens. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgũt, pauperes euangelizantur.* Vbi per quæ agnosci voluit, enumerauit. Post quæ deinde adiecit: *Beatus qui non fuerit scãdalizatus in me.* hoc est, qui hæc quæ ago ad salutem hominũ, sibi non verterit ad occasionem offendiculi. Vt enim operum magnitudo nonnullis mouebit inuidiam, ita corporis infirmitas nonnullis erit offendiculo. Hoc dicto Iesus tacitè taxauit inuidiam discipulorum Ioannis, simul subindicans futurum, vt ignominia crucis qua maximè peragendum erat mysterium regni cœlorum, multos alienaret à doctrina Euangelij. Fœlices autem futuros, qui nec inuiderent gloriæ illius, nec mortis probro resilirent à doctrina salutis. Hactenus de secundo capite, quòd diximus complecti notam Messiæ, ac regni eius. Restat iam cap. 3. quod describit encomium Baptistæ, de quo aliàs fortè dicendi dabitur occasio. Interim parate vos venturo Messiæ, vt bonorum quæ his qui ipsum in propria venientem recipiunt, præstantur participes fieri contingat,

Amen.

DOMINICAE QVARTÆ Aduentus, Homilia.

Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut Esaias Propheta, &c. Esa. 40. d.

VErba sunt præcursoris Christi respondentis ad quæstionem Iudæorum, qua querebant ex ipso, quis esset. Iudæi quemadmodũ ex Euangelio patet, magnam habebant æstimationem de Ioanne, adeò vt Christum suspicarentur. Quam suspitionem partim ex sanctitate vitæ eius, partim ex doctrinæ nouitate conceptam, vehementer alebat tempus. Iam enim impletæ erant hebdomadæ Danielis, iam ab latum erat sceptrum de Iuda, & omnia consonabant, in foribus esse Christum. Deliberauerunt ergo inter se, num ipse esset, atque vt certi aliquid hac de re cognoscerent, miserunt ad ipsum sacerdotes & leuitas. Quibus quis esset scisciantibus, non inficiatus est se id esse quod erat, sed hoc antequam aperiret, falsam de se suspicionem repulit, dicens: Vos existimatis me esse Christum siue Messiam in lege vobis promissum, fallimini, non sum ego Christus, nominis huius gloria alteri debetur, seruatur potiori. Pergentibus illis scisciтari, num ergo Helias esset, nimirum ille Thesbytes: Neque Helias inquit. Num Propheta ille à Moyse prædictus: neque ille, ait: Consumptis ipsorũ suspicionibus, atque nihilominus vrgentibus, vt ipse de se profiteretur quisnam esset, ne si bi videretur, hoc ipsum quod erat, humana temeritate arrogare, prophetiam produxit illis non ignotam. Quia inquit omnino scire vultis qui sim, & vrgetis me authoritate eorum, à quibus missi estis, quibus dicitis referendum responsum, sic accipite: *Sum ille de quo scripsit Esaias: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, &c.* Aue Maria.

Ego vox clamantis in deserto, &c. Esa. 40. a.

DEfunctus est iam olim Baptista, verũ defunctus etiamdum loquitur. Vox enim eius est quam ex hoc loco auditis. *Parate viam Domini*, iam iam venturus est, iam iam exhibebitur orbi toties promissus, tot retrò seculis expectatus Messias, parate ei viam, solo æquentur montes valles impleantur, sit iter planum nec planum modò, sed & rectum & leue quoque. Et certè si agnosceretur, quantus sit qui venturus nunciatur, quantaque præstiturus sit his, qui ipsum venientem recepturi sunt, haud pigeret nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

parare viam. Quare hoc primum dicemus, deinde quo modo paranda sit via, explicabimus. Quantus sit ipsum Euangeliũ haud obscurè insinuat. Cùm dixisset Iohannes se neque Messiam esse, neque Heliam, neque Prophetam, quem illi suspicabantur, sed vocem clamantis in deserto iuxta vaticinium Esaiæ, ipsique acriùs instarent, quasi increpantes, quanam ergo authoritate baptizaret, respondit: *Ego in aqua baptizo.* Meus Baptismus talis est, qualis est mea prædicatio, præparatorius tantùm est, verum non procul abest, imò in hac populi multitudine iam stat, & tanquam vnus enumero populi versatur in medio vestrum, ob quòd & à vobis negligitur vel ignoratur, qui alio vtetur Baptismate. Nondum illi visum est exercere virtutem suam ac magnitudinem, sed reipsa longè alius est quam videtur. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calciamenti. Figamus hic paulisper pedem, & consideremus quantus sit Iohannes, vt ex huius magnitudine eius qui venturus nunciatur, sublimitatem faciliùs æstimare possimus. Omnino magni aliquid esse Iohannem hoc declarat, quòd multo ante quàm nasceretur orbi sit promissus, non à quouis sed ab ipso Deo: nec per quoslibet, sed per prophetas & hos quidem Dei: neque id quibuslibet instrumentis, sed & in scripturis sanctis. De eo enim
Esa. 40. a
Mal. 3. d
cecinit Esaias, de eo cecinit & Malachias, quorum vaticinia ne ignota nobis essent, neue aliorsum quàm oportet ea quis interpretaretur exposuit Euangelium, Prophetiam quidem Esaiæ, Euangelium secundùm
Matt. 3. a
Marc. 1. a
Luc. 3. a
Iohan. 1. c
Matt. 11. b
Marc. 1. a
Luc. 7. d
Luc. 1. d
Matth. Marc. Luc. & Iohannem, Malachiæ vero Euangelium secundum Matth. Marc. & Lucam, Neque verò in prophetis solum præscriptis, ac per eos orbi promissus est, verum etiam per Angelum non quemuis, sed Gabrielem natiuitas eius, & nomen, & vita, & functio prædicta sunt, & quidem magificè, quemadmodum apud Lucam videre est. Huc quoque non parum facit, quòd supra naturæ leges conceptus sit. Nemo nanque est qui ignoret sterilem fuisse Elizabeth huius parentem: quæ si vel maximè fœcunda fuisset, tum tamen desierant illi fieri muliebria. Neque verò supra naturæ leges solùm conceptus, verumetiam præter ordinem rebus inditum, sanctificatus fuit antequam natus, & quod magis miremini, nondum in lucem editus, agnouit quem clausum adhuc gestabat virginis vterus, id est, Saluatorem mundi cuius argumentum hoc est, quod ad vocem salutationis Mariæ subsiliet præ gaudio in angustijs materni vteri. Iam quæ eo nato acciderunt, adeò fuere stupenda, vt in admirationem pueri omnium animos verterint, imò & linguas. Aiebant enim, quis putas puer iste erit? Capita tantũ rerum attigimus, vt in præcipuo argumento liceat hærere. Luc. 1. f

His accedit, quod etiam dum puer eremum habitare cœperit, ibique ab omni hominum coniunctione semotus inter feras ac bestias versatus sit, neque manducans, neque bibens (sic enim habet Euangelium) imò nec vestiens: sicut enim ibi cibus non est, nisi fortè ferarum, locusta, & mel syluestre, sic nec amictus nisi camelorũ pili. Quoto ergo in ordine hunc virum collocabimus (hominem esse dicemus an Angelum certè Angelum iam olim Malachias appellauit, & haud quaquam in numerum cum cæteris redigendum ipsum apertè declarauit Saluator: *Quid ait existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum? ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt: sed quid existis videre: prophetam? etiam dico vobis & plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante te, qui præparabit viam tuam, Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista.* Quid dici poterit excellentius? Atque hic vir qui tantus est, quo maius nihil habet orbis, vbi ad Christũ ventum est, adeò inquit illi æquandus non sum vt ipse me iudicem indignum, qui eius soluam corrigiam calciamenti, hoc est, qui apud illum vel infimi mancipij fungar officio? Quantus est igitur Christus? omnino magnus, imò incomprehensibilis sit oportet, ad cuius sublimitatem ille nihil est. Et certè incomprehensibilis, quia Deus est: *Ece* (ait Esaias in prophetia cuius meminit Iohannes) *Ecce Deus vester, ecce Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur,* Esa. 40. c
Ecce Deus vester qui omnium inuenit originem, qui in vulnis maternis ossa vestra compegit, qui corporibus vestris spiritum infudit: Is in cuius manu status vester est, is veniet, & veniet in fortitudine congredietur cum principe tenebrarum, vincet Leuiathan serpentem, vectem, alligabit sortem, diripiet vasa & brachium eius dominabitur iam dominatur peccatum, peccatum iam dominatur malum habitans in corne dominantur iam in vobis affectus iræ, inuidiæ, ambitionis, non diu istud erit: *Ecce Deus vester, Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, Ecce merces eius cum eo,* Ita dictum est (cum eo) ac si diceretur, in promptu habens & in numerato. Qui recipient ipsum venientem in propria, maxima sentient beneficia, asserentur in veram libertatem, adscribentur sorti Sanctorum, Matt. 11. a

rum, efficientur diuinæ consortes naturæ. Non est quòd diffidatis: facere ei maximè in promptu est, hoc est quòd dicit: *Et opus eius cum eo, Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Hæc si velimus adhuc exponere, eloquij prophetici obtundetur sapor.

Quidquid pastor præstat agnis, hoc ipse præstabit suis, portabit eos in humeris, sinu suo fouebit, diriget, pascet. Beati qui hæc experientur bona. Experientur autem quicũque venientem in propria recipient, nihil refert Iudæi sint an Gentiles. Quid ergo cessamus? Quare non expeditum reddimus iter? In foribus est vt veniat. In foribus est dico. Iam enim auditur vox clamantis, non in deserto Iudeæ tantùm, sed in vasta solitudine mundi, vbique quò peruenit Euangelium: *Parate viam Domini.*

Esa. 40. a
Quomodo autem paranda sit via, docent quæ sequuntur apud Prophetam: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Omnis vallis,* inquit, *implebitur,* hoc est, impleatur iuxta idioma sermonis Hebræi. Nomine vallis autem significatur deiecta voluntas, quæ nimirum pressa manet pondere peccatorum, nec assurgit in spẽ veniæ. Deiectio hæc voluntatis è duobus ferè prouenit, ex conscientia videlicet vitæ ante actæ, & iustitiæ diuinæ consideratione, dum hinc peccata sua intuetur homo, illinc infernum quem peccatis suis promerur, nec deflectit oculum ad fontem misericordiæ diuinæ, sed vsque & vsque iustitiam cogitat. Huiusmodi mens ipsa sibi infernus est, & nisi erigatur spe, non poterit recipere Christum. His, hoc est, deiectæ voluntatis hominibus, vt ad cor loquamur & consolemr, sciant Deum non tam attendere, quid homo fuerit, quàm quid pro cordis sui desiderio esse velit. Quare si oppressi estis vsuris peccatorum, & liberari cupitis, atque hoc verè & ex animo, non est quod desperetis, non est quòd dejciamini. Quòd perditè vixistis, quòd polluistis vos omni genere flagitiorũ num oberit, pœnitemini tantum & fidite.
Esa. 55. a
Non ex me, sed Deo authore affero hoc Euangelium. Ipse enim apud Esaiam ait: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Omnes sitientes, inquit, hoc est, qui agnoscitis vos longissimè abesse ab his quæ proponuntur in scriptura siue ea spectent ad charitatem, siue ad obedientiam, siue ad humilitatem. Qui agnoscitis vos variè peccasse, & timentes iudicium Dei, vehementer liberari cupitis à peccatis, venite ad aquas, ad illas aquas, de quibus in Euangelio: *Si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me, quemadmodum dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Qui ergo sititis salutem vestrã venite ad Christum, venite ad illum spiritũ Euangelicum, quicunque tandem estis, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. In voce argẽti synechdoche est, species pro toto genere, sensus est, Qui non habetis vllum precium, Iam preciũ metaphoram habet meriti. Qi non habetis vlla merita bonæ vitæ, properate. Vita malè acta non impediat quò minùs veniatis: nihil illa oberit, tantùm venite. Continget vobis remissio peccatorum gratis credentibus in eum (qui iustificat impium) ac pœnitentibus, venite, emite absque argento: Mira loquutio, quis vnquam aliquid emit absque precio? proinde catachresis, gratis compara te vobis vinum & lac per synechdochen significat totum genus illius cibi, quo alimur in Christo ad vitam æternam. Multa alia sequuntur in hanc sententiam, quæ mirè exprimunt affectum Dei erga nos, vehemens ipsius desiderium ad iuuandum nos. Hæc sibi proponere debẽt pusillanimes, vt hinc fiduciam concipiant. Omnis ergo vallis impleatur, sed & omnis mons & collis humilietur. Ioan. 7. f

A contrario sensu facilè est intelligere, quid nomine montis significetur, nimirũ superbus animus, qui non agnoscit miseriam suam, captiuitatem suam, fœditatem suam, vnde nec solatia quærit pœnitentiæ, qui non agnoscit iustitiam Dei, quæ ex fide est, sed suam conatur statuere, quales erant Pharisæi ob hoc maximè inuisi Christo, Montes quoque sunt vel potiùs colles, qui agnoscunt quidem se egere gratia Dei, nec suis viribus peruenire se posse ad veram iustitiã, sed quia in æstimatione aliqua sunt, ne minoris fiant, verentur detegere vulnera sua, verentur denudare turpitudinem suã, confiteri peccata sua, quales multos timeo habet mundus.

Vt his loquamur non ad cor. (Non enim consolari possimus quibus vbique minatur Euangelium) sed contra cor, sciant à Deo præscriptum esse diem, in quo retegentur omnia, quæ nunc tecta sunt, In quo velut in theatro spectanda exhibebuntur tori orbi omnium & singulorum, acta & cogitata. In quo ex aduerso vniuscuiusque stabũt iniquitates suæ, fornicationes, adulteria, illa quoque adulteria quæ mens tantùm secum peragit, & traducent eum coram toto mundo, quanto ibi pudore suffundetur animus, imò & totus vultus. Vtinam seriò

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc apud nos cogitaremus, non dubium, ir rumperent aquæ, hoc est, fluenta lachrymarum, defluerent montes & colles, præpararemur Euangelio. Omnis ergo mons & collis humilietur. Et sint praua in directa, praua hoc est, distorta siue obliqua. Quemadmodum enim valles & montes, ita flexus viarum faciunt quò minùs prospicias aduentantem, & iter molestum reddunt ac difficile. Hinc autem obliquitas voluntatis metaphorice significata est, sensus est: Qui obliquis vijs peruenistis ad multas diuitias, beneficia, péliones, qui quæ multorum sunt, possidetis soli, potiores partes (fraudatis etiam cæteris) vsurpatis aut vsurpare hactenus studuistis, pœnitemini: quod obliquum est tortuosum siue flexuosum, fiat rectum: & aspera in vias planas, hoc est, leues. Inueniuntur homines quidam duri, asperi, difficiles, in conuersatione intractabiles. Tales planè, qualis apud Terentium inducitur Demea. Hi nisi hanc morum asperitatem seù difficultatem deponant, non potuerunt recipere Christum. Amat ille vias leues, suaues, placidas, rectas, æquales, siue planas, hoc est, mentes & voluntates huiusmodi. Non enim de vijs quales vulgus intelligit sermonem hic esse ex Euangelio manifestum euadit. Nam pro eo quod Esaias dixit: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa & aspera in vias planas.* Matthæus dixit *pœnitentiam agite*, siue μετανοεῖτε vnico verbo exprimens vel potiùs absorbens, quod tam multis ab Esaia dictum est. Pœnitentia autem voluntatem respicit. Et quèadmodum illud pœnitentiam agite, interpretatur, parate viam Domini, rectas facite, &c. ita quod adiungitur à Matthæo, *Appropinquauit enim regnum cœlorum*, exponit siue respondet ei quod sequitur apud Esaiam, *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est*, siue (vt citat Lucas) *salutare Dei.* In voce caro synechdoche est, & præterea notatio: Quicunque adferent cor carneum, quicunque præbebunt se dociles, quicunque obtemperabunt Euangelio, hoc est, qui intendent huic voci in deserto clamanti: *Parate viam Domini, pœnitentiam agite*, videbunt salutem illam tam magnificè Abraham, Isaac & Iacob promissam: experientur maxima illa bona in Christo promissa, pacem illam spiritus quæ exuperat omnem sensum: Excitentur obsecro corda vestra. Exceperunt pridem Antuerpienses Philippum Diui Caroli Imperatoris semper Augusti filium, vidistis quas ipsi moles erexerant, quas statuas, quas picturas, quàm operosas, quam magnificas, quam admirandas: vidistis quo apparatu, qua pompa vestium iere obuiam ipsi. Hinc intelligite quo apparatu opus est ad excipiendum non mortalem aliquem hominem, sed ipsum Deum Emanuelem, cuius imperium à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, ad cuius sublimitatem Carolus siue Philippus nihil est: Si enim Baptista, quo maior inter natos mulierum non surrexit, non dignus est qui huius soluat corrigiam calciamenti, quis Carolus aut Philippus ei æquari poterit? Hæc cum animis vestris cogitate, vt excitentur corda ad præparandam viam venturo Messiæ regi Emanueli, cuius imperium æternum. Ipsi honor & gloria in secula, Amen.

Matt. 3. a

DE TEMPORE
in quo natus est Saluator, Homilia prima.

TRia habemus Euangelia. Primùm & secundum, Lucas, Tertium Euangelista Iohannes describit. Inter quæ hoc discrimis est, quod Lucas totus in recensenda sit Christi secundum carnem natiuitate, & ijs quæ ad eam pertinent: Iohannes verò sic huius meminit, vt tamen præcipua cura ipsius versetur circa æternam illam ex Patre generationem explicandam. A Luca sumemus dicendi initium: atque ordinem historiæ, qui apud ipsum est, insequemur. Luc. 2. a Iohan. 1. a

DEscriptionem historiæ orditur Lucas à tempore, atque huius non obiter, ne parum ad rem facere putemus, sed studiosè meminit, quare nec nos leuiter transmittere debemus. Natum ait sub Cæsare Augusto, at quo anno vel imperij, vel ætatis, non dicit. Notam tamen, qua in huius cognitionem deuenire licet, certissimâ tradit, dum ait eo tempore natum, quo Augustus decretum dedit, vt describeretur vniuersus orbis, qui vt discimus ex veteribus historijs, Annus imperij quadragesimus secundus fuit.

Verum quoniam verba Lucæ proposuimus, ea quoque exponamus: Non enim ita

ita clara sunt, vt absque interpretatione quiuis ea percipiat, Describi siue ἀπογράφεσθαι qua voce vtitur Lucas, variè obuium est apud authores, Hoc loco censeri est. Vt describeretur, id est, vt censeretur vniuersus orbis: Verùm quia & hoc fortasse plerisque obscurum est, dicamus clarius: Quod in re militari dare nomen est, hoc in æstimandis facultatibus & exponendo numero capitum, census appellatur. Vt ergo censeretur totus orbis, id est, vt omnes nomina darent in tabulis describenda, & ciues se profiterentur, vnusquisque in sua ciuitate. Sed quare Euangelista tempus Dominici ortus hac nota describere voluit? Quare non dixit, natum anno Augusti quadragesimo secundo, cùm & certiùs hoc modo ipsum designasset & breuiùs? Qui in Liuio, aut Thucidide duntaxat versatus est, respondebit id factum quò commodius ordo texeretur historiæ, vt declararetur qua occasione Christum nasci contigerit Bethlehem. At qui in diuinis literis est eruditus, non ita æstimabit, aut certè non hac solùm de causa narrationem in hunc modum Lucam instituisse dicet, sed ob mysterium potissimũ commendandum. Habent enim literæ sacræ proprium hoc & peculiare, quo à cæteris omnibus differunt, quòd in eis non solùm voces, sed & res quæ narrantur aut gestæ, aut gerendæ, aliarum rerum notæ sint, vmbræ, ac typi. Cuius rei declaratio, cum ad scholas pertineat, nemo ex hoc loco à me eam expectet, sed hoc expectet potiùs, vt dicam cuius rei typus fuerit descriptio hæc: Nam id ad institutum pertinet. Meo sanè iudicio (nam alij aliud fortasis opinabuntur) typus est magnæ rei, & ne multis vos morer, significat quòd per ipsum qui proditurus erat è Bethlehem, quaquauersum mittendi forent Apostoli, hisque quod in mandatis habebant proponentibus, Gentes venturæ erant & daturæ nomina Christo, iuxta Esaiæ vaticinium: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite adscendamus ad mõtem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, Quia de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Hierusalẽ.* Erit, inquit, in nouissimis diebꝰ, Mos est Scripturæ, per nouissimos, dies significare partes vltimæ ætatis. Vbi aduenerit vltima ætas, mittetur Christus (Hic enim nomine montis significatur, non Sion vt crasse quidam putauerunt) & erit in vertice montium. Habuit olim ciuitas Dei insignes montes, habuit & eximios colles. Insignis mons Abraham extitit, item Isaac, item Iacob, sed & Moyses, sed & Helias, quorum celsitudinem dum in diuinis literis legimus etiamnum miramur: verum omnibus altior sese erigit, qui extremo tempore apparebit mons. Conspicuus ille erit toti orbi. *Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi*, nimirum excitati montis huius claritate, nec propria contenti salute, obuios quosque secum rapient, dicentque, *Venite, Adscendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob*, hoc est, demus nomina Christo, iungamur Ecclesiæ. Adhæsimus hactenus plerique Moysi, plerique Platoni & Philosophis alijs. Ille legè quam in solitudine acceperat, tradidit. Hi placita sua proposuerunt. Vtrique conati sunt ad virtutem erudire, & ad fœlicitatem perducere auditores suos, sed nihil aliud quàm conati sunt. Hic quod illi non potuerunt, præstabit certissimè. Non solùm præscribit quæ recta sunt, sed & robur quo possimus quæ præscripta sunt præstare, subministrabit: Hoc est quod sequitur. *Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* En huius rei typum habet quod narrat Lucas, qui vt ad altiora mentem lectoris subduceret, studio grandiloquentia vsus est. Non enim Augustus totius orbis imperium tenuit, cũ nec Gottis nec Armenijs imperarit: Ausus tamen est Lucas dicere: *Exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis*, quia quod veritatem typi excepit, nec ei nisi per hyperbolen accommodari potest, in re per typum significata, absque tropo verissimè agnoscitur, nimirum in Christo, qui ait apud Matth. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: *Euntes ergo docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Et vide quam pulchrè hac quoque parte veritas typo respondeat. Quèadmodũ illa quæ Augusti decreto facta est, ita hæc quæ per Christũ iussa est fieri conscriptio, primũ in Syria cœpta est exerceri id quod nec Esaias tacuit: Cum enim dixisset: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gẽtes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, adscendamus ad montem Domini, & ad domũ Dei Iacob, &c.* causam huius exponens. *Quia de Sion*, ait, *exibit lex, & verbũ Domini de Hierusalem*, ac si dicat: Ideirco fluẽt gentes, & ibũt populi ac dicent, *Venite, adscendamus, &c.* quia dabitur lex à Christo, quæ pertinebit non ad vnã familiã Abrahæ, non ad vnũ populũ Iudaicũ sed ad omnes gentes: Promulgabitur quidem primùm in Iudæa, sed non vnius Iudeæ terminis cohibebitur, sed indè per Apostolos quaquauersum patet orbis terrarum deferetur: Hoc significat quod

Isa. 2. c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod ait: *De Sion exibit lex.* Sion mons est Hierusalem. Hierusalem ciuitas Iudeæ est, Iudæa regio est Syriæ, de qua Lucas. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Hæc tanto studio versamus, vt agnoscamus beneficium Pueri nati, vt sciamus per hunc nos conscribi ciues non terrenæ alicuius ciuitatis, sed cœlestis illius prorsus, de qua magnificè Dauid Psalm. octogesimo sexto, quem enarrare lubet, quia supra modum iucundus est, etiam si non aliud quàm sermonis delicias quis spectet. Et quidem quàm fuerit animus Prophetæ absorptus in ciuitatis huius pulcherrimæ theoria, declarat abruptum illud Psalmi huius exordium. *Fundamentum eius in montibus sanctis,* Fundamenta eius. Cuius eius? nihil præcessit ad quod pronomen possit referri. Ciuitatis huius fundamenta, magni illi ac diuini viri sunt, quorum sanctitatem admiratur orbis, ipsi nimirum Apostoli, imò primum huius ac præcipuum fundamentum cui cætera innituntur à quo & soliditatem suam habent, est lapis ille absciscus de monte sine manibus, cuius meminit Daniel cap. 2. qui contrita statua factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Et enim ne vulgares montes, qualis est Sina aut Phare, imaginaremur, cùm dixisset Propheta: *Fundamentum eius in montibus,* non ibi subsistit, sed adiecit ad discrimen aliorum, *sanctis. Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion.* Nomen rei quæ typus est, non pro typo, sed pro re cuius est typus vsurpauit, hoc est pro ecclesia. Hanc diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob. Est secundum ciuitatis de qua loquimur encomium quod quam sit ingēs, quāque minimè vulgare, tū demū intelligitur quādo confertur cū loco qui est in Nu. cap. 24. *Cum direxisset Balaam contra desertū vultum suū, & sublatis oculis vidisset Israel in tēto rijs commorantem, irruente in se Spiritu Dei assumpta parabola, ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cui obturat⁹ est oculis, dixit auditor sermonū Dei, qui visionē omnipotētis intuit⁹ est, qui cadit & sic aperiuntur oculi eius. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tētoria tua Israel vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Hæc tabernacula tantopere commendata ad portas ciuitatis, in quam conscripti ciues sumus, collata nihil sunt: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Apostrophe est, Magna & admiranda quædā ô Dei ciuitas de te dicta sunt. Dilataberis ad Orientem & Occidentem, ad Aphricum & Aquilonem, etiam vltra marē, omnes omnino, eas quoque quæ longissimè sunt dissitæ, intra murorum tuorum ambitum complecteris nationes. Prophetam hæc narrantem excipiens Deus, omnino dilatabitur inquit, ad Orientem & Occidentem, ad Aphricum & Aquilonem. *Nā memor ero Rahab,* hoc est, Ego præcipiam de Agypto, quam nunc Rahab voco, & de Babylone Apostolis meis, vt adducant eas. Certis his nationibus totum genus complexus est per synechdochen. Et quasi res iam ageretur, multisque ex populo gentium ad Ecclesiam conuersis, alij atque alij se adiungerent, per hypotyposim subijcit. *Ecce Alienigenæ,* id est, Syri seu Palestini. Est enim nomen speciei, *& Tyrus & populus Aethiopum,* qui in extremis orbis partibus situs est, Hi inquam omnes iam accesserunt Ecclesiæ. *Nunquid Sion dicet,* vel nónne ad Sion vel de Sion dicetur. (Est enim datiui casus (Sion) quod indicat litera Lamec, quæ in Hebræo ei præponitur) *Homo & homo natus est in ea.* Rursus natus est homo. Rursus natus est homo, alius post alium, ita multi adiungent se Ecclesiæ, quam hoc nomine vel in primis commendamus, quod fundarit eam non Romulus aliquis vel Augustus, sed ipse altissimus. *Dominus narrabit in scripturis populorum.* Narrare positum est pro numerare seu recensere. Dominus incipiet iam numerare in magnis illis catalogis, in quibus scripta sunt nomina omnium qui ad vitam sunt præordinati cum populorum tum principum. Est admiranda vocatio Gentium, quæ etiam tam lautos tropos habet, vt nec apud poëtas inuenias similes.

Vnus iam reliquus est versiculus, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Apostrophe est ad Sionem. Verè ô Sion qui in te, cuius iam laudes descripsit, inhabitant, magnificè lætantur. Rem maximam tribus verbis absorpsit Propheta, quam si quis oratione explicare velit, sentiet rei magnitudine se superari. Conatus est Esaias capite. 9. voluminis sui, sed æthiologia addita ibi declarat nequaquam assecutum esse. Locus sic habet, *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian.* Apostrophe est ad Emanuelem, Et quemadmodum in psalmo quem iam enarrauimus, ita hic quoque, quærere est. Cuius eius? Iugum oneris eius. Nihil enim præcessit quo referri possit. Haud tamen difficilè est intellectu, quò pertineat, quemue respiciat, maximè dum aduertimus in tractatu Emanuelis hæc legi. Quis enim audiens, Iugum oneris eius, & virgam humeris eius, & sceptrum exactoris eius superasti, modò sciat ad natum

Dan. 2. c.

Esa. 9. d.

tum hodie infantem verba dirigi, non statim diabolum cogitet: qui priùs exultabit in mundo, qui cunctis gentibus imperabat, qui grauissimo seruituris iugo colla omnium deprimebat, qui efficax erat in mentibus & cogitationibus hominum? Sed & quis huius tyrannidem expertus & iam liberatus, modò verè liberatum se sentiat, non videat quàm minimè similitudines illæ ab Esaia adhibitæ. *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, &c.* rem explicent aut adæquent? Verùm quamuis maius sit hoc gaudium, quam vt sermone possit exprimi, non tamen merum est. Habet enim coniunctam adhuc solicitudinē, quę hinc oritur, quod diabolus nondum sic eiectus est: aut proscriptione damnatus, vt accedere nequeat. Oppugnat vsque, & expugnare nititur ciuitatem Dei, eiusque ciues à quorum humeris iugum ipsius detractum est: quare accinctū esse oportet, stare in acie, multaq; vigilantia vti, ne qua rursus irrūpat, Veniet tempus quando semel conficietur & ipse & quidquid quoquomodo ad ipsum pertinet Tūc erit merū gaudiū. Quā rē cap. 25. sic expressit Esaias. *Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes.* Sermo est mirabiliter figuratus, & tātū non exorbitans Lege totum caput & relege, nusquā montis alicuius mentionē inuenies quare dicticōs accipitur quod ait. In monte isto, quēadmodū apud Comicū. Vel Pamphilus hic quā sanctè iurabat. Cū enim esset Hierosolymis, demonstrabat montē Sion, sed quatenus typum gerebat illius Sion, cuius meminit Psal. *Fundamenta eius in mōtib⁹ sanctis. Diligit dominus portas Sion.* In hoc monte latissimam telam illam seu fasciā quę super omnes obducta est, id est, miseriā hāc minus notissimam præcipitabit Dominus. Per fictionem poëticam velut personam facit miseriam, quæ humanum genus persuasit peccante Adam. *Et præcitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra.* Explicat per partes quod in genere dixerat. Siquidem mors, lachryma opprobrium partes sunt huius telæ, imò singula fasciæ sunt latissimæ. Quis enim nescit quàm latè tyrannidem exerceat mors? siue Germaniam, siue Hispaniam, siue Italiam, siue quamcunque mundi plagam cogites, vbique sæuit, furit, grassatur mors. Non sexum, non ætatem, non conditionem attendit. Non rationem habet generis, non formæ: sed nec imperij respicit aut potentiæ magnitudinem, sed (vt in Odis Flaccus canit) Aequo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres. Et sceptra (vt alius) ligonibus æquat.

Psal. 86. a

Esa. 25. c.

Iam de lachryma quid dicam, cùm vix in lucem editi, fletu omnia repleamus, siue plebeis orti parentibus, siue claris & illustribus. Atque ego (ait ille) primam vocem similem omnibus emisi plorans. Latissima igitur fascia lachryma est. Sed & opprobrium. Nam vt taceam quæ ab hominibus perpetimur, quos non ludos omnibus exhibet diabolus, imò quæ non ludibria in nobis excipit caro? Hæret in membris concupiscentia, & velimus nolimus efformat in his turpitudinum idola, tantoque impetu frequenter insurgit, vt nisi dextera Dei reprimatur, tuta haud esse queat pudicitia. Omnia hæc à populo suo auferet insans qui natⁱ hodie est, Nō est quod addubiter quisquā siquidem Dominus loquutus est: *Et dicent in illa die, Ecce Deus noster iste.* Vox est populi iam liberati. Illi in quē digitū intendimus qui temporibus Augusti est natus, Deus noster est. Expectauimus eum cum in humanis ageremus, iam liberabit nos semel & perpetim. Iste Dominus. Nihil maius tribui potest Filio Virginis, quàm quod hic tribuitur ei. Est enim apud Esaiam Hebræum, magnum & ineffabile illud nomen quod Græci tetragrammaton appellant, quod ita Deo proprium est, vt nulli alteri aptari possit vel homini vel spiritui. Aiunt ergo: Iste quem carne cernitis constare & ossibus. Dominus noster est. Sustinuimus eum, cum in mortali corpore degeremus, iam exultabimⁱ & lætabimur in salutari eius. Lætabimur non centum, non mille, non decies mille annis, sed vsque & vsque. *Quia requiescet manus Domini in monte isto.* In hoc quem tenemus monte, vsque exeret potentiam suam, illa fiet, vt omne quod vllius mentem vel leuiter terrere possit, procul arceatur. *Et triturabitur Moab sub eo, sicuti teritur palea in plaustro,* In voce Moab, tropus est. Non enim vnum illum populum, sed vniuersam impiorum multitudinē significare voluit synechdochicōs. Porrò similitudo adhibita, iucundè admodum agnoscitur ab ijs, qui Palestinam, in qua regione plaustrorum huiusmodi est vsus, inhabitant. Sunt autem carpenta ferrata, rotis per medium in ferrarum modum se volucntibus, quæ stipulam conterunt & comminuunt in paleas. Quomodo igitur plaustris ferratis paleæ conteruntur, sic diabolus & tota impiorum multitudo conteretur, et nihil in eis integri remanebit. *Et extendet,* ipse scilicet Moab, *manus sub eo, sicut extendit natans ad natandum.* Is qui natat, habitu corporis exprimit speciē hominis planè victi.

Significat itaq; Propheta, sic pressum iri

Universidad de Deusto
Biblioteca

diabolum & totum cætum impiorum, vt populum Dei non ſolum lædere non poſſint, ſed nec negotij quidquam faceſſere, atque tum merum fore gaudium agnoſcere licet ex cantico quod his ſubijcit: *In die illa cantabitur*, ait, *canticum iſtud in terra Iuda*, nõ ea quidem quæ pars eſt Syriæ, ſed cuius illa typum habet. In fortunata illa terra quæ ſedes beatorum eſt, cãtabitur canticum iſtud: *Vrbs fortitudinis noſtræ Saluator.* Hactenus habuimus alij alias atque alias ciuitates, hi Romam, illi Lutetiam. Poſthac omnes vnam habebimus, atque ea munitiſsima erit: Habebit murum, habebit antemurale. Murus Saluator erit, Antemurale Saluator itidem, Ipſe & vrbs erit, vrbs noſtra fortiſsima. *Aperite portas & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem, Vetus error abijt, ſeruabis pacem quia in te ſperauimus. Speraſtis in Domino in ſeculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Vides miram hic varietatem. Primi verſus apoſtrophen habent ad angelos, diciturque eis, vt admittant in ciuitatem populum qui iuſtitiam fecerit. Qui ſequuntur vocem exprimunt populi iam in vrbem admiſſi, fortunas ſuas ac vires gratulantis coram Domino. Poſtremò ipſum populum hortantur vt pergat fidere: Nam quod Hieronymus vertit, Speraſtis, legi etiam poteſt ſperare. Eſt enim Hebræis בטחתה bitchu. Quæ varietas quam ſit pulchra, quam que afficiat legentes, ſi quis ipſe non ſentit, fruſtra ei explicet vel mea, vel alterius oratio. Interim neminem ita alienum puto à diſciplinis, vt dum audit: *Vetus error abijt, ſeruabis pacem, pacem, quia in te ſperauimus*, non beatiſsimos iudicet quorum vox ea ſit. Neque vero pace ſolùm & immortalitate, timore omni & miſeria ſublata, perfruentur, ſed noui generis delicijs toti præterea occupabuntur: *Exhibebit enim Dominus* populo ſuo *in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*

Isa.26.a

Isa.25.b.

Quæ periodus hoc ipſo tractatu legitur, qua ſignificat propheta conuiuium, quò Dominus populo ſuo exhibiturus eſt, lautiſsimum fore. Quibus autem in rebus lautitiæ hæ ſitæ erunt, non dicit: Nec id opus puto vt declarem. Nam & ipſi dum volumus teneros puerorum animos ad amorem cœleſtis illius patriæ excitare, dicimus prata illic lacteis vbique riuis exuberare. Virgulta cynnamum: arbuſta, balſamum proferre. Porro ſaccari tantam copiam eſſe, vt quantumuis multum vſque ſumas, haud vnquã abſumere queas. Hæc dicimus non quòd putemus hæc verè ibi eſſe ſed quia rudibus puerorum animis aliter exponere non poſſumus fœlicitatem illius patriæ. Non enim norunt quidquam, niſi quod ſub ſenſum cadit, nec afficiuntur rebus vllis, niſi quas vel tactu vel guſtu vel odoratu naturæ ſuæ conuenientes experiuntur. Ad eundẽ modum propheta delicias quibus in ciuitate illa perfruentur, rudi populo volens exponere, meminit iugis conuiuij, quod exquiſitiſsimos habet cibos in quo puriſsimum ac meraciſsimum vinum bibitur. Medullata enim in ſacris literis, vbique cibi delicatiſsimi nomen eſt. Porro vindemiam pro vino ipſum vſurpaſſe liquet ex genitiuo deſæcatæ, quem adiecit. Interim nec vinum, prij nominis, nec medullata ibi eruut, ſed alterius generis delicias, ſicut ſcriptum eſt. *A ſeculo non audierunt, neque auribus percepe-* 1.Cor.2.c. Eſa.64.b *runt, oculus non vidit Deus abſque te quæ præparaſti expectantibus te.* En huius ciuitatis in qua hæc omnia contingent, in qua præcipitabitur mors, & auferetur lachrima, in qua miſeria omnis ſemel aboletur, vbi nihil quod vllius mentem vel leuiter terrere queat, aut audietur vſquam aut conſpicietur. Vbi quicquid hominem obiectare vere poteſt, vberrimè ſemper aderit & redundabit: Vbi firma & perpetua pax, vbi gaudia quæ nullo mœrore vnquam interpellantur, & plena ab omni miſeria libertas contingit, imò bonorum omnium pelagus exundans omni voluptate inhabitantes perfundit: huius in quam ciuitatis conſcripti ciues ſumus agnoſcemus fœlicitatem noſtram, agamus gratias infanti hodie nato, illius hoc beneficium eſt & ſolicitè curemus, neà tanta quæ parata nobis eſt, fœlicitate excidamus. Cui honor & gloria in ſecula, Amen.

DE NATIVITATE Domini, Homilia ſecunda.



Tranſeamus vſque Bethlehẽ, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Luca.2.b

Scitis quorum verba ſunt, vbi ſcripta, & qua occaſione prolata, Verba ſiquidẽ ſunt paſtorum apud Lucam cap. 2. mutuò ſe exhortantium ad iter poſt acceptum ab Angelo Euangelium de nato Saluatore in Bethlehem. Quod ipſum Euangelium & nobis hodie annunciatum eſt, quare & nos tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod fecit Dominus & oſtendit nobis: Omnino enim mirabile quid ibi exhibitum eſt, & eſt res ſpectatu digniſsima. Quare tranſeamus vſque Bethlehem, & quò fœlicius eò perueniamus, pueri Bethlehemitici matrem antè inuocemus. Aue Maria.

Tranſea-

Luca.2.b. *Tranſeamus vſque Bethlehem, &c.*

IN hac concione hunc ſeruabimus in dicendo ordinem. Primùm oſtendemus Chriſtum omnibus eſſe natum. Deinde ne quis fallatur, dicemus, non omnibus, licet omnibus natus ſit, ipſius natiuitatem profuturã. Tertio loco huius cauſam hanc eſſe oſtendemus, quod nõ tranſimus vſq; Bethlehem, &c. Imprimis ipſum omnibus eſſe natum, docet Angelus qui in Euangelio apud Lucam ad paſtores ita loquitur: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.* Ecce ait, Euangelizo vobis gaudiũ magnũ, quod erit non vni tantùm genti Iudæorum, ſed omnibus omnino populis, ſiue nationib⁹. Non enim vocabulum populi hoc loco accipi, vt diſtinguatur contra gentes, docent apertiſsimæ de Chriſto prophetiæ. Et quia imprimis iucunda quæ eſt apud Eſaiam, ca. Iſa.11.a. 11. Iubet eam hoc loco referre: Ea ſic habet: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Eſt perpetua metaphora, neque enim virga, neque radix, neque flos, priè vſurpantur, ſed figuratè: ſenſus eſt. Ex paruis reliquijs regni ſiue populi Iudaici, ex ſtirpe Iſai exibit aliquis cum ſceptro regali, hoc eſt, naſcetur Meſsias. Talem ſignificationem habet virga cap. 11.

Et virgam humeri eius, id eſt, imperium & faſces imperiales ſuperaſti. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis.* Spiritus ſcientiæ & pietatis, & requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Domini, hoc eſt, erit totus delibutus, totus vnctus erit Spiritu ſancto, Spiritus ſemel ſe illi infundet cum vniuerſis donis ſuis, plenitudo gratiæ habitabit in ipſo. *Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* Non reſpiciet an rex, an agricola quis ſit, an nobilis genere an ignobilis, ſed quicunque tandem verè agnoſcent ſe oppreſſos vſuris peccatorum, nec ſuis viribus ſe liberari poſſe (iſti enim ſunt pauperes huiusloci.) Et quicunque præbebunt ſe dociles, etiam licet homines ſint abiectiſsimæ ſortis, illorum ipſe patrocinium ſuſcipiet, pro illis feret ſententiam contra diabolum, & liberabit à calumniatore. *Et percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum eius interficiet impium.* In terra notatio eſt, Imprimis ſynechdochen habet, Senſus eſt, doctrina ipſius habebit admirabilem vim & energiam, ſimplex eius ſermo plus valebit in cordibus hominum ad ſuperbiam deſtruendam, impietem & cętera vitia, quàm omnis eloquentia Ciceronis. *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius.* Hac phraſi quæ Hebræis propria eſt, ſignificat propheta iuſtitiam Chriſto, comitem fore perpetuum. Non erit ad tempus iuſtus, ſed ſemper in ærernum iuſtus erit. *Et fides cinctorium renum eius.* Quod mox cingulum, iam cinctorium vocat. Fides ſumitur quomodo à Stoicis pro veritate promiſſorum. Non enim fides illa quæ à Paulo definitur ſubſtantia ſperandarum rerũ, argumentum non adparentium, in Chriſto fuit.

Habitabit lupus cum agnis, & pardus cum Eſa.11.b. *hædo accubabit, vitulus & Leo & ouis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur ſimul, requieſcent catuli eorum. Et leo quaſi bos comedet paleas, Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramen aſpidis, & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt neque occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini.* Elt mirabilis deſcriptio regni Chriſti, ipſo nato exurget aureum ſeculum. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus & Leo, &c.* In ſumma omnibus iſtis ſignificatur, quòd gentes feræ ac barbaræ, depoſita fæuitia & immanitate, ſanctiſsimis ſtudijs conſpirabunt in vnitatem fidei, cum ſimplici & humili populo Dei, Non enim ſermonem hic eſſe de leone, lupo, vrſo, pardo, quales vulgus intelligit, indicat illa clauſula: *Quia repleta eſt terra ſcientia Domini*, quæ cauſam continet dictorum, quam certum eſt non habere locum, niſi præcedentia omnia figuratè accipiantur. *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.* Nonne hoc loco Chriſtũ radicem facit, cùm antea fecerit ipſum virgam, ſed & ſignum non tale eſt, quale capite Eſa. 7. b. 7. vbi ad Achas dicitur: *Pete tibi ſignum*, Diuerſæ ſiquidem ſunt voces apud Hebræos: quæ hoc loco ponitur, etymologiam habet à leuando in ſublimè, & ſignificatur vexillum in altum ſublatum, & in commune omnium oculis expoſitum. Quod additur ipſum gentes deprecabuntur, emphaſim habet. Senſus eſt, in illa die quando veniet Meſſias, tunc non Iudæi ſolùm, licet peculiariter eis promiſſus ſit, ſed ipſe quoque Gentes deprecabuntur eum, Meſsias erit veluti vexillum erectum, ad quod omnes omnino populi oculos conijcient, illi etiam qui habitant in medijs rupibus, in inſulis maris, in vltimis finibus mundi, quemadmodum declarant quæ ſequuntur vſque ad finem capitis apud Prophetam, quæ nimis longum

Universidad de Deusto
Biblioteca

gum esset hic recensere. Quod ergo angelus pastoribus. Hoc ego vobis annuncio, natum vobis hodie Saluatorem, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Est igitur quod gaudeatis, & vehementer gaudeatis. Psal. 149. a. Cantate ait Dauid Domino canticum nouum: habemus canticum Deuteronom. insigne quidem illud, sed vetus est. Cantate ei canticum nouum, noua beneficia carmen nouum exigunt. Cantate ei canticum nouum quia mirabilia fecit. Quid enim mirabilius quàm quòd Deus homo factus est, quòd ipsemet per se in sua persona venit ad liberandum à peccatis populum suum: Saluauit sibi dextera eius & brachium sanctum eius. Olim in exitu Israel de Aegypto & populo barbaro, quando equũ & adscensorem proiecit in mare, & demersit in aquis vehementibus, adhibuit brachium Angeli, at hic in liberatione humani generis à captiuitate & tyrannide diaboli sæui illius Pharaonis, non alterius cuiusquam brachio vsus est, sed suo duntaxat brachio sed sua dextera duntaxat. Notum fecit Dominus salutare suum, CHRISTVM, suum in quo salutem omnium constituit: In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Abstractum vice concreti ponitur, id est, iustum suum. Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel: Quod tam magnificè olim promisit Abraham, Isaac, & Iacob, hoc re ipsa iam præstitit. Iam adest Messias, iam coram cernere licet, iam licet eum contrectare manibus, toties promissus ille tot retrò seculis expectatus iam adest: *Inuenietis eum*, ait Angelus pastoribus, *pannis inuolutum, positum in præsepio*, Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri, beneficiũ pueri nati, magna illa salus exhibita ad vniuersum terrarum orbem pertinet: Proinde iubilate Deo omnis terra, cantate & exultate & psallite. Psallite Domino in cythara, in cythara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Iubilate in conspectu regis Domini, moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum & qui habitant in eo, flumina plaudant manu, montes exultent à conspectu Domini. Quis Cicero æquet hanc prophetæ eloquentiam? nec miretur aliquis, quod omnia & montes & flumina, atque ipsum mare, orbem denique totum ad laudem prouocem ad lætitiam excitem & plausum, idque agam tam multis verbis, nemo miretur, magnus est qui venit, magna causa ob quam venit. Deus ipse in propria persona venit, vt iudicet terram, Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate: Aureæ prorsus voces sunt in iustitia & æquitate, nec terrent hoc loco, sed vehementer consolantur. Sensus est: Ipse sumet partes iudicis inter humanum genus & diabolum, & pronunciabit sententiam pro humano genere contra diabolum, & liberabitur homo non sua sed alterius iustitia, quod alijs verbis apud Ioannem ipse dicit. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

Verùm ne quis fallatur putans omnia iam salua postquam Christus venit, dicam quod secundo loco nos dicturos promisimus, videlicet non omnibus natiuitatem Christi profuturam, nec est quod longè huius probationem petamus, cùm Euangeliũ cuius initium est: *In principio erat verbum*, id manifestè doceat his verbis: *In mũdo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit.* Antequã secundum carné nasceretur ex virgine, erat in mundo, sed non conspiciebatur, imò nec conspici poterat vnde & ignorabatur, Vt agnosceretur, venit in mundum, sed venit vbi priùs erat, sed non quomodo ibi erat. Et ibi inuisibilis, venit visibilis, nimirũ obuolutus sacco mortalitatis nostræ, ac nec siquidem agnitus est, hoc est, quod ait: *In propria venit*, id est, in mundũ qui per ipsum factus est: *& sui*, hoc est, homines opus manuum ipsius: *Eum non receperunt*, id est, bona pars eum non recepit. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* En quibus profit eius natiuitas, his nimirum, qui venientem in propria recipiunt, hoc est, qui credunt in eum, sic sese interpretatur Euangelista: Iam (credere) intelligere oportet, non quomodo credunt dæmones nullo amico erga creatorem affectu, sed qui credunt tali fidei motu atque impetu, cum quo coniunctus sit propiciatoris amor non fictus, cum quo & coniuncta sit voluntas non dubia, mandatis eius omnibus in posterum obtemperandi, ac peccatis omnibus propter quæ tollenda ille natus est, renunciandi, anteaqs commissa detestandi. Vnde in Euangelio cuius initium est: *Exijt edictum à Cæsare Augusto*, &c. à multitudine militiæ cœlestis canitur: *Gloria in excelsis Deo, & pax in terra hominibus, sed bonæ voluntatis.* Qui ergo hoc modo credunt, illos propriè respicit beneficium pueri nati in Bethlehem, his non alijs dedit potestatem filios Dei fieri. Quicunque ergo cupiditatibus suis adhuc obsequuntur, qui diuitijs, honoribus, voluptatibus ita addicti sunt, vt plenè serui inueniantur & mancipia illorum, qui nondum ab his auelli volunt, hoc est, qui frui desiderant quam diu licet, non habent partem in hoc Euangelio: non enim credunt, imò nec possunt: Quomodo, ait Saluator, vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis & gloriam

gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Quòd autem secuti Saluatorem dicimus non posse eos credere, intelligite quamdiu tales manent. Quod vero tales maneant causa est, quia accepto Euangelio de nato Saluatore, non eant cum pastoribus in Bethlehem, quod si irent, fieri non posset, quin immutaretur animus eorum. Vt ergo à terrenis istis affectibus & cupiditatibus, quæ faciunt quò minùs recipiamus venientem in propria semel exuamur, transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Vt autem eò veniamus, haud opus est vt procul proficiscamur terra mariue: Bethlehem posimus intra nos inuenire. Bene transimus vsque ad Bethlehem, dum earum rerum, quæ ibi exhibitæ sunt, cogitationibus nos exercemus: quæ autem exhibitæ ibi sint, narrat ad hunc modum Lucas: Luc. 2. a *Exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino, & ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Adscendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eò quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante: factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*

Consideremus ergo, quisnam sit ille infantulus, qui inuolutus pannis iacet in præsepio. Est quidem Filius Virginis, sed ne hoc solum: in ipso æstimaremus, & tantũ quod de Virgine assumpsit, ita de eo narrat initium Euangelij secundum Ioannem: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* In principio, hoc est, antequam hæc vniuersitas rerum terrestrium & cœlestium, visibilium & inuisibiliũ conderetur, iam erat verbum, hoc est, Dei Filius. *Et verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum*, hoc est, sic erat in diuulsæ naturæ cum Patre, vt iuxta personæ proprietatem esset apud Patrem nec sic adhæret Patri, quemadmodum accidens adhæret substantiæ, sed Deus erat ex Deo, Deus erat in Deo, Deus erat apud Deum. Deus erat Deus ob communem vtriusque diuinitatis naturam. Et verbum caro factum est, hoc verbum quod in principio erat apud Deum, imò quod erat Deus, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est: hoc inquam verbum caro factum est, verbũ hoc æternum pannis inuolutum iacet in præsepio. Quis audiendo hæc non animo expauescat Dominus ait Abacuc, consideraui opera tua, & expaui. Vtique & vos expauescetis, si modò seriò consideretis. Attollite ergo oculos vestros, & adspicite mirabile illud vas oculum mundi, hoc est, solem, lucentẽque globum lunæ, & astra cætera, cumqs in admirationem vos adduxerit illorum consideratio, cogitate cum animis vestris quãtus ille sit oportet, qui illa condidit, cũque cogitando consideratis vos ad illius magnitudinem non posse pertingere, imò eò minùs inuenire quò plus cogitatis, conuertite considerationem vestram ad Bethlehem, & persuadete vobis id quod res est, infantem quem ibi pannis inuolutum cernitis & positum in præsepio, esse magnum illum Dominum, in cuius consideratione caligabat oculus vester, reuerberabatur acies mentis vestrę, intellectus deficiebat. Iusantulum illum ipsum esse, qui solem, lunam, stellas, cœlum, terram & omnia quę vsquam sunt cõdidit, qui potenti manu sua immensam illam molem corporum cœlestium circumagit & versat, qui totum globum infatigabili dextera tenet & sustentat. Infantulus ille ipse est, in quo vita vigorque omnium est, quæ condita sunt. Infantulus hic positus in præsepio, ipse est qui magnitudine sua implet cœlum & terram, & si quid aliud vsquã extra cœlum & terram est: Si viuaci mente hæc pertractaueritis, apprehendet vos stupor & vehemens stupor, imò horror, mira, bimini supra modum quod ille per quẽ secula facta sunt, qui omnia verbo virtutis suę portat, qui maiestate sua cuncta implet, huc se deiecerit, quod verbũ patris, quòd ille cuius egressus est à diebus æternitatis, nasci voluerit infans, pannis inuolui, & poni in præsepio. Cùm autem hoc modo in admirationem abducta fuerit mens vestra, pergite, & causam iniquirite, quare voluerit nasci infans & pannis inuolui. Quare non potiùs statura viri processerit ex vtero virginis, quare non regio ornatu conspicuum orbi se exhibuerit, quare non potiùs suaues & molles plumas elegerit, quam durum præsepium, Cùm enim Deus esset in potestate eius erat quod dicimus, quare ergo non fecit? Audite Apostolũ Paulum: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus.* Tito. 2. c *erudiens nos, vt abnegantes impietatem & seculária desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Voluit ergo nasci infans, pannis inuolui, poni in præsepio, vt hoc modo cõmendaret nobis, humilitatem, paupertatem, asperitatem, vt hoc modo doceret nos contemptum earum rerum quas mundus miratur. Verè enim infantia Saluatoris, eius panni & præsepe, dãnant omnes qui sectantur diuitias, honores, voluptates, nec etiam

infantia

Universidad de Deusto
Biblioteca

infantia solùm, panni & præsepium, sed præterea tota eius reliqua vita, quæ secundum hæc initia decurrit.

Vtinam in his rebus esset philosophia nostra, vtinam frequenter ante oculos nostros versaretur Bethlehem, Bethlehem veros nos faceret philosophos. Siquidem meo iudicio, nihil inter omnia, nihil æque animum hominis sic potenter abducit ab amore rerum terrenarum, atque Bethlehem. Quis enim adeò immersus cupiditatibus mundi, qui si ita secum cogitet. Ecce Dei Filius, cuius est omne quòd vsquam est, mei causa venit è sinu Patris, natus est in Bethlehem, pannis inuolutus est, positus in præsepio, vt hac ratione suum erga me amorem declararet, & exemplar proponeret quod imitarer. Quis inquam adeò immersus cupiditatibus mundi, qui non subitò emergat cùm serio hæc secum cogitet? Quis seriò hæc secum cogitans non respondeat malè blandienti voluptati, quod fidelem olim Vriam Dauid respondisse legimus. *Arca Dei*, ait, 2. Reg. 11. b. *& Israel & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea?* Arca Dei diua virgo, in cuius vtero Dei Filius tot menses quieuit, manet in stabulo, & Dominus meus Iesus Christus in præsepio iacet, & serui Domini mei, ipsi nimirum pastores, excubias agunt, sub frigido versantur cœlo, & vadam ego & delicijs affluam? comedam? bibam? & dormiam in plumis suauiter? per salutem tuam & per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem. Et quàm potenter abduceret Bethlehem animum à terrenis his fluxis & in perniciem vsque suauibus rebus. Quare auditores optimi oro vos quam possum maximè vt magis moueam, obsecro per amorem pueri Iesu, qui vestri causa hodie nasci voluit in frigore & nuditate, transeamus frequenter vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis, cui honor & gloria & imperium in secula, Amen.

Tam sunt falsa quam transitoria,
Vt testantur hæc temporalia,
Non in vno statu manentia,
Nihil artium valet profunditas,
Nulli prodest magna nobilitas,
Nihil iuuat regalis dignitas,
Nullum saluat corporis quantitas,
Sic non prodest genus aut species,
Sed ruunt vt à sole glacies,
Cum Helena Paris pulcherrimus,
Aut Achilles vbi magnanimus?
Vbi Plato? vbi Porphyrius?
Vbi Tullius & Vergilius?
Vbi Diogenes, Empedocles?
Aut egregius Aristoteles?
Alexander vbi rex magnanimus?
Vbi Hector Troiæ fortissimus?
Vbi Samson vir dirissimus?
Vbi Salomon prudentissimus?
Vbi Dauid vir ditissimus?
Vbi Absalon vir pulcherrimus?
Transierunt leges mortalium,
Per vnius momenti spacium,
Piè Deus rector fidelium,
Fac te nobis semper propitium,
Cùm de malis fiet iudicium.

IN DIE ANIMARVM
Homilia super hanc Prosam.

Audi tellus, audi magni maris nimbus,
Audi omne quod viuit sub sole:
Huius mundi decus & gloria,

ANnus iam est quòd audiens cantari prosam, cuius initium est: *Audi tellus audi magni mari nimbus*, vehementer afficiebar, & sanè elegantissima est. Constat siquidem exordio, propositione, confirmatione, denique peroratione, quemadmodum ductus concionis indicabit. Statui enim de ea disserere, ob id potissimum, quòd vehementer inuitet ad contemptum mundi, qui non parum facit ad fœlicitatem, non eam solùm quam expectamus post hanc vitam, sed ad eam quoque quæ præsentis temporis est, quod nec ethnicum latuit ita canentem: *Nil admirari, propè res est vna Numici, Solaque quæ possit facere & seruare beatum.* Priùs tamen quàm rem aggrediamur, gratiam imploremus. Aue Maria.

Audi tellus, audi magni maris nimbus, audi omne quod viuit sub sole.

HActenus exordium prosæ: *Audi tellus, audi, &c.* Est Metonymia: absque tropo dixisset. Vos qui terram inhabitatis, quæ continens dicitur: Et vos insulares qui vasti maris fluctibus circûdimini: breuiter omnes omnino qui sub sole degitis præbete silentium, lubet vobis concionari. Et ne multis vos morer, thema, quod tractandum sumpsi, hoc nempe est.

Huius mundi decus, & gloria tam sunt falsa quam transitoria.

Propositio

PRopositio hæc ad quam persuadendam cætera omnia inducuntur, rectiùs intelligitur dum confertur cum illa quæ in Ecclesiaste scribitur, hęc nimirum. *Vanitas vanitatum*, dixit Ecclesiastes, *vanitas vanitatũ & omnia vanitas.* In qua imprimis obseruanda est nota vniuersalitatis: non hæc aut illa, sed in vniuersum omnia vana esse decernit, omnia inquam, quę sub sole sunt: nam id in consequẽtibus adijcit. Quò res clarior euadat atq; illustrior, euoluam' quæ in vniuersalitatis nota inuoluũtur. Omnia vana sunt, ergo vana est pulchritudo, ergo vana est forEccle. 11. 1. titudo, ergo præstantia corporis vana est, sed & voluptas, diuitiæ, principatus, potentiæ magnitudo, scientia, nobilitas, & quidquid aliorum sub sole est, vanum est, nec solùm vanum, sed & vanitas ac mera vanitas. Non habuit Salomon aliquod vocabulum quo potuit satis exprimere quod concipiebat: quare eandem vocem repetit, nõ semel nec iterum sed quinquies. *Vanitas vanitatũ*, dixit Ecclesiastes, *vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Si dixisset omnia vana sunt, vehemens fuisset assertio apud eos qui vim vocis huius perspectam habent. Nunc non dixit vana sunt, sed vanitas, quòd quantò sit priori vehementius, qui non percipit, frustra ei explicet nostra oratio. Nec solum vanitas sunt, ait, sed vanitas vanitatũ, qua phrasi quæ Hebræis propria est, vanitatis magnitudo exprimitur. nec hoc contentus, eandem geminationem rursum posuit, vt demonstraret omnia insigniter esse vana & plusquam vana, quin & plus quàm vanitatem. Quis igitur nisi vanus prorsus, hæc appetat? Sed age, quid est vanum siue vanitas? Vocabulum hoc quemadmodum nouerunt qui latinè periti sunt, non vnius significationis est: aliud intelligo dum audio. Sed illos, Expectata seges vanis elusit auenis: aliud dum apud eundem Poëtam lego. Ni frustra augurium vani docuere parentes. Priori loco pro vacuo & inani. Posteriori pro fallaci positum est. Nec apud ethnicos duntaxat scriptores, verum etiam in diuinis literis variè obuium est. Quid verò hoc loci potissimum significet, partim ex circunstantia & ratione scripti, partim ex Hebrææ linguæ proprietate petendum est. Fit enim, nec id arbitror rarò, vt vocabulum quod apud Latinos varium est, apud Hebræos vnicam habeat significationem: rursus quòd apud hos latè patet. Latinis strictius sit. Porrò pro vanitate vanitatum, in Hebræo scriptũ est הבלים הבל hauel haual, quam vocem Rab. Da. significare dicit, id quod nõ est quippiam, hoc est vacuum & inane, aut certè quod mox desinit ac euanescit, vt est flatus qui ab ore procedit. In qua significatione certum est poni Psalm. 48. Homo vanitati similis factus est. Sequitur enim, dies eius sicut vmbra prętereunt, quòd prioris interpretatio est. Pro vanitate autem in Hebræo est להבל laheuel. Cum Rabbi Dauid sentiunt qui ex Hebræo in Græcum vetus testamentum transtulere. Nã exceptis septuaginta interpretibus, omnes similiter pro vanitate vanitatum verterunt ατμος ατμων ατμος Græcis autem vapor fumi est, siue aura tenuis, quę citò resoluitur. Quamquam hæc significatio voci Hebrææ propria sit ac naturalis, non tamẽ perpetua. Declarat hoc locus qui est Prouer. 13. Substantia festinata minuetur, pro quo in Hebræo est, Substantia quæ est ex vanitate minuetur. Est enim הרעמיהבל hon meheuel, hoc est, diuitiæ fraude comparatæ elabentur: Septuaginta verterunt, quæ per fas & nefas corraduntur, μετα ανομιας, genus ponentes pro specie. Est alius locus Psal. 61. non minus illustris: *Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum*: Vbi vani & mendaces non alia ratione componuntur, quam apud Poëtam in secundo Aeneidos. Nec, si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. Certè illud. Vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum, clarum est referri oportere ad vanitatem quæ ad mendacium fraudem & impostura pertinet. Vtroque autem loco Hebræis est הבל heuel. His annumeranda sunt loca illa, vbi nomen hoc per flexum idolis tribuitur Deuterono. 32. *Ipsi me prouocauerũt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis*, hoc est, in idolis suis, vt verterũt septuaginta interpretes, Hieremiæ. 8. *Quare me ad iracundiam concitauerũt in sculptilibus suis & in vanitatibus alienis?* Rursus cap. 14. *Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant?* Quod hic sculptilia vertit & in præcedentibus vanitates. Hebræis est הבלים haualim. Vocat autem Hieremias, & ante eum Moyses idola vanitates, tũ quia nihil sunt, tum quia specie mentiũtur hominem aut aliud animal, quum nec viuant nec sentiant. Hoc vt putem, facit Paulus, qui in Epistola quam ad Romanos scripsit, idolum aperte mendacium appellat, haud dubium quin alludens ad vocem Hebræam. Sicut ergo Latinum vocabulum, ita Hebræum quoque varium est: & in Ecclesiaste, siue rationem scripti expẽdas, siue disputationis tenorem consideres, vtraque significatio quã diximus, aptissimè quadrat, adeò vt si alteram ab altera separes, non nisi ex dimidiato sis intellecturus, quæ illo libello differit Salomon. Hoc siquidem agit, vt animos mortalium affixos vmbris rerum terrenarum, ab earũ amore abducat, quod Ad Rom. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quò efficaciùs agat, se in disputationem abducit, dicens, ipsa rerum experientia se compertum esse, omnia quæ sub sole sunt, & inania esse & fallacia, hoc est, primo quidem adspectu conceptæ animo spei applaudere, sed postea frustrari.

Quibus rationibus ad eandem rem, hoc est, contemptum rerum terrenarum persuadendum vsus est ante Salomonē ipse Dauid huius pater in Psalm. cuius initium est. *Cùm*
Psal. 4. a. *inuocarē. Filij hominū*, ait, *vsquequo graui corde. Vt quid diligitis vanitatē & quæritis mendacium?* Filij hominū Hebraismus est, pro ipsis hominibus, quā phrasim & Græci imitātur διους ἀτρωρ dicentes pro ipsis medicis. Habet aūt mirabilem emphasim. Vos quos Deus homines cōdidit præditos mente qua bestias præstetis, quibus & os sublime dedit vt ille ait, & cætera quæ apud ipsum sequuntur, vt hac quoq; parte animalia cætera antecellatis quæ prona terram spectant, vos (inquam) quibus cœlestis origo est, vsquequo in ima hæc respicientes, eaq; tanquam nescio quæ magna admirantes, animos vestros, qui diuinæ naturæ suæ vi sursum feruntur, deprimitis mole terrenarum concupiscentiarum? *Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Quid tanto affectu, tanto studio ac improbitate sectamini hæc quæ sub sole sunt, quæ reuera non aliud sunt, quàm mera vanitas, quàm vapor fumi & aura tenuis, quæ mox euanescit. Quæ reuera non aliud quàm mendacium sunt, promittunt fœlicitatem, sed non præstant, atque adeò non præstant, vt in æternam miseriam præcipitent sectatores suos?

Hactenus de propositione quam in Ecclesiaste versat Salomon, cui explicandæ diutiùs inhæsim⁹, quòd illa intellecta statim percipiatur hæc quam prosa proponit, videlicet, Huius mundi decus & gloria tam sunt falsa quàm transitoria. Si nanq; verum est vana esse, omnia quæ sub sole cernimus, certè & huius mundi decus ac gloria, vana sunt. Si verò vana, ergo nec vera, nec perpetua adeoque nec studiosè appetenda, quod iam restat, vt persuadeatur mortalibus, atque hoc opus, hic labor est. Si thema à me propositū esset ad persuadendum, adhiberem cap. 24.
Esai. 24. a. Esaiæ, in quo rem hanc vehentissimè vrget propheta. *Ecce Dominus dissipabit*, inquit, *terram*, & iam erigitis maxima ædificia, insignes domos quarum parietes vestiuntur marmorum crustis, & secti eboris nitore resplendent, quarum aurata sunt laquearia, quarum porticus miro opere intuentium oculos rapiunt, in his cōfiditis, & quasi perpetuò essetis permansuri accumulatis aurū, argentum & alia quàm plurima, quæ longū esset referre, vana sunt studia vestra. *Ecce Dominus dissipabit* omnia, non hæc solùm sed *& terram, & nudabit eam*, hoc est, vacuam & inanē reddet, *& affliget faciem eius*, hoc est, exuret quę in ea sunt opera, hanc quam nūc videmus faciem abolebit. *Et dispergetet habitatores eius.* Habitatores terræ vocat, quorū animi terræ affixi sunt, qui diuitijs, honoribus, omnia metiuntur, qui ad fluxa & vana hæc hiant attoniti, hos dispergetet. *Et erit sicut populus, sic sacerdos: & sicut seruus, sic Dominus eius: & sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens, sit ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.* Est pulcherrima synechdoche, qua noto more significat omnia desitura in seculi cōsummatione, quibus nunc alij alijs præstāt, siue diuitiæ sint illa, siue dignitates, siue alia. Iam sacerdos, dominus & domina dignitate potiores sunt, in consummatione seculi non erunt. Nunc emens fœnerator, ac creditor diuitijs præstat, tunc non item: sine discrimine mortalium rerum iudicabuntur omnes & addicentur supplicijs, quisque pro qualitate criminum suorum, tam nobilis quàm ignobilis, tam diues quàm pauper, tam doctus quàm indoctus, audiāt hæc qui præsentibus rebus tanquam perpetuis studeant. *Dissipatione dissipabitur terra*, geminatio Hebraica est quæ Epitasin habet, sensus est, tota dissipabitur. *Et direptione prædabitur*, & sine dubio fiet, *quia Dominus loquutus est. Luxit & defluxit terra.* A futuro ad præteritum dilabitur, quasi res iam esset peracta, facit hoc quò magis afficiat, & moueat animos legentium. Sermo aūt totus figuratus est. Ex luctu terræ tristem eius interitum accipere oportet per metalepsim. *Defluxit orbis, infirmata est altitudo populi.* Per altitudinē populi significat, qui inter populares suos eminēt, hoc est, diuites ac nobiles: *luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt oēs qui lætabantur corde*, nimirū inter pocula, quia quæ præcedūt, vini mentionē habent. Qui solebant sectari comessationes, atque in illis lætitiam suā ponebant, illi dolebūt. *Cessauit gaudium tympanorū, quieuit sonitus lætantiū, conticuit dulcedo cytharæ.* Omnia hæc pertinent ad cōuiuia, respiciūt eos qui in conuiuijs suis non solùm gula & ebrietate, sed & auribus luxuriant, vt per omnes sensus animæ fortitudo mollescat. *Cùm cantico non bibent vinum*, hoc est, musica nō resonabit inter pocula, sed omnia dulcedo lætantiū, & tympanorū, ac cytharę sonitus in planctum vertetur & gemitū. *Amara erit potio bibētibus illā.* Quæ iam se mella mētitur, amarior felle tū reperietur. *Attrita est ciuitas vanitatis.* Est noua sed elegans orbis periphrasis. Videtur orbis hic duraturus, sed non ita erit, est tantùm vana ostentatio. *Deserta est omnis*

Esai. 24. a.
Esai. ibidem
Esai. 24. a.
Esai. ibidem

lætitia, translatum est gaudium terræ. Relicta est in urbe solitudo. Orbem quem mox ciuitatem vanitatis appellauit, nunc spiritualiter vrbem vocat. Quod autem de toto orbe hæc dicat, & non de hac vel illa ciuitate, inde manifestum est quòd addat. *Quia hæc erunt in*
Esaie 24. c. *medio terræ, in medio populorū. Quomodo si paucæ oliuæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea. Et racemi cùm fuerit finita vindemia*, hoc est, Quàm paucæ relinquuntur oliuæ in olea postquam excussa est, atque demessa. Rursus quam paucæ reperiūtur vuæ in vite post vindemiam, tam pauci euadēt mala quibus inuoluetur orbis, tam pauci saluabūtur. Est valde terribilis & horrēda comparatio, quæ imprimis cōcutere debet habitatores terræ:
Esa. ibidem nam propter eos adhibita est. *Hi leuabunt vocem suam, atque laudabūt, cùm glorificatus fuerit Dominus*, hoc est, cùm finito regno Antichristi, Christus venerit in nubibus cum maiestate & gloria: Tam pauci isti qui relinquuntur leuabunt vocem. *Hinnient de mari*, hoc est, præ lætitia toti gestient. Orbem quē mox vrbem & paulò ante ciuitatem vanitatis nominauit, nunc mare appellat figuratè. A qua verò maris proprietate figurā seu metaphoram sumpserit, non satis certum est. Verisimile est quòd respexerit ad impetus & motus maris: Est enim mare natura tem-
Esa. ibidem. pestuosum & inquietum. *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominū.* Vos qui hæc apud me legitis, qui cognoscitis beneficio scripturarum, tantum gaudium tam ingentem lætitiam manere iustos paucos illos qui relinquentur, glorificate Dominum *in doctrinis*, hoc est, quia doctrinam hāc & notitiam accepistis, quod sanè magnū est beneficium. *Et dixi, secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Est obscura breuiloquentia. Non possum inquit cūcta narrare quæ cerno, Hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur. *Væ mihi*, quantus ordo pœnarum ante oculos versatur meos, quos horrores ego video, quos vlulatus audio, quantam multitudinem cerno, quorum nuda corpora inconsumtibiles flammæ allambunt, qui inter incendia immortales viuunt, & viuent perpetuò, cerno præsentia quæ futura sunt. Et quia maiora sunt quàm queam eloqui, id
Esa. ibidem. circo contineo secretum meum mihi, contineo inquam secretum meum mihi. *Confractione confringetur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis.* Nō habuit Propheta aliquod vocabulum, quo potuit satis explicare rem, quare multis ad id vtitur verbis, & nec sic ad æquare potuit: simile diximus cùm tractaremus propositionem Salomonis in Ecclesiaste. Porrò tabernaculum vnius noctis Hebræis vnica vox est à pernoctando dicta, significat tuguriolum, quali pastor aut vinitor ad excubias vtitur. Sensus ergo est. Quomodo vinitor trāsfert de loco ad locum tuguriolum suum, atq; ipsum vbi eo vsus est, demolitur: sic Dominus demolietur terrā, demolietur inquam terram secundum schema & figuram, quam nunc habet. *Corruet & non adijciet vt resurgat*, subaudiendū rursum est, illo habitu quem nūc cernere est, quemque tantopere admiramur falsa specie decepti, nam ostentatio tantùm est: Sed quis persuadeat id mortalibus? An sui temporis hominibus persuaserit Esaias, nolo hic inquirere, certè posteris non persuasit: siquidem eo seculo quo prosa hæc quam præ manibus habemus, scripta est, vbiq; vana & fluxa hæc pro veris & perpetuis bonis inquirebantur, quod nisi quis aduertat, mirari poterit de insolentia prosæ, quæ terram pariter & mare, & ne quidquam præterijsse videatur, omne quod viuit sub sole, ad audiendum prouocet: nec dubito quin idem author quisquis tandem ille fuit, qui prosam hāc nobis tradidit, eodem exordio vteretur, si hoc nostro seculo hac de re ipsi dicendum esset: vbique enim mundus in admiratione est: vbique diuitiæ & honores expetuntur, ab ijs etiam quos oportebat præcipuos esse contemptores horum: populū dico Christianū.

Audi igitur tellus, audi magni maris nimbus, audi omne quod viuit sub sole, omnes ad audiēdum inuito, quia ad omnes, quod dicturus sum, spectat. Et quid tādem vel quale id est? *Huius mundi decus & gloria, tam sunt falsa quàm transitoria.* Et quibus rationibus id suademus? efficacissimis, & nō tam verbis quàm rebus. Nam agite antè quæso. Vbi nam Paris? vbi nam formosa Helena, cuius gratia mille naues ex vniuersa Græcia, acto, vt ille ait, delectu, sunt impletæ, tantaq; tum Græcorum, tum Barbarorum multitudo conflixit, totq; vrbes sunt euersæ? Sed & vbi magnanimus Achilles, in cuius laude canenda, ocia sua triuit Homerus? Vbi Plato diuinus ille? vbi Porphyrius? vbi Romanæ linguæ parens Tullius?

Vbi Vergilius vatum maximus?
Vbi Diogenes, Empedocles, ac naturæ miraculū Aristoteles?
Alexander vbi rex magnanimus, cui orbis hic nimis angustus erat?
Vbi Hector Troianorum fortissimus?
Et ne ethnicos duntaxat noscere videmur,
Vbi Samson vir dirissimus?
Vbi Salomon prudentissimus?
Vbi Dauid vir ditissimus?
Vbi Absalon vir pulcherrimus?
Transierunt leges mortalium per vnius momēti spatium. Vnius momēti spacio absorpti sunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac omnis illa gloria qua pollebant inter mortales & admirationi erant omnibus, simul interijt. Quæ sanè res arguit, diuitias, potentiam, formam, nobilitatē, eloquentiam, & cætera quæ admiratur mundus, vana esse & fluxa? Hactenus confirmatio propositionis. Sed fortè plerosq; minùs mouet, quòd ij quos inducit, ipsis conspecti non sint: Agite ergo, vbi nam illi qui à paucis hinc annis aurum & argentum thesaurizabant, nec erat finis acquilitionis eorum? Vbi tot adolescentes nobiles ac pręstantes corpore? Vbi tot formosi ac formolæ quos ipsi vidistis? Vbi sunt? Transierunt leges mortalium & pulchra illa corpora cinis ac puluis sunt, nec quidquam præter cinerem ac puluerem videre est, nisi fortè ossa aliquot, caluariaque carnibus renudatas, inter quæ & vilium hominum ac deformium ossa caluariasque discriminis omnino sit nihil. An non igitur forma bonum fragile est quæ sæpe morbo, semper autem morte perit?

Nunquid & nobilitas non res vana est, cum inter nobilem & ignobilem, huius atque illius cineres, ossa & ossa, nulla post mortem diuersitas sit? Nunquid non & falsæ illæ diuitiæ quæ hinc asportari nequeūt? non plus secum fert ex vita hac: excedens potentissimus rex, quàm agricola vel de plebe quispiam etiam pauperrimus? Quemadmodum enim nudi omnes effusi sumus in mundum, sic nudi omnes recedimus, Quę igitur dementia, fluxis his rebus, atque adeò citò euanituris inhærere? nec fluxa tantùm sunt & vana, sed & fallacia. Quis explicet, quot iam inde à mundi exordio per hæc decepti sint? imò quis explicet, quot nostro hoc seculo spe sua, quam ex his conceperant, frustrati sint, & miserè frustrati? O si liceret inspicere infernum semel. Quot ibi videremus in medijs flammis ardentes, quos olim nouimus, quos admirati sumus & beatos prædicauimus ob hoc ipsa quæ ignorantia secularis bona appellat. Nunc animas, vbi iudicij dies aduenerit, tum & nuda corpora inconsumptibiles flammæ allambent, non ad tempus tantum, non viginti, non triginta, non centum, non mille aut centies, vel millies mille annis, sed vsque & vsque, hoc est, in æternum: Non enim solui potest scriptura, illa habet, Fumus tormentorum ipsorum adscendet in secula seculorum. Heu miseros, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, atque omni tormento atrociùs affliget ipsos desperatio. Heu heu, heu inquam miseros & plusquam miseros. *Pie Deus rector fidelium,*
Fac te nobis semper propitium,
Cùm de malis fiet iudicium.

Est precatio loco perorationis. Ego (inquit) author prosæ, feci quod meum est. Prouocaui ad audiendum, nō hos aut illos, sed omnes omnino populos, non plebeiam tantùm multitudinem, sed ipsos quoque reges & principes, terrā pariter ac mare, omne quod viuit sub sole: Dixi huius mundi decus & gloriam tam falsa esse quàm fluxa, rebus ipsis ipsum ostendi, sed frustra omnia dicta sunt à me, nisi tu Deus adspires ac inspires animis omnium verum contemptum mūdi, quod ipsum vt facias, iam precamur: tunc enim verè putabimus te nobis hic propitium, si potenti dextera tua regnum cupiditatis omnia occupantis expugnaueris: sed satis nobis non est, si hic te sentiamus propitium, nisi & talem te habeamus post funera: precamur proinde, vt semper te nobis propitium exhibeas, præcipuè tamen tum quando de malis fiet iudicium, scilicet in die illa treméda, quādo cœli mouēdi sunt & terra.

Hactenus prosa. Obsecro iam vos auditores optimi seriò cum animis vestris hæc cogitetis, non agitur de re parua, de æterna salute agitur: si namque terrenis his inhæseritis cum ipsis peribitis: vana sunt etenim, quod licet iam multi non persuadeant sibi, verùm nimis comperient tandem, si illis inhærere pergant. Scitis enim ex quorum persona, illa dicantur. Quid profuit nobis superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierūt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ petransit fluctuantem vndam, cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, nec semitam carinæ eius in fluctibus: aut tanquam auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentū itineris illius, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius, aut tanquam sagitta emissa in locū destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur trāsitus illius. En quàm aptis similitudinibus vanitatem rerum exprimunt, quam dum viuerent inter mortales, agnoscere non potuerunt, imò noluerunt: nec solùm profitētur, sed & dolent sua studia ad vana se conuertisse: pœnitentiam enim agūt, vt habet principium capitis, sed frustra, quia transijt tempus miserēdi, quod ne & vobis vsui veniat, obsecro vos auditores optimi, cōuertamus nos ad meliora consilia iam dum licet, abijciamus omnē spem seculi, relinquamus vana, ea bona inquiramus quæ vera sunt & perpetua, quæq; sectatores suos in perpetuum fœlices reddunt, vt cum omnibus Sanctis perenniter lætemur in cœlis, Amen.

ORNA-

HOMILIA DE TIMORE Domini habita ad iuuenes philosophiæ studiosos in Festo S. Catharinæ.



Eccle 12.a. VM mecum repeto annos meos, & ætatis præteritæ studia, comperio adolescentes optimi verum esse quod in Ecclesiaste scriptit sapientissimus Salomon videlicet: *voluptas & adolescentia vana sunt*, Quapropter in amaritudine animæ nunc defleo annos illos, si fortè remittantur mihi delicta mea, atque ignorantiæ: atque idipsum ne & vos tandem facere oporteat, admonere vos volui, volui dico, quia quamquam missus venerim, à multo tamen iam tempore istud desideraui, sed superbum ratus sum, si non vocatus venirem: Præbete itaque silentium, atque audite me adolescentes optimi, & (si admittitis) filij, timorem Domini docebo vos. Magnum aliquid est timor Domini, timor Domini frenum est, quo adolescentia, quæ Salomone teste vana est, cohibetur ne sectetur vanitatem, seu vt huius pater ait) insanias falsas: timor Domini fons cœlestis ac diuinæ sapientiæ est, timor Domini thesaurus est verarum diuitiarū, timor Domini radix est immortalitatis, timor Domini (vt semel dicā) est omne bonum. Hunc docebo vos non quidem quid sit, sed quo pacto ad eum possitis pertingere dicam: id enim magis in rem vestram fore puto, ac oro Deum, vt & aures, & mentes vestras ad ea quæ à nobis dicentur percipienda adaperiat, imò quo facilius id impetremus, communiter oremus.

Fons diuini timoris, Dei est cognitio: quare adolescentes optimi vt ad timorem Domini pertingatis, discite cognoscere Deum, hoc vobis magis proderit, quàm si omnium philosophorum placita teneatis. Istud dicimus, non quod damnemus philosophiæ studium, absit hoc: bona est philosophia, in ea diligētissimè instructus fuit Moyses magnus ille veteris legis, hoc est, pentateuchi scriptor, exactè in ea edocti fuere optimi quiq; diuinarum scripturarum interpretes, in ea ad miraculum vsque imbuta fuit nobilis virgo, quæ in exemplum vobis hodie proponitur S. Catharina. Procul igitur à nobis id sit, vt damnemus philosophiæ studium, hortamur vos quàm valemus maximè, vt quod bene cœpistis, gnauiter perficiatis: sed dicemus nihil hanc prodesse absque vera DEI cognitione, & qui ex ea ceu fonte profluit timor, sicut scriptum est: *Si quis consummatus fuerit inter filios hominum, si ab illo* Prou. 6. *abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur*, hoc est, si quis fuerit absolutus Stoicus, si quis fuerit perfectus Academicus, si quis consummatus fuerit Peripateticus, si quis omnium philosophorum scripta legerit ac didicerit plenè, denique si quis illum disciplinarum orbem, quē Græci κυκλοπαιδίαμ vocant, absoluerit, abfuerit, autem ab illo sapientia tua, id est, tui cognitionem & timorem non habuerit, in nihilum computabitur.

Quod aduertens diuus Aurelius Augustinus, quid, inquit in libris Cōfessionum, quid mihi proderat, quòd annos fere viginti, cum in manus meas venissent quædam Aristotelica, quas appellant decem categorias, quarum nomine cum eas rhetor Carthaginensis magister meus buccis typhocrepantibus commemoraret, & alij qui docti habebantur tāquam nescio in quid magnum, & diuinum inhiabam, legi eas solus & intellexi, quid hoc mihi proderat? & quid mihi proderat quod omnes libros artium quas liberales vocant, tum nequissimus malarum cupiditatum seruus per meipsum legi, & intellexi quoscunque legere potui. Nunquid Domine Deus veritatis, quisquis nouit ista iam placet tibi? infœlix enim homo qui scit omnia illa, te autem nescit? beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat: qui verò te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut DEVM glorificet, & gratias agat, & non euanescat in cogitationibus suis.

Egregia sententia ac Augustino digna, cuperemque hos ipsius libellos (confessionū dico) omnibus vobis esse familiares, hoc est, frequenter versari in manibus vestris, legi à vobis, ac religi: siquidem à fluxis his, vanis & caducis rebus, à sui amore siue vt vno verbo Græci dicunt, φιλαυτίας animum hominis potenter abducunt: quos tamen sero mihi notos doleo. Sed ad institutum reuertamur, quemadmodum diximus, fons Domini timoris, Dei cognitio est, hac quia caruit olim Gentium populus, haud secus atque equus amisso freno præceps ferebatur in omne malum, faciens voluntatem carnis & cogitationum: quod ne & vobis vsu veniat, néue iam agatis quod tandem vobis sit in singultum pectoris, discite adolescentes optimi cognoscere Deum, Dei enim cognitio ingenerabit animis vestris timorem, timor præseruabit vos à malis: est autem Deus (vt rudi quodam modo dicamus) spiritus, hoc est, incorporeus, atque omnis prorsus expers materiæ, æternus, incircunscriptus, incommutabilis, qui vt in sapientia legitur, creauit orbem terrarum ex materia Sap. 11.c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inuisa, nec terrarum solùm, sed orbes quo-
Gene.2.a. que cœlorum (vt in exordio Geneseos scri-
bitur) ex nihilo condidit.

Quare vt certius Deum inueniatis, erigi-
te subinde oculos, & suspicite cœlum: nam
propterea rectos vos fecit Deus: & cum ani-
malia cętera terram prona spectent, os vobis
sublime dedit, vt tollentes ad sydera vultus,
attendatis ad opera ipsius. Adspicite ergo
mirabile illud vas oculum mundi, solem lu-
centemque globum lunæ, ac astra cætera:
cumq; in admirationem vos adduxerit ho-
rum consideratio, cogitate tacitè apud vos,
quantus sit ille qui fecit ea, quantus sit ille
qui cœlestes illos orbes condidit ex nulla
omnino præiacente materia, qui solem & lu
nam quæ tantopere miramini solo verbo
fundauit, qui stellas adeò pulchro ordine
finxit ac disposuit, vt exercitus quidam & ca
strorum acies videatur esse, qui totam illam
molem infatigabili manu circumagit, ac
versat: cogitate inquam quantus sit ille, &
tremiscite à magnitudine, virtute ipsius. Ne-
que verò hæc solum quæ iam commemora-
uimus condidit, sed & omnium inuenit o-
riginem quemadmodum in Machabęis scri
bitur, ipse in vuluis maternis ossa nostra
compegit, ipse corporibus nostris latenter
ibi aptatis spiritum insudit, ipse vitam de-
dit & omnia. Est ergo Deus (vt duobus ver-
bis circunscribamus) παντουεμαι, id est,
fons essendi, quo non solum quod sunt,
sed & quod esse perseuerant, habent vni-
uersa, illa quoque quæ externa videri pos-
sunt & à corruptione quàm longissimè re-
mota sunt, naturæ videlicet intellectuales,
Ad Heb.1.a. cœlestes illi spiritus. Sic sanè ad Hebræos
philosophatur Apostolus Paulus: cum enim
dixisset, per ipsum facta esse secula, mox ad-
iecit: portans omnia verbo virtutis suæ, hoc
est, totum hunc globum mundi, id est, cœ-
lum & terram, & quidquid cœli & terræ am-
bitu continetur, potenti dextera sua sustì-
nens. Si etenim vel ad mentum manum su-
am paululum declinaret, neque nos, neque
aliorum quidquam vsquam subsisteret, sed
in nihil relaberentur omnia. Quis itaque
non paueat? quis non tremat ad nomē Dei?
quis non solicitè vsq; caueat ne eum offen-
dat, in cuius manu est flatus omnium, qui
vt terribilem se ostendat filijs hominum,
aufert etiam spiritus principum. Sed quo-
tusquisque hodie est qui hæc attendit? quo-
tusquisque elapso die cogitat se Dei bene-
ficio attigisse vesperam? quotusquisque
nocte transacta reputat secum, Dei miseri-
cordiam esse, quod non consumptus sit?
quis inde gratias agit? quis inde sacrificat
Deo? Quid vos agatis adolescentes optimi
nescio, certe quam negligens in his olim fu-
erim, tu Domine qui sanctam habes scien-
tiam nosti: quapropter vide misericorditer,
& libera me iam te inuocantem, ac confiten
tem aduersum me iniquitatem meam: con-
fige timore tuo carnes meas, confige etiá car
nes omnium qui audiunt me, vt timeant te.

Sed pergamus quærentes Deum, si forte
inueniamus eum, quanquam non longe sit
ab vnoquoq; nostrum: quia enim condidit
omnia, nec condidit modo, verumetiam in
esse conseruat vniuersa, manifestũ est quod
& cũcta impleat, implet dico cũcta, ita quod
nullus locus sit neque in cœlo, neq; in terra
aut alibi vspiam, quem ipse sua præsentia nõ
verè repleat, quod nec Poëtam latuit canen-
tem: Iouis omnia plena, qui in gygantoma-
chia, ita de Encelado lusit, quo fugis Ence-
lade, quoscunque acceſseris orbes, sub Ioue
semper eris. Sed quid Poëtas ingerimus au-
ribus vestris, cum purissimas habeamus ve-
nas, easq; ditissimas in scripturis sacris? *Quo*
ibo, inquit Dauid, *à spiritu tuo? & quo à facie* *psal.138.&*
tua fugiam? quo ibo vbi non sit spiritus tu-
us? quo ibo vbi non sit ipse præsens? *si ad-*
scendero in cœlum, tu illic es: si descendero in in-
fernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo
et habitauero in extremis maris, etenim illuc ma
nus tua deducet me, hoc est, si (quod impossi-
bile est) assumptis primo diluculo alis va-
stissima peruolem maria, ita vt peruenia ad
oras maris, & partes longissimè dissitas, ad
Indos vsque, & extremos Garamantes, ne sic
quidem euadam præsentiam tuam: si quidé
illuc deducet me manus tua omnipotens,
neque vnquam vsquam vel ad momentum
oberit, sed velut apprehensum vsque tene-
bit me. En adolescentes optimi quocunq;
in loco versamini, in præsentia versamini
omnipotentis DEI. Qualis igitur vos esse
oportet in conuersatione vestra? quo timo-
re, qua solicitudine, qua reuerentia incede-
re vos oportet? quantam honestatem, quã-
tam religionẽ, quantam tum vitæ, tum mo-
rum integritatem præferre debetis qui vbi-
que siue soli sitis, siue cum alijs, semper in
præsentia versamini omnipotentis dei? Non
enim circa cœli cardines perambulat, nec
nostra considerat quemadmodum dicunt
Atheri illi apud Iob, sed quia omnia implet,
ac vbiq; præsens est, etiam omnia intuetur,
non solùm quæ in conspectu solis siũt, hoc
est, clara luce, sed etiã quæ in tenebris agun-
tur. Sic enim canit propheta Dauid: *Tenebræ* *psal.138.b*
non obscurabuntur à te, sunt inquit homines
Domine Deꝰ meus, qui latère te putãt quod
in tenebris agunt, sed misere falluntur, quas
ipsi æstimant tenebras, apud te non sunt te-
nebræ, ita vt valeant quidquã omnino corã
te obscurare quod non videas: & quam ipsi
appellant noctem, apud te non nox sed dies
est,

est, ita vt non minus per noctem cuncta vi-
deas, quàm per diem: neq; minus luculen-
ter tibi pateant omnia in densissimis tene-
bris, quàm in clarissima luce.

Obsecro vos adolescentes, versetur istud
frequenter ante oculos vestros, habete per-
petuo in memoria, nec vnquam patiamini
excidere vobis hãc circumspectionem Dei:
cogitatio de circumspectione Dei præserua
bit vos à malis.

Quæso quæ nam causa quod multi hor-
ribilia comisere peccata, quam quod ea fece
runt, quæ & audire castæ refugiunt aures, &
dicere horret lingua sana, quæ inquam alia
causa quàm nei circumspectionem vel non
crediderunt, vel certè non curauerunt habe
re in memoria. Hinc illæ voces: quomodo
scit Deus, aut si est scientia in excelso? à Deo
abscondar, & ex summo cœlo quis mei me-
morabitur? in populo magno non agnos-
car: quæ est enim anima mea in tam immen-
sa creatura?

Eccle.23.c. Ac rursus: *Quis me videt? tenebræ circundãt*
me, & parietes cooperiunt me, & nemo circum-
spicit me, quẽ vereor? delictorum meorũ non me-
morabitur altissimus. Atque quò certiùs co-
gnoscatis quod dicimus, nempe notitiã, ac
memoriam circumspectionis diuinæ à ma-
lis hominẽ præseruare, diuersas ab his audi-
te voces, ac in primis ipsius Susannæ, cui cer-
tamen forte dedit vt vinceret Deus, & sciret
Dani.13. quoniam omnium potentior est sapientia.
Hæc vt capita historiæ, (quã fuse narrat Da-
niel) perstringam, it lotũ se, ablegat à se pu-
ellas, exurgunt qui ipsius pudicitiæ insidia-
bantur latentes in pomario senes, accurrũt,
blandiũtur pariter, sæuiuntq;, dicunt ad eã,
Ecce ostia pomarij clausa sunt & nemo nos vi-
det, & in concupiscentia tui sumus, quãobrẽ as-
sentire nobis, & cõmisctere nobis: quod si nolue-
ris, dicemus contra te testimoniũ quòd fuerit te-
cum iuuenis, & hanc ob causam emiseris puellas
à te. Id forte graue, & durũ certamen. Quid
hic Susannæ ingemiscẽs *Angustiæ* (ait) *sunt*
mihi vndique: si hoc egero, mors mihi est: si autẽ
non egero, non effugiam manus vestras: sed me-
lius mihi est absq; opere (inquit) *incidere in ma*
nus vestras, quàm peccare in conspectu Dñi. No-
bilis vox, vox imprimis præclara, meliùs est
mihi (ait) incidere in manus vestras, quàm
peccare in conspectu Domini. Ipsi dicunt
ostia clausa sunt, nemo videt nos, non est
quod verearis Susanna, factũ manebit oc-
cultum: nõ ait illa, quamquam nullus mor-
talium videat, est tamen qui videt Deus, il-
lius oculos fallere non possumus: quare ci-
tiùs occumbere volo, quàm exercere turpi-
tudinem in conspectu illius.

Quis det nobis talem mentem? quis infe-
rat peccatoribus huiusmodi cogitatus? Cre-
dite mihi adolescentes optimi, si dignũ du-
xeritis habere in memoria circũspectionem
Dei, nõ peccabitis vnquã, nequaquã obser-
uabitis oculos hominum, non dicetis expe-
ctemus, abeat Regẽs, eat ille cubitum, tunc
agemus nostra, tũc bibemus, & potabimus,
non hoc dicetis, non, nõ, sed ingenuè cogi-
tabitis, timorem huiusmodi expellet Dei ti-
mor: statim vt vos solicitauerit caro, conti-
nuò vt improbi adolescẽtes aggressi fuerint
ad malum pertrahere conantes, cogitabitis
mox cũ animis vestris, ea quæ proponuntur
mihi, nequaquã auderem cõmittere in cõ-
spectu Regentis mei, qui igitur in cõspectu
omnipotẽtis dei? Deus in cuius manu flatus
meus est, ille videt, ille intuetur, ille adspicit,
ille considerat nostra, & verè considerat no-
stra adolescẽtes, & quidem sine intermissio-
ne, id quod hactenus nõ diximus, sicut scri-
ptũ est, *Omnia opera hominũ velut sol in cõspe-* Eccle. 17. b.
ctu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicie-
tes in vijs eorũ. Neq; æstimare debetis, ea dũ-
taxat vestra considerare, quę exteriùs agitis,
quæ & hominibus patére possunt: sed etiam
illa cõsiderat quæ interiùs sunt, hoc est, quæ
animo voluitis, & mente pertractatis, ita vt
nõ prætereat illum vel vllus cogitatus iuxta
quod scriptum est: *Oculi domini multò plus lu-* Eccle.23.
cidiores sunt super solẽ, circumspicientes omnes
vias hominũ, et profundũ abyssi, & hominũ cor-
da intuentes in absconditas partes. Quid dici
possit efficatiùs? clarus est omnia lustrans in
circuitu sol, omniaq; considerans, vnde &
oculus mundi appellatus est: At oculi nomi
ni multo longeq; lucidiores sunt sole, ipsi
inspiciunt corda hominum, ad quæ nequit
penetrare sol: nec simpliciter inspiciunt,
sed intuentur ea in absconditas partes, ita
vt abditissima cordis nuda & resupinata
sint oculis Domini. At quare obsecro fa-
cit hæc? quamobrem tam solicitè in omni
loco nostra absque interpellatione consi-
derat? nunquid hæc facere putandus est,
quòd delectetur cogitationibus nostris
inanibus? studijs item nostris & adinuen-
tionibus pessimis? absit: mundi sunt ocu-
li ait propheta, vt non videant hoc modo
malum.

Qua igitur gratia facit? Certè id docet Ie- Iere.32.c.
remias dum ait: *Fortissime, magne & potens,*
Dominus exercituum nomen tibi: magnus con-
silio, & incomprehensibilis cogitatu, cuius ocu-
li aperti sunt super omnes vias filiorum Adam,
vt reddas vnicuique secundum vias suas, & se-
cundum fructum adinuentionum eius. Consi-
derat itaque studia nostra, vt vnicuique
quod meretur tãdem retribuat: his quidem
qui timore Dei in mandatis ipsius ac iustifi-
cationibꝰ ambulant, vitã æternãtijs verò qui
timore Dei abiecto, sequuntur cupiditates

Universidad de Deusto
Biblioteca

suas, facientes voluntatem carnis & cogitationum æternos cruciatus.

Hæc cogitate, in his versamini, hæc cogitantes excipiat vos somnus, in his expergiscamini, hæc sit philosophia vestra adolescētes optimi, quò discatis timere Deum, atque quo fideliùs, pariter ac faciliùs, quæ hactenus dicta sunt, retineatis, accipite breuem omnium epitomen.

Diximus fontem omnis boni esse timorem Domini, fontem verò timoris esse Dei cognitionem, cognitionem autem Dei in hoc esse, vt certo credas Deum esse spiritum, qui omnia condidit, omnia conseruat, omnia implet, omnia intuetur, non solùm quæ clara luce fiunt, sed ea quoque quæ in tenebris aguntur, imò ea quoque que mente tractantur in secretissimis cordium latebris, idq; sine vlla omnino interruptione: nec simpliciter intuetur quomodo quæ me præsente fiunt considero: sed quomodo iudex, nimirum, vt pro his omnibus adducat hominem in iudicium. Quare magna vobis indicta est, necessitas benefaciendi, adolescentes optimi, cùm omnia agatis ante oculos iudicis cuncta cernentis, vt habet sententia Boëtij, in qua concionem cōcludere placuit. Prouerbium est: *Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea,* quod verum esse cùm non solùm experientia doceat, sed & scriptura ipsa testetur, summa ope vobis adnitendum est adolescentes optimi, vt quàm rectissimè iam vitam vestram instituatis.

Prou. 22. d.

Iterum dico, quò altiùs infigatur animis vestris: maxima iam vobis adhibenda cura est, vt recte vitam instituatis: siquidem secundum primam institutionem tota reliqua ætas decurret. Porrò cùm absque duce nemo vnquam feliciter quod dicimus auspicatus est: ne hac parte laboretis: en ipse ducem me vobis exhibeo, monstrabo quæ ad vitam rectè instituendam conducunt maximè, vestrum erit parere rectè cōsulenti. Ad vitam rectè instituendam in primis opus est cognoscere quæ nam sunt, de quibus verè gaudemus, quæ item de quibus verè dolemus, ac postremò, quæ adiaphora sunt, quorum gratia videlicet, neque gaudemus verè, neque verè dolemus. Hoc discrimen nisi teneamus, scire haud poterimus quæ amplecti in vita, quæue fugere oporteat. Primi ordinis (vt in genere dicamus) virtutes sunt: secundi vicia: quidquid extra hæc est, ad tertium ordinem pertinet, vt robur corporis, pulchritudo, nobilitas imperium, potentiæ magnitudo, diuitiæ, &cæt. Quare qui hæc vt cætera sectantur, præposterè vitam instituerunt. Quare hi nequaquam vobis imitandi, sed quos videritis studiosos virtutis, quidque hanc rebus omnibus anteponunt, eamque præ cæteris sectantur, hos demum imitari oportet: sola siquidem virtus felicem reddit,

non diuitiæ, non imperium,
non potentiæ magnitudo,

AMEN.

ORNATISS.

ORNATISS. VIRO D. IODOCO AEMSONIO A BVRCHO, CAESAR MAIESTAT. IN SENATV BRABANTIAE CONSILARIO F. ADAMVS S.

Exod. 20. a.

MItto duas orationes. Altera (quam adolescens habui) declarat quæ sit, & vbi inueniatur vera Christi Ecclesia, simulq; de peccato ad mortem, & loco Exodi, Ego sum Dominus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios, *differit. Altera, (quam ætate prouectiore dixi) obitum incomparabilis viri. D. Tilmanni præsidis quondam collegij Pontificij, & secula hæc deflet. Quas auspicio nominis tui in lucem prodire volui, tum quòd præter hanc, quam monstramus, aliam non agnoscas Ecclesiam: tum quòd eum, cuius mortem deflemus, vnicè, dum viueret, semper dilexeris.*

Bene vale auuncule plurimum obseruande.

Louanij 9. August.

ORATIO QVODLIBETICA DEMONSTRANS VERAM CHRISTI ECCLESIAM. AVTORE ADAMO DELPHIO MInorita, diuinarum scripturarum apud Louanienses prælectore.

QVum Catoni Vticensi vitio daretur taciturnitas, nec enim cū suis coætaneis exercebatur, (aut à quoquā audiri volebat) ait, tū demum abrumpā hoc meum silentiū, cùm ea loqui potero, quæ indigna sunt silentio. Quòd dictum etiam atque etiam mecum considerans, non possum non indignum iudicare, si homo iuuenis etiamnū auditor tantùm, in medium prodeat, ijs de rebus verba facturus, quas nec didicerit satis, nec dicendo si vel planè didicerit, exæquare valeat. Itaque si nunc inscitiæ pariter & infantiæ meæ rationem haberem, certè quid vis citiùs, quàm in eum conscenderem locum in quem video doctissimorum hominum cœtum cōueniſſe. At verò cum abducta ab hac cogitatione mente perpendo, quam egregia virtus sit gratitudo, quamq; fœdum & detestabile vitium, cum in omnibus tum in his maximè qui humanitatis studia colunt, ingratitudo, non possum nō audere præsertim rogatus, atque ab ijs rogatus, qui totum hoc quod vtile didici, à me vel in primis repetere, ceu iure suo debent. Quare paulisper humilitatis ac imbecillitatis propriæ oblitus omniumq; vestrum humanitate fretus, ad quæstiones quæ propositæ heri mihi sunt paucis respondebo, atq; quò noster hic dicendi labor minus vobis molestus sit, hoc cū animis vestris certò statuite, tantam esse ipsarum, quas tractandas susceptimus, quæstionū vtilitatem, imò necessitatem, vt maior vix vlla esse queat. Quæstio prima est: Num ea quæ Romano Pontifici subiecta est, sit vera Ecclesia Christi. Id sanè omnibus in confesso est, extra Christi Ecclesiam non esse salutis locum, non magis quàm olim extra arcam Noé, quæ huius typus erat. Cæterum quænam ea sit, & apud quos inueniatur, vetus est inter Christianos & hæreticos controuersia, his illam ad se rapientibus, illis contra, hanc penes se permanere asserentibus. Id ita euenisse mox à temporibus Apostolorum, docent monumenta Irenæi & Tertuliani, hoc ipsum & de suo seculo testatur Cyprianus in epistola ad Iubaianum. Nouitianus, inquit, cùm in Ecclesia non sit, imò cōtra Ecclesiam rebellis existat, hoc vnum sibi vendicat, vt apud se esse Ecclesiam dicat, & nos hæreticos faciat. Ita profecto & nostro infelicissimo hoc seculo (quo omnium temporum hæreses ab inferis reuocatæ & velut effractis repagulis in Ecclesiam effusæ liberè debachātur) palam fieri videmus, dum Luterani, Oecolampadiani,

Universidad de Deusto
Biblioteca

diani, Zuingliani & reliqui ab Ecclesia recedentes hæretici, nō videntur tamen sibi deseruisse, imò tum inuenisse Ecclesiam, cùm deseruerunt Ecclesiam, atq; appropinquasse iam lumini, ac euasisse seculi noctē, cùm ab hac, super quā lux Domini orta est, quàm longissimè recesserint. Neque satis habent quòd hāc ipsi deseruerint, sed spiritu erroris agitati, eos qui intus sunt, ad se trahere conantur, & suas sub Christi nomine contra Christum ædificare Ecclesias, id est, Antichristi synagogas. Quare ne circunscribamur, ne noui itineris errore decipiamur, ne deserta Christi sponsa adulteræ iungamur, & cum liberis adulteræ hæreditate priuemur, necesse omnino est, vt certò cognoscamus, quænā sit, aut vbi quærenda vera Christi Ecclesia, quæ sola Deo filios generat, ac regno quos genuit assignat, atque hanc demonstrare nostra hac oratione conamur, quæ, quia in re fidei versatur, superiorum iudicio eam & correctioni subijcimus, semperq; subiectam esse volumus.

Hæc præfati rem ipsam aggrediamur, & cùm omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re disputatio, à definitione (vt rectè dixit Cicero) debeat proficisci, antè inquiramus quid sit Ecclesia, ne sine scopo aberret oratio. Ecclesia iuxta nominis ethymon, conuocatio dicitur seu euocatio. Conuocationem intellige in vnam aliquam societatem, siue, vt Græci aiūt, κοινωνιαν, καινωνιων, autem cùm diuersæ sint secundum causas finesq; diuersos quorum gratia coalescunt, species, quas omnes latitudine sua vox hæc complectitur, scripturæ tamen noui præsertim testamenti & sequuti scriptores ecclesiastici ei velut appropriarunt, quæ in fide cultuq; Dei & religione consentit, vt inde salutem æternam adipiscātur. Sed quoniam & vera & falsa est de Deo fides, vera & falsa religio, simul & veri Dei falsorūq; deorū cultus, in duo è diametro secatur Ecclesia, videlicet, in Ecclesiam sanctam quę rectam de Deo seruat fidem, quæ vera religione verum Deum colit, quæ ab ipso salutem quærit & expectat, & in eam, quæ hæc non item syncera habet ac recta, atque hæc Satanę illa Dei Ecclesia appellatur. At verò quò faciliùs perueniamus ad eam, quam quærimus sanctam Dei Ecclesiam, hoc primùm de ea statuere oportet, quòd vna sit quemadmodū non vno loco de ea testatur scriptura, Vnā intellige, non quòd loco aut genti vni vel familiæ sit alligata (vt falsò id olim sibi persuaserè Iudæi) sed quòd vnum sit caput sub quo in commune conspirant: vnus finis, cuius gratia in vnum conciliantur: vna fides, in qua pariter communicant: vnus denique spiritus, quo in vnum veluti corpus cōstringuntur ac coaptantur omnes, qui ad hanc pertinent, sint Iudæi, sint Græci, sint Barbari, sint Schytæ, nō est distinctio. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Et quemadmodum loco alligata non est, sic nec ætati vlli, sed in quælibet tempora extendit sese præterita, præsentia, & futura. Vnde in Apocalypsi sua Iohannes agnum occisum scribit ab origine mundi, nimirum vt intelligas etiam ante Christi aduentum in carnem, imò ab ipso mox exordio generis humani Ecclesiam hanc fuisse, quamuis tum à Christo non sortiebatur nomē vt Christiana diceretur: nec mirum, cùm ipse Dei Filius: tum necdum Christus, id est, vnctus esset. Sed quo cœpimus pede pergamus, & velut ante oculos quod dicimus & conspectum ponamus: vnam esse Ecclesiam, quæ à principio orbis constituti ad nos protenditur ad finem seculi duratura. Etenim hac via quod quærimus, facilius inueniemus, & rectè nos inuenisse certiores erimus. Primi parentes nostri cùm per inobedientiam & se & posteritatē totam damnationi obstrinxissent, eamque euadendi nulla homini pateret via, misericors Deus, Mediatorem proposuit, cuius sanguine, qui in plenitudine temporis effundendus esset, deleretur quod scriptum aduersus nos erat chirographum, vt omnes in ipsum credentes cuiuscunq; tandem generis, sexus ac conditionis forent, à peccatis liberarentur, iustitiā acciperent & salutē. Disertè istud tradit liber Geneseos vbi ait בתאשית פיגד רבין האישהיבין זרעהוזרעו הוא ישופר ראש אי זרעך eua alith benecha vben baissa vben zaracha vben zarach: hu iesupecha rosch, id est, *Inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem, & inter semē tuum, & inter semen illius, ipsum conteret tibi caput.* Cum enim duo præcedāt nomina alterum fœminini generis nempe, אישה issa quod mulierem sonat, alterum masculini videlicet זרע zata quid nos semen dicimus, & subijciatur הוא hu pronomen eius generis & significantiæ, cuius est, ipse, apud Latinos, certè ad semen pertinet, quod de capite colubri conterendo scribitur. Nam si mulierē significare voluisset Moyses, dixisset הוא, hi quanquam voculæ hæ non nisi vna littera differunt, scilicet media, quæ in altera est. ו Vau, in altera י Iod, quæ & adeò similes sibi sunt, vt nisi vigiles, facilè alteram pro altera legas scribastue, Atq; putarem ego typographorum indiligentia היא hi mutatum hoc loci in הוא hu, nisi me retraheret, quod additur verbum ישופך iasuph, id est, conteret, quod cùm masculini generis sit, nō admittit היא hi. Quid quòd pronomen גרי nu quid adhæret verbo בשופך tasuph in clausula

Cap. 3. c

Apoc. 13. b

sula periodi משופך גר עקב ראשה veatta resuppennu à ceb. Et tu conteres ei calcaneū, planè indicet הוא hu legendum in præcedentibus, ac de semine esse sermonem. Vnde septuaginta transtulerunt εχτραμ θησω ανα μεσον σου, καὶ ανα μεσον τυς γυναικος καὶ ανα μεσον του σπερματος σου, καὶ ανα μεσον του σπερματος αυτης αυτος σου τηρησει καιφαλην. Quos cum libenter imitetur Hieron. puto & ipsum ad eundem modum reddidisse הוא hu hæbraicum, licèt reclament codices qui hodie in manibus sunt, qui constanter in fœminino legunt, ipsa conteret caput tuum, sed deprauatos esse, facilè colligere est ex quæstionibus hebraicis, quas in genesim edidit. Cum præposuisset ibi Hieronymus editionem lxx. ipse seruabit caput tuū, melius inquit, in Hebræo habetur. Ipse cōteret caput tuū. Quid aūt mouerit Hieronymū, & ante ipsum. lxx. interpretes vt hoc modo transferrent Noue enim omnino transtulerunt, siquidem nec Græcorū, αυτος, nec, ipse, Latinorū, quò pertinere secundum vocem posit, habet, Non enim ad γυναικα vel mulierē, non etiam ad σπερμα vel semen referri potest, cùm hæc nomina aut fœminina aut neutra sint, pronomen verò masculinum) Quid inquam mouerit ipsos, opinabuntur alij aliud. Mihi sanè eo feciisse videntur consilio, vt significarēt in vocabulo seminis tropū subesse, & poni pro magno illo semine, de quo, capit. 22. Genes. *Benedicētur in semine tuo oēs gentes terræ*, vbi Christus intelligitur interprete Paulo. Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones & semini eius, non dicit & seminib⁹ quasi in multis, sed quasi in vno & semini tuo, qui est Christus. Locus hic est in epistola ad Galatas, cap. 3. qui, ne cui negocium faciat, admonendū duximus Apostolū non regere numerū, cum in tota Scriptura vox hęc in plurali non reperiatur, sed siue in bonam partem, siue in malam, semper in singulari. Et si vel maximè in plurali numero inueniretur semina, nihil tamen ageret Paulus, cùm in singulari frequentissimè pro multis sumatur. Geneseos. 12. cap. *Semini tuo dabo terram hanc.* Rursus. 13. cap. *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo vsque in sempiternum.* Rursus. cap. 15. *Suspice cælum & numera stellas si potes. sic erit semen tuum.* Omnibus his locis non certus aliquis, sed tota Abrahæ posteritas significata est. Omissa igitur Grammatica rem vrget, hocque vult, vocabulum seminis in Scriptura nunc multos complecti, nunc vnum. Multos, quum ratio scripti accircunstantia: id exigit. Vnum, vbi res, vt pro vno accipiatur, expostulat, quemadmodum hoc loci. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Qui cum prophetiam habeat de iustificatione, non potest in multis interpretari, cum per vnum Christum hæc contingat, & fide contingere, docet locus qui est cap. 12. Genes. *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Quem diuersum esse ab eo qui est cap. 22. discimus ex commentario Pauli quē proponit in epistola ad Galatas, *Prouidens*, inquit, *Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, Quia benedicentur in te omnes gentes.*

Quorum verborum hæc est sententia. Author Scripturæ Spiritussanctus, siue Moyses scriptor Pentateuchi præuidens cap. 15. dicturum se quanam re contingat iustificatio voluit cap. 12. aliquid præmittere eò pertinens. Iuxta Paulum ergo locus capitis duodecimi. *Benedicentur in te omnes Gentes*, cum declaret hoc quod cap. 15. dicitur. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiā*, non ad solum Abrahā pertinere, sed ad omnes nos, hoc est, cùm doceat ipsum Abrahā propositum velut typum, & exemplar iustificationis, certum est illud. In te, non hoc esse, quod in semine tuo, sed idē valere, quod ad imitationem tui. Imitatio verò hæc cùm in fide iuxta locū capitis decimiquinti posita sit, non aliud est. In te benedicētur, quā, Fide benedicentur, fide inquam mediatoris quem nomine feminis Scriptura Geneseos significat, quē & mox à lapsu hominis propositum fuisse docuimus ex Moyse. In hac fide primi nostri parentes conuenientes (siquidem à peccato suo erepti sunt, quod Scriptura Sapiētiæ palam de Adam testatur) Ecclesiæ sponsa fecere. Ab his per Abel, Seth, Enos (quos oēs Deo placuisse certum ex Geneseos est) ad Noē deriuatur, de quo Scriptura profitetur, quòd iustitiæ quæ ex fide est, hęres sit institutus diluuio in mundū impiorū inducto. A Noë ad familiam deuoluitur Abrahæ, qui ob insignem suā fidem omniū credentiū pater appellari meruit, cui & primum mandata circūcisio est, illa, quę manibus in carne fit, qua ipsum cum familia & semine suo segregauit Deus in peculiarem sibi populum, ex quo nasci vellet, vt in vna illa gente veluti præludio quodam Ecclesiam suam quam in terris descendens, ædificaturus esset, effigiaret ac cerimonijs cœlitus datis sic adumbraret, vt quisquis extra fidem & spem promissam illi populo vitam ageret, neutiquam ad Ecclesiæ corpus pertineret. Etenim non in vnam Abrahæ domum hoc signaculo coarctatam fuisse vel conclusam, argumēto nobis est Sanctus & mirabilis vir Iob, qui neque indigena neque aduena populi Israelitici, sed ex gente Idumæa genus ducens secundum carnem incircūcisus, diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam, pietatemque attinet nullus ei homo

suorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

suorum temporum coëquetur. Quod diuina, inquit Augustinus, prouidentia factum creditur, vt ex hoc vno sciremus etiam inter alias gentes esse potuisse, qui secundum Deũ viuentes pertinerent ad Iudæorum Ecclesiam, ad spiritualem Hierosolymam ad semen Abrahæ nũm quidem carnali, sed spirituali societate, nimirum per fidem in vnum mediatorem Iesum Christum, quo liberantur quicunque liberantur, attestante Scriptura. Act. 4. c. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat saluos fieri.* Ab Abraham deinde in Isaac, Iacob, cæterosq; Patriarchas fidei ipsius (vt ex Scriptura patet) imitatores deriuatur, qui pauci numero, nempe in animabus. 72. descenderunt in Aegyptum, vbi in multa creuere milia, secundum corporalem præsentiam permixti Aegyptijs, fide & religione seiuncti, quam nimirum eandem habebant cum patribus suis, Deum suũ profitentes esse Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob. Ex Aegypto deducitur per mare rubrum in desertum sub Moyse duce, cui Deus nomen illud suum ineffabile omnibus ad id vsque tempus incognitum manifestauit, sub quo lex data, ordinatum mirabile illud vetus tabernaculum cum sacerdotio suo, sacrificijs, & ceremonijs vniuersis, quæ omnia typi ac vmbræ erant earum rerum, quæ in Christo & eius Ecclesia futuræ erant. Ita progressu temporis magis ac magis insinuare se Deus cœpit patribus nostris & veritatem toto orbe diffundendam, modis quibusdam occultis, sed Ecclesiæ suæ tũ teneræ adhuc & lactenti conuenientibus, instillare. Hinc translata in terram inducitur promissam Abrahæ, vbi in vnam coacta rempublicam, in immẽsum quoddam corpus excreuit sub ducibus, Iudicibus, & regibus. Quam rem sub metaphora vineæ elegẽter descripsit Dauid Psalm. 79. cuius initiũ est. *Quid regis Israël intende. Vineam*, inquit, *de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius*, & Esaias. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei*, Esaiæ 5. a. id est, in loco firmo ac terra pingui. est enim metaphora in cornu, & in filio olei Hebraismus, quẽ & Græci imitantur διους ιατρων dicentes pro ipsis medicis. Verũm post diligentem quam huic electæ suæ vineæ Deus adhibuit, culturam, sæpe ei circundata, posita in medio eius turri, sed & extructo torculari, ac lapidibus ex ea proiectis, non quas expectauit vuas, sed labruscas protulit & horos amarissimos. Iustos ad se missos reiecit Prophetas audire contempsit, imò indignis affecit modis, atque odio veritatis ac iustitiæ eò progressa est, vt ipsum hæredem authorem vitæ interemerit Iesum Christum, qui est verus ille αρχηγωνιαιος, verum fundamẽtum & caput totius ædificij in Adam cœpti, in quem pendebant & Patriarcharum omnium vota, & Prophetarum oracula. Iecto autem à se capite, & spiritu vitæ, qui à capite in membra profluit destituta est vetus illa Synagoga, atque à sua diuisa fundamento perijsset non secùs quam olim Sodoma Gomorra, nisi Dominus sabaoth iuxta Esaiam semen ex ea reliquisset nobis. Hoc autem semen, docente Paulo, Apostoli sunt, & pauci illi in Iudæa credentes. Per hos vera ac proprij nominis Ecclesia Christi, quaquauersus patet terrarum orbis, diffusa est ad Orientem & Occidentem, ad Aphricum & Aquilonem, etiam vsque vltra mare, ad ipsos vsq; Aetiopas extrmos videlicet ac teterrimos hominum, quemadmodum de ea Prophetarum vaticinia, plenis paginis sine modo & numero prædixerant futurum. *Dominabitur à mari*, ait Dauid, *vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes.* Et Esaias. *Adijciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Sennaar, & ab Emath & ab insulis maris.* Synechdoche est quam explicãt quæ sequuntur. *Et leuabis signum in Nationes, & congregabit profugos Israel & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Hoc rebus expletum legis apud Lucam in Actis cap. 2. Erant in Hierusalem habitãtes &c. *Ephraim non æmulabitur Iudam & Iudas non pugnabit cõtra Ephraim*, sed hostili odio, quo iam inter se dissident deposito, per fidem in vnum coibunt populum & iungentur Christo. *Et volabunt in humeros Philistijm per mare simul prædabuntur filios Orientis.* Sententia hæc est Iudæi ad fidem conuersi magno studio pergent primum ad Palæstinos, deinde ad reliquas gentes, vt eas deprædentur & Christo lucrifaciant. *Idumæa & Moab præceptum manus eorum & filij Ammon obedientes erunt*, id est, fingendos se præbebunt & formandos Apostolis ac cæteris, quorum iam memini. *Et desolabit Dominus linguam maris Aegypti, & leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, ita vt transeant per eum calceati.* Per tropum significat quod prædicaturis Emanuelem nihil impedimento futurum sit, non mare, non flumen vllum. Et, vt prophetarũ vaticinia omittamus, ipse Christus Apostolis loquens, *Eritis*, inquit, *mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria & vsq; ad vltimum terræ.* Locus est apud Lucã in Actis cap.

cap. 1. Vbi obseruare refert ordinem. Primũ ait, in Hierusalem, quæ Iudeæ Metropolis est, deinde in reliquis Iudeæ ciuitatibus, post hæc in Samaria, quæ regio est Syriæ, in qua & Iudæa est, ac postremò vsque ad extrema terræ. Qui ordo & in Euangelio proponitur. Sic scriptum est: *& sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die,* Luce 24. g. *& prædicari nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Ad quæ loca respiciens D. Aurelius Augustinus, Ecclesia Christi quærenda est, ait in scripturis sacris, vbi manifestè cognoscitur. Quibus designatur ipsa ab Hierusalem incipiens crescere, & indè per Apostolos diffundi in omnes gentes, secundum seriem successionis durans ad hæc vsq; tempora. Vidimus iam ortum, incrementa, progressumque Ecclesiæ, & deuenimus ad eam, quam Christianam, Catholicam, & Apostolicam profitemur, quam & vnam esse didicimus cum illa, quæ ab ipsa statim mundi origine cœpit in primis parentibus, nimirum vtramque connectente vno illo angulari lapide, vtraque vni innitente fundamento, vtraque eundem spiritum fidei habente, per quem in sanguine vnius mediatoris Christi ab eadem captiuitate, & hæc & illa liberata est.

Sed dixeris: Ecclesia hæc in scriptura passim dicitur noua, à Christo in terris versante cœpta ædificari, initium sumpsisse ab Hierosolymis. Alia ergo videtur esse ab illa veteri, quæ etiam tunc erat, cùm nondum terrena esset Hierusalem. Nouam sanè & nos esse fatemur, quandoquidem impletis euacuatisque veteris illius tabernaculi vmbris, noua, quodam schemate prodijt, vero fundamento in ea posito, ornata nouo sacerdotio, nouis sacramentis, sacrificijs nouis, noua doctrina euangelica illustrata, per quam gratia & veritas omnibus annunciata est per Iesum Christum sublata materia legis Mosaicæ, qua diuisi erant Iudæi à Gentibus, atque vtriusque in vnum conciliatis. Aliam autem esse non dicimus, cùm huius atque illius sit idem caput idem spiritus vitæ, eadem lex fidei. *Habentes*, inquit Paulus, *eundem spiritum fidei & nos loquimur.* 2. Cor. 4. c. Et Petrus: *Vt quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus. sed per gratiam Iesu Christi saluari credimus, quemadmodum & illi?* Et Ephesijs loquens Paulus. *Aedificati*, inquit, *estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo*, siue vt significantiùs habent Græci ουτος ακρογωνιου αυτου Ιησου χριστου, Sed et ad Romanos, Gentilem populum ex naturali exectum oleastro insitum scribit veræ oleæ, nempe plebi Israel, atque illius consortem factum radicis atque pinguedinis. Constat autem arborem non ideo aliam esse si resectis ramis putridis, & arescentibus, noui ei ac varij inserantur surculi, dum radix, ex qùa succus trahitur, maneat perstetque. Quòd verò initium sumpsisse dicitur à terrena Hierusalem, sic intellige, quod nouo hoc schemate & nouo modo ibi emicare cœperit, Christo, iuxta quod promiserat, mittente de cœlo Spiritum, trepidantiaque Apostolorũ pectora mirabili virtute subitò implente, per quos tum ibi primum, atque indè vbique terrarum noua doctrina Euangelij prædicata est. Atque secundum hanc nouam eius faciem, Christus in terris versans, ædificaturum se dixit Ecclesiam suam. Nam ad ipsius vsque mortem vetus illud tabernaculum statum habebat. Vetus est itaque Christi Ecclesia, & quodammodo noua secundum nouam formam ab ipso ædificari cœpta in Iudæorum terra, inde per Apostolos in omnes gentes diffusa, atque hinc nomen sortita est vt Christiana, Catholica, Apostolica appelletur. Quã nunc eam esse quæ Romano Pontifici est subiecta. facilè agnoscemus si attendamus, quo ceu vinculo, immensa illa multitudo fidelium per orbem quaquauersum sparsa, in vnum contineatur. Donatus Afer, qui malos nequaquam ad corpus Ecclesiæ pertinere contendebat, imò bonos malorum communione polluj, vinculum istud Charitatem fecit, definiens Ecclesiam esse cœtum & congregationem bonorum, qui spiritu Dei ipsos sanctificante aguntur. Huius insaniam superans Ioannes Hussus, damnatus Constantiensi Concilio, non charitate, sed gratia prædestinationis colligari dixit corpus Ecclesiæ, & quodlibet eius membrum suo capiti indissolubiliter vniri. Hic non peccatores tantum, verum etiam iustos quàmplurimos, adeoque viua templa Dei procul facit à corpore Ecclesiæ. Hos sequutus Martinus Lutherus, docet fidem esse hoc vinculum. Fidem definiens qua quis certo & sine vlla prorsus hæsitatione sibi persuadet, ac de se peculiariter statuit, quod sit Filius Dei, quòd Spiritum Dei habeat, quod hæreditatem filiorum assequetur. Verbis quidem dissentire videtur, sententia verò accedit Ioanni Hussio.

Omnes hi inuisibilem nobis faciunt & statuunt Ecclesiam, tanquam perpetuis illa damnata sit tenebris, quam nesciamus quæ sit aut vbi debeamus requirere, cùm nemo mortalium scire possit, odióne an amore dignus sit. Sed quæso itáne inuisibilis fuit Ecclesia, etiam tum recentula, ac vix dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

coalita. Hierosolymis, cùm graui persequutione à Stephani nece infestaretur: Quo modo misit etiam Herodes manum, vt affligeret quosdam de Ecclesia, si tam procul semota est ab humano conspectu, quàm isti eam faciunt? An fortè aucta iam & constabilita quò magis increuit, hoc cœpit esse minùs minusque conspicua? Certè longè meliùs, quam isti. eam nobis depinxit eius author & institutor, itidemque redemptor Christus Iesus, dum apud Matthæum eam comparauit insigni alicui ciuitati super montem sitæ, quæ abscondi non possit.

Et tot antè seculis Esaias propheta: *Erit*, inquit, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite adscendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Hierusalem.* En inuisibilis adeò aut occulta non est, vt eam etiam gentes ã fide adhuc alienæ & perspicere potuerint & inuenire. Nec sanctorum tantum esse congregationem, sed malos cum bonis intra gremium suum complecti apud Matthæum non vno loco docet idem Saluator varijs ad hoc adhibitis parabolis, vt est parabola sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis. Rursus nuptiarum parabola, ad quas ingressus scribitur homo non vestitus veste nuptiali, vt iam taceam sexcentas alias regni cœlorum parabolas. De decem virginibus. De agro, in quo crescunt cum tritico & zizania. De area frumentum & paleas continente. De vasis aureis & argenteis, ligneis ac testacies, quæ in magna domo videre est. Etenim per hanc significari Ecclesiam docet ratio scripti, quam & aduersus Nouatianum vrget Ambrosius enarrans hunc locum, Quid quod Christus Matthæi. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis illis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui verò fecerit* & cætera. Ecce vtrumque dicit in regno cœlorum, & qui non seruat mandata quæ docet, & qui seruat pariter & docet.

Matt. 13. f
Matt. 22. b.
Matth. 25. a.
Matth. 25. d.

Quid vero regnum cœlorum nisi Ecclesia? Breuiter arca Noë munda simul & immunda vehebet animalia in typo Ecclesiæ ipso docente Apostolo Petro cap. 2. prioris epistolæ suæ.

Ex his diuinæ Scripturæ locis cuiuis perspectum puto, vinculum istud neque charitatem esse, neque gratiam prædestinationis, neque rursus fidem, quemadmodũ eam explicat Lutherus, sed sensibile aliquid potiùs esse oportere, quo & se mutuo qui ad Ecclesiam pertinent, atque ipsam adeo ecclesiam valeant dinoscere. Atque hoc discimus esse ordinem diuinitus in ea institutum, quo videlicet illa membrorum varietas (quam in ecclesia videre est, & esse oportere ex ratione corporis in epistola quam ad Corinthios scripsit, docet Apostolus) ad vnum ceu caput conspirat, cuius vi ac imperio, in suo quodque continetur officio gubernatur, & in finem dirigitur. Fide quidé seu visibili fidei sacramento, in corpus Christi quod est ecclesia, inserimus quemadmodum varijs locis tradit Scriptura.

At vero vbi iam insiti sumus, hoc quo diximus vinculo, velut membra in corpore continemur, quod vel ipsa nos rerum natura docere potest, etiam tacente prorsus omni Scriptura. Ad hanc siquidem, si mentis oculos conuertamus, videbimus vbique in omni multitudine, quam conciliauit natura, ordinem, & in omni ordine primum aliquod & præcipuum, atque hunc adeò necessarium, vt sine illo nulla omnino multitudo quantumuis exigua vel tantillum subsistere queat. Nec huius rei longè nobis petenda argumenta, ipsa in oculos nostros incurrunt. Corporis nostri constitutionem inspiciamus, constat illud ex multis membris, ac inter illa quædam principatum obtinent, ex quibus videlicet illa animalis vis, qua & sentimus & mouemur in vniuersum corpus defertur, alia verò his subseruiunt. Atque inter has principes corporis nostri partes, vna præcipua est nempe caput, cuius virtute reliquæ omnes reguntur, pro quo videas cæteras etiam certo se discrimini obijcere. Tolle hunc ordinem à corpore, & eius vnitatem sustuleris. Nam vno huc, alio membro mouente alio, schisma erit in corpore, & eorum nullum, quod vult, assequetur proprium. Nunc ad animum, alteram nostri portionem mentis aciem conuerte. Et ille enim ex quibusdam veluti partibus consistit, ratione nimirum & appetitu, inter quas hunc rursus ordinem necessarium fuisse videmus, vt præiret ratio subsequeretur appetitus qui si ab illa desciscat, non animum solum, sed & corpus, vt ille ait, in præceps trahit. Breuiter, si per singulas naturæ partes hoc modo Philosophari libeat, in omni multitudine in vnum conspirante necessarium ordinem, in omni ordine inuenies aliquid, quod præsit primũ & præcipuum, sine quo nec vlla vnquam fuit humana societas, sed nec esse potest, siue regnum, siue respublica, siue ciuitas, siue castrum, siue domus, suus cuique ordo est necessarius & in quoquo ordine suum caput, cui & sua authoritas est necessaria, per quam ea constet mo-

stet moderetuŕque societas. Aufer à ciuitatibus magistratus, potestatesque publicas, atque inter eas supereminentem aliquam cuius vi & imperio gubernentur, & in officio contineantur cæteræ, quid quæso relinques nisi fœdissimas seditiones, rapinas, cædes, & horrendos quosdam confusosque tumultus?

Hæc cùm ita sint cùm rerum experientia testetur, cùm ipsa muta natura hoc clamet, quis non videat Ecclesiam quæ latissimè per orbem diffunditur, quæ diuersissimas nationes hominum omnis sexus, ætatis conditionis complectitur, ordine necessario conciliari, gubernari subsistere? Præsertim cùm eam vbique Apostolus nobis producat atque ingerat, velut animantis immensi corpus aliquod ex multis membris compactũ, atque in solidam aliquam vnitatem connexum, quorum adinuicem fit conspiratio ac mutua in his quæ ad fidem, religionemque Christi, & finem salutis æternæ adipiscendum pertinent, communicatio. Certè siue hinc synagogam, quæ huius vmbra solùm fuit, siue ex altera parte quis eius exemplar cœlestem Hierusalem inspiciat & illic varios gradus, sed vnum qui reliquis præsit, inueniet summum Pontificem, qui & princeps sacerdotum appellatur. Et hic vnũ Deum sub quo nouem angelorum choros conspiciet. Et dubitare adhuc poterit ecclesiam Christi, quæ inter hanc & illam media est, ex vna quidem parte respicient vmbram, ex altera verò spectant exemplar, carere posse vnitate præsidis? Num verò credet quis Christum defuisse ecclesiæ suæ, vt illi non prouiderit de omnibus ei necessarijs, & præsertim de vno hoc, sine quo vel ad momentum nõ posset subsistere? Certè nemo, nisi qui ignorat hanc adeò ipsi charam fuisse, vt eius gratia è sinu patris in terras descenderit, quo eam sibi benedicto sanguine suo dedicaret. Sed age paucis ac strictè ex Euangelicis literis declaremus absolutissimo hoc ordine, sub vnius pastoris seu præsidis authoritate, regimine, ac imperio ecclesiam à Christo constitutam, & in vnitatem redactam. Constat sanè Christum post resurrectionem suam Apostolis propagandam commisisse ecclesiam, quibus & parem omnibus tum tribuit potestatem, dicens.

Ioan. 20. f

Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Quæ omnibus ex æquò dicta sunt, adeoque omnibus par hic collata potestas. At cum secundum corporis sui præsentiam terras esset iam relicturus, vt ecclesiæ vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originẽ, ab vno incipientem sua authoritate disposuit, & inter duodecim pari potestate tum præditos vnum elegit ac reliquis præfecit Apostolis, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Sed qua Scriptura id docemus? Sanè apertissima. Ait Christus apud Ioannem cap. 21, *Pasce oues meas.* Erant ibi tum præsentes, Ioannes, Iacobus, Thomas, atque alij. His omnibus prætermissis vni Simoni filio Iona speciatim dixit: *Pasce oues meas.* Atque vt scias rem vehementer seriam ei demandasse attende quanto studio id egerit. Non satis habuit semel dixisse, iterum repetijt, nec hic substitit, tertiò adiecit. *Pasce oues meas.* Rursus vt intelligas non nudũ ei verbi ministerium commisisse, sed regendi, gubernandique tradidisse potestatem in Ecclesiæ ædificationem, cùm bis dixerit. Pasce siue ale (hoc enim vocabulum Græcum βοσκε primo et tertio loco positum proprie significat) semel mutata voce ait ποιμαινε, id est, rege, & vt pastorem decet guberna. Significat enim propriè hæc vox, pastoraliter regere, quod certè præsidis atque superioris est, atque eius, qui non suum, sed suorum in primis commodum spectat. Vnde Homerus Agamennonem, cui vni tota Græcorũ respublica & imperium commissum erat, hoc ceu præcipuo epitheto honorat ipsum ποιμενα λαων, id est, populorum pastorem, simul & rectorem appellans. Neque vero in Ethnicorum literis solũ, sed & in sacra Scriptura in hac significatione vocem hanc vbique ferè vsurpatam reperies. Psalmo secundo de Christi regno loquens Prophéta.

Reges, inquit, *eos in virga ferrea*. Græce est ποιμανεις. Rursus Matthæi. 2. *Ex te exiet dux qui regat populum meum Israel*, & hic Græcis eadem vox est. Sed pergamus, & studiosè singula expendamus. Non enim vel iota vnum hic positum existimandum quod non suum habeat pondus, cùm non obiter, aut quasi aliud agens, sed miro apparatu & studio rem hanc Saluator tractarit, ter dicens, *Pasce oues meas*, vbi cùm in genere oues, dixerit, & non in specie, has vel illas, vel huius vel illius, aut regni aut prouinciæ, certè intelligitur commisisse vniuersas. Atque vt scias, cuiusnam oues ei pascendas crediderit vbique meas adiecit. Iam ne existimes solos Iudæos Christi oues esse, alio loco testatur, præter Iudæos & alias se habere oues. Hæc cum non coacta aut contorta sed simplex, sit nuda, & cuiuis legenti obuia verborum horum intelligentia, quis non clarè videt Christum totum ouile suum, id est, Ecclesiam suam vniuersam, vnius Petri administrationi & regimini commisisse, adeoque ipsum cæterorum quoque Apostolorũ principem & caput, ac sui loco præpositum constituisse? Quid quòd multò antè quam traderet, hanc ei se daturum potestatem apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matthæum promisit, dum ait: *Tu es Petrus, sive tu es Cephas* (Nam ea voce Christum vsum fuisse Ioannes testatur, & in Hebræis codicibus qui hodie in manibus habentur, etiam hoc loco apud Matthæum inuenitur) Quæ vox ipso Ioanne Euangelista interprete hoc Hebræis est, quod Græcis est πετρος, nobis saxum seu petra super quam à se ædificandam ecclesiam suam dicit, omnibus significare volens, à Petro tanquam ab vnico post se principio emanaturam ecclesiam, quodque haud secùs, ab illo hæc, dependeret, quam à suo fundamento dependet ædificium, adeoque quòd omnes qui illi non cohærerent, non magis ad ecclesiæ suæ pertinerent vnitatem, quam si qua ædificij pars à suo diuulsa fundamento iaceret. Pergit Christus, & Ecclesiæ huic Cephæ velut fundamento innitenti promittit, quod portæ inferi non sint aduersus eam præualituræ. Portas inferi sine dubio hæreses appellans, schismata, tyrannorum persequutiones, & breuiter quasuis tentationum procellas. Post hæc infert: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Quibus verbis quid aliud quæso significare voluit, quam regendæ gubernandæque suæ ecclesiæ potestatem & authoritatem in vnum Petrum, ad quem hæc speciatim cæteris adstantibus & audientibus Apostolis dixit) se collaturum?

Nam regnum cœlorum hic appellari ecclesiam ex alijs eiusdem Euangelij locis, quæ infinita penè sunt, est certissimum. Atque in clauium traditione scimus ex more ciuili vel domum vel regnum administrandum committi.

Harum demum, quas ei se traditurum promittit, clauium energiam exprimens. Quodcunque, ait, ligaueris, & cætera, non ad certa contrahit aut coarctat, sed quodcũque, ait, œcumenicam illi & vniuersalem omnium, quæ in ampla hac ecclesiæ domo dispensanda, constituẽda, ordinandaque forent, authoritatem tribuens. Atque hanc exercendi non certis circunscribit limitibus, sed absolutè dicit super terram. Orbem videlicet terræ vniuersum eius subijciens imperio, legibus & præceptis. Hæc duo, quæ produximus diuinæ scripturę loca (vt alia prætereamus) an non certò persuadent, imò fateri cogunt Apostolum Petrum totius ecclesiæ caput, summumque in terris pastorem, penes quem sit summa rerum potestas, à CHRISTO super omnes constitutum? Certè negare non possumus, quin hæc tacentis literæ simplex sit intelligentia, quam & Germanum esse nemo dubitare potest, cùm ab initio vniuersi scriptores Ecclesiastici Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Cyprianus, Tertullianus, nec latini modo, sed & Græcis Cyrillus, Basilius, Chrysostomus, Theophylactus, Origenes, atque alij, ex his diuinæ Scripturæ locis intellexerint hanc, quam diximus in Petrum à Christo collatam potestatem, quorum testimonia ne sim molestus, & horum vobis preciosum sumptum suffurer, hic referre supersedeo.

Hæc ergo quæ potestate Christi sunt, propria, vt esse fundamentum Ecclesiæ, esse caput Ecclesiæ, participatione quadam intelligimus esse communia Petro. Solus siquidem Christus robur & incrementum membris præstat. Solus Christus ædificij molem continet, solus inquam, sua ipsius propria virtute, atque hac ratione solus ipse & caput, & fundamentum Ecclesiæ appellatur. Petro verò hæc tribuuntur propter potestatem à Christo in ipsum deriuatam. At vero si Petro hæc collata potestas est, vt verissimè esse ostendimus in ipso, & successoribus eius eandem datam esse, necesse est intelligere, eas ob causas quas antè reddidimus, nimirum vt schismatis tollatur occasio, & Ecclesiæ sua constet vnitas. Nisi quis dicat pro solis illis, qui tum in corpore degebant Christum mortuum, atque illis vita defunctis, & Christi in terris Ecclesiam pariter interijsse. Sed longè secùs res sese habet.

Non prateribit (inquit Christus) *generatio hæc donec omnia hæc fiant.* Certè dubium nemini esse potest Apostolos iam præterijsse, præterijsse & cæteros, qui tum in viuis erant, nec tamen ad hũc vsque diem expleta cuncta cernimus, quæ prædixit Christus. Quare de Christianorum generatione, quæ à Petro tum sumpsit exordium, hæc verba intelligere est necesse, eamque ab ipso, à quo cœperat ad nos deriuatam esse, duraturam vsque dum omnia fiant, id est, vsque ad seculi consummationem, quemadmodum ex cap. 24. Matthęi discimus. Etapertiùs idipsum ad Ephesios docet Paulus, vbi de Christo & eius ecclesia loquens. *Et ipse* (inquit) *dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores.* Qui omnes ad vnum ceu caput, necessariò, vt antè ostendimus, sunt referendi: Dedit autem illos ad consummationẽ sanctorũ in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, non in centũ tantũ annos, sed donec occurramus omnes Filij Dei, in virũ perfectũ. Vides ordinem quẽ in Ecclesia Christus sua authoritate disposuit, perpetua successione duraturũ, quoad ipsius corporis consummatũ fuerit penitus ędificiũ, quod tunc erit, quando tradet regnum Deo, & Patri, cum erit Deus

Deus omnia in omnibus. Quare quod dictum Petro est: *Pasce oues meas.* Rursus: *Tibi dabo claues regni cælorum*, non vni personæ Petri dictũ Christus voluit, sed in illo omnibus qui vicaria ordinatione ipsi succederẽt.

Vnum hoc nunc restat ostendere, videlicet, Romanum Pontificem esse legitimum successorem Petri, adeoque Christi in terris vicarium, nec hoc sanè difficile. Habemus traditionem antiquam iam inde ab initio ad nos vsque deriuatam, quæ quidem adeò plena est veritatis ostensio, vt ea maior, aut certior, alia haud vlla esse queat. Scripturæ adulterinus sensus assingi potest, ac traditæ doctrinæ non item. Ac primum, quod ita senserit Ecclesia ante annos quadringentos, vt hinc incipiamus, discimus ex Bernardo, qui ad Eugenium in hæc ferè verba scribit. Episcopus Romanæ ecclesiæ est summus pontifex, primus Episcoporum, potestate Petrus, vnctione Christus, vnus omnium pastor, cui claues traditæ sunt, cui oues creditæ sunt alij pastores greges sibi habent assignatos, singuli singulos: ecclesiæ autem Romanæ Pontifici vniuersi sunt greges crediti, non modò oues, sed & pastores. Alij multi Episcopi vocati sunt in partem solicitudinis, solus ipse plenitudinem habet potestatis. At verò Ecclesia tempore Bernardi hoc credidit & docuit, quod ante annos plusquam quingentos inuenit docuisse Ecclesiam temporibus Hieronymi, & ante hunc temporibus Cypriani. Patet istud ex epistola Hieronymi ad Damasum Papam, & longissima illa pariter & eruditissima Epistola Cypriani ad Antonianum. Tum in tractatu eiusdem de simplicitate prælatorum. & alijs locis quámplurimis, vbi Romanæ Ecclesiæ Episcopum docet esse, qui secundum successionem Petro vicaria ordinatione succedit, atque hunc Catholicæ, id est, vniuersalis Ecclesiæ Episcopum esse, qui canones tradat vniuersales, id est, ab omnibus obseruandos Episcopis: eosque scindere vnitatem Ecclesiæ, qui se contra illum erigunt. Rursus, quam viuente Cypriano Ecclesia doctrinam profitebatur, eandem tenuit & docuit Ecclesia iam olim ante mille trecentos annos temporibus Irenæi, qui Polycarpi discipulus fuit: ille vero Ioannis Euangelistæ, & ab eodem deinde Episcopus Smirnæis datus, familiariter versatus, & cum alijs Apostolis. Hic, inquam, Irenæus eadem planè quæ Cyprianus de cathedra hac & successionis ordine libro tertio contra Hæreses Valentini capite tertio tradit. (Verba breuitatis studio omittimus.) Vbi & commemorans, quià Petro allj alijs successerint, tandem nunc, inquit, duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Quemadmodum Episcoporum sibi inuicem succedentium ordinem ad sua vsque tempora deducens Augustinus finit in Anastasium epistola centesima sexagesima quinta. Ab hoc si enumerare iam pergas, qui deinde alij alijs successerint, indisrupta seriè decurres vsque ad Paulum tertium Romanorum Pontificem. Quam profecto successionem, cùm nec tyranni, nec hæretici, nec machinæ demum vllæ diabolicæ infringere hactenus valuerint, cùm dixisset Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, recte subiunxit. *Et porte inferi nõ prævalebũt aduersus eam.* Ex his quæ diximus, certum est Romanum Pontificem esse Petri successorem, adeoque Christi in terris vicarium, ac vniuersalis Ecclesiæ Episcopum: Non quidem ob id, quod doceat sic Bernardus, non rursus quia hoc tradit Cyprianus, Hieronymus, Augustinus aut cæteri, sed quia iam inde ab initio ad hæc vsque tempora Ecclesia sic credidit, tenuit, docuit, & prædicauit, quæ vt diximus, plenissima veritatis ostẽsio est. Atq; hac potissimũ machina sanctissimi patres aduersarias munitiones deiecerunt, cunctæque hæreses vsq; abolitæ sunt. Quid inquit Irenæus, si nec Apostoli scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias? Oportebat sanè.

Sed iam orationis corpus paucis contrahamus: Ostendimus hactenus vnam esse Ecclesiam, quæ ab ipsa statim mundi origine cœpit in primis parentibus, quæque à Christo vt Christiana dicatur, nomen est sortita, duratura vsque in finem seculi, hãcque ibi nunc inueniri, ibi ipsum, quo colligata est, vinculum inuenitur. Ibi porrò vinculum hoc inueniri, vbi ordo diuinitùs in ea institutus inuenitur. Hunc autem ibi inueniri, vbi præter finem, qua in mediatorem creditur, vera reperitur subiectio, hoc est, obedientia erga Præsidem, qui Christi in terris vices gerit. Atque ex his quod in quæstione proponebatur, definitur certissimè, videlicet, Ecclesiam Romano Pontifici subiectam, esse ipsam Christi Ecclesiam, cùm ille huius vices in terris gerat. Neque verò hæc solis Europæ populissimæ terminis quemadmodum malè vulgo, persuasum est, cohibetur. Sunt hodie in Aethiopia sexcenta regna, quæ eandem nobiscum fidem & doctrinam profitentur, vt testantur qui illinc veniunt.

Sunt & in longissimè disitis, & nobis hactenus, & priscis antè seculis incognitis insulis fidei nostræ vexilla, licet recens

Universidad de Deusto
Biblioteca

illata. Neque vero propterea Catholica appellatur Ecclesia, quod vbiuis gentium vno ac quouis tempore eam sit inuenire, aut esse oportear, sed quod nulli affixa loco, nulli genti aut familiæ alligata, omnes omninò homines intra gremium suum complectatur, qui in Christo baptizati, veram fidem retinent, quicunque tandem illi sint, cuiuscunque gentis vel cognationis, vbicunque locorum, in partibus mundi inaccessis licet inueniantur, Quodque apud illas gentes, vbi necdum est, neque antè fuit, illic futura sit Christi Ecclesia. Prædicabitur, inquit, hoc Euangelium regni in vniuerso mundo, & tunc veniet consummatio. Atque ad hunc modum intelligenda sunt prophetarum vaticinia, quibus designatur ipsa quaquauersum proferenda, vsque ad extrema quoque terræ. Hanc Ecclesiam, quæ ab vnitate præsidis vna est, à successionis seriè Apostolica profitemur, dum in symbolo dicimus Sanctam Ecclesiam Catholicam. In hac permanendũ nobis, si membra Christi esse velimus. Ab hac qui absistunt, malæ sententiæ sunt, hæretici sunt, non ad Christum, sed ad Diaboli corpus pertinent. Iactent quantum velint fidem in Christum, iactent vel maximè tenere se verbum Dei, & si placet, ceruices suas etiam pro Christi nomine præbeant, nihil est, alieni sunt, prophani sunt, hostes sunt: Martyres Dæmonis esse possunt, Christi non erunt. Cum capite congregari non possunt, qui corpus deserunt: Deserunt autem corpus, qui à communione illius se Ecclesiæ separant, vbi Episcopatus vnus est, hoc est, ab vnitate proficiscitur, vt explanatum est. In hac nos, qui intus sumus, in finem vsque seruet. Ad hanc qui foris sunt, reducat & abducat ipse qui eam fundauit, & acquisiuit sanguine suo Christus Iesus, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Obiectio.

COntra eam orationis partem, qua dixi Ecclesiam bonos complecti pariter & malos, arguit doctissimus præses disputationum harum in hunc modum. Ecclesia vnum quoddam corpus est, cuius Christus caput, & nos membra de carne eius, & de ossibus eius: non autem est membrum corporis, præsertim viui, quale hoc intelligitur, quod nullum recipit influxum à capite, quod nullam cum cæteris membris communionem, nec consprationem habet, Non igitur mali ad corpus Christi, quod Ecclesia est, pertinent. Propositio prima sumpta est ex Epistolis Paulinis. Altera notior est, quam vt probatione indigeat. Consequentia patet, quia mali vitæ spiritualis omnino expertes sunt, cùm vacui sint charitate. Et Corinthijs scribens negat palam Apostolus, communionem esse posse luci cum tenebris τις δε κοινωνια, inquit, φωτι προς σκοτος. Vnde eisdem mandat, ne cũ peccatoribus, vt sunt fornicarij, auari, ebriosi, vel cibum capiant. His vt respondeamus, aduertendum est in primis doctrina quam capit. 18. apud Matthæum proponit Saluator: Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, vade & corripe eum, Græcis ελεγξον quæ vox anceps est apud eos, quemadmodum arguere apud latinos. Aliud enim intelligo dum apud Poetam lego, degeneres animos timor arguit. Aliud dum audio apud Paulum *Peccantes coram omnibus argue.* illic ostendere, hic reprehendere significat. In priori significatione putant quidã vsum esse Saluatorem, vt sensus sit. Argue, id est, rationibus & admonitionibus peccati periculũ detege. Verũ mihi magis placet quod vertit interpres maximè cum Lucas ελεγχειν per επιτιμαν reddiderit cap. 17. *Si peccauerit in te frater tuus,* επιτιμησον αυτω, inquit, id est, Increpa illum. Si vero post increpationẽ tuam nihilominus pergat adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: Non quidem quibus delictum detegas, sed quos preceris & inducas, vt ipsum vnà tecum obseruent, num secundo in idem delictum incidat. Testes enim adhiberi iubet, hoc est, præsentis delicti, inspectores non autem præteriti examinatores. Nam addit. Vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si & hos despexerit, Ecclesiærem aperias vt ipsa qua dignum est seueritate, arguat peccatorem tam pertinacem, Sed nunquid Ecclesia de his qui foris sunt, iudicat? Quid mihi, inquit Paulus de his qui foris sunt iudicare? Nónne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Est ergo peccator in Ecclesia. Sed & Paulus Corinthios reprehendens, quod publicum illum & nefarium scortatorem in Ecclesia tolerarent inde vt eijciant, præcipit εξαρατε (ait) τον πονηρον εξ υμων αυτων, id est, Profligate istum malum ex vobis ipsis. Ex his locis discimus, peccatores tãtisper esse in ecclesia, quoad ipsius ecclesiæ iudicio ac authoritate eijciantur, vel certè ipsi sese præcipitent vltro, quod per hæresim fieri & schisma certum est. Hæresis siquidem fidem qua ecclesię incorporamur, impugnat. Schisma, ordinem, quo ecclesia in vnũ continetur, scindit ac rumpit. Quare quod ex Apostolo nobis opponitur, Ecclesiã vnũ quoddã corpus esse, cuius Christus caput, &c. fatemur & nos verũ esse. Quod vero subiũgitur. Non esse corporis membrum, quod nullum

nullum recipit influxum à capite, neq; hoc diffitemur. Sed quando subsumitur, peccatorem nullum à capite influxum recipere, nullam habere cum cæteris membsis communionem, hoc prorsus negamus: Quanquam enim peccator doni illius quod Græci αγαπην vocant prorsus expers sit, nec vitæ influxum percipiat, recipit tamen influxum spiritus à capite, quo cæteris membris vnitur, videlicet veracẽ fidei confessionem & subiectionem sub sacrum principatum. Discere istud licet ex collatione, quam facit Apostolus inter nostrum hoc & mysticum Christi corpus. Etenim in nostro corpore varia membra videre est: at ea non influxum omnia vitalem à capite percipiũt, atque ea quæ percipiunt, non æquè hunc percipiunt. Suut namque & languida, inter corporis membra, sunt & arida ac mortua, omnia tamen hæc membra: & quod membra, virtute & vi spiritus est, qui à capite profluit, ac inde occulto lapsu means, perque singula discurrens membra ea vel animat, vel vegetat, aut certè vigore suo præstat, vt cæteris vnita maneant. Aliud ergo est influxum vitæ recipere, aliud influxum spiritus, quemadmodum & diuersa sunt, esse membrum corporis, & esse viuũ membrũ in corpore. Ad hæc illas functiones quæ faciunt augmentum totius corporis inædificatione vniuscuiusq; mẽbri, malis iuxta ac bonis idem ipse spiritus à Christo capite manans dispertit. *Vnicuique,* ait Apostolus, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Et nonnullis interiectis: *Quosdam posuit Deus in Ecclesia,* ait, *primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* En corpus Ecclesiæ ac eius membra, functionesque à spiritu in mẽbra diffusas. *Posuit,* inquit, *in Ecclesia primum Apostolos.* Sed nunquid Apostolus non erat Iudas? Erat sanè. An tu, ait Bernardus, de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne ego, inquit vos duodecim elegi? Sed iustus ne erat Iudas? Audi quid de eo subijciat. Et vnus ex vobis diabolus est: *Posuit,* inquit, *in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum. Sed nunquid nõ multi dicturi sunt in die illa, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia multa eieciemus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quid audituri sunt: Nunquam noui vos. Falsum proinde est, peccatorem non esse capacem influxus, qui à capite in membra per spiritum diffunditur. Falsum quoque est ipsum nullam cum cæteris membris habere consprationem vel communionem. Communicat enim verbo, fide, & sacramentis. Et sicut fide, ita cæteris etiam donis, quæ iuxta analogiam fidei ipsis membris partitur spiritus, non omnibus omnia, sed alijs alia atque alia, hocque ideo vt dum quoduis alterius opera indiget, velut vnius alicuius animantis membra mutuo sese complexu foueant, alant, tueanturque, quemadmodum in ea quam ad Romanos scripsit, & in epistola ad Corinthios atque alijs docet Apostolus. Porro quod 1. Corinthios. 6. ait. Nullam luci cum tenebris posse esse commuuionem, de ea intelligimus communione, quæ secundum animorum concordiam est, qualis est ea, qua aut fouetur impietas, aut fauetur eidem vel tacendo vel approbando. Quod vero Corinthios. 5. præcipit. Ne vel cibum cum ebriosis atque alijs id genus hominibus capiamus, causam habet, lucrum videlicet, & custodiam charitas. Lucrum quidem, vt eum à cuius consortio nos separamus, hoc modo lucrifaciamus Christo. (Sæpe enim ea ex causa quia deseritur, resipiscit peccator) custodiam vero charitatis in nobis atque alijs, ne malorum contubernio ipsi inficiamur. His similibusque causis cessantibus cessant, ait Augustinus, & prohibitiones ipsæ. Nam & Saluator cum suo traditore ad vltimum vixit osculum, & cum publicanis manducauit, & bibit.

Quæstio secunda.

SEcunda quæstio est: Quomodo scribatur apud Ioannem: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, cum de nullo mortalium quoad viuit desperare liceat? Nouatiãnus, qui Cypriano hostis pœnitentiæ dicitur, omnibus à Baptismo in peccatum lapsis spem veniæ adimebat, definiens omne eiusmodi peccatũ esse ad mortem, hoc est, vt ipse volebat, peccatum omnino irremissibile. Sed longe abesse debet hæc sententia à cordibus credentium, cum ipse Dominus apud Ezechielem palam testetur, se nolle mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. Et hac sua Epistola ipse Apostolus Ioannes eos, qui in Christo baptizati erant exhortans. *Hæc,* inquit, *vobis scribo, vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris,*

1 Cor. 6. a

1 Cor. 12. a

Ioan. 1. cap. 5.

Ezec. 18. g

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Neque est quod quis persuadeat sibi, vel magnitudine, vel peccatorum multitudine, misericordiæ aut pœnitentiæ in terris legem posse superari. Vulgo

Hier. 3.a. scriptum est apud Hieremiam, dicitur: *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cũ*

Esa. 1.c. *amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te:* Et apud Esaiam: *Quiescite agere pernersè, discite, benefacere pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Vnde in symbolo inter cæteros fidei articulos, absolutè confitemur remissionẽ peccatorum. Hac fidei regula, seu basi posita, quæramus quid sit, quod habet Ioannes in prima sua epistola cap. 5. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. Nam vbi spes veniæ relinquitur, vbi & oratio locum habet. Ac primum dicamus, quid sit peccatum ad mortem. Non omne hoc appellari peccatum ad mortem, quod mortale dicimus, ipsa nos litera attentiùs lecta docet, Siquidem de peccato non ad mortem in præcedenti statim sententia dicitur, quod ipsi, qui illud facit, vitam rdimat: Verba hæc sunt. Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. En, dabitur ei, inquit, vita ergo vita destitutus erat. At qua vita? Animæ vtique:

Ea autem gratia est, seu charitas, per Spiritum sanctum animæ infusa, qua, ipsa, non aliter, quam per ipsam viuit corpus. Hæc autem vita non nisi per mortale peccatum deperditur, vt est notissimum. Non igitur paria sunt, peccatum quod nos mortale dicimus contra veniale distinguentes, & peccatum, quod ad mortem vocat Ioannes, sed inter mortalia, certum quoddam genus aut species sit oportet. Augustinus sanè, primo libro de sermone Domini in monte, peccatum hoc putat esse, quando post agnitionẽ veritatis oppugnatur fraternitas, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est, inuidentiæ facibus quis agitur: verum libro primo retractionum addendum fuisse, dicit. Si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam, Causam reddit.

Quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto, non est vtique desperandũ nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur, Si hoc modo peccatum ad mortem cum Augustino definiamus, in promptu ratio est, quare dixerit Ioannes, ne pro eo quis deprecetur: siquidem qui impœnitenti corde moriuntur, damnari certum est. At damnatis omnes spes veniæ est adempta. Vbi autem spes veniæ non est, nec orationi locus esse potest.

Hæc sententia licet verissima, hoc tamen incommodi videtur habere, quòd nemo mortalium satis deprehendere valeat mentis hanc vsque in finem impœnitentiam, cũ Deus qui solus cor hominis introspicit, etiam immutare illud subitò possit. Quare & Ecclesia pro his, qui rabida mente cum fratre manus cunserentes occumbunt, aut aliàs in peccatis constituti, subitò hinc rapiuntur, orare non cessat. Sed neque admonendi hac de re erant, ad quos scribit Apostolus Ioannes, cum ipsos, vt videtur, id latere haud potuerit. Alia igitur via, si fortè succedat, hanc tentemus explicare sententiam. Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum ex hoc loco Ioannis, docens inter peccata magnam esse distantiam, quæ ille paria faciebat. Stoicorum in hoc sectator, dicit peccatum non ad mortem esse, de quo non facilè impetratur venia. Hoc autem peccati genus, quodnam vel quale sit, hunc sequutus definit Diuus ille Bernardus in libro, quem de gradibus humilitatis conscripsit, dicens illud esse, quod ex inueterata peccandi consuetudine, qua Dei metus amittitur, & contemptus incurritur procedit. Et si diligentiùs rem considerare voluerimus, videbimus rectissimè id à Bernardo dictum. Is etenim, qui nondum eò malitiæ deuenit, vt ex consuetudine faciat, malè, sæpè vel lassante ipsum iniquitate, vel stimulante conscientia, peccare desistit, atque metu Gehennæ terrefactus, ad gratiam Dei implorandam confugit. At ille, qui in peccandi venit consuetudinem, absque labore, sed & absque fræno, securus perpetrat mala. Laborem in durissima peccati seruitute, vt non sentiat, consuetudo facit, frænum, hoc est, diuinorum iudiciorum timorem adimit toties iterata iniquitas, qua eius ita mens obduratur, vt iam dicere audeat, licet non ore, corde tamen Non est Deus. Quare tantùm abest, vt precandi possit subire humilitatem, vt ne in mentem quidem ei veniat, adeoque in morte vsque ad mortem ferè manet. Ea qua ratione hoc peccatum ad mortem dictum. Verùm cùm & hunc Deus potenti dextera sua (licet rarus ille sit diuinæ misericordiæ effectus) de vitiorum profundo educere valeat, ideoque nec hic desperare semel liceat, quid est, quod ait Iohannes. Est peccatum ad mortem non pro illo dico, vt roget quis? An spei refugium esse possit, vbi oratio locum non inuenit? Hæc, quę primo adspectu haud exigua videtur facilè absoluetur

uetur difficultas, si ipsius Apostoli verba diligentius inspiciamus. Ait enim: Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quod cunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Ex hac deinde istam infert sententiam. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Ac si dicat: Cùm ea nobis sit apud DEVM impetrandi quod petimus, fiducia, haud quaquam omittere debemus, quin pro peccatis fratrum, quæ fragilitate humana, vel aliàs, non ex malitia aut consuetudine, committũtur, deprecemur, plenè persuasi quod veniam impetrabimus. Cæterum pro peccato ad mortem non dico, quis oret, hac nimirum impetrandæ veniæ fiducia, quod ad suam petitionem mox illi reddetur vita. Quid ergo? quasi diffidens confidat, & non oret, sed gemat, plangat, saccum adhibeat, & clamet in cœlum, si fortè exaudiat Deus, & misereatur. Non ergo absolutè orare vetat, sed negat eam hac in re iustis posse esse fiduciam: quod si orent, facilè sint exoraturi.

Hanc puto germanam esse sententiam loci huius, quamquàm non ignorem aliter interpretari Ambrosium, cuius commentarius (si fortè id scire quis desideret) est capite nono primi libri, quem de pœnitentia scripsit.

Tertia quæstio.

Exod. 20.a. Exech. 18.c. TErtia quæstio est. Quomodo Moyses *Deum reddere peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem,* cum apud Ezechielem legamus: *Non portabit filius iniquitatem patris.* Quæstio hæc adeo facilis Hieronymo visa non est, vt de se ingenuè tetetur, quòd post lectionem legis ad id vsque tempus, quo in caput Ezechielis decimum octauum commentaria conscriberet occultum passus sit scandalum, quod iniustitia videretur Dei, alium peccata luere, quam tamen sententiam explicare putabit Exodum. Primum ergo quæramus, quæ sit vera intelligeutia legis, qua inuenta, diuinæ iustitiæ rationem reddere conabimur. Deinde huius atque illius, quæ apud Ezechielem est, sententiæ tollemus scandalum. Cũ enim idem Deus sit, qui hic, & qui illic loquitur, inter se discrepare non possunt. Diuus Hieronymus, atque hoc, ipso, vt putat, docente Ezechiele, scribit Exodum accipi debere, quasi parabolam, vt aliud in verbis sonet, aliud in sensu teneat. In verbis prætendit filios puniri ob peccata parentum, quod ille prouerbio. Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, exprimebant Iudæi, sed grauè ipsos legem intellexisse docet Ezechiel, dũ reprehendens eos, ait. Quid est, quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium? ac si dicat: Cur sententiam Exodi sic accipitis, quasi historiæ veritatem, vt aliorum scelera in alijs vindicentur, cum ea sit parabola? Non enim ideo puniuntur in tertia & quarte generatione, quia deliquerunt patres eorum, sed quia patrum extiterunt æmulatores, hæreditario malo & impietate in ramos quoque de radice crescente. Ad hunc ferè modum Hieronymus. Verum si id tantùm voluit Exodus, cur non potius filiorum, quam in filijs peccata patrum vindicari dixit, cum & ipsi sicut patres, peccatores extiterunt?

Sed & quid dicemus ad scripturas apertissimas, quibus manifestè docemur, peccata parentum ad filios redundare? Nónne Geneseos nono, peccante Cham, ac irridente nuditatem patris, sententiam non ipse qui risit, sed filius eius suscepit Chanaan? Nónne peccauit Dauid adulterans Vriæ coniugem, atque in puero recens nato peccatum vindicatum est? Nónne Hieroboam ob patris delictum regno ex parte exutus legitur? Nónne peccatorum Achab regis Israel in eius posteros pœna est dilata? Nihil ergo incommodi, si dicamus scripturam hanc Exodi simplicem explicare sententiam, nimirum peccata patrum in filijs & nepotibus vindicari, cùm eam toties *alijs in locis* agnoscamus. Et si attentè quis Ezechielem legat, deprehendet apud ipsum parabolam dici, non hanc scripturam Exodi, sed quam passim ipsi in ore habebant. *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & cætera.* quod ex his quæ dicturi sumus euadet manifestum. Ante tamen diuinæ iustitiæ rationem reddamus. Quomodo videlicet iniustum non sit peccata patrum vlsitari in filios. Et quidem bifariam id accipi potest. Vel vt intelligas ipsũ peccata redundare ad filios, ita vt vere illorum participes fiant, & peccatores constituantur. Hoc modò docente Scriptura, solius primi parentis Adæ iniquitatem portamus, at quæ id iustè quidem, quia illa quæ originis iustitia appellatur, data illi erat, non vt ea ipse solus iustus esset, sed vt ab eo ceu fonte quodam ad posteros manaret. Hanc quia peccando amisit, & nos in illo eandem perdidimus, quia ipso peccante, & nos in illo secundum Paulum peccauimus, nam in lumbis eius eramus. Verum hæc explicandi ratio in Exodo locum non habet, cùm de proximorum peccatis parentum sermo ibi sit. Altero modo accipi potest, vt pœna paterni delicti, & non ipsum delictum in filio deriuetur. Cumque duplex

Universidad de Deusto
Biblioteca

plex sit pœnarum genus. Alterum quod in præsenti vita infertur. Alterum quod post mortem in gehenna infligitur de priori tantùm genere intelligenda est Scriptura. Sicut enim promissiones legis, ita & comminationes temporales erant. Hoc autem quomodo diuinæ iustitiæ non aduersetur, haud difficulter intelliget, qui secùm statuit, quod res est. Ista quæ vulgo appellantur mala, vt sunt paupertas, seruitus, morbus, exilium, mors, ἀδιαφορα esse, hoc est, nec bona, nec mala, sed talia cuique qualis ipse est qui ea patitur. Cum igitur prodesse hæc possint, nihil iniustè agit Deus, dum ea innocentibus etiam immittit, sed materiam præbet exercendæ virtutis, Et quamuis pœnæ propriè dicendæ non sint, quatenus ab his qui non peccauerunt, tolerantur, cùm omnis pœna, si iusta est, peccati pœna sunt, ob quorum peccata infliguntur, quare & rectè in tertiam & quartam protrahuntur generationem, quia ad tantùm fere tempus olim viuebant homines, vt quartam à se viderent progeniem, qua aduersa patiente ipsi non poterant non cruciari.

Iam reliqua est quæstiuncula: *Si Deus visitat iniquitatem patrum in filios, & filios filiorum, & qui nascuntur ab illis*, quid est quod dicit Ezechiel: *Non portabit filius iniquitatem patris.*

Videntur enim hæc ex diametro pugnare. Nam filium non portare iniquitatem patris, est ipsum neque culpæ neque pœnæ paterni delicti obligari, quemadmodum id non obscurè docet ipse orationis textus, dũ penitiùs inspicitur, Dico, alia & alia respicere tempora locum hnnc Exodi atque eum, qui apud Ezechielem est. Ille siquidem ad vetus pertinet testamentum, quæ est lex timoris, seueritatis, ac vindictæ. Sententia verò Ezechielis de nouo testamento continet prophetiam, quę quidem lex amoris, & mansuetudinis, & gratiæ est, in qua illæ pœnarum comminationes multiplices, sicut & promissiones ipse mutatæ sunt. Quod dum propheta in spiritu præuideret futurum, dixit parabolam illam: *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*, è medio tollendam. Viuo ego, dicit Dominus Deus, si vltra vobis parabola hæc in prouerbium erit, fuit ergo tempus cùm illa locum haberet. Quòd verò nouum respiciat testamentum, discimus ex Hieremia qui cap. 31. eandem hanc referens sententiam. In diebus illis, inquit, non dicent vltrà. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed vnusquisque in iniquitate sua morietur. Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius. Et explicans quos intelligi velit, dies illos, subijciet. *Ecce dies veniet dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactũ, quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Quæ omnia ad nouum testamentum & Christi tempora pertinere, ex Epistola ad Hebræos, palàm est.

Quanquam & ea quæ ante hanc prophetiam cap. 31. leguntur, satis declarent, quod tempus respiciat Propheta. Cùm enim præcedat. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum. Rursus: Seminabo domum Israel, & domum Iuda, semine hominum, & semine iumentorum. Et subijciatur: In diebus illis non dicent vltra, Patres comederunt vuam acerbam, certè tempus nouæ legis significare voluit, Alij aliter de quæstione hac differunt. Nos, quod nobis visum fuit, diximus.

ORATIO FVNEBRIS IN OBITVM D. Tilmanni Præsidis collegij Pontificij in Academia Louaniensi.

Esa. 57. a *Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo: Et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat.*

VOx hæc Esaiæ prophetæ est plangentis seculum suum. Iustus, inquit, perit, &c. quod dignum fletu, non est, qui recogitet in corde suo. Et viri misericordiæ colliguntur, nec est qui intelligat. In eadem nos incidimus tempora, quare cũ prophetа ea deflere iuuat. Et quia dolori meo satis non est, si ipse plangam, nisi accedant alij quoque, volo quæ ex Esaia iam proposui, exponere vobis, vt cognitis iustissimis causis dolendi, iungatis lachrymas, ac in commune ploremus in quæ incidimus secula.

Esa. 57. a *Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo: Et viri misericordiæ colligũtur, quia non est qui intelligat.*

IVstus perit, In voce, Iustus, quidam antonomasiam esse volunt, alij enallagen siue heterosin numeri malunt accipere. Qui dicunt antonomasiam esse, variè explicant. Quidam eorum Esaiam significari volunt, vt de sua morte vaticinetur Propheta, quod neutiquam probabile est. Alij illum insigniter iustum, de quo in Actis. Vos autem occidistis iustum. Et in Euangelio *Nihil tibi & iusto huic.* Quæ sententia, & si magnos habet authores, non dubito tamen alteram illam, quæ enallagen accipit, ei præferre. Quum enim perpetuus contextus sit periodi huius cum aliquot sequentibus, atque ea quæ sequuntur ad seculum Esaiæ pertineant, consentaneum est, vt eò referatur hæc, quoque. Non igitur de Christo propriè scripta est, Sed & alterum membrum. Et viri misericordiæ colliguntur, quod in eadem periodo sequitur, planè ad enallagen inuitat. Sensus itaque est. Iustus, id est, iusti pereũt hoc est, moriũtur siue tolluntur è vita. Heu, quam calamitatem, quam paucis verbis cõprehendit, vel, vt verius dicam, absorpsit. Iustus perit. Quid potuit dici breuius? At calamitatem quam duobus verbis comprehendit, quis tandem vel prolixa oratione, oratione, dignè explicet? Ne tamen desim promissis, conabor quanta possum breuitate rem exponere. Et primum quidem dicam quo loco habendus sit iustus. Nisi enim id constiterit, alterum illud intelligi nequit. Quantus sit iustus, haud obscurè docet liber Geneseos, ea parte, qua describit Sodomæ ac Gomorrhæ subuersionem, huiusque causam. Cum ait, cognouisset Abraham Dominum meditari excidium Sodomæ, dixit: *Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint ibi quinquaginta iusti, non parces loco illi propter quinquaginta iustos? Ad quem Dominus: Si inuenero in Sodomis quinquaginta iustos, dimittam omni loco propter illos.* Hic paulisper figamus pedem. Sodoma inter ciuitates pentapoleos clarissima erat, atque adeò populus in ea frequens, ac multus. Id discimus ex commentarijs Chrysostomi in hunc locum. Quod primum obseruare oportet. Siquidem vim habet argumenti, quemadmodum mox audituri estis. Secundo obseruandum id quod disertè habet ipsa historia, populum Sodomæ pessimum fuisse. Declarant hoc verba illa: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Singula epithasim habent, Non dixit in iustitia Sodomorum siue iniquitas, qua insurrexerunt potentiores in inualidiores, ditiores ĩ pauperes, *sed clamor*, quod longè vehementius est. Nec dixit: Venit ad me, siue adscendit, sed multiplicatus est, quo verbo inundationem expressit iniquitatis siue multitudinem quemadmodum altero illo magnitudinem. Neque verò multa solũ ac magna eorum iniquitas, hoc est, iniustitia fuit, verum etiam peccatum eorum aggrauatum est nimis, Putant quidam hic positum numerum pro numero, peccatum pro peccatis, sed verisimilius est de certo genere peccati loqui Scripturam. Insolitum enim iniquitatis modum excogitauerunt, & alienas ac illicitas coeundi leges prorsusque monstrosas adinuenerunt. Hoc eorum peccatũ aggrauatum est nimis. Est hic plusquam duplex Epithasis. Primùm sententiam intendit quod dicit: valdè siue nimis. Deinde verbum aggrauatum est, manifestè ad exaggerationem pertinet. Quodque horrendum dictu peccatum, hoc adeo inualuit, vt omnes persuaserit. Id discimus ex proximo capite quod ad hunc modum habet. Venerũt duo Angeli Sodomam vespere, quos vt ad se diuerterent coegit Loth, instruxitq; conuiuium: prius autem quam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domũ eius à puero

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsque ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: *Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc vt cognoscamus eos*, hoc est, vt coeamus cum eis. Terribilia verba. Vallauerunt inquit, vehementiam habet. A puero vsque ad senem. Non solùm iuuentus, ait, hæc mala inquirebat, sed & viri prouectæ ætatis, imò frigidi, ac effœti corporis senes, in quibus meritò iam deferbuisse oportebat venerem. Et ne aliquis excluſus videatur. Omnis, inquit, Populus simul. Neque erubescebant tam turpe, tamque impudens flagitium, sed absque rubore & nudo, quod aiunt, capite libidinis suæ verba dicebant. Vbi sunt, & cætera. Omnia hæc vim habent argumenti. Iam quò cognoscatis ad summum eos venisse malorum, aduertite ad sequentia: *Egressus ad eos Loth post tergum occludens ostium, ait: Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere*. Eos qui tam absurda patrare volebant, fratres vocat, quò à flagitio tam nefario ipsos abducat facilius. Ne, inquit, naturâ ipsam expugnetis, horret illa, quod aggredi vos molimini, flagitium. Si omnino volueritis insaniæ vestræ furorem demulceri, habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum. Adhuc, inquit, interpertes sunt nuptialis congressus, intactæ sunt, luculentæ sunt, & adhuc in flore ætatis. Eas omnibus expositas do, expleatis vestrâ in eis libidinem, abutamini sicut placet, dummodo viris istis nihil mali faciatis, vt ne mihi adscribatur iniquitas, quæ eis contigerit & ego eis author sim contumeliæ, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei. Sic ille. Quid ipsi? Nunquid attenderunt consilium iusti? Nunquid infallibilem Dei oculũ cogitarunt? Nunquid hospitij iura reueriti sunt? Nunquid à peruersitate destiterunt? Nihil horum, sed quid? Post verba illa, post tam eximiam manſuetudinem, cum verbis suis quasi manibus prostituisset filias. Recede illuc, apage, ait ad iustum. O efferatam malitiam. Ingressus est vt aduena. Nunquid vt iudices? Aduenam te, inquiunt, suscepimus, & iudicem nostri te facis? O excellentem ingratitudinem. Te ergo ipsum magis quam hos affligemus, O indomitam ferocitatem. Patrocinio tuo non aliud efficies, inquiunt, quam vt in caput tuum, quod ab alijs amoliri conaris, accersas malum. Vimque faciebant Loth vehementissime.

Si nondum satis demonstrata est malitiæ magnitudo, ex insolito modo & supplicij magnitudine hãc cognoscite. *Pluit*, ait, Scriptura. *Dominus super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem de cœlo à Domino*, id est, diuinitus phrasis est Hebræa. *Subuertitque ciuitates has, sed & omnem circa regionem omnesque inhabitantes, ac cuncta terræ & virentia.* Quare hoc? Quid bruta tellus meruit? quid illa peccauit? Nihil sanè. Quid ergo & ipsa luit? Magna causa est. Nimirum vt ventre terræ inutili facto, perpetuum foret monumẽtum sequentibus generationibus, omnes docens, quanta fuerit inhabitantium malitia. Atque, id est, quod alio in loco Scriptura ait. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, adeò vt volenti ad loca illa pergere, videre etiamnum liceat terram ipsam, vt sic dicam, clamantem, & ostendentem supplicij vestigia & firmata, quasi heri aut hodie facta, tam manifesta ostenditur indignatio. Atque hic populus, in quem ita hæc Dei desæuit, qui igneo imbre ac sulphureo interijt. Ipsa Sodoma quæ tam absurda patrauit, quæ naturam ipsam traduxit, quæ tota aboleri digna poterat non perire, si in ea, in tanta populi multitudine (siquidem maxima erat, vt antè diximus) quinquaginta reperti fuissent iusti. Quid dico quinquaginta, si quadraginta habuisset iustos, staret adhuc Sodoma. Imò si triginta, imò si viginti, imò si decem: sic enim habet Scriptura. Quantus igitur est iustus, quàm magni meriti, quàm ingentis virtutis apud Deum? Quam grandè bonum, quam certum & firmum præsidiũ, quàm validus murus, quàm fortis neruus ciuitatis?

Aestimare volo precium iusti, cogito opulentissima regna, cogito Aegyptum, cogito Acthiopiam, de quibus tam multa, tum sacra, tum prophana narrat historia, cogito montes aureos, si tamen vsquam illi sint, cogito quidquid rarum & pretiosum habet orbis, & post omnia mente lustrata, non inuenio quod in comparatione iusto dignum sit. Nec mirum, cum totus mundus diuitiarum, ipse orbis vniuersus, comparari ei nequeat. Miramini sortasis ob verba hæc, & num vera dicam, tacitis apud vos cogitationibus disquiritis. Desinit mirari, à disceptatione cessate. En in medium vobis produco optimum rerum æstimatorem D. Paulũ. Is de iustis cùm sermonem instituisset, & diuersa in alijs atque alijs admiratus fuisset, tãdem intulit. *Quibus dignus non erit mundus*, id est, tota hæc machina, quæ oculis subijcitur, ac cuncta in ea degens creatura nõ bruta modo, sed & ratione prædita, vitam tamen iuxta cupiditates suas transigens (solet enim Scriptura vtraque hæc mundi appellatione significare) Quam igitur luctuosa res quam tristis, quam calamitosa, quibus lachrymis, quo planctu deflẽda mors iusti: mors inquã iusti, qua tantũ bonũ rebus humanis subducitur? Atque eiusmodi à paucis hinc diebus octo vel nouem amisisti Louanium.

Nam

Nam occubuit, heu dolor: extinctus iacet, heu dolor, dolor iacet dico extinctus. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte, plorabo non ipsum præsidem dico collegij pontificij. Quem enim tantopere dilexerim, plorare qui possum ereptum horum temporum miserijs, in his imminentium malorum præsagijs, hac etiam morborum innocentissimi viri molestia, & cruciatu? Illum optimum & pietate erga Deum ac homines eximia defleere, qui queo auocatum in vitam certam, & stabilem ex vita hac fragili, & caduca, de qua si vnquã nunc iure queri possit. Vtrum hoc quod viuere vocamus, re ipsa mori sit: & quod mori viuere? Præclarè tecum actum est Tilmanne, Reliquisti lucem obscuram, & malignam. Excessisti è vita illa, cuius vsuram pertæsus sapiens quisque quam citissimè finiri cupit quando abrumpere non licet.

Terras deseruisti, quibus iam olim maledixit Deus. In quas & quasi effluxere nunc & exundauere quęcunque cogitari possunt mala, omnis sors dura, & terribilis. Adijsti lucida cœli templa, in quibus iustitia inhabitat, vbi certa & secura fœlicitas. Nihil est, quod tua causa doleã, vel cur nõ potiùs magnopere lætер? Interim quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontẽ lachrymarũ & plorabo die ac nocte? plorabo, sed nostrã miseriã, sed nostram calamitatẽ, sed nostra damna. Plorabo collegium Pontificium orbatum tali patre. Lugebo rempublicam, & Academiam Louanienſem tanto viro spoliatam, imò patriam totam, non solum Brabantiam dico, sed & Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Flandriam, Germaniam, Deflebo opem, atque spem ablatam pietatis, virtutis, sapientiæ, eruditionis, doctrinæ. Quid hic non egit, vt religionẽ collapsam instauraret? Omnes quos aliqua ingenij vi pollere conspiciebat, hortabatur ad literarum studia: potissimum autem ad Philosophiæ studium ac theologiæ: nec hortabatur modò, sed & consilio, authoritate, gratia, denique facultatibus suis iuuabat: Omnes quos doctrinæ fama commendabat, quosque illa diuinæ naturæ suæ vi ac perspicacia aptos cernebat, ad magna aliquã præstanda, sollicitabat, vrgebat, planeque extimulabat, ad hęc vel illa suscipienda munia curationum Ecclesiasticarum. Erat in hoc diligentia eius immensa, nec quidquam adeo graue, adeò durum, licet cum periculis coniunctum, quod Ecclesiæ causſa non libenter subibat. Et quod ab ipso omnes discere velim, continenter oculos, & puras manus ad cœli sanctissima templa sublatas habens orabat Deum maximum, vt omnium studia, & conatus proueheret, vt malis Ecclesiæ tãdẽ finẽ imponere, ipsamque in lucẽ educere veller. O virum verè, sanctũ, piũ, iustũ. Huius innocentissimi meritis & paucorum aliorũ tribuo, quod superioribus annis, quibus vidimus Martinũ Rossemiũ miscentem circumquaque incendia, atque muris nostris appropinquantẽ, ciuitas hæc capta non sit. Non enim industriæ tuæ, vel præsidijs humanis adscribere potes Louanium hanc tui ab hostе liberationẽ. Nam totũ stupebas, & præsidia aderant nulla. Hoc viro nũc cares, defunctus est, terra obrutus est. Heu quantum bonum tibi luctuosissime mors Tilmanni ademit. Quam eo molestiùs fero, & tristius, quod videam hanc non æquè alij curæ esse. Quis enim (de vulgo loquor) seriò cum animo suo cogitat quid detrimenti, quantumque damni acceperint, hoc amisso res nostræ, religio, inquã Christiana? Quis expendit secũ virtutes viri, & ablatũ dolet? O tempora, ô mores. Iustus perit. Quo, quid flebilius dici possit? nec hoc nunc plango, quan quam fletu immodico dignũ casum. Est quod magis vrget, quod magis affligit, & animum excruciat meum. Et quid hoc. Esaia sanctè: *Non est qui recogitet in corde suo*, Sed cur non ipsius potius verbis dicimus, quo melius dicamus אין איש שם על לב veen is san al leb. *Non est vir.* Non est quispiam qui ponat super cor. Non est cui res ea curæ sit. Sedent ad pocula, audiunt obijsse iustum, nihil faciunt, non cogitant de pietate eius. Hanc tantam ingratitudinis, hanc populi cæcitatem, stuporem, ἀναίσθησιν, deploro, inquit. Hæc flendi, lamentandique causa, nobis cum Propheta communis est. *Iustus perit.* Si iustus est qui facit iustitiam, certè hic, in cuius modo luctu versamur, iustus erat, cùm & vitam innocentissimam duxerit, & virtutem indefesso spiritu exercuerit, quæ quidem duæ iustitiæ partes sunt. Sed quid est, quod dicit, perit? Num hoc sentit, quod viri ἄθεοι, qui semel aiunt interire hominem, dum moritur? Absit. Non id sentit propheta, & longè abesse debet ea persuasio à Christiano quouis. Quod ad prophetam attinet, dico tam magnificè cum de animæ immortalitate & resurrectione carnis sentire, quem vix legas quem piam. Non est quod anxiè conemur id docere, cum loca nusquam non obuia sint. Vnum interim adducemus, quem etiam, quia iucundam habet theologiam, paucis exponemus. Is autem est cap. 26. *Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderũt habitatores terræ.* Quia inquit, tam lenti sumus ad studia pietatis (hoc enim est non facere salutes, nempe aut valdè tardè, aut valdè interrupтè facere)

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptè facere) ideo non ceciderunt habitatores terræ, id est, qui hic sectantur vitam æternam, siue in diuitijs eam ponant, siue in honoribus, siue in alijs rebus, fluxis quibuscunque. Hos paulò antè gigantes appellauit, cum ait: *Morientes non viuant, gigantes non resurgant*, cuius anthitesis iam sequitur: *Viuent mortui tui*, hoc est, qui in te moriuntur, non semel moriuntur. Moriuntur ad tempus tantùm, idque iuxta corpus. Siquidem anima immortalis est, Non semel moriuntur inquam. Nam rursum viuent: quæ verba Prophetæ excipiens Deus: *Interfecti mei*, ait, *resurgent*. Affirmantis est, ac si dicat, Imò omnino resurgent, imò omninò rursum viuent. *Expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere.* Est apostrophe ad sepultos. Nam hos vocat habitantes in puluere. Et quia mors eorum, qui in Christo moriuntur, non aliud quàm somnus est, aptè expergesci siue euigilare dicuntur. *Quia ros lucis*, ros tuus Apostropha est ad Deum. *Ros lucis*, hoc loco, ros vitæ est, Sensus verborum est iste: Sicut ros, quem videmus apud nos, affert vitam satis ac plantis, sic ros tuus diuinus vitam afferet defunctis, iisque qui habitant in puluere. Vincit enim ille omnes herbas Pœonias: *Vade populе meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Est rursus apostropha ad sanctos. Cubicula, sepulchra vocat. Non est quod vos populе mi horreatis mortem. Mors est, ad tempus tantùm, & quidem breue tempus, adeo breue, vt recte momentum dixerim. Proinde securè ingredimini sepulchra vestra. Ibi quiescite interea dum ego retribuo impijs quod merentur. Non eritis in monumentis perpetuò. *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltra interfectos suos*, hoc est, reddet & refundet vos terra velut ex gremio suo, quo iam claudit corpora vestra fouetque. Hactenus Esaias. Non igitur, dum hoc loco ait: Iustus perit, id sentit quod prima fronte vox ipsa prætendere videtur. An autem consuetudine vulgi, an potiùs quò causam lamentabiliorem reddet, hoc tam atroci verbo vsus sit parum refert. Certè longè diuersa voce eandem rem expressit in altero membro periodi. Non ibi ait pereunt. Non etiam inquit, Moriuntur quod priori mitius est, sed colliguntur. *Et viri*, ait, *misericordiæ*, hoc est phrasi Hebræa, viri misericordes colliguntur, significans non obscurè post hanc vitam restare æternam. Sèd quare viros iustos atque hos quos misericordiæ virtus commendat reipublicæ & horũ temporum miseriæ tantopere necessarios rebus humanis subducit Deus? iuxta versionem nostram videri posset id quod sequitur: Quia non est qui intelligat huius rei causam habere: verùm si quis Esaiam Hebræum consulat, secùs iudicabit. Habet enim ad hunc modum: שיהסרגאספיראיגנבימין ראו ve an sche chesed neesapim veen mepin. Quod Chaldæus interpres vertit: ודחיס ראבימבגשיון ולא מסתכלין דגבר סגל ve gabre magie chise da mitcam sin velo mistackelin. LXX. καὶ ἄνδρες δικαιοι αἴρονται, καὶ οὐδεὶς κατανοεῖ. Ex quibus manifestum est, על לם ראין מיבין veen mebin, hoc esse quo ראין מישרים veen is sanal leb, quod in priori membro legitur quare vrgeri hic non oportet coniunctionem, quia cùm nouè illam vsurparit interpres, vera causa ea est quæ sequitur. A facie enim malitiæ collectus est iustus. Quod quid sit, optimè intelligitur ex cap. 22. quarti libri Regum, vbi Iosiæ regi Iuda pientissimo dicitur: *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui mala, quæ introducturus sum super locum istum.* Quod ibi dicitur: Vt non videant oculi tui mala, hoc Esaiæ hic est, A facie malitiæ Dominus noluit iustum videre mala huius vitæ, idcirco rebus eum humanis subduxit. Dũ istud atque ea qnæ paulò ante ex Esaia proposui ex vna parte considero, & ex alia vitam tuam innocentissimam, non possum nõ rursus acclamare tibi Tilmanne. Benè præclarè fœliciter. Quare molliter quiesce in cubili tuo, dormi suauiter in sepulchro tuo. Aderit tempus & breui, quando audies vocem tubæ, qua expergefactus procedes è puluere, vnaque cum cæteris qui salutes fecerunt in terra, rapieris in nubibus obuiam Christo in aera, & sic perpetuo cum Domino eris. Interim damna nostra deflemus, imõ nõ tam hæc, quam secula in quæ incidimus, quibus non negligitur modo, sed contempti quoque habetur virtus, vt si vnquam nunc maximè queri liceat. Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. Quæ res, si iuxta ea quæ disseruimus, & vobis digna fletu iudicatur, auditores optimi, miscere lachrymas, & quibus olim sua Esaias, ipsi iam vestra hæc secula modis plangite, lugubri voce auribus omnium insonantes: *Iustus perit, & nemo est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat.*

FINIS.

EPITA-

IN MORTEM F. ADAMI SASBOVT DELPHII EPITAphium authore. D. Cornelio Musio.

Adamus nomen, Batani mea patria Delphi:
Progenies Sasbout non inhonora fuit,
Traiectum Latias & Græcas tradidit artes,
Louanium Hebræis addidit atque sacras.
Quas vt proferrens (culpa est sepelire talentum,
Et Domino vsuras non soluisse suas)
Commoda visa mihi Francisci semita, at illam
Dum sequor, in medijs cursibus eripior.

FINIS.

FINIS.

COLONIAE AGRIPPINAE
APVD IOANNEM BIRCK.
MANNVM.
ANNO SALVTIS
M. D. LXVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ADAM MAGNI OPERA



Universidad de Deusto
Biblioteca

ADAMI OPERA

